COMMENTARIORVM
IN DISPVTATIONEM DE IVSTITIA,

QVAM HABET D. THO. SECVNDA SECTIONE Secundę partis suæ Summę Theologicæ, in quibus quid ęquum, vel iniquum sit, Et qua ratione ad æquitatem, & iustitiam reducẽdum in omnibus negocijs, & actionibus, tam publicis quam priuatis: tam Ecclesiasticis, quam secularibus: tam capitalibus, quam ciuilibus. Et in omnibus vniuersorum hominum contractibus, & commercijs copiose explicatur.

EX SACRIS LITTERIS, SVMMORVM PONTIF., ET Sacrorum Concil. sanctionibus, vtriusque Iuris, & Ciuilis, & Canonici, ac priuatis cuiusque Regni legibus, & statutis, Sanctorum Patrum testimonijs, & omnium fere Theologorum, ac Canonistarum, tã veterum, quã recentiorum, quorum studia huic argumento vtilia esse potuerunt, sententijs, & doctrinis.

TOMVS SECVNDVS.

Authore F. Michaele Bartholomeo Saló Valentino, Augustiniano: ingenuarum artium, ac sacrę Theologiæ Doctore: & D. Tho. in florentissima Valentinorum Academia publico interprete.

VVLNERASTI COR MEVM



DOMINE CHARITATE TVA

CVM PRIVILEGIO.

Valentiæ apud Aluarum Francum, circa Templum Diui Martini. Anno 1598.

IN DISPVTATIONEM de Iustitia quam habet D. Thomas secunda sectione secundæ partis suæ summę Theologicæ

in quibus quid æquum vel iniquum sit in omnibus actionibus, commercijs, & contractibus humanis copiose explicatur. A Quæst. 77. vsq; ad Quæst. 87.

(✠)

Authore F: Michaele Salon Valentino Augustiniano.

QVAEST. 77. DE FRAVDVLENTIA QVAE *in emptionibus, & venditionibus accidere potest.*

INIVSTITIAM & iniuriam qua aliquis afficitur, bifariam pati potest, aut per actionem ipsi inuoluntariam, vt in homicidio, furto, contumelia, calumnia, & similibus accidit, aut per actionem voluntariam, vt in emptione, cambio, & aliis contractibus solet euenire: in quibus is qui lęditur, etsi nocumentum illud nolēs recipiat, in actionem tamē illam, & contractum in quo lęditur libere consentit. Vt qui carius emit, vel soluit vsuram, etsi nihil horū vellet, libere tamen voluit emere aut mutuo accipere. Egimus pręcedenti volumine de iniustitia quæ committi potest in actionibus inuoluntariis, tam in iudicio quam extra iudicium, aggredimur nunc difficilē & copiosam disputationem, immensumq; pelagus damnorum, quæ cum iniuria & iniustitia proximis inferuntur per action em voluntariam in commutationibus & contractibus humanis. Quo circa antequam ad singulos D. Tho. articulos accedamus tria prius a nobis explicanda sunt. Primo.

QVID SIT CONTRACTVS *& quotuplex.*

NATVRAM contractus, & varias illius formas nonnulli ex Theologis, & Iurisperitis copiosa oratione, & multis in medium addictis solent explicare, quę omnia quantum hic locus postulat breui sermone complectemur.

Ioan. Gerson initio sui operis de Contractibus definit illum *Commutationem ciuilem*, vt distinguatur à commutationibus naturalibus quas Philosophi vocant alterationes, *Et legitimam*, quia nisi exerceatur contractus iuxta sanctiones legum nullam habet vim. Reiicitur tamen hæc definitio á DD. maxime á Conrrado q.16. De Contract. & merito. Etenim si Petrus, & Ioannes cōueniant interse, firmiterq; constituant vt accipiat Petrus fundum Ioannis collatis illi 100. aureis, existit iam inter ipsos contractus emptionis, commutatio autem non est, donec actu & de facto accipiat Ioannes illos 100. aureos Petrus vero fundum.

Conrradus loc. cit. definit contractum, Actum rebus, verbis, vel scripto celebratū

tum interiori animi consensu, quo transferatur ab vno in aliũ alicuius rei dominiũ, vel vsus, aut aliquod aliud ius: Quæ definitio optima quidẽ est, sed quæ magis recipitur á DD. est illa Vlpiani. L. Labeo. ff. De ver. signi. §. contractũ. *Vt contractus sit vltro citroq; obligatio*: Quæ definitio non est accipienda formaliter, quasi obligatio prædicetur de contractu, vt in definitione hominis prædicatur animal de homine; contractus enim non est ipsa obligatio sicut homo est animal, sed est accipienda, quasi ab effectu, quod dicunt caussaliter: vt sit sensus: contractus est actio ex qua oritur mutua obligatio ex vtraq; parte contrahentiũ: vt in definitione illa iræ ab effectu, cũ dicimus, ira est Accensio sanguinis circa cor, sensus est, ex ira accendi sanguinẽ circa cor. Vnde L. Naturalis ff. De prescrip. verb. explicantur cõtractus illi quos vocamus innominatos per has quattuor voces. Do, vt des. Facio, vt facias, Do, vt facias, Facio, vt des: in quibus omnibus cõtinetur mutua quędã obligatio.

Ex hac definitione cõtractus sequitur reiiciendã esse distinctionẽ illã Cõrradi quam multi Iuristæ & nonnulli recentiores Theologi amplectũtur, vt contractus aliquando sumatur propriè, veluti quãdo oritur obligatio ex vtraq; parte, aliquãdo impropriè, vt quando nascitur ex altera tantũ parte, aliquando vero impropriissime, vt quando ex neutra parte. Quia reuera cõtractus nõ est, nisi obligatio ex vtraq; parte existat.

Sequitur secundo. Simplicẽ promissionẽ & donationẽ nõ esse contractus, vt vult Baldus, quẽ sequuntur D. Anton. & Conrr. cũ in nulla oriatur obligatio ciuilis ex parte recipientis, sed ex parte promittentis solum. Gratitudo enim illa qua recipiens beneficiũ ab alio debet in eũ esse affectus, nõ est obligatio illa ciuilis de qua hic loquimur: hæc nãq; obligatio confert cuiuis contrahentiũ ius in alterũ ad aliquã actionẽ ex iustitia illi debitã: vt in emptione habet emptor ius in vẽditorẽ ad postulandã ab eo rẽ venditã ex iustitia sibi debitã, & similiter habet vẽditor ius in emptorẽ ad exigẽdũ ab eo pretiũ illius rei tanquã ex iustitia sibi debitum: recipiens vero aliquid ab alio manet quidem illi debitor ex gratitudine non autem ex iustitia: vnde dixit Arist. 4. topico: *Donum est donatio irredibilis*.

Sequitur tertio. Mutuationẽ esse vere cõtractũ, licet oppositũ doceãt Siluest. & Cõrrad. quia quãuis mutuãs gratis mutuet, nascitur tamen ex mutuo hæc mutua obligatio, vt mutuans non repetat nec postulet rem mutuatam toto illo tẽpore ad quod mutuauit, & qui mutuo accepit fideliter restituat adueniente illo tempore.

Sequitur vltimo, hæc tria contractum, obligationẽ, & actionẽ siue ius ad exigendũ sic esse interse affecta, vt ex contractu nascatur obligatio, & ex obligatione actio siue ius ad postulandũ. Neq; in hac parte audiendus est Albornoz: qui actionem ciuilẽ de qua hic loquimur relatũ tantũ facit obligationis, non effectum, cũ omniũ DD. consensu & vocibus ipsis ita postulantibus verè illius effectus sit. Etenim quia Petrus vendidit Ioanni fundũ manent inuicem obligati, Petrus ad tradendum fundũ & Ioãnes ad reddendum pretium: ex qua mutua obligatione nascitur mutua actio & ius in vtroq;, in Petro ad exigendũ pretium á Ioanne, & in Ioãne ad postulandũ fundum â Petro: Quod adeò certũ est, vt cessãte tali obligatione cessaret simul etiã ista actio & ius.

Ex his omnibus efficitur, desiderari hæc tria in omni contractu: Primo mutuum vtriusq; contrahentis consensum, quia quãtumuis vnus consentiat altero non consentiente neq; inter eos potest contractus iniri, neq; mutua inter ipsos oriri obligatio. Secũdo vt cõsensus huiusmodi legitimus sit id est nulla lege prohibitus: Quo nomine pupilli nullũ contractũ ciuilẽ exercere possunt, lege illos prohibente, neq; res sacræ vendi, cum omnia iura illud damnẽt. Tertio, vt consensus contrahentium liber sit, & voluntarius, neq; per vllam vim, aut metũ, siue fraudem exortus. Quemadmodũ enim vt docet Arist. 5. Etic. c. 6. & 1, Rethor. c. 13. Qui facit iniuriam, non tamen sponte, non facit perse iniuriam, vt qui ignoranter accedit ad non suam, sicut Iacob ad Liam, ita qui inuitus vel deceptus exercet contractum aliquem, non est dicendus reuera illum exercere, nec censendus contrahens. Confirmatur hæc pars ex L: Qui iniuriæ. & L. verum. ff. De Furtis & C. cũ voluntate de Sẽt. Excom. Vbi dicitur *Voluntas & propositum sunt quæ distinguũt maleficia*.

Cæterum quod dicimus consensum contrahentis liberum esse debere, accipiendum est iuxta rectam rationem. Quando enim lege vel iudice præcipiente res aliqua venditur reclamante domino illius, talis dissensus non reddit venditionem illã & contractũ inualidũ, quia iuxta rectã rationẽ debet legi illi ac iusto sui iudicis pręcepto parere, & consentire, dissentiens vero contra

ro contra rectã rationẽ reclamat:quo fit vt venditio illa vel inuito dño valida existat. Ita habetur Instit. De his qui sunt sui, vel alieni iuris §.fina. Et Instit. de donatio. §. fin. & L.Si quis sepulchrum.ff. De religio. & sumpt. funerum.

Demum sicut cõtractus mutuo vtriusq; consensu constituitur, ita mutuo quoq; vtriusq; consensu potest dissolui, iuxta Reg. illam *Omnis res per quas caussas nascitur, per easdem dissolui potest*. Loquimur vero hic de contractibus ciuilibus, vt emptione, venditione, & similibus; non de naturalibus nec spiritualibus quales sunt Matrimonium, & professio religionis, qui ex diuina institutione perpetui sunt & omnino indissolubiles, etiã si vterq; cõtrahentiũ interse conuenirent. Ciuiles autem mutuo consensu dissoluũtur: mutuo inquam, quia solo alterius partis dissensu rescindi nõ possunt: Ita nãq; per cõtractum rite celebratũ acquisiuit ius quiuis contrahentium, vt nequeat vnus alterũ sineipsius cõsensu iure illo expoliare: Quo circa dicunt Iurisconsulti *Contractus a principio esse voluntatis post factum vero necessitatis*. Ita. L. Sicut. Cod. de Actio. & oblig. & L. in commod. §. sicut. ff. commod.

QVOTVPLEX SIT CONtractus?

QVOTVPLEX autem sit contractus varie quoq; á DD. explicatur.

Gerson loc. cit. & Sotus in 4. dis.15.q.2. constituunt octo species contractuũ, quãuis non constituant easdem sed cũ aliquo discrimine. D. Anton.3.p.tit.8.c.2. constituit duodecim. Conrrad. loc. cit. cõsiderans varia genera rerum in quibus versantur contractus, constituit 30. sed cũ species in disciplinis non sumantur ex eo quod materiale est, sed eo quod habet rationem formę, merito tot contractuum species non sunt admittendæ.

Recentiores tres proponunt contractuũ diuisiones. Diuidunt illos primo, in quosdã onerosos & alios lucratiuos. Vocant lucrum, plus habere boni quã sit secundum legẽ habendum, damnũ vero minus habere boni vel plus mali quã esset habendũ. Quo posito docet, contractũ in quo vnusquisq; contrahentium id tantũ habet quod debet habere, nõ esse lucratiuum, sed onerosum, quia æqualitas illa inter vtrumq; contrahẽtem seruanda, qua vnusquisq; id tantũ habet quod debet habere, est velut onus ipsius contractus. Ad hoc genus reducunt venditionem, locationem, permutationem, depositum, & similes contractus, in quibus est seruãda iustitia cõmutatiua: quia in his, vt in vẽditione, vẽditor acquirit quidẽ ius in pecuniã alterius, nõ tamẽ quacũq; ratione, sed ea solũ quatenus iustũ pretium constituit, nec gratis, sed cũ onere tradendi rẽ suã: Similiter emptor acquirit rem venditoris non tamẽ gratis, sed cum onere tradẽdi iustũ pretiũ. Lucratiuũ vero contractũ faciunt in quo recipit aliquis quod illi nõ debetur, ac sine vllo onere vel obligatione ciuili: cuiusmodi est donatio, quia recipiens donũ aliquod habet plusquã debet habere ex iustitia, cũ donũ illud ipsi non debeatur, sed gratis ac sine vllo onere sit collatũ. Cæterũ hæc diuisio licet nonnullis & viris qui do peritis probetur, nostro tamen instituto satis accõmodata nõ est. Primo, quia cõtractus vt ex dictis constat mutuam inducit obligationẽ contrahentibus, is vero quem vocãt Autores isti lucratiuũ, nullam inducit obligationem vel onus, vnde nec contractus est dicendus. Secundo, quia contractus omnes de quibus Theologi loquũtur ad iustitiã pertinẽt maxime cõmutatiuã; donatio vero, libera promissio, & similes cõtractus quos vocãt isti lucratiuos, ad nullã spectãt iustitiã, sed ad liberalitẽ potius vel magnificentiã. Demũ in omni contractu ciuili qui vere cõtractus est, seruanda est ęqualitas, ita vt neuter contrahentiũ lucrũ in eo recipiat vel dãnũ, i. vt exponit Arist. excessum vel defectũ ab æqualitate, quę in donatione simplici promissione & similibus nullũ habẽt locũ. Quod autẽ respõdent, omnia ista vera esse in cõtractibus perfectis & ad iustitiã cõmutatiuã spectãtibus, nõ autẽ in aliis qui imperfecti sunt, nõ tollit vim rationũ istarũ: sumũt enim quod omniũ DD. sentẽtiæ aduersatur, reperiri cõtractũ ciuilẽ in quo nõ sit seruãda necessario æqualitas iustitiæ commutatiuæ. Ita fit primam istam diuisionem contractus nostræ disputationi parum conuenire.

Diuidunt secundo cõtractus quos vocãt onerosos qui soli vere & simpliciter cõtract⁹ sũt, in reales, personales, & mistos: Quæ diuisio ita colligitur. In omni cõtractu reperiuntur communiter tria hęc, nẽpe duo cõtrahentes tanquam duo extrema, & res circa quam contractus exercetur tanquã materia subiecta: dixi communiter, quia licet in

venditione reperiatur quartum nempe pretium rei:in plerisq; tamen illa tria tantum est reperire. Quando igitur in contractu præcipue agitur de re quæ transfertur in dominium alterius, est contractus realis: vt in venditione, quamuis maneant etiam persona vendens obligata ad rem exhibendã, & persona emens ad reddendum pretium, attamen quia in huiusmodi contractu præcipue agitur de re quæ venditur dicitur contractus realis. Eodem modo si in contractu præcipue agatur de persona illiq; imponatur obligatio, dicitur personalis, vt fidei iussio; in qua etsi bona fidei iussoris maneant quoq; obligata, præcipue tamen persona: Quod si vtriq; directe & æqualiter imponatur per contractum obligatio, & personæ & rei dicetur mistus. Vt cũ obligatur quis ad soluendum aliquid ex quibuscunq; bonis, tam præsentibus quam futuris, tunc tam ipse quam bona ipsius directe, & æqualiter manent deuincta. Diuidunt. Tertio contractus in alios nominatos, quibus ex communi vsu iam propria nomina indita sunt, vt venditio, locatio, permutatio, hypoteca, & similes, alios vero innominatos, quibus propria nomina imposita non sunt, sed exprimuntur per voces illas quas proposuimus, Do vt Des. Et quamuis contractus omnis in quo interuenit aliquid istorum permutatio dici posit, communis tamen loquendi vsus obtinuit, vt nomen commutationis tribuatur tanquam proprium contractui in quo res aliqua cum alia commutatur.

Hæ duæ posteriores diuisiones satis accommodatæ sunt nostro instituto, vt ex progressu eorum quæ in his commentarijs diuino numine nobis fauente explicaturi sumus, inferius constabit, interim tamen ad explicandam D. Tho. (quod nostri muneris est) constituimus cum M. Soto lib. 6. de Iust. q. 2, art. 1. & recentioribus D. Thom. interpretibus septem contractuum species; ille vero sunt. Emptio sub qua includitur venditio: sunt enim hec duo inter se relata constituentia vnicum contractum. Mutuatio. Cambium. Emphiteusis, Commodatio Simplex, Mutua seu permutata commutatio, & Locatio seu conductio. Prætermitto hic Matrimonium & ingressum Religionis, quia licet sint veri contractus, cum ex matrimonio nascatur mutua obligatio inter virũ & vxorem ad obsequia domestica, & actus matrimoniales, ex professione vero nascatur obligatio religioso seruandi vota, & statuta suæ religionis, religioni similiter conferendi religioso necessaria suo statui. Hic tamen non agimus de contractibus naturalibus, vel spiritualibus respicientibus ipsas personas quales sunt Matrimonium, & Professio Religionis, sed de ciuilibus & forensibus qui versantur in mercibus & bonis tẽporalibus, cuiusmodi sunt hi septem quos proposuimus, ad quos cęteri omnes vt depositum, fidei iuissio, impignoratio, assecuratio societas & similes reducuntur. De quibus omnibus ad vnguem in hoc opere disseremus.

Colliguntur vero illi 7. contractus hac ratione. In his rebus & bonis externis tria possunt cõsiderari, Dominiũ, vsus fructus, & vsus nudus, quæ quid sint & qua ratione distinguãtur primo tomo satis exposuimus. q. 1. de dominio ar. 1.

Si dominium rei in alterum transferatur gratis & sine vlla obligatione, est simplex donatio & non contractus, vt iam admonuimus, si vero cum obligatione, quod exigitur necessario ad contractum, vel transfertur pro pretio in pecunia reddendo & est emptio, vel pro alia re æquiualenti, & est cambiũ: non enim loquimur hic de cambio quod consistit in pecuniis quod cõmuniter dicitur cãbiũ, de quo inferius, sed de illo cãbio quod in sacris litteris & S. Patribus appellatur cõmutatio, vt cũ do tibi triticum tu reddis mihi vinũ æquiualẽs: vnde hæc secũda species potest reduci ad emptionẽ, cũ in ea vere ematur aliquid pro pretio, quãuis nõ reddatur illud in pecunia sed in aliare.

Quod si transferatur dominium rei non pro aliquo pretio, sed cum debito restituendi eandem rem in specie vel ęquiualentem, est mutuatio: vt cũ mutuo tibi panem, vt similem reddas, vel quod æquiualeat.

Quãdo vero in cõtractu trãsfertur res, nõ quo ad dñium, sed quo ad vsum fructuũ tantũ, siue in perpetuũ siue ad tẽpus, cũ debito reddendi aliquid singulis annis, nempe aliquã certã pensionẽ, est Emphiteusis siue annualis pensio, latine melioratio: quia hoc fine inuẽtus est huiusmodi cõtractus, vt res meliores reddãtur: Habeo agrũ quẽ nõ possum cõmode colere, trado illũ tibi colẽdũ, ne incultus & Siluester mateat, retentoq; mihi illius dñio, cõcedo tibi fructus, ea lege, vt aliquid mihi singulis annis reddas. Vocatur propie hic cõtractus Emphiteusis, Hispane *Arrendamiento*, & Emphiteuta *el Arrendador*: reducũturq; ad hunc contractum omnes census de quibus inferius suo loco.

Vsus

Vsus Tabellionũ & Iuristarum obtinuit vt Emphiteusim tantum appellent, quando transfertur in alium dominium quod vocant vtile, manente in eo qui rem transfert dominio illius quod vocant directum, ea lege vt recipiens fructus & dominium vtile teneatur ad duo, primo ad reddendam annuam pensionem, Secundo vt nulla ratione posit vendere alicui rem illam cuius solum habet dominium vtile sine facultate domini directi, ad quam obtinendã aliquã pecuniam illi persoluat iuxta loci & patriæ cõsuetudinẽ. Sed Theologis Emphiteusis de qua hoc loco, Translatio est rei alicuius in alterum cũ illius fructibus, retento illius rei dominio, & cum iure recipiendi aliquid singulis annis.

Vsus vero nudus potest transferri tribus modis, nã aut transfertur solus vsus rei gratis nullo interueniente pretio, cũ solo debito restituendi eandem omnino rẽ, & est cõmodatio, vt cũ confero tibi equum, quo hodie vtaris, ea lege, & cum hoc solo debito vt adueniẽte vespere illũ mihi restituas. Vnde licet in communi sermone mutatio & cõmodatio idem videantur significare, & pro eodẽ quandoq; sumantur, differunt tamen reuera, cũ in mutuo transferatur dominiũ rei, in acõmodato vero solus vsus; versatur enim mutuũ circa res quę vsu consumũtur, in quibus cũ idẽ sint vsus & dominium, accipiens rẽ accipit simul illius vsum & dominiũ, potestq; illã distrahere pro libito: acõmodatio vero versatur circa res quæ nõ cõsumũtur vsu, & quas accõmodans, accõmodat quidẽ solũ vsum sine trãslatione dominii. Ex quo sequitur aliud discrimẽ, vt in mutuo sufficiat restituere rem similẽ in specie vel æquiualẽtẽ, accipio à te panẽ mutuo, nõ teneor restituere tibi eundẽ panẽ numero aliter enim frustra illum mutuo accepissem, sed alium panem vel æquiualens: in accommodatione vero teneor restituere eandem rem numero; essetq; maximum infidelitatis & iniquitatis genus, nõ restituere mihi equum quem tibi accõmodaui, sed aliũ loco illius vel ipsius valorem.

Quando accõmodatur vsus vnius rei pro vsu alterius, veluti vsus calcei pro vsu vestis, est permutata accõmodatio: quę reduci etiam potest ad emptionem, cum in ea vsus vnius rei exhibeatur velut pretiũ vsus alterius rei. Denique si transferatur solus vsus alicuius rei pro pretio pecunia soluendo, est locatio seu cõductio; quæ ad emptionẽ quoq; reduci potest, cũ reuera in locatione vsus rei quæ cõducitur pretio illo ematur.

Quo fit vt si rem exacte meditemur, cõstituendæ tantum essent quattuor species cõtractuum, Emptio, Mutuatio, Emphiteusis, & commodatio simplex, maioris vero explicationis gratia constituuntur istę septem quas adnumerauimus.

Præter hos existunt etiam nonnulli alii contractus, qui vt diximus ad hos reducuntur. Contractus. n. assecurationis qui vere contractus est, cum in eo dominus rei pretium conferat pro periculo cui se exponit assecurans, & is qui assecurat maneat obligatus ad reddendum illius rei valorem si pereat, reducitur ad emptionem, in qua dominus rei collato pretio suæ rei securitatẽ emit. Nec obstat ꝙ in huiusmodi contractu nec transferatur dominiũ rei, nec vsus fructus, vel vsus nudus; sufficit. n. vt dominus rei pretium dederit, quo acquisierit ius ad compellendum assecuratem ad restituendum rei illius valorem, si perierit.

Depositio si ea lege fiat vt deponens cõstituat pretium depositario, apud quem res constituitur, depositarius vero teneatur rẽ illã illesam & incolumem custodire, cõtractus etiam est, cum ex vtraq; parte in eo oriatur obligatio reducendusq; ad contractũ assecurationis. Simplex vero & nuda rei alicuius positio apud alterum solius custodiæ gratia, nullo interueniente pretio ex parte deponentis, nec obligatione aliqua ex parte depositarij contractus non est: sicut impignoratio, & fidei iussio contractus quoq; non sunt, ad contractus tamen illos reducuntur quia illos confirmant.

Impignoratio enim cũ nihil aliud sit quã temporalis quædam rei alicuius apud alterum positio, ad confirmandam contractus initi obligationem, contractus non est. Similiter fidei iussio, cum ex ea solus fidei iussor maneat obligatus creditori, creditori vero nulla maneat ex fidei iussione obligatio, quin nec inter debitorem ipsum & fideiussorem aliqua interueniat pręter gratitudinem. Reducuntur autem vt dixi ad contractus illos quos posuimus, quia, illos confirmant, redduntur. n. securiores exercentes contractum aliquem ex illis accepto pignore, vel fideiussore, qua de causa sunt qui impignorationẽ & fidei iussionem ad cõtractũ assecurationis reuocare volũt.

Deniq; reducitur etiam ad illos societatis cõtractus, cum sit velut quædam locatio industriæ & operarũ: traditur. n. in huiusmodi cõtractu pecunia socio, vt ea ac-

cepta suaq; industria adhibita, vtriq; lucretur, fructûq; ex illa percipiant. Prætermitto hic stipulationem, quia hęc proprie, vt cōmuniter exercetur, contractus non est, sed circunstantia qua contractus firmior redditur. Est enim stipulatio ex Conrrado loc. cit. quando in celebratione contractus, prętcr mutuū consensum & conuentionem cōtrahentiū, interrogatur alter vel vterq; eorū siue à tabellione siue à se inuicem, promittis stare huic contractui & cōuentioni, offersq; in illius securitatem hanc, domum, agrū, vel hæc bona, qui si promittat & obliget rē aliquam firmā & solidā, quam juristę vocant stipē, sumpta metaphora ab stipite arboris, quæ firmissima esse solet, huiusmodi obligatio illius rei fixę & permanentis admodū stipitis vocatur stipulatio. Quæ si ex vtraq; parte fiat, vere contractus est, quia nascitur ex ea mutua obligatio alicuius rei fixæ, quod si ex altera tantum, quod frequentius est, non est contractus, sed circunstantia tantum quæ contractum firmiorem reddit, velut pignus aut fide iussor.

Demū vt hęc omnia absoluamus obserua re non desinā Soto loc. cit. Septē illas cōtractuū species quas proposuimus ad quinq; reducere: Cābium nāq; in quo vna res pro alia cōmutatur trāslato vtriusq; dominio facit emptionē: cōmutatam vero cōmodationem in qua vsus vnius rei pro vsu alterius conceditur, facit locationem: In quo animaduersione dignus est. Etenim quamuis cambium illud vt admonuimus quædam venditio videatur, cum in eo res vna exhibeatur tanquam pretium alterius, at simpliciter & absolute reducere cambium ad emptionem non licet, vt vult Soto: Primo quia cambium antiquius multo est & magis consonum naturæ (vt statim docebimus quam emptio, vnde si vna ex his speciebus ad alteram esset reducenda, reuocare potius oportet emptionem ad cambium, quā contra. Secundo. Quia in cambio non ita requiritur æqualitas rerum quę cābiuntur, sed sufficit mutuus & liber consensus commutantiū illas interse, etiam si altera pretiosior sit, at in emptione & venditione exigitur necessario ęqualitas pretii cū re quę vēditur; quo fit vt cābium & emptio non possint ad eandem speciē contractus pertinere. Tertio cū contractus hi, ab hominibus instituti sint, ex hominum institutione sumenda quoq; est illorum distinctio, ex hominum vero institutione emptio non dicitur nisi pretio rei in pecunia exhibito, quod nō conuenit cambio de quo hic loquimur. Demum permutata cōmodatio si sibi ipsi Soto hęreret, ad venditionē potius quā ad locationem esset reducenda, tanquā contractus in quo vsus vnius rei esset pretium alterius, sicut in cābio rem vnam facit alterius pretiū, At qua ratione permutata commodatio cābiū nō est, eadē nec locatio, nec emptio, censenda est sed species contractus ab aliis distincta, sicut à nobis constituta est.

Et de diuisione contractuū pro instituti nostri ratione hæc dicta sufficiant. Videamus nunc:

CVR IN EXPLICANDA IN *iustitia quæ in contractibus accidere potest, a contractu emptionis initium sumat D. Thom.*

EXPLICATVRVS D. Thom iniquitates & iniurias quę in cōtractibus euenire possunt, exorditur à fraudibus quas humana cupiditas contractui emptionis miscere excogitauit: & merito. Primo. Quia inter omnes contractus nullus est ita necessarius Reipub. In primordiis enim humani generis vtebantur homines sola rerū cōmutatione & cambio: genere autē humano crescente & multiplicatis hominū necessitatibus impossibile moraliter fuit per illud cambium eis subuenire; partim quia aliquando indigens oleo solum frumentū apud se haberet, quo si accideret habentes oleum similiter abundare, nollent cambire illud pro frumēto, cū eo non egerent, partim quia accideret aliquando indigentem re pretiosa non habere apud se nisi res exigui valoris, quas cū pretiosis cōmutare ęquū nō esset, nisi magna viliū copia pro vnica pretiosa exiberetur. Vt si Sutor domo egeret, oporteret ingentissimum calceorum aceruum pararet, quos pro illa cambiret: quod est ridiculū, cū nullus tot calceis indigeret.

Ita oportuit inuenire mediū & viā, qua vnusquisq; sibi necessaria cōpararet, eaq; ratione excogitatus fuit cōtractus emptionis & vēditionis, inuentūq; nūmisma quasi cōmune rerū omniū pretiū, publicūq; instrumētū, & Reip. ipsius fide iussor: quo oblato recipiat vnusquisq; ab aliis ea quibus eget. In quo sensu dicitur Eccles. 10. *Pecuniæ omnia obediunt*, quia pecuniis omnia possunt cōparari. Ita testatur Arist. 1. Polit. c. 6. multa secula transisse absq; nūmorū vsu, deinde vero ipsam humani victus necessitatem indicasse quam necessarius fuerit, iudicandasq;

candasq; barbaras gentes illas, in quibus ad huc permanebat rerum commutatio & cābium sine numismatis vsu. Et 5. Ethico. c. 5. vocauit nummū *mensuram res ipsas ad æqualitatem redigentem.* Et Plinius lib. 7. cap. 56. ait Liberum patrē instituisse emere ac vendere quodā numismatis genere, quod obliuioni traditum est. Lib. vero 33. ca. 3. refert: Seruium Romanorum Regem primum signasse particulas æris pecudis effigie, vnde dicta est pecunia ad mutuam rerum inter ciues translationem per contractum venditionis. Plutarchus etiam in Publicola affirmat in vetustissimis nūmis ouis, suis, & bouis signum fuisse conspectum. Quod genus pecuniæ deinde (vt fertur) à Numa Pompilio in meliorem effigiem fuit redactum, & ideo numus seu numisma dictum. Progressu vero temporis anno scilicet ab vrbe Romę condita 585. cœpit quoq; argentum similiter signari, & deinde aurum: Sicq; obtinuerunt huiusmodi metalla, vt publica autoritate signata essent pretia rerum, quibus vnusquisq; res sibi necessarias compararet, sine alterius commutatione & cambio.

Ex quo progressu & experientia ipsa aperte constat, contractum emptionis simpliciter & omnino fore necessarium Reipu. Quod aliis contractibus non ita conuenit, quamuis enim multi eorū maxime vtiles sint, & aliquo modo necessarii, nō tamē ita, nec in eo gradu in quo emptio & vēditio.

Secundo exorditur ab hoc cōtractu D. Tho. Quia omnes iniustitię & fraudes quæ in aliis reperiuntur, reducuntur ad emptionem & venditionem. Omnis nāq; iniustitia quæ in commutationibus voluntariis accidere potest, ex dupplici capite summenda est, ex materia nempe vel pretio: ex materia vt si vendatur quod vendibile non est, nec pretiū habet, vt in vsura & symonia: ex pretio quando venditur quidē quod vendibile est sed pretio iniusto, vt in emptione, Emphiteusi, cābio & aliis contractibus: qua de caussa explicari prius oportuit iniustitiam & fraudē quæ in emptionibus accidūt, quā disputetur de dolis aliorum contractuum.

Tertio quia cū hęc disputatio sit de commutationibus volūtariis, merito ab ea sumi tur initium, quæ inter cęteras magis voluntaria est, cuiusmodi est emptio, vt ex singulis constare potest, etenim qui ratione mutui soluit vsuram, (vt hoc exēplo vtamur) maiori necessitate cōmuniter ducitur, quā qui rem aliquam carius emit. Ex his facile explicare.

QVID SINT EMPTIO ET venditio.

DEFINIVNTVR à iuris peritis, venditio rei pro pretio distractio: emptio vero pro pretio contractio. Ita definiuntur C. de Rescin. Vend. l. 2. In iure enim & apud DD. distractio non est quæuis translatio rei, sed illa in qua res & quidquid ipsius est, tā vsus quam dominium omnino transfertur: Contractio similiter non est quæuis rei acquisitio, sed illa per quā & res, & quidquid eius est, nēpe tā vsus quā dominiū acquiritur omnino. Ad innuendū igitur in emptione & venditione transferri à venditore in emptorem omnino & absolute rē ipsam, & quo ad vsum & quo ad dominiū, dicitur venditio distractio, emptio vero contractio.

A Theologis maxime recentioribus ita definiuntur, vt venditio sit. Translatio actiua dominii ex pretio numerato, emptio vero translatio passiua dominii ex eodem pretio, vel quod apertius est, vt vēditio sit permutatio rei pro pecunia, emptio vero permutatio pecunię pro re. Vbi permutatio cōstituitur genus emptionis & venditionis, nō quidē illa quę est commutatio rei pro re, quā appellauimus cābium, sed illa quę fit rei pro pecunia, quam Arist. vocauit numulariam commutationem.

Quod vt apertius reddatur obseruandū est, duplicē esse permutationē ex Arist. li. 1. Magnorū Moral. c. 34. Aliā secundū naturam aliā ex arte. Prior illa est permutatio rei pro re, vt tritici pro vino, quę vt diximus vnacū genere humano incepit, natura ipsa homines ad talē permutationē inclinante. Alia vero quā diximus ex arte, est permutatio rei pro pecunia, quę ex illa priori originē traxit. Ex permutatione inquit ibi Arist. naturali processit numularia permutatio. i. rei pro pecunia. Rursum hæc permutatio secundū artē duplex adhuc est, alia ex pecunia signata qualis modo est in vsu, alia vero ex argēto vel auro nō signato sed librato ad certū pōdus, qua vtūtur adhuc Actiopes imperio Presbyteri Ioānis subiecti: quę permutatio ex auro vel argēto non signato est velut media inter illā naturalem rei pro re, & numulariā rei pro pecunia. E quibus omnibus hæc vltima est quę constituitur loco generis in illis diffinitionibus emptionis & venditionis. Quā ab illa permutatione naturali quam appellauimus cābium reuera differre satis constat.

Ex his definitionibus colligere eas possumus, quæ illas omnes complectantur. Definiri enim potest Venditio: *Translatio absoluta & perfecta rei alicuius in alterum pro prætio in pecunia reddendo.* Emptio vero. *Translatio pecuniæ tanquam prætii pro absoluta & perfecta rei alicuius acquisitione.* Quæ definitiones non modo explicant propriam vim & naturam emptionis & venditionis, verum etiam qua ratione á cæteris omnibus contractibus distinguantur. *A cambio* enim imprimis & permutatione illa naturali differunt, cum in hac, res pro re solum transferatur non pro pecunia sicut in emptione & venditione: A mutuo similiter, quia in eo nullum interuenit prætiũ rei mutuatæ, aliter enim non mutuum sed vsura exerceretur. Ab Emphiteusi, quia in ea non est absoluta translatio rei, sed secundum quid, cum solus vsus fructus aut dominium tantũ vtile non plenum & directum Emphiteutæ tribuatur. A commodatione demum & locatione, quia cum in his non fiat perpetua rei translatio, sed ad tempus tantum, perfecta translatio non est, qualis in emptione & vẽditione reperitur. Demum reddenda hic ratio est.

CVR IN HAC QVAEST. VTAtur D. Tho. nomine fraudulentiæ, cum in præcedentibus semper sit vsus nomine iniustitiæ.

QVAEMADMODVM in presenti quæstione disserit D. Tho. de damnis quæ proximis inferuntur, ita & in præcedentibus quas primo volumine complexi sumus, sed ita vt damna ista diuerso nomine notet, vtitur enim hic nomine fraudulentiæ, cum in præcedentibus semper sit vsus nomine iniustitiæ, quod non temere sed cõsulto á D. Tho. factum esse, quicunq; illius ingenium & dexteritatem in docendo probe nouerit, certissimò iudicabit. Qua de causa huius discriminis á nobis ratio nunc assignanda est.

Obseruemus igitur fraudulentiam bifariam summi, formaliter ac proprie, & per translationem. Priori modo pertinet ad imprudentiam. Etenim cum munus & oficiũ prudentiæ sit dirigere optima & debita media in finem, cui officio prudentiæ opponũtur tria officia imprudentiæ, nempe vel nulla media adhibere, quod est àmentis & stulti, aut adhibere aperte illicita & mala quod est peccatoris, aut adhibere ficta & falsa tamquam vera & optima, quod est fraudulẽtis & astuti: propterea fraudulentia est quædã species imprudentiæ, cui propriũ est vti viis non veris, sed simulatis, fictisq; & apparentibus ad assequendum finem per facta, in quo distinguitur á dolo & mendatio quæ consistunt in verbis. Ita D. Tho. superius, q.55. ar. 3. in quo agit de Astutia, quę est pars imprudentiæ.

Hinc transfertur fraudalentia ad significanda etiam vitia, quæ opponuntur cæteris virtutibus diuersis á prudentia, quando vitia illa fingunt ac simulant se virtutes. Fraudulenter enim aliquid agere est, ficte & simulate illud agere: qua ratione Genes. 27. de Iacob qui simulauit se esse Esau ad prerripiendam illi benedictionem, dixit Isaac eidem Esau: *venit frater tuus fraudalenter, &c.* Habet autem hæc translatio inde ortum, quia sicut prudentia non habet certam & peculiarem materiam, sed versatur circa materias aliarum virtutum, dirigens singularum actus in suos debitos fines, ita quoq; imprudentia non habet tamquam propriam materiam certum aliquod & speciale vitium, sed omnia vitia & illorum actus, & similiter faudulentia quæ species quædam imprudentiæ est, vagatur per omnia vitia, quando illa fictis mediis simulatisq; viis vtũtur ad suos fines obtinẽdos, hac ratione iniustitia quæ sub colore alicuius contractus iusti latet simulata, vocatur faudulentia.

Obseruemus secundo, cum fraudulentia sit fictio & simulatio quæ reperitur in factis, in quo differt á dolo & mendatio, quæ consistunt in verbis: Simulatio autem duo habeat, & fraudem, & curam vtendi illa fraude abscondité & latenter, duobus propterea modis nomen fraudulentiæ vsurpari, aliquando improprie & largo modo, qua ratione vocamus fraudulentiam actionem illam, quæ licet ex genere suo aperte iniusta sit, exercens tamen illam curat diligenter latenter & abscondité illam excercere, ac ita vt omnino ignoretur. Quomodo q.66. articu.3. dicitur furtum fraudulenta acceptio rei alienæ: non quod furtum habeat latentem & simulatam iniustitiam, sed quia actio ipsa furandi occulte, fit & abscondite, ac domino rei illam omnino ignorante. Aliquãdo vero summitur proprie & stricte hæc fraudulentia quæ transfertur ad omnia vitia, & hoc loco ad iniusti-

iniustitiam, quando scilicet occultatur in iustitia illa & iniuria quę committitur sub colore alicuius honestæ & iustæ actionis: vt in emptione iniqua & vsura, in quibus iniquitas latet sub colore emptionis & mutui, qui sunt contractus ex suo genere honesti & liciti.

Ex quibus sequitur distingui maxime fraudulentiam quæ miscetur contractibus emptionis & mutui, ab ea quæ reperitur in furto & rapina. Primo quia vt ex modo dictis constat, fraudulentia quæ exercetur in venditione & mutuo est vere & proprie fraudulentia, quamuis translata ab imprudentia ad iniustitiã, quæ vero committitur in furto & rapina, improprie. Secundo, quia furtũ rapina & alia dãna his similia inferũtur proximis, ipsis omnino inuitis, & quo ad dãna & quo ad actionẽ quã inferuntur, in emptione autẽ mutuatione, & aliis cõtractibus his similibus inferuntur damna proximo, ipso quidem dissentiente in damnum, consentiente tamen in actionem per quam dãnum illud infertur, quo fit vt in his sit vere fraudulentia.

Hinc sequitur ratio propositę dubitationis. Etenim cum in quęstionibus præcedentibus ageret D. Tho. de actionibus quæ ex genere suo sunt iniustę, & quarum iniquitas ac iniustitia manifesta est; merito vsus est in illis nomine iniustitię: In hac vero quæst. & sequenti cum diserat de iniustitia quę sub colore honesti ac iusti contractus exercetur, quę vere fraudulentia est, vt constat, vtitur vt optimus Philosophus hac voce & titulo: *De fraudulentia quæ committitur in emptionibus & venditionibus*. Potest quoq; & hęc ratio asignari; quia alia vitia quę contra iustitiam committuntur, habent propria nomina quibus eorum species significentur, vt furtum, rapina, &c. Iniustitia vero quę exercetur in emptione & venditione non habet proprium nomẽ suę speciei, qua de caussa apellatur hoc communiori, nempe fraudulentia.

Obseruandum deniq; est D. Tho. hoc loco solum agere de fraudulentia quæ reperitur in venditione, & ea quę exercetur in mutuo, quæ dicitur *Vsura*, nec alias iniustitias vel fraudes explicasse: quia cæteræ omnes iniustitiæ, quæ in aliis contractibus humanis accidere possunt, aut fiunt per actiones aperte iniustas, & ita pertinebunt ad furtum vel rapinam, de quibus iam diximus, aut exercentur simulate, & ficte sub titulo venditionis vel mutui, pertinebuntq; ad fraudulẽtiam quæ committitur in emptione vel mutuo. Qua de causa iudicauit D. Thom. suo muneri satisfecisse, explicando hoc loco iniustitias, & fraudes, quæ in emptione & mutuo possunt accidere.

Cęterum cum hęc plurimum referant ad salutem fidelium, disputabimus quoq; in hoc opere priuatim de omnibus illis contractibus, in quibus exercentes humana cõmercia, & negotia, fraudes aliquas & iniquitates commitere possunt, quas exacte, & in particulari oportet Theologo esse perspectas. Vnde disseremus etiam in his commentariis. De Vectigalibus & tributis rebus quæ venduntur & emuntur impositis. De Cambiis, Censibus, Assecuratione, Societate, Locatione, Montepietatis, & similibus, contractibus. Sed iam ad D. Thomi literam accedamus.

QVAEST. 77. DE FRAVDVLENTIA QVAE in emptionibus, & venditionibus accidere potest.

ARTICVL. I.

An liceat rem pluris vendere quam valeat?

OBSERVEMVS initio. Cum oppositorũ eadem sit ratio, hæc autem duo opposita sint, carius vendere, & vilius emere, quæcunq; dicemus in hoc art. de iniustitia illius qui carius vendit, similiter accipienda esse de eo qui rem aliquam vilius emit quam valeat.

Obseruemus Secundo Emptionem, & venditionem bissariam fieri posse, aut sine vlla deceptione, sed venditore simpliciter & absolute postulante carius præcium, vel emptore vilius reddente: Aut cum aliqua deceptione, quæ duobus modis contingere potest, aut ratione rei, vt cum vẽditor rem vilem pro pretiossa tradit, aut defectuossam & imperfectam pro integra, de qua deceptione agemus art. 2. & 3. vel accidit deceptio ratione pretii, venditore asserente, &

iurante rem illam plus valere, aut pluris vendi, vel pluris sibi stare, vt hac via iustum pretium augeat, vel contra, emptore affirmante & contestante rem illam minus valere, vel vilius vendi: quod deceptionis genus est huius loci, & articuli.

Obseruemus Tertio. Pretium rei duplex esse, aliud simpliciter & perse, illud nempe quod res valet secundum se sumpta, nulla habita ratione, vel damni quod sequitur venditori re illa vendita, nec vtilitatis vel commodi quod prouenit emptori illa empta. Aliud vero per accidens, & secundum quid, illud scilicet quod prudēter iudicatur res valere, non solum secundum se considerata, verumetiam quatenus est vtilis ementi vel vendenti.

His ita constitutis respondet D. Thom. propositę quæstioni subiectis conclusionibus. Prima est.

Rem pluris vendere, aut vilius emere quam valeat, fraude aliqua vel deceptione interposita P. Mort. est ex suo genere.

Patet. Quia est aperte contra iustitiam debitam proximo, qua tenemur abstinere ab omni deceptione illi nociua, omne vero peccatum contra iustitiam vt ex primo volumine constat Mort. est ex suo genere. Et confirmatur. Quia decipere fratrem, & vti dolo qui sit vere dolus & fraus, est intrinsece malum, sicut mendacium, ea ratione, vt si dolus huiusmodi sine vllo damno & nocumento fratris exerceatur, tēdat contra virtutem veracitatis, si vero cū nocumento & iniuria fratris, sit contra iustitiam, cum per talem dolum lędatur frater cum iniuria, quod est proprium iniustitię. Vnde nō solum Sacra pagina Leuit. 19. pręcipit, *Nolite facere aliquod iniquum in iudicio, in regula, in pondere, in mensura, statera iusta & æqua sint pondera, &c.* B. Pau. lumine fidei illustratus admonet 1. ad Thesalon. 4. *Nemo circumueniat, 1. decipiat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est dominus de his omnibus.* Verum etiam M. Tullius solo lumine naturali rectæ rationis preditus 3. lib. officiorum circa medium ait. *Tollendum est in rebus contrahendis omne mendacium; non licitatorem venditor, nec qui contra se licetur emptor apponet.*

Secunda conclusio. *Si emptio & venditio secundum se & suam nudam naturam summantur, non licet res pluris vendere, aut vilius emere quam res ipsa secundum se & simpliciter sumpta valeat.*

Probatur. Hic contractus emptionis & venditionis vt copiose docet Arist. 1. Politic. c. 5. & 6. introductus est propter bonum commune, & in vtilitatem vtriusq; partis tam ementis quam vendentis, vt emens data pecunia habeat rem sibi necessariam, & vendens re sua illi tradita, recipiat pecuniam, qua valeat etiam comparare ea quibus indiget. Quod autem in vtriusq; vtilitatem introductum est, postulat recta ratio, vt seruata æqualitate inter vtramque partem exerceatur, nec vllo modo cedat in grauamen huius vel illius: At si vel vnus carius vendat, aut alter vilius emat quam sit iustum rei pretium, non seruaretur ęqualitas; quin potius altera pars maneret lęsa & grauata. Ergo.

Tertia Concl. *Si emptio & venditio consideretur, quatenus res quæ vēditur est vtilis vel necessaria vendenti, ita vt illa vendita recipiat venditor aliquod damnum, potest in eo casu pluris illam vendere quam ipsa valeat, & augere pretium, pro ratione damni quod illa vendita vere ac prudenter recipit. Quod si nullum venditor ex tali venditione recipiat damnum, quamuis res illa ementi vtilis sit vel maxime necessaria, non licet propterea carius illam vendere nec augere pretium.*

Probatur Prior pars. Vnicuiq; licet vendere quod suum est, Quando autē res quæ venditur ita est vtilis aut necessaria vendenti, vt illa vendita aliquo emolumento præter proprium rei valorem priuetur, aut aliquod damnum patiatur, non solum res illa & proprium ac commune illius pretiū vendentis est, verumetiam emolumentum illud, & commodum quod ex illa recipit, & in quo si careat lęditur. Ergo potest vendere ac deducere in pretium, nō solum rem illam secundum proprium, & communem ipsius valorem, verumetiam emolumentum illud & commodum quo ea vendita carebit.

Et confirmatur. Quia in hoc casu, etsi res illa secundum se, & simpliciter sumpta non tanti valeat, at quatenus illi venditori vtilis est, valet illud omne, quod prudens, & peritus iudicat valere & rem, & emolumentum illud simul sumpta, & ita non venditur pluris quam reuera valeat habenti illam.

Eodem argumento probatur posterior pars eiusdem conclusionis. Nulli licet vendere quod ipsius non est sed alterius, commodum autem & vtilitas quam ex re empta recepturus est emens, non est aliquid vendentis, quando nullum ipsi ex tali venditione (vt

ne (vt constituimus) prouenit damnum, ergo propterea quod res quæ venditur vtilis sit vel necessaria ementi, non licet venditori carius illam vendere: Aliter enim, cum salus tantum valeat, vt nullum fere pretium ei æquetur, possent medici suas operas, & vnguentarii sua pharmaca quæ secundum se sumpta valent 20. vel 30. vēdere per multa milliaria.

Quarta Conclu. *Quando res quæ venditur maxime vtilis est vel necessaria ementi, poterit emens ex gratitudine vel liberalitate gratis & libere offerre aliquid vendenti vltra iustum pretium, licebitq; illud hac via tantum recipere.*

Patet. Quia virtutes non pugnant inter se, nec vna prohibet alterius actum & exercitium, & ita iustitia non prohibet actus gratitudinis & liberalitatis. Cæterum ne sub prætextu gratitudinis aliqua iniquitas misceatur in huiusmodi emptione, venditor nil omnino debet in hoc casu exigere ab emptore præter iustū pretium, sed si quid vltra emens velit offerre, debet illud omnino relinquere gratitudini & liberalitati ementis. Explicabitur abunde hęc conclusio quæstione proxime sequenti in qua agemus de vsura: Interim confirmat illam locus ille Arist. 8. Ethic. c. 13. vbi ait: *In amicitia rei vtilis recōpensatio fieri debet, secundum vtilitatem quam consequutus est ille qui beneficium suscepit.* Quasi dicat ex amicitia & gratitudine compensandam esse vtilitatem ex aliqua re vel beneficio acceptam, non ex debito vel tanquam ex iustitia.

In hoc articul. perspicuum est constitui á D. Thom. hoc tanquam certissimum fundamentum totius huius disputationis de emptione & venditione, in huiusmodi contractu vt iustus sit seruandam esse necessario æqualitatem inter pretium & mercem, consistit enim propria vis & ratio iustitiæ commutatiuæ in æqualitate rei ad rem. Quod fundamentum etsi certissimum sit, non tamen sufficit ad iudicandum priuatim & in particulari de singulis contractibus venditionis, nisi exacte intelligamus quod sit pretium iustum rerum quæ venduntur, Vnde quibus viis illud intelligendum sit explicemus oportet.

Controuersia Prima.

VNDE SIT SVMENDVM *pretium iustum rerum quæ vendantur?*

QVA ratione sumendum sit iustum pretium rerum venalium tam veteres quam recentiores Theologi copiose explicant, potissime Gerson de Contract. Quaternario 5. considerat. 7. Littera O. Angelus Emptio. num. 7. Silu. eod. verb. quæst. 6. Et verb. Negotium. quæst. 2. casu 6. Gabriel in 4. dist. 15. quæst. 10. art. 1. Scotus ead. dist. q. 2. D. Antonin. 2. par. tit. 1. cap. 16. §. 3. Conrradus De Contract. 3. p. q. 56. Cōcl. 5. Caiet. hoc loco. & in summa verb. Emptio. Ioan. Medina Cod. De rebus restitu. q. 31. & 36. Soto lib. 6. de Iustitia. quæst. 2. art. 3. D. Nauar. in suo Manuali cap. 23. num. 78. Didacus Couarru. lib. 2. varia. Resolut. cap. 3. Mercatus. De Contract. li. 5. c. 6. & seq. Michael de Palatio li. 2. De Contract. & Restitut. 1. cap. & sequen. Ludouicus Lopez in suo Instructorio negotia. lib. 1. cap. 14. & per multa sequentia. E quibus omnibus & aliis multis colligemus regulas certiores ad inuestigandum iustum rerum venalium pretium.

Vbi Obseruemus primo. Pretia rerum nō esse sumenda secundum naturas specificas earum, & in genere entis vt dicunt, ita vt illæ sortiantur maius pretium, quæ habent nobilius esse, sed sumenda sunt ex vsu & vtilitate quam afferunt hominibus, & ex communi hominū ęstimatione: Nam si ex natura specifica cuiusq; rei sumendum esset illius pretium, cum viuentia habeant nobilius esse non viuentibus, maioris pretij essent culices & mures quam frumentum & aurum, & maioris vilis equus quam præstantissima domus: At vt dicebat D. Aug. 11. De Ciuitat. Dei. cap. 16. *Mallet quiuis frumentum domi habere quam mures.* Et experientia teste habetur quandoq; in maiori pretio domus quam equus, & equus quam seruus. Et probatur ratione. Quæcunq; in hoc mūdo sublunari existūt, condita sunt in vsum hominum, ratio autem & æstimatio mediorum sumenda est ex fine, illa igitur erunt maioris pretij quæ humanis vsibus vtiliora sunt, & ab ipsis hominibus magis ęstimantur. Et confirmatur argumento Arist. 5. Ethic. cap. 5. Humanæ commutationes & contractus introducti sunt ad leuandas necessitates, & indigentias hominum, etenim si vnusquisq; sibi sufficeret, nec vnus rebus alterius egeret, nec extarent nec fuissent necessariæ huiusmodi commutationes: sunt ergo res quæ commutantur, siue per emptionem, siue

siue per alium quemcunq; contractum ea tenus in pretio & æstimatione habendæ, quatenus humanis deseruiunt necessitatibus. Per quas non solum sunt intelligendæ necessitates vitæ humanæ, & quæ ad victũ vel vestitum pertinent, sed quę ad ornatum etiam vel voluptatem hominum spectant.

Obseruemus secundo. Constitui ab omnibus Philosophis & Theologis duplex rerum venalium pretium, aliud, quod vocant legale, quod scilicet lege Principis vel Rei pub. taxatũ est & definitũ. Vt pretium tritici quod Pracmatica Regia taxatum est Castellę. Aliud vero quod vocãt arbitrariũ, nempe quod valet res nõ ex legis pręscripto, sed iuxta communem eius vtilitatem hominumq; æstimationem ad arbitrium prudentum & peritorum in ea arte. Quod pretium solet appellari secundum communem vsum fori.

Obseruemus vltimo. Cum duplex ex D. Thom. sit pretium rei, aliud rei perse sumptæ, aliud vero rei per accidens, nempe quatenus vendenti vel ementi vtilis est: de vtroq; pretio esset á nobis inquirendum qua ratione inuestigandum sit. Cæterum cum venditionis contractus bifariam celebrari possit, aut pecunia pręsenti & numerata, aut pecunia credita & expectata solutione: agemus tantum hoc loco de venditione quę fit soluto statim pretio: de ea vero quæ fit expectata solutione quæst. sequenti vbi disseremus de vsura. cum carius vendere & expectata solutione, aut vilius emere illa anticipata sit quoddam vsuræ genus.

His positis constituendum est tanquam certissimum eorum quæ hic dicturi sumus fundamentum, præcipuas & communes iusti pretii regulas esse has tres, nempe arbitrium Principis vel Reipub. lege aliqua explicatum. Communem vsum fori. Et conuẽtionem ipsorum contrahẽtium. Quas regulas necessario constituendas esse, nec posse magis accõmodatas excogitari, sic probari potest. Pretium rerum non est á iure naturali vel diuino pręscriptum, sed pendet ex hominum beneplacito iuxta rectam rationem pensata rerum vtilitate, & necessitate, abundantia vel penuria, aliisq; circunstantiis. At non possunt excogitari commodiores viæ ad constituendum iustum pretium ex hominum beneplacito, quam istę tres regulę propositæ. Ergo. Maior constat, quia si iustum pretiũ esset rebus venalibus præscriptum iure naturali, aut diuino, cum hæc iure eadem sint apud omnes & omnino immutabilia, idem esset pretium rerum vbiq; & semper apud omnes gentes: Constat autem varium esse & multiplex non modo in diuersis locis & prouinciis, verum etiam in eadem prouincia & regno: Minor vero se ipsa perspicua est, patetq; ex ipsis met regulis propositis & ex his quæ docuimus primo volumine cum D. Tho. q. 57. ar. 2. Sed iam singulas expendamus priuatimque explicemus, non enim ita facile à mercatoribus admittuntur.

Controuersia Secunda.

DE PRETIO QVOD TAXA- *tur a lege.*

PRIMA igitur Regula iusti pretii est Taxatio legis vel Pracmaticæ quam velut veram & certã habendam esse sic ostendere possumus. Habet Respub. authoritatẽ ad constituenda & præcipienda, quęcunq; iuxta rectam rationem & prudentiæ leges sunt vtilia vel necessaria bono communi, & debitę gubernationi. Cui authoritati ex B. Pau. Rom. 13. *Quicunq; resistit Dei ordinationi resistit*, Dicente ipsomet Deo. Prouer. 8. *Per me Reges regnant per me Principes imperant & legum conditores iusta decernunt.* Sed docet recta ratio, confirmatq; illud experientia exigi plurimum ad bonum commune & debitam gubernationem, vt in rebus quibus homines indigent maxime ad suum victum constituatur modus & ratio, qua seruentur iusta pretia, nec detur locus insatiabili mercatorum & vendentium cupiditati, quibus experimur quæcunq; pretia quantumuis iusta & optima semper videri exigua, enitiq; ipsos illa in inmensum augere hoc autem nulla commodiori via obtĩneri potest, quam lege à Principe vel Repub. lata qua taxentur pretia rerum. Sunt ergo huiusmodi pretia iusta, & obligantia ciues. Et confirmatur. Pretia vt paulo ante dicebamus, non sunt præscripta rebus venalibus iure naturali vel diuino, vnde instituenda sunt hominum beneplacito & arbitrio: in his autem quæ hominum arbitrio relinquuntur, cum illud adeo varium sit & inconstans, nulla melior regula inueniri potest, quam lex superioris prudenter & mature lata: qua de caussa Arist. 3. Polit. c. 12. vocat legem *mentem sine affectu*, i. rectam rationem omnis affectus & passionis expertem.

Confir-

Confirmatur. Secundo quia si venditoribus non posset prohibere Resp. cõstituto per legẽ pretio, ne pretia augerentur, daretur profecto occasio, mercatorũ cupiditate, pretia indies augẽte, vt tempore famis non haberent pauperes sufficiens pretium ad comparandm sibi panem; sed tenerentur aut fame perire, aut latrocinia viri exercere & mulieres meretricium. Qui vero vineas, agros, vel domos haberent vilius illa distrahere, & pro tritico offerre, vt in illa magna fame Aegypti: & consequenter qui haberent tunc triticum venale, aliorum possessiones & facultates exhaurirent, aliis in summa egestate permanentibus.

Tertio ad Reipub. Gubernatores pertinet ne caritas rerum inducatur; propter quod (vt videbimus) non solum possunt verum etiam tenentur prohibere monopolia: at nisi lege publica constituantur pretia tẽpore sterilitatis tritico, oleo, & aliis necessariis ad humanum victum, experientia teste statim existet rerum caritas, fientq; monopolia mercatoribus illas merces habentibus conuenientibus inter se, ne vendantur nisi in tanto pretio. Possunt ergo gubernatores leges istas concedere quæ cum iustæ sint & bono communi adeo necessariæ, obligabunt in conscientia: Quis enim sanę mentis dicat tantis damnis Principes & Magistratus non posse, & debere sua authoritate & lege occurrere. Admonentq; grauissimi DD. consultissimum fore Reipub. si Principes & Gubernatores illius rebus venalibus maxime his quibus vita humana indiget, pretia decernerent. Quod antea dixerat Arist. 6. Polit. c. 8. his verbis. *Vendendis & emendis rebus vnus Magistratus præfici debet, qui intendat circa contractuum honestatem.*

Ad maiorem autem huius primæ Regulę intelligentiam obseruemus primo. Nomine Reip. intelligi hoc loco omnes Reipub. ministros, quibus ipsius gubernatio commissa est. Vnde hac authoritate taxandi pretia pollent inprimis Princeps ipse, 2. Senatores & Magistratus Reipub. 3. Prętores & alii Iudices. 4. designatæ aliquæ personæ, quibus á Magistratibus commissa est authoritas imponendi pretia aliquibus rebus, vt Aediles circa res comestibiles. Ita habetur L. prima. §. cura. carnis. ff. De officio præfec. vrb. vbi inter alia officia præfecti constituitur taxare pretia rebus venalibus. Et in L. Annonam ff. De extraor. criminibus, pręcipitur pręsidibus prouinciarũ, vt curent suis statutis & ordinationibus ne annona grauetur.

Obseruemus secundo. Habentes istam authoritatem taxandi pretia rebus, vt docet consuetudo, taxare illa tantum rebus quæ victui humano sunt omnino necessariæ, vt tritico, vino, oleo, piscibus, carnibus, & similibus; Rebus autem quibus tantum vtimur ad ornatum vel voluptatem vt sericis, lineis, aureis, gemmis, &c. nõ esse in vsu taxare pretia, quia cum hæc superflua potius sint quam necessaria, sicut non refert ad bonum commune emantur ne vel secus, ita nec refert ad bonum commune in quo pretio vendantur. Sed concedit vnicuiq; Respub. facultatem circa huiusmodi res expendendi quantum voluerit, Debent autem hi quibus incumbit huiusmodi pretia taxare hæc omnia diligenter ac prudenter inspicere in rebus venalibus: illarum vtilitatem & necessitatem ad humanum conuictum, earundem in tali tempore copiam vel inopiã, labores, industrias, expẽsas, & pericula quæ agricolis vel mercatoribus communiter accidunt in illis colligendis vel deferendis, sint ne in melius vel deterius apud mercatorem commutatæ, & similia quibus omnibus prudenter pensatis pretia constituant.

Obseruemus Tertio. Res istas venales ante quam á lege pretium ipsis constituatur, non habere certum præfixum pretium consistens in indiuisibili, quia pretia rerum vt statim docebimus seclusa lege habent latitudinem, at cum primum pretium alicuius rei a lege taxatum fuerit, cõsistit illud in indiuisibili: ita vt non liceat illud excedere. V.g. nisi lex Castellæ pretium assignasset mensuræ tritici licuisset illud vendere pretio 14, vel 15. aut 16. argenteorum vel pluris iuxta temporis & loci rationem, quia pretium tritici sicut & aliarum rerum non est ita certum & definitum secundum se, quin habeat latitudinem, at cum primum lege Regia constitutum est vt pretium illius nõ excedat v.g. 14. argenteos pro mensura, cessat omnino iam illa latitudo, quæ seclusa lege licita erat, constituiturq; pretium tritici iustum vt in indiuisibili, & punctim in illis 14. argenteis: ita vt non liceat illud carius vendere absq; peccato ex suo genere mortali, quia est contra iustitiam aliquid vltra pretium illud lege taxatum recipere, ac cum debito restituendi omnem excessum. Quia quo iure habet Respub. authoritatem ad constituendum certum pretium rebus, eodẽ iure

iure pretium ab ipsa taxatum est iustum, & in vtroq; foro à ciuibus obseruandum, si á peccato iniustitiæ & debito restituendi excessum iusti pretii vellint manere immunes. Quod optime docuit Arist. 5. Etic. cap. 7. vbi iustum arbitrarium quod vocat naturale, & iustum legale sic distinguit, vt arbitrarium non consistat in indiuisibili, sed habeat quandam latitudinem, sicut & humanum arbitrium quod non est determinatum ad vnum, iustum autem legale consistat in indiuisibili, iuxta præscriptum legis quæ est determinata ad vnum. Et paulo post, *Iustum*, inquit, *legitimū est, quod antequam positum est nihil refert*, 1. non obligat, *at postquam positum est, multum refert & obligat.*

Obseruemus vltimo, leges huiusmodi pretiorum in illis taxandis variè sese habere, Aliquando enim taxant illud versus maximum non versus minimū, constituentes illud in fauorem emptoris ne res illa possit carius vendi; & tunc venditor non potest aliquid accipere vltra pretium illud taxatum, quãuis possit minus si iuxta vsum fori res illa minoris vēdatur, quia huiusmodi lex fertur in fauorem emptoris, ad reprimēdam cupiditatem & tyrannidē venditorum, ne pretia rerum pro libito in immensum augeantur. An autem quando communi vsu fori res vilius venduntur quam sit pretium illarum taxatum à lege, liceat dimisso pretio fori vēdere tuta conscientia pretio legis? inferius in hoc eodē articulo explicabitur. Aliquãdo vero taxatur pretiū versus minimum in fauorem venditoris, in quo cassu potest quidem emptor conferre aliquid amplius vltra pretium legis, & venditor illud recipere; minus autem non potest. Vt in censibus, Vendo Petro ius recipiendi singulis annis ex meis bonis 100. solidos, statuit lex, vt non possit hoc ius vendi minus quam 80. aureis, potest quidem amplius mihi exhibere si voluerit, minus autem non potest, adeo, vt si minus aliquid conferat teneatur illud restituere. Suntq; iustissimæ huiusmodi leges, quia cum census & similia iura vendantur communiter à ciuibus necessitate aliqua adductis, ne illa vrgente se ipsos plus iusto onerent, cum graui bonorum suorum iactura, feruntur hæ leges in fauorem ipsorum venditorum. Demum taxatur aliquando pretium à lege tam versus maximum quam versus minimum, in fauorem vtriusq; partis, ita vt nec emptor vilius emat, nec vēditor carius vendat, sed illi pretio vterque omnino stet, qua ratione taxantur pretia carnibus, piscibus, vino & similibus. Quando autem huiusmodi leges taxent pretium secundū maximum, quando secundum minimum, & quando secundum vtrunq;, ipsemet attente inspectæ & consideratæ satis explicant.

Sufficiebant profecto hæc ad plenam huius primæ Regulæ intelligentiam, nisi humana cupiditas fallaces quasdam excogitasset rationes, ad iustissimum huiusmodi legum iugum cum graui conscientiarum damno excutiendum. Sed illarum solutio maior erit profecto veritatis explicatio: Obiiciūt ergo negotiatores. Primo. Qui autoritate publica rebus pretia constituūt, possunt a iusto rei valore frequenter deficere, vel illū excedere, odio, amore, præcibus, vel pretio adducti, aut ex ignorantia & imperitia rerum, aut ex imprudentia vel negligentia perpendendi ea omnia, quæ necessaria sunt vt iustus rei valor cognoscatur, non erit ergo habendum pretium ab his constitutum pro iusto, nec debet eorum taxatio obligare in conscientia.

Secundo. Etiam si pretium tempore taxationis constitutum fuerit iustum & optimum, at cum pro mutatione tēporum mutentur etiam expensæ & pericula quibus merces aspontantur, ipsas quoq; merces in melius vel deterius mutari passim accidat, similiter illarum penuriam & abundantiā, necnon ementium frequentium & raritatē, quibus mutatis postulat recta ratio pretia rerum venalium etiam mutari, videtur profecto iniqua lex quæ rebus & mercibus tot mutationibus obnoxiis vnicum tantum statuit pretium, & immutabile.

Tertio. Per leges ciuiles licet carius vendere quam res valeat, modo non excedatur vltra dimidium iusti pretii. Vt constat L. Si voluntate. Cod. de rescind. vendi. quod si per leges humanas ita licet, quorsum cōstituuntur aliç leges taxantes pretia, Sunt profecto omnino inutiles, cum per easdem leges ciuiles vbiq; vt infra videbimus receptas liceat cuiq; carius vendere, modo nō excedat dimidium iusti pretii. Et confirmatur. Concedunt etiam leges vt liceat contrahentibus se inuicem decipere ac circūuenire, vt videre est in L. Itē si proprio. §. fina. ff. Locati. & L. In causæ. §. Idem Pomponius. ff. de minorib. Quibus consonant Caput cum dilecti. De Emptione. Quod si per leges possunt contrahentes se inuicem decipere,

recipere; & carius vel vilius emere quam sit iustum rei pretium, nihil omnino præstant aliæ leges constituentes rebus pretia.

Quarto. Pretium quod taxatur á præfectis Reipub. taxatur certe per prudentiam humanam, prudentia autem humana non valet constituere medium in indiuisibili Mathematico, sed in quodam tantum indiuisibili morali & humano, parum magis vel minus (vt dicunt) & cum aliqua latitudine, prout sapiens determinauerit, vt docet Arist. 2. Etic. c. 6. vnde licebit aliquando pretium legis excedere, vel ab eo deficere secundum circunstantias locorum, temporum, & mercium, & ex consequenti non differet pretium legis, ab aliis pretijs quæ sumuntur ex communi hominum vsu & foro.

Quinto. Pretium iustum est obiectum iustitiæ, sicut quodcunq; aliud iustum, sed iustum sumitur à re ipsa, cum medium iustitiæ (vt vidimus) non sit medium rationis, sicut in alijs virtutibus moralibus, sed medium rei: erit ergo iustum pretium sumendum ex valore proprio ipsius rei, non à taxatione legis. Aliter enim non differet medium iustitiæ in pretijs rerum á medio temperantiæ & aliarum virtutũ. Nam sicut in temperantia sumitur medium à recta ratione quæ pro viribus, & valetudine personæ taxat maiorem vel minorem cibum, ita quoq; iuxta istam primam Regulam iusti pretij, medium iustitiæ in pretijs sumeretur à lege, quæ iuxta rectam rationem secundum circustãtias temporum, locorum, & mercium taxabit maius vel minus pretium.

Demum ex huiusmodi legibus & pracmaticis sequuntur maxima damna, & incõmoda Reipub. non ergo obligabunt in conscientia. Antecedens ostendit D. Nauarr. in suo Manua. c. 23. nu. 88. his verbis. Arbitror rarisime ponendam esse hãc taxam. Tum quia dat occasionem vendendi corrupta, & fere inutilia, eodem pretio quo sincera & vtilissima. Tum quia superueniente maxima necessitate Annonæ, & frumenti tollitur omnino taxa; & illa non occurrente parum est necessaria. Tum quia nemo diuitum vult mutuare, neque credito vendere res taxatas nisi pretio taxę, etiã tempore abundantiæ. Tum quia prębet occasionem multorum peccatorum mort. mille modis taxam fraudantibus, quorum vnus est, nolle vendere rem taxatam puta triticum, nisi emãtur etiam non taxata, puta vinum, hordeum, vel quid simile duplo, & quadruplo maiori pretio quam valeat. Hæc Nauarrus. Propter quæ iudicat huiusmodi taxam rarissime esse ponendam.

Sed propter hæc non est recendendum à Regula posita, & ab his quæ circa illam docuimus. Etenim si vt Arist. ait: 1. Reto. c. 1. leges quę recte positæ sunt, cuncta constituere ac determinare debent, & minimũ relinquere iudicibus pro suo arbitratu iudicandum, quia homines sunt, & facile ab affectu suo, vel muneribus corrumpi possunt ne ius dicant. Quanto minus relinquenda erunt rerum pretia mercatoribus qui vel cupiditate lucri vel ad res suas nimium affecti, pluris illas æstimabunt quã valeant. At lex ipsa quam idem Arist. 3. Polit. c. 12. mentem sine affectu appellat multo profecto syncerius taxabit pretia rerum.

Vnde singula suo ordine diluamus. Ad primum. Ioan. Medina loc. cit. respondet & optime. Vbi euidenter constaret pretium taxatum á lege iniustum esse, vel quia Magistratus in eo taxando non considerarunt illa quæ diximus, nec respexerũt omnes circunstantias quas prudentia postulat meditari diligenter circa pretia rerum, vel noluerunt vti consilio peritorum & prudentum in illa arte, vel ex sua malitia & iniquitate, tunc non teneri ciues ad seruandum illud pretium, sed posse tuta conscientia iuxta communem vsum fori res suas vendere, quia pręcepta & leges superiorum quarum iniustitia euidens est, non obligant in conscientia. Quando autem constat, Taxatores pretii, obseruasse illa omnia quæ exiguntur ad constituendum iustum pretium, vel saltim non constat oppositum, sed solum dubitatur, pretium ab eis taxatum habendũ est vt iustũ, & obseruandũ, pręsumendũq; semper in dubiis in fauorem superiorum. Etenim si de priuato fratre non licet temere iudicare, neq; dubia in peiorem partem torquere, sed in meliorem, quandiu non constat oppositum, quanto magis de Gubernatoribus Reipub. censendum est illos omnia diligenter considerasse, & iustè ac debité taxasse pretia mercibus?

Ad secundum. Respondeo cum eodem Medina. Magistratus quos constituimus prudenter & iustè se habuisse in taxandis pretiis, omnes mutationes illas ac varietates temporum & mercium tempore taxationis diligenter considerasse, ac præuidisse, & omnibus diligenter ac mature pensatis pretium

statuisse.

statuisse. Quod satis patet ex ipsis legibus, in quibus pretia quæ augeri possunt non sunt instituta versus minimum, neq; tollunt vsum fori tempore abundantiæ, sed solum sunt imposita versus maximum, præuenien-do caritatē quæ ex penuria mercium & cupiditate mercatorū poterat euenire. Quod si progressu temporis viderint aperte & euidenter ipsi venditores mutatum esse pretium rerum communiter apud omnes, quia variatæ sunt reuera circunstantiæ omnes & mercium, & temporum, & emptorū vbiq; terrarum, duratq; illa varietas non vno aut altero anno sed plurimis, nec propterea mutari pretia á lege & Magistratibus, tunc licet eis vendere tuta conscientia res suas non iuxta legis taxationem, sed iuxta communem vsum fori ad arbitrium prudentū, ita tamen vt per ipsos non augeatur forum. Sicut enim ad gubernatores Reip. spectat tempore taxandi aliquod pretium circunstantias omnes diligenter ac prudenter considerare, ita quoq; pertinet ad eosdem pro varietate temporum eisdem circunstantiis rursum diligenter pensatis pretia variare. Leges namq; humanæ sicut in aliis rebus ita & in taxandis pretiis debent accōmodari varietati temporum, varietati inquam quæ vere varietas est, qualis non est vnius aut alterius anni nec ratione huius vel illius loci, sed multorum annorum & per omnes fere prouincias & loca. Aliter enim leges quę temporibus verè variatis, & vna cū illis omnibus circunstātiis merciū veré quoq; mutatis, non mutant pretia, neq; in tempore subsequuto attendunt prudenter easdem circunstantias, quas tempore præcedentis taxationis attenderunt, ita vt iuxta tempus occurrēs seruetur æquitas in pretio nō sunt iustæ nec obligant in foro interiori, quamuis forsan in foro exteriori contra illas agē tes punirentur. Quod autem iustæ non sint docet optime Ioann. Medin. q. illa 31. de Reb. restit. quia ad æquitatem & iustitiam legis pertinet pro varietate temporum & mercium aliarumq; circunstantiarum ea pretia rebus accommodare, quæ dictauerit recta ratio, peritorumq; ac prudentum arbitrium.

Ad tertium patebit perfecte solutio inferius, quando explicabimus leges istas de venditione infra dimidium iusti pretii, interim dico, Aliud esse contractum esse inualidum & nullum, & aliud esse iniustum & iniquum, differunt enim plurimum, Potest namq; contractus aliquis iustus quidem esse, & nihilominus inualidus, vt si pupillus rem valentem reuera 100. totidem 100, emat, contractus est iustus, cum in eo seruetur æqualitas inter rem & pretium, in qua consistit propria ratio iustitię, est tamē inualidus, lege humana iuste præcipiente ne pupilli contractus aliquos exerceāt. Similiter potest contractus iniquus esse in foro animæ & nihilominus validus & constans, vt si quis rem valentem ad summum 10. ob expectatam solutionem vendat illam 12. iniuste & inique vendit, est tamen valida & constās venditio, quia si ius naturę spectes, est verus contractus libero vtriusq; partis consensu celebratus, si ius humanū, nulla lege rescinditur. Ex his dico leges illas non affirmare vendentem aut ementem vltra iustum pretium, modo non sit excessus vel defectus vltra dimidium, iuste vendere vel emere, vel licere contrahentibus se inuicem decipere tuta conscientia vltra iustum pretium: sed cum passim contrahentes existiment se deceptos in pretiis rerum, innumeras excitarent lites, si propter quemcunq; excessum vel defectum liceret ipsis agere in iudicio de rescindenda venditione, ad quas tollendas cōstituunt & recte leges vt nisi deceptio accidat vltra dimidium iusti pretii, non detur actio decepto in iudicio nec rescindatur venditio, vnde leges huiusmodi solum negant actionem decepto, non tamen constituunt contractum iustum in quo non seruatur iustum pretium, altier enim iniustæ essent & & iniquæ corruptelæ potius quā leges. Et merito solum curant obuiare litibus, quia leges humanæ circa huiusmodi contractus non tam respiciunt quid æquum sit & iustum in foro animæ, quam qua ratione pax Reipub. conseruetur. Respondere etiam possumus leges istas accipiē das esse de rebus quibus à Principe vel Repub. non est taxatum pretium.

Ad quartum constat iam solutio ex dictis. Verum enim est pretia rerum habere latitudinem ante quam lege taxentur, quia prudentia humana etsi diligenter consideret proprium cuiusq; rei valorem & vsum, nō tamē valet illū pūctim & in indiuisibili attingere: Cæterum postquam per prudentiam humanam deprehenditur iustum pretium rerum moraliter, & cum illa latitudine parum plus vel minus, accedit lex & pensatis diligenter illis omnibus quæ ad constituendum pretium certum ac definitum necessaria sunt, intra latitudinem illius iusti

iusti pretii moralis, eligit vnum, quod prudenter iudicatur commodius, & æquius, illudque constituit tanquã vnicũ & præfixũ. Etenim cum lex non respiciat casus particulares, sed ea quæ vt plurimum eueniũt, licet ei intra latitudinem illius pretii moralis eligere illud ac præfigere, quod prudenter iudicatur frequentius, ac vt plurimum esse cõmodius, & æquius. Quod postquam lege constitutum est tanquã certum & definitum, consistit exinde in illo indiuisibili à lege assignato sine vlla iam latitudine, sicut exposuimus ex Aristo. 5. Etic. c. 7.

Ad quintum respondeo medium in aliis virtutibus esse à sola ratione, in Iustitia vero sumi quidem à re non tamen exclusa ratione. Est enim vt supra exposuimus mediũ iustitię, medium rei obiectiue, rationis vero efficiẽter, vnde ex valore & vsu rei colligit prudentia iustum rei pretium cum aliqua latitudine, quam latitudinem ob commune bonum Reip. redigit legislator ad vnicum & præfixum pretium omnibus recte pensatis iuxta rectam rationẽ. Addo in quocũq; pretio iusto seruari medium rei, non rationis sicut in temperantia aliisq; virtutibus, quia siue respicias pretium quod à lege taxatur, siue quod habet communis vsus fori, illud est iustum quod valet res, quomodo autem illud valeat docet recte ratio, valore rei venalis aliisq; circunstãtiis pẽsatis, quod non ita habet in temperantia aliisq; virtutibus, in quibus à sola tantum recta ratione sumitur medium.

Ad vltimum in quo varia incommoda afferuntur si pretia a Rep. taxentur. Respõdeo inprimis. Quo ad primum incommodum art. 2. & 3. huius quæstionis nos explicaturos cum D. Thom. qua ratione debeat venditor se habere, quando res quam vendit non est sana & integra. Interim dico legem vel pracmaticam constituentem certa pretia rebus, vt tritico, vino, & similibus, constituere illud tritico puro & sano, quod humano victui vtile est, quod autem tempore egestatis, omne triticum vel vinum modo sit sanum & purum vendatur simili pretio, tam quod selectum est & pręstantissimum, quam quod minus pręstans, cedit hoc etiam in bonum commune, tum quia hac ratione abundant magis alimenta, tum vero quia sic occurritur cupiditati vendentium. Etenim si venditoribus concederetur vt quod pretiosius iudicatur carius venderent, augerent ista via pretia rerum in immensum, eueniretq; damna superius explicata. Quod si triticum vel vinũ sit corruptum vel impurum, huiusmodi nõ concedit lex pretio ab ipsa taxato vendi, quin potius illud prohibet, quod oportet venditores diligenter in foro animæ attendere, etiam si in foro exteriori non puniantur, vel Magistratibus dissimulantibus, vel ipsis iniquitatẽ fraudẽq; suã occultantibus. Alia vero incommoda quę subiũgit D. Nauarr. non sunt tribuẽda legi taxanti pretia, sed vitio & cupiditati humanę, quę mille artibus iustarum legum pręscriptum nititur effugere: Vitio enim vẽdentiũ fit, vt tẽpore egestatis non seruent taxã, quam nihilominus eo tempore obseruare tenentur in conscientia, vt copiose statim ostendemus in peculiari controuer. de pracmatica tritici, Eorũdem vitio fit vt nolint res taxatas vẽdere, nisi emãtur quoq; ab ipsis quæ taxatæ nõ sunt, vt hac via illarũ pretia crescãt, *Num quid ergo, quia ita homines auari, & cupidi legem transgrediuntur, lex peccatum est?* Vt dicebat Paulus (licet diuerso instituto) *absit.*

Controuersia Tertia.

DE PRETIO QVOD DESVmitur ex vsu fori.

IN rebus quibus à lege & Reip. præfectis pretium taxatũ nõ est, illud pretium est iustum, quod ex vsu fori, & cõmuni hominum prudentũ æstimatione desumitur: qua de caussa constituitur à DD. tanquam Secunda Regula iusti pretii communis vsus fori. Et cũ pleræq; merces ex huiusmodi vsu & hominum æstimatione pretium accipiant, de hac secunda Regula multa à nobis hoc loco necessario dicenda sunt, quæ omnia ad quasdam conclusiones, vt res magis intelligatur, redigemus.

Sed obseruemus primo, inter pretium legale & illud quod sumitur ex communi hominũ ęstimatione hoc interesse, quod illud prius per iustitiã legalẽ, quæ vt vidimus potissime residet in Principe & illius ministris, dirigitur in bonũ cõmune totius Reipub. ad occurrẽdũ scilicet humanę cupiditati, & ne in immensum pretia augeantur; pretium vero quod imponitur cõmuni hominum æstimatione ordinatur ad priuatũ bonũ ipsorũ cõtrahentiũ, vt sua quisq; cõmoditate merces vendat vel emat: Quo fit vt cum bonũ commune sit pręferendum cuiuis priuato consequenter, quamuis ex communi hominum æstimatione & per multum tẽpus pretiũ alicuius rei habitum sit iustũ, cũ primũ

lege Principis vel Reip. aliud illi rei constituatur, pretium illud legale sit exinde habēdum pro iusto, dimitendūq; illud ex vsu fori quantumuis multo tempore receptum.

Obseruemus secundo vsum fori non cōstitui à duobus, vel tribus, vel paucioribus, sed ab omnibus, vel plerisq; contrahentibus citra omnē fraudē vel dolū, deberiq; iudicari à peritis & prudentibus in ea arte tali loco & tempore aliisq; circunstantiis inspectis iustum: In quo omnes DD. cōueniunt.

Vnde ad vsum fori & cōmunē omnium æstimationē in pretiis exiguntur hæc tria, Primo, vt pretio illo vtantur non vnus, aut alter, vel pauci, sed omnes, aut saltim plerisq; tali loco, & tēpore. Eodem enim modo quo iniquū est, vt cōmunis hominum æstimatio nō subiiciatur æstimationi Principū, qui maiori cura prospiciunt bono cōmuni quam quiuis priuati, eadem ratione iniquū esset vt vnius vel alterius aut nonullorū hominū priuatorū æstimatio præualeret cōmuni æstimationi ceterorum. Sēper nāq; sentiēdum est, vnū vel alterū priuatū facilius decipi posse, in assignando vero & iusto pretio rei, quam omnes, vel plerosq;, iuxta vulgare illud. *Plures oculi acutius intuentur.*

Exigitur secundo vt vsus fori augeatur vel minuatur citra vllā fraudem. Etenim si venditores omnes vel emptores ex cōmuni consensu (quod est quedā species iniquissimi monopolii) conuenirēt interse, nulla ratione vendere vel emere nisi tali pretio, huiusmodi conuentio seu conspiratio non est dicenda constituere forū, nec pretiū illud si à prudentibus & peritis in ea arte iudicetur iniustū, dicendū est iustū pretium fori, sed illud tantum, quod citra vllam fraudem & astutiam contrahentium apud omnes communiter est in vsu tali loco, & tempore.

Exigitur tertio vt vsus fori non ita augeatur, vel minuatur propter frequentiam vel paucitatem contrahentium, vel abundantiā aut inopiam mercium, aliasq; circunstātias, vt iudicio peritorum & prudentum pretiū illud sit reuera & omnino iniquum secundum excessum vel defectum. Ratio est aperta, quia quod euidenter aperte iniustum est in aliquo genere, nullo vsu vel consuetudine potest iustum reddi. Et confirmatur, maiorem authoritatē habet Resp. ad constituēda pretia rebus quam cōmunis hominū æstitio, & vsus, at si pretium lege taxatum prudentum & peritorum iudicio citra omnem cupiditatem vel affectum esset aperte iniustum, talis lex non obligaret in conscientia: multo igitur minus obligaret vsus fori, aut sufficeret ad constituendum iustum pretiū, vbi ita augeretur, vt apertissime peritorū & prudētū arbitrio iudicaretur illud iniquum.

Obseruemus vltimo, vsum fori non esse eundē apud omnes, nec eodē modo attendi in omni emptione, aliter enim se habet in priuatis emptionibus quæ fiunt in officinis & domibus vendentium, aliter vero quādo res vēduntur publice & voce præconis vulgo *En Almoneda*, vel quando isti precones qui dicuntur cursores & proxenete vulgo *Corredores* vendunt res aliquas publicé discurrentes per vicos & plateas. Tum etiā aliter iudicādum est de mercatore cui incūbit ex officio has vel illas res vendere, aliter vero de priuatis vēditoribus qui nō vēdūt ex officio, sed pro libito & cū ipsis ita videtur.

His positis. Affert Cōrrad. De contractibus. Tract. 3. q. 56. conc. 3. quindecim documenta ad inuestigandum iustum pretium in vsu fori quorum multa accōmodata non sunt, quæ vero rectè huic instituto conueniunt tam ex ipso quam ex aliis DD. his cōclusionibus explicabitur. Sit ergo prima Conclusio.

Quando pretium rerum non est taxatum a lege, iustū pretiū est illud quod res valet iuxta communem vsum fori, nec licet illum excedere.

Conueniunt in hac omnes DD. cum D. Tho. supra q. 57. ar. 2. & q. 71. ar, 4. & hic ad primum, & habetur in vtroq; iure. In canonico. cap. primo ext. de emptione & venditione. in Ciuili. L. Pretia. ff. ad legem Falcidiam. & L. Si seruus. ff. ad legem Aquiliam vbi habetur. *Rerum pretia non ex affectione & vtilitate singulorum, sed ex communi æstimatione pensanda esse.* Vnde potest sumi argumētum. Illud pretium est iustum, quod lex iudicat & decernit iustū, sed leges istæ probant cōmunem vsum fori, decernuntq; pretia ex cōmuni estimatione pēsanda esse, in rebus scilicet quibus Resp. nō taxauit certū ac definitū pretiū, Sūt ergo huiusmodi pretia ex cōmuni vsu fori desūpta reuera iusta.

Secūdo. Cū nō sint imposita rebus certa pretia iure naturali vel diuino, sumēda sunt necessario ex hominū arbitrio & æstimatione, aut corū qui habent authoritatem in Rep. (quod obseruatur vbi pretium est taxatum á lege) aut aliorum priuatorū: inter priuatos vero non est standum arbitrio ipsorum mercatorum, quorū cupiditate in immēsum crescerēt, aut minuerētur, erit ergo standū arbitrio cōmuni peritorū in ea re, & estimationi illi, quę ab omnib⁹ tā emētibus quā vendentibus, tā diuitibus quā pauperibus tali loco & tempore obseruatur, hoc autem

autē arbitrium & æstimatio est communis vsus fori. Ergo.

Tertio. Regula humanarum actionum in quibus iudiciū humanū variū & multiplex facile esse potest, duplex est omniū cōsensu, nēpe vel lex superioris, vel cōmunis vsus & consuetudo bona fide citra fraudē omnē & vim introducta: emptio est actio humana, in qua circa pretia rerū humanū iudicium pro varietate locorū & temporū facile variari potest. Erit igitur illud pretium iustū, quod vel lex superiorū constituet, vel communi vsu & æstimatione peritorū citra omnem fraudem & dolū pro tali loco & tempore habebitur iustum, quem vsum & æstimationem vocamus hic vsum fori.

Confirmātur hec omnia quia si á quouis studiosso viro & timoratæ conscientiæ roges, quare tanti res suas vendat, respondebit, quia ita venduntur communi vsu fori.

SIT NE VNVM VEL MVLtiplex pretiū quod sumitur ex communi vsu fori.

SECVNDA Conclusio. *Pretiū iustū secundū commune usum fori nō consistit in indiuisibili mathematico sicut pretiū legale, sed habet latitudinem aliquam, parum magis vel minus.*

Ita D. Tho. hic ad primū & est cōmunis doctrina omniū Theologorū & Iurisperitorū. Quotquot enim sunt Doctores, præter quendā recentiorē nomine Albornoz qui in hac parte sicut in aliis multis audiendus non est, cōstituūt tria pretia secundū vsum fori: Infimū seu piū, Mediū siue moderatū, & Supremū siue rigidū & rigorosum: omnibus enim nominibus istis vtūtur Doctores. Sed vtor iā ratione. Pretiū quod habet vsus fori constituitur hominum arbitrio & æstimatione, humanaq; prudentia, vt recte docet lex illa Pretia rerū: ff ad L. falci. hominū autē arbitriū & æstimatio quātumuis periti ac timentes Deum existant, in vna eadēq; re æstimanda nunquā fere est vna & eadē, nec consistens in indiuisibili. Ergo nec pretium inde sumptum. Voca peritissimos & timoratos lignarios & architectos vt domus iā ædificatæ iustum pretium assignent, nunquam conuenient experientia teste in aliquo pretio omnino mathematice indiuisibili, sed solū in quodā indiuisibili morali habente aliquā latitudinē. Similiter prudentia humana cui huiusmodi æstimatio fori innititur, non valet punctim attingere iustum rei valorē, pensatis omnibus circunstantiis iusti pretii, sed solū attingit illud cū aliqua latitudine parū magis vel minus, vnde dixit Arist. 2. Etic. c. 6. *Mediū virtutis habere quandā latitudinē, prout prudēs iudicauerit.* Vnde infert, *Studioso sat esse, etsi non collimauerit cū ipso medio indiuisibiliter, vt parū ab eo recedat.* Vtiturq; exēplo sagittarii, qui etsi nō collimauerit omnino cū scopo, si modicum tamen ab illo aberret, non ideo male iaculatur: Vnde inquit, *Qui modicum discedit a medio temperantiæ, non est intemperatus.*

Secundo ex eodē Aris. eodē loco modo citato, cū mediū sit duplex, aliud ex parte nature, aliud ex parte nostra; prius illud est omnino indiuisibile, & ęqualitas eius nō recipit latitudinē, sicut natura ipsa eadem est apud omnes, perpetuoq; sibi similis: vt mediū lineę. Posterius vero ex parte nostra diuisibile est, nec eius ęqualitas est omnino eadē apud omnes, sed cū aliqua latitudine, sicut & nostra iudicia in quacūq; re nūquā sunt omnino eadē apud omnes. Pretia autē rerū nō sunt instituta à natura, nec illis imposita iuræ naturæ, sed ex parte nostra & iure humano, idq; vel lege publica, vel vsu fori, siquidē lege Principis aut Reipu. quia tūc taxātur ab vno, cum Princeps vnus sit, Gubernatores quoq; Reipu. perinde se habeāt ac si vnicus essent Magistratus pretiū legis vnicū est & prefinitum, si vero vsu fori quod proprie est ex parte nostra, nostroq; iudicio, cum non taxentur in hoc casu ab vno sed á multis vel omnibus ciuibus, quorum iudicia adeo varia sunt & multiplicia, pretium hac via desumptū diuisibile debet necessario esse, & cum aliqua latitudine.

Confirmat hæc omnia Medina loc. cit. Quia si huiusmodi pretiū cōsisteret in indiuisibili, vix imo ne vix quidē possēt vnquā cōtrahentes tuti esse in cōscientia, in cōtractibus rerū quibus nō esset pretiū à lege impositū. Patet, quia imposibile est seclusa diuina reuelatione attingere priuatum aliquē punctim & in indiuisibili matematico iustū rerum pretium.

Ex hac cōclusione colligūt DD. multa quæ nō grauabor hic recēsere. Sequitur primo, vt si res iuste vendatur communiter & arbitrio prudentū pretio vt 10. iuste quoq; vēdatur eadem, eodē loco & tēpore pretio vt 9. vel. 11. quia pretiū illud vt 10. quāuis iustum, non tamen vt ex constat ita in indiuisibili quin liceat parū illud excedere vel parū ab eo deficere. Et ita habet vsus fidelium quantūuis peritorum, & timentiū deū, vti istis tribus pretiis vt iustis & licitis.

Sequitur secundo; Licere carius vendere pecunia credita quam numerata, similiter

carius inimico vel diuiti, quam amico vel pauperi, modo carius vendēs non excedat istam latitudinem iusti pretii. Eadem ratione licet, rem aliquam vilius emere pretio vt pote infimo & pio, & eandem statim carius vendere pretio scilicet supremo, & rigido. Et similiter licet, quod est in consuetudine, vbi venditor rogat, rem vilius emere, vbi vero emptor quærit & rogat, carius, seruato tamen semper eo pretio quod intra latitudinem vsus fori iustum est. Quorum omnium ratio perspicua est, quia omnia pretia ista, cum non excedant latitudinem vsus fori, iusta sunt. Cōfirmaturq; Quia si lex Principis statueret licere vendere rem aliquam pretio vt 9. 10. vel 11. omnia ista pretia essent iusta, quod autem potest lex circa pretia, id ipsum valet vsus fori, vbi lex non constituit certum ac taxatum pretium.

Sequitur tertio: quod paulo ante admonebamus agentes de pretio legali, consultissimum fore Reip. (etiā si Doc. Nauarr. aliter videatur sentire) si Gubernatores ipsius omnibus rebus quę cōmuniter venduntur, maxime illis quibus homines frequenter egent ad humanū conuictū, pretia prudenter, & seruatis illis, quę diximus in constituendis pretiis esse diligenter cōsideranda, imponerent. Quia licet vsus fori sufficiat ad iustum pretium, huiusmodi tamen vsum mercatores facile & passim pro sua cupiditate immutant. Propterea quod cum vsus habeat latitudinem, mercatores dimittentes pretiū illius nō modo infimū & pium, verū etiam illud mediocre & moderatum, sequūtur rigidum, redduntq; illud paulatim velut iam communius & moderatum, & consequēter inducunt statim aliud eo superius tanquam rigidum, & hoc progressu augent in dies pretia & forum. Tum etiam (vt recte obseruat Medina de Reb. restituē. q. 31. fol. 96.) pretio rerum authoritate superioris taxato redduntur conscientiæ vendentiū certiores de iusto pretio, & eo ipso securiores.

Sequitur quarto falsam esse regulā illam qua vtuntur multi mercatores, existimantes iustum pretium suarum mercium sic esse constituendum, vt primum omnium recipiant pretium quo ipsi merces illas ab aliis emerunt, secundo expensas quas in illis asportandis & conseruādis fecerūt, tertio moderatū aliquod lucrum pro laboribus suis iudicio prudentis, nō enim debent gratis & frustra aliis seruire. Cui regulæ videtur fauere Conrr. de contractibus tract. 3. q. 59. cōclu. 3. Similisq; huic est illa Scoti in 4. dist. 15. q. 2. ar. 2. vbi ait Mercatores posse recipere pro suis mercibus & pretiū quod pro illis ipsi dederūt, & preterea quantum esset arbitrio prudentis stipendium, quod Respu. eis contulisset, si conduxisset ipsos ad illas asportandas, & vendendas suis ciuibus.

Sed vtraq; regula falsa est, similiterq; cōfutatur à DD. Primo quia iuxta huiusmodi regulas semper opporteret mercatores lucrari, quod est contra naturam & propriam rationem mercaturæ & negotiationis, cui propriū est esse expositā dāno & lucro. Res enim quæ hodie vilius emitur in vno loco, potest crastina die carius, & cum ingenti lucro, & maiori quā sint expēse, & æstimatio laborum, vel stipendium Reip. vendi in eodē loco, vel alio, vel cōtra: Sicut passim accidit in nundinis, propter abundantiam aut penuriam mercium, & propter multitudinē vel paucitatem emptorum.

Secundo. Si duo mercatores eandem rē eodem omnino tempore in eundem locum asportarent, quorū vni res illa, omnibus in vnum computatis, & pretio quo emit, & laboribus, & expēsis, quia industrior tamē & fortunatior est, staret tātū pretio vt 50. alteri vero qui minus peritus minusq; fortunatus est, staret pretio vt 100. posset iuxta istā regulā hic vendere rē illā pretio vt 100. alter vero nō posset eandē eodē tēpore & loco vēdere nisi pretio vt 50. quod est aperte falsum. Quis enim dicat vnam & eandem omnino rem eiusdemq; valoris & vtilitatis posse in eodem loco, eodemq; tempore vendi pretiis adeo diuersis, & disparibus.

Similiter si vnus asportaret rem aliquam, ex loco valde distāti cū magnis laboribus, expēsis, & periculis, alter vero ex loco viciniori cum nullis fere laboribus & expensis, eādem omnino rem quam posset vnus vendere maximo pretio, deberet alter in eodē loco & tēpore vilissimè vendere, quod est maximū absurdū. Sequitur autem necessario ex illis regulis, tum quia vnus istorum maiores passus est labores & pericula, maioresq; fecit expensas quam alter, tū etiā quia si Respu. vtrumq; conduxisset maius contulisset stipendium vni quam alteri.

Tertio si duo mercatores ex vno eodēq; loco in eundē similiter pānos adducerēt, ita vt vnus vnicū tantū afferret, alter vero plures, ille qui adduxit vnicū tātū, posset carius multo vēdere, quā ille qui adduxit plurimos, Patet, quia si Respub. illos conduxisset, idem stipendium contulisset adducenti vnicum atq; adducenti plures. Quanuis enim plures expensæ desiderentur ad afferendos plures quam vnum, at stipendium

dium pro laboribus conferendũ idem esse debet, siue vnicus pãnus adducatur siue plures, quia in eadem loci distãtia idem labor, est ab vtroq; suscipiendus. Adde si cõstituamus rem emi pretio vt 30. á Rep. vero taxatũ esse stipendium vt 10. non posset iuxta regulã Scoti mercator, qui ita emit vendere nisi pretio vt 40. etiam si in loco quo eam defert vendat pretio communi vt 60. quod est maximũ etiam absurdũ. Deniq; potest accidere vt nõ possit mercator idem pretiũ quod in vno loco dedit pro mercibus, in alio quo illas vendendas defert recipere: Multo ergo minus poterit computare semper in pretium iustum rerum quas vult vẽdere expensas & labores, consequẽtia aperta est, antecedens ostendo. Quia cum penuria rerum & abundantia emptorum augeãt frequenter pretia rerũ, si quid emat, vbi est illius rei penuria & emptorum abundantia, emet illud proculdubio carius, si vero ductum in locum vbi quando peruenit abũdat illud, emptores vero deficiũt, propter quod res illa vilius multo ibi venditur secundum cõmunem vsum fori, non poterit illam vendere pretio quo emit, sed viliori, nempe iuxta vsum fori. Exemplum est cõmune audit mercator Siculus vel Gallus laborare Hispaniã penuria tritici, vendiq; mensuram quã dicimus *Cahis*. 12. aureis, emit patriæ suę eãdem. 8. aureis, onustaq; frumento naui ad nos accedit, expectans deducto pretio quo patriæ suæ illud emit & expensis quas in itinere facit, cum vendatur Hispanię triticum 12. aureis se multũ lucraturũ, interim Deo fauente habet Hispania ex aliis locis tantam tritici abundantiam, vt vendatur mensura illa sex tantum aureis, sitq; iste cõmunis vsus fori vel pretium á Repu. taxatum, non poterit mercator ille iuste vendere, nisi sex tantum aureis, quia vt constat pretiũ taxatum à lege, vel communi vsu fori receptũ, ita est iustum, & necessario obseruandum vt illud excedere sit pec. mort. ex suo genere contra iustitiam cum bebito restituẽdi excessum.

Habebit locum vero regula ista mercatorum vt pretium, expensę & labores suscepti expendat, quando in loco in quem mercem alibi emptam vendendam adducit nullum adhuc illius pretiũ existit nec taxatũ à lege nec vsu fori receptũ quia si lege taxatũ reperiant vel receptũ iã vsu fori illud solũ est iustũ, vt optime Silu. ver. Emptio. q. 10. tradit.

Sed hanc secundã conclusionẽ, qua docemus pretium desumptũ ex cõmuni vsu fori habere latitudinẽ quã diximus, Recentior quidã Iurisconsultus in lib. de contrac. Hispane cõscripto li. 2. ti. 19. *Del precio y comprador*, falsã iudicat, & cõtra illã argumẽtatur.

Primo. Pretiũ iustũ vt insinuauit Arist. 1. lib. Magno. Moralium c. 34. consistit in equalitate rei ad rem, nempe in equalitate pretii cum valore rei, vt si valet 10. dentur pro illa 10. sed hęc equalitas cum sit mediũ iustitiæ, quod non sumitur á recta ratione, sed ab ipsa re cõsistit in indiuisibili: ergo & pretiũ rei debet cõsistere in indiuisibili, nec potest habere illã latitudinẽ, quã diximus.

Secundo Arist. 5. Etic. c. 7. Diuidit pretiũ iustum, in iustum naturale, & iustum legitimum siue legale, vbi per iustum naturale intelligendum est, quod sumitur ex naturali valore rei arbitrio prudentum, sicut per iustũ legitimũ quod a lege constituitur, sed iustũ naturale consistit in indiuisibili sicut & ipsa natura, iustũ quoq; legitimũ cõsistit in indiuisibili quod à lege taxatur: ergo & pretium omne quacũq; via sumatur, cõsistit in indiuisibili, nec potest habere istam latitudinem.

Tertio. Pretium sumendum est ex valore rei, sed res tantum valet quantum vendi potest: erit ergo pretium iustum rei illud in quo vendi potest, non quod habet vsus fori, nec cum illa latitudine; maior huius argumenti certa est, minor est commune proloquium mercatorum, imo & multorũ DD. in hac materia de emptione & vẽditione habeturq; l. 1. §. si heres ff. ad Senatusconsultum Trebellian. L. Si quis vxori: §. vlti. ff. de furtis. & L. illa. Pretia ff. ad leg. falcid.

Quarto si vna res posset habere tria pretia iusta, vnum similiter pretium posset esse iustum pretium duarum rerum, consequẽs est falsum, quia pretium & res venalis sunt correlatiua, ita vt vnum pretium sit vnius tantum rei venalis, & ẽ conuerso vnica res venalis vnius pretii. Consequentiam vero probo: constituamus rem venalem A. valere vt 10. hęc habebit iuxta ea quę docuimus tria pretia nẽpe 9. 10. &. 11. constituamus aliã rẽ venalẽ B. valere 8. hęc habebit similiter tria pretia nẽpe. 7. 8. &. 9. qua ratione sequitur necessario A. & B. quę diuersos reuera valores habent, habere idẽ pretiũ nẽpe 9. Quod videtur maximũ absurdum:

Demum in contractu venditionis debẽt contrahentes conuenire de certo & definito rei pretio, aliter contractus inualidus est & nullus, quia si tempore contractus non conueniunt in pretio aliquo certo & definito, quando deinde agerẽt de pretio possent ita interse discrepare vt contractus esset om

nino inter ipsos dissoluēdus. Qua de caussa in legibus Castellæ quas vocant Partitarū. l.9.tit.5.partita 5.constituitur, ita esse de essentia venditionis constitui certum pretiū, vt si illud relinquatur voluntati alterius cōtrahentis, venditio sit inualida. At si res venalis haberet illa tria pretia quæ diximus, non esset certum ac definitum pretium.

Singula suo ordine diluamus.

Ad primum. Facilis est solutio ex dictis. Medium enim iustitiæ quāuis sumatur ex re ipsa, non tamen semper consistit in indiuisibili mathematico, sed aliquando etiam in indiuisibili morali, iuxta rectam rationē & prudentiam, quando scilicet non est omnino certum nec aperte constat. Vt in restitutione, ignorat debitor quantum certo debeat, facto tamen diligenti examine, iudicat probabiliter ac prudenter se debere 10. restituendo illa decem seruat æqualitatem iustitiæ commutatiuæ, non minus quā qui soluit 10. sciens certissimo se debere 10. Ita in proposito. Quando valor & pretium rei certa sunt, vt in pretio legali, seruatur ęquitas cōsistitq; iustum pretium in indiuisibili omnino, quando vero non est taxatum á lege, sed pendet ex arbitrio prudentum & vsu fori, quia neq; arbitrium prudentum neq; vsus fori est idem omnino apud omnes, sed aliqua ratione varium parum plus vel minus, propterea neq; pretium inde sumptum, est ita vnum, vt consistat in indiuisibili omnino & Mathematico, sed in indiuisibili morali, habēte illā latitudinem, & intra eam seruatur reuera æqualitas.

Ad secundum dico. Forsan M. Soto adductū esse isto argumento, vt doceret in illo ar.3. iam citato conclu.3. pretium legitimum esse quod taxatur à lege, naturale vero quod non constat ex lege, sed ex vsu fori, vel conuentione contrahentium, quia isti considerantes diligenter naturas rerū & illarum valorē ipsis pretia imponunt. Sed hic modus explicandi Arist. nec rationi conuenit, nec illius mēti. Inprimis alienū est à ratione, pretiū desumptū ex vsu fori & conuentione cōtrahentium vocare naturale, quia isti considerēt rerū naturas, & earū valorē, cū id multo magis cōsiderēt Magistratus Reip. quādo taxant pretia rebus. Preterea Arist. in eo loco vocat iustum naturale quod est idē apud omnes, quod vero nō est idē apud omnes vocat iustū legitimū, nullū est autē pretiū rerū quod sit idē apud omnes, vnde alienū est á mente Arist. pretium ex vsu fori vocari ab ipso naturale, quin potius nec in toto illo textu aliquā mentionē facit pretii. Dicamus igitur vt primo tomo copiose vidimus. q.57. agētes cum D. Tho. de iure, partiri ibi Arist. iustum. s. ius in naturale & legitimū seu positiuum, in quo sensu vt proprio & genuino adducit ibi D. Tho. locū istū Arist. at.2. Pretiū vero quacunq; regula constet, siue lege, siue vsu fori, reducendum est ad iustū legitimū & positiuum, quod est ex hominū arbitrio & institutione, in Prima enim regula, lex pretiū constituens est aperte iustū legitimū: in Secunda vsus fori est etiā velut quædam lex pretii: Tertia quoq; quā deinde subiiciemus, nēpe consensus & cōuentio ipsorū contrahentiū, est quoq; ipsis (eo modo quo explicabim⁹) velut quędā priuata lex. Nec datur pretium naturale quod idem sit apud omnes, sed omne pretium ex hominum arbitrio & æstimatione est, & variū ac multiplex, & quod facile mutatur pro diuersitate locorū & temporū, sicut & ipsum iustum legitimū. Quæ placuit hic obseruare propter recētiores Thomistas qui sequuti M. Soto vocant pretium naturale, quod nō est lege taxatū, cum reuera nullum sit pretium naturale, vt ex modo dictis constat.

Ad tertium. Respōdeo cōmune illud proloquiū non esse accipiendū, vt verba exterius sonant, neq; vt communiter accipitur à mercatoribus, nā ita possent vendi res in duplo & in quadruplo plusquā valent, iuxta suū iustum valorem, quod est manifeste falsum & iniquū, iuxta ea quæ cōmuniter docent DD. 10. q. 2. can. Hoc ius. addita Glossa. Quo circa erit hic explicandus genuinus istius dicti sensus. Nonnulli iurisperiti volunt intelligendum esse res tantum valere, quanti vendi possunt seclusis scandalo, vi, metu, & necessitate ementis vel vendētis, quia emens aut vendens rem aliquā his omnibus seclusis, dubiū non est, quin illā vendat vel emat pretio congruenti, & æquali cum valore rei, nisi stultus sit & imprudēs. Siluest. Emptio. q.9. habet. Rem tantū valere quantum vendi potest seclusa omni fraude & dolo. Ita vt si citra omnes fraudes, quibus solent mercatores interse conuenire de augendis vel minuendis rerum pretiis, vendat quis alteri scienti & prudenti, nec ignoranti rei, quæ venditur valorem, rem aliquam pretio vt 10. illud sit iustum pretium. Cui expositioni videntur fauere D. Antonin. 2. p. tit.1. cap. 16. §. 2. & lex prima Cod. de Monopoliis. Nauarr. in suo Manua. cap.23. numero 80. sequutus Ale

xand. in l. illa. Pretia rerum. ff. ad l. falcid. ait enim. Rem tantum valere quanti vendi potest, id est quantum vendi potest pretio recepto in illo loco, & tempore, & modo communi vendendi in pecunia presenti, cessanteq; omni monopolio, & fraude ac dolo. Ex quibus colligo, vt quemadmodum cum dicimus aliquid nos posse, significamus nos iure illud posse, iuxta illam Regulam. *Id possumus quod iure possumus,* ita quoq; cum dicimus tantum res valet quanti vendi potest, significamus quantum iure vendi potest, nempe aut pretio legis, aut pretio fori, vtrumq; enim est velut ius & lex in constituendo iusto rerum pretio: Ita Soto in illo arti. 3. & Couarru. lib. 2. varia. Resolut. cap. 3. nume. 4. Potest etiam proloquium illud habere hunc sensum & optimum, vt res tantum valeat quanti vendi potest intra latitudinem iusti pretii, quod eo modo quo exposuimus non consistit in indiuisibili. Vel tertio potest dici, Res quarum pretia non sunt taxata à lege, nec habentur communi vsu fori, nec sunt necessariæ ad vsus humanos sed ad ornatum tantum vel voluptatem, vt gēme, lapilli, equus maxime pulchritudinis velocitatis, huiusmodi res tantum valere quantum vendi possunt, modo, vt infra dicemus explicantes tertiam regulam, pretiū illud non sit nimis excesiuum.

Ad quartū. Dico quæ ab illo iurisperito afferuntur tanquam maxima incommoda nihil incommodi habere. Eandē enim rem multa pretia habere intra eam latitudinem quam exposuimus, adeo certū est, vt sit quāverissimū, sicut probauimus, tantū abest vt sit absurdū. Similiter diuersas res posse habere idē pretiū nullū est absurdū, potest enī id passim accidere duobus modis, vel quia illę duę res in ordine ad vsus humanos eiusdem sunt valoris & æstimationis, vel quia quod intra latitudinē iusti pretii vni couenit vt infimū, alteri intra latitudinē quoq; iusti pretii coueniat vt supremū: Nec inde sequitur pretiū & rē venalē non recte ad se inuicē referri, etenim si res vnicū tantū habeat pretium vna erit solū inter rē & pretiū relatio, Si multa vero habuerit pretia multæ quoq; erunt inter ipsam & pretia relationes, sicut pater vnicū habens filium vnica relatione refertur ad illū, quod si multos habeat multis quoq; refertur ad illos relationibus, tum quia sunt termini reuera distincti, tum quia sunt multa quoq; istarū relationū fundamenta, nempe multę distinctęq; generationes.

Ad vltimum. Respondeo leges istas non prohibere quin pretia fori varia sint intra eā latitudinē quā diximus, sed hoc tantum constituere, vbi pretiū non est certū & definitū authoritate publica, sed varium ex vsu fori, non esse validā nec consummatā venditionem donec inter contrahentes ex variis illis pretiis quę existūt in vsu fori, constituatur vnum tanquā certum & determinatum: quæ leges iustissimæ sunt, vt sic tollantur lites, quæ oriri poterant ex venditionibus sub incerto pretio celebratis.

Dices tamen. Nonūquam quod vēditur incertū est, vt cū venduntur partus ancillę, vel fructus nondum nati, aut iactus retis in mare, cur ergo simili ratione non licebit & pretiū esse incertū? Dico ex vēditione rei sub incerto pretio imminere dāna & lites quas diximus, & ideo in vēditione cōstitueneum esse necessario certum pretium, vt illa constans sit: at ex venditione rei sic incertæ non sequuntur similes lites, quia etsi vendantur ista antequā existant, vendūtur tamē quatenus sunt in potentia, quæ si non reducatur in actum, nulla est venditio, nec locus litibus.

Quod intelligendū est, quando expresse conueniunt inter se contrahentes, de reddēdo pretio istis rebus in actū redactis, quia si contra paciscatur emptor se redditurū pretiū quod promittit, quidquid accidat, idest siue res istę in actū redigātur siue nullo modo eueniāt, tunc est velut cōtractus fortunę & aleæ, teneturq; pretiū illud reddere, cum liberè fortunę illi sese exposuerit, potuerit que accidere vt pretio exiguo rē multi valoris acquireret, sicut accidit, vt ex eodē pretio nil omnino recipiat. Quod si nullū pactū expressum inter eos interueniat, quando vēduntur partus ancillæ, vel fructus nō dū nati, nō succedētibus huiusmodi fructibus, vel fœtibus preēmptis nulla est vēditio, nec tenetur aliquid soluere: quia sublato pacto quod diximus emptor emit reuera fructus vel partum futurum, qui si nō eueniat, nil emit.

In iactu autē retis aliter res habet, quia emens huiusmodi iactū simpliciter & absolutè nulloq; pacto illorū cōstituto, etiā si nihil omnino pisciū captū fuerit, tenetur soluere pretiū promissum. Cuius discriminis ratio est, quia emens partum ancillæ vel fructus nasciturос, hæc ipsa emit nempe prolem ancillæ & fructus illos, quo fit vt si nulla nascatur proles, nulliq; fructus, nihil emat: at qui emit iactum retis emit sortem fœlicem vel in fœlicem illius

iactus & piscationis, de sorte autem piscationis est, vt per totam noctem & diem nõnunquam laboretur nullo capto pisce, vnde tenetur quidquid accidat pretium reddere, sicut qui aleæ & fortunæ pecuniam suã committit, qui quandoq; multum lucratur, quando vero sine vllo omnino lucro, debet pecuniam quam exposuit soluere.

A QVO TEMPORE ET LOCO *sumendum sit pretium iuxta vsum fori.*

TERTIA Conclusio. *Vsus fori ex tempore omnino currenti quo celebratur contractus sumendus est, & ex ipsa hora in qua interse venditor cum emptore conuenit de pretio.*

Sunt enim quædam tempora, in quibus tam res quam earum emptores, & venditores ita deficiunt, vel abundant, vt non solum vsus fori vno die receptus proxime sequenti mutetur, verum etiam quandoq; accidat, vt qui in matutinis horis existebat, post meridiem sit mutatus propter merciũ illarum, & emptorum, aut venditorum facilem & in promptu mutatam abundantiam, vel penuriam. Ita experimur tempore messis; triticum quod vno die propter illius penuriam carius vendebatur, sequenti die plurimis agricolis cum tritico venali in forum accedentibus, multo vilius vendi, mutariq; præcedentis diei pretium, propter sequentis abundantiam. Sicut accidit 4. Reg. 7. Samariæ. Cum enim vno die in ea ciuitate caput asini 80. argenteis venundaretur, & quarta pars cabi stercoris columbarum quinq; argenteis, & modius tritici plusquã 100. argenteis, proxime sequenti die modius similæ statere vno, & duo modii hordei statere etiam vno in porta eiusdem ciuitatis vẽdebantur: Idem passim accidit in nundinis.

Cum ergo vsus fori tam facile mutetur, non erit sumendus ex multo tempore, sed ex illa ipsa hora in qua emptionis contractus exercetur; Sic docent omnes Doctores, nec vlla est inter eos in hac parte controuersia aut disidium. Habeturq; in cap. Cum dilecti. extra De emptio. & venditio. in cap. Cum caussam, eodem titu. Et in L. Si voluntate: in fine. Cod. de Rescindenda vendit. dicitur enim: *Secundum tempus contractus actio formatur, & condẽnatio moderatur.* ff. De neg. ge. L. Pomponius. Quam obrem si continuo post venditionem mercis illa carior efficiatur, non potest venditor augere pretium, nec emptor illud minuere si statim post emptionem illa vilius incipiat vendi: In quo sensu dicitur L. prima & L. 4. ff. ad legem falcidiam, *Rem non æstimari pretio formali.* Id est à contrahentibus formato & conficto pro suo arbitratu, *Sed secundum præsens.* Id est. Secundũ vsum fori, ex eodem omnino tempore desumpto quo celebratur contractus.

Ex hac conclusione sequitur non esse in commodum, vt eadem res eodem die disparibus pretiis vendatur in nundinis, & iuste: vsu fori in illis intra breue temporis spatiũ mutato, propter variam mercium, & emptorum, vel venditorum in vno eodemq; die abundantiam vel defectum. Sequitur secundo. Quod optime obseruat Soto lib. 6. q. 2. ar. 3. prauam esse & iniquam multorum mercatorum consuetudinem, Qui videntes merces initio nundinarum ob carũ penuriam & ementium abundantiam carius vendi, in fine vero earundem nundinarum propter earundem mercium abundantiam & ementium paucitatem & defectum vendi vilius, quæ sibi ex illis nundinis vẽdenda supersunt, vendunt pecunia credita expectataq; ad aliquod tempus solutione, cariori illo pretio quo vendebantur initio nundinarum, existimantes iustum quoq; esse pretium illud, eo quod initio nundinarũ fuerit in vsu fori, maxime vero cum res suas vendant expectata solutione, Hoc certe iniquum est & iniustum, quia pretium illud prius, mutato in vilius vsu fori, iam cessauit, desiitq; esse iustum, nec aliud habent merces illæ iustum pretium, quam quod habet vsus fori in ea hora & tempore quo vendiderũt, quod vt seq. quæstione de vsuris videbimus, propter dilatatã solutionem augeri non potest.

Quarta Conclusio. *Vsus etiam fori iustumque illius pretium non est sumendum ex loco, in quo contrahentes interse conueniunt de rei alicuius venditione, neq; ex loco in quo fit illius solutio, & exhibetur pecunia, sed ex loco in quo rẽs ipsa venalis actu & reipsa traditur ementi illam.*

Ita docet & optime Silu. verbo Emptio, q. 1. §. 1. in fine illius, estq; ratio apertissima. Vsus fori & pretium iustum illius ex eo loco desumẽda sunt, in quo vere & actu exercetur & perficitur contractus emptionis & venditionis: contractus autem huiusmodi tunc exercetur actu & perficitur, quando res traditur emptori, & transit in illius dominium.

minimum: erunt igitur vsus fori & illius pretium ex eo loco desumenda, in quo res actu & re ipsa traditur emptori, & non ex aliis. Pluribus in probanda hac conclusione opus non est, cum in ea propter rationē hanc quotquot sunt doctores tam Theologi, quam iuris periti sine vlla controuersia conueniant.

Ex quo sequitur iniquum esse contractum quendam emptionis tritici, quo nonnulli in hac nostra ciuitate Valentina & in aliis vt audio prouinciis quandoq; vtūtur: ementes Valentiæ triticum ab his qui pecunia indigent, eo pretio quo tempore Messis vendetur triticum Castilioni, aut simili loco, in quo solet triticum tempore messis multo vilius æstimari quā venūdetur Valentiæ: Hic contractus est omnino iniquus & pretium illud aperte iniustum, quia ob anticipatam solutionem emitur viliori pretio quam sit iustum & debitum, eo tempore & loco quo triticum, à venditore actu & reuera traditur emptori, & exercetur actu, perficiturq; venditio, à quo tempore & loco vt ex modo dictis constat, sumendū est iustum pretium. Nec obstat quod seruaturus suas merces in aliud tempus vel locum in quo carius vendi solent possit illas tradere ea lege, vt teneatur emptor pretium illud reddere, quod in eo loco & tempore, in quod illas seruabat, vendentur: quia vt quęstione proxime seq. videbimus hoc genus vēditionis explicātes, qui firmiter decreuerat merces suas in illud tempus vel locum seruare, & exoratus ab aliquo vendit alio loco & tempore quam statuerat, perinde omnino est ac si reuera vendat in eo loco vel tempore in quo vendere statuebat, sicq; iuste potest pretiū exigere, quo similes merces tali tempore & loco vendentur, seruatis his quę suo loco à nobis explicabūtur: At qui emit v.g. Decembri Valentiæ triticum, pretio quod illud valebit Castilioni in Augusto sequenti, hic non emit, quasi emeret Castilioni & Augusto, sed reuera & de facto emit Valentiæ, & Decembri, debetq; propterea ne inique agat, reddere pretium quo triticum illud Valentiæ & Decembri communiter venditur: Quis enim vnquam audiuit, seruari ab aliquo merces, vendendas eo tempore vel loco, in quibus omnium iudicio, solent semper vilius æstimari & vendi: Imo & si in aliis varia sint hominum ingenia & iudicia, in hoc tamen conueniunt, vt res suas commodius & carius vendere instituant ac nitantur: Sicut parasytus illæ de quo D. Augustinus, dicebat: *Omnes volunt carius vendere & vilius emere.*

Controuersia Quarta.

DE PRETIO QVOD SVMItur ex mutua & libera conuentione contrahentium.

REGVLA tertia iusti pretii est mutuus consensus, & conuentio inter emptorem, & venditorem. Quæ regula in his tantum rebus locum habet, in quibus nec lege aliqua, vel authoritate publica pretium aliquod taxatum est, nec communi vsu fori receptum. Quo fit, vt cum res quæ venduntur duplices sint, quædam ad humanum conuictū necessariæ vt triticum, vinum, oleum, carnes, lanæ, & similes, aliæ vero quæ ornatui tantum aut voluptati deseruiunt, vt gemmę, pretiosi lapides, equi formosi, Accipitres, Musici, comici, & similes.

Regula hæc non habet locum in rebus illis prioris generis, nam eo ipso quo huiusmodi res humano victui, & Reipub. necessariæ sunt non sunt raræ, sed communiter venduntur quouis loco, habentq; certum pretium, vel constitutum à lege, vel communi vsu fori receptum: habet ergo locum in rebus posterioris generis, quæ necessariæ non sunt, sed ad ornatum tantum aut voluptatem accōmodatæ: in his igitur pretium iustum, illud est inquo contrahentes ipsi liberè citra omnem fraudem & dolum interse conuenerint: De his namq; intelligitur ab omnibus illud commune proloquium. *Res tantum valet quantum venditor citra vim et fraudem ab emptore extorquere potest.* Cæterum quantum illud sit, quod venditor tuta conscientia extorquere potest, & ab emptore mutua conuentione recipere, non eodem modo ab omnibus explicatur.

Sunt enim qui affirment, iustum pretium in his desumendum esse ex sola voluntate, & arbitrio vendentis, iuxta illud Iurisconsulti in L. In re mandata. Cod. Mandati. *Vnusquisq; in re sua est moderator, & arbiter.*

Medina in illa quest. 30. Cod. de Rebus restituendis vult in his etiam rebus considerandum esse diligenter quantum laboris in illis adducendis, vel de nouo inueniendis venditor prudenter se gerens

passus sit, quod fecerit expensas, quantumquoque voluptatis, vel ornamenti res illę ementi ipsi aut Reipub. afferant: hisq; mature pensatis, posse venditorem totum illud pretium ab emptore recipere, quod prudens, & peritus iudicauerit: vel quantum Respub. ipsi venditori illi contulisset, si ab ea ad rem illam asportandam fuisset cōductus, iuxta regulam illam Scoti cuius superius meminimus.

Soto lib. 6. de Iustitia. q. 2. ar. 3. ad 3. sequutus Magist. suum Victoriam & Canum in lectura huius arti. sine vllo discrimine vult, cum in his rebus (vt constituimus) nullum sit pretium à lege vel vsu fori pręfixum, iustum esse illud omne inquo contrahentes libere interse cōuenerint, duplici condicione seruata. Prior est ne emēs amens sit, aut prodigus, suorumq; bonorum effussor, sed cordatus & probus. Posterior, ne pretium illud prudentum arbitrio nimis excedere iudicetur, etenim si excessiuum à peritis & prudētibus iudicaretur, venditor illud recipiens non esset tutus in conscientia.

Nobis verò hac distinctione videtur hoc loco vtendum esse, vt ex his rebus quæ in ornatum aut voluptatem tantum cedunt, quædam sint inter diuites, & potentes cōmunes & frequentes, vt gemmæ, lapilli, equi, accipitres, & similes, quædā vero raræ, & maximè pretiosę, vt Carbunculus, Crysolitus, Adamans magnitudinis, & figurę rarissimę, pretiosus & formosissimus eiuus, vel gladius, ad quod etiam genus pertinent rara quædam artificia à viris ingenio præstantibus de nouo excogitata, & quæ vt maxime pretiosa, & rara ex India in Hispaniam deferuntur.

Res illę prioris generis cum communiter inueniantur apud diuites, & nobiles, passimq; inter eos vendantur, non possunt vendi libera conuentione contrahentium: quia eo ipso quo diuites & nobiles illis cōmuniter vtuntur, & frequenter apud ipsos emuntur & venduntur, solent etiam cōmune aliquod pretium habere apud eos, vel ex communi vsu ipsorum & nobilium, vel ex communi arbitrio & æstimatione lapidariorum & peritorum in eo genere rerum: qui communis uel ipsorum met nobilium vsus, vel peritorum æstimatio eandem vim in huiusmodi rebus habent, quam in aliis mercibus solet habere vsus fori.

Res autem secundi generis cum maxime raræ sint & plurimum pretiosæ, nec habeant aliquod commune & vsitatum pretium, quod in illis habeat vicem fori, possunt propterea tanti vendi, quanti ex mutua conuentione liberoq; consensu contrahentium citra omnem fraudem vel dolum haberi poterit. In quo sensu iudico locutos esse Victoriam & Canum, & in eodem accipiendum esse quod dicitur l. illa 4. ff. ad leg. Falcid. *Res tantum valere quātum vendi possunt.* Licet Soto loc. cit. de omnibus in vniuersum loquatur.

Potest autem hæc nostra sententia sic probari; Huiusmodi res secundi generis, adeo raræ & pretiosæ non possunt vendi pretio legali, cum circa illas nihil lex constituat, nec pretio desumpto ex communi vsu fori, cum non sint in vsu sed maxime raræ. Erit ergo iustum illarum pretium, illud in quo contrahentes ipsi mutuo ac libere conuenerint, seruatis illis duabus condicionibus, vt prudentes viri sint, nec pretium in quo conueniunt nimium vel excessiuum aliis peritis videatur. Etenim vt docet Arist. 3. polit. c. 7. *In rebus etiam non necessariis Reipub. arbitrium & prudentis æstimatio optima regula est æquitatis & iustitiæ.* Quo fit, vt in huiusmodi etiam rebus, iniustū sit censendum pretium, quod peritorum & prudentum iudicio nimium excessiuūq; iudicaretur.

Et confirmatur hæc omnia: quia cum emptor sit dominus suarum pecuniarum, & illarum vt constituimus, prudens distributor, rem illam nulla necessitate sed sola voluptate adductus emens, vēditor quoq; nulla fraude vel dolo vtatur, nec in pretio iuxta prudentum arbitrium excedat, nulla censenda est in tali venditione reperiri iniquitas aut iniuria.

Vnde sit in his hæc regula iusti pretii. In rebus quæ nec ex legis pręscripto, nec ex communi vsu fori habent aliquod certum pretium, illud est iustum, in quo citra vllā fraudem & dolum & sine notabili excessu vel defectu contrahentes mutuò ac liberè interse conueniunt.

Ex qua sequitur primo, in his quæ de nouo afferuntur, vel inueniuntur, aut excogitantur habere locum hanc regulam, iustūq; esse pretium illud, in quo Magistratus Toletani conuenerunt cum eo qui ingenii sui acumine excogitauit artificium illud, quo ex Tago profunde fluente vsque ad arcem Toletanam eleuantur aquæ. Secundo habet etiam locum in rebus ad ornatum & faustū tantum

tantum pertinentibus, vt qui nouum & pulcherrimum pararet ornamentum equo ad torneamẽta vel haſtiludia, poteſt cum equite pro arbitratu iuxta regulam hic poſitam de pretio illius ornamenti conuenire.

Tertio in rebus pertinentibus ad voluptatem ſiue honeſtam ſiue turpem: Honeſtã vt ad venandum, qua ratione poteſt quis pro accipitre, vel cane venatico raro velocißimo, maximæq; dexteritatis pro arbitratu etiam ſuo cum emptore conuenire: Huc referuntur maxima quædam & in ſolita pretia quæ columbarii poſtulare & recipere ſolent pro quibuſdam columbis ipſorum iudicio maxime ſelectis, propterea quod habeant pennas huius vel illius coloris aut figuræ. Similiter iudicandum eſt de his quæ viſui vel auditui plurimum afferũt voluptatis, quo nomine cantor ſuauißimę vocis, & in muſica peritißimus, dexterrimus organi vel alterius inſtrumenti muſici pulſator poteſt magnum aliquod pretium exigere, vt alicui Eccleſiæ, Reipub. vel Magnati inſeruiat, eritq; iuſtum illud, in quo cũ ipſis ſeruatis illis duabus conditionibus cõuenerit. Saltatores etiã quos Hiſpane dicimus *Bolteadores*, pro ſpectandis nouis & inuſitatis ſaltandi modis. Et Poetæ ſiue comici pro exquiſitis comœdiis & facetiis, poſſunt maximum aliquod pretium ab ſpectatoribus exigere, eritq; iuſtum illud, in quo cum ipſis conuenerint. Idem iudicium eſſe debet de his quę ad voluptatem quantũuis turpem pertinent, poteſt enim mulier formoſißima, aut virgo clari generis cum ſuo amaſio ita conuenire, faciam tibi mei copiã ſi 100. aureos mihi exhibueris. Quod ſi illos receperit citra vllam fraudem & vim, ab eo qui ſuorum bonorum liber dominus & diſtributor eſt, licet contra charitatem & pudicitiam grauiter deliquerit, iuſtè nihilominus ac tuta conſcientia poteſt illos recipere, ac retinere.

Sed obſeruandum maxime in his omnibus eſt, ne res iſtæ de quibus hæc tertia Regula traditur, ex accidenti vel aliqua ratione & via reddantur Reipub. neceſſarię, vt lanceæ, quæ tempore pacis neceſſariæ non ſunt, tempore belli redduntur neceſſariæ: Tum etiam ne quæ rarę & pretioſę erant, ſuperueniente ſimilium abundantia reddantur communes. Tunc enim vel ob illarum neceſsitatem in Repub. vel earum abundantiam mutabitur illarum pretium, aut taxatione Repub. aut vſu fori, aut arbitrio & æſtimatione peritorum & prudentium; eritq; neceſſario illi pretio ſtandum.

Controuerſia Quinta.

DE SVBASTATIONE, SEV *venditione quæ fit publica voce preconis.*

PRAETER iſtos tres vendendi modos quos hactenus propoſuimus, eſt alius communis ſatis & vſitatus in omnibus locis, qui exercetur vel in publico foro voce preconis dictus latine ſubaſtatio hiſpane *Almoneda*, vel priuatim per curſores per vicos & domos diſcurrentes quos antiqui proxenetas appellarunt, Hiſpane *Corredores*. In quo venditionis genere vt experimur, neq; ſeruantur pretia à Repub. conſtituta, neq; recepta communi vſu fori, ſed quandoq; multo maiora quandoq; vero multo minora exhibentur, nec propterea iudicantur iniuſta. Quo circa duo hic expendamus oportet.

Inprimis. Quod ſit iuſtum pretiũ in hoc venditionis genere.

Deinde. Quæ fraudes & iniuſtitiæ in eo accidere poſsint.

Prius illud ſubiectis quibuſdam concluſionibus explicabimus: Sit prima.

Quæ venduntur publice vel in foro voce preconis, vel priuatim per proxenetas diſcurrentes per vicos, tantum valent quantum in illo publico foro uoce preconis fuerit repertũ, modo nullus dolus vel fraus tam ex parte vẽditoris quam ex parte emptoris interuenerit.

Probatur. Pretium taxatum à lege ideo iuſtum cenſetur, quia conſtituitur authoritate publica, ſed authoritate etiam publica inſtitutus eſt hic modus vendendi, & ea lege, vt quod voce preconis vel per curſorem fuerit repertum citra omnem fraudem & dolum id habeatur pro iuſto pretio: ergo: quod ita reperitur iuſtum eſt: Et confirmatur hoc officium curſoris ac preconum non eſt introductum priuata alicuius authoritate, ſed ſola authoritate Reipub. propter quod nõ poſſunt illud exercere niſi ſoli deſignati á Repub. & præſtito prius apud iudicem iuramento, vnde pretium quod ab illis fuerit citra omnem fraudem receptũ probat Reſpub. vt iuſtum.

Secundo. Communis vſus fori propterea valet ad conſtituendum iuſtum pretium tali loco & tempore, quia omnes qui negotia exercent, aut fere omnes in eo conueniunt, iudi-

iudicantq; illud iustum in eo loco & tempore, sed quando res venduntur publica voce preconis, omnium prudentum iudicio habetur pro iusto pretio, quod per illum preconem reperitur, conueniuntq; adeo in hoc omnes gentes & nationes, etiam si pretium illud dispar et diuersum sępe sit à communi vsu fori, vt sit iam velut quoddam ius gentium: erit ergo censendum iustum.

Deniq; experientia teste, fidelium conscientiæ quantumuis piæ & timoratæ nullo scrupulo torquentur, quod in publica subastatione rem aliquam vilius emerint, aut carius vendiderint, quam sit pretium taxatum á lege, vel communi vsu fori receptum, quod maximo est argumento huiusmodi pretia quamuis à legali & forensi adeo quādoq; aliena & diuersa iniusta non esse.

Secunda Conclusio. *In his quæ venduntur voce preconis pretium iustum est, quod fuerit repertum a precone, sed ita, vt pretium illud nec excedat supra dimidium nec deficiat infra dimidium illius iusti pretii, quod res illæ valerēt si alio modo uenderentur quam subastatione, nēpe aut iuxta pretium legis aut iuxta communem vsum fori.*

Probatur. Hoc genus vendendi institutū est & introductum pręcipue ab ipsis legibus, ita videmus quæ ex decreto iudicum venduntur, vt in exactione debitorum, vel ea quorum venditio ad iudicium deferenda est, vt bona pupillorum, vel defunctorum hac sola ratione vendi, vnde illud erit in hoc venditionis genere pretium iustum, quod leges ipsę non damnāt, sed cōcedunt: constituunt autem leges & publica iudicia in subastationibus quoq; res ita vendi, vt illarum pretium nec excedat vltra dimidiū, nec deficiat infra dimidium pretii simpliciter & aliis modis iusti: ergo in hoc vendendi genere hoc pretium censendum est iustū. Et confirmatur. Quia si hoc nō esset iustū, tenerentur profecto ementes & vendentes in subastationibus stare pretio legali in rebus quibus esset à lege pretium constitutū, vel forensi in rebus quæ venduntur iuxta communem vsum fori. Quod tamen est cōtra leges ipsas & communem omnium hominum conceptionem.

Cæterum ne hac ratione occasionē offeramus cupiditati humanæ violandi iustas leges, quibus tritico & aliis rebus humano conuictui necessariis pretia taxantur, obseruandum hic maxime est, merces quarum pretia eo fine á lege taxantur, ne á venditoribus pretia illarum vltra taxam augeantur; cuiusmodi sunt triticum, vinum, & annona, posse quidem ab emptoribus in subastatione minoris emi quam sit pretium taxæ, supra taxam vero nec titulo subastationis posse vendi, tum quia eiusmodi taxa constituitur á Principe vel Magistratibus in vtilitatem emptorum non venditorum: tum vero, quia si aliter liceret, nullus priuatim frumentum vel annonam venderet, sed omnia subastationi exponerētur ad eludendam legem & illius taxam: nec esset illorum cupitati & pauperum inopiæ à Repub. sufficienter consultum. Similiter quando venalia eo fine taxata sunt, ne ab emptoribus illorum pretia minuantur, cuiusmodi sunt iura censsus, si sana & integra firmitate illa consistāt & citra periculum, facileq; recuperentur, non possunt titulo subastationis vilius emi, quā sit commune illorum pretium vel á lege constitutum: cum huiusmodi taxationes non fiant in vtilitatem emptorum sed venditorum, ne ęgestate cōstricti bona sua prodigere compellantur.

Ex ista secunda conclusione posita, sequitur primo, si in subastatione pretium rei vltra dimidium excedat vel deficiat á pretio alias iusto, contractum illum reuera in vtroq; foro esse nullum, dariq; decepto actionem, & à iudice si recte ius vnicuiq; suo dicat rescindendum. Quia cum hic modus vendendi & pretium illius innitantur authoritati legis, quotiescunq; in huiusmodi venditione interueniet pretium lege ipsa prohibitum & damnatum, venditio illa censenda est nulla, & authoritate eiusdem legis rescindenda. Ita videmus nonunquam hæreditates & agros pupillorum in subastatione venditos, restitui deinde authoritate iudicis pupillis illis, tāquam veris dominis, cum illis per ætatem reclamare licet, prioresq; venditiones illas rescindi, eo quod res illæ infra dimidium iusti pretii arbitrio prudentum venditæ fuerint. Et in Regno Castellæ, habet lex 2. tit. 11. lib. 2. Recopilat. Venditionem vltra vel citra dimidium iusti pretii quacumq; ratione fiat, etiam, si per publicum preconem & per subastationē in foro rescindendam, quæ lex etsi peculiaris sit illius regni, præcipit tamē quod vbiq; & rationi & iuri communi est maxime consonum. Quod si iudex eam rescindere noluerit sed firmā & ratā venditionem illā vt iniquus iudex habeat, cum talis sententia aperte sit iniqua & contra ius, non reddit emptorem vel venditorem qui iniuste egit

emens

emens infra dimidium aut vendens vltra dimidium tutum in conscientia.

Sequitur secundo in hoc vendendi genere reperiri etiam tria illa genera pretii, quæ constituuntur communiter à Docto. in communi vsu fori, nempe infimum, medium, supremum seu rigurosum: sed cum hoc discrimine. Nã in pretiis quæ sumuntur ex communi vsu fori, infimum & supremũ parum distant á medio, sicut 9. & 11. parum distant a 10. at in subastatione plurimum possunt distare, mediũ nãq; in subastatione est quod est iustũ, aut secũdũ vsum fori, aut arbitrio prudentũ, infimũ, quod ab illo deficit, modo nõ deficiat infra dimidiũ, supremũ quod illud excedit & superat, modo nõ excedat vltra dimidium. Vt si iustum pretium equi peritorum & prudentum arbitrio sint 100. si equus ille voce preconis vendatur, moderatum siue medium pretium erũt illa 100. infimum 50. supremum 150. vnde distant in subastatione gradus extremi à medio, quantum medietas ipsa iusti pretii cõplecti potest versus excessum vel defectum. Cõueniuntq; in hac parte quotquot sunt Doctores Theologi tam Veteres, quã Recentiores.

Fraudes vero quæ in hoc genere vendendi accidere possunt, duplices sunt, quædam quas venditores aliæ vero quas emptores quandoq; moliuntur. Venditor imprimis fraudem committit si occultos rei quæ venditur defectus nõ aperiat, huiusmodi enim defectus indicare, vt articulo tertio huius quæstionis videbimus, quicumq; venditor iure naturali & diuino tenetur: In hoc fraudis genus frequenter & plurimum impingũt proxenetæ: maxime in vendendis equis aliisq; iumentis, multa & preclara de illis mentientes, quibus pasim emptores decipiuntur. Nec liberantur ab hoc dolo & crimine, cum innumeros (vt solẽt) rei quæ venditur defectus proponunt, veluti cum vendentes equum afirmãt se vendere equum cęcum, claudum, infirmum, ferum, indomitum, & similia: aguntq; hac ratione vt videns emptor plerisq; defectibus eorum quę à proxeneta enumerantur equũ illum reuera carere, idem iudicium ferat de cæteris omnibus, certoq; existimet se emere equum omnis defectus & infirmitatis expertem. Est profecto fraudulentus & iniquus hic vendendi modus, cum defectus illi non proponantur ad indicandos veros, quin potius ad eos occultandos tot enumeratis:

Quod si per has vel similes fraudes vitia rei occultentur, non modo est iniqua venditio, verum etiam re ipsa nulla, saltim in foro anime, quia fraus & dolus vt sæpe Arist. docet tollunt voluntarium, contractus autẽ qui alterius contrahentis vitio & iniquitate censendus est in voluntarius (vt in sequẽtibus videbimus) iure naturali est nullus.

Secundo. Fraude etiã vtitur venditor, si fictos aliquos emptores immitat qui simulãtes se rem illam velle emere, cum nihil minus instituant, pretium illius velut per quãdam interse æmulationem subinde augent, verisq; emptoribus plurimũ nocent, quod fraudis genus damnauit Cicero 3. lib. Officio. verbis illis: *Non licitatorem venditor, nec qui contra se licitetur emptor apponet.*

Tertio. Oportet vt cursores isti seu proxenetæ fideliter & diligenter suum munus exerceant, eã solicituidne ac diligẽtia in querendis expectãdisq; emptoribus vtentes, quæ iudicio prudentis in simili vendendi modo iudicabitur necessaria, & ea fidelitate, vt cum nullo emptore fraudulenter cõueniant. Solent enim nonunquam eo tempore data opera res sibi commissas subastationi exponere, quo pauci occurrunt emtores, vt vilius cui volunt illas tradant, quæ omnia fraudem apertam continent, & cum iniuria & damno proximi.

Emptores quoq; similibus fraudibus vti possũt: Primo si interse conueniant (quod est quoddam iniqui monopolii genus) ne vllus pro re quæ venditur, offerat nisi hoc vel illud pretium. Sic enim interse conuenientes efficiunt, ne pretium illius rei libere posit á licitatoribus augeri, quod est aperte iniquum, & in venditoris nocumentum: Secundo. Si immitant secreto aliquos fictos emptores, qui simulate pretium quidem offerant sed exiguum, statimq; desistant, vt ea via, parum deinde pretio illo ab ipsis aucto, tanquam supremo & quo maius nullum reperitur, rem illam iuxta leges subastationis à proxeneta necessario recipiãt. Tertio. Si minis, vel pręcibus, aut aliquo alio modo prohibeat emptor, ne vllus alius rem illam emat, aut pro illa pretium offerat.

Hi omnes cum inique proximis suis damnum inferant, ad illud reficiendum & restituendum omni iure tenentur, hac ratione, Vt qui sua iniquitate & dolo in caussa fuit vt res carius sit vendita, quam seclusa illa fraude fuisset, totum illum excessum (quia in eo nocuit emptori) arbitrio prudentis taxandũ emptori restituat. Similiter qui sua fraude

fraude effecit, vt res empta vilius fuerit tradita emptori quam cessante illa fraude fuisset, defectum illum pretii arbitrio etiam periti & prudentis pensandum, venditori cui nocuit, persoluat, nec aliter hi á confessariis absoluendi sunt.

Accidere etiam qaandoq; potest, vt qui aliena per cursores istos seu precones vendunt, vt cum tutores suorum pupillorum, vel testamentarii defunctorum bona ducunt in forum, aliquas ex propositis fraudibus committant. Solent namq; nonnunquã eo tempore bona illa in subastatione vendẽda exponere, quo paucioribus venditoribus occurrentibus, & interse licitantibus, vilius à suis cognatis vel amicis illa emantur, quibus cum iactura aperta & damno suorum pupillorum vel deffunctorum volunt ea ratione consulere. Quĩn & quandoq; contingit, vt ipsimet testamentarii qui in subastatione bona deffunctorum vendunt, submittant alios loco sui, qui sic submissi licet proprio nomine & pro se ipsis ibi licitari se simulent, reuera tamen nomine testamentariorum illorum bona illa in subastatione posita emunt: quo fallaciæ genere testamentarii isti, cum sint bonorum illorum venditores, per huiusmodi fictos & suppositos licitatores sunt etiam veri eorundem emptores. Cuius rei gratia, quo bona illa minoris sibi dentur, ante legitimum debitumq; tempus preconis acclamationes accelerari & cõpleri faciunt, veris dominis illorum bonorum grauiter nocentes, & leges quæ huiusmodi proclamationes sic accelerari omnino prohibent, iniquè violantes: Quos ad huiusmodi damna & similes iusti pretii defectus reficiendos ex propriis teneri, quando in suam vtilitatem ita egerunt, perspicuũ est: tum etiã si ab amicis vel cognatis suis bona illa vilius empta sint, vbi ipsimet emptores defectum illum & damnum non restituerint, tenentur tutores isti vel testamentarii ex propriis nocumentum illud reficere, cum eorum culpa & iniquitate veris dominis illorum bonorum talia nocumenta illata sint.

Quod si carius & plus iusto bona ista in subastatione vendita sint, ita distinguendũ est: Vt si culpa tutorum vel testamentariorum de quibus hic agimus, excessus ille iusti pretii acciderit, teneantur adire Iudicem vel Pretorem, vt veritate illius iniquæ venditionis perspecta, suo decreto & sententia excessum illum emptoribus lesis restitui præcipiat: Quod si authoritate iudicis illud non potuerint obtinere, ex propriis debent damnum illud reficere, cum ipsorum iniquitate & dolo illatum fuerit: Vbi vero sine vlla ipsorum culpa excessus ille accidet, sufficit curent apud iudicem damnum illud emptoribus refici. Quod si iudex iniquè agens illud renuerit præstare, iniquitati iudicis vel probationis defectui erit illud tribuendum, non tutori vel testamentario, qui in ea venditione (vt cõstituimus) nihil præstitit, vnde excessus illæ & damnum sequeretur. Admonebunt tamen ipsos emptores qui sic decepti sunt, de dãno, quod in illo pretio ab eis soluto acceperunt, vt opportuno tempore apud iudicem reclamare valeant.

Deniq; querere aliquis hic posset.

An proxeneta, vel quilibet alius cui dominus rei certum pretiũ designat, quo illa vendatur, si pluris contingat illam vendi posit tuta conscientia illum excessum sibi retinere? Huic dubitationi ita occurrit & optime D. Nauarr. cap. 23. nu. 97. & 98. Vt qui absolute nullo designato pretio aliquid ad vendendum accipit. iuxta Angel. Emptio. §. 23. nullam partem illius pretii sibi retinere posit, preter id quod tanquam iustum sui laboris stipendium prudens iudicaret, vbi dominus rei venditæ illud non redderet: nec ipse proxeneta aut quiuis alius illius rei venditor gratis se rem illam venditurum promisit. Qui enim gratis & amicè ac sine vllo stipendio rem illam vendere obtulisset, nullum posset pro tali venditione exigere aut sibi retinere stipendiũ: sicut qui gratis & ex sola liberalitate vel charitate nutrire voluit & alere suppositiũ infantulum, non potest expensas quas in eo nutriẽdo fecit à veris illius parentibus dein de exposcere: Argum. ex cap. Non sane 14. q. 5.

Sed obseruandum hic est, proxenetam qui per se ipsum rem illam sibi commissam non vendit, sed amico eiusdem muneris & officii vendendam tradit: si quidem aliquid amico illi pro suo labore contulerit, tantundem posse iustè sibi ex pretio illius rei retinere, siue gratis siue accepto stipendio illã vendere promisserit, non enim debet damno suo vtilitati domini illius rei consulere: Quod intelligi volo vbi promisio illa fraudulenta non fuerit; fraudulentã autem voco, quando dominus rei proxenetam habebat amicum, qui gratis rem illam venderet, alter vero vt sibi vel amico consuleret, gratis

tis quoq; illam vendere ore tenus promittit, habens in animo tantum pretij occulte apud se retinere, quantum loco stipendij iustum iudicabitur. Etenim cum huiusmodi promissio fraudulenta sit, & in damnum veri domini, non potest proxenetæ deceptori, & fraude illa vtenti patrocinari, sed tenetur, siue per se ipsum, siue per aliũ rem illam vendat, gratis omnino vendere, & totum integrumq; pretium quo res illa vendita fuerit, vero illius domino exhibere: ita vt si quid amico cui rem illam vendendam tradidit, pro suo labore reddendũ sit, ex proprijs debeat illud persoluere. Vbi vero sine vllo dolo rem illam gratis vendere promisit, deinde vero, vel infirmitate, vel aliquo alio impedimento interueniẽte oportuit amico illam tradere vendendã, integrum illi est ex pretio rei iustum stipendium amico illi reddere.

Quando vero proxenetę vel cuiuis alteri res aliqua vendenda committitur certo designato pretio, potest illud adhuc bifariam contingere, vel ita, vt apertis verbis vel æquiualentibus significet dominus rei se illo pretio contentum esse, adeo vt siquid vlterius reperiatur in vtilitatem proxenetæ illius pro sua industria & solicitudine cedat. Et in tali casu perspicuum est, proxenetam vel quemcunq; alium rem pluris vendentem excessum illum designati pretii tuta conscientia posse sibi retinere: retinet enim illum, vero domino illius excessus libere consentiente: Si vero nihil tale neq; apertis verbis neq; æquiualentibus, neq; expresse, vt dicũt, neq; tacite & implicite illi insinuauerit, vt cum ait dominus rei proxenetę, vel cuiuis alteri cui rẽ suam vendendam tradit, vende rem hanc quanti poteris, optarem quidem ergo tanti illam vendi, tu age quod poteris, debitum enim tibi stipendium non deerit: In hoc casu, etsi pluris illam vendat quam dominus rei significauit, nihil potest ex pretio illo proxeneta iste sibi retinere, sed totum & integrum debet domino illius rei exhibere: Vt optime D. Antonin. 3. par. tit. 8. cap. 1. §. 4. Ioan. Tabien. verb. Emptio. num. 20. & Maioris in 4. dist. 15. q. 41. docent, Cuius rei ratio est, quia dominus illius rei sicut est dominus totius illius rei, ita & totius ac integri valoris & pretii eiusdem, nec potest proxeneta vel quiuis alius partem aliquam pretii, quod pro illa repertũ fuerit vero domino detrahere, sicut nec partem ipsius rei illo inuito, inuitus autem censendus est, si quid illi detrahatur, cum nec tacite nec expresse talem facultatem proxenetæ concesserit.

Quod etiam dictum volo, vbi proxeneta rem acceptam ad vendendum in nullo sua industria pretiosiorem reddit, quia si postquam illam á domino accepit sua arte & industria magis pretiossam effecit, quam antea esset, quando illam á domino accepit, quicquid illi rei accrescit pretii propter ipsius proxenetæ artem & industriam, sibi vna cum stipendio venditionis iure potest retinere.

Controuersia Sexta.

REPERIANTVR NE PRAEter istas tres regulas iusti pretii aliquæ aliæ ad illud augendum?

HACTENVS propositę sunt regulæ quibus iusta rerum pretia continẽtur, in vẽditionibus quę communiter & passim fiunt: pręter quas solent à Doctoribus maxime à Soto lib. 6. de iustitia q. 2. ar. 3. conclu. 4. & recentioribus nonnullæ aliæ assignari, quibus rerum venalium pretia quandoq; augentur, vel minuuntur: quæ non tam sunt pretiorũ regulę, quam temporum vel rerum ipsarum accidentia quædam, ad mutandum pretium conducentia & iuuantia, quæ ad tria capita reuocari solent.

DE MVTATIONE PRETII ex abundantia, vel penuria rerum.

PRIMVM igitur solent pretia rerum mutari illarum abundantia vel inopia. Etenim cum huiusmodi pretia ex hominum æstimatione & arbitrio sumenda sint, sicut ea quæ abundant minus æstimantur, quæ vero rara sunt & minus in promptu pluris fiunt, iuxta illud commune proloquium. *Omne rarum pretiosum*; Ita quoq; vbi res abundant, solent pretia illarum minui, vbi vero deficiunt & rariores sunt augeri: vt in pretiis tritici vini & annonę singulis annis experimur; In quo pretii augmento vel decremento iuxta rerum abundantiam vel penuriam, seruatis regulis superius explicatis, nempe vt vel communi vsu fori, vel legis taxatione res vendantur, iuxta ea quæ ibi docuimus, & paulo inferius dicemus

(agentes

(agentes de vi ac efficacia huiusmodi legũ, quas pragmaticas tritici appellãt,) tuta conscientia licebit maius pretium quam antea res illæ haberent, accipere, vel minus reddere. Hac occasione & ratione efficitur (quod passim accidit in nundinis) vt augeantur pretia vbi abundant rerum emptores, minuantur vero cum primum pauci existunt qui illas emant, Etenim, vbi abundãt emptores, eo ipso res illę quia à pluribus emi curantur, minus censentur abundare, & ex consequenti iudicari debent magis pretiosæ, è contrario vbi emptores deficiunt res illę magis abundant, & ex consequenti simul vilescunt. Vnde sine vlla iniquitate & iniustitia abundantia emptorum & venditorum paucitas in caussa est, vt rei pretium augeatur, quia tunc iudicatur maior illius rei penuria & necessitas: & è contrario emptorum paucitas & venditorum abundantia eiusdem rei pretium minuit, quia tunc rei quoq; illius censetur esse maior copia & minor necessitas.

Sunt autem in his hæc maxime obseruãda. Primum vt seruetur semper (sicut modo admonebam) vsus fori vel legis taxatio, vbi pretia á lege prescripta fuerint.

Secundo vt hæc ementium vel vendentium & mercium ipsarum abundantia vel penuria, simpliciter & ex vario tantum temporis successu, minime vero ipsorum negotiantium industria & calliditate accidat. Solent enim (vt quandoq; fit) mercatores parum Deum timentes merces recludere, & inter se conuenire, ne vllus eorum quidquam illarum vendat, vt cum ea via necessario debeãt abũdare emptores, & aparere rerum illarũ penuria, pretia quoq; earũdẽ necessario augeãtur. Quod est omnino iniquũ, nec reddit ipsos tutos in conscientia, cum sit aperta fraus, & dolosum quoddam monopolii genus in graue Reipub. & boni communis damnum. Quando vero nulla interueniente ipsorum mercatorum conuentione vel fraude, sed solo temporis successu accidit illa rerum penuria, & ementium abundantia iustè pretia illarum augeri possunt: nititurq; huiusmodi augmentum Regulæ illi, quam vsum fori & arbitrium prudentũ apellauimus: Est enim ita vsu receptum & iudicio prudentum approbatum, vt raritas emptorum & abundantia mercium faciat illas vilescere, contra vero emptorum abundantia & mercium penuria reddat illas magis pretiosas.

Tertium est, vt cum duplex possit esse indigentia singularis, & communis, prior illa non reddit mercem, quę venditur, cariorem, non enim potest pauper rem aliquam vendens carius eam vendere, eo quod ipse pauper sit & indigens, nec potest venditor rei suæ pretium augere, eo quod emens illã maxime indigeat, vtilitatem enim quam ex re venali emptor recepturus est, non potest venditor in pretium ducere, vt ex conclusione quarta D. Thom. initio huius articuli posita satis constat. Vbi autem indigentia fuerit communis tali loco & tempore apud omnes vel plerosq;, illa iustè potest, sicut expositũ est, pretium augere. Qua ratione tempore belli arma cariora sunt, & equi, & alia quæ ad vsum bellicum necessaria sunt, vel vtilia:

Nec de his tantum rebus quibus ad victum necessario indigemus, quæ dicuntur necessaria simpliciter & absolute, accipienda sunt quæ hoc loco tradimus, verum etiã & de his quæ ad ornatum & decorem solent homines adhibere, quę absolute & simpliciter necessaria non sunt sed solum secũdum quid, cuiusmodi sunt, tapetes in domibus potẽtum, serica ad vestes nobilium, & ornamenta quibus fœminæ decorantur: in his enim potest quoq; illarum indigentia, vel abundantia pretium iure augere, vel minuere, sicut & in alijs quibus absolute, & omnino indigemus. De omnium namq; venalium rerum genere dixit Aristot. 5. Etico. *Indigentiam rerum esse mensuram valoris earum.*

Ad hoc primum caput pertinet illud cõmune proloquiũ. *Merces vltroneæ vilescunt.* Etenim quando venditor quærit suæ rei emptores, perinde est ac si esset illius rei abundantia, sicut quando emptores solicitè quærunt à quibus merces aliquas emant, censetur illius rei penuria: quo fit vt cum venditor emptorem inuitat, res vendenda vilescat, contra vero vbi emptor rogat venditorem, pretium illius augeatur. Ita fit vt tempore prędæ milites capta spolia vilius vendant, ne detineantur: mutaturi etiam locum (vt accidit in scholasticis volentibus ad sua redire) res suas ac supellectilem vilius quoq; vendant. Solent enim huiusmodi merces in his, & similibus euentibus vltro offerri emptoribus, & propterea vilescere.

Debet autem in huiusmodi emptionibus iuxta ea quæ paulo superius admonuimus hoc obseruari, vt diligenter animaduertatur, quis sit in eis communis vsus fo-

ri:

ri quia si res illæ multoties soleant vltronee vendi, illud erit pretium iustũ, quo frequentius in similibus euentibus venduntur vltroneę propositæ: Similiter quando è cõtrario ab ipsis emptoribus quæruntur, si multoties ita quæri soleãt, illud quoq; erit iustum ipsarum pretium, quo frequentius venduntur ita quæsitę ab emptoribus.

Quod si raro accidat ea ratione tales merces vendi, nec possit accommodari illis aliquis vsus fori, tunc iustum illarum pretium illud erit, in quo citra vllam fraudem & dolum contrahentes ipsi conueniant, iuxta ea quę diximus in tertia illa regula iusti pretii superius explicata: Quod maxime accidit in his quæ venduntur á militibus dum locum aliquem deprædantur, nam cum huiusmodi venditiones raræ sint, non potest in his communis aliquis vsus fori certo designari, sed iuxta illam tertiam regulam hæc vendenda sunt.

Ex his sequitur falsum esse quod habent Syluest. verb. Emptio §. 7. & Soto lib. 6. de iust. quæst. 3. artic. 1. posse dominum alicuius agri aut vineæ reddere minus stipendium mercenario roganti, vt ipsius operas conducat, quam reddatur aliis mercenariis eodem loco & tempore laborantibus. Rationem reddit Syluester quia cum Dominus illius vineæ tali mercenario non indigeat, sed rogatus ab ipso illum admittat, patitur aliquod detrimentum recipiendo ac conducendo illum, & eo nomine, ratione scilicet illius detrimenti posse stipendium illius minuere. Soto hanc aliam asignat, quia mercenarius rogans dominum illius vineæ vt ipsum conducat, quærit profecto emptorem sui laboris & operæ, quo fit vt labores illi & operæ talis mercenarii sint velut merces vltroneæ, quæ vt dictum est eo ipso, quo vltroneæ sunt vilescunt. Sed oppositum re uera & iustitiæ & pietati Christianę magis consonum censendum est. Poterit quidem huiusmodi dominus vineæ si alii mercenarii eodem loco & tempore sub variis stipendiis sint conducti, exhibere illi à quo rogatur infimum pretium & stipendium, cũ liceat, vt vidimus quotiescumq; eadem res varia habet iusta pretia: infimum inter illa reddere, infra latitudinem tamen illam, infra stipendiorum, quæ aliis exhibentur conducere pauperem mercenarium, eo quod roget & seipsum offerat, impium semper iudicaui & iniquum, damnatumq; à B. Iacobo. 5. cap. suę canonicæ, cum ait. *Ecce merces operariorum vestrorum quæ defraudata est a vobis clamat, & clamor eius in auribus Domini Sabbahot.*

Et probatur, inprimis, etiam si pauper aliquis rem suam vendens roget emptorẽ, vt quo voluerit pretio illam emat, sicut nõnunquam accidit in censibus, inopia dominum census vrgente, non potest tamen dities aut qui re illa non eget, eo quod rogetur infra latitudinem iusti pretii illam emere, sed pretium iustum laborum mercenarii cuiusq; quacunq; ratione conducatur, est illud quod communiter exhibetur tali loco & tempore similiter laborantibus, ergo etiam si pauper mercenarius roget, nec dominus vineæ illius operibus indigeat, nihilominus eo ipso quo vult conducere, & operas ac labores illius emere, tenetur conferre illi stipendium & pretium, quod aliis similiter laborantibus confert. Et confirmatur ex modo dictis. Quamuis enim merces vltroneę vilescant, non tamen ita, vt non sit seruandus in earum venditione cõmunis vsus fori, vbi merces illę solitę sunt aliquoties vendi & emi.

De mutatione pretii ex diuerso vendendi modo.

SECVNDVM caput vnde pretia rerum augeri vel minui possunt est diuersus vendendi modus. Huc pertinet quod res iũctim & in magna quantitate, vel minutim & diuisæ in paruas quantitates vendantur. Etenim quia in magna quantitate venditę non exigunt eos labores, industrias, & expẽsas ad eas conseruandas, & vendendas, quę experientia teste exiguntur, vbi minutim & diuisim venduntur, nec tot habent qui illas in magna quantitate expositas emant, propterea concors est Doctorum sententia, tuta conscientia carius illas vendi quando minutim venduntur, quã cũ coniunctim & in magno vt dicunt globo, qua ratione excusantur ab iniustitia Caupones & Stabularii hordeũ, paleas, & similia carius vẽdẽtes, quam ab aliis vendantur: quia solent hi per minutiores multo partes illa vendere.

Debent autem in hoc etiam vendendi genere Regulę illę superius traditæ diligenter obseruari, ita vt si stabulariis & similibus venditoribus taxatum sit pre-

tium á lege rebus ita minutim & diuiſim venditis, debeant illud omnino ſeruare: Quod ſi lex ſtatuit quidem pretium ordeo, vino, & aliis rebus in maiori quantitate & pondere venditis, minime vero dum perminutiores partes eã venduntur, pretium iuſtum erit illud, quo res illę eo modo venditæ à cæteris communiter venduntur, vel quod arbitrio prudentum omnibus recte penſatis iudicabitur iuſtum. Habet enim in his ſicut & in cæteris mercibus vſus fori, vel prudentum æſtimatio ſuam vim ad conſtituendum iuſtum pretium, vbi lex nihil præſcribit. Admonet hîc Caietanus modũ iſtum vendendi per minutiores partes non augere pretium per ſe, & tanquam pręcipuã cauſam, ſed ſolum velut concauſam quia vbi res ita venduntur, plures exiſtunt emptores, vbi vero abundantia emptorum eſt, tam arbitrio prudentum quam vſu, & conſuetudine receptum eſt, pretia iuſte augeri. Sed in diſputatione adeo morali ſuperuacaneum iudico diſputare, habeat ne hîc vendendi modus rationem cauſſę, vel concauſſæ, modo certo conſtet de iuſtitia huiuſmodi venditionis & pretii.

Offerebat ſe hîc, occaſione eorum quæ in hoc ſecundo capite docemus, grauis illa dubitatio, quo pretio vendi debeant merces illæ, quæ communiter venduntur in magna copia ad creditum, quę communiter dicuntur merces maritimę. Sed quia commodius illa explicabitur quæſt. ſeq. de vſuris artic. 2. vbi expendemus diligenter omnes illos titulos & vias, quas cupiditas mercatorum excogitauit ad augenda iuſta rerum pretia, in eum locum illam reiicimus tractandam controu. 19. illius ar. Vbi agemus de mercibus maritimis.

Poſsit ne carius vendere, qui vendit ex officio.

TERTIVM caput vnde videntur pretia rerum aliqua etiã ratione augeri poſſe propter diuerſum vendendi modum, eſt officium & munus vendendi: ita vt qui illud ſuſcipiunt, teneantur ex officio habere merces illas paratas omnibus volentibus illas emere, adeo vt poſsint etiam cõpelli à Magiſtratibus ad eas vendendas. Huiuſmodi venditores ex officio, poſſe aliquid amplius accipere pretii quam habeant communis vſus fori inter alios qui ſua ſponte ac pro libito vendunt ſimiles merces, ac ſine vlla obligatione vel debito vendendi illas, docet Ioan. Medin. Cod. de reb. reſtit. quæſt. 31. Sed ita vt ſi á lege, vel Repub. fuerit ipſis certum pretium, vel menſura, aut pondus aſsignatum, ſicut ſolet aſsignari piſtoribus, & panificis, illud diligenter ac fideliter obſeruent. Vbi vero aſsignatum non fuerit, moderatè ſe gerant, ſeruantes illud pretium, menſuram, vel põdus, quod inter alios ex ſimili officio & obligatione in eiſdem rebus, vel mercibus obſeruatur, citra vllum monopolium, vel dolum tali loco & tempore.

Quam doctrinam Medin. optimam & veram ſeruatis his, quæ adiecimus cenſeo, poteſtq; ita confirmari: Campſori qui ex officio & conſtituto á Repub. daret ciuibus pecuniam, liceret (vt videbimus infra in diſputa. de Cambiis lucrari) aliquid moderatum pro cambio ratione ſui officii, quod aliis non habentibus tale officium non liceret: quia Campſor ſic conſtitutus tenetur ex officio habere peccunias paratas, & omnibus ciuibus illas petentibus exhibere, quæ obligatio eſt vtilis Reipub. & pretio æſtimabilis. Sed venditor ex officio tenetur habere paratas illas res vel merces omnibus volentibus illas emere, poteſtq; à Repub. ad id compelli, ergo pro hac obligatione, quæ adeo neceſſaria eſt Reipub. vel ſaltim maxime vtilis, & pretio æſtimabilis, & ad quam cõplendã eget expẽſis quas nõ faciũt qui ſua ſpõte & pro libito vendunt, poterit accipere aliquid aliud, quod alii non poterunt, moderatum tamen & eo modo quo diximus.

Additur hîc à nonnullis quartum caput vnde poſsit etiam augeri rei pretium, nempe mutatio illius in melius: Quæ duobus modis poteſt accidere vel quia illa induſtria venditoris vtilior, & præſtantior effecta ſit, vel quia in alium locum, vel tempus ſeruata pluris valere cenſeatur, ſed neutra iſtarum mutationum pertinet ad hunc locum. Non prior, quia vbi res ita mutatur in melius, vt ſit reddita in ſe ipſa vtilior, & præſtantior, non augetur tunc pretium illius propter aliquem vendendi modum de quo hic egimus, ſed quia ſimpliciter, & abſolute, & à parte rei illius vtilitas & valor ex quo in omni re pretiũ ſimpliciter & abſolute penſandũ eſt, accreuit. Nec mutatio pretii, quę ratione loci

loci vel temporis accidere potest, huc pertinet, sed habet proprium locum quæst. sequen. de Vsuris. Art. 2. contro. 15. vbi videbimus, liceat ne carius vendere res in aliũ locum & tempus seruandas.

Poterit nihilominus aliquis hic dubitare: liceat ne rem omnino immutatam, in eodem loco & tempore quo vilius empta est, illam carius vendere. Videtur enim D. Chrysostom. hom. 38. in opere imperfecto in D. Matthæum illud damnare, cum dicat, *Quicumq; rem comparat, vt integram & immutatam vendendo lucretur, illæ est mercator qui de templo Dei eiicitur:* Sed his non obstantibus communis est Doctorum sententia in rebus in quibus non est impositum pretium á lege vel Repub. sed debet illud sumi ex vsu fori, cum huiusmodi pretium non consistat in indiuisibili, sed habeat eam latitudinem quam diximus, licere rem vilius emptam nempe in pretio infimo, nulla in ea facta mutatione in maiori & superiori vendere eodem loco & tempore, ita vt non excedatur ab illa latitudine iusti pretii, quia quandiu non exceditur ab ea venditio iusta est: Nec huic sententiæ repugnat testimonium istud D. Chrysostomi, qui loquitur de eo qui in venditione rei immutatatæ quærit lucrum excedendo á iusto pretio, venditq; illam carius quam latitudo iusti pretii patiatur, vt optime docet D. Tho. inferius ar. 4. huius quæst. ad primum.

Controuersia Septima.

QVA RATIONE LEGES HVmanæ *maxime seculares & ciuiles obligent subditos in foro animæ.*

EX illis pretiis rerum venialium quæ in hoc articulo proposita sunt, potissima dificultas versatur circa ea quæ á lege vel Repub. constituuntur, quæ appellata á nobis sunt pretia legalia: qua ratione seruanda sint. An ita obligent in iuditio conscientiæ, vt qui vltra taxationem pretii legalis aliquid vendiderit, committat peccatum mortale ex suo genere, teneaturque ad excessum illius preti restituendum. Quæ difficultas pendet potissime ex dificili illa quæstione & ad iudicium in rebus conscientiæ ferendum adeo necessaria, Qua ratione leges humanæ maxime Seculares & Ciuiles obligent subditos in foro animæ. Propterea duximus non esse alienum á nostro instituto illam hoc loco abunde explicare.

In hac quæstione variæ sunt tam antiquorum quam recentiorum opiniones.

Ioan. Gerson Cancella. Parisien. in tractatu de vita spirituali lect. 4. docet, nullam legem humanam nisi præcipiat illud, quod iam alias sit á iure diuino (naturalis enim iuris in hac parte non meminit) obligare in conscientia. Probatur vero hęc opinio Gersonis ab eodem & nonnullis. Primo, ex D. Augustino, qui diffinit peccatum dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei, non autem contra legem humanam: at si lex humana obligaret in conscientia, peccatum esset deffiniendum dictum factum, &c. contra quamcunq; legem.

Secundo, Si lex humana posset obligare in conscientia, transgresio illius esset peccatum mortale, & per consequẽs posset tollere gratiam, cum posset obligare ad culpam; at quemadmodum solus Deus potest conferre gratiam, iuxta illud Psalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus:* ita quoque solus Deus potest auferre gratiam, & non aliqua potestas humana.

Tertio, Cum peccato & culpa mortali respondeat poena æterna, Sicut solus Deus potest inferre hanc poenam, dicente Christo: *Timete eum qui postquam occiderit, potest mittere in Gehennam:* Ita solus Deus potest condere legem obligantem ad culpam.

Quarto alienum est á diuino iudicio, vt patiatur quis pro eadem re duplex supplicium, temporale & æternum: Naum. I. *Non iudicabit Deus bis in idipsum:* Vel vt alii legunt: *Non consurget duplex tribulatio;* At huiusmodi leges iam imponunt poenam temporalem, ergo non obligant ad culpam: nam ita imponerent etiam æternam. Et consequenter duplicem poenam.

Confirmat Gerson hæc omnia exemplo eorum, quæ præcipiunt Medici, quod in solutione horum argum. explicabimus.

Vltimo ex D. Thom. & Caietan. si quis bona fide credens præceptum ieiunii non obligare ipsum sub mortali, frangat ieiunium, non peccat mortaliter: ergo similiter credens leges istas Ciuiles non obligare in conscientia, non peccabit mortaliter, illas transgrediendo.

Hæc sententia Gersonis (licet author ipse pius sit & catholicus) apud catholicos tamen male audit. Primo quia cum solius iuris diuini ibi meminerit, videtur negare legem naturalem obligare in conscientia, quod est falsum, & aperte contra B. Paul. qui Roma. 1. Iuxta B. Ambrosium B. Chrysost. Teophil. & alios sanctos Patres in cōmento illius Epistolæ, hoc nititur ex professo ostendere, gētes licet carerēt lege Dei positiua, grauissime nihilominus peccasse; & dignos fuisse æterno suplicio; quia legem naturalem scriptam in cordibus eorū violabant.

Secundo quia Gerson negans legem humanam non obligare in conscientia; nec distinguens inter Ecclesticam & Ciuilem; videtur etiam negare Ecclesiam habere authoritatem ad condendas leges; quæ obligent in conscientia, quod est hæresis Lutærana. Vereorq; plurimum, ne forsan hęc doctrina Gersonis ansam dederit Lutæro ad ita sentiendum: Imo vt refert Castro de lege pœnali lib. 1. c. 4. Lutærus hunc errorē authoritate Gersonis nitebatur confirmare.

Almain in suo tractatu de potest. Ecclesiast. c. 12. concedit quidem Ecclesiam habere authoritatem ad condendas leges obligantes sub mortali, quia Papa est Vicarius Christi, negat tamen potestatem Ciuilem illud posse; quia iudicat solius potestatis spiritualis esse obligare in conscia, vnde quo ad leges Ciuiles conuenit cū Gersone.

D. Nauarrus in suo Manuali c. 23. habet multa ad hoc institutum pertinentia. Nam num. 48. habet leges humanas iustas tam Ecclesiasticas quām seculares posse obligare in foro animæ, cum iure diuino superioribus etiā secularibus obediendum sic ex B. Pau. ad Roma. 13. *Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit:* Hoc autem interesse inter Ecclesiasticas, & seculares, quod Ecclesiasticæ obligant sub mortali tribus modis.

Primo quando superior aperte significat se obligare sub mortali; vt cum dicitur, *arcte, vel districte præcipimus,* vt in Clementina Dudum, de sepulturis: *Vel in meritum sanctæ obedientiæ,* vt in Clementina. Si dominum. De reliquiis & vene. Sanct. *Vel in foro animæ, aut conscientiæ.* Vt in aliis multis textibus: quia hoc sermone & phrasi solent prælati ostendere animi sui esse obligare sub mort.

Secundo quādo imponunt pœnā quā nō solent inferre nisi pro mort. vt cum aliquid pręcipiunt; *sub poena excommunicationis,* siue addatur ipso iure; vel ipso facto, siue non. Quia eo ipso quo dicitur sub poena excommunicationis intelligitur maioris Cap. penult. De sententia excommunicat. quæ non infertur, nec de facto nec comminatoriē nisi pro mort. Can. Nemo. & Can. Nullus. 11. q. 3. *Vel sub obtestatione diuini iudicii,* vt in Clementina prima de immutatione Ecclesiarum, *Vel sub poena indignationis Dei & B. Apostolorum Petri & Pauli,* vt solent Summi Pont. in suis Bullis.

Addit Nauarro. Si vero proponatur sub pœna irregularitatis, vel interdicti, vel suspensionis, non statim obligare ad mortale; cum hæc sine culpa aliquando incurrantur, vt vidimus primo tom. q. 64. ar. 4. contr. 8. Sed hoc distinguendum est; nam vbi ista inhabilitas tantum sunt; verum est dictum Nauarri, quādo vero inferuntur vt censurę, & poenæ pro aliqua inobediētia, inobediētia quæ tali poena punitur, mortalis est, & quod sic præcipitur, pręcipitur sub mortali.

Tertio modo obligant leges Canonicæ sub mortali, quando continent aperte verba præceptiua: *Vt præcipimus, mandamus, obligamus,* vel prohibentia, *vt prohibemus, inhibemus, vetamus, interdicimus, &c.* Verum quidem (inquit) est, hæc verba simpliciter & secundum suam natiuam significationē illud tantum indicare, legislatorem velle illud fieri, & actū contrarium esse vitiosum: Cæterum cū possit actus vitiosus mortalis esse aut venialis; non statim obligant sub mortali; sicut nec illa verba ordinamus, cōstituimus, volumus, dicant faciant, & similia obligant statim ad mortale contra facientes, quia possunt quandoque obligare tantum sub veniali, vt docet optime Caietan. 1. 2. q. 96. artic. 4. Quin ipsæmet leges diuinæ & naturales præcipiunt etiam nonnunquam aliquid vel prohibent, nec sub mortali: vt ibidem docet Caietan. & in hac 22. q. 186. artic. 9. & in summa verbo. Præceptum, & idem Nauarrus cap. 23. nu. 52. Vt lex de non mentiendo, de non irridendo fratre, &c.

Sed quamuis hæc ita sint, ex vsu tamen Ecclesiastico, (inquit Nauarrus) & communi interpretatione ac intelligentia tam Conciliorum, quam Pontificum, quā aliorum Prælatorum, & Doctorum omnia verba præceptiua, vel prohibitiua in lege

Eccle-

Ecclesiastica & Canonica obligant sub mortali, nisi ipsamet lex aperte explicet non esse animum legislatoris in ea, obligare ad mortale, quantumuis verbo præceptiuo vel prohibitiuo vtatur: vt constat ex Clementina Exiui §. cum autem. De verborum significatione: vbi interrogatus Pontifex, an omnia quæ D. Franciscus constituit in sua Regula obligent fratres Franciscanos sub mortali? Respondet in his quibus D. Franciscus apponit verbum *præcipio*, vel æquipollens vt *teneantur*, obligari sub mortali, & subiungit: *Quia ex significatione & vi verbi præceptiui nascitur talis obligatio*. Leges autem (inquit idem Nauarrus) Ciuiles & seculares etiam si contineant talia verba præceptiua, prohibentia, constituentia, vel ordinantia aliquid; non obligant ex eo solo sub mortali, nisi legislator aperte exprimat se velle subditos in ea lege obligare sub mortali: Quia verba ista præceptiua apud Principes seculares adeo sunt in vsu, vt in omnibus rebus etiam leuissimis illis vtantur; In quacunq; enim lege vtuntur hoc sermone. *Ordenamos*, vel *queremos*, *y mandamos*. Ita colligit leges seculares in quibus legislator non exprimit aperte, se velle quoque obligare conscientiam suorum subditorum ad earum obseruationem quamcunq; poenam apponant, siue pecuniariam siue capitalem, non obligare sub mortali, & in foro interiori animæ.

Probatur hæc sententia Nauarri variis rationibus. Primo ex cap. in poenis de Reg. Iuris lib. 6. & L. Si præses ff. de poenis. Leges quæ possunt intelligi de poena maiori vel minori, intelligendæ sunt de minori, vbi res est dubia, quia tales leges cum habeant poenam sunt odiosæ, & odia sunt restringenda: sed quando in lege Ciuili legislator non exprimit se intendere obligare in conscientia subditos sub mortali, est res dubia, quomodo talis lex obliget, num sub mortali an sub veniali tantum, ergo talis lex sub veniali tantum censenda est tunc obligare.

Secundo leges diuinæ & Ecclesiasticæ etiam si contineant verbum. *Præcipimus*, *mandamus*, vel similia non obligant sub mortali, nisi ipsæmet leges illud exprimant, vel colligatur ex aliqua traditione, vel interpretatione vel Apostolorum, vel Prophetarum, vel Summorum Pontificum, aut Conciliorum, aut sanctorum Patrum vel peritorum, vt insinuant cap. Secundum dist. 16. & Clementina ad nostrum. De hæreticis: at nullus est locus Scripturæ, vel Sanctorum, nullum decretum Concilii, aut Sedis Apostolicæ, vbi constet leges Ciuiles obligare sub mortali, quando Principes non exprimunt animi sui esse ita obligare: Imo sunt viri eruditi qui contra sentiant. Nam Immola in cap. Cum contingat de Iure Iurando. Felinus in c. 1. de sponsalibus, num. 19. Caiet. in verbo Clericus, & verbo Ieiunium. Volunt nullas leges seculares in foro animæ obligare qua tales sunt, nisi violentur ex contemptu, aut cum scandalo, cur ergo dicendum est leges humanas Ciuiles obligare sub mortali? quando ipsæ nihil tale exprimunt.

Tertio nullus potest obligare ad poenam quam ipse inferre vel remittere non potest, quia hæc sunt eiusdem authoritatis, poenam autem æternam vel spiritualem solus Deus inferre, vel remittere potest authoritatiue, & soli sacerdotes ministerialiter, minime vero aliqua potestas secularis, can. Quodcunq; 24. q. 1. can. Quem poenittet de poenitentia dist. 1. Ergo nulla lex Ciuilis potest obligare ad poenam spiritualem, vel æternam, ergo neq; in foro animæ sub mortali, cum hæc idem sint.

Quarto qui duobus concurrentibus vnũ affirmat, alterũ interpretatiue negat, vt cum duæ mihi viæ occurrunt, & quæro quæ tenenda sit? dextera an sinistra? qui affirmat tenendam esse dexteram, eo ipso negat tenendam esse sinistram, vt in illo dicto Pilati: Quem vultis vobis, &c. postulando Barrabam negarunt Christum, & habetur ita in Iure l. Cum prætor ff. de Iudic. Cap. Nonne de præscriptio. Vnde esto legislator possit ad vtramq; poenam obligare tam temporariam quam æternam, cum obliget de facto in sua lege ad temporalem, eo ipso ostendit non esse animi sui obligare ad æternam, ad quam tamen obligaret, si lex illius esset seruanda in consciẽtia sub mortali.

Sequitur hanc doctrinã Nauarri Greg. de Valen. in cõmento 1. 2. D. Tho. disp. 7. q. 5. pũcto. 6. vbi proponẽs signa quibus inuestigandũ est, quãdo lex humana obliget sub mortali, quę nos inferi⁹ proponemus, adhibet deinde duo signa quibus deprehẽdi potest, in lege aliqua nõ fuisse animũ legislato-

 ris

ris obligare in illa ad culpam. Prius (inquit) est, si lex fundetur in falsa præsumptione, quod scilicet aliquid fiat iniuste. Tunc enim lex in tali præsumptione fundata, cum veritas fuerit illi præsumptioni contraria, solum (inquit) obligabit ad poenam in foro exteriori minime vero in foro animæ ad culpam. Vt docent Nauarrus cap. 17. nu. 283. & cap. 23. nu. 62. Syluester verbo lex q. 9. Et colligitur ex cap. Is qui. Et cap. tua. De sponsalibus.

Posterius (inquit) signum est, vt valde probabiliter docet Nauarro cap. 23. nume. 55. si legislator Ecclesiasticus vel ciuilis apponat legi poenam temporalem, neq; aliunde constet ex aliquo certo signo, voluisse legislatorem, per illam legem poenalem, obligare simul subditos ad illius obseruationem sub mort. tunc enim (vt ait Nauarro) possunt homines sibi persuadere, legislatorem ad illam tantum poenam temporalem voluisse eos obligare, minime vero ad aliquam spiritualem, vel æternam.

Confirmat illud Grego. Quia Henricus quoli. 3. q. 22. Angelus in verbo inobedientia §. 1. Driedo lib. 2. de libertate Christiana capit. 1. post secundam propositionem. Castro lib. 2. de lege poenali c. 9. concedunt legem humanam pure poenalem in qua nullum continetur præceptum, vel prohibitio, sed sola & nuda comminatio poenæ, non obligare nisi ad solam poenam. Idem iudicat de lege poenali quæ præter poenam præceptum etiam continet vel prohibitionem, quam solemus appelare poenalem mistam. Rationem vero reddit, quia pure poenalis, & si expresse, & ex vi verborum non contineat præceptum, implicite tamen & virtute illud continet, cum ex eodem Nauarro comminatio poenæ non fiat nisi propter culpam transgressionis alicuius præcepti.

Addit Syluestrum, Soto, Couarruuiam & cæteros qui oppositum sentiunt, illud tantum docere, & probare, legem poenalem iustam posse quidem obligare sub mortali, ita vt appositio poenæ non tollat quin illud posit, minime vero ostendere appositionem poenæ esse certum signum & indicium illam obligare ad culpam. Quæ doctrina (inquit) non repugnat sententiæ Nauarri, cum ille non neget legem poenalem posse etiam obligare ad culpam, sed solum doceat comminationem poenæ temporalis vel corporalis esse indicium, legislatorem non voluisse obligare ad aliud, quando id aliunde nõ constat, loquiturq; Nauarrus in casu dubio. Demum ait doctrinã hãc procedere, quantumlibet poena temporalis sit magna, Quod probat cum Nauarro. Quia multi Imperatores laudantur, quod propter minimum furtum aut aliquam aliam culpam non mortalem; quandoq; milites suos vel subditos vltimo affecerint supplicio. Hęc omnia Gregor. de Valent. ex D. Nauarro.

H-c opinio quod pertinet ad prius inditium & signum verum docet, nam sicut cætera superiorum mandata, quæ falsæ alicui pręsumptioni nituntur, inferiores quibus contraria veritas comperta est, non obligant in conscientia, ita nec leges quę alicui etiam falsę pręsumptioni innituntur. Secundum vero explicatione maxima indiget, nam quod ad leges Ecclesiasticas spectat, cum illę poenis spiritualibus veluti censuris, aut crimine inobedientię soleant percutere suos transgressores, quando sub mortali sunt obseruandę, si omissis huiusmodi poenis, quibus vt proprio gladio Ecclesia vti solet, solas temporales apponant, magnum profecto est argmmentum & indicium animum esse legislatoris ad illam tantum velle obligare, minime vero ad aliquam spiritualem. Quod vero ad seculares & ciuiles pertinet, nõ dubito, valde probabiliter Doctores istos Nauarrum sequutos asserere; vbi legislator poenam aliquam (modo non sit ex grauioribus) ita apponit, vt neq; explicet animi sui esse obligare sub mortali, neq; aliunde iuxta regulas quas hic trademus illud recte colligatur, nec lex ipsa talis sit, vt vel ratione materiæ, vel finis, aut aliarum circunstantiarum censenda sit obligare sub mortali, tunc reuera non obligare in foro animę ad culpam, sed in foro tantum exteriori ad poenam in ea contentam, cum accesserit iudicis condemnatio. Propterea namque asignantur á Doctoribus varię regulę, quibus deprehendamus quando leges humanę obligent ad culpam mortalem, vel venialem, quia nonnunquam vt dicemus statim, ad solam poenam obligant.

Adieci, modo pœna in lege imposita non sit ex grauioribus, quia vt statim dicemus, pœnam capitalem, bonorum præscriptionem, exilium, & similes nulla lex iusta imponit

imponit, nisi pro culpa mortali, & graui, vel secundum se, vel ex aliqua circunstantia necessaria bono communi. Nec alio nomine credendum est Imperatores, vel Principes iustè, & prudenter agentes milites suos, vel subditos vltimo affecisse supplicio, propter delicta quæ non essent mortalia, nisi quia licet secundum se, & ratione materiæ illa mortalia non essent, ex circũstantia vero aliqua plurimum nocerent bono communi, cui Princeps tenetur omnino prospicere, & quod lædens grauiter deliquit, quæcunq; sit illius delicti materia.

Henrricus Gandon. quodl. 3. q. 22. constituit duplices leges pœnales, Alias quæ aliquid præcipiunt, vel prohibent apposita aliqua pœna, vt plereq; Veteris Testamenti, & multæ tam ex iure Canonico quam Ciuili, in quibus non solum præcipitur aliquid, verũ etiam imponitur simul transgressoribus aliqua poena. Alias quę nihil pręcipiunt, vel prohibẽt, sed solũ assignãt poenã aliquid facienti vel omittenti, vt illa Exodi 22. *Si quis furatus fuerit bouem, aut ouem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boues pro vna restituet, & quatuor oues pro vna.* Vbi Deus ex vi istorũ verborũ nihil prohibet, aut pręcipit, sed tãtum assignat poenã furãti ouem aut bouem. Similes sunt multæ leges quę habentur Leuit. 20. in quibus ex vi verborum nihil in eis Deus pręcipit, aut prohibet, sed tantum assignat poenam vt adulteris, & incestuosis, & aliis delinquentibus: Similes quoque existunt in Iure Canonico & Ciuili. Vt ca. Plerũq; de dona. inter virũ & vxo. habetur vt mulier propria voluntate, aut iudicio Ecclesię ob fornicationem á viro recedẽs, nec postea reconciliata, à viro dotem repetere non possit. In cõc. Cartha. 4. & habetur cam. Sacerdote & cano. Qui die. De conse. dist. 1. dicitur: *Qui sacerdote in Ecclesia verbum faciente egressus de auditorio fuerit, vel die solemni relicto Ecclesiæ conuentu ad spectacula ierit, excommunicetur:* vbi ex vi istorum verborũ nihil pręcipitur sed tantũ assignatur poena. Similiter L. capitaliũ. §. 1. 2. & 3. ff. de poenis, propinãtibus venena, deprędãtibus in itinere latronibus, & incẽdiariis nullo proposito pręcepto, aut prohibitione assignãtur tãtũ poenę à iudicibus illis inferendę. Sunt alia innumera exempla quę affert Castro copiose lib. 5. de potestate legis poenalis c. 9.

Vnde iuxta Henrichum leges triplices sunt. Quædã pręceptiuæ tantũ, quę scilicet aliquid tantum pręcipiunt fieri vel non fieri, nulla apposita pœna: Alię poenales tãtũ, quas vocant purè poenales, quę nihil præcipiunt vel prohibent per se sumptę & ex vi verborũ, quę in illis continentur: Alię verò mistę, quas vocant poenales mistas, quæ aliquid verè & sub tenore verborũ quibus vtuntur pręcipiunt, vel prohibent, & simul apponunt pœnam luendam á transgressoribus. Leges has mistas cum aliquid vere pręcipiant, vel prohibeant, vult Gandensis nõ modo obligare ad poenam quã assignãt, verum etiam in foro animæ ad culpam mortalem, vel venialem, pro qualitate rei quę ibi pręcipitur, aut prohibetur: leges vero purè poenales, cum nihil verè in ipsis pręcipiatur, sed tãtum assignent poenam, obligare quidem ad illam poenam, non tamen ad aliquam culpam.

Hanc distinctionem legis pœnalis in purè pœnalem, & mistam iudicat inintelligibilem Mag. Soto lib. 1. de Iust. q. 6. art. 5. Syluester acrius in illam inuehitur in verbo inobedientia circa finem, vocans illam verbalem, & puerilem. D. Nauar. c. 23. num. 56. iudicat illa membra reuera non differre. Ratio eorum est, quia cum pœna, & culpa ita sint relata, vt nunquam in lege aliqua proponatur aliqua pœna, quæ verè sit pœna, & supplicium, quin necessario præsupponatur culpa, quia alioquin lex illa esset iniqua, quæcũq; lex pœnalis, siue expresse, & explicite aliquid præcipiat, siue non, eo ipso quo imponit pœnam aliquid facienti, vel omittenti, pręcipit illud, vel prohibet, estq; simul pœnalis, & præceptiua. Nihilominus hæc distinctio Gandensis probatur Angelo in verbo inobedi ẽtia. §. 1. Castro loco citato, Thomæ á Mercato in suo opusculo de contractibus lib. 3. cap. 10. & multis viris peritis. Quãuis enim vt dicemus omnis lex pœnalis præsupponat culpam, non tamen est necesse, vt omnis lex pœnalis secundum se sumpta aliquid præcipiat, vel prohibeat, cur enim euenire non potest, vt quando quædam aliis legibus præcepta sunt, & sine illa pœna, idem legislator, vel eius successores alias deinde leges instituant, quæ nihil de nouo præcipiant, vel prohibeant, sed constituant tantum pœnas transgressoribus illarum legum præcedentium? Vt in exemplis propositis est videre, in quibus ex tenore, & verbis illarum legum nihil præcipitur, sed tãtum assignatur pœna, quæ leges purè pœnales tantum sunt.

Communis autem DD. sententia est

leges, & præcepta superiorum modo iniusta non sint, obligare in foro animæ ad culpam mortalem, vel venialem, pro qualitate rei quæ lege illa præcipitur, vel prohibetur, & aliis circunstantiis quas statim adducemus. Ita D. Thom. 1. 2. q. 96. art. 4. Vbi licet non agat in particulari de lege pœnali, vel de legibus taxantibus pretia, habet tamen in vniuersum qualecunq; leges humanas modo iustæ sint, obligare in foro conscientiæ, nec ab eo discedit ibi Caietanus, eandē doctrinam proponit idē D. Tho. de lege Ecclesiastica infra quæst. 147. art. 3. ad 2. & de Ciuili q. 96. art. 6. Idem docet, & apertius de omni lege humana iusta qua aliquid præcipitur vel prohibetur, siue pœnam habeat appositam, siue non, ex nostris Syluester in verbo lex num. 8. vbi adducit Archidiaconum, & Angelum dicentes in hæc verba. *Leges Imperiales iustæ obseruationis necessitatem imponunt, etiam in foro conscientiæ.* Et in verbo præceptum habet num. 2. *Omnes leges habentes verba quibus aliquid præcipitur, vel prohibetur, obligare in conscientia sub mortali ex genere suo*: Itbest nisi ex leuitate materiæ prudenter iudicetur esse veniale, vbi addit non modo hæc verba, præcipio, iubeo, interdico, & similia verumetiam verbum debet & similia esse præceptiua, & obligare in foro animæ. Alphonsus de Castro lib. 1. de lege pœnali. cap. 4. 9. & 12. omnibus his locis docet quascunq; leges humanas iustas obligare in conscientia. Soto lib. 1. de Iust. q. 6. art. 4. 5. & 6. & lib. 6. q. 2. art. 3. Medina de rebus Restituen. q. 13. vbi agit de Gabellis, & Vectig. & q. 36. vbi agit de pracmatica tritici. Thomas Mercatus De contractibus lib. 2. c. 6. & 7. & lib. 3. c. 7. 8. 9. & 10. Idemq; docuere Mag. Victoria Cano, & Mantius in lectura huius art. Ex Iurisperitis præter Archidiaconum, & Angelum quos citat Syluester loco citato Panorm. In cap. Quia pleriq; num. 7. de immunit. Ecclesia. habet, leges humanas etiā ciuiles obligare in cōscientia, quando legi naturali, vel diuinæ non contradicunt, sed illis consonæ sunt, vel saltim Ecclesiasticis non aduersantur, nec continent manifestam iniustitiam, proponitq; hanc doctrinam ibi Panormit. vt communem, & ex mente omnium DD. sui temporis. Innoc. quoque in eodem cap. Quia plerique, & in c. Sicut dignum de homicidio. Federicus, & Ioannes Calderinus in prologo Decretalium, & Ioannes An-

dreas in c. Quanquam de vsuris, vbi adducunt vndecim causas propter quas lex potest esse iniusta, & inualida, docentq; supposito legem esse iustam, & nullum defectum continentem, propter quem iniqua, & inualida debeat censeri, obligari in conscientia, nec distinguūt inter pœnalem aut præceptiuam, sed loquuntur eodem omnino modo de omnibus.

Hæc opinio communis nititur variis locis sacræ scripturæ, maxime D. Pauli & Sanctorum Patrum in quibus habetur aperte, teneri subditos ad obediendum suis superioribus, non modo Ecclesiasticis, verumetiam secularibus, si iusta præcipiant, etiam in foro animæ, ex quo infertur aperte transgredientes leges seculares iustas, si res sit grauis peccare mortaliter, si leues venialiter.

Vt in re adeo graui & tam controuersa inter DD. optime procedamus. Obseruamus. Primo inter catholicos certissimum, esse & de fide, reperiri in Ecclesia authoritatem spiritualem ad condendas leges ad bonum commune eiusdem Ecclesiæ & cōponendos fidelium mores, quæ obligare valeāt in foro animæ sub mortali: hanc enim obedientiam illis deberi vtriusq; testamenti testimoniis abunde constat, quorum nonnulla hic attingemus, nam omnia recensere immensum opus esset: maxime cum hæc disputatio non sit propria huius loci.

In primis ergo nulli dubium est Sacerdotium Euāgelicum multo præstantius esse & maioris dignitatis, quam fuerit illud Aaronis in veteri lege, vt copiose B. Paulus in Epistola ad Hebræos docet, at qui in lege veteri inobediens erat Sacerdotis præceptis & imperio, plectendus erat pœna mortis, quæ omnium Theologorū consensu, neq; in Veteri Testamento, neq; in Repub. aliqua bene instituta nunquam fuit iniuncta nisi pro aliquo peccato mortali & graui. Erit ergo similiter in lege Euāgelica præceptis & legibus prælatorū in rebus grauibus sub mortali obediendū, maxime quādo verba, & pœnæ, alięq; circūstātiæ eiusdem legis, iuxta ea quæ infra videbimus illud aperte significabunt. Vis huius rationis apertissima est, Minor vero habetur aperte Deut. 17. vbi ita dicitur: *Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel.*

Secundo

Secundo Matt. 18. *Qui Ecclesiam*, id est prælatorum mandata, *Non audierit præcipitur à Christo haberi tanquam Ethnicus & Publicanus* Lucæ. 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit; & qui me spernit, spernit eum qui misit me*, cui alludens D Pau. 1. ad Thesa. 4. post multa illis proposita præcepta subiungit, *Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit sed Deum, qui etiam dedit Spiritum sanctum suum in nobis*. Et Epist. 2. ad eosdem c. 3. ait, *Si quis non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate & ne commisceamini illi*. Et ad Colos. 3. *Obedite præpositis vestris sicut Domino*.

Tertio Ioan. 20. cum propagationem Euangelii & Ecclesiæ gubernationem suis discipulis Christus commendaret, sic illos est alloquutus: *Pax vobis, sicut misit me Pater & ego mitto vos*: quem locum D. Chrys. sic interpretatur: *Suum eis reliquit ministerium*: & Theophil. *Opus meum suscipite*: Vnde perpetuo catholici verba ista Christi sic intellexerunt, vt reliquerit Dominus Apostolis & eorum successoribus suum locum, & vices, ac vt sua fungerentur authoritate in Regno suo & Repub. Christiana gubernanda: at Christus missus est à patre cum potestate, non solum prædicandi, & docendi, verum etiam præcipiendi, & iudicandi, ergo & Apostoli & illorum successores. Cui innixus dicebat Pau. Corinth. 11. *Cætera cum venero disponam*. Est ergo in Ecclesia penes illius Pontifices & Prælatos authoritas præcipiendi, & condendi leges, quibus fideles omnes in conscientia parere teneantur. Hac vtentes Apostoli Actorum 10. cum esset Antiochiæ exorta maxima dubitatio, essent ne simul cum Euangelio obseruandæ ceremoniæ veteris legis, Apostoli Hierosolymis congregati constituerunt: *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris, nisi hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorũ, à suffocato, & sanguine, &c.* vbi D. Chrysost. *Hic Apostoli nouam legem condunt, nam de suffocato & sanguine nil præcepit Christus*, neque sunt hæc iure naturæ bona vel mala.

Nec sunt hoc loco audiendi Caluinus & Sectarij, asserentes Apostolos hæc præcepisse Christianis, ne comedentes ex suffocato vel sanguine scandalum aliis afferrent, & eo nomine legem illam vim habuisse, non quasi ab Apostolis conditam, sed quia iure naturali & diuino tenemur vitare omnia quæ fratribus nostris scandalo esse possunt.

Est enim hæc explicatio, & textui, & communi sanctorum Patrum intelligentiæ maxime repugnans, cum Apostoli simpliciter & absolute illud præcipiant, nulla facta mentione scãdali, cuius certe meminissent, si eo tantum nomine fuissent illa vitanda, & non propter vim legis Apostolicæ: cõstat autem ex eodem contextu, propter authoritatem præcepti Apostolici illa fuisse obseruata: In fine enim eiusdem capitis habetur de B. Paulo. *Pertransiens ciuitates præcipiebat eis custodire præcepta Apostolorum, & seniorum*: Et cap. 16. *Tradebant eis custodire dogmata, quæ decreta erant ab Apostolis, & senioribus, qui erant in Hierusalem*: Vbi perpetuo sub hoc nomine proponebãtur, sub nomine præceptorum & legum quas constituerant Apostoli & seniores, non sub titulo vitandi scandala, & eodem omnino nomine obseruabantur in primitiua Ecclesia, vt præcepta & leges Apostolicæ, vt docent Tertulian. in Appollogetico cap. 9. Origenes lib. 8. contra Celsum, Cyrillus Cathechesi 4. D. Augustinus Epistola 154. quę est ad Publicolam.

Quarto Apostolus 1. Timo. 3. legem statuit ne bigami ordinentur, quod certe nullo iure naturali aut diuino prohibitũ erat, legem vero illam Pauli cum positiua tantum sit, & Ecclesiastica, obligare in conscientia patet, tum ex vsu Ecclesiæ, quę nunquam ausa est bigamos ordinare: tum ex Concilio Carthagin. 4. cano. 69. vbi Episcopus, qui scienter bigamum ordinauerit, priuatur authoritate ordinandi in posterum, qua poena adeo graui non puniretur, nisi lex illa in conscientia & sub mortali obligaret.

Neq; authoritatem hanc in his tantum habent, ad quæ iam aliás iure aliquo diuino vel naturali tenebamur, sed in his etiã, quæ cum vel indifferentia sint secundum se, vel saltim non pręcepta, videntes prælati Ecclesiæ ad bonos mores & vtilitatem spiritualem populi Christiani plurimum facere, sua lege illa pręcipiunt.

Hęc fuit semper omnium fidelium consensio; hęc sanctorum Patrum doctrina: Clementis Romani Episto. 1. decretali in primo tom. Concil. Hieronym. in Epist. ad Marcellam de erroribus Montani. Chrysosto. homi. 2. in Genesim, & 6. ad populum Antiochenum. D. Augustin. in Psal. 70. & cæterorũ omnium. Quæ exemplo peculiaris alicuius legis Ecclesiasticę cõfirmare Possumus. Ieiunia enim Ecclesiæ

nullo iure naturali aut diuino præscribuntur, eo tamen ipso quo ab Apostolis & Ecclesia præcepta sunt, obligant sub mortali; vt D. Augustinus sermone 62. de tempore. Ambrosius sermone 25. Leo primus sermone 3. de ieiunio decimi mensis. Basilius oratione 2. de ieiunio. Et pleriq; sanctorum Patrum apertissime docent. Quo nomine D. Epiphanius hæresi 75. & D. Augustinus hæresi 63. Aerium existimantem ieiunia Ecclesiæ non obligare iustos, iuxta illud Pauli, *iusto non est lex posita*: hæresis dānant, Quia leges Ecclesię authoritate á Deo & Christo seruatore accepta conditæ obligant omnes fideles sub mortali, vel veniali, pro vt Prelati ipsi pro rei grauitate & necessitate constituerint.

Deniq; in Ecclesia catholica hanc authoritatem reperiri à Christo seruatore nostro illi relictam, est definitio eiusdem Ecclesiæ, cui absq; hæresi nullus aduersari potest. Sic enim est definitum in Concilio Calcedon. Actio. 15. quod est vnum ex illis quatuor, quę D. Gregorius affirmabat se venerari tanquam sancta quatuor Euangelia. In Concilio Romano sub Hilario. 1. Cano. 1. & á B. Damaso in celebri illo canone Violatores. 25. q. 1. In 6. Synodo Generali Actio. 4. & in octaua Synodo actio. 1. In Conc. Tolet. 3. Cano. 1. Et deinde in Concilio Viennensi vt refertur in Clementina. Ad nostrum de hęreticis. In Constantiensi sub Martino 5. Ses. 8. In Florentino sub Eugenio 4. in vnione Armenorum. Demum nostro seculo à Leone 10. in Bulla contra Luterum quæ incipit: Exurge Domine iudica caussam tuam, &c. & in Conc. Trid. Ses. 8. cano. 20. Qui plura desiderat legat Alphōsum de Castro lib. 1. de lege poenali c. 4. Soto lib. 1. de iustitia q. 6. ar. 4. Belarmin. tom. 1. contro. 3. lib. 4. c. 6. & sequē. Gregorium de Valen. in 1. 2. D. Tho. disp. 7. q. 5. puncto. 2. & in suis controuersiis in li. de potestate legis humanę cap. 2. & alios recentiores qui hac nostra tempestate scripserunt eruditissime contra Luterum, Caluinum, Kemnisium & alia portenta hereticorum nostri temporis. Sed dicta in hac parte sufficiant, vt intelligamus leges Ecclesię obligare in conscientia & sub mortali, non solum illis tribus modis adductis ab Aspilqueta, verum etiam cum materia grauis est, iuxta ea quę statim subiiciemus.

Obseruemus secundo non esse hic quęstionem. An leges humanę obligent cum

discrimine vitę, esto obligēt in conscientia. Quidquid enim Caietanus asserat 1. 2. q. 98. arti. 4. nisi materia circa quam lex humana versatur, aliás ex se postulet, vt pro illa vita exponatur, non tenemur leges humanas cum discrimine vitę obseruare. Etenim si lex precipiat aliquid pertinens ad bonum commune, propter quod debeat vita exponi, aut pertinens ad religionem vel fidem, pro quibus etiam vita exponenda sit, exponenda tunc quidem est pro bono illo communi, vel religione, aut fide, nō tamen, quia leges humanę, vt tales obligent cum discrimine vitę, vt optime Syluester verbo metus nu. 7. Soto lib. 1. de Iust. q. 6, ar. 6. & communiter DD. docent.

Vnde quod dicitur in cap. Sacris. De his quę vi metus ve caussa fiunt, communicantem cum excommunicato peccare mortal. etiam si ex graui metu cum illo communicet, & incurrere excommunicationem, quia propter nullum metum est peccatum mortale committendum. Interpretatur & recte Sylu. loco citato, de excōmunicatione, quę sit scandalosa, aut de communicante in eodem crimine & delicto, propter quod alter excommunicatus est, Etenim cum vitare scandalum sit Iuris naturalis & diuini, abstinere etiam à peccato mortali omni iure teneamur, propterea ob nullum metum est communicandum cum excommunicato, vbi scandalum est, neq; cōmunicandum cū illo in eodē delicto, cū sint hęc cōtra ius naturale & diuinum. Vnde tenemur legem istam Ecclesię & cum discrimine vitę in huiusmodi euentibus obseruare, non ratione legis humanę Ecclesiasticę, sed quia prohibet lex ista sub censura, ea quę iam naturali & diuino iure erant omnino prohibita. Eadem ratione quod nec ob periculum vitę liceat contrahere in gradu ab Ecclesia prohibito, nō ex eo prouenit, quod lex Ecclesię cum discrimine vitę sit seruanda, sed quia iure naturali & diuino matrimonium non est, nisi inter eos qui habiles sunt ad contrahendum, adeò vt si sine dispensatione contraherent, in fornicatione existerent, vel adulterio, non in matrimonio.

Obseruemus tertio leges ciuiles imponētes transgressoribus poenam capitis omniū DD. consensu obligare, eo ipso quo talem poenam continent, sub mortali. Nec aliquis est qui oppositum doceat preter Aspilquetā, quem nullus in hac parte sequitur preter Gregorium de Valen. vt paulo ante retulimus.

mus. Probatur hæc communis sententia apertissime. Primo, quia iure naturali, & diuino Deut. 25. *Iuxta mensuram delicti debet esse, & plagarum modus.* Pœna autem, & plaga omnium grauissima quā potestas secularis inferre potest, est mors: hanc ergo si iuste lex inferat, necessario debet inferre nō pro culpa leui, & veniali, sed pro mortali & grauissima, aliter esset iniusta talis lex, & aperte repugnans rectę rationi, & iuri naturali ac diuino.

Secundo, eo ipso quo legislator talem pœnam imponit, explicite indicat se velle obligare subditum illa lege, quantum ipse potest, & secundum omnem, & totam authoritatem quam habet, fatentur autem DD. omnes & inter eos ipsemet Gregorius leges humanas iustas obligare in conscientia sub mortali, quantum est ex genere suo, quibus lex naturalis & diuina dictant esse obtemperandum, additq; sed lex naturalis & diuina hoc non dictant de omnibus legibus humanis, sed de illis solum, quę á tota legislatoris authoritate proficiscuntur, eaq; nituntur: id est quæ obligant quantum possunt, vbi vero pœna capitis aut alia grauissima imponitur, vti Principes seculares tota sua authoritate docuit Christus, cum de illis dixerit ad id tantum omnem potestatem illorum se extendere, vt occidant corpus. Vbi ergo huiusmodi pœnas imponunt, obligant sub mortali.

Tertio. Ex eodem Nauarro & omnibus Doctoribus, vna ex causis ob quas excommunicatio maior non potest ferri, nisi pro mortali, & eo ipso quo fertur, indicat in obedietiam pro qua fertur esse mortalem, est, quia excommunicatio est pœna grauissima, & maximum supplicium, quo potest Ecclesia rebellem afficere, ac vt dicunt vltimus gladius, vel vltima arma Ecclesiæ: sed maximum supplicium, & grauissima pœna, vltimusq; gladius potestatis secularis est poena capitis, ergo quando hęc infertur lege iusta, lex illa sub Mort. obligat. Conf. ex D. August. qui lib. 21. de Ciuitate Dei c. 1. ait. *Quod est de hac ciuitate terrena, & mortali, homines supplicio primæ mortis corporalis auferre: hoc est de illa ciuitate immortali, & cœlesti homines supplicio secundæ mortis idest æternæ, & spiritualis tollere:* Sed hęc mors nō infertur à Deo nisi pro culpa mortali, ergo neque ista corporis, lege iusta inferretur ab homine, nisi pro culpa etiam mortali.

Quarto. Deus ipse qui Dominus est vi-

tę & mortis, in veteri lege in qua variæ sunt leges imponentes poenam capitis, nūquam illam imponit, nisi pro culpa mortali, adeo, vt sit optima hæc consequentia in Veteri Testamento, huic delicto imponitur â Deo poena capitis, ergo est mortale, vt docent copiose Scotus in 4. d. 1. q. 6. & Castro loc. citat. c. 8. constantq; aperte legentibus illas leges, maxime Exodi 22. Leuit. 20. Deut. 19. Ergo multo minus potestas secularis, quæ vt vidimus non habet dominium vitæ suorum ciuium, poterit eos lege iusta poena capitis punire, nisi pro culpa grauissima, & mortali.

Deniq; Paul. Rom. 1. Gentilium peccata eo nomine grauiter reprehendit, quod ea passim, & turpirer perpetrarent, quæ rectæ rationi, & legi naturali aduersabantur, & quæ morte ac vltimo supplicio digna erant: & in vtroq; grauem fuisse eorū coecitatem, & ignorantiam, quod traditi in poenam suorum scelerum in reprobum sensum, grauissima crimina commiserint putantes se in illis non delinquere, & insuper non intellexerint. *Talia agentes dignos esse morte.* Ex quo sequitur perpetuū exilium, confiscationem bonorum, triremes, infamiam, & alias grauissimas poenas etiam peccuniarias, in aliqua lege appositas, eo ipso ostendere transgresionem illarum legum non esse venialem tantum, sed mortalem: quia tales etiam poenas sine vlla culpa, aut pro leui inferre non esset prudentis & iusti legislatoris, cum iure naturali & diuino. *Secundum mensuram delicti debeat esse & plagarū modus.* Quę omnia accurate, & erudite expendens Belarminus to. 5. Controuersia 5. lib. 3. c. 11. ait. *Quomodo igitur possunt Principes damnare ad mortem, eos qui leges suas præuaricantur. Si illi nihil peccauerunt? si culpam in conscientia non contraxerūt?*

Obseruemus vltimo ex D. Thom. infra q. 108. art. 4. poenam quæ propriè poena est, & supplicium, ac vindicta, & culpam, adeo esse ad inuicem & interse relata, vt nullomodo habeat locum poena, & punitio, vbi non existit culpa: ita vt sit poena proprius ipsius culpæ effectus: Rationemq; optimam reddit, quoniā poenę proprium est reparare iustitię æqualitatem, ita vt qui peccando nimis suæ volūtati indulsit poenam nolens patiatur.

Conueniunt in hac parte, non solū omnes discipuli D. Thom. & cōmunis Theologorum schola, verumetiam, & ipse Gerson lib. cit. lec. 1. vbi ait. *Pœnam & culpam*

pam

pam sicut punitionem & peccatum dici correlatiue. Faceturq; ipsemet D. Nauarrus loco citato communiter ita rem habere. Estq; expressa D. Augustini sententia lib. 1. Retrac.c.9. vbi ait: *Omnis pœna si iusta est, peccati pœna est, & supplicium nominatur; si autem iniusta, & pœna, iniusto aliquo dominante homine imposita est.* Et concludit. *Relinquitur ergo vt hæc pœna iusta de damnatione hominis veniat.* Et lib. 4. de ciuit.dei c. 3. *Iustis* inquit, *quidquid malorum ab iniquis irrogatur, non est pœna, quia non est pœna criminis, sed virtutis examen.* Multisq; locis maxime Epistola 105. *Docet Deum ipsum fore iniustũ si quemquam damnaret innoxium.*

Qua de caussa ex communi DD.sententia irregularitas quæ contrahitur sine culpa, ex sola indecẽtia, vt in iudice, qui iuste reum condemnauit, & in bigamo, non est dicenda pœna, sed inhabilitas tantum. Estq; hoc adeò, verum vt sit iam velut axioma inter Theologos celebris illa D. Augustini sententia: *Deus non prius est vltor quam aliquis sit peccator.*

Ex quo sequitur, leges etiam purè pœnales, si grauem pœnam imponant, interpretatiuè præsuponere culpam. Possunt quidẽ ita se habere, vt nihil præcipiant, vel prohibeant ex vi verborum, quo fiet vt similiter ex vi verborum expresse & explicite non obligent ad culpam: at eo ipso quo pœnam grauem aliquid facienti vel omittenti imponunt, innuunt aperte, culpam esse illud facere vel omittere. Vt optime docent Syluest. in verbo Inobedientia, circa finem, & Soto lib. 1.de iustitia q.7.art.5.

Probaturq; ratione Syluestri. Nullus iuste apponit pœnam aliquid facienti vel omittenti, nisi quia ita vult illud fieri aut omitti, vt oppositum agens male agat, & culpam incurrat, aliter enim inique pœnam illam imponeret, cum hæc sint relata necessario culpa & poena, ergo lex purè poenalis, etiam si nihil aliud habeat, quam imponere poenam aliquid facienti vel omittenti, eo ipso tacitè & implicitè affirmat illud facere vel omittere culpam esse. Sic enim ratio Syluestri proponenda est, & habet maximam vim. Quod dico propter Alphonsum de Castro, qui lib.1.de lege poenali cap. 9. hoc argumentum Syluestri sic proponit. Nullus apponit poenam statuto, nisi quia vult aliquid fieri vel omitti, ergo sic volendo obligat ad aliquid faciendum vel omittendum, vnde sequitur, vt illud faciens vel omittens peccet, & culpam committat. Quam rationem sic propositã impugnat Castro vt debilem, nec bene inferentem, quia quę Deus in Euangelio, & multi prælati in suis constitutionibus proponunt, vt concilia, volunt quidem illa fieri, aliter non illa consulerent, vt Pau. qui cũ de virginitate consilium dedisset, ait deinde velle omnes sicut ipsum esse, id est virginem, at ommittens consilia non peccat, nec culpam aliquam vel venialem committit. Vnde infert Castro Syluestrum nõ intellexisse Henricum, cum hic tantum asserat leges pure poenales ex vi verborum non inducere culpam, sed ex intentione tãtum legislatoris posse aliquando obligare ad eam, aliquando vero non.

Sed pace quod dixerim huius authoris alioquin eruditissimi: quamuis Syluester non sit probandus in eo, quod distinctionẽ illam Henrici in legem poenalem mistam, & purè poenalem irrideat, nihilominus negandum non est legem etiam pure poenalem, eo ipso quo poenam imponit, insinuare culpam, & ad eam implicitè & interpretatiuè obligare, & rationem Syluestri cum procedat de lege poenali, attenta materia circa quam versatur, necessario concludere si recte intelligatur, & proponatur: Proponenda enim est eo modo quo à nobis est hic proposita, vt nullus apponat poenam statuto, nisi quia id quod præcipit vel prohibet tali statuto poenali, sic præcipiat vel prohibeat, vt oppositum iudicet malum: quia aliter lex illa vel statutum iniquum esset, cum punirent immunem ab omni culpa, quo modo ratione Syluestri intellecta, sicut intelligenda est, imbecille est argumẽtum Castri contra Syluestrum. Quia quæ Deus vel Paulus vel aliqui prælati proponunt vt consilia, sub nulla poena proponũt, & ita, licet ea fieri velint, non tamẽ pręcipiunt: at quando legislator apponit poenam, cum poena & culpa sint relata eo modo quo diximus, iniquus profecto esset legislator, qui assignaret poenam vbi nulla esset culpa. Quamuis possit legislator nõ habere animum obligandi ad culpam mortalem, illudq; exprimere, vt in constitutionibus multarum religionum videmus. Quo casu, lex in qua legislator ita suam mentem exprimit, non obligabit ad mortale, licet ad aliquam culpam saltim venialem, quia omnis lex quę poenam imponit, eo ipso obligat ad aliquam culpam.

Quod nec Henricus negauit, quin potius ostendit hac efficaci ratione, quam eiusdem

eiuſdem verbis proponam ſic enim habet: *In omni ſtatuto poenali principalis intentio ſtatuentis non atendit ad poenam, hoc enim tyrannidis eſſet & crudelitatis, ſed atendit ad alicuius operis virtutis obſeruantiam: ad quam vt legi ſubiectos fortius aſtringat, poenam adiungit. Tranſgredi autem opus virtutis vel legis obſeruantiam, quam in ſtatuto quoque poenali legislator præcipue intendit, & cui poenam ipſam ſecundaria intentione annectit, non poteſt eſſe quin culpabile ſit. Dicendum eſt igitur, quod non eſt aliquod ſtatutum poenale, quin etiam aliquo modo tranſgreſſores obliget ad culpam:* Ex quo loco patet aperte, Henricum, licet doceat quod verum eſt; leges purè poenales ex vi verborum non obligare ad culpam expreſſè & explicitè, docere nihilominus ipſum implicitè & interpretatiuè, eo ipſo quò aſsignant poenam aliquid facienti vel omittenti, inſinuare ipſas illud facere vel omitere culpam eſſe. Vnde licet leges poenales miſtæ & puræ poenales in eo differant, quod illæ explicitè contineant præceptum ad quod obligant ſub culpa, & poenam à tranſgreſſore luendā, purè autem poenales explicite & ex vi verborum tantum aſsignent poenam; conueniunt tamen omnes in eo, quod illam poenam neceſſario aſsignant pro aliqua culpa; aliter reuera eſſent iniuſtæ. In quo ſenſu accipiendum etiam eſt quod, ait Caſtro loco citato lib. 1. cap. 9. legem purè poenalem non obligare ad culpam, intelligendum eſt expreſſè & ex vi verborum; quia ſi intelligat nec præſuponere nec inſinuare culpam, audiendus non eſt, vt ex dictis patet, nec habent vim illius argumenta in tali ſenſu, vt legenti patebit.

His poſitis ſit prima Concluſio. *Error profecto eſt negare reperiri in Repub. Ciuili authoritatem qua poſsit condere leges, quæ obligent in foro conſcientiæ.*

Probat illud D. Tho. 1. 2. q. 96. artic. 1. & 5. Quia cum vis legis humanæ proficiſcatur ab authoritate humana, illiusq; ſit velut organum quoddam & inſtrumentum ad gubernandum, ſicut authoritati humanæ iuſta & honeſta præcipienti tenentur ſubditi in foro animæ obedire; iuxta illud Paul. Roman. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit;* ita quoque habet authoritas humana facultatem & vim, ad condendas leges honeſtas & iuſtas, quę ſubditos obligent in foro animę. Quod apertiſsime docuit B. Paul. ad Titū. 3. *Admone illos Principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire.*

Secundo. Quod lex naturalis & diuina quin & æterna dictant eſſe faciendum, hoc neceſſario eſt in conſcientia faciendum; ita vt ſi res fuerit grauis, obliget etiam ex ſuo genere ſub mortali, ſed quando lex Ciuilis honeſta eſt & iuſta; reſpiciensq; bonum commune, (cuiuſmodi leges poſſunt à Principibus ferri, cum illis incumbat bono ſuæ Reipub. proſpicere:) lex naturalis & diuina atq; æterna dictant huiuſmodi legibus eſſe parendum. Eſt ergo, in Principibus & Republic. Ciuili authoritas ad condendas leges quæ in conſcientia obligent ſubditos. Quod vero tam à poteſtate Ciuili quam Eccleſiaſtica poſsit confici lex quæ tam ex parte legislatoris, quam ex parte materiæ, formæ, & finis & aliarum conditionum quæ requiruntur ad iuſtam legem, iuſta ſit, honeſta, & bono communi maxime neceſſaria, docent illud euidenter D. Tho. loc. cit. ar. 4. & experientia ipſa in omnibus legibus tam Eccleſiaſticis quam Ciuilibus, quas fideles & periti iuſtas cenſent. Quod autem lex naturalis diuina & æterna dictent iuſtæ legi ſuperioris eſſe obtemperandum, facile etiam probatur: Nam quod ad naturalem atinet; principium eſt lumine naturali per ſe notum: *Parendum eſſe præcepto ſuperioris:* Id enim eſt ſuperiorem habere authoritatem in alios. Quod ad diuinam ſpectat docent verba illa ſæpe citata Prouerb. 8. *Per me Reges regnant, per me Principes Imperant, & legum conditores iuſta decernunt.* Quod ius diuinum explicarunt abunde B. Pau. Rom. 13. dicens. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non enim eſt poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt. Itaq; qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt;* & B. Petrus 1. Epiſto. cap. 2. *Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter dominū, ſiue regi quaſi præcellenti: ſiue ducibus, tanquam ab eo miſsis ad vindictam malefactorū, laudem vero bonorum: quia ſic eſt voluntas Dei.* Et Secunda Epiſtola c. 2. referens perditiſsimos homines à Deo reſeruatos in diē iudicii cruciandos, inter alia mala eorum hoc etiam illis tribuit. B. Petrus. *Vt dominationem contemnant.* Id eſt poteſtatem humanam, ſiue Eccleſiaſticā, ſiue ſecularē. De quibus etiā dixit B. Iudas. *Dominationē autē ſpernunt, maieſtatem autem blaſphemant.*

Fuerunt

Fuerunt enim tempore Apostolorum, qui pretextu libertatis Christianæ (sicut modo luterani) docuerunt superioribus, & magistratibus, ac eorum legibus non esse à Christianis obediendum. Referunt enim D. Hiero. in commentario ad tit. 3. & Clemens Alexandrinus lib. 3. stromatum quẽdam Iudæũ (& tempote ipsius Christi) suadere voluisse hunc errorem, quem ab aliis deinde pseudoapostolis receptum, tanto verborum ac sententiarũ pondere refellunt Beatissimi Apostoli Petrus, & Paulus, atq; Iudas, locis citatis.

3. Sicut Reip. Ecclesiasticæ Deus tribuit omnia necessaria in ordine ad suum finem, ita & ciuili, quia defuisset alioquin diuina prouidentia hominibus in necessariis, vnde sicut in Ecclesiastica est potestas ad se ipsam gubernandam, & constituendas leges iustas & necessarias fini spirituali, præter eas quas Christus instituit in Euangelio, pro varietate locorum, & temporum: similiter Resp. ciuilis habet potestatem se ipsam recte gubernandi, & constituendi leges iustas, & necessarias paci, & tranquilitati ipsius, præter eas quas ius naturale aut diuinum proponunt, pro vt prudentia dictauerit pro varietate temporum, & locorum, esset autem potestas hæc inutilis profecto, & nulla, nisi subditi tenerentur in conscientia iustis legibus Principum, & Magistratum obedire, ergo potest Resp. in ordine ad bonum commune, & suum finẽ, condere leges ciuiles quæ obligent subditos in conscientia, aliter neganda esset profecto perfectio, & sufficientia diuinæ prouidentię circa res humanas.

4. Ex Arist. 5. Ethi. c. 7. ius ciuile circa illa potissime versatur, quę non sunt á iure naturali, vel diuino, sed sunt indifferentia, possuntq; bene, vel male fieri, propter quod dixit: *Iustum legale antequam sit per legem statutum, parum referre.* idest indifferens esse. *At postquam lege statutum est, multum referre.* an fiat. Quæ verba explicans. D. Thom. supra q. 60. art. 5. ait. *Ius positiuum locum habet, vbi quantum ad ius naturale nihil differt vtrum sic vel aliter fiat.* Vnde ex Arist. & D. Tho. circa indifferentia, circa quę ius naturale, aut diuinum nihil disponit, cum possint illa pro varietate tẽporum, vel prouinciarum bene, aut male fieri, habet locum ius humanum constituẽdi leges, quibus in ordine ad bonum commune præcipiatur, quid fieri debeat, vel non fieri, hoc autem ius nullum esset, si ea tantum possent leges humanæ pręcipere, quæ iam sunt à iure naturali, vel diuino, ergo in Rep. est potestas ad condendas leges suo fini vtiles, quamuis circa talia ius naturæ, vel diuinum, nihil prescribant. Et conf. ex omnium DD. consensu. Quę mala sunt, quædam sunt prohibita quia mala, alia verò mala quia prohibita, at quæ prohibentur iure iure naturali, aut diuino cõmuniter sunt ex se mala, & ideo prohibita: quæ vero iuræ humano, mala quia prohibita, ergo potest ius humanum etiam ciuile, quod alias neq; præceptum, erat neq; prohibitum, sed indifferens, sua prohibitione reddere malum: tenebunturq; omnino ciues ab eo abstinere vt malo, & iniquo.

5. D. Thom. qui in rebus grauibus omnia diligenter inuestigat, in re adeo graui non quærit an Resp. possit condere leges in conscientia obligantes, quasi de huiusmodi potestate Reip. possit dubitari, sed illud tanquam certum, & indubitatum pręsuponens, solum quærit, an obligent de facto in foro conscientiæ: Nec Aspilqueta aut alius Catholicus de hoc dubitant præter Gersonem, & Almain.

Deniq; D. Paul. aperte docet in magistratibus secularibus esse potestatẽ ad obligandum in foro animæ, cum dicat illos nõ sine causa gladium portare, & posse, vt Dei vindices occidere transgressores suarum legum ciuilium, constat autem ex præcedenti notatione non posse mortem alicui inferri, nisi prp culpa mortali, & graui.

Ex quibus patet imprimis, falsum esse quod docet Soto lib. 1. de Iustitia. q. 6. art. 8. non esse omnino certum ex fide, posse Principes, & Magistratus seculares condere leges quæ obligent in conscientia sub mortali, cum id certissimum esse debeat omnibus Catholicis, iuxta ea quæ Beatissimi Apostoli Petrus, & Paul. locis citatis nos docent.

Sequitur 2. quam falsa sit, & erronea illa doctrina Gersonis de omni lege humana, & Almaini de lege ciuili: quorum argumenta inferius diluemus.

Sequitur 3. falsam etiam esse, & plusquam temerariam opinionem quorundam Iuristarum, quos refert D. Nauarrus cap. 23. num. 55. quibus videtur subscribere Caietanus in summa verbo Clericus. §. Verum, & verbo Ieiunium. §. Quo ad quartũ, asserentium leges humanas non habere vim

nec

nec posse per se obligare ad mortale seclu- so contemptu, & scandalo. Quia vel illud asserunt, quia magistratus nũquam possunt per se subditos obligare sub mortali, aut quia nunquam id velint. Asserere primum est hęreticum, cõtra testimonia Sacræ Scripturæ adeo aperta; affirmare vero secundũ est temerarium, vnde enim norunt isti nũquam velle superiores, & magistratus ita obligare, cum oppositum potius in multis legibus ex grauitate materię, circa quam feruntur, & ex pœnis quas transgressoribus imponunt, aliisq; circunstantiis censendum sit. Deniq; iuxta istos qui in quadragesima aliisq; Ecclesiæ ieiuniis non ex contemptu, sed ex intemperantia secreto, & citra scandalum carnibus vesceretur, non peccaret mortaliter, quod quam alienum sit à vera, & Catholica doctrina neminem latet.

Secunda concl. *Leges seculares & ciuiles iustæ obligant de facto, & reuera in foro etiã animæ, ad aliquam culpam.*

Probatur: leges Ecclesiasticæ iustæ obligant in conscientia ad aliquam culpam, nisi legislator expresse affirmet non esse animi sui obligare in eis ad culpam, vt in constitutionibus multarum religionum habetur: totaq; ratio est (vt diximus) quia potestas Ecclesiastica est à Deo, & ab ipso deriuatur, quo fit, vt inobediens Prelatis Ecclesię, eo ipso sit inobediens Deo, iuxta illud Christi: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, &c.* Sed potestas ciuilis, & secularis ad gubernandam Remp. est quoq; à Deo, quamuis diuersis rationibus, quia spiritualis est immediate ab ipso Deo, ciuilis vero mediante recta ratione, & lege naturali, quæ omnes homines docuit oportere omnino, vt Resp. habeat ius ad se gubernandam, nihilominus tamen hæc quoque á Deo est, qui rectam rationem hominibus indidit, & iuris omnis naturalis fons est, & origo: vnde dixit Christus Pilato: *Non haberes in me potestatem nisi tibi datum esset desuper.* Constatq; abunde ex locis adductis præcedenti conclusione Prouerb. 8. Rom. 13. Prima Petri 2. & secunda Petri. 2. ergo inobediens legibus ciuilibus iustis, Deo quoque est inobediens, & consequenter obligant istæ in foro animæ ad culpam.

Videorq; reuera mihi, audire B. Paulũ proponentem hoc argumentum loco illo celebri. Rom. 13. quo in hac materia necessario frequenter vtendum est, cum ait: *Non est potestas, nisi a Deo, itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt ipsi, sibi damnationem acquirunt.* Quę verba enarrans Theophilactus, ait. *Ne forte fideles obiicerent, nos reddis abiectos, cum simus regno cælorum potituri, & principibus subdas, ostendit Deo esse subiectos, qui Magistratibus parent, & quod horribilius est, eos qui his minus paruerint, Deo obsistere, & damnationem sibi acquirere.* Et D. Anselmus in eadem verba. *Hoc contra illos dicitur, qui putabant se ita debere vti libertate Christiana, vt nulli, vel honorem deferrent, vel tributa redderent, vnde magnum poterat aduersus religionem Christianã scandalum nasci a Principibus sæculi, & subdit, sed qui potestati resistit, cum Deus ordinauerit, Dei ordinationi resistit, quod tam graue peccatum est, vt qui ita resistunt, sibi damnationem æternæ mortis acquirant.* Et confirmatur ex eodem loco Pauli, concludit enim post multa, agens de Principibus secularibus: *Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram,* Id est ne incurratis in eorum iram, & temporalem damnationem ad pœnam. *Sed etiam propter conscientiam.* Idest ne conscientiam vestram per culpam lędatis.

Secundo. Lex humana iusta deriuatur á lege æterna Dei, per dictamen rectæ rationis, & legẽ naturalem, constituens in particulari illa, quæ lex æterna, & naturalis insinuant tantum in communi, iuxta illud Prouerb. 8. *Per me legum conditores iusta decernunt.* Sed agere contra legem æternam Dei est culpa, & peccatũ, vt docet D. August. lib. 22. contra Faustum. cap. 27. siue immediate cõtra ipsammet legem Dei æternã agatur, siue mediate, violando eas, quę ab illa deriuantur, sicut authoritatem Pontificiam, vel Regiam lædit, qui vel ipsimet Pontifici, aut Regi, vel ministris eorum resistit, ergo violare leges humanas iustas peccatum est, & culpa, & consequenter obligant in conscientia. Vnde D. Bernar. tractatu de præcep. & disp. ait. *Siue Deus siue homo vicarius Dei mandatum quodcunq; tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, modo contraria Deo non præcipiat homo.*

Tertio. Leges iustæ, aut præcipiunt actus virtutis, aut prohibent actus vitiosos, aut versantur circa indifferentes ordinando illos ad bonum cõmune, & ad bonos mores, pro vt tali loco, & tempore iuxta dictamen rectæ rationis expedierit. Quo nomine ait Aristot. 2. Retho. *Legem esse communem consensum Reip. in bonum.* Et D. Isidor. ac-

dor. ac D. Thom. proponunt tanquam communem DD. *Legis esse facere ciues bonos*: Cui consonat. L. 1. ff. De Legibus vocans legem. *Commune præceptum, & virorũ prudentium consultum*. Quo fit vt agere cõtra huiusmodi leges iustas, & bono communi necessarias, est malum morale, & repugnans præscripto rectæ ratio nis, at omne malum morale, & recedens á præscripto rectæ rationis peccatum est, & culpa, vt docet copiose. D. Tho. 1. 2. q. 21. ergo. &c.

Quarto, hęc duo pręcipere, & obedire sũt relata si superior potest præcipere, inferior tenetur obedire, & è cõuerso, sed superiores possunt condere leges iustas & necessarias bono communi, imo tenentur tales leges condere ergo, & inferiores tenentur in conscientia illas seruare. Imo esset iniquum vt superior teneretur illas statuere, ac curare vt seruentur, subditi vero non tenentur illas seruare, illisq; obedire. Ita docebat B. Bernar. lib. cit. de dispen. & pręcep. *Superiores non suo sensu debent condere leges, sed ad lineam rectæ rationis, cum ea quæ illi iuste præcipiunt, inferiores teneantur obseruare* colligitq; *Si mihi regulam D. Benedicti professo meus Abbas aliquid iuxta statuta B. Basilii aut Augustini præcipiat, non est in hac re necessitas obsequendi, quia neq; iuste mihi præcipere potest, nisi quæ Regula B. Benedicti continet, cum vero iuxta hanc regulam aliquid præceperit, quia quod suæ potestatis est iubet, obsequendum est illi.*

Quinto ex Aristo. 1. Polit. c. 1. maior est authoritas Principum & Magistratum erga sibi subditos, quam parentum erga filios: sicut bonum commune Reip. in quod dirigitur potestas Politica Principum multo præstantius est & magis curandum, quã bonum priuatæ cuiusq; domus, vel familię, in quod dirigitur potestas æconomica parentum, vnde D. Augustinus sermone 6. de verbis Domini: *Inter maiores tuos primi tibi sunt Pater & Mater, si recte educantes, si in Christum nutrientes, audiendi in omnibus: sed quis dicet maior est eo qui te genuit? Maior est qui te creauit, generauit enim homo, creauit Deus, Maior est quoque patria, parentibus tuis, ita vt si quid iusserint parentes contra patriam non audiantur, & si quid iusserit Patria contra Deum non audiatur*; Sed præcepta iusta parentum obligant filios in consciẽtia, & sub culpa mortali aut veniali, pro qualitate rei, vt docet idem D. Augustinus in titulum Psalm. 70. dicens, *vbi hoc iubet pater quod contra Dominum non sit, sic audiendus est quo modo Deus*, Paulus Roman. 1. inter grauissima peccata gentilium hoc numerat parentibus non obedientes, & apertissime Deuth. 21. filium inobedientem præcipiuntur parentes ducere ad iudices, dicereque ad illos: *Filius iste noster proteruus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vaccat, luxuriæ atque conuiuiis, lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur.* Constat autem ex dictis poena mortis in veteri testamento nullum vnquam punitum, nisi pro peccato mortali. Quod si quis dixerit puniri morte filium, quia luxuriæ, & cõuiuiis vaccabat, quæ iam erant ex se graues culpę, aut quia non obediens parentibus violabat quartum præceptum decalogi, nihil horum tollit vim huius argumenti. Non primum, quia in veteri lege pro luxuria simplicis fornicationis, & conuiuiis, aut gula nulli imponebatur pœna capitis, vnde in isto loco non alio nomine imponitur, nisi quia in his vitiis exercebantur contra monita parentum. Neq; secundum, quia præceptum illud quartum tantũ præcipit in genere, vt audiant parentes, quando vero lapidabantur, puniebantur quia in hoc vel illo particulari monitu non obediebant eis, & ita illa priuata monita parentum obligabant eos in conscientia, quod facit ad nostrum argumentum. Consideratq; maxime D. Augustinus in illum Psal. 70. quod filij Ionadab, quibus pater pręceperat, vt non biberent vinum, licet illud non esset pręceptum Domini, sed patris tantum ipsorum, seruauerunt nihilominus illud intelligentes parentibus esse obediendum, & in rebus indifferentibus circa quas ius naturale, vel diuinum, nihil disponunt.

Deniq; si lex iusta non obligat in conscientia, lex præscriptionis non reddet tutũ in cõscientia, possidẽtẽ bona, quę bona fide possidens peruenit, & superauit tempus â lege ad præscribendũ præfixum, nec prior Dominus illorum bonorum, aut ipsius hęres qui post longum tempus præscriptionis intelligerent bona illa á parte rei fuisse sua, licet aliter bona fide eá possederit, teneretur stare isti legi, sed possent illa tanquam vere sua secreto & citra scandalum sibi vendicare, ac recuperare. Quod est contra cõmunem omnium DD. sententia.

Confirmãtur hæc omnia illa celebri sententia D. Augustini in Epistola ad Bonifacium; *Qui legibus Imperatorum quæ pro Dei voluntate*

voluntate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium. Et Chrysosto. homilia 34. in Epistolam ad Hebræos. *Malum est vbi nullus est principatus, & multarum cladium hæc res existit occasio, & confusionis turbationisq́; est principium, & cætera.* Et paulo post: *Malum quoque est non minus & in obedientia eorum qui reguntur a Principe. Populus enim si non obsequitur Principi, similis est populo Principem non habenti: imo etiam deterior, illi enim veniam aliquam habent, quod inordinate versantur, siquidem ordinatore carent, hi autem veniam non merentur, & cætera.* Deniq; Gelasius vt habetur Cano. Quis. Distin. 11. ita scribit. *Quis autem leges Principum, aut regulas Patrum, aut admonitiones paternas dicat debere contemni: nisi qui impunitum sibi tantum existimet transire commissum?*

Tertia Conclusio. *Lex humana tam Ecclesiastica quam ciuilis aliquid præcipiens apposita pœna, non desinit obligare ad culpam in foro conscientiæ, propterea quod in foro exteriori obliget ad pœnam.*

Imo nisi legislator alium se habere animum in ea expresserit, omnis lex quę sub poena aliquid præcipit, vel prohibet, eo ipso quo pœnam apponit, obligat sui transgressores ad culpam. Probatur. Lex humana siue Ecclesiastica illa sit siue ciuilis, modo iusta sit, proposita sine vlla pœna vt ex præcedenti conclusione constat, obligat sui transgressores ad culpam, ergo quod simul obliget ad pœnam, non tollit prius illud quod obligat ad culpam. Hęc cōsequentia in qua tota difficultas consistit, probatur multipliciter.

Imprimis ex D. Isidoro lib. 5. Etymologiarum, hæc sunt quattuor officicia legis Præcipere, Prohibere, Permittere, ac Punire. Hoc ordine, vt Primum eorum sit præcipere honesta. & prohibere turpia. Secundum permittere indifferentia. Vltimum punire delinquentes & premiis afficere studiosos. Quæ non solum habent hunc ordinem in actu exteriori, vt prius oporteat proponere leges quæ honesta præcipiant & turpia prohibeant, postea vero transgressores puniant, verumetiam debet idem omnino ordo obseruari interius in intentione & animo legislatoris: non enim primo & perse instituit æquus legislator punire, quia esset tyrannis, sed primo & per se intendit ciues suos ad honesta inducere, & á turpibus reuocare, secundario vero, quoniam iuxta celebre illud Solonis dictum. *Respub. omnis præmia & poena continetur*, quo ad illa efficacius obseruanda ciues alliciantur, poenas proponit & præmia, sicut in intentione cuiuscunq; operantis, nisi sit omnis iudicii & mentis expers prior est finis & deinde media ad illum necessaria vel vtilia. Ex qua doctrina sic argumentor: Quando aliqua interse dicunt ordinem, priora non tolluntur per posteriora; at tam in intentione quam in executione legis prius est præcipere honesta, & prohibere turpia, quam inferre ponam ergo quod in lege apposita sit poena, non tollit, quin illud propter quod apponitur, vere præcipiatur aut prohibeatur. Præcepta autem & prohibitiones superiorum quando iustæ sunt, obligant in conscientia ex præcedenti conclusione, ergo appositio poenæ non tollit vim & obligationem ad culpam.

Secundo quando aliqua sunt inter se contraria & repugnantia, vt album & nigrum, lux & tenebræ, gratia & peccatum; tunc affirmatio vnius est necessaria negatio alterius; at quando illa non pugnant, sed sunt velut disparata, & diuersa, vt album & dulce, possunt eidem conuenire, nec vnum tollit alterum, vt in lacte, & multo magis quando sunt sibi affinia, estq; alterum velut alterius effectus, vt calidum & siccum in igne, sed culpa & poena non aduersantur sibi, quin potius sunt relata, quorum vnum ex altero necessario sequitur, vt constat ex vltima obseruatione posita: ergo vnum non tollit alterum, imo ex vno infertur alterum, vt ex effectu caussa: recteq; & necessario sequitur, imponitur poena, ergo pro culpa. Et confirmatur. Maior affinitas est inter culpam & poenam, quam inter varias & distinctas poenas interse, quia vna poena non consequitur necessario aliam, obligatio autem ad poenam in lege iusta consequitur necessario culpam: at sunt multæ leges in quibus imponuntur variæ simul pœnæ, nec alis alias tollunt, vt in capit. Si quis cum militibus 6. q. i. committenti crimen læsæ Magestatis, & in Cod. de hæreticis, imponuntur hæreticis variæ simul poenæ, capitis, cōfiscationis bonorū: infamię, &c. quarū aliæ nō tollūt alias, ergo multo minus pœna apposita in lege

tollet quin illa obliget ad culpam.

Tertio. Ratio naturalis non patitur, vt quod ex sua naturali institutione ordinatur ad meliorem alicuius rei consistentiam, & conseruationem, sit illius abolitio & destructio, sicut negat recta ratio, vt media per se ordinata ad aliquem finem, illum destruant. Vnde illud B. Bernardi. *Quod pro charitate aut iustitia institutum est, contra charitatem vel iustitiam militare non debet.* Poena apposita legi ex natura sua ad hoc ordinatur, & ideo apponitur, vt lex illa perfectius & accuratius obseruetur, ac vt intelligant subditi quantum optet legislator illam obseruari, aliter enim leges poenales non essent leges & regulæ morum, sed subditorum potius laquei & muscipulę; repugnat ergo rectæ rationi, vt quod in fauorem legis, ac vt melius obseruetur institutum est, nempe poena, illius vim tollat, & obseruantiam destruat; quod necessario deberet sequi, si apposita poena desineret lex obligare ad culpam.

Et confirmatur Regula, est siue doctrina Iuristarum, quam maxime commendat eruditissimus ille Emanuel Acosta in L. Gallus §. Et quid si tantum. ff. de liber. & posthu. Introducta ob alicuius vtilitatem in eius lęsionem conuerti non debent; Cui regulæ fauent maxime L. Ex facto in princi. ff. de vulg. & pup. L. humanitatis §. Qua ratione. Codi. de impub. & aliis substit. aliisq; locis: at poena apponitur legi in illius robur & vim, vt diligentius & melius obseruetur: non ergo tollet illius vim & obligationem, aliter cederet profecto in læsionem & damnum legis, illamq; infirmaret.

Quod autem pœna apponatur in lege propter finem quem hîc dicimus, docuit aperte D. Isidorus libr. 5. Etymolog. ca. 21. Referturq; dist. 4. Cano. Factæ sunt leges, vbi pulchre ait. *Factæ sunt leges, vt earum metu humana coerceatur audacia, tutaque esset inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrenaretur nocendi facultas.* Vbi vides aperte ex B. Isidoro, supplicia & poenas non apponi legibus, quo minus subditorum conscientias obligent, quin potius, vt earum metu humana audacia cohibeatur, & improborum libido coerceatur. Simile docet D. Augustinus Episto. 50. & 54. Minor huius argumenti constat aperte in omni lege poenali: In prima enim lege proposita Adæ, ne comederet de ligno scientiæ boni & mali, cur obsecro poenam mortis adiecit Deus? nisi vt arcerentur magis primi parentes ab illius transgresione: Dux qui præcipit militi ne stationem suam deserat sub poena capitis, cur mortem illi minatur? nisi vt diligentius ipsius mandatum seruet: Similiterq; in omnibus legibus, iuxta illud Poëtæ. *Oderunt peccare boni virtutis amore, oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Et Aristo. 10. Etico. c. 9. *Multitudo necessitati, potius quã rationi, & pœnæ quam honestati paret.* Prouerb. 29. *Virga atq; correctio tribuit sapientiam.* Theophil. & Anselmus in illud Pauli ad Galat. 3. *Lex propter transgressionem posita est,* habent. *Ostendit cur lex illa timoris, & pœnarum data sit. Positaq;* (Inquiunt) *est propter illos, qui naturalem legem transgrediebantur, vt vel timore cessarent illam transgredi, & paulatim erudirentur ex amore bona facere.* Estq; definitio Concilii Lugdunensis, vt habetur cap. Exigit. de Censibus. lib. 6. *Exigit peruersorum audacia, vt non simus sola delictorum prohibitione contenti, sed pœnam etiam delinquentibus, vt eius metu arceãtur, imponamus.* Ita videmus in legibus tam diuinis quam humanis non imponi in omnibus easdem pœnas, sed varias & distinctas, alias alijs grauiores, neq; ob aliam causam, nisi quia culpæ quas transgressores illarum committunt, sunt quoque aliæ aliis grauiores, vt iuxta illud Deutheronom. 25. *Secundum mensuram delicti sit etiam plagarum modus,* Ergo pœna non deobligat á culpa, imo magis ostendit, quanta culpa sit illam violare.

Quarto. Si lex pœnalis iusta est, iuste pœnam statuit, pœna autem nullus iuste afficitur, nisi pro culpą, ergo lex pœnalis, ex eo quod apponat pœnam, non deobligat a culpa, imo efficacius ostendit eum qui tali pœna iustè à lege afficitur culpam incurrisse. Dico qui tali pœna iustè á lege afficitur, quia iudex ex falsa præsumptione falsisq; testibus potest quidem afficere quandoque poena, eum qui re vera nullam commisit culpam, at lex ipsa quæ est regula iuris, nec respicit actus particulares, in quibus potest esse deceptio, sed solum ius, & ęquitatem in illis seruandam, nunquam imponet alicui poenam, nisi pro culpa.

Quinto. Si poena apposita in lege deobligaret á culpa, aut hoc esset ex intentione

tione legislatoris, aut ex vi verborum, aut ex interna ratione legis poenalis, aut ex conditione ipsius pœnæ. Non primum, quia cum poena vt constat sit medium vt magis obseruetur lex, vbi legislator oppositum non exprimit, poena apposita potius ostendit quantum optet ille, legem suam obseruari, quam oppositum. Nec secundum, quia supponimus in lege non haberi verba quæ indicent legislatorem nolle obligare ad culpam. Nec tertium, quia si id conueniret legi poenali, ex natura legis poenalis, omnes leges poenales deobligarent á culpa, quod est apertè falsum, cum tot sint leges diuinæ & Ecclesiasticæ quæ grauissima prohibent peccata, quę vt magis obseruentur minantur poenas: Nec vltimum, quia poena cum sit effectus consequens culpam, non tollit illam, imo potius præsupponit & indicat.

Postulat iam hic locus, cum lex humana ad culpam quidem obliget, non tamen semper ad mortalem videamus.

Controuersia Octaua.

QVANDO LEX HVMA-
na maxime secularis & ciuilis obliget in conscientia sub mortali?

CAIETANVS in hac 2. 2. quæst. 186. art. 4. & in summa verbo. Præceptum & D. Nauarrrus cap. 23. agens de inobedientia docent, non posse quæstionis huius exactam certamq; cognitionem haberi, donec à Sede Apostolica explicatam illam habeamus, & definitam. Nihilominus assignantur á Doctoribus nonnulla signa & indicia, in quibus prudenter & optime possumus deprehendere, quando lex humana & ciuilis ad mortale, vel veniale obliget. In quibus vt recto ordine progrediamur, separemus prius oportet certa ab incertis.

Primum igitur illud certissimum esse debet, in legibus ciuilibus, non posse deprehendi ad quam culpam obligent, ex animo & intentione legislatoris ipsius. Primum, quia nullæ fere sunt leges ciuiles, in quibus exprimat legislator animi sui esse, obligare transgressorem ad peccatum mortale: Neq; illud habent Principes aut Magistratus seculares in vsu, cum tamen vt constat ex dictis, possint condere leges obligantes sub mortali; imo multæ earum ita obligant. Cuius rei ratio est: Primo, quia, cum legislatoris ciuilis proprius proximusq; finis sit bonum temporale, & ciuile, felixq; & tranquillus suæ Reipub. status, minime vero bonum spirituale, non est sui muneris explicare ad quam culpam intendat obligare subditos, quod est spirituale. Imo nec legislatores Ecclesiastici quibus boni spiritualis cura esse debet, soliti sunt exprimere in suis legibus intentionem suam esse obligare ad culpam mortalem, vel venialem, sed aliunde id petitur: illis scilicet viis quas proposuimus ex doctore Nauarro.

Secundo quia cum legislatores eo ipso quo iusta præcipiunt, obligent subditos, cum authoritas eorum deriuetur à Deo, qui ait: *Per me legum conditores iusta decernunt.* Sat fuit, vt ipsi in suis legibus præcepta vel prohibitiones explicarent, quidq; vellent fieri aut non fieri, nec oportuit eos addere intentionem eorum esse obligare ad culpam, imo supponũt illud vt certum: Dicente Paulo. *Qui potestati contradicit, Dei ordinationi resistit.* Ipsis vero suam intentionem quo ad hanc partem non exprimentibus, ad quam scilicet culpam obligent, non est profecto subditis diuinandum, & ita ex intentione eorum non est sumendum ad quam culpam lex illorum obliget.

Tertio quia non possunt ipsi ex sua intentione sola, quod leuissimum est, præcipere sub mortali, aut quod grauissimum, sub veniali: Nam cum potestas eorum sit ordinata ad bonum commune Republic. & iustitia legis ex tali ordinatione potissime sumenda sit: ex eodem etiam ordine ad bonum commune petendum est, quando lex sub mortali, quando vero sub veniali obliget, non ex nuda intentione legislatoris. Vbi obseruandum est, hoc interesse inter Ecclesiasticam potestatem & ciuilem, vt recte admonet Soto lib. 1. de iustitia q. 6. ar. 4. quod Ecclesiastici prælati, quia spiritualium iudices sunt, possunt leges condere non modo constituendo opera in specie certa virtutis aut vitii, verum etiam discernendo inter venialeq; & mortale, atq; adeo explicando transgressionem suę legis mortalẽ esse: Seculares

vero Principes possunt quidem suis legibus constituere opera suorum ciuium in specie alicuius virtutis, aut vitii, nequeunt tamen deffinire illarum transgressio quenã culpa sit, quia tale iudicium spirituale est, & ab illorum officio, & authoritate alienum: qua de causa non solent, & recte ac prudenter in suis legibus explicare animi sui esse transgressores illarũ ad culpam obligare, quamuis reuera obligent, quod ex rerum ipsarum quas præcipiunt, vel prohibent natura, aliisq; circunstantiis, iuxta regulas quas statim proponemus, petendum erit.

Certum quoque esse debet non posse illud colligi, ex solis verbis, & tenore ipsarum legum. Non enim propterea quod verba legis præceptiua sint, vel prohibitiua, cuiusmodi sunt illa. *Præcipimus, mandamus, statuimus, Prohibemus, faciant, non fiat,* & similia, efficitur statim legem huiusmodi verba continentẽ obligare sub mortali.

Primo, quia (vt de omni lege loquamur) constat ex Euangelio præcepisse Christum leprosis, & infirmis quibus salutem contulerat, ne alicui dicerẽt, ipsi vero Christi miracula promulgantes non peccarunt. Constat etiam dixisse Iude. *Quod facis fac citius:* Nec propterea prçcepit illi, vt iniquitatem conceptam, & cum Principibus Synagogæ initam ac constitutam citius exequeretur.

Secũdo, hoc verbo *Præcipio* potest, vti legislator etiam Ecclesiasticus, tam ad ea præcipienda quorum transgresio erit mortalis: quam ea quorum transgresio erit venialis tantũ: potest enim legem cõdere qua dicat: prçcipio ne quis falsum crimẽ fratri suo imponat, nec mentiatur. Inter quæ licet sub eodem verbo *Præcipio* proponantur, magnum est discrimen, nam prius illud non imponere falsum crimen fratri obligat omnino sub mortali: posterius vero non mentiri, sub veniali tantum, vbi mendacium iocosum fuerit vel officiosum, cum certum sit apud omnes DD. mendatium peccatum mort. non esse, nisi nociuum fuerit, vel perniciossum.

Tertio, (quo argumento recte vtitur Azpilc.) Obtinuit iam vsus, vt Principes seculares in omnibus fere legibus suis vtantur communiter vocibus illis. *Queremos, y mandamos*: Prespicuum autem est non omnes leges Ciuiles obligare sub mortali.

Nec repugnat huic nostrç doctrinæ, quo ad leges Ecclesiasticas, vt putat Gregorius de Valencia sequutus Alphonsum de Castro lib. 1. de lege Pœnali cap. 5. documẽto. 4. quæ habentur in Clementina illa Exiui de Paradyso. Volunt enim DD. isti in legibus quidem secularibus, & Ciuilibus verba illa *præcipio iubeo*, & similia non statim obligare ad mortale, in Ecclesiasticis vero licet ex vi verborum, & sua genuina significatione non ita obligent, vsu tamen cõmuni illud obtinere. Quod probãt quia in illa Clementina sic habet Pontif. *Nec tamen putandum est, quod Beatus Franciscus professores huius regulæ quantum ad omnia contenta in regula modificantia tria vota, seu ad alia in ipsa expressa, intenderit esse obligatos, quin potius aperte discreuit, quod quo ad quædam ipsorum ex vi, verb. transgressio est mortalis, & quo ad quædam alia non, cum ad quædam ipsorum verbum apponat præcepti, vel æquipollens eidem, & quo ad aliqua aliis verbis sit contentus*. Vbi docet aperte Pontifex. quæ in regula Beat. Francisci proponuntur cum verbo præceptiuo, obligare sub mortali: rationemque reddit, quasi regulam communem, verbum prçceptiuum ex sua propria vi obligare sub mortali.

Sed quamuis verissimum sit verbũ prçceptiuum in regula B. Francisci obligare ad mortale, & quotiescunq; D. Franciscus tali verbo in ea vtitur habuisse animum ita obligandi, vt ex ista Clementina aperte cõstat, non propterea in omnibus legibus Ecclesiasticis idem censendum est: Videmus enim in his vt recte admonuit D. Nauar, quotiescunque volunt Prælati præcepta sua sub mortali obseruari, vti vocibus illis *In meritum sanctæ obedientiæ. Sub interminatione diuini iudicii. Qui contra fecerint, indignationem Dei, & Beat. Apostolum Petri Pauli nouerint se incursuros*. Et similibus, quas certe non apponerent, si sola verba *præcipimus*, vel *mandamus* sufficerent ad obligandum sub mortali. Idem ostendit communis vsus Religionum, in quarum constitutionibus vtuntur etiam superiores verbis prçceptiuis, in multis, quorum trãsgresio venialis tantum est, iuxta commune iudicium, & opinionem earundem Religionum. Extat optimum testimonium ex prudentissima regula Diui Augustini, in cuius initio ita legimus. *Hæc igitur sunt quæ vt obseruetis præcipimus in Monasterio constituti. Primum propter quod in vnum estis congregati, vt vnanimes habitetis in domo, & sit vobis cor vnum, & anima*

& anima vna in Deo, & non dicatis aliquid proprium, &c. Subiicit sub eodem tenore verborum cætera quæ regula illa continet: in qua tamen perspicuum est, ea solum obligare sub mortali, quæ legi naturali, aut diuinæ, vel votis essentialibus repugnant, cætera vero & si contineantur suo illo exordio. *Hæc sunt quæ vt obseruetis præcipimus*, Non obligare sub mortali, vbi contemptus aut scandalum non interuenit. Huc accedit quod in can. Rogo 11, quæst. 3. docet Glossa illius textus, vocem illam *Rogo* designare præcepti necessitatem & è contrario hoc verbum *mando* in Can. Gulisarius 24. q. 3. ex eadem glossa non significare præcepti necessitatem, sed solam exhortationem.

Cur autem in Regula B. Francisci verba præceptiua sub mortali obligent, in aliis vero legibus Ecclesiasticis non semper sub mortali, sed quandoq; sub veniali: ratio discriminis est, tum quia vt recte docet Magister Blasius Nauarro in suo opusculo de Vectigalib. capit. 5. B. Franciscus instituens arctissimam regulam, constituensque suos religiosos in compendiosa quadam via ad statum perfectionis assequendum, voluit quotiescunque verbis præceptiuis vteretur, obligare suæ Regulæ professores ad mortale: Licet verba ista ex sua germana significatione non ita obligent. Tum etiam, quia religiosi Franciscani cum professionem emittunt, non solum vouent obseruare tria illa vota quę ad religionis essentiam pertinent, verumetiam quæ Diuus Franciscus in Regula præcipit: Quo fit, vt cum ita voueant, quæcunque in regula B. Francisci habent verbum præceptiuum, ex vi verbi obligant sub mortali: cum professores istius regulę sicut vouent obedientiam, castitatem, & paupertatem, ita quoq; & regulæ illius obseruationem. Quod non ita accidit in Religione D. Augustini B. Dominici & similibus, quarum professores non vouent regulę obseruationem, sed tria illa vota essentialia obseruanda secundum regulam B. Augustini.

Ex his sequitur non esse verum quod vult Abbas in capit. Vestra. numer. primo versic. secundo nota. De cohabitatione cleric. & mulie. leges datas per verbum imperatiuum æquipollere præcepto, cum consilia, quoq; dentur in Euangelio per Imperatiuum. *Si quis te angariauerit.* Et verbum *oportet* quod æquipollet imperatiuo, dicat quidem aliquando necessitatem pręcepti, vt in c. 1. de præscrip. lib. 6. aliquando vero congruentiam tantum & honestatem, vt 25. quæst. 1. can. primo. Vnde non æquipollet semper verbis pręceptiuis, vt voluit Medina C. de poenitentia tractatu de ieiunio.

Tertio certum etiam esse debet, neq; colligi posse quod hic inquirimus ex sola materia secundum se, & ex genere suo, neque ex sola poena legi apposita. Ex sola materia secundum se perspicuum est, cum ius positiuum quandoq; minora peccata puniat excommunicatione, quod non facit ob maius, maius enim peccatum est blasphemia percussione sacerdotis, at percutientem clericum excommunicatione maiori punit, minime vero blasphemum. Idem videmus in pœnis. Interdictum enim & suspensio, quæ poenæ reuera Ecclesiasticæ sunt, nonnunquam pro solo veniali incurruntur, nonnunquam etiam sine vllo peccato: interdicitur enim locus quandoq; iudice seculari, suum munus iuste exercente, manetq; suspensus qui ante debitam ætatem sacris initiatus est, existimans omnino & bona fide se ad debitam ætatem peruenisse.

Ne igitur in re adeo difficili allucinemur constituuntur à DD. communiter hę regulæ.

Prima est. Quando lex humana Ciuilis (nā de hac potissime hic loquimur) obliget ad mortale, quādo ad veniale potissime sumendum est ex grauitate materię circa quā fertur: Vbi illud est prius obseruandum, materiam grauem non appellari hoc loco quia peccatum mortale fit, cum sint multa quæ intrinsecè peccata mortalia sunt, quę tamen lex non punit, vt simplex fornicatio; alia vero quę natura sua peccata non sunt sed indifferentia, puniuntur nihilominus grauiter, vt extrahere equos è regno. Dicitur ergo, quatenus pręsens institutum postulat, materia grauis, in ordine ad bonum cōmune, idq; duobus potissime modis. Primo quando versatur lex circa ea quę bono communi necessaria sunt vel maxime vtilia iudicio prudentum, vt quando caritas est annonę materia grauis censenda est, non extrahere frumentum à Regno, quando imminet hostium inimicorumque periculum non transferre equos in aliam prouinciam, neque arma vel metalla ex quibus instrumenta bellica confici possunt. Hæc & similia quiuis prudens iudicabit

dicabit grauia esse in ordine ad bonum commune Reipublic. vel simpliciter vel saltim tali tempore. Secundo ad grauem etiam materiam pertinent quæ charitati proximi aduersantur cum aliqua Reipub. perturbatione. Postulat enim maxime bonum commune Reipub. vt illa in pace & tranquillitate contineatur, vt ciues ab his quæ iustitiæ & charitati suorum conciuium repugnant, abstineant omnino: Quin & legis humanæ, totiusq; authoritatis Ciuilis hic est potissimus scopus, præcipuusq; finis, tranquillus & paccatus temporalis Reipub. status, politicaq; ciuium pax & concordia. Ex hoc igitur ordine ad commune Reipub. bonum grauitas vel leuitas materiæ in legibus humanis desumēda est.

Quo posito probatur iam aperte hæc prima Regula á nobis constituta. Lex humana iusta, etiā Ciuilis, siue præceptiua solum sit, siue poenalis, vt ex dictis constat, obligat sui transgressorem ad aliquam culpam, ad quā autē obliget, in secularibus & Ciuilibus non potest sumi ex intentione legislatoris, neq; ex verbis ipsius legis, quia Principes & Magistratus seculares non solent in legibus suis apponere verba quibus exprimant animi sui esse obligare ad hanc, vel illam culpam, erit ergo sumendum vel ex materia circa quam versabitur, vel ex poena in ea apposita iuxta prudentum arbitrium, alia enim via occurrere non potest. Vbi autem materia legis in ordine ad bonum commune Reipub. grauis est, quia illi omnino necessaria vel maxime vtilis, qui tali legi non obediunt, censentur á prudentibus, plurimum suæ Reipub. nocere, & eo ipso grauiter delinquere: lex ergo Ciuilis vbi materia ita grauis est respectu boni communis, obligabit sub mortali. Et confirmatur, quando materia ita grauis est, & contra bonum commune vel omnino & absolute, vel saltim tali loco & tempore, qui legem illam trāsgreditur, agit profecto non modo contra obedientiam in rebus grauibus superioribus debitam, verumetiam contra charitatem & iustitiam legalem, qua bonum commune omni priuato & proprio præferendum est, quis ergo negare potest leges Ciuiles iustas in materia graui obligare sub mortali?

Secundo leges iustę Principum & Magistratuum non minus obligant subditos (vt vidimus ex D. Augustino,) quam mandata iusta parentum, imo maiori iure & vinculo; at præcepta iusta parentum in re graui obligant (vt ex dictis etiam constat) sub mortali, ergo & leges iustæ Ciuiles quæ circa aliquam materiam grauem feruntur.

Denique reprehenduntur acriter & merito ab omnibus DD. superiores & prælati, qui circa res leues præcipiunt aliquid aut sub censura, aut in meritum obedientiæ, vel aliquo alio modo obligante ad mortale. Ita Castro lib. de lege poenali c. 3. post secundum documentum Syluester verbo obedientia q. 8. Nauarr. cap. 23. nu. 36. & cæteri. Quorum omnium hæc est ratio, quia leges humanę, vt sint prudentes & iustæ, & in quibus legislator non abutatur sua potestate, debent obligare pro ratione & qualitate materiæ, ita vt in materia graui obligent sub mortali, in leui sub veniali. Et conf. lex humana iusta cum deriuetur à lege æterna, & ab authoritate diuina, debet vestigiis illius quantum potest hærere, formamq; legum diuinarum quantum poterit imitari: at lex diuina quæ & sub mortali & sub veniali obligare potest, quando hoc vel illo modo obliget sumitur ex materia, vt in lege & præcepto non mentiendi; mendacium enim iocosum vel officiosum quia materia leuis est censetur veniale, nociuum vero mort. quia est materia grauis. Ergo similiter in legibus humanis, vbi materia grauis erit in ordine ad bonum, quod est proprium obiectum legis humanæ, obligabunt sub mortali, vbi vero leuis existet obligabunt sub veniali tantum.

Ex qua Regula sequitur. Primo legem humanam prohibentem ea quæ iustitiæ vel charitati proximi aduersantur, obligare sub mortali. Quia cum conciuibus æquitatem & charitatem seruare maxime conducit ad bonum commune, & paccatum Reipub. statum. Vnde si eo tempore quo ciuitas graui frumenti inopia laborat, lege á Principe vel Magistratibus lata, prohibetur ne frumenta extra Rempub. alio deferantur, certissimum esse debet huius legis præceptum obligare sub mortali, cum illius transgressio adeo aduersetur bono communi. Sequitur secundo pręcepta superiorum circa res indifferētes, ex aliqua tamen circunstantia maxime necessarias vel vtiles saluti subditorum, obligare etiam sub mortali: quia ex circunstantia illa ad grauem materiam pertinent

tinent: vt si rem indifferentem superior pręcipiat, quæ ex circunstantia subdito cui præcipitur plurimum conducat, ne in peccatum aliquod incidat.

Secũda Regula est, proprie pertinẽs ad leges Ecclesiasticas, obligare illas sub mort. cũ aliquid in eis præcipitur vel prohibetur in virtute sanctæ obedientiæ, vel sub obtestatione diuini iudicii, vel sub indignatione beatorũ Apostolorũ Petri & Pauli, vel similibus verbis: Est enim cõmunis doctrina, & vsus ita obtinuit, vt hæc verba indicent intentionem superioris esse obligare sub mortali, vt docet recte Nauarr. cap. 23. num. 52. Intelligenda autem hæc regula est, vbi lex voces illas habens circa res graues versatur, quia si res leues sint, tam in ordine ad bonum commune, quam ad priuatum bonum subditorum, tales leges etiam si vocibus illis vtantur, sub mortali non obligabunt. Quia hæc obligatio non pendet ex sola & libera intentione & voluntate legislatoris, sed ex intentione & mente eius iuxta regulam rectæ rationis, á qua maxime alienum est, leuia & quę nullius fere sunt momenti sub mortali pręcipere. Est enim tã superioribus Ecclesiasticis, quam Principibus & Magistratibus secularibus data potestas in ædificationem, non ad destructionem, & damnum subditorum: esset autem maximum illorum nocumentum, si quascunque superiorum leges, & de rebus leuissimis latas deberent sub mortali obseruare. Considerãda enim (vt ait B. Bernardus in lib. de dispensatio. & præcepto) est præcepti aut legis vis ex dignitate potius rei, quæ præcipitur, quam ex intentione mandantis; non enim prelati pro suo sensu, aut pro suæ volũtatis arbitrio possunt legibus suis vim tribuere obligandi, nunc ad mortale, nunc ad veniale, sed id quod maioris est momenti grauiorisq; necessitatis, illud magis cupiant vt obseruetur.

Tertia Regula sumitur ex adiunctione alicuius pœnę appositæ legi. Vbi. n. grauis pœna in lege iusta apposita fuerit, eo ipso censenda est obligare sub mortali, quia aliter iniqua esset lex (vt supra diximus) quæ pro re leui graui poena illius transgressorẽ puniret.

Confirmaturq; Quia si iudex exprimeret in lege iusta se velle obligare ad grauem culpam, reuera ita obligaret, sed eo ipso quo ponit grauem poenam (cum hæc iuste non imponatur nisi pro graui culpa) ostendit se culpam illam grauem & mortalem iudicare: ergo appositio grauis poenæ in lege iusta argumentum est, indiciumq; maxime certum, transgressionem illius legis grauem culpam esse, & mortalem.

Confirmatur secundo illustri testimonio Marcelli Iuris Consulti, qui in L. Respiciendum. ff. de poenis sic loquitur de iudice ipso: *Respiciendum est iudicanti, ne quid aut durius aut remissius constituatur quam caussa deposcit, nec enim aut seueritatis aut clementiæ gloria affectanda est, sed propenso iudicio pro vt quæque res expostulat statuendum est, &c.* Vnde si iudex graui poena punire non debet nisi grauem culpam, multo minus lex ipsa, quæ iuris á iudice seruandi Regula est & norma.

Vtendum autem hic est illa distinctione quam optime obseruat Magister Soto q. illa 6. lib. 1. de Iusti. artic. 5. Vt quando in lege poena applicabitur culpæ, si poena sit grauis, tunc & culpa quoque, vt cum dicitur: si quis extraxerit frumentum è regno perdat illud, & soluat centum aureos, poena enim tunc apponitur culpæ, & cum sit grauis, culpa quoque est grauis: Quando vero poena non applicatur culpæ, sed ponitur lex per modum concessionis ad colligendam aliquam pecuniam necessariam Regi vel Reipub. Et ne quis sine illa concessione audeat oppositum facere, apponitur aliqua poena, tunc reuera illa poena non indicat culpam: vt si dicat lex qui voluerit equitare mula debet tantum offerre Regi; concedeturque illi sic equitare, aliter nemo equitet: hęc lex potius est concessio conuentionalis & cum pacto, quam appositio poenę ad culpam aliquam. Quo fit vt lex Ecclesiastica aliquid pręcipiens vel prohibens sub anathematis vel excommunicationis maioris poena, obliget sub mortali: cum excommunicatio maior non feratur nisi pro culpa mortali.

Sentiunt hoc loco Nauarr. loc. cit. & Castro lib. 1. de lege poenali c. 5. & Caiet. in summa verbo pręceptum. Quos sequitur Gregor. de Valen. 1. 2. disput. 7. q. 5. puncto 6. intelligendum hoc tantum esse de excõmunicatione latę sententię ipso iure & facto incurrendæ, non expectata alia admonitione & sentẽtia iudicis, aliis autem viris peritis, quorum sententiam probabiliorem semper iudicaui, videtur legem etiam in qua apponitur, excommunicationis maioris commicicatio iusta, obligare quoq; sub mortali: Exemplo esse potest cap. illud.

Omnis vtriusq; sexus de poeniten. & remissio. Vbi non apponitur excommunicatio latę sententię, sed comminatio tantum illius, his qui in paschate non communicauerint: perspicuum autem est legem illam obligare sub mortali. Intellecto sub nomine Paschatis toto illo tempore quod iuxta diocesis consuetudinem conceditur ad communicandum. Confirmaturq; ratione Cum comminatur lex excommunicationē, comminatur illam, propter eandem transgresionem, propter quam si subditus in ea perseueret, punietur excommunicatione latæ sententiæ, sed hæc non fertur nisi pro mortali, ergo nec comminatio eius apponetur legi, nisi pro transgressione etiam mortali. Non est autem eadem ratio si subiungatur poena suspensionis, interdicti, aut irregularitatis, quia hæc possunt incurri etiam (vt diximus) pro peccato veniali: imo irregularitas incurritur alliquando sine vllo peccato. Licet hæc quando sine peccato incurritur, non sit dicenda poena sed inhabilitas tantum: Vt docuimus primo tomo q.64. ar. 8. contro. 4.

Vnde non recte dixit Ioannes Medina in tracta. de Ieiunio q.7. huiusmodi poenas, indicare legem illam cui aliqua earum apponitur, obligare sub mortali. Iuxta eandem regulam quando lex Ciuilis iusta aliquid præceperit, vel prohibuerit sub poena capitis, aut exilii, aut præscriptionis bonorum, vel alicuius alterius similis damni, censenda est obligare sub mortali, non enim esset iustus legislator, qui pro re leui & veniali obligaret subditos cum tanta poenæ seueritate.

Quarta Regula est communis prudentum existimatio, & consuetudo communitatis legem illam acceptantis, & obseruantis vt obligantem ad mortale: nam vt recte docent Paulus Iuris Consultus in L. Si de interpretatione. ff. de legibus. & Innocen. 3. in cap. Cum dilectus. De consuetudin. imo est commune Doctorum axioma, *Consuetudo est optima legum interpres*: maxime cum habeat ipsa vim legis, vt aiunt Vulpianus L. Diuturna ff. de legibus & D. Thom. 1. 2. q. 97. artic. 3. Siue prouenit hoc ex vi legis naturalis, quæ dictat singulas partes debere obedire voluntati totius communitatis, siue quia legislatores ipsi humani, tacitè & implicitè non intendunt obligare communitem, nisi ipsa vel maior illius pars legem illam acceptauerit. Quantum vero referat ad vim legis, vt á ciuibus acceptetur, quandoq; dicatur acceptari, inferius explicabimus in disputatione de Censibus, explicando constitutionem Pii Quinti circa institutionem censualium.

Obseruandum tamen hic est, legem humanam iustam, etiam si simpliciter & ex se quando instituta fuit obligaret ad morta. in duplici tamen casu minime obligare, sed cessare illius vim.

Primo quando cessat omnino caussa illa iusta, propter quam condita fuit, nec alia de nouo se obtulit illi similis.

Secundo quando prudentis arbitrio iusta caussa se offert, qua proposita prudenti legislatori, dubium non est, quin in lege illa tunc dispensasset.

Probatur prior pars. Cum ad legem iustam requiratur necessario, vt existat caussa iusta in ordine ad bonum cõmune propterquam stabiliatur, si à principio quando lex illa stabilita fuit, non extitisset illa iusta caussa vel alia illi similis, omnium consensu lex illa tunc nõ obligasset: ergo neq; deinde cum primum cessat illa caussa & quæuis illi similis, obligabit: probo consequentiam, quia quod ab initio validum non esset, nec temporis progressu validum efficitur. Et confirmatur ex illa Regula Iuris: *Omis res per quas caussas nascitur per easdem dissoluitur*. Et capit. Cum cessante. Extra de appella. *Cessante caussa cessat effectus*: Et cessante caussa legis cessat eius vis, & cap. Post translationem. Extra. de Renuntiatione. Vbi Innocentius refferens quoddam decretum Concilii Constantinopolitani. docet illud iam cessasse, quia caussa propter quam potuit illud ita decerni á Concilio, iam omnino cessauit. Hęc est doctrina communis, Panormitan. in capit. Quia plerique numer. 36. de Immunitate Ecclesiarum. Vbi adducit pro se Cynum in L. Non dubium. Codic. de legibus. & Baldum in L. Maximum vitium. Codic. de liberis præteritis: Dixi autem, cessare omnino caussam illam, nec similem esse oblatam: quia potest cessare caussa ex aliqua parte, manere vero ex alia, vel illi similis: Quo cassu lex illa juste adhuc obligabit, quia sicut á principio fuisset sufficiens ad iustitiam & vim legis caussa illa quæ suborta est, etiam si non extitisset, prior illa propter quam fuit talis lex instituta. Ita quoque licet progressu temporis prior illa propterquam à principio fuit lex condita, cesset; alia tamen non

minus

minus iusta & necessaria oblata, retinet lex illa suam iustitiam & vim.

Probatur iam altera pars huius obseruationis. Primo ex Aristo. 5. Ethico. c. 10. vbi docet, legislatorem in lege stabilienda, non posse attendere ad omnes euentus, maxime extraordinarios & raro contingentes, sed ad ea quæ vt plurimum & frequẽter accidunt. Qua de caussa vbi aliquid acciderit præter legẽ, & à legislatore omissum, quod si venisset illi in mentem sentiendum est, ipsum vt virum prudentem noluisse in tali casu legem suam obligare, in tali euentu lex illa reuera non obligabit. Idem docet Iuris Consultus Iulianus in L. Neq; leges. & L. Non possunt. ff. de legibus. Sẽsetur enim & dicitur ac recte à Iurisperitis hic casus omissus, in quo lex non obligat. Confirmaturq; innumeris exemplis. Lex est matrimonii vt vir vxori debitum reddat, atsi cui dentes videat illud saluti sui nociturũ, non tenetur. Lex est vt ieiunemus in quadragesima, at qui euidenter videt vires & salutem sibi deficere ad ieiunandum, non tenetur. Lex Principis vt non aperiantur portæ Ciuitatis, at si accedat fugiens ab hostibus vir Reipub. necessarius, aperiendæ sunt. Lex diuina vt qui vouit ingredi religionem, illam ingrediatur; atsi occurrat maxima parentum indigentia, non tenetur ingredi, imo potius remanere in seculo, vt illorum indigentiæ subueniat. Lex naturalis & diuina est obseruandi votum, vel Iuramentum præstitum, iusta tamen caussa oblata obseruandum non est, veluti si illud maioris boni esset impedimentum: Quo nomine Zacharias Papa Bonifacio Martiri in cano. Quod predecessor. ita scribit: *Quod predecessor B. Menio. Gregorius huius sedis Apostolicæ præsul, dum ad predicandum Euangelium Germanis & gentibus illis paganis verbo pollicitationis te astrinxit, ita vt Orthodoxos Episcopos, presbiteros, & alios quoscumq; in verbo exhortationis amplius confirmares, Si quos vero seductores episcopos, aut pseudopresbiteros a recto fidei tramite deuiare reperisses, nulla cum eis tibi esset communio: Quod Deo auspice vsque ad presens seruasti, sed dum ad eos accessisses corporaliter abstinere ab eis non potuisti, cogente Ecclesiarũ Dei necessitate, attamẽ cũ in eorum Concilio & cõmunionis consensu anima tua non sit coinquinata, propter hoc quod cum eis conuersatus es, non consentiens iniquitati eorum, nullum tibi est detrimentum coram Deo.*

Quod si iuramentum, cuius obseruatio adeo est de lege naturali & diuina, non obligat, cum iusta causa se offert dimittendi illud, quanto magis licebit legem humanam omittere iusta causa ilud exigente, & in eo euentu, in quo ipsemet legislator, vt prudens concessisset non fuisse animi sui legem suam tali casu obligare?

Noui aliquos esse in ea opinione, vt existiment in huiusmodi etiam euentibus recurrendum esse ad superiorem, si ad illum facile pateat aditus, At S. Thom. agens infra de Epicheia quæst. 120. art. 1. ad 3. docet in rebus manifestis, veluti vbi iusta causa non seruandi legem euidens est, non esse recurrendum ad Principem, vel superiorem, in dubiis tamen non esse recedendum à verbis legis absq; superioris decreto, & explicatione. Et quæst. 147. art. 3. ad 2. ait. *Si autem ex aliqua rationabili causa quis statutum non seruat, præcipue in casu in quo si legislator adesset, non decerneret esse seruandum, talis transgressio non constituit peccat. mort.* Et artic. 4. inquit. *Si causa fuerit euidens, licite poterit homo statuti obseruantiam præterire, præsertim consuetudine interueniente, si vero causa dubia fuerit debet subditus ad superiorem recurrere, qui habet potestatem in his dispensandi.*

Ex quibus plane sequitur non omnem transgresionem legis Ciuilis obligare sub mortali: quin etiam nec omnem trasgressionem præcepti Ecclesiastici, etiam si dixerit in eo Prælatus sub pœna mortis æternæ, vel excommunicationis, quia vbi iusta causa occurrit, prudenter legis illius, vel præcepti obseruatio dimittitur. De quouis autem superiore, & legislatore præsumendum est, ea voluisse quæ prudentiæ, & recte rationi non aduersantur.

Demum carebit etiam omni peccato legem transgrediens ex ignorantia inculpabili, quia huiusmodi ignorantia tollit omnino rationem voluntarii, vbi autem omnis ratio voluntarii cessat, nulla potest culpa reperiri. Hoc nomine laborantes ignorantia inculpabili statutorum quæ ab Ordinariis conduntur, & sub excommunicationis pœna, immunes sunt tam à peccato quam á censuris, vt habetur cap. Vt animarum. De cõstitutio. in sexto. Vbi dicitur aperte. *Vt animarum periculis obuietur, sententiis per statuta quorumcunque ordinariorum latis nolumus ligari ignorantes.* Quod si leges, & præcepta Ecclesiastica non obligant sub mortali, inuincibili, & inculpabili ignorãtia præditos, multo minus obligũt

sub mortali leges seculares, & ciuiles simili ignorantia affectos.

Nunc argumenta aliorum Doctorum quæ communi sententiæ quam sequimur, aduersantur, suo ordine diluamus oportet. Et imprimis argumenta Gersonis.

Primum illud ex mala intelligentia verborũ diui Augustini sumptum est, quemadmodũ & illud aliud eiusdẽ authoris. Quod interrogatus Christus Math. 19. quid oporteat facere ad consequendã vitã æternã, responderit, *Serua mandata*. Exponens vero quę mandata seruanda sint, solum enumerat præcepta decalogi; indicans solam adimpletionem diuinorum præceptorum sufficere ad salutem: ex quo sequitur transgressionem humanorum illam non impedire. Vtrumq; eadem ratione soluitur. Asserimus enim, vt constat transgredientem legem humanam iustam agere contra legẽ Dei æternam, à qua deriuatur, (vt nos docuit D. Thomas: imò & ipsa Sacra Scriptura) authoritas Principum, & superiorũ omnium, ac Magistratuũ. Iuxta illud sępe citatum. Prouerb. 8. *Per me Reges regnant* &c. quod etiã docuit Paulus in illis verbis. *Qui potestati superioris resistit, Dei ordinationi resistit*. Quo fit vt qui legem humanam transgreditur, agat etiam contra legem ęternam Dei, naturalem, & diuinam. Tum etiã contra quartum præceptũ decalogi, in quo non solum parentum, qui nos genuerunt obedientia continetur, verumetiam prælatorum, & Magistratuum, vt copiose docet Alphonsus de Castro diluens hoc primum argumentum Gersonis lib. 1. c. 4.

Et confirmatur solutio hæc apertissimis exemplis. Obligationes enim, quæ ex iuramentis, votis, promissionibus, aliisq; contractibus oriuntur, à sola humana voluntate sunt, quæ tamen adimplere obligant lex naturalis, & diuina: Iure similiter humano facta est rerum diuisio, & appropriatio, at postquam facta est, cum iuste vnusquisq; quæ sibi appropriata sunt, possideat, legem Dei transgreditur quicunq; illa furatur. Ita & si leges istæ sint á potestate humana, si iustæ tamẽ sint, transgrediens illas, legem quoq; naturalem, & diuinam, qua superioribus iusta præcipientibus tenemur obedire, transgreditur. Quemadmodum & statuta Ecclesiastica Prælatorum à potestate humana sunt, illa autem violare est Christo inobedire, dicente ipso. *Qui vos spernit, me spernit*.

Nec exemplum quo vtitur á Medicorũ conciliis desumptum accomodatum est. Ait enim. *Quod si quædam a lege humana præcepta necessario facienda sunt, vt confessio annua, quadragesimale ieiuniũ, & similia: hæc debemus quidem in cõsciẽtia seruare, non quia ad ea ex vi legum humanarum obligemur, sed quia per huiusmodi leges Ecclesia nobis declarat latentem legem diuinam, qua ad hæc iam obligamur, licet nos id ignoremus. Sicut Medicorum præceptis constat ægrotos parere in conscientia debere non quasi eorum vi obligentur ad faciendum quod illi præcipiunt, sed quoniam ab illis intelligunt, quid sit, ad quod tuendæ valetudinis causa ex lege naturali obligantur.* Huiusmodi inquã similitudo nullã profecto habet vim, propterea q̃ Medicus nulla pollet authoritate pręcipiendi ipsi ægroto, sed facultatem dumtaxat habet docẽdi illũ quid agere debeat. Quod si æger aliquid noxiũ cõtra præceptũ illius fecerit, procul dubio peccabit, non quia agit cõtra præceptum Medici, cum ille authoritatẽ præcipiendi non habeat, sed cõtra præceptum Dei pręcipientis, ne nos occidamus. Hic enim Medicus perinde est ac vir doctus admonens virum simplicem, vt abstineat ab hoc, vel illo opere, quoniam peccatum est, qui si forsan contra viri docti monitionem operetur, Deum ipsum offendet, legem illius transgrediens, minime vero viri docti, cum vir iste doctus ex hypothesi nullam habeat authoritatem præcipiendi. Longe aliter se habet res in prælatis, aut Principibus, qui non solum habent, docendi, ac monendi authoritatem, verumetiã præcipiendi & cogendi.

Ad secundum. Resp. Principes & Magistratus nec posse conferre gratiam, neque illam auferre, sed tantum condere leges iustas, quas transgrediens suo scelere ac peccato inobedientiæ aufert sibi gratiam: quemadmodum nec prælati Ecclesiæ nec parentes qui nos genuerunt, cum illis rebelles sumus, non auferunt nobis gratiam, sed qui illis inobediunt suo propio scelere & inobedientia auferunt sibi gratiam: Imo nec Deus ipse qui author gratiæ est, & quam solus conferre potest, non aufert illam peccatori cũ peccat, vt optime docet D. Tho. & communis Theologorum schola, sed ipsemet peccator suo delicto illam sibi aufert: iuxta illud Oseæ. 13. *Perditio tua Israel ex te.*

Ad tertiũ Respon. falsum esse illud antecedens, solum illum posse obligare ad culpam & consequenter ad poenam æternam, qui talem poenam potest inferre, nisi

nisi intelligat illum qui propria authoritate, nec aliunde deriuata cōdit leges obligantes ad culpam: qua ratione fatemur nullum hominem propria authoritate posse condere leges obligantes ad culpam & pœnam æternam, quia nullus homo potest illam inferre. Quo etiam nomine docent Theologi in 4. nullum hominem præter Christum posse propria authoritate effectum sacramenti conferre. At, qui non propria authoritate sed accepta à Deo & ab illo deriuatà leges condere possunt, hi eo ipso quo talem à Deo authoritatem acceperunt, possunt simul obligare ad pœnam æternam, quam Deus inferet, quia habentibus talem authoritatem vult Deus obedire cæteros: ita vt illis inobediens, eo ipso sit quoque inobediens Deo, & dignus poena æterna. Sic enim ait B. Paul. *Qui superioris potestati resistit, Deo resistit, qui autem resistunt ipsi, sibi damnationem acquirunt.*

Illustrâtur hæc nonnullis exemplis satis accōmodatis ab Alphonso de Castro loco citato. Potest enim prælatus Ecclesiæ subditum rebellem excommunicare, cuius excommunicationis effectus est priuare illum suffragiis, & aliis bonis Ecclesię: qui tamen effectus á solo Deo efficitur omniū Theologorum consensu. Similiter Sacerdos cū peccatorem absoluit, pœnam ęternam illi debitam in temporalem commutat, qui etiam effectus, & commutatio pœnę à solo Deo est. Quo modo obsecro Episcopus iste excommunicat, & confessor absoluit, cum effectum excommunicationis, & absolutionis solus Deus efficiat? Certè quia non excommunicat ille, nec absoluit iste authoritâte propria, sed accepta, & deriuata a Deo, quod sufficit, vt possint ipsi excōmunicare, & absoluere. Licet effectus excommunicationis, & absolutionis à solo Deo sint. Sic in proposito, licet solus Deus possit pœnā ęternam infligere, possunt nihilominus legislatores authoritate ab ipso deriuata leges iustas condere, & eisdē obligare ad mortale, & ad pœnam æternam.

Possumus etiam sicut & ad pręcedens argumentum dicere: legislatorē nō obligagare ad poenam æternam: sed tantum condere leges iustas vtiles, vel necessarias bono communi, quod est sui muneris: legem vero Dei obligare subditos, vt tales leges superiorum seruēt, & ea ratione legem Dei huiusmodi trāsgressores obligare ad culpā mortalem, & consequenter ad poenā æternam. Qui modus respōdendi quadrat plurimum cum verbis Apostoli supra citatis.

Ad quartum dico eo loco. *Non iudicabit Deus bis in idipsum.* Vt legunt 70. aut *Non consurget duplex tribulatio, vt legit D. Hiero.* Nomine duplicis tribulationis non intelligi culpam, & pœnam, vt incurrens pœnam non cōmittat culpam: alioqui omnibus impiis, & peccatoribus transgredientibus diuina pręcepta, vel nō maneret pœna æterna luenda, siquidem in hac vita legem Dei transgredientes incurrūt culpam, vel contra nullam hic incurrent culpam si manent vt obnoxij pœnæ æternæ. Quod si dicas cum Aspilqueta, quod videtur innuere quādo affert hūc locū, incurrere quidem peccatorem culpam, & pœnam ęternam, quia hæc pertinent ad distincta sæcula, nō tamē in eodem sæculo, vt in hac vita incurrere simul culpam, & pœnam temporalem. Hoc repugnat Sacrę Scripturę, quot enim proponit Sacra Scriptura peccatoribus tēporales pœnas in sęculo pręsenti, pręter ęternam, quę manet illis in futuro propter suas culpas: adeo vt crederent Apostoli, nullum pati pœnam temporalem, nisi pro culpis, quando de cœco illo à natiuitate interrogauerunt Christum, Ioan. 9. propter quę peccata cæcitas illa ei contigisset. Nec potest intelligi locus iste de duplici pœna, vt cui manet æterna non patiatur temporalem, multos enim punit Deus in hoc sæculo, & in futuro, vt Antiochum, qui hic cœpit grauissimis doloribus laborare quibus illi æterni successerunt: Sodomitæ pœna ignis hic puniti sunt, & deinde æterna: castra Israelis ignis in hoc sęculo consumpsit, & post illum, æternum quoque receperunt supplicium dicente domino. *Ignis accensus est in furore meo, & ardebit vsque ad Inferni nouissima.* Et Hieremias cap. 17. Iudęis idolatris, & obduratis imprecatur, nisi ad Deū cōuertātur. *Induc super eos diē afflictionis, & duplici contritione.* Temporali scilicet & æterna *contere eos Domine.* Locus ergo ille Naum si intelligatur in vniuersum de omnibus peccatoribus, vt à multis accipitur, significat, vt optime Alphonsus de Castro libro citato. c. 8. docet, eum quē in hoc sæculo iuxta mensuram sui delicti punit Deus & ea punitione resipiscit, vt multis iustis accidit, non esse rursum pro eodem delicto puniendum, nisi alia de nouo committat.

Quod si referamus ista verba ad duas tribus, Iuda scilicet & Benjamin, quæ in

prima

prima captiuitate Babylonica fuerant ereptę (qui proprius est istius loci sensus, cum ad illas ibi Propheta ad literam loquatur) Admonet illas Naũ, cum iam propter sua peccata essent punitæ, & ea punitione ad fidē & cultum veri Dei conuersæ, si in ea fide permanerent, ne timerent iterum in captiuitatem duci: quia peccatum iam punitum & á peccatore relictum, nisi in illud iterum redeat, non solet Deus iterũ punire. Quod videntur apperte significare præcedentia verba prophetæ: *Consummationem ipse faciet*, Id est. Cum iam conuersi sitis, & ipse quoque consummabit, & finiet tribulationem vestram, nisi ad eadem crimina, vel similia redeatis. *Non enim consurget*, pro eodem peccato, *duplex vindicta, & punitio* in eum qui per priorem vere conuertitur. Qui sensus verus, & genuinus quam longe distat ab eo, quem qui Gersoni volunt fauere, sequuntur.

Ad vltim. dico. Primo, vt optime obseruat Soto lib. 1. de Iustitia. q. 6. art. 4. Caietanum non bene sentisse, quando in summa verbo Ieiunium. Videtur docere, non satis constare legem ieiunii obligare ad mortale, quia non est lata cum illo additamento sub mortali, vbi insinuat profecto Caietanus opinionem illam Azpilc. debere legem humanam, vt obliget ad mortale illud exprimere: vbi non recte loquitur Caietanus, cum omniũ Doctorum cōsensu, quin & communi conceptione omnium fidelium, præceptum ieiunii obliget ad mortale, & oppositum esse erroneum. Dico 2. Quantum ad præsens institutum. D. Tho. & Caietanum in hac. 2. 2. quādo agunt de ieiunio nihil minus docere, quam quod ex ipsis argumentũ illud colligit. Ibi enim D. Thom. & Caiet. hoc tantum docent, hominem timoratum, & piũ, prudenter iudicantem pro ea quam in se experitur valetudine, ieiunium sibi nociturum, etiam si in eo deciperetur, reuera tamen bona fide ita iudicantem non peccare mortaliter, si tunc dimittat ieiunium. Ex quo malé colligitur, similiter existimantem leges Ciuiles non obligare in conscientia, non teneri ad illas obseruandas sub aliqua culpa. Quia in ieiunio, & temperantia, cum sint virtutes ordinantes hominem ad se ipsum, & exercendæ iuxta valetudinem quam homo in se experitur, sufficit bona fides, ne teneatur quis ad ieiunandum, vbi bona fide probabiliter credit, se carere valetudine ad ieiunandum necessaria. At in iustitia, quę est virtus ad alterum, & in obseruatione legũ, non est summendum iudiciũ ex propria existimatione, vel bona fide, sed ex natura rei & iustitia legis, lex autem si iusta est, obligat omnino quidquid sit de existimatione subditi. Seruanda enim est illi hæc regula, aut nouit certo legē iniustā esse, aut cōtra iustam, vel est dubius: si primum, non tenetur illi obedire, quia lex iniusta non obligat: si secundum, tenetur illam seruare: si dubius similiter, quia in dubio præsumendum est in fauorem legislatoris, & superioris, donec oppositum apperte innotescat.

Nunc ad argumenta D. Nauarri.

Ad Primum resp. variè, & indifferenter in legibus esse iudicandum de pœnis, vel de culpis, nam cum poena non incurratur ex sola trāsgressione legis, sed ex prę́scripto legislatoris, qua de causa solent legislatores poenam quam volunt transgressores suarum legum pati, in ipsismet legibus præscribere. Quando ex verbis legis aperte colligitur transgresionem illius puniendam quidem esse, non tamen exprimitur qua poena, sed possunt verba legis citra vllam vim, & extorsionem de maiori, vel minori poena intelligi: tunc quia odia restringere oportet, debent intelligi de minori. Et hoc certe docent textus quibus in illo primo argumento nititur D. Nauarrus: De culpa autem longe diuersum est iudicium, etenim cum hæc non incurratur ex intentione, aut arbitrio legislatoris, sed ex natura legis, quia eo ipso quo iusta est, obediendum est illi, & omnis inobedientia est culpa, propterea sit ne culpa mortalis aut venialis non est petendum ex verbis legis, aut intentioe legislatoris, sed ex materia ipsius. Vnde non sequitur obligat ad minus nempe ad poenam, ergo non obligat ad maius nempe culpam, quia hæc non comparantur interse quasi vnum excludat alterum, imo vnũ insinuat alterum. In poenis quidem habet locum doctrina ista, vt si de minori posit lex intelligi, non intelligatur de maiori: at in culpa & poena hoc non habet locum.

Ad 2. Respondeo, ex Sacris literis aperte colligi, leges Ciuiles iustas in materia graui in ordine ad bonum commune obligare sub mortali. Cum ex Sacris literis cōstet authoritatem secularem á Deo emanare, & resistentem isti potestati iusta præcipienti, Deo resistere, vnde sententia quam sequimur doctrina est Apostolorum, &

San-

Sanctorum Patrum, vt ex dictis constat, & est comunis apud Theologos: quamuis enim duo vel tres aliter sentiant, innumeri tamē (vt vidimus) DD. tam Theologi quā iurisperiti ita leges exponunt, vt obligent ad culpam pro qualitate rei.

Ad tertium patet solutio ex modo dictis ad tertium Gersonis.

Ad quartum dico, cum qui duobus concurrentibus inter se pugnantibus vnum affirmat, alterum negat, vt vidimus secundo argumento, quo probauimus tertiam conclusionem: at quando illa inter se non pugnant, quin potius sibi affinia sunt, & alterū velut alterius effectus, affirmatio vnius non est negatio, imo insinuatio alterius, nisi oppositum aperte exprimatur. Vnde imponere pœnam non est deobligare à culpa, imo illam insinuare, nisi oppositum legislator aperte exprimat. Vt in variis constitutionibus multarum religionum habetur. Adducit etiam D. Nauarr. in suum fauorem cap. illud Fraternitas 12. q. 2. vbi solius poenæ fit mentio, minime vero culpæ. Sed oppositum potius videtur ex isto textu colligendum. Habet enim ibi D. Gregor. *Vt quidam delinquentes verberibus puniantur, aliis ve damnis, vt per has temporales pœnas liberentur ab æternis.* Certe cum poenam æternam nemo mereatur, nisi pro culpa mortali, poenæ quas ibi D. Grego. assignat, non indicant illum cui imponendæ erant, non incurrisse culpam, imo potius incurrisse & mortalem, cum pro sola mortali pœna eterna debeatur, à qua per illas temporales quas ibi assignat, dicit illos delinquentes liberari debere.

Hac quæstione explicata facile erit de iustitia pretii à lege constituti iudicium ferre. Vnde videamus iam.

Controuersia Nona.

QVA RATIONE LEGES *Principum & statuta Magistratuum quibus constituuntur pretia rebus venalibus obligent subditos.*

Ex præcedentibus controuersiis satis perspicuū manere poterit, leges Principū vel Magistratum imponētes pretia rebus venalib⁹ obligare subditos in rebus grauibus, quales sunt frumenta, carnes, vina, & similia, sub mortali, & cum debito restituendi excessum pretii in huiusmodi legibus taxati.

Cæterum quia propter huiusmodi pretia legalia maxime quæ frumentis & annonæ imponuntur à Rege vel Repub. præsentes cōtrouersiæ, in quibus de vi legum humanarū diximus, propositæ sunt, & explicata; De huiusmodi pretiis & pracmaticis oportet nunc in particulari disputemus, & qua ratione obligent explicemus.

Initio autem huius controuersię. Obseruandum est, In hac nostra ciuitate & Regno Valentiæ non esse legem aliquam certam qua tritico & aliis rebus pretia pręscribantur, sed plerisq; annis Magistratus quos Patres Iuratos vocamus, initio sui muneris cum aliis viris prudentibus, consideratis diligenter & mature illius anni sterilitate, agricolarum expensis & laboribus, constituunt tritico pretium. Quæ taxatio licet non fiat omnibus annis, sed his tantum in quibus temporis sterilitas & cupiditas humana pretia annonæ plus iusto augerent, nec sit semper eadem, sed pro varietate temporum mutetur, habet nihilominus eandem omnino vim in foro animæ quam haberet lex Regia, si à Rege ipso essent apud nos frumentorum pretia taxata: quia ab eodem Rege totum ius gubernandi Rempub. & constituendi, ac pręcipiendi quæ circa hæc & similia visa fuerint necessaria, huiusmodi Magistratibus tributū est plenissime: adeo vt aliis iudicibus interdictum sit, ne circa huiusmodi gubernationem aliqua ratione vel via Iuratorum authoritatem & ius vel in minimo impedire tenent.

Castellæ autem circa annum Dominī 1542. sub Rege Ferdinando fuit constitutum, vt mensura tritici quæ Hispane dicitur *hanega* non excederet 100. teruntios seu *marauedis*: Mensura hordei 70. Olyrę vel centeni 70. Quę pretia progressu temporum creuerunt, donec Anno 1558. Rex noster Philippus secundus constituit mensuram illam tritici vendi 300. teruntiis siue dipondiis: mensuram Ordei 140. Olyræ vero 200. Ita vt ab huiusmodi pretiis (cum hęc lex in communem vtilitatem ementiū lata sit) nulla ratione excedatur. Quod ad farinam & panem coctum pertinet, constituit eadem lex vt mensura farinę triticeę excedat solum triticum in grano 30. teruntiis, pani vero cocto imponatur pretium à Magistratibus vel Aedilibus cuiusq; loci, pensatis prudenter ac diligenter pretio tritici, expensisq; omnibus, & laboribus qui à pistoribus & panificis adhibentur, donec panem

panem coctum in forum ducant. Vbi cauet etiam lex, ne pręter pistores & panificos quibus incumbit ex officio panes conficere, & in forum ducere in communem omnium vsum, vllus alius, neq; per se ipsum, neq; per interpositam personam possit panem coctum vendere, excedendo taxationem Regiam. Feruntur deinde aucta quoque ab eodem Rege illa pretia, ita vt mensura illa tritici quam diximus vocari hanega posset vẽdi nummo aureo, mensura hordei dimidio aureo, mensura vero Olyrę pretio solito 200. dipondiorum.

Anno tamen 1582. ita aucta sunt eadem pretia vt mensura illa tritici vendatur 14. argenteis, mensura hordei 9. Olyræ vero vel centeni 8. In quibus taxationibus aucta solum sunt pretia ista, mutationem istã varietate temporum postulante, cætera vero quæ in prima illa taxatione facta á Rege nostro Phylippo secundo anno 1558. continebantur, in eodem statu permanent. Vult enim vltima ista pracmatica anni 1582. vt omnia illa in suo vigore permaneãt: præcipitq; arctissime, vt omnis excessus á taxatione, emptori restituatur, si quidem ille haberi posit: sin minus pauperibus. Quin vt triticum vltra taxationem venditum præscribatur, persoluatq; venditor in pœnam suæ iniquitatis, pro qualibet mensura sic vẽdita 500. dipondios.

Concedunt autem duo leges istæ. Primo vt geruli isti & agasones quos Hispanè vocamus *Arrieros, o Tragineros*, (quorum nomine vltima pracmatica regia, complectitur etiam quoscunq; deferentes triticum ex vno loco in alium ibi vendendum) vltra taxationem tritici possint recipere pro singula quaque parasanga seu leuca ratione sui laboris & itineris pro vnaquaque mensura sex teruntios, pro mensura hordei quinq;. Secundo eximunt ab huiusmodi taxationibus omne triticum, quod per mare ad horas portusq; Hispaniæ defertur, vt mercatores videntes frumenta sua non astringi pretio legis, ad illa è remotis aliisq; prouinciis ad nos deferenda alliciantur.

Eximuntur eodẽ nomine propter natiuã terræ sterilitatem Gallecia, Gaditania, Asturia, & quædam alia maritima loca quę in illis legibus exprimuntur, cõcediturq; in huiusmodi & similibus locis quorum incolæ maxime indigent pane aduenticio, vt mercatores siue agricolæ aliunde grana eò deferentes nõ teneantur vendere iuxta taxationẽ legis, sed cõmodiori pretio quo potuerint; Licet non propterea integrum illis sit vendere pretio excessiuo & iniusto. Debẽt enim, licet pretio legis non subiiciantur, lege ipsa illos ita excipiente, pretio nihilominus iusto vendere, communi scilicet pretio fori, tali loco & tempore, vel arbitrio prudentum, bonitate tritici, laboribusq;, & expensis in illo asportando factis diligenter ac mature pensatis. Vulgare enim proloquium illud (vt supra vidimus. (*Res tantũ valet, quantum vendi potest*. Ita accipiendum est, vt obseruetur semper aliquod iustum pretium.

Estq; ratio aperta, quia lex concedens huiusmodi mercatoribus ne in istis locis teneãtur vendere pretio ab ipsa taxato, non concedit illis possint vendere ptetio iniusto, non enim esset lex si quidem hoc concederet, sed corruptela, sed id solum concedit, vt possint ibi perinde vendere, ac si nullum esset in illis locis taxatum pretium, at vbi pretium legale non est, debet venditor rem suam vendere vel communi vsu fori, vel iuxta arbitrium prudentum: vnde deferentes grana per mare, vel in huiusmodi loca á lege excepta, debent necessario vendere, aut pretio fori, aut prout prudens iudicauerit tali loco & tempore.

Secundo ius humanum non tollit ius naturale & diuinum, iure autem naturali & diuino quæuis res vendenda est iusto pretio, iustum autem pretium in his, (vt constat ex superioribus) quando á lege non præscribitur, sumendum est ex communi vsu fori vel arbirrio prudentum: Ergo cum istis, leges illæ, pretia non constituant, tenebuntur profecto stare aut vsui fori, aut arbitrio prudentum. Quod etiam docuit illa lex Pretia rerum iuxta quã: *Pretia rerum non iudiciũ mercatorum cupiditate cæcum, sed liberum iudicium multorum debet constituere*; Huiusmodi autem iudicium liberum multorum, est vel vsus communis fori, vel arbitrium prudentum & peritorum in eo genere mercis.

Hoc posito antequam varias circa hanc quæstionem DD. sententias referamus, illud certum esse debet, Siquidem leges istæ obligent in conscientia, excessum pretii ab illis taxati recipere esse mortale ex suo genere, & obligare ad restitutionem, non minus quam si simpliciter ab emptore per furtum acciperetur. Quod non solum intelligendũ est, quãdo excessus est ita notabilis, in vẽditione verbi gratia vnius vel alterius mensuræ, verumetiam quando in singula quaque

quaque mensura esset ita exiguus vt non perueniret ad mortale, in multis autem collectis, ab eodem emptore vel diuersis perueniret ad mortale, quemadmodum diximus de furante res minutas & exigui valoris, iuxta illud D. Hieronym. 14. q. 5. cano. fur. *Furtum non solum in maioribus verumetiã in minoribus iudicatur.* Et D.Tho.sup.q.66.ar.6.

Vbi illud quoq; animaduertendum est, non solum peccare mortaliter, eum qui de facto & reipsa in multis mensuris ita excederet á pretio legis, vt omnes excessus illi, quamuis minutissimi, in vnum tamen collecti eam quantitatem efficerent, quæ sufficeret ad furtum mortale, verum etiam peccare mortaliter illum, qui vel in vna mensura tritici exiguum minimumq; excessum exigeret, habens animum similiter exigendi in omnibus quas vendet. Quia cum in multis, excessus isti in vnum collecti perueniant ad furtum mortale, habens talem animum, eo ipso habet intentionem & voluntatem committendi furtum mortale, quæ voluntas & intentio sufficit ad pec. mort. vt optime docet D.Tho.in hac. 2. 2. q.66.artic.6.

His positis. In hac quæstione variæ & innumeræ fere sunt DD. opiniones.

Imprimis imperitum vulgus, sub cuius nomine intelligo etiam aliquos imperitos confessarios, existimat leges duplices esse, alias præceptiuas, & alias poenales: præceptiuas vocant continentes aliquod præceptum sine vlla poena apposita; & has iudicant obligare in conscientia: pœnales vero vocant continentes aliquas poenas, & has non obligare, sed sat esse violantem illas, exponere se illis poenis si deprehendatur. Ex qua falsa doctrina colligunt, vectigalia nõ obligare in conscientia, cũ habeant appositas poenas non soluentibus illa, nec leges statuentes pretia rebus, cum imponant similiter poenas sui transgressoribus. Cui falsæ doctrinæ ansam proculdubio dederũt Gerson, Nauarrus, & alii quos præced.cont.retulimus, asserentes leges pœnales non obligare ad culpam aliquam in foro interiori, sed ad solam poenam in exteriori.

Eandem sequutus Iurisperitus quidam Hispalensis nomine Mexia vir quidem eruditus, sed in hac parte deceptus, docet variis in locis commentarii quem edidit de pracmatica siue taxa tritici, leges istas taxantes pretia non obligare in conscientia, seruata duplici conditione: prior est, vt non vendatur res in pretio notabiliter siue multum excedente statutum legis: Altera vero, vt vendens credat bona fide se ita posse vẽdere, nec legem obligare illum in conscientia, quia aliter ageret contra conscientiam quamuis erroneam.

Doctor Nauarr.in suo Manuali, licet capit.23.num.48.sentiat (vt controuersia præcedenti vidimus) leges poenales ad solam poenam obligare, minime vero ad culpam, nihilominus deinde num.88.docet nonnulla circa præsentem quæstionem. Imprimis vendentem in pretio à parte rei notabiliter excedente taxationem legis peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem: vt qui venderet pretio vt 10.triticum taxatum à lege pretio vt.8. Secundo clericos teneri etiam ad vendendum pretio legis, quia non sunt exẽpti á legibus secularibus iustis. Tertio docet vt Episcopi præcipiãt clericis vt obseruẽt taxationẽ legis. Quarto admonet Principes & Magistratus, vt taxationem huiusmodi rarissime imponant secularibus, quia datur occasio multorum malorum. Primo vt corrupta & inutilia eodem pretio vendantur, quo optima & selecta. Secundo vt tempore abundantiæ diuites non vendant vsu fori sed iuxta taxationem. Tertio vt tempore ægestatis committantur multa peccata, multis vltra pretium legis vendentibus, reclamante eorum conscientia: quod si non reclamet non est necessaria talis lex & taxatio, cum nec seruetur, nec obliget in conscientia. Tum etiam cogendo emptores ad emendum vna cum sibi necessariis, alia quibus non indigent. Vnde Nauarr. non damnat nisi notabiliter, & cum magno excessu vendentes vltra pretium legis.

Communis vero opinio DD. habet leges Principum & statuta Magistratuum taxantia pretia rebus, maxime quibus vtimur ad victum obligare sub mortali, & debito restituendi quoscunq; ciues in regnis & locis illorum Principum vel Magistratuum vendentes. Ita docent Medina Cod. de Restit.q.31.& 39.D. Tho. opusculo 79.& præsenti art, ac sequenti cui subscribunt Caiet.in commento. D.Antonin.2.p.titu. 1. cap. 8.§.3.& 4.Angelus verbo vsura §. 9. Sylu.eodem verbo.cap.2.§.1.& verbo emptio §.6.7.& 8.Conrrad.de contrac. q. 30. & q,56.& potissime q. 59. Soto de Iusti, lib.6.q.4.art.1, Et omnes illi DD.quos præcedenti controuersia diximus docere, leges poenales, maxime eas quæ & præceptum

continent

continent & poenam, si iustæ sint, & in materia graui obligare sub mortali, quibus non dubitamus subscribendum esse.

Sit ergo conclusio.

Lex constituens pretia rebus venalibus potissime necessariis ad victum, vt tritico, vino, & similibus obligant in conscientia ex suo genere sub mortali, & quidquid vltra illud pretium a venditore acceptum fuerit, restituendum est.

Probatur. Hæc lex est iusta, & in materia graui & adeo necessaria Reipub. ne pretia rerum in immensum crescant iuxta mercatorum cupiditatem, sequaturq; grauis annonæ caritas, in maximum damnum non modo pauperum verumetiam totius populi, ergo obligabit sub mortali. Consequentia certa est ex dictis, Antecedens ostendo. Ad legem iustam requiruntur quattuor, authoritas in legislatore, finis, vt statuatur pro bono communi, materia, vt versetur circa res necessarias vel vtilissimas toti populo, & debita forma, vt non grauentur pauperes & leuentur diuites, vel è conuerso, sed omnibus ex æquo onus illud legis imponatur, & in omnes ex æquo vtilitas illius legis redundet: Sed hæc omnia concurrunt in his legibus imponentibus pretia rebus necessariis ad victum, ergo obligant in conscientia.

Imprimis habent Principes & Magistratus authoritatem, quin & obligationem constituendi pretia rebus iure ipso naturæ, quia iure naturæ & dictante recta ratione incumbit Regi in suo Regno, Præsidi in sua Prouincia, & Præfecto ciuitatis in sua ciuitate ea prouidere, & ordinare, quę ad vtilitatē populi sibi cōmissi expediunt, Quod ius explicatur iure diuino Prouerb. 8. *Per me legum conditores iusta decernunt*; Imponere autem pretia rebus quibus sustentamur prudenter & iuste (vt supra exposuimus) experientia ipsa teste constat maxime expedire. Propter quod, vt vidimus L. prima ff. de officio prefecti vrbis. §. cura carnis, ait Vlpianus: *Cura carnis omnis vt iusto pretio præbeatur ad curam præfecti pertinet.* Et L. Annonam ff. de extraordinariis criminibus præcipitur præsidibus Prouinciarum, adhibeant diligentiam ne annona oneretur. Simile habetur L. Illicitas in princip. ff. de officio præsid. Et L. Vir bonus ff. de Iudicib. Idem docet Glossa in cap. 1. de emptio. & venditio. In verb. venalibus, vbi adducit L. Munerum §. Item Episcopi. ff. de Muner. & honor. & L. Decuriones. ff. de administra. rerum ad ciuita. pertinen. & L. Non debere. ff. ad municipal. & Martinus 5. præcipit, vt Salmanticæ pretia domorum studentium á Prætore ciuitatis, & Rectore vniuersitatis taxentur.

Iam respicere leges istas bonum commune, & versari circa res necessarias constat etiam, cum inde pendeat victus humanus, & pretiorum commoditas circa annonam: & hoc nomine huiusmodi prefectis, & Magistratibus, hæc authoritas commissa sit, vt secundum qualitatē temporum prudenter ac fideliter omnibus diligenter, & cum consilio peritorum pensatis, pretia ista constituant, ne illa á venditoribus in immensum cum graui damno totius populi augeantur: quod profecto accideret, si illorum cupiditati, quę adeo insaciabilis est, pretiorum taxatio pro libito relinqueretur. Qua de causa, vt superius dicebamus cōsultissimum esset Reip. si rerum venaliumQ, quibus ad humanum conuictum egemus, Principes, & Magistratus pretia iusta imponerent, & eos qui illis abundant ad vendendum grauissimis poenis tempore caritatis compellerent. Vt optime D. Antoni. 1. p. tit. 17. Rub. de lege Canoni. §. 2. & Conrrad. de contrac. 3. p. q. 56. concl. 3. vbi affert tria, quę potissime sunt à Rectoribus Ciuitatum diligenter consideranda in taxandis pretiis. Primo, quâ ratione in ciuitate, vel regione res illa abundet, aut deficiat. 2. dispositio temporis, & loci ad facile, vel difficile illam aliunde habendam quando in ea Ciuitate, vel Regione deficit. 3. Ingeniū, & mores incolarum, & ciuium in faciendis sumptibus, & expensis rei familiaris.

Deniq; seruant debitam formam, nam omnibus, ex æquo præcipiunt istę leges, vt illo iusto pretio vendant: nec illud temere statuitur, sed omnibus mature pensatis.

Redundat demum lex ista in communē omnium vtilitatem, tam pauperum quam diuitum, & quotquot in Rep. agunt, cum omnes rebus istis indigeant. Propter quod vt videbimus prohibentur etiam monopolia.

Sed dices læduntur venditores per talem pretii taxationem. Absit, non enim læduntur ipsi, nec eorum bona, cum iustum pretium statuatur omnibus diligenter pensatis, sed læditur solum insatiabilis eorum cupiditas, qui vellent pretia rerum in immensum augeri, & breuissimè ditissimi fieri.

Secundo

Secundo non minorem habet potestatem authoritas Principum & Magistratuum, quam communis consuetudo, imo maiorem: quia consuetudinem, si nociua vel inutilis, prudenter iudicetur á superiore, potest illam sua lege & præcepto vel omnibus reclamantibus reuocare, at legem iustam superioris, ipso reclamante & disentiente nulla consuetudo tollit, Sed pretium currens communi vsu fori, & communi consuetudine contrahentium est iustum, (vt constat ex superioribus) & obligans ex suo genere sub mortali, ita vt teneatur excedens illud omnem excessum restituere: ergo similiter pretium taxatum à lege est iustum, & obligans sub mortali. Et confirmatur, quia vtilius multo Reip. est, ea quibus ad victum adeò indigemus vendi pretio à lege constituto, quam pretio desumpto ex communi vsu fori: quia illud certum est, & semper rationi consonum, cum prudenter & cum maturo concilio constituatur, pretium autē ex vsu fori incertū sit, & quod facile augetur industria & cupiditate vendentiū, sicut melius gubernatur Resp. à Principibus & Magistratibus quā à tota multitudine.

Tertio, Pretia non sunt à iure nature vel diuino constituta, sed ex hominum arbitrio & æstimatione, at arbitrium Principum & Magistratuum maioris est prudentiæ & rectitudinis, quam arbitrium vulgi, á quo pendet vsus fori: debet ergo pretium legis non minus obligare in concientia quam pretium fori.

Quarto, Omnis iniustitia & inæqualitas quæ committitur in emptione & venditione, est prohibita eadem omnino lege diuina & naturali, qua prohibetur furtum; In venditione autem qua res venditur vltra pretium á lege taxatum committitur iniustitia & inæqaluitas, ergo talis venditio est contra legem diuinā, qua prohibetur furtum sub mortali, & sub debito restituendi illum excessum. Maior est B. Pau. 1. Thess. 4. *Ne quis supergrediatur neq; circumueniat in negotio fratrem suū, quoniam vindex est dominus de his omnibus*, vbi Anselmus: *Supergressio est, vbi pro minori pretio illud quod maioris pretii est elicitur, vel contra, circumuentio autem, vbi per dolum frater in ipsa emptione vel venditione decipitur*: Maior patet ex dictis, quia cum lex ista sit iusta, pretium ab ea taxatum est iustum, & vltra illud vendens committit iniustitiam, & inæqualitatem.

Quinto, Esto admittamus dari legem purè pœnalem, quæ ex vi verborum solum obliget ad pœnam, implicitè nihilominus & interpretatiue (vt vidimus) obligat ad culpam, & multo potius quæ est mista continens & præceptum & pœnam, vt vidimus ex ipsomet Henrico, & aliis: nec pœna apposita tollit vim præcepti; At lex imponens pretia rebus non est puræ pœnalis, sed præceptiua, habens duas partes, præceptum, vt res tali pretio vendantur, & pœnē contra aliter vendētes: ergo ista lex etiam si habeat pœnam, obligat nihilominus cum sit materia grauis, & adeo necessaria Reip. sub mortali.

Quod si dixeris lege diuina aut naturali non sunt taxata pretia, ergo non agit contra legem naturalem vel diuinam vendēs vltra taxationem. Hæc ratio nullius est momenti. Nam lege diuina non est assignatus dies festus, sed assignatur ab Ecclesia, at postquam hic dies ab Ecclesia assignatus est, illum violare, est agere contra tertium præceptum diuinum. Similiter hæc bona, mea esse, non statuit lex diuina, sed ius humanum, quo bona diuissa sunt & appropiata, at postquam mea sunt, illa rapere est contra septimum præceptum diuinum. Sic in proposito, lex diuina non statuit pretium, statuit tamen vt res vēdatur iusto pretio: pretium autem iustum est, quod statuit lex, & ita postquam á lege illud positum est, agit contra legem naturalem ac diuinam, qui vltra illud vendit: quia non vendit iusto pretio, ad quod iure naturali ac diuino tenemur. Sicut pretium quod habet vsus fori, non est á lege naturali aut diuina, at qui vendit contra illud, agit contra legem naturalem ac diuinam, quæ volunt res iusto pretio vendi, pretium vero communi vsu fori receptum est iustum;

Sexto, Emere & vendere sunt actus iustitiæ commutatiuæ, in quibus est necessario seruanda æqualitas & valor iusti pretii, constituere autem æqualitatem iuxta valorem rerum, hoc magis debet pertinere ad publicam potestatem, cui ex oficio incumbit curare vt ciues interse æqualitatē seruent, quam ad communitatem, in qua priuatus quisque sua cupiditate in constistuenda æqualitate ista, & æstimādo pretio facile decipi potest: ergo magis pertinet ad bonū cōmune, & æquitatē venditionis & emptionis, vt lege taxentur pretia, quā priuatis arbitriis vulgi & vsu fori. Quo

 nomine

nomine lex ista tamquam à iure naturali dimanans habenda est, cũ sit veluti quędam vox naturæ iustissima & grauissima, *Salus populi suprema lex esto.*

Recentior quidam Theologus, vir certe eruditus & pius, sentit hanc opinionem communem esse probabiliorem & securiorem, tum propter dignitatem tot doctorũ qui illam habent, & argumenta quibus nititur, tum quia iuxta oppositam datur occasio mercatoribus augendi pretia in immensum, offerturq; ansa venditoribus cõueniendi interse, vt contempta lege, nullus eorum vendat nisi tali pretio, licet se ipsos exponant pœnis legis: propterea quod etiam si aliquando deprehendantur, & illas soluant, per excessus tamen pretiorũ quibus res vendent vltra taxam, adquiret plus lucri, quam patiantur damni, soluendo aliquando pœnas legis. Deniq; quia cum leges istas taxantes pretia, vt in pracmatica tritici, non constet esse iniustas, imo apertior sit earum iustitia, & necessitas in fauorem boni communis, censendas esse iustas: leges autem iustas obligare subditos in conscientia, est aperta doctrina D. Tho. & de fide vt vidimus.

Nihilominus vult Doctor iste, opinionem Aspilq. non esse improbabilem, saltem in clericis, ita vt possint vendere fructus suorum beneficiorum, eo pretio quo probabiliter venderentur tali loco & tempore vsu fori: vel arbitrio prudentis, si lex nihil taxasset, cessante etiam omni monopolio & fraude. Quod si quæras ab hoc Doctore, quod sit iustum pretium cessante lege, respondet non esse illud sumendum ex iuditio venditoris, quia hi fere omnes sunt male affecti, ex cupiditate lucrandi; sed ex iudicio eorum, qui in illa arte & merce periti exercitatiq; sunt, simulq; timorati ac probi, & qui ab huiusmodi negotiis iam recesserunt. Ex iudicio istorum, quando interrogantur in conscientia, sicut si interrogarentur in confessione sacramẽtali, esse sumendum pretium, censendũq; iustum coram deo iustitia naturali: quod vocauit Soto iustum naturale, quamuis (vt vidimus) nullum sit pretium iustum naturale, id est iuris naturalis.

Secundo vult Doctor iste, neq; obligare legem istam sub mortal. seculares, quando nihil exprimit pertinens ad mor. id est, quando nihil præcipit vel prohibet, quod alias iure naturali aut diuino non est mort. vel quando non exprimit mentis suæ esse obligare sub mort. Quia si aliquid præcipiat quod iam alias est iuris naturalis, aut diuini, vel exprimat animũ suum esse in illa lege obligare ad mort. veluti si dicat in foro animæ vel conscientiæ, & res sit grauis, tunc obligabit etiam sub mort.

Deniq; iste in reliquis subscribit D. Nauarro, distinguitq; leges Ecclesiasticas, & Ciuiles, eodem modo quo D. Nauarrus. Probat vero hanc suam sententiam. Primo quia hæc opinio non est contra aliquem locum sacræ scripturę, vel definitionem Ecclesiæ, aut doctrinam sanctorum Patrum, habentque illam viri graues, sufficeretque (inquit) vt habeatur tanquam probabilis Authoritas Aspilq. qui in huiusmodi rebus adeo peritus fuit, & tantæ aucthoritatis apud omnes.

Secundo lex Ciuilis tantum obligat de facto, secundum intentionem legislatoris, vbi ergo eam non exprimit, nec vtitur aliqua voce significante, animi sui esse, obligare sibi subditos ad illam legem in foro animæ, non obligabit de facto lex Ciuilis sub mort. In huiusmodi autem legibus taxantibus pretia, non habentur talia verba id exprimentia, sed solum apponitur pœna ergo.

Tertio, odia oportet restringere, obligare ad mort. est odiosum, ergo restringendum tantum ad eam legem, in qua legislator id explicabit. Non enim dicit hęc opinio, non posse leges humanas non obligare quando iustæ sunt, sed has non obligare de factõ ad mort. quia legislator non ita exprimit, & factum de se non est iniquum, cum supponamus vendi res pretio, arbitrio prudentis aut vsu fori iusto.

Quarto leges Ciuiles obligantes in conscientia, contractum iniquum celebratum contra earum præscriptum annullant, & irritant, vt patet ex multis legibus: at istæ leges taxantes pretia non annullant venditiones, quæ fiunt vltra pretium legis, nec præcipiunt restitui illum excessum, vt inique sumptum, sed tantum apponunt pœnam temporalem, ergo non obligant in conscientia sub mort. quamuis illarum transgressores non excusentur à veniali, quia est aliqua inobedientia.

Docet tamen hæc opinio, leges Ciuiles obligantes sub pœna capitis, obligare in conscientia sub mort. & in hoc dissentit á D. Nauar-

D. Nauarro, quia eo ipso non esset lex iusta, quæ pro peccato veniali tanta pœna subditum afficeret, hic autem supponimus legem esse iustam.

Ex his colligit nõnulla consectaria. Primo leges prohibentes ne aliquæ merces adducantur in regnum, vel extrahantur ab illo non obligare sub mort. similiter nec leges quæ aduocatis vel rebus venalibus taxãt pretia, cum in his omnibus apponatur aliqua pœna temporalis, nec vllum verbum sit quo legislator exprimat se velle obligare in conscientia subditos. Secundo transgredientes istas leges, modo accipiant iustum pretium, vel iuxta vsum fori, vel ad arbitrium prudentis & periti, vt explicatum est, non teneri ad aliquid restituendum, nec esse in statu peccati mort. etiam si statuant nunquam illas seruare, nec restituere excessum pretii: & ita esse absoluendos. Tertio extrahentes equos à Regno, vel deferentes arma vel metalla ad infideles, etiam si nulla lex Ecclesiastica id prohiberet, sed sola ciuilis, peccare mort. & tales leges obligare in conscientia sub mor. quia istæ leges imponunt pœnã capitis, quam nullus prudens legislator imponeret pro peccato veniali.

Qua autem ratione hæc opinio sit ad praxim accomodanda ita docet hic autor. Primo admonet ne hæc opinio facile declaretur à confessario, Theologo, vel Iurista, ne detur ansa & occasio venditoribus transgrediendi istas leges in damnum commune Reip. V.g. si quis poenitens accuset se de transgressione talis legis, non debet illi dicere confessarius non esse peccatum, imo graues DD. id reprehendere: Maxime cum ille non sit transgressus legem istam vt sequutus opinionem probabilem, sed mala fide, ductus scilicet sua cupiditate, quod ipsemet satis ostendit, cũ accuset se de illa transgressione legis tamquam de peccato: debetq; cofessarius obligare illum ad restituendum, & asserere illi hanc esse communem opinionem DD. sicut reuera est, quia agens sic, incedet via tuta.

Quod si poenitens interroget confessarium, an tuta conscientia possit transgredi illas leges? Respondet hic Doctor, aut iste pœnitẽs est vir simplex & indoctus, & qui nihil nouit de huiusmodi opinionibus DD. aut est vir acutus & peritus, qui forsan legit hanc opinionem in Manuali D. Nauarri, de quo etiam distinguendum est, nam aut cognoscitur esse vir probus, & timoratus, qui nullo modo excedet iustũ pretium fori, aut vir parum timens Deũ, qui si intelligat legem non obligare in cõscientia, conabitur quantum poterit augere pretia: Viro docto & timorato licet (inquit) declarare opinionem istam Aspilq. probabilem quidem esse, sed ita vt vendat semper pretio iusto vel fori, vel arbitrio prudentis, sed multo probabiliorem & securiorem esse oppositam, & suadere illi vt eam sequatur, coneturq; in rebus conscientiæ tutiori via incedere: viro autem simplici, vel docto sed parum timorato celandam esse ei veritatem absq; mendacio, ne abutatur opinione probabili, quod est certum: & dicendum illi, dimitte nũc inquirere de opinionibus, hæc est communis inter Theologos sententia, & secura, leges istas obligare in conscientia. Referatq; illi nomina Doctorum qui ita sentiunt, laudando illos, & consulendo sequatur hanc sententiam communem, quæ est via certa, & secura saluti animæ.

Quod si adhuc vrgeat, remittat illum ad consulendos Theologos, ac si inuenerit DD. habentes illam opinionẽ probabilẽ, & ei subscripsisse, tunc si audierit ipsius confessionem, vel est curatus, & postulat ab eo confiteri, illum admoneat hanc aliã viã esse securiorem, & fidem ab eo accipiat certam, ipsum non vendituꝝ nisi iusto pretio fori, nulloq; vsurũ dolo, fraude, vel industria vt pretia augeantur: & sic eum absoluat. Quia vt docent omnes DD. in materia de poenitentia, poenitens habens opinionem probabilem non tenetur sequĩ opinionem sui confessarii, etiam si sit probabilior. Quod si non audierat confessionem eius, nec est illius curatus, non audiat illum, sed remittat eum ad alium: quia cõfessarius qui non est curatus nec audiuit adhuc confessionem poenitentis, non tenetur conformare se cum opinione pœnitentis, maxime vbi nouit suam esse probabiliorem & securiorem.

Debentq; hoc maxime attendere confessarii in communitate aliqua vel religione agentes, quia quidquid ipsi faciunt prudenter vel imprudenter, redundat in totam communitatem, similiter Theologi debent in his esse maxime circunspecti, nec opinioni minus securę quantũuis probabili subscribere, sed asserere se esse oppositæ sentẽtiæ: quia nõ est prudentis Doctoris subscribere cõtra leges iustas, & torrentem

rentem DD. Tum etiam quia cum scriptura multorum oculis offerenda sit, qui non sunt timorati, subscriptione illa viri docti abutentur, in damnum Reipu. Tertio quia subscribere est asserere se sequi illã opinionem, non modo speculatiuè verumetiam practice, quod non debet facere Theologus in rebus conscientiæ: sed sequi in praxi sententiam securam. Similiter concionatores non debent hanc opinionem Azpilc. publicè condemnare, quia authoribus grauibus, & qui multum suis studiis cæteros iuuarunt, debetur maxima reuerentia: nec nomina eorum aut placita publicè proponenda sunt, nisi quando sunt asserenda & commendanda: Nec contra illorum sententias est prædicandum: sed tacitis nominibus DD. qui á communi via recedunt; & dimissa varietate opinionum explicandum est fidelibus, hãc esse communem opinionem DD. & securam, transgredientesque istas leges peccare mort. nec esse absoluendos, sed esse in statu damnationis innitendo semper illi fundamento secundum communem opinionem DD.

Secundo colligit ex illa opinione Nauarri Doctor iste: posse omnes istos venditores. *Como especieros*, & similes in aliquibus seruare leges taxationis, in aliquibus non, ita vbi lex fuerit consona iusto pretio arbitrio prudentis vel communi vsui fori: seruent illam; vbi vero non, seruent communem vsum fori ad arbitrium prudentis: supposito istos venditores habere hanc bonam fidem, istam opinionem D. Nauarri esse probabilem, & posse teneri tuta conscientia: quia si habeant fidem in oppositum, agent contra conscientiam: quod nullo modo licet, & iniuste acquirent illum excessum pretii vltra legem, tenebunturq; ad illum restituendum. Similiter confessarius, quem dicimus posse absoluere, debet etiam istam opinionem existimare probabilem, nam si iudicet illam falsam, non potest, quia ageret contra conscientiam. Horum ratio est, quia quando venditor iste vendit pretio legis, vendit pretio iusto ex lege, & sequitur legem iustam; vbi vero non vendit pretio legis, vendit nihilominus pretio quoque iusto ex vsu fori, & bona fide, credens probabilem esse DD. sententiam, legẽ non obligare ipsum sub mort.

Similiter famuli istorum venditorum si sciant dominos suos vendere vltra pretium legis, sequentes opinionem istam vt probabilem & securam, & seruare iustum pretium fori, sunt etiam securi in conscientia vendentes ad imperium dominorum suorum. Quod si istis famulis constet, dominos suos non duci illa opinione vt probabili & secura, nec esse viros timoratos sed cupidos, tunc huiusmodi famuli non sunt securi in conscientia, sed cooperantur peccato suorum dominorum, & tenentur restituere vt coadiutores illius damni.

Tertio colligit ex eadem opinione Doctor iste, fieri posse, vt Petrus aliquo tempore teneatur aliquid restituere, quod alio tempore non teneatur. v.g. si vendat vltra pretium legis ignorans probabilitatem huius opinionis, & credens id sibi non licere, toto illo tempore ex sua conscientia erronea tenetur restituere, sicut qui credit rem quam habet esse alienam. Quando vero nouit opinionem probabilem esse & tutam, talemq; senserit, tunc iam non tenetur restituere. Quia si teneretur, aut ratione iniustæ acceptionis, aut ratione rei acceptæ, non primum, quia iam nouit & credit illud sibi licuisse: nec secundum, quia consequenter intelligit totum illud pretium esse suum, & sibi iuste competere: quemadmodum si Ioannes habeat pallium quod reuera ipsius est, credit tamen alienum, toto illo tempore quo credit alienum, propter conscientiam erroneam quam habet, tenetur restituere: quam primum nouit esse suum, non tenetur: cessat enim iam error ille, & deceptio suæ conscientiæ in eo.

Non dubito Doctorem hunc optasse & nomini Doctoris Aspilq. viri de omnibus adeò bene meriti, & simul conscientiis fidelium prospicere: & leges istas si strictè vt dicunt & ad ad vnguem seruandæ sint in foro animæ & sub mortali, rigidas iudicasse. Et propterea docere, eos tantum mortaliter peccare, & cum debito restituẽdi, qui à pretio lege taxato notabiliter excesserint: qua voce videntur insinuare nõ quemcunq; excessum esse peccatum mortale, sed magnum & notabilem.

Vbi (vt verũ fatear) si exiguũ excessum nec notabilem iudicent, vno tantũ vel altero argenteo excedere in multis frumenti mensuris nõ dãnabo huiusmodi excessum de mortali, quia licet quantitas duorum argenteorũ vel simul & vnico actu ab eodẽ homine inique accepta, vel diuisim à

pluribus

pluribus sufficiat ad materiam furti mortalis, vt docuimus primo tom. q.66. art. 6. contro. 3. nihilominus non est asserendum, Principem vel Magistratum prudentem ita voluisse subditorum conscientias astringere, vt vel solum vnius aut alterius argentei excessum in multis mensuris frumẽti sub mortali instituerint prohibere,

Quod si excessus hic vnius vel alterius argentei aut dimidii, vel partis illius in singulis vel plerisq; mensuris accidat, ita vt in multis, siue eidem emptori venditis, siue diuersis, aliquorum vel multorum argenteorum summam efficiat verbi gratia summam 10. aut 20. aut plurium, non dubito talem excessum in multis variisq; mensuris á venditore prudente & sciẽte acceptum, peccatum mortale esse, & cum debito restituendi: Quia cum taxæ istæ, vt constat, iustæ sint, iustumq; pretium constituentes, & in foro animæ obligantes, qui vltra illas vendit, iniuste vendit, & vltra iustum pretium: excessus autem iusti pretii in hac quantitate 10. aut 20. vel plurium argenteorum siue simul & vno actu recipiantur, siue diuisim & á multis, peccatum mortale est furti ad restitutionem obligãs, vt copiose docuimus.

Vnde colligo in summa siquidem Doctor iste eos solum damnet qui in vnaquaque mensura frumenti notabiliter excedant à taxatione legis, minime vero eos qui quod in vnaquaque mensura parum & minimum iudicaretur, in multis notabilem excessum efficeret, qualis est. 5. vel. 10. vel 20. aut plurium argenteorum audiendus non est: cum talis excessus, etsi in multis accidat, inique accipiatur, & vltra iustum pretium: Quod si notabilem excessum intelligat in multis variisq; mensuris, ita vt in singulis exiguus sit; affirmetq; huiusmodi exiguum excessum, non quidem in multis, sed in vna tantum vel altera commissum non esse mortale, recte docet iuxta communem illam Theologorum sententiam: *Quod ex suo genere peccatum mortale est, ex leuitate materiæ veniale tantum esse.*

Colligo secundo, quod docet iurisperitus ille Mexia in prima conclusione earum quas constituit in suo commentario de taxa tritici, eos solum peccare mortaliter & cum debito restituendi, qui cum maximo excessu vltra illam vendent, multis nominibus reprehendendum esse. Primo quod in messem adeo ipsi alienam falcem mittere voluerit, non enim pertinet ad Iurisperitos quod adeo proprium Theologici muneris est in foro animæ de contractibus iudicare. Secundo quod hispane proponat & sermone communi conclusiones falsum continentes, in re adeo graui, licet ab ipso latine explicentur. Vulgus enim hominum latini idiomatis ignarus conclusionibus illius tantum lectis ansam facile accipiet, vt passim à iusto pretio legis excedat. Tertio quia licet minimus exiguusq; excessus á taxa legis in vna vel altera mensura non sit peccatum mortale, eo modo quo hic explicamus, nihilominus cum vox illa hispana, *Notablemente*, qua ipse vtitur secundũ suã propriam vim magnum graueq; excessum significet, iuxta doctrinam istarum conclusionum non peccaret mortaliter, nec teneretur ad restituendum, nisi qui in paucis vel multis mensuris in multis argenteis excederet à taxa legis, quod cõstat esse falsum. Etenim cum quiuis excessus á pretio legis, quod iustum est sit quoddam furtum sufficit ad peccatum mortale quicunq; excessus tam simul quam diuisim acceptus in ea quantitate quæ sufficeret ad furtum mortale. Quod vero pertinet ad restitutionem quicunq; excessus & maxime exiguus restituendus est; cũ alienũ in nec minima quãtitate possimus retinere: licet cum discrimine illo vt peccet venialiter retinens in ea quantitate cuius acceptio solum esset venialis. Quarto, habet in secunda conclusione licere venditori qui triticũ quod vendit carius emerat quam sit taxa legis similiter etiam carius illud vendere, modo admoneat emptorem se ideo excedere à taxa quia carius prius emerat nititurq; ea ratione quod omnia iura concedunt seipsum seruare indemnem. Confirmat vero quia in eadem lege conceditur agasonibus excedere à taxa pro ratione itineris & vendẽtibus triticum in farina accipere vltra taxam grani triginta dispondios, ratione expensarũ quas fecerint in molis frumẽtariis, sed neq; hæc admittenda vllo modo sunt. Primum quia si taxa legis iusta est, quocunq; titulo ab ea recedere iniquum est & acceptio alieni. Secundo quia vt habet communis omniũ sententia tã Iurisperitorum quã Theologorũ lex non respicit casus particulares sed quæ vt plurimum ac frequentius eueniunt & iuxta constituitur cum omnes pa-

rere tenentur nec possunt aliquo titulo illius iugum expellere aliter enim nihil certum præfingerent; vnde pretio iusto lege constituto tenentur omnes vendere, licet carius aliquis eorum emerit. Tertio, quo argumento sæpe in hac materia vtuntur Doctores: Pretium legis non habet minorem vim quam communis vsus fori, at vsum & æstimationem fori non licet, vt vidimus superius controu. 3. huius artic. contra Scotum & alios alicui mercatori aut venditori præterire, etiam si ipse carius eandem mercem emerit; ergo neq; licebit a pretio iustæ legis eo nomine recedere. Huic denique fortunæ (quod omnes norunt) quicunque venditor se exposuit, vt vilius quandoq; vendat quam emerit, & è conuerso, cui iuxta istam secundam conclusionem Mexię non oporteret ipsum esse expositum, sed semper lucrari. Neq; doctrina istius conclusionis potest locum habere nisi in vno tantum casu, qui ab hoc instituto maxime alienus est, quando scilicet ab emptore rogatus damnum aliquod pateretur, triticum illud vendens; veluti si in alium locum aut tēpus illud seruaret vendendum aut si eo vendito tandē deberet aliud in vsum familiæ suæ emere, & carius, tunc enim non ita ei liceret quia carius emit, sed quia potest damnum, quod rogatus ab emptore in eius vtilitatem patitur iure vitare, seruatis his quæ inferius dicemus de lucro cessante & damno emergente. Ratio vero qua conclusionem istam nititur Mexia confirmare nullam habet vim, Agasones.n.isti aut vendentes farinam non recipiunt augmentum illud tanquam pretium tritici sed ratione laboris sui vel expensarum, vt ipsamet lex docet, quod maxime distat a pretio tritici, quod nulla ratione vel titulo cum lex iusta sit excedere licet. Deniq; est maxime reprehendendus quod nitatur afferre in suam sententiam Diuum Thom. Caietan. Dominicum Soto & alios Theologos, qui vt ex progressu huius disputationis constat oppositum omnino docent.

Ceterū quia Theologus ille cuius opinionem vltimo retulimus, licet opinionem communem probabiliorem quidem iudicet, sequitur tamen illam Aspilquetæ & Mexiæ, argumenta illius diluenda sunt.

Ad primum Resp. Repugnare aperte sententiam istam doctrinæ sacræ scripturæ, & sanctorum, quæ (vt constat tam ex hac quam ex præcedenti controuersia) aperte docet, leges ciuiles iustas bonum commune respicientes obligare sub mortale in rebus grauibus, perspicuum autem est materiam grauem esse, quibus pretiis alimenta victui humano necessaria debeant vendi, ne humana cupiditas cum graui totius populi damno illa in immensum augeat. Vnde si doctor iste cum affirmat opinionem Aspilquetæ probabilem esse, sumat probabile eo modo quo definitur ab Aristotele 1. topico, pro eo quod videtur aliquibus, verum affirmat, hoc tamen non sufficit vt illam amplectamur, ac veram iudicemus: cum ex eodem Aristotele multa falsa sint quandoque probabiliora multis veris. Hic autem certam veritatem doctrinæ queramus, non solam opinionum probabilitatem: constat autem ex dictis (vt modo dicebam) leges ciuiles iustas obligare in conscientia, sub mortali in materia graui.

Ad secundum falsum est antecedens, vt constat ex præcedenti cont. vbi abunde docuimus, in legibus humanis maxime ciuilibus non esse sumendum iudicium ex intentione legislatoris, neq; ex verbis eius, quia nunquam legislatores ciuiles consueuerunt explicare, animi sui esse ad hanc vel illam culpam obligare: cum ipsis solum incumbat condere leges iustas; & bono communi necessarias; quomodo autē obligent, curent illud fideles, quibus satis iam constat lege diuina ac naturali superioribus obediendum esse cum iusta pręcipiunt.

Ad tertium. Dico odiosa restringenda esse in dubiis quorum neutra pars certa est, sed de vtraq; prudenter dubitatur; at hîc non licet dubitare leges ciuiles iustas obligare in conscientia, cum tot locis sacrę scripturæ, & rationibus adeo apertis constet; quod si nonnulli aliter sentiant, non propterea sententia nostra redditur minus certa, aut minus vera, cum illi infirmis nitantur rationibus, & locis ac textibus male intellectis, vt ex progressu huius controu. & pręcedentis constat.

Ad quartum dico, non semper leges ciuiles irritare omnem contractum iniquum, nam in hac materia de emptionibus vt controuersia vltima abunde videbimus, leges ciuiles annullant quidem venditionem

nem vltra dimidium iusti pretii, minime vero eam, quæ est dimidium, at nullus Theologorum dubitat vendentem vltra iustum pretium, etiam si non excedat medietatem illius, inique vendere, & teneri ad restituendum. Sufficiebant quidem hęc ad præsentem controuersiam, sed licet hęc verissima sint, solent nihilominus Agricolæ, & mercatores, qui frumenta ex Sicula, aliis ve locis ad nos asportant, pretium á lege taxatum quandoque excedere nonnullis rationibus adducti.

Primo quia superant nonnunquam labores & expensæ quas fecerunt, vel in colendis & seminandis agris, colligendisq; fructibus, vel in illis ad nos aliunde deferendis pretium taxatum, iniquumq; videtur, vt qui ciuibus suis victum annonamq; parat, pro huiusmodi beneficio detrimentum in suis bonis patiantur.

Secundo vnusquisque est in rebus suis moderator & arbiter, vt habetur L. In re mandata Cod. Mandati, ergo licebit vnicuiq; rebus suis pretia imponere, & illas ita vendere, modo nulla vtatur fraude. inique ergo agit lex, hac libertate & iure expolians venditores suarum rerum. Et confirmatur: Scienti & volenti non fit iniuria, sed qui vilius vendit aut carius emit seclusa vi & fraude, ita vendit vel emit altero sciente ac libere consentiente, ergo nulla fit ei iniuria. Tertio lex humana non obligat nisi promulgata & recepta á ciuibus, vt docet D. Augustinus, & habetur dist. 4. Cano. In istis. Et L. De quibus. ff. de legibus, sed istas leges taxantes pretia communiter non recipiunt mercatores, & venditores, cum frequenter pluris vendant, absoluanturq; à confessariis. Ergo nõ obligant.

Quarto quia pretia rerum ex illarum abundantia & inopia mensuranda sunt, non ex Principis aut Magistratus voluntate.

Deniq; cum leges istæ pretia taxantes pœnam contineant, debent censeri poenales, ac propterea non obligare ante iudicis condemnationem. Ex illo capit. Fraternitas. ad nota Glossa 12. q. 2.

Hæ tamen rationes nullas in hac parte habent vires, idem enim accidere potest, (vt superius vidimus) agricolis & mercatoribus, si solo vsu fori pretia rebus constituerentur, nec vlla essent á lege præscripta: deberent enim iuxta pretium illud fori necessario vendere, quantumuis non æquaret illud, ipsorum labores & expensas.

Vnde ad primam dico imprimis, leges superiorum (vt docuit Aristo.) non respicere peculiares casus & euentus, sed ea tantum spectare quæ frequentius eueniunt; & hac ratione taxari pretia á superioribus, pensatis diligenter & mature, iuxta ea quæ frequentius accidunt, quos labores patiantur, & quas expensas faciant agricolæ in sua agricultura, & collectione fructuum, vel mercatores in deferendis frumentis: Quod si nonnunquam excedant eorum labores & expensæ pretium taxatum, nonnunquam etiam & frequentius multo excedit pretium & lucrum ipsorum expensas. Sunt autem hæc accipienda de mercatoribus, qui propria sponte & negotiationis causa, vt ex ea lucrum recipiant, frumenta deferunt, nec iussi á Repub. vel illius commissione illa asportant: hi namq; pretio taxato á lege, vel recepto vsu fori eo tempore, quo frumenta sua vendunt, tenentur stare, nec augere illud possunt, etiam si damnum aliquod propterea patiantur, sicut non tenentur illud minuere, quando eo seruato maximum recipiunt lucrum: debet namq; esse æqua vtriusq; euentus ratio & conditio. Qui vero iussi á Republic. & ab illa vocati aspportandis frumentis incumbunt aliquando, cum hoc officium præstent ex illius conuentione, possunt, quin & debent Reip. gubernatores iuxta illorum labores & expensas pretium constituere, in eo enim casu frumenta ad nos ducunt tamquam Reip. ministri, nemo autem debet propriis expensis & cum iactura sua aliis inseruire, sicut neq; propris stipendiis militare.

Ad tertium. Respondeo leges taxantes pretia satis abunde esse promulgatas, omnibusq; innotescere, quod vero á nonnullis iniquis & auaris venditoribus non obseruentur, vel quod hi ab imperitis confessariis absoluantur, non tollit earũ vim. Nõ enim indiget lex quæ iusta est, vt vim habeat ad obligandum consensu inferiorum, alioquin tolleretur obedientia quam inferiores superioribus debent, penderetq; authoritas superiorum ex consensu inferiorum: quæ maxima sunt absurda, & vniuersam rectam rationem gubernãdi destruentia.

Ad secundum. Respondet optime Medina, vnumquemque esse arbitrum & mode-

ratorem suarum rerum, non quocunq; modo, sed seruato iusto pretio: quod autem sit iustum, petendum est ex regulis quas hic proponimus. Lex ergo illa habet locum, vbi pretia nec lege superioris, nec vsu fori certa sunt, vt in rebus illis, quæ raro venduntur, de quibus egimus in tertia regula iusti pretii, quam vocauimus mutuam contrahentiũ conuentionem. Ad confirmationem dico in libera donatione nullam fieri iniuriam scienti & volenti, at in contractu emptionis & similibus fit iniuria, si non seruatur iustitia illius contractus, etiam si alter consentiat: nam eo ipso quo non seruetur iustitia, infertur iniuria: pertinet autem ad iustitiam emptionis, vt res iusto pretio vendantur, nec temere ac prohibito. Dico etiã, quemcunq; ementem vel vendentem, eo ipso quo instituit non dare gratis, sed per cõtractum, nec dare libere, nec velle carius iusto emere, aut vilius vendere: sed si consentiat, aliqua necessitate adductum in illud cõsentire, quo fit vt ille consensus non sit voluntarium liberum, sed mistum, sicut illius qui ingruente tempestate proiicit merces in mare. Regula autem illa. *Scienti & volenti, &c.* Intelligitur de libere consentiente, & citra vllam necessitatem vel coactionem. Vt vidimus primo to. q. 95. art. 2.

Ad quartũ. Dico Principes & Magistratus prudenter expendere rerum, quibus pretia imponunt abundantiam vel inopiam, iuxta ea quæ frequentius eueniunt: qua de caussa pro varietate temporũ, vt videmus, pretia ista mutant. Quod si nonnunquam venditores, licet pretia ista à superioribus mutentur & augeantur, patiantur nihilominus aliquod detrimentum, non propterea liberantur à debito seruandi pretiũ taxatũ, quia leges & statuta superiorum non respiciunt priuatum bonum huius vel illius, sed commune & publicum: cum bonum totius præferendum sit bono partis, pertinet autem maxime ad bonum commune in rebus adeo necessariis humano victui, certa pretia omnibus diligenter & mature pensatis constituere, ne venditores pretia huiusmodi rerum in immensum producãt, coganturq; pauperes fame perire.

Ad vltimum dico, leges istas non esse pure poenales, sed præceptiuas etiam, constituentes rebus iusta pretia: quo fit, vt venditores illa excedentes iniuste vendant, & cum debito restituendi.

Duo ex his colligere licet. Prius est, mercatores qui per aliquot annos fructus aliorum emunt, quos vocamus *Arrendadores*, quantumuis pretium, quod ipsi fructibus illis reddunt excedat pretium legis vel fori non posse propterea ipsos carius vendere, tum quia huic damno se ipsos exposuerunt, tum quia apud illos non debent frumenta ali q; fructus amplius valere, quam apud agricolas vel alios primæuos illorum fructuum dominos valerent; cum non minus debeant illi quam hi iusto pretio res suas vendere, iustum autem pretium huiusmodi fructuum nullum aliud sit, nisi vel taxatum à lege, vel vbi lex nihil constituit receptum communi vsu fori.

Alterum est Rempub. parantem annonem in communi, ne ciuibus victus deficiat, posse & debere frumenti suis illud pretium statuere, quo omnes expensę ad primam illorum emptionem, traiectionem, & conseruationem necessariæ, & ad omnes sumptus, qui in hunc vsum deseruiunt, comprehendantur. Quã enim lege annonæ cura Magistratibus incumbit, eadem inest illis authoritas constituendi pretium, quod omnes expensas annonæ deseruientes complectatur.

Huic controuersiæ nonnullæ dubitationes quarum explicatio vtilissima est, affines sunt. Et imprimis videamus oportet.

Controuersia Decima.

TENEANTVR NE ETIAM *clerici frumenta & fructus, quos ex suis beneficiis vel patrimonio habent, pretio legis vendere?*

SVNT qui opinantur eos non teneri, vt Theologus ille cuius opinionem controuer. proxime præcedenti vltimo retulimus, & nonnulli alii, modo pretio arbitrio prudentum iusto illa vendant. Quod imprimis probant, quia clerici non adstringuntur legibus ciuilibus Principum, vel Magistratuum secularium.

Secundo. Quia si exteri ducentes frumenta per mare non tenentur vendere illa pretio legis, multo minus Clerici, qui à legibus secularibus magis exempti sunt quam illi. Vt constat ex cap. Decernimus, de Iudic. & cap. si diligenti. de foro compe. Similiter bona, vt videre est Can. Bene quidem dist. 96. & cap. Ecclesia

clesia sanctæ Mariæ. De constitutio. Imò sunt magis exempti quam exteri: hi nãq; si apud nos crimen aliquod committant, puniuntur à iudicibus iuxta leges nostras, à quibus tamen Clerici puniri non possunt, etiam si similia delicta committerent.

Tertio, Videntur huiusmodi taxationes Ecclesiarum vtilitati obesse. Quia si Clericorum frumenta, & fructus possint carius vendi, quam sit pretium legis, Ecclesiastici fructus plura valebunt, & mercatores illos per aliquot annos ementes quos dicimus *Arrendadores*, maiora offerent pro illis pretia: quibus commodis priuantur certe Clerici, & eorum Ecclesiæ, si debeant pretio legis stare.

Deniq; Lex pœnalis non obligat eum, quem pœna quam continet punire nõ potest, sed leges istæ taxantes pretia continẽt pœnas, iudex autem secularis non potest Clericum, si carius vẽdat, pœnis illis mulctare, cum Clericus non subiiciatur iudicio seculari, ergo non tenebuntur ad leges istas obseruandas.

His tamen non obstantibus sit conclusio.

Leges taxantes pretia rebus non solum obligant in conscientia, & sub mortali ex suo genere, ac cum debito restituendi excessum ipsos seculares, verumetiam Clericos, quotiescunq; illas vendiderint.

Probatur licet Clerici non sint subiecti legibus Ciuilibus, sunt tamen subiecti legi naturali, & diuinæ, quæ præcipit ne res alio pretio quam iusto vendantur, sicut Gallus, vel Italus licet non sit subiectus legibus Hispaniæ, tenetur nihilominus merces quas ad Hispaniam defert vẽdere pretio, quod in Hispania tali loco, & tempore censetur iustum, quia vendere iusto pretio est à iure naturali, & diuino quod omnes obligat. Sed pretium taxatum à lege simpliciter & absolute est iustum, respectu cuiuscunq; ementis, vel vendentis: ergo tenentur etiam Clerici vendentes, illud seruare. Maior cum consequentia perspicuæ sunt. Minor constat ex dictis, Et confirmatur quia similiter Clericus non est subiectus consuetudinibus secularium, at vbi lex non taxauit pretia, sed sumuntur illa ex communi vsu fori, tenentur Clerici, sicut cæteri layci vendere quoq; iuxta communem vsum fori: quia tunc pretium illud est iustum, ergo quando pretium est taxatum à lege, sicut ad illud seruandum tenentur layci quia iustum est, ita & Clerici. Vnde lex secularis non subiicit sibi Clericos, sed solum statuit pretium, quod quam primum ab illa statutum est, est iustum, pretium vero iustum lex naturalis & diuina pręcipiunt ab omnibus obseruari.

Secundo: Leges Ciuiles taxantes pretia id potissime faciunt propter pauperes, ne excessiuis rerum pretiis oppressi fame pereant, hi namq; sunt, qui vbi annona deficit magis indigent: sed ad subueniendum pauperibus, & iuuandam eorum indigentiam ex superfluis statui magis tenentur Clerici, quam layci, cum hi solum tenentur ex charitate, Clerici autem vt videbimus to. 3. ex charitate, & iustitia. Ergo.

Tertio. Ex Panormitano, Syluestro, Caietano, Soto, & communi DD. sententia Clerici, sunt quidem immunes à iurisdictione seculari, quo ad ea quę ipsorum statui indecentia essent, vel impedirent ne libere, & commode vacarent cultui diuino, qua de causa nõ sunt exempti quo ad leges respicientes bonum commune, & necessitates Reip. peccaret enim grauiter Clericus si extraheret equos à Regno, si deferret arma prohibita contra leges Principum, quia huiusmodi leges respiciunt debitam, & optimam Reip. gubernationem. Leges autem taxantes pretia respiciunt debitam gubernationem, & necessitatem Reipub. Ergo tenentur quoque ad illas.

Quarto. Leges Ciuiles istæ nisi sint contra dignitatem, vel libertatem Ecclesiasticam obligant etiam Clericos, vt habet cõmunis DD. sententia in materia de ordine. vt docet Soto in suo 4. dist. 25. q. 2. arti 4. concl. 4. sed hę leges sunt iustę nec libertati aut dignitati Ecclesiasticæ repugnant, imo reclamat recta ratio, vt Clericus vendat carius quam laycus, & vltra pretium legis, ergo. Quinto. Lex iusta, circa pretia, eo ipso quo statuit pretium, facit actum illũ emptionis, & venditionis actũ iustitię commutatiuæ in tali pretio, perinde ac si fieret hic contractus: do tibi hanc rem, vt des mihi pretium legis quod iustum est: sed iustitia commutatiua obligat omnes tam Clericos quam seculares sub mortali, ita vt illam violans teneatur ad restituendum, quicunq; ille sit, Ergo.

Sexto. Ex D. Thom. 1. 2. q. 96. art. 4. leges Ciuiles iustę nisi sint indecentes ali-

cui statui non solum possunt obligare, verum de facto obligant quoscunq; ciues illius Reip. Alio qui quomodo recte illa gubernaretur? Repugnat enim maxime, vt sit quis mẽbrũ, nec deseruiat bono totius corporis, vnde obligant quoscunq; : ita vt si materia sit grauis, obligent sub mortali: Sed hæc lex est iusta & in materia graui, vt ex superioribus constat, ergo obligat omnes ciues etiam Clericos, cum non sit indecens Clericis vendere pretio quo vendunt layci, & non carius, imo maxime decens: Vnde pracmatica Castellę pretia taxãs exprimit aperte, Clericos quoq; in ea comprehendi.

Hęc conclusio non modo est D. Tho. locis superius adductis, verumetiam recepta ab omnibus fere Theologis vt docent Syluest. verbo. L. §. 15. Soto lib. 1. de Iustitia. q. 6. art. 6. & omnes recentiores discipuli D. Tho. verumetiam est communis inter peritissimos Iuris canonici. Ita enim habent Ioan. Andreas cap. Ecclæsia. Vt lite pendente. &c. Hostiensis eodem cap. Ecclesia. & in cap. finali de Solutio. Panormit. in cap. Quod Clericus. De foro competenti, vbi disputat qua ratione Clerici in conseruandis terminis statuta laycorum debeant etiam conseruare. Abbas in cap. fina. De vita & honesta. Clerico. Deniq; vt alios innumeros prętermittam Felinus, & communis in c. Ecclęsia. S. Marię. De constit. Hi omnes, aperte docẽt leges siue statuta laycorũ ad bonum commune pertinentia Clericos etiam comprehendere. Eoq; nomine affirmant legem Principis secularis prohibentem non extrahi equos á Regno, arma huius, vel illius generis non deferri, & similia, quæ maximè bonum commune respiciunt, Clericos etiam obligare. Ita habent in cap. 1. §. Si Clericus. De pac. tuen. & eius viol.

Ex qua cõmuni doctrina sequitur aperte, non licere clericis aliter suum triticum vendere quam laycis, nisi ixuta pretium legis vel vsum fori, vt optime colligunt Ioãnes de Platea §. Item lex Iulia nume. 108. Institut. de public. Iudic. & Palatios Ruuios in Repet. in cap. Per vestras. num. 13. de donatione inter vir. & vxo.

Præterea leges ciuiles, quæ iustæ sunt & Reip. vtiles, amplectitur Ecclesia, oportebit ergo & Ecclesiasticos vbi statui vel dignitati eorum non aduersantur, illis esse subiectos: Antecedens ex ipso Iure canonico constat, nam in cap. Super specula de priuilegiis, dicitur: *Sancta Ecclesia legum ciuilium non respicit famulatum, quæ vestigiis æquitatis & iustitiæ non aduersentur:* Quod in multis est videre: nam in cap. 2. de dispensatio. impuber. (quæ materia Ecclesiastica est) dicitur, terminum á legibus statutum conseruari debere ad contrahendum matrimonium. In cap. Venientes. De Iure Iuran. In materia iuramenti leges afferuntur ciuiles ad interpretationem iuramenti, In cap. vt inquisitionis. De hæreticis lib. 6. fatetur ipsemet Sum. Pont. se velle obseruare leges á Federico olim Imperatore Romano de puniendis hæreticis editas: Similiter habetur in cap. Cum secundum leges. Eodem titulo. In cap. ex diligenti. De simonia obseruandas esse leges ciuiles in criminæ Simoniæ, quatenus iustæ sunt, & sacris canonibus non contrariantur. Extant innumeri alii textus in huius rei confirmationem.

Deniq; debet illos maxime ad ita vendendum suadere, quod cæteri omnes ex eodẽ statu & ordinẽ qui frumẽta nõ colligunt, nec habent nisi empta, quin & illi idem qui progressu temporis beneficia obtinuerunt, quorum reditus in fructibus consistunt, antequam illa obtinerent iniquum iudicabant, aliter illa vendi a clericis, quã vel iuxta legis præscriptum, vel vsu fori, vbi legis taxa nihil præscribit: Quod si ita censebant dum ab aliis frumenta emere ipsos oportebat, cur postquã illa habent ex propriis reditibus, & in ea copia vt aliis vendere possint, tam æquũ sanctumq; iudicium mutarunt? Num quia benignitas, qua Deus in illos ita vsus est, aut Ecclesiæ patrimonium quod tam feliciter sortiti sunt, ad huiusmodi cupiditatem seu iniquitatem forsan eos adhortantur? Pudeant obsecro, quæ ab aliis sibi fieri noluissent, ipsos aliis tam inique præstare velle, contra vocem illam totius naturæ. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Quam vocem non solum sacra scriptura passim proponit, tamquam vocem totius legis & prophetarum, & præstantissimum Christianæ æquatis & pietatis fundamentum, vt videre est Thobiæ 4. Matth. 7. & Lucæ 6. verumetiam & ius canonicum in primo limine habet scriptum, vt habetur Canone. Humanum genus, distinct. 1. & in cap. Dilecti de Maior. & obedien. Quin & Imperatorem Seuerum referunt authores grauissimi, licet Ethnicum dicere solitum

litum, sententiam istam. Quod tibi fieri non vis, &c. maxime dum aliquem corripiebat, vel præcipiebat puniri, quam etiam referunt à Christianis didicisse. Nec valent argumenta initio huius quæstionis adducta in oppositum: Nam ad primum constat ex argumentis propositis quomodo Clerici teneantur etiam ad obseruandas leges iustas Principum, quæ statui & dignitati eorum non repugnant.

Ad secundũ dico exteros non teneri ad vendendũ pretio legis, quia ne illi desinant ad nos deferre frumenta, conceditur eis ne teneantur vendere pretio pracmaticæ, ita vt si illos non eximeret, tenerentur etiam illius pretio stare, Clericos vero non eximit, quin potius pracmatica ista expresse pronunciat illos quoque comprehendere.

Ad tertium. Respond. imprimis, Principes quoque ipsos simili damno affici; plus namq; valerent etiam ipsorum reditus, & pluris emerentur ab arrendatariis, si liceret illis carius vendere quam sit pretium legis: patiuntur nihilominus hoc damnum, vt consulant bono communi, cui non minus debent deseruire clerici quam seculares; pertinet autem maxime ad bonum commune, certa esse ac taxata pretia annonæ.

Sed dices Principes, quæ hac via amittunt, multis aliis recuperare, institutis & impositis variis tributis & vectigalibus: quod Ecclesiis & clericis non licet: Respondeo, esto ita res habeat, nullam fieri propterea clericis iniuriam. Primo, quia Principes tenentur, non solum ciuium suorum victui prospicere, verumetiam illorum gubernationi ac defensioni, quod non possunt nisi collectis ab eisdem ciuibus per tributa & vectigalia variis peccuniis: Clericis vero solum incumbit cura suæ familiæ, & pauperum, quibus fructus quos habent abunde sufficiunt, cum ex illis, etsi vilius vendãtur, se ipsos suamq; familiam alere commodè possunt, & pauperum necessitati plurimum subueniunt. Quæ enim maior pauperum vtilitas & subuentio, quam vt alimenta quibus indigent facilius & vilius emere possint?

Ad vltimum Resp. posse illos puniri á iudice Ecclesiastico, quin & deberi tanquam iustarum legum, & quæ, ad commune bonum adeo necessariæ sunt, iniquos transgressores.

Ex his sequũtur duo: Primo illũ qui emit rem aliquam ab vno vltra pretium legis, non posse eandem alteri vendere eodem pretio quo emit, sed tantum pretio legis: quia propterea quod aliquid ab altero emeris, iniusto pretio non conceditur tibi facultas similiter vendendi pretio iniusto, cum vendere pretio iusto omnes obliget & in quocumq; casu.

Secundum vendentes vltra pretium legis sed in excessu leui peccare tantum venialiter, & teneri ad illud restituendum sub pœna venialis: Quod si multoties vẽdat vltra pretium legis, etiam si quauis vice excessus sit exiguus, nihilominus si illa minima, collecta perueniant ad quantitatem quæ sufficiat ad furtum mortale, vt diximus in materia de furto, vendere illo modo vltra pretium legis esse mortale, & teneri sub mortali ita vendentes totam illam quantitatem, quæ per minutiores excessus est collecta, restituere.

Quæret nunc aliquis.

Controuersia Vndecima.

AN QVANDO PROPTER *abundantiam Annonæ pretium fori vilius est quam illud taxatum a lege, liceat vendere frumenta iuxta pretium legis?*

THOMAS Mercatus in opere suo de contract. Lib. 1. cap. 7. videtur sentire, pretium taxatum à lege eam vim habere, vt quandiu lex illa non reuocatur, liceat pretio legis tamquam iusto merces vendere, etiam si eædem propter illarum abundantiam communi vsu fori vilius vendantur. Exemplum affert in merce linea; si lege (inquit) impositum esset lineæ merci, vt posit vlna illius vendi à minimo aliquo pretio vsq; ad pretium sex argenteorum, communi autem vsu fori vendatur singula quæque vltra propter illius mercis copiam quattuor argenteis, licebit nihilominus mercatori quandiu lex illa non reuocatur, vendere quoque sex argenteis; quod est pretium taxatum à lege. Licet tutius (inquit) sit, & securius dimisso pretio legis, vendere mercem iuxta communem vsum fori tali loco & tempore.

Hanc sententiam non probat Mercatus

posset

posset nihilominus probabilis alicui videri. Primo. Quia vt supra vidimus, prima regula iusti pretij est taxatio legis. Secunda vero communis vsus fori, inter quas hunc constituimus ordinem, vt communis vsus fori obseruetur necessario, vbi rebus nō est constitutum pretium aliquod à lege, vnde in rebus quibus á lege præscriptum est, quandiu lex illa non fuerit reuocata, licebit pretio illo legali tanquam iusto vti.

Secundo. In emptione, & venditione, & in quocunq; contractu debet esse par, & æqualis contrahentium ratio, & conditio, at vbi pretium est taxatum à lege, non licet venditori illud excedere, etiam si propter mercium defectum, & inopiam sua pretiosior reddatur, & maioris valoris communi hominum æstimatione, ergo neq; tenebitur descendere ab eodem precio legis, etiam si propter eiusdem abundantiam illa vilescat, & minoris æstimetur in vsu fori, sed poterit illam vendere seruato pretio legis.

Veteres Theologi de hac dubitatione, & similibus parum, aut nihil fere scriptum reliquerunt. Recentiores vero conueniunt quidem omnes, quando propter anni vbertatem, aliarum ve rerum affluentiam frumenta, vel quæcunq; aliæ merces communi vsu fori minoris venduntur, quā sit pretium taxatum illis á lege, non posse eo tempore & loco pretio legali huiusmodi res vendi, sed eo tantum, quod tunc habet communis ille vsus fori: adeo vt si quid vlterius recipiatur, iniustum sit, & restitutioni obnoxium. Conueniūt in hac sententia Cordubensis in suo tractatu de casibus conscientiæ q. 84. Barthol. Medina in summa cap. 14. §. 25. Palatius lib. 2. cap. 2. & quotquot sunt recentiores interpretes D. Thom. in hoc art. quibus etiam fauet Conrradus de contrac. parte. 3. q. 57. conclusione. 1.

Sed quamuis in hac sententia omnes conueniant, in reddenda tamen ratione dissident. Omnes namq; DD. modo citati hanc reddunt rationem. Quia leges taxantes pretia rebus venalibus, quædam institutę sunt in vtilitatem ementium, cōstituentes pretium illud quod assignant, tanquam terminum, & metam vltra quam ascendere in pretio non liceat: vt hac taxatione & via, cupiditati vendentium occurratur, quorum fames, & auiditas in augendis pretiis vix vnquam saturatur. Alię vero institutæ sunt in vtilitatem vendentium, constituentes pretium à quo descēdere non liceat, ne venditores propria necessitate, & indigentia oppressi res suas prodigere compellantur. Inter quas hoc inquiunt est discrimē, vt priores illæ, cum sint in vtilitatem ementium, & ad coercendam vendentium cupiditatem, non costituant taxam illam tamquam semper obseruandam, neq; pretium illud velut absolute, & simpliciter iustum & æquale, sed tamquam terminum & supremam lineam, á qua, deficiente re illa venali, ascendere non liceat, vnde cessante defectu illo mercium, qui augendis pretiis causa esse solet, non tollit lex ista vim illam, quā habet comunis vsus fori in constituendis pretiis, sed obseruandus est vbi fuerit rerum abundantia, perinde ac si talis lex nō existeret: Repugnat enim rectę rationi, vt quod ad reprimendā venditorū cupiditatē tātum institutum est, & tamquam remediū caritatis ex defectu mercium, illorum cupiditati patrocinaretur. Similiter posteriores, cum sint institutæ in vtilitatem vendentium, constituunt quidem pretium illud quod assignant, velut terminum etiā & metam, à qua non descendatur, ne vēditor necessitate propria adductus rem suā prodigere compellatur, non tamen tollunt quin maius pretium pro re illa accipi possit, maxime si vsu fori similes carius vendantur, quam sit pretium illud legis.

Ex hoc fundamento colligunt leges imponentes pretia frumentis, cum pertineāt ad priores illas, quæ in vtilitatem ementiū conditæ sunt, & ad cohibendam agricolarum, & mercatorum cupiditatem, ita cōstituere pretium illud, vt quando annonæ caritas fuerit, obseruetur omnino tamquam iustum, & à quo excedere nullomodo liceat: sterilitate vero illa cessante, & aduenientè fructuum abundantia, retineat vsus fori eandem vim quam haberet, si eo tempore nullum esset impositum frumentis pretium á lege. Iniquum enim profecto esset, vt eo tempore quo diuina pietas pauperum miserta annonæ abundantiā contulit, priuaret eos lex humana cœlesti illa benedictione, & fauore. Ad posteriores vero pertinere census, & iura quæ domibus, agris, aliisue rebus fixis accepto aliquo pretio imponuntur, ita vt huiusmodi census, & iura non liceat vilius emere, quam sit pretium legis. v. g. vt mille non minus emantur quam per quatuordecim

cim milia, pluris vero emi possint ex mutua conuentione, & consensu contrahentium: quia lex ista nō prohibet quin pluris vendi possint, quam sit pretium ab ipsa taxatū, sed illud tantum interdicit, ne minoris emantur: quia prospicit vtilitati venditorum, qui huiusmodi iura, & census nunquam solent bonis suis imponere, nisi necessitate aliqua adducti, ad quam leuandam quacunq; peccunia, & quocunque pretio huiusmodi onera rebus suis imponerent, & cum qualibet iactura sua, nisi huiusmodi damnis, pretio constituto lex occurrisset.

Sed hæc ratio licet omnibus fere DD. maxime placeat, iunior nihilominus quidam, & mei Augustiniani instituti F. Petrus Aragon minus accommodatam censet hac adductus ratione. Vel pretium lege taxatum iustum est, vel iniustum: iniustum censendum non est, cum constet ex superioribus, Principes, & Magistratus in huiusmodi pretiis constituendis perpendisse diligenter, & mature, ea omnia quæ ad constituendum cuiq; rei iustum pretium, pro tali loco, & tempore considerāda sunt. Quod si iustum est, sicut censere oportet, lex illud constituens siue respiciat vtilitatem ementis, siue vendentis, poterit perpetuo obseruari, donec reuocetur: quia pretium iustum obseruare licet in omni venditione. Vnde cur tempore abundantiæ non sint merces vendendæ pretio legis, sed iuxta communem vsum fori, in quo vilius venduntur, non erit desumendum ex distinctione ista legum, quarum aliæ vtilitati vendentis, aliæ vero vtilitati emptoris prospiciant, sed aliunde.

Quod si dixeris legem istam propterea tempore abundantiæ non habere vim, quia communis æstimatio hominum efficit, vt pretium ab illa taxatū eo tēpore non sit iustū. Cōtra inquit, æstimatio omniū, vel vsus fori non habet locum, quando rebus taxatum est pretium á lege, quod est secundum argumentum initio huius Controuersiæ à nobis propositum pro opinione Mercati.

Vnde reiecta ratione illa ab omnibus recepta hanc aliam assignat. Vt bifariam contingat taxari pretium lege aliqua, vel ita vt absolute illud taxet tamquam iustū, determinando certam pretii quantitatem, vel ita vt non taxet pretium iustum, sed solum assignet quantitatem aliquam, vltra quam vendere non liceat, non curans sit ne taxatio illa iusta, & equa, vel secus.

Hoc posito docet duo: Primo si quidē taxatio fiat illo priori modo, licere venditori pretium illud quocunq; tempore accipere, donec illa lex reuocetur: quia cum iustum sit, & legitimum, licet illo tuta conscientia vendere, non obstante quacunq; alia hominum æstimatione, siue lex illa in fauorem ementis siue in fauorem vendentis lata sit. Quod si taxatio fiat illo posteriori modo, non posse venditorem plus accipere, quam sit pretium receptum communi vsu fori, quia taxatio quę fit hoc posteriori modo, non constituit iuxta hunc authorem certum pretium iustum, sed solum constituit quantitatem quam excedere non licet. Docet secundo leges constituentes pretia frumentis censibus, alisq; rebus venalibus non costituere illa tamquam iusta, & ęqualia, nec tamquam certa, & diffinita, sed velut certas quantitates à quibus excedere non licet. Ex quibus colligit, non esse vendenda frumenta, vel alias merces tempore abundantiæ iuxta pretium legis, si communi hominum ęstimatione, & vsu fori vilius vendantur. Quia leges istæ non constituūt pretia ista velut iusta, sed solum ad vitāda Reip. damna, tamquam terminos á quibus non excedatur, relinquere vero pretia in naturali iure, cui nititur communis hominum ęstimatio.

Meo tamen iuditio Prior illa ratio magis accōmodata est, tum quia hæc posterior aliquid continet falsum, tum quia si quid veri habet, non differt in eo ab illa priori, si recte prior illa percipiatur. Habet quidem falsum, cum docet ex legibus assignantibus pretia, quasdam assignare iusta pretia, alias vero illud non curare. Nulla enim lex est, quæ cum pretium assignat, pro eo tempore, & loco quo illud assignat, non censeat illud iustum, & tamquā iustum obseruandum: aliter cur Princeps & Magistratus in huiusmodi pretiis assignandis adeo soliciti essent, in perpendis laboribus, & expensis, aliisq; circunstantiis, quas ad statuendum iustum pretium diligenter, & mature meditari oportet? Quorsum vtuntur peritorum, & prudentum cōsilio? nisi vt quantum humana prudentia valet, æqualitatem constituant cum valore rei cui pretium taxant.

Dicamus igitur communem illam DD. rationem, non in eo potissimum consistere, quod leges quandoq; respiciant commoda emen-

da ementium, quandoq; vero vendentium vtilitatem, sed cum prospiciant bono communi, & ferantur ad vitanda Reip. damna, ne tempore sterilitatis propter excessiua & immensa frumentorum & alimentorum pretia pauperes fame perire cogantur, constituunt frumentis & annonæ pretia eo tẽpore, sterilitatis scilicet, ad vnguem seruanda; eo namq; tempore occurrit huiusmodi periculum. Quis enim dubitat, si quidem agricolarum & mercatorum arbitrio, pretia frumentorum anno sterili reliquantur, non modo pauperes, verumetiam plerosq; ciues ad summam egestatem redigendos? Quamuis ergo & vtilitati quoq; venditorum lex consultat, cũ illorum etiam labores, & expensas, ac industrias diligenter consideret, attamen quia potissimus illius scopus est, ne pretia plus iusto in immensum augeantur, dicuntur huiusmodi leges in vtilitatem ementium constitui, ne scilicet tempore egestatis annona excessiuis pretiis grauetur, cum maximo Reip. damno.

Vnde cum hic sit proprius illarum finis, cesset autem tale damnum & vna cũ eo ratio legis cessante egestate, sequuntur necessario hæc duo. Primo vt illud pretium non solum sit terminus pretii, verumetiam iustum pretium, pro tempore in quod constituitur, nempe pro anno sterili. Secundo vt si cessante huiusmodi sterilitate propter annonæ abundantiam vilius illa vendatur, communi vsu fori, non liceat tunc stare pretio legis, sed sit omnino standum illi communi vsui fori, quia pretium illud legis solum respicit tẽpus sterilitatis. Similiter cum in censibus id potissime lex instituat, ne indigentes pecuniis grauem suorum bonorum iacturam patiantur, impositis sibi maximis oneribus, & iuribus, pretium quod constituit, non solum sit terminus, verumetiam iustum pretium, infra quod talia iura emere non licet, sed ita vt ab illo ascendere liceat iuxta prudentum & peritorum in tali genere contractus arbitrium, & æstimationem.

Argumenta vero quibus Autor hic, rationem ab omnibus fere probatam, & quã nos etiam amplectimur impugnat, nullius sunt momenti.

Ad primum enim. Respondeo: pretium taxatum frumentis à lege iustum esse, & obseruandum, eo tempore in quod lex illud constituit, nempe quando deficit annona: tempore vero abundantiæ non esse illi standum, sed hominum æstimationi & foro, cum lex non constituat illud ad priuandos ciues cælesti beneficio, quo decet illos anno fertili potiri.

Eodem modo soluitur, cum vrget vsum fori: non habere locum, vbi pretia sunt à lege taxata: Hæc enim regula vera quidem est, quando taxantur á lege absolute & simpliciter in omne tempus, vt in pretiis quę imponuntur carnibus: pretia vero frumentis constituta solum respiciunt tempus sterilitatis, ne in eo propter caritatem annonæ & vendentium cupiditatem in immensum augeantur. Quo fit, vt cum primum tempore abundantiæ vsus fori vilius vendantur, quam sit taxa legis, illud tantum sit pretium iustum, quod vsus fori habet perinde ac si pro eo tempore nihil esset á lege taxatum.

Qua etiam ratione diluitur primum illud argumentum, quo poterat confirmari opinio illa Mercati initio posita.

Ad secundum vero ibidem adductũm respond. in omni quidem emptione parem esse debere contrahentium conditionem, intra limites tamen iusti pretii, ita vt illud semper obseruetur: propter quod tempore sterilitatis non potest vendere vltra pretium legis, quia eo tempore illud est iustum, tempore autem abundantiæ debet seruare pretium fori, quia eo tempore illud quoq; solum est iustum, vt ex progressu huius controuersiæ constat.

Hinc sequitur. Primo agasones & quoscunq; deferentes triticum ex vno loco in alium tempore abundantiæ, quando vsus fori inferior est taxa legis, non posse super addere pretio, quo inuenient frumentum vendi, in loco ad quem illud deferunt, illa quinque vel sex dipondia, quæ pro singula quaq; parasanga conceduntur illis á lege vltra pretium taxæ: Tum quia hæc concessio solum respicit tempus sterilitatis, quemadmodum & taxa illa legis, tũ quia pretium iustum tempore abundantiæ illud tantum est, quod habet vsus fori, quod transgredi iniquum est omnino, quocunq; nomine, vel titulo illud fiat.

Sequitur secundo ementem triticum, vel aliam quamcunq; rem carius quam sit iustum illius pretium, non posse eandem aliis deinde vendere eodem pretio, quo ipse illam prius emit. Ratio est aperta, quia nulla ratione licet iustum pretium

tium rei quæ venditur excedere; neq; iniquitas prioris venditoris, facultatē concedit secundo, vtendi cum aliissimili iniquitate. Conueniunt in hac parte non modo Theologi, verumetiam multi ex Iurisperitis in L. Si fideiussor. §. Meminisse. ff. de legatis. vbi damnatus vendere rem aliquam, etsi ab aliis emptam, intelligitur iusto pretio. Iuxta Gloss. Bartho. Imola. Rapha. & multorum. Licet non desint ex ipsismet Iurisperitis, qui doceant totum pretium, quod prior emptor dedit, posse illum à secundo accipere. Sed hæc opinio, nullo modo in foro animæ admittenda est; cùm iniquitas prioris vēditoris (vt modo dixi) non concedat secundo, facultatem vtendi simili iniustitia.

Sequitur, tertio, illud quoq; ad rectam huiusmodi legum obseruationem maxime pertinere, ne venditor compellat ementem, alias quoque res vna cum frumento à se emere, veluti oleum, vinum, vel quid simile. Qua fraude vtuntur nonunquam vendentes triticum, vt ea ratione excessum pretii, quem in venditione tritici exigere non audent, ne poenas legis incurrant, hac via nituntur obtinere, renuentes triticum suum vendere, nisi una cum illo vinum, oleum, aut aliquid aliud ab ipsis emptores accipiant, maiori pretio, quam lex vel forum patiatur. In quo genere contractus, duplici venditores isti vtuntur iniquitate. Prior est, quod vinū, oleum, vel alia, quæ indigentem tritico vna cum illo emere compellunt, carius vendunt, quam sit iustum illarum rerum pretium. Altera vero, quod etiam si iusto pretio illa venderent, cum obligatio ista & compulsio, pretio æstimari possit, vtentes illa, tantum excedunt in iusto pretio frumenti, quanti illa arbitrio prudentis esset æstimanda: sicut qui mutuo pecuniam alteri confert cum aliqua obligatione, pretio æstimabili, censetur (vt videbimus) vsurarius, quia prętер pecuniā mutuatam, tantum recipit lucri, quantū obligatio illa censetur valere.

Huic quæstioni illa maxime coniuncta est, & propterea hoc etiam loco explicanda.

Controuersia Duodecima.

VBI PRETIA RERVM VA-*riasunt, vnde sit sumendum iustum? num ex loco in quo res vendita traditur, an potius ex loco vbi pretium soluitur?*

ACCIDIT triticum vel aliam quamcunq; mercem (nā in hac parte idem esse debet iudicium de omnibus) vendi Valentiæ, lege à Magistratibus ædita, vel communi æstimatione pretio, vt octo, eandem vero vendi Barchinone pretio, vt sex, quærere aliquis potest, liceat ne vendenti illam Barchinone exigere, ac recipere pro illa pretium quo venditur eadem Valentiæ?

Vt dubitationi huic occurramus, duo sunt tamquam certa hic constituenda.

Prius est, vt optime docet Syluester verbo Emptio. q. 1. §. 1. & Mercatus lib. 2. de contract. cap. 11. estq; ab omnibus receptū, venditionem rei tunc fieri, & perfici, ac in eo loco, vbi & quando, actu & re ipsa res illa ementi traditur, transitq; omnino in illius dominium: ita vt exinde siue pretiosior reddatur, siue deterior, siue omnino pereat, emptori lucra illa vel damna ascribantur: Quæ regula ex definitione ipsius vēditionis summitur: definitur enim vt initio huius quæsti. vidimus, actualis traditio, siue translatio absoluta & perfecta rei alicuius in alterum, pro pretio. Vnde in eo tantum loco & tempore, censenda est fieri vere alicuius rei venditio, in quo illa, actu & reipsa ementi traditur, & in illius dominium omnino transit, siue in eodem loco in quo actu traditur, conuenerint inter se emptor & venditor de illa tradenda, siue in alio: Ac siue in eodem loco fiat illius solutio, siue in alio:

Alterum est, duobus modis posse venditorem istum sese habere, vel ita vt rem illam, certo ac definite decreuisset ducere in Valentiam ibi vendendam, vel ita vt nihil tale statuisset; Non est hic sermo de eo, qui mercem suam decreuerat in Valentiam ducere: Hic enim ratione lucri cessantis, vt quæst. sequenti de vsuris videbimus art. 2. contro. 8. tuta conscientia potest recipere pretium, quo merces illa Valentiæ venderetur, deductis expensis, & periculis subeundis in ea transferenda in Valentiam, quæ emptor in se recipit; cum illa ad venditorem pertineant, perinde ac si suo nomine mercem illam Valentiam vsq; detulisset. Ex quo apertū etiam eficitur, venditorem ita se habentē, vt promittat quidem Barchinone rem suā vendere Ioanni, sub ea tamen conuentione, vt celebretur & perficiatur contractus Valentiæ, cū primum merces illa eō

fuerit

fuerit asportata, posse similiter recipere pro illa pretium quod Valentiæ iudicabatur iustum quia cum huiusmodi vēditio reuera Valentiæ fiat, illud est propterea in ea iustum rei venditæ pretium, quod eo tempore censetur Valentiæ iustum: Cum hęc igitur certa sint, vt inferius videbimus, dubitatio proposita de eo tantum est, qui actu & reipsa rem aliquam vendit Barchinonæ, possit ne illam vendere pretio quo vēditur Valentiæ?

Concors est in hac parte omnium DD. sententia, pretium iustum sumendum esse ex loco, & tempore, quo res vendita actu & reipsa ementi traditur, & in illius dominiū omnino transfertur. Ratio est aperta, Quia pretium iustum cuiusq; rei illud est, quod res valet vbi & quando actu & reipsa illa venditur, siue pretio legis siue cōmuni vsu fori, iuxta ea quæ huc vsq; explicata sunt, Sed res nō vēditur actu, & reuera in loco, & tēpore in quo contrahentes de illius vēditione conueniunt, neq; in loco & tempore in quo fit illius solutio, sed tantum in loco & tempore in quo actu & reipsa traditur ementi, ita vt possit iā emēs de illa vt re omnino sua libere disponere: erit ergo iustum illius pretium sumendum ex eo loco, & tempore in quo actu & reipsa traditur ementi, efficiturq; verus & absolutus illius dominus. Vnde qui rem quā actu tradit Barchinone, carius venderet quā ibi valeat, eo quod Valentiæ carius vendatur, vel quia de illa vendenda Valentiæ conuenit cum emptore, vel quia pretium illius Valentię recipit, se ipsum in graue damnum suæ conscientiæ decipit, teneturq; excessum illum omnino restituere: Quia iniustè vendidit, & contra legem, si rei venditæ erat à Magistratibus Barchinone taxatum pretium, vel contra iustum pretium fori, si iuxta illum vilius tūc res illa vendebatur Barchinone quam Valentiæ.

Ex qua doctrina sequitur, quam iniustè & iniquè agant nonnulli ementes in hac nostra Ciuitate Valentiæ triticum, quod in eadem recipiunt, pretio tamen quod illud valebit tempore messis Castilioni planitiei, quo tempore & loco certissimum est vilius multo vendi, quam vendatur Valentię quocunq; tempore anni tradatur.

Hic contractus multas habet inæqualitates, & ex consequenti iniquitates: Nam imprimis triticum quod communiter Valentiæ vēditur, siue ex propriis illius agris & irriguis, quos dicimus, *La huerta de Valencia*, siue ex locis viciniorbus, siue ex Castella, siue ex Insulis, vel aliunde huc deferatur, præstantius multo est, & ad omnia vtilius, eo quod nascitur & venditur Castillioni.

Ex quo sequitur secundo, quod modo dicebam, Valentiæ carius multo vēdi quocunq; tempore anni illud ematur, quam vendatur Castilioni tempore messis. Quo circa tam prælatos, quam confessarios in hoc abusu extirpando oportet esse solicitos: viget enim plurimum vt á viris fide dignis accepi cum magno damno spiritua li ementium, & temporali vendentium detrimento.

Sequitur tertio iniquè etiam agere nōnullos Magistratus & Rectores ciuitatū, qui congregantes frumenta in horreis publicis in communē totius populi vtilitatem, carius illa vendunt, quam sit pretium taxatum á lege, cum tamen computatis in vnū tam pretio quo illa emerunt, quam expensis omnibus ac sumptibus quos in illis congregandis & conseruandis fecerunt, vilius vendi debeat, quam sit ipsius legis taxa. Veluti qui mensuram tritici 16. aut 17. argentis vendunt, cum pro illius pretio omnibusq; sumptibus & expensis in vnum collectis, re diligenter ac fideliter inuestigata, non sit iustum illius pretium nisi v. g. vt 12. vel 13. Etenim si priuatis ciuibus nō licet à legis taxa vbi sterilitas existit ascendere, neq; ab æstimatione & communi vsu fori vbi annone abundantia occurrit, quia hæc tantum sunt pretia iusta, á quibus recedere maxima est iniquitas, quātominus licebit gubernatoribus, quibus cura commissa est, quibusq; ex munere suo incumbit, vt ab omnibus æquitas & iustitia obseruetur, illius leges tam turpiter violare? Vendentes triticum cuius primæuo pretio omnibusq; sumptibus in vnum collectis, iustum pretium est 12. pretio vt 16.

Neq; ab hoc crimine liberatur, eo quod dicant se ita agere, vt ex huiusmodi iusti pretii excessibus colligatur pecunia, qua vel alia onera Reip. leuentur, vel existat ærarium vnde tempore caritatis commodius in futurum annona paretur ex propiis Reip. pecuniis, quia ex his parata & non alienis & ad censum acceptis, minores multo fient expensæ & minori pretio frumenta vendi poterit. Hęc inquam ratio vel finis gubernatores ita agentes nō libe

rat

rat à maxima iniquitate: Primo, quia cũ excessus iusti pretii iniquus sit omnino, & simpliciter iniustus, non est propter aliquem bonum finem admittendus: Clamāte B. Paulo: *Non esse facienda mala vt inde veniant bona*: Secundo quia non sunt leuanda onera Reipub. vel parandum publicum ærarium cum tanto onere, & detrimento pauperum: Nam cum hi sint in quorum beneficium potissime annona publica paratur, quia dites & potentes innumeris aliis viis frumenta sibi comparant, hi etiam sunt, quorum damno & iniuria, onera Reipub. leuarentur, vel ærarium istud constitueretur: quo iniquius aliquid excogitari non potuit: Sunt enim onera ista leuanda, vel æraria ista instituenda ex diuitum & potentum opibus, instituta aliqua gabella iusta, non cum iniuria pauperum: Vbi anni sterilitas illud fert, vt frumenta in publicis horreis congregatata omnibus in vnum computatis carius pretium efficiant, quam sit taxatio legis, vel vsus fori, æquum est, vt quæ in communem vtilitatem fuerant cōgregata, pretio illo vendantur postulantibus illa: at vbi fructuum copia ex diuina benignitate illud confert, vt minoris stent quam sit taxa legis, non modo superanda non est, sed neq; æquanda, sed iusto pretio vendenda sunt frumenta ex horreis publicis postulata, sicut à quocunque priuato oportet iusto pretio illa omnino vendi. Demum, quæ maior iniquitas, quam cum tanta iniuria & aperto damno pauperum qui modo viuunt, consulere futuris nondum natis? Gubernatores huiusmodi, qui ita futuris pauperibus dicunt se prospicere, & diuites huius sæculi qui futuris etiam dicunt se relinquere eleemosinas, presentium obliti, admonebat Santissimus ille ac Prudentissimus Præsul, noster Archiepiscopus, Religionis Augustinianę Decus, Frater Thomas á Vilanueua, Deum non exquisiturum an futurorum pauperum fuerint misertí, sed eorum quorum inopia & fames ipsis innotuit. Sicut diues ille purpuratus non dicitur à Christo damnatus eo quod futuris pauperibus nihil in suo testamento reliquerit, sed quia pauperem Lazarum quem quotidie iacentem in ianua domus suæ conspiciebat, nec pauit, nec fouit, sicut debuit.

Sed ofert se hic dubitatio: Cum pracmatica ista tritici Castellæ ædita solum eximat á taxa quæ in ipsa constituitur ducentes fumenta per maria.

Controuersia Decimatertia.

AN DVCENTES ILLA PER *terram ex alieno Regno sint liberi etiam a taxatione legis, sicut hi qui asportant illa per maria.*

RATIO dubitandi est, Quia lex ista solum eximit à sui obseruatione ducentes frumenta per maria, nouerat autem optime legislator posse quoque illa duci imo quandoq; de facto afferri à mercatoribus etiam ex alienis regnis per terram, quos tamen non eximit: Vbi vero lex aliquos eximit, minime vero alios, quos proculdubio nouit simile præstare posse, non est quod illos eximamus, cum dimisisse illos legislatorem, non possit dici (vt legisperiti loquuntur) casus oblitus.

Nihilominus idem reuera ferendum est iudicium de omnibus ex alienis regnis ad nos frumenta deferentibus, siue per maria, siue per terras illa transuehantur. Vbi enim eadem existit ratio, idem quoque debet esse ius, conceditur autem deferentibus ad nos frumenta per maria, ne teneantur illa vendere iuxta taxationem legis, vt hac facultate sibi concessa alliciantur, frumenta quibus egemus ad nos deducere, tantoque beneficio nos afficere: Simile autem nobis impedunt beneficium, qui frumenta ad nos ex alieno regno per terras asportant, oportebit ergo si iuxta rectam rationem (sicut oportet) leges accipiendæ sunt, simili etiam exemptione & facultate istos gaudere, vt similiter ad asportandum quoque triticum alliciantur. Vnde quicunq; ex remotis locis ad nos frumenta ducunt, siue per maria siue per terras illa deferantur, siquidem vigente taxatione ob caritatem annonæ ad nos perueniant, poterunt illa carius vendere quam sit taxa legis, computatisq; in vnum primeuo pretio quod reddiderunt, vna cum laboribus, periculis, & damnis quę passi sunt, & expensis quas fecerunt, de iusto pretio arbitrio prudendum constituendo cũ incolis

conuenire. Vbi vero cum ad nos perueniunt, propter annonæ copiam non seruatur taxa legis, sed vilius frumenta venduntur communi vsu fori, tunc vt ex dictis constat, non possunt alio pretio vti quã illo recepto in foro; quia eo tẽpore illud tantum iustum est, & huic fortunæ se ipsos exponunt, qui negotiationi transuehendisq; mercibus incumbunt.

Nec valet quod à mercatoribus contra hanc partem obiicitur, Non debere illos suis expensis & damnis Reipu. inseruire, quod certe accideret, si tenerentur vendere pretio fori, quando illud vilius est quam sit taxa legis. Respondemus enim, eos tunc solum inseruire Reip. quando illa caritate annonæ premitur, afferunturq; ab ipsis frumenta in illius subsidium: at quando talem inopiam Respub. non patitur, suæ vtilitati potius & desiderio lucrandi dicendi sunt inseruire, quam Reip. ipsi.

Ex his quæ hactenus de frumentorum pretiis dicta sunt, perspicuum satis esse poterat, quid censendum esset de farina & pane cocto, maxime in regnis Castellæ, in quibus sanctissima illa & prudentissima tritici pracmatica aperte exprimit, qua ratione in his omnibus pretia iusta seruanda sint, verum quia nullum peccatum tanta cœcitate sui partifices afficit, quanta cupiditas, de farinę & panis cocti pretiis non grauabor priuatim quoque & in particulari hoc loco disserere, maxime propter hoc nostrum regnum Valentiæ & similia, in quibus licet nonnunquam anno sterili assignentur à Magistratibus pretia tritico, farinæ vero raro vel fere nunquam, video illos pretium taxare: licet pani cocto certum pondus & pretium omnibus temporibus iuxta tritici copiam, vel inopiam & caritatem assignare magna solicitudine & diligentia semper curent. Videamus igitur.

Controuersia Decimaquarta.

AN TRITICVM REDActum in farinam eodem omnino pretio vendi debeat, quo venditur existens in grano.

CVM apud Iurisperitos nomine frumenti non semper intelligatur farina, quin potius iuxta proprietatem vocabuli apud ipsos quandoq; distinguantur, quo nomine docent si cui legatum sit frumentum, non propterea legatam esse illi farinam, vt videre est apud Bald. in l. 1. col. 3. Co. de fructibus & lit. expens. & Barth. in L. Quæsitum §. illud. ff. de legat. opinari propterea aliquis posset leges & statuta superiorum taxantia pretium frumentis nõ comprehendere farinam, vbi illud non exprimunt, quia leges istæ videntur odiosæ, & ex regulis iuris odia restringenda sunt.

In Regnis Castellę res perpicua est, cũ in eis aperte contineatur, eodem omnino pretio & taxa legis vendendum esse frumentum, & farinam, præter quam quod pro mensura farinæ quæ dicitur, *Hanega*, vltra pretium frumenti addere oporteat. triginta dispondia, ratione expensarũ quæ fiunt in molis frumentariis.

In aliis autem regnis in quibus Magistratus tempore sterilitatis tritico pretium assignant, minime vero farinæ, sicut frequẽter accidit in hac nostra Ciuitate Valentiæ, posset aliquis illud opinari & carius farinam vendere quam sit pretium tritici. Sed deciperetur profecto maxime, & in graue salutis suæ damnum, qui ita sentiret. Quamuis enim commune sit Theologorum dictum, finem præcepti non cadere sub pręcepto, apud eosdem tamen receptum est, veram legis intelligentiam ex fine quem legislator in ea sibi proposuit sumendam esse, maxime in legibus quæ ad prohibendum commune aliquod totius populi damnum instituuntur. Etenim vbi ciuitas aliqua obsessa maxime periclitaretur de proditione, ad quam prohibendam lex promulgaretur ne vllus ciuis illam egrederetur, etsi nomine ciuis iuxta vocabuli proprietatem exteri qui aliunde ad eam accesserunt, non intelligantur, in hoc tamen casu contra legem illam grauiter etiam delinqueret peregrinus, & exter, qui ciuitatem illam egrederetur. Quia cum prodere ciuitatem non minus possit exter quam ciuis, & lex illa ad prohibendam proditionem de qua ciuitas illa periclitatur, lata sit, omnes eodem omnino iure & vinculo comprehendit. Estq; communis etiam hæc Iurisperitorum doctrina, & maxime rationi consona, vt vbi eadem omnino militat legis ratio, eadem quoque censeatur illius dispositio: vel vt sapientissime dicebat In

noc.

noc.3. vbi eadem ratio, idem ius. Colligiturq; recte ex L. Illud ff. ad legem Acquiliam, & L. á Tito.ff.de verborum obligatione. Tum etiam ex cap. Ita quorundã. Et ex cap. Ad liberandam. De Iudeis, vbi optime Felinus nu. 5.

Ex qua doctrina sic argumentor: Finis legis vel statui quo taxatur pretiũ tritico, est hic, obuiare cupiditati habentiũ annonã, & prohibere ne illius pretium in immensum augeatur, sed vendatur iusto & accommodato pretio, ne ciues fame pereant. At si leges istæ & statuta quæ exprimunt quidem frumentum, non tamen farinam, circa frumenta tantum obligarent, minime vero circa farinam, non sortirentur leges iste suum finem, nec cupiditati venditorum esset prouissum, nec communi bono totius populi. Nullus enim eorũ qui haberent triticum venderet illud nisi redactum in farinam, vt ea ratione liceret illis exigere pro libito quod vellent pretium, in fraudem omnino legis. Quis autem dicat legem ita constitui, vt ab omnibus facile eludatur, facileq; posit ab omnibus suo fine frustrari, ita vt nũquã illũ sortiatur.

Preterea Regula est & velut axioma. *In fraudem legis fieri, quando verba legis seruantur, sed venitur contra mentem illius*: vnde Paulus Iurisconsultus in libro singulari quẽ ędidit ad L. Ciciam ait: *Cõtra legẽ facit, qui facit, quod lex prohibet, in fraudẽ vero legis facit qui solius verbis legis sententiam eius circumuenit.* Certum autem est, in legibus & statutis quæ tritico pretia cõstituũt, hãc esse mentẽ superiorũ, ne annona carius vendatur tẽpore sterili, contra quã mentẽ aperte faceret, qui licet triticum in grano non venderet vltã taxam legis, redactum vero in farinam cum excessu illius taxę vẽderet. Et confirmatur ex L. Sed Iulianus. §. mutui .ff. ad S.C.Macedo. vbi prohibitio illa Sena. consul. Macedo. de nõ mutuando pecuniam numeratam filio familiãs extenditur ad frumentũ & farinam, ne fraus fiat legi: quę certe fieret, si de sola pecunia prohibitio illa foret accipienda, mutuaretur enim amicus filiofamiliãs triticum vel farinam, quibus venditis posset filius ille ludis vel libidini turpius incumbere, in graue damnum & iniuriam parentum, cui damno nititur prohibitio illa Macedoniana occurrere, nec certe posset, nisi nomine pecunię, quidquid pecunia ęstimari potest, intelligeretur. Vnde potiori iure cum minus distet frumentum à farina quã à pecunia numerata, vbi lex tritico pretiũ imponit, prohibens omnino ne illud carius vendatur, idem de farina accipiendũ est, adhibitis tantum expensis quę in frumentariis molis fiunt, vt occludatur via cupiditati vendentium, & caritati annonæ, in quo tota vis & scopus legis consistit: qui profecto nulla ratione obtineri potest, nisi idem sit iuditium de farina quod de tritico.

Confirmatur Secundo, quia quæ publicam concernunt vtilitatem, eodem modo extendenda sunt & obseruanda, vt colligere licet ex L. Illud Cod. de Sacrosanc. Ecclesiis. Et L. hoc modo. in fine.ff. de conditio. & demonstra. Imo nec est dicenda tunc extensio vel ampliatio, sed inclusio potius, ita vt si quid propter bonum commune lege aliqua pręcipiatur, includãtur etiam in illa, quidquid similiter & eadem ratione ad bonum illud commune propter quod lex illa instituta est, cẽsebitur pertinere, vt habet Glossa in verbo Italię. circa princip. In cap. 1. de tempore ordinando. quam vocant singularem Panor. in cap. Nihil. colum. 5. De electio. & Alexander in L. Curatoris. Cod. de negot. gest. & multi alii ex Iurisperitis:

Nec obstat ratio illa initio proposita ex regula iuris, Odia restringenda esse. Hęc enim lex licet priuatæ cupiditati venditorum odiossa videatur, cum tamen adeò bonum commune respiciat, & in fauorẽ omnium maxime pauperum instituta sit, fauorabilis potius censenda est, quã odiossa, & propterea extendenda & amplianda ad omnia, tam frumentum, quam farinam, quam eã omnia quæ conuictui humano potissime tempore caritatis vtilia esse posint.

Ex his sequitur. Primò, commutantẽ triticum vel farinam pro aliqua alia re, velut oleo, vino, aut simili merce debere ita cõmutare, vt pretium rei quam recipit puta vini, vel olei iuxta communem vsum fori, non excedat pretium tritici taxatum á lege, Quia vt communiter dicunt DD. licet permutatio non sit proprie & formaliter venditio, sed reuera commutatio rei pro re, nihilominus cum sit contractus pertinens ad iustitiam commutatiuam, est seruãda in eo necessario ęqualitas rei ad rem: seruatur autem cum res quæ accipitur, tanti valoris est & pretii vel cõmuni vsu fori, vel arbitrio æstimationeq; prudentum, quantum est pretium frumẽti taxa-

ti taxatum à lege: ita vt valor & pretium illud olei aut vini non excedat pretium legale ipsius frumenti. Nam cum omnium contractuum bonæ fidei eadem debeat esse æquitas & ius ex L. Est sciendum. §. deinde. ff. de Aedib. edi, debent propterea in omni commutatione rerum singularum pretia obseruari. Cæterum cũ pretium fori vt vidimus non consistat in indiuisibili, sed habeat latitudinem illam quã exposuimus, intra quam omne pretium cõtentum, iustum est, potest conferens triticũ recipere oleum, aut vinum quocunq; pretio illorum, quibus merces istæ venduntur in publico foro intra illam latitudinem iusti pretii, omni fraude & dolo cessante.

Sunt autẽ hęc intelligenda, vbi huiusmodi commutationes prohibitæ non sunt, vbi enim lege prohibentur, nõ licet ita vendere. Quod si quis ita triticum venderet accepto oleo, vino, lana, aut aliqua alia merce, peccaret quidem per inobedientiam legis, quomodo peccant Castellæ qui huiusmodi permutationibus vtuntur, cum sint prohibitę pracmatica illa ædita Madriti quę habetur lib. 5. Recopil. tit. 25. ad finẽ: iniusticiam autem non committet, nec ad vllam tenebitur restitutionem, si pretium rei quã recipit iuxta vsum fori intra latitudinem quam habet eo tẽpore & loco quo res illa traditur non excedat legale pretiũ tritici. In nostro autem regno & similibus, cũ non prohibeantur huiusmodi commutationes, sine vllo peccato fieri possunt, modo seruetur ęqualitas ista explicata inter pretia rerũ quę interse commutantur.

Controuersia Decimaquinta.

NVNC DE PANE COCTO *dicamus: Qua ratione vendi debeat?*

PANIS cocti taxatio in omnibus regnis, pręfectis & Magistratibus committitur, aut lege regia, vt in Regnis pracmatica ędita anno 1568. aut consuetudine loci, vt in hac nostra ciuitate & regno, aliisq; multis, in quibus Magistratus ipsi quos Patres Iuratos dicimus, taxant pistoribus & panificis cuius ponderis & pretii debeant esse singuli panes, qui ducuntur in forum.

Circa quam taxationẽ & legẽ quędam certa esse debent, quędam vero nonnihil habent dubitationis. Imprimis certissimum est ex dictis, cũ leges & statuta superiorum quæ iusta sunt, subditos vt constat obliget in conscientia, & cum debito restituendi, Pistores & panificos qui vel detraxerint à pondere panis vel excesserint in pretio illius contra ea quæ à pręfectis ipsis fuerint constituta, peccare mortaliter, & teneri ad restituendum defectum illum ponderis vel excessum pretii.

Certum etiam est teneri pręfectos & Magistratus diligenter expendere pretia quibus frumenta ab istis panificis eo anno emuntur, expensas quas faciunt, & labores quos suscipiunt in conficiendis panibus ex illis, omnibusq; in vnum computatis cum aliquo moderato & honesto lucro, fideliter, bono communi potius quam priuatę pistorum vtilitati prospiciẽtes pretia vel pondera istorum panum constituere. Ita vt si ab isto iusto pretio vel pondere pręfecti ipsi vel incuria vel iniquitate sua recesserint, pistores qui non curarunt illud ita fieri tuta conscientia vendent, in eo pondere vel pretio quod sibi á Magistratibus prefingitur. Magistratus vero tenebuntur ad restituendum omnẽ defectum illum á iusto pondere, vel excessum à iusto pretio.

Dixi tutos esse in conscientia pistores, qui non curarunt suis precibus vel muneribus obtinere à pręfectis defectum istum, vel excessum, nam vbi pistorum industria & caliditate, ita agunt pręfecti, omnes tenentur ad illam restitutionem cum omniũ iniquitate & cooperatione damna ista emtoribus inferãtur, tenentur vero prius pistores ipsi cum alienum retineant, ipsis vero non restituentibus manebunt obnoxii restitutioni pręfecti ipsi, qui adeo iniquẽ egerunt.

Certum tertio est, vbi præfecti ex odio vel iniquitate constituerint pistoribus, tale pondus, vel pretium panis cocti, vt iuxta commune pretium quod triticum eo anno & tẽpore habet, & expẽsas, ac labores quibus cõficitur, esset iustũ, & cũ detrimento reuera ipsorũ pistorũ, posse pistores istos omnibus in vnũ vere & fideliter cõputatis, addito aliquo moderato lucro, põdus illud pro vt prudens iudicaret minuere, vel pretiũ augere. Ratio est, quia statuta & taxationes superiorũ, quę aperte iniustę sunt, nõ obligãt subditos: vbi vero illa nõ obligãt, solũ tenetur subditus eam ęquitatem & iustitiam obseruare, quam recta ratio & ius naturale pręscribunt, perinde ac si nulla tunc existeret lex, vel taxatio superioris:

ris: Vnde cum ea sublata, stando in solo iure naturali, posset pistor, eo pondere vel pretio panem coctũ vendere, quod á perito & timorato iudicaretur iustum, omnibus diligenter, tali loco & tempore pensatis, similiter potest vbi taxatio præfecti aperte erit iniqua, cum illa tunc non obliget: maxime cum lex humana & taxatio ista nihil aliud præstet quam ea præscribere, quæ rectę rationi & iuri naturali sunt consona, quia forsan homines sibi relicti illa non obseruarent. Dixi vbi taxatio fuerit apertè iniqua, Nam vbi res fuerit dubia, soliq; pistores conquęruntur, nullo modo licet statutum superiorum transgredi; pistores enim isti sua cupiditate obcęcati quantumuis Magistratus iuste, prudenter, ac fideliter se habeant in huiusmodi ponderibus, vel pretiis constituendis, semper conquęruntur, affirmantes se grauem pati ea ratione bonorum suorum iacturam: cum maius profecto patiantur mentiendo suarum animarum detrimentum.

Certum denique est, non posse pistores taxam á præfectis positam relinquere, etiam si panis coctus carius ipsis existat, vel quia carius triticum illius emerunt, vel quia maiores in illo conficiendo fecerunt expensas: quia lex non respicit particulares rarosq; euentus, sed eá quæ vt plurimũ & frequentius eueniunt, vt docet optime Aristot. 5. Ethico. cap. 10. Primo Retho. c. 1. & 2. Polit. ca. 6. Tum etiam quia si hoc nomine liceret a præscripto Magistratuum recedere, a nullo pistore illud seruaretur, affirmante vno quoque, se vel carius emisse, vel maiores facere in eo conficiẽdo expensas, pluresq; subire labores, vnde magna sequeretur in populo confusio.

Dubium vero circa hanc partem imprimis est.

AN QVI VLTRO PANES conficiunt non constituti a Republica ad hoc munus, possint tuta conscientia illos conficere, & vendere?

THOMAS Mercatus in suo opere de contractibus. lib. 3. c. 3. eodem modo damnat eos qui panes coctos conficiunt, cũ ad hoc munus & officium non sint constituti á Repub. sicut eos qui excederẽt á pretio illis taxato á prefecto: quia vtrosq; sentit similiter contra legem agere. Vnde iuxta ipsum sicut peccaret mortaliter qui excederet à pretio imposito à præfecto, ita qui panes conficit non constitutus ad hoc munus à Repub. licet hic non teneretur ad aliquid restituendum vendens pretio vel pondere à præfecto imposito, quia venderet iusto pretio, ille vero cum excedat à iusto pretio, teneretur omnino excessum illum restituere.

Nititur hæc opinio primo Legi ipsæ quę apertè videtur prohibere, ne quis pistoris officium exerceat, præter eos quibus hoc munus fuerit à Repub. concreditum, vnde quibus illud commissum nõ est, vsurpant profecto officium alienum, quod in re graui peccatum mortale est, cum sit grauis inobedientia legis. Secundo, quia cum ex pane cocto etiam vendito iuxta prætoris taxam, aliquod lucrum recipiatur tempore caritatis, ad huiusmodi lucra captanda quotquot habent triticum, conuerterent illud in panem coctũ vel per se vel per alios, exhibito illis suo stipendio. Qua ratione nullus existeret, qui venderet triticum, quærentibus illud sub grano, quod est in maximum boni communis nocumentum: Quam rationem assignat quoque pracmatica illa Castellæ.

Alii vt Palatios lib. 2. de contract. c. 2. sentiunt nullum committere peccatum vẽdentes panẽ coctũ, etiam si vltro illud pręstent, nec sit à Magistratibus cõmissum eis tale munus, duplici conditione seruata. Prior est, vt eo tantũ pretio vendat, quod fuerit à præfectis pani cocto tali tẽpore & loco impositũ. Posterior ne sint personæ quorum dignitati repugnet per se vel per alios huiusmodi lucra quærere, indignum enim censendũ est virũ nobilẽ vel Ecclesiasticũ triticũ suũ conferre famulis suis, aut aliis panificis sub stipendio aliquo, in panes coctos conuertendũ, vt ea ratione, etiã si nõ excedat à taxa legis, maiora tamẽ sibi lucra cõparent, quã vendentes illud in grano. Cui sententiæ ea ratione qua statim à nobis explicabitur, subscribendũ duximus.

Sed obseruemus prius, cũ consuetudo sit optima legũ interpres, distinguendũ necessario in hac parte esse inter ea loca, in quibus Magistratus, etiã si intelligant confici panes & duci in forũ ab aliis quam à panificis ab ipsis constitutis ad illud officiũ, neq; illos puniunt, nec reprehendunt grauiter, sicut intelligo in Regnis Castellę accidere, in quibus non puniuntur vt transgressores legis isti⁹ & pracmaticę, qui vltro

& non ex officio sed propria sponte panes in forum ducunt, modo vendant illos iusto Pretio à pretore vel Aedili constituto. Alia vero loca sunt, sicut in hac nostra ciuitate Valentiæ obseruatur, in quibus ita sunt constituti certi ac definiti panefici à rep ub. vt nulli alteri ab illis liceat panes conficere, & vendere, quin à Magistratibus, cum primum illud eis innotuerit, puniantur.

Similiter distinguendum etiam est inter agricolas qui nonnullum frumentum colligunt, vel viros, aut fœminas boni quidem nominis, sed pauperes, & reuera penuria rei familiaris laborantes, qui emũt frumenta ex publico horreo, vel foro iusto pretio, ex quibus per se ipsos conficiunt panes, & citra omnem fraudem ducunt in forum vendendos fideliter pretio à præfecto constituto, vt hac ratione ex suo labore victum quærant: & alios ditiores, qui tempore quidem abundantiæ frumenta sub grano vendunt, tempore autem caritatis frumenta sua aliis tradunt in panes, ab illis aliquo stipendio conuertenda, vt hac via, licet singuli cuiusq; panis lucrum exiguum sit, in multis vero, & innumeris maiora multo lucra recipiant, quã si sub grano triticum suum iuxta legis taxam vendidissent. Inter priores enim illos agricolas siue pauperes, & hos posteriores prespicuum est maximum discrimen reperiri. Primo, quia illi priores cum in parua quantitate frumenta in panem conuertant, non sunt dicendi nocere Reip. posteriores vero plurimum, cum ea ratione deficerent profecto omnino frumẽta sub grano vendenda. Secundo, quia illi cum per se ipsos illud præstent, non sunt dicendi exercere mercaturam in tritico, sed (vt dixi) ex labore suo victum quærere: posteriores vero censendi re vera sunt in tritico mercaturam facere, & per mercaturam adeò damnatam lucra quęrere.

His positis sit prima conclusio. *Tenentur sub reatu mortali Gubernatores, & Magistratus, seu hi quibus vel lege Regia, vel patriæ consuetudine incumbit pretia taxare pani, diligenter, & fideliter, ac mature pensatis pretio quo triticum a panificis emitur ex publico horreo, laboribusq;, & expensis quæ in conficiendis panibus ab illis fiunt, adhibito moderato aliquo lucro, pretium, vel pondus panis cocti, singulo quoque anno, pro temporum, & fructuum varietate constituere.*

Hæc Conclusio adeo est perspicua, vt nulla indigeat probatione. Duo solum in ea obseruanda sunt.

Prius est, pensandum esse pretium quo panifici triticum emunt ex horreo publico, huius enim pretii potissime á præfectis annonæ publicæ habetur semper ratio: quo fit, vt panifici qui aliunde sibi triticum comparant vilius multo quam in horreo publico vendatur, tenentur in conscientia ad coaptandum pretium vel pondus panis quem ex illo tritico conficiunt, cum illo minori pretio quo emerunt. Primo, quia iniquum est, vt panis qui minoris debet esse pretii, & qui maioris, æquali & eodem pretio vendantur, at cum ex lege & recta ratione pretium panis cocti debeat commensurari pretio quo triticũ illius emptum est, & laboribus ac expensis quæ ad panem illum conficiendum concurrunt, sequitur panem confectum ex tritico horrei publici, vbi carius illud cõmuniter venditur maioris pretii esse debere quam sit panis confectus ex tritico minori multo pretio comparato. Secundo, quia præfecti ita constituunt pretium, vel pondus certi, habita ratione pretii quo frumenta venduntur in publico horreo, vt si ex alio tritico minoris empto panes confici intelligerent, in minori etiam pretio vel pondere illos vendi constituerent.

Alterum est, debere præfectos istos seu Magistratus singulo quoque anno pro varietate temporum & frugum, pretia ista constituere: quod optime insinuat L. fina. ff. ad legem Iuliam de annona. Vbi obseruant Iurisperiti, propterea dici annonam, quia quolibet anno taxetur pretiũ. Et recta ratio ita postulat. Etenim cũ panis cocti pretium taxandum potissime sit, iuxta pretium quo emitur triticum in grano, vel ex publico horreo, vel ab aliis priuatis, pretia vero tritici singulis annis adeo mutẽtur, efficitur necessario singulis etiam annis, imo & eodem anno, si varia in illo contingant esse tritici pretia, varia quoque oportere panis cocti constitui á pręfectis pondera vel pretia.

Dices, quid si pistor maiori pretio emit triticum quam vendatur in publico horreo, licebit ne propterea illi carius etiam panem coctum vendere, quam sit pretium à pręfectis illi constitutum, seruata debita commensuratione inter pretium panis & pretium tritici ab ipso empti? Vtendũ est in hac parte distinctione: vel pistori libetum

liberum fuit ex puplico horreo triticum recipere, vel non potuit vnde illud habere, siue ex deffectu annonę, siue prauitate præfectorum: vel noluit iustè & prudenter ex publico horreo illud accipere, quia adeo corruptum erat, vt panes ex eo confecti á nullo emerentur, Siquidem potuit commode ex publico horreo illud habere, iniqué egit aliunde carius emens, teneturq; vendere panes coctos eodem omnino pretio, quo teneretur si ex publico horreo illud emisset: Si vero non potuit, vel noluit illud inde accipere, quia adeo corruptum erat, sed oportuit ipsum aliunde illud querere, ac carius emere, potest panes ex eo confectos carius vẽdere, quam sit pretium constitutum à prę fectis, seruata fideliter debita illa commensuratione ac proportione inter pretium tritici & pretium panis ex illo confecti. Tũ quia iniquum esset, vt cum proprio damno aliis quis inseruiat, vt recte docent L. Assiduis Cod. Qui priores in pignore habeantur. L. Plane. ff. de pretio hæredit. Quibus consonat ius illud naturale explicatum á B. Paulo. *Nemo militat propriis stipendiis.* Tum etiam, quia cũ oppositorum eadem sit ratio, sicut debet vbi vilius emerit quam sit pretium tritici in horreo publico, minori pretio panes coctos exhibere, ita quoque vbi sine culpa sua carius emerit, integrum etiam debet illi esse maiori pretio illos propinare. Vnde pracmatica illa castellæ hoc maxime obseruandam iudicat, vt in pretio panis cocti diligenter ac fideliter habeatur ratio, in quo pretio fuerit triticum à pistore emptum.

Secunda Conclusio. *In locis in quibus Magistratus designant certos pistores, ita vt cæteris hoc officium omnino interdicatur, adeo vt puniantur, a Magistratibus qui deprehẽsi fuerint huic muneri se ipsos sine authoritate Reipub. ingessisse, sicut fit hac nostra ciuitate Valentiæ, qui hoc munus propria authoritate exercuerint peccabunt mortaliter ex genere.*

Probatur primo, Quia hi vsurpant officium alienum in re graui contra præceptum superiorum, quod est in viridi obseruantia, in qua illud esse, ex eo fit perspicuum, quod contra agentes puniantur. Secundo quia sicut Magistratus non patiuntur alios quam assignatos ab ipsis panes conficere, quia experientia teste vident ita expedire bono communi, ita sine eorum authoritate & concessione illos conficere, nocet plurimum bono communi, & ex consequenti ita agentes peccant mortaliter, tamquam transgressores legis plurimum conuenientis bono communi, Licet hi vendentes panes pretio & pondere á prefectis constituto, ad nullam teneantur restitutionem, cum perspicuum sit eo pretio vendentes contra obedientiã solum peccare vel iustitiam legalem, minime vero contra commutatiuam.

Tertia Conclusio. *In locis Castellæ in quibus conficientes panes vendendos in foro nõ puniuntur, esto non sit tale munus illis commissum: si quidem sint pauperes agricolæ, vel personæ conficientes illos per seipsos, vt ea ratione & proprio labore victum sibi parent, non sunt damnandi de peccato saltim mortali, imo meo iuditio nec de veniali.*

Probo, quia hi non agunt reuera re diligenter inspecta, contra pracmaticam illam: illa enim non prohibet simpliciter & absolute ne conficiãt panes alii ab istis panificis, quibus id ex officio incũbit, sed ne à taxa legis hac via fraudulenter excedatur: sic enim ait: *Tendreys muy gran cuydado en aueriguar y saber, si algunas personas que no sean panaderos, ni de los que acostumbran este trato, ni son de tal calidad que ayan de entender, ni vsar de semejante grangeria, tratan por si o por medio de otras personas vender su trigo, y harina por estos medios de pan cozido, excediendo del precio de la pracmatica, y para la defraudar, y que aquellos que en esto excedieren y de ello vsaren sean castigados.* Vbi duo habet lex ista, quorum prius insinuat, alterum aperte significatur: Cum enim dicant ne huic muneri se ingerant qui non sunt ex officio panifici, vel non solent huic exercitio incumbere, nempe conficiendi panes, vel non sunt eius conditionis, status & qualitatis, vt hac ratione debeant quærere honestum lucrum: insinuat aperte sub hac diuisione, pauperibus, & aliis qui penuria rei familiaris laborant integrum esse panes conficere, eo modo quo diximus: nam quamuis hi non sint panifici ex officio, nec soliti toto anno & quouis tempore huic exercitio incumbere, sunt tamen eius qualitatis & conditionis, vt nec ipsis turpe sit, nec alios offendere debeat, quod hac ratione suæ inopiæ succurrant, & ex suo labore victũ sibi parent, cũ fideliter & iusto pretio vendant. & eam quantitatẽ tritici in panẽ conuertant, per quã nullo modo bono cõ-

muni inferatur damnum, imo commodum: cum iuuent vt abundent panes in foro, sitq; lucrum eorum satis exiguum: nam præter furfures, & tres vel quatuor panes cibarios vnde se suosq; alant, nihil aliud referunt.

Secundo, Significat aperte eadem lex eos tantum coercere à conficiencis panibus, qui hæc via nituntur taxam legis eludere, & ab illa excedere agentes in fraudẽ legis: Tota enim ista oratio quam Hispane hic retulimus, iunctim accipienda est, nec diuidenda in varias sententias & sensus, sed in vnico solum & simplici sensu explicanda est, quasi dicat: Præcipimus ne quis in fraudem legis taxantis pretium tritico, sub colore panis cocti eandem legẽ circumueniat, & eludat, triticum suum vel farinam per se vel per alios in panes certos conuertens, & ea via vltra pretium taxæ vendens: Vnde agricolę isti & pauperes de quibus hæc tertia conclusio, cum non excedant pretium á lege taxatum, vendentes iuxta prescriptum prætoris, nulla ratione prohibentur lege ista panes conficere, aut vendere.

Quo fit, circa huiusmodi agricolas & pauperes de quibus hæc tertia conclusio. Argumenta illa quibus opinio Mercati ostenditur facile solui. Quamuis censerem Mercatum virum prudentem & peritum, de diuitibus tantum & potentibus, de quibus, subiiciemus quartam conclusionem loqui, minime vero de agricolis & pauperibus de quibus hęc tertia conclusio.

Quod si de omnibus loquatur, Ad primum respond. Pauperes istos, ex eo quod panes conficiant aliisq; vendant, non esse censendos vsurpare officium alienum cum graui inobedientia legis, cum legis verba vt ex modo dictis constat illos potius eximant.

Ad secundum dico, illos non ita agere ad lucra ex cupiditate captanda, sed vt suę consulant inopiæ; Nec vllum inde sequitur bono communi nocumentum, quin potius commodum quia plures ea ratione existẽt in foro panes venales, nec propter eos deficit triticum sub grano; sed diuitũ & potentium culpa, qui illud inique recondunt, & occultant.

Quarta Conclusio. *Circa potentes & ditiores agricolas, vel habentes frumenta, veram aut saltim maxime probabilem iudico sententiam Mercati: peccare istos mortaliter, vbi per se, vel per alios (quod frequentius est) curant frumenta sua in panes coctos conuersa vendi.*

Primo, quia hi cum diuites sint & potentes, non ita agunt vt sibi victum parẽt, vel vt aliqua honesta lucra obtineant, sed reuera in fraudem legis, vt hac via vltra taxam vendant cum magno lucro.

Secundo quia sic agentes exercent reuera mercaturam in tritico, nec ab hoc crimine liberantur, etiam si proprium illorum sit, & ex propriis fundis, cum quęcunq; commutatio mercium in alias species vel modos ad quęrenda lucra, quoddam sit mercaturę genus: in annona autem & aliis rebus victui humano necessariis mercaturam exercere damnatur ab omnibus. Vnde sicut dicebat B. Grego. de Petro & Mathęo: *Aliud est victum per piscationẽ quærere, aliud Theolonei lucris pecunias augere*, Sic possumus & de istis diuitibus qui panifici quærũt fieri tempore egestatis, dicere aliud est pauperes per artem pistoriã victum quærere, sueq; inopię subuenire, aliud vero, ditiores homines cõuersis paulatim per aliquod tempus magnis copiis tritici in panes legem circumuenire, & indecentia lucra quęrere. Nam prius illud honesti est laboris ad leuandam propriam indigentiam, posterius vero damnatæ cupiditatis ad augendas pecunias.

Deniq; hi sunt, contra quos habẽt vim illa argumenta Mercati. Hi enim alienum munus vsurpant cum graui inobedientia & fraude legis, cum nec sint panifici ex officio, nec soliti tale præstare, nec eius qualitatis & status vt debeant hac via lucra quęrere: Hi profecto, qui sua cupiditate & iniquitate efficiunt, vt deficiant necessario frumenta sub grano emenda, cum graui boni communis damno & nocumento.

Ex hac conclusione sequitur, quam inique agant qui frumentum panificis tradunt, ea lege vt 34. vel 35. panes ex vnaquaque mensura quam dicimus *Hanega*, ab illis recipiant, quorum singuli duarum librarum pondus habeant. Etenim cum tot panes in foro venditi 15. vel 16. argenteos valeant, perinde est ac si mensuram tritici velut pretio 15. vel 16. argenteorum illis venderent, quod est omnino iniquum & in fraudem legis.

Quinta Conclusio. *Qui fraudelenter curat ne in foro sit copia panis, vel frumenti, aut per iniquum aliquod monopolii genus conueniens cum aliis agricolis, & habentibus triticum*

sticum in eodem loco, vt illud omnino recludāt, aut satagens ne ab exteris abunde eo deferatur, vt hac ratione propter penuriam annonæ pretia necessario augeri debeant, & præfecti annonæ in illud consentire, vel saltim dissimulare, grauissime peccant: tenenturq; ad restitutionem damni quod populo inde sequutum fuerit, tam ex defectu alimenti, quam ex augmento pretii.

Imprimis peccare istos grauissime contra charitatem perspicuum est. Nam si alicui priuato grauiter nocere repugnat omnino charitati, qua proximos diligere ac illis benefacere tenemur: quanto potius repugnabit huic virtuti tanta inhumanitas contra bonum commune. Eniti enim ne populo alimenta suppetāt, sed deficiāt, crudelitatis profecto genus est; quod soli hostes exercere solent in ciuitatem obsessam, quam ferro & armis aggredi & suę ditioni subijcere non valent. Quo circa sic agentes vt publici hostes populi, essent ferro flammisq; insequendi: De his enim dicitur Prouer. 11. *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium.*

Teneri etiam ad restitutionem ex eo patet, quia quicunq; alteri inique & cum iniuria damnum infert, eo ipso tenetur dānum illatum reficere ei cui nocuit, iuxta Regulam illam in cap. Si tua culpa. De iniuriis & damno dato. *Si tua culpa damnū datum est iure vel iniuria, super his satisfacere te oportet.* Est enim velut Principiū & axioma Theologorum in materia de restitutione, vt vidimus 1. tom. q. 62. ar. 2. Omne debitum restituendi ex hac duplici radice oriri, ex eo quod damnum vel nocumentum alicui illatum sit, & cum iniuria & iniustitia. Conueniunt in hac conclusione quinta omnes fere DD. maxime Ioānes Medina Cod. de rebus restit. q. 30. Syluest. verbo emptio q. 5. Soto de Iustitia lib. 6. q. 2. ar. 3. Nauarr. cap. 23. num. 92. & omnes recentiores.

Vltima Conclusio. *Non licet clericis frumenta suorum beneficiorum vel patrimonij redacta in panes coctos alio pretio vel pondere vendere, quam constituto a prætore vel præfecto panis: Imo peccant grauiter si frumenta sua per se, vel per alios in panes venales redigant, vt ea ratione aliqua sibi lucra comparent.*

Prior pars huius conclusionis perspicua est ex his, quæ docuimus contro. 10. huius artic. vbi vidimus teneri etiam clericos in foro animæ ad obseruandas leges ciuiles iustas, in his quę illorum dignitati & statui non repugnant; Quid autem magis illorū statui consonū, quam vt leges pretiorum annonę in commmunem populi vtilitatem institutas ab his qui pauperum patroni, & patres esse debent, obseruari? Vnde tenebuntur Clerici non minus quam layci si quem excessum iusti pretii, vel ponderis receperint, in integrum restituere.

Alteram partem huius conclusionis multa ostendunt. Primo quod ita agere nimiæ cuiusdam cupiditatis sit bonorū temporalium, quam peccatum mortale esse ex suo genere, in his qui se ipsos in sortem domini consecrarunt, & quibus præcipua sors, & hæreditas Deus esse debet, sicut in tonsura profitentur, dicentes cum Dauide, *Dominus pars hæreditatis meæ, &c.* nemo bene sentiens inficiabitur.

Secundo, cui prudenti, & pio tanta cupiditas in Clerico non erit scandalo? scandalum autē huiusmodi in re adeo graui peccatum mortale est.

Tertio. Repugnat omnino illorum statui hoc mercaturæ genus, cum non exerceatur neq; ab aliis ditioribus nisi tempore sterilitatis, quo tempore subueniendis pauperibus magis, quam sectandis lucris oportet ipsos esse intentos, et ad leuandam eorum indigentiam ex sibi suoq; statui superfluis, non solum ex charitate verum ex iustitia, vt copiose Deo nobis fauente tertio tomo horum commentariorum abunde docebimus.

Denique, quę ratio potest illis fauere ad hanc mercaturam exercendam, cum illis negotiatio maxime interdicta sit, vt art. 4. huius quæstionis videbimus, & teneantur etiam, si quid ex mercatura lucrantur in vsus pauperum conuertere, eo modo quo docet Antonin. 3. p. tit. 13. c. 2. §. fin. & Benuenutus in suo opusculo de Mercato. 3. par. nu. 7.

Sed Respondent qui hæc lucra illis concedunt. Primo licere vnicuiq; in iure, commodiori via qua poterit, vitare damna quæ per aliquam legem indignè incurreret, vt docent Iurisperiti in L. Seruus dotalis. ff. Solut. Matrimo. & L. Cum pater. §. Titio. ff. de legatis aliisq; locis: Clericorum vero fructus damnum incurrere, si iuxta pretia legis vendantur in grano, atq; ad hæc vitanda conuertere ipsos frumentum suum in panes coctos.

Qui ita respondent, considerare certe debuis-

debuissent: Primo quia magis indignū esse clericis per talem mercaturam lucra quærere, quam illa dimittere. Secundo leges istas ea solū damna respicere quæ sine alterius præiuditio vitari possunt, cederet autem maxime in damnum commune populorum, si clericis concedatur, suos fructus in panes conuertere, cum non sint tenues sed multi qui ab ipsis tam titulo beneficiorum quam patrimonii colligūtur. Quo fit vt quæ conclusione quarta diximus de agricolis ditioribus, eodem iure debeant & de clericis intelligi.

Respondent. Secundo, se hęc lucra quęrere vt copiosius valeant pauperibus subuenire: quæ ratio nescio profecto risum ne an lamentum potius generare debeat: quid enim ridiculum magis aut deplorandum potius, quam pauperes Christi exhaustos prius denudatosq; reddere, vt eosdem deinde cooperiant? cum satius multo vtiliusq; illis esset intacta illis iura bonaq; seruari, quam prius denudatos pallium vestesq; recipere? Vt in simili videtur ac prudenter habere lex illa fina. Cod. In quibus casibus in integ. restitut. necess. non est.

Dubitare autem occasione eorum quæ in hac cōtrouersia docemus, aliquis posset.

Controuersia Decimasexta.

AN VBI PRINCEPS VEL

Magistratus non puniunt vendentes triticum vel panes vltra pretium taxatum, liceat a pretio legis excedere?

HAC in parte oppositas video DD. sententias, Medina enim complutén. Cod. de restitut. q. 31. & 36. Castro lib. 1. de lege pœna cap. 12. Soto lib. 6. de Iustitia q. 2. art. 3. Et Nauarr. in suo Manuali cap. 23. num. 83. & sequen. volunt negligentiam & dissimulationem superiorum in puniendis transgressoribus iusti pretii, non reddere sic vendentes tutos in conscientia. Ratio eorum est, quia Principes & Magistratus non ideo ita dissimulant, quasi legem suam reuocatam iudicent, vel cessasse illius vim, sed ad vitanda maiora incommoda quæ in damnum commune sequerentur, si trāsgressores tunc punirent. Accidunt enim hi excessus communiter sterilitatis tempore, quo si pœnis afficerēt vltra vendentes, occultarent omnino triticū, deficerentq; omnino panes venales in foro cum graui pauperum, & totius populi nocumento: quod ne sequatur eligunt potius iniquitatem vendentium pati, sicut prudentiæ est minora mala permittere, ne maiora subsequantur. Qui dissimulandi, & tacendi modus in Superioribus consensus non est, vt habet cōmunis opinio DD. iuxta Glosam in illa regula. Qui tacet cōsentire videtur. De Reg. Iur. in 6. & Regula ibidem proxime sequent. Is qui tacet imo est textus apertus in cap. Cum iam dudum de præben. vbi ait Innoc. 3. *Multa per patientiam tollerantur, quæ si deducta fuerint in iudicium, exigente iustitia non debeat tollerari.* Cui consonat. L. prima. §. penul. ff. de his qui notan. infamia, & L. 1. §. 1. ff. si quis in ius vocatus, &c.

Antonius autem de Brutio, vt refert Syluest. Verb. lex. q. 6. & verb. consuetudo. q. 6. & 7. & Glosa in illa regula iuris. Is qui tacet. de Regu. Iuris in 6. & Panormita. in cap. Quia circa. De consanguin. & affini. sentiunt, Principe vel superiore sciente, & consentiente subditos legem illorum transgredi, ita vt nec ipsi reclament, nec puniant, per huiusmodi silentiū & dissimulationem superiorum cessare legis illius vim, & robur, cum ex regula iuris qui sciens, & prudens tacet, censendus sit consentire. Iuxta quam doctrinam, qui vltra taxam tritici, vel panis venderet, videns Principem, vel Magistratum non reclamare, nec punire ita vendentes, non peccaret, nec teneretur ad restituendum: quia bona fide ac prudenter iudicaret consensu illorum legem illam cessasse. Aliter Princeps ipse, vel Magistatus non ignorans legis suæ transgressionem, dissimulās vero cum possit reclamare, & punire trāsgressionem, offerret subditis occasionem delinquendi, peccaretq; grauiter, cum sic dissimulans laqueos iniiceret subditorum suorum conscientiis.

Conciliari nihilominus opiniones istę cōmode possunt, si meditemur tribus modis posse superiores huiusmodi legum, & quarumcunque aliarum transgressionum dissimulare. Primo, vel ex mera negligētia, & vecordia, siue dolo, vt hac ratione sui carius impune vendant, cum possent nihilominus punire. Vel 2. quia prudenter, & probabiliter vident grauia damna imminere Reip. si transgressores suarum legum tunc puniant. veluti (vt de proposita quęstione agamus) occultando frumenta, &

ta, & defecturos omnino panes. Vel tertio quia vident obseruantiam suarum legum parum iam facere ad vtilitatem boni communis, nec propterea esse de illarum transgresione curandum, quod ex materia quam leges illæ continebunt, & loco, ac tempore, similibusq; circũstantiis erit prudenter pensandum.

Quo posito dico: Vbi Princeps vel Magistratus priori vel secundo modo dissimulabunt, verisimam esse primam illam opinionem Medinæ, Syluestri, & aliorum.

Et probatur quia quod omni iure iniquum est, neq; propter negligentiam vel dolum superiorum, neq; propter silentiũ eorum, cum ad vitanda maiora damna tacent, redditur iustum: Sed pretium taxatum à lege tritico vel panibus, seruatis his quæ diximus, est iustum, & ab illo recedere iniustum & iniquum, ac reuera quoddam genus furti, ergo ex eo quod superiores dissimulent, cum transgressoribus iusti pretii, vel iniquitate sua, vel necessitate vitandi maioris damni compulsi, non redduntur tuti in conscientia trãsgredientes illud. Et hanc partem probant optime, quæ ab authoribus primæ opinionis in illius confirmationem afferuntur.

Quod si Princeps vel Magistratus dissimulent tertio modo arbitrio prudentum: qui illorum leges & taxas (modo à parte rei pretium quo vendiderint, iniustum nõ sit prudentum etiam existimatione) transgreditur, nec peccabit, nec tenebitur ad aliquam restitutionem. Talis enim dissimulatio & taciturnitas velut consensus est superioris, & cessatio legis. Et in hoc sensu intelligenda est secunda opinio istorum Canonistarum, habetq; locum regula ista. *Qui tacet, &c.* Intelligenda autẽ hæc sunt, vbi ipsemet Princeps vel Magistratus qui legẽ condidit, dissimulat legem suam violari, quia inferiorum iudicum vel præfectorũ dissimulatio, ignorante illud superiore legis ipsius conditore, non reddit subditos tutos in conscientia, vt docet Baldus. L. Cum quis. nu. 14. Cod. de Iuris & facti ignorantia. Estq; receptum inter Iurisperitos in L. fina. Cod de legibus. Et Cano. Inferior. Dis. 21. & in Clementina Romani. de electio. & in cap. cũ inferior. de maioritate & obedientia.

Tandem explicemus oportet, quod superius promisimus.

Controuersia Decimaseptima.

QVA RATIONE CONCEdant leges contrahentibus, vt posint se inuicẽ decipere, modo non excedant dimidium iusti pretii?

AB hac quæstione facile Theologi se expediunt, iuxta ea quę D. Thom. in hoc artic. docet. Etenim cum vendere vel emere iusto pretio iure naturali & diuino teneamur, cui omnes leges humanæ subiiciuntur, nulla earum concedere potest, vt á iusto pretio recedamus, quin illud inique accipiatur, vel detrahatur: & cum debito restituendi. Cæterum quia potest quãdoq; lex humana ex iusta causa, bonorũ dominium ab vno in alium transferre, visum est nonnullis Iurisperitis, vendẽtes & ementes, ita vt non excedant á medietate iusti pretii, excessum illum vel deffectum iuste sibi retinere posse, authoritate legis illud concedente. Aliis cõtra multo sentientibus. Quæ opinionum varietas rem hanc difficilem reddit, nosq; ad illã accurate explicandam compellit.

Docent partem affirmantem Baldus in authent. Ad hæc. Cod. de vsuris. Opposit. 21. Andreas Siculus cap. 1. de Emptio. & in addision. Baldi. in ista Authent. Ad hæc. num. 16. & Durandus ex ordine minorum, qui magis fuit Iurisperitus quam Theologus (quem citant & reprehendũt D. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 16. §. 3. & Cõrad. de contract. q. 57. con. 1.) Citat Andreas Sicul in eandem sentent. sed falso vt videbimus Innoc. Panorm.

Volunt ergo hi, vt quemadmodum lege præscriptionis bona alterius efficiuntur eius qui illa per tempus à lege præscritum bona fide posidet, eadem ratione authoritate legis, tam ciuilis quam canonicæ, excessum, iusti pretii, modo non excedat vel deficiat vltra dimidium effici accipientis illud. Quam sententiam ita cõfirmant.

Imprimis in L. in causæ §. 1. ff. de Minor. & L. Item si pretio. §. fin. ff. locati. constituitur vt si deceptio non fiat vltra dimidium, contractus teneat & sit validus, vbi leges istę excessum infra dimidiũ non damnant, nec restitui præcipiunt, sed iudicant tenere, quod autem legis authoritate fit, iuste fit. Et confirmatur, iure canonico, cuius præcipua intentio est saluti anima-

animarum consulere, vt habetur cap. 2. de constituto. Et cap. qualiter. *El segundo.* de Accusatio. approbatur huiusmodi contractus, in quo interuenit deceptio intra dimidium iusti pretii, vt videre est cap. Dilecti. Et cap. cum causa. De emptio; At si excessus intra dimidium iniquus esset, nec legibus illis ciuilibus concederetur vt iustus, nec saltim ius canonicum illud tale approbaret.

Secundo, quod est fundamentum huius opinionis, Quia ex dispositione iuris habetur vt qui rem alienam per tempus á lege præscriptum possedit, rem illam faciat suam, nec teneatur ad illam restituendam, etiam si elapso tempore illo intelligat fuisse alienam, ergo pari ratione, cum ex dispositione iuris similiter habeatur, vt vendens rem plus iusto infra dimidium pretii non teneatur excessum illũ restituere, sic vendens erit tutus in consciẽtia, nec tenebitur excessum illum restituere: Probo consequentiam, quia sicut lex præscriptionis propter bonum commune, ne rerum dominia incerta maneant, transfert dominium rei alienæ in possidentem illam bona fide per tempus legis, ita quoque propter bonum commune, ad tollendas scilicet lites, leges istæ citatæ in vtroq; iure transferent excessum illum infra dimidium in accipientem illum in contractu emptionis.

Tertio vt superius vidimus, Proloquiũ illud, *Res tantum valet quanti vendi potest:* intelligitur quantum iure vendi potest, sed iure tam canonico quam ciuili illud concedente in textibus 1. argumento citatis, potest vendi res cum excessu intra dimidium, ergo poterit ita vendi, sine debito alicuius restitutionis.

Quarto, Mercenarius qui maius stipendium recipit, quam operæ illius iustè mereantur, vel officiales qui exorbitantia lucra extorquent á litigantibus, non damnãtur á iure, quin potius qui illa repetunt, vnde nec tenentur illa restituere, ergo neq; qui vẽdit vltra, iustũ pretiũ, vbi nõ superat dimidium. Consequentia perspicua est, cũ sit par vtriusq; ratio: Antecedens vero patet ex Cano. Non sane 14. q. 5. vbi ait D. Augus. *Magis reprehendimus qui talia inusitate repetunt, quam qui ea de more sumpserunt.* Agitq; ibi D. Augustin. de mercenario, & officiali, qui recipit aliquid plus iusto.

Quinto in huiusmodi emptione (vt constituimus) nullus interuenit dolus, aut deceptio, vel vis, sed vterq; contrahentium prudens & sciens iustum pretiũ libere consentit in excessum illum aut deffectum iusti pretii, ergo nulla committitur iniquitas, nec interuenit obligatio restituendi: probo consequentiam, quia iniquitas & vinculum restituendi non existunt, nisi vbi fratri nocemus cum iniuria, scienti autem & volenti citra omnẽ fraudem & vim nulla fit iniuria.

Oppositum docent omnes Theologi, & pleriq; Iurisperiti, asserentes leges istas nihilminus concedere, quam posse aliquid vendi nisi iusto pretio, permittere vero excessum intra dimidium, non tanquam iustum, sed tamquam non ducendum in iuditium, quia si ob quemcunq; excessum vel deffectum á iusto pretio liceret contrahentibus iudicem adire, plures profecto essent lites quam contractus, ad quas tollendas illud tantum constituunt, ne detur in iuditio actio, nisi deceptio quam contrahens patitur, excedat vltra medietatem iusti pretii ita vt vbi sic excesserit, sit in facultate decepti, vel rescindere cõtractum, vel recipere inæqualitatem & damnum quod in illo patitur; qua ratione acceptæ leges istę sanctissimæ sunt, & paci Reipu. maxime necessariæ.

Sequuntur hanc sententiam ex nostris, D. Tho. in hoc arti. in solut. 1. & in 4. Dist. 15. q. 5. art. 2. & quodlib. 2. art. 10. Gabriel in 4. dist. 15. q. 10. Maioris, eadem dis. q. 40. Scotus eadem dis. q. 2. ar. 2. conc. 3. Almain eadem dist. q. 2. col. 49. & 50. Henricus quodl. 1. q. 40. D. Anton. 1. p. tit. 1. cap. 16. §. 3. Conradus de contract. q. 57. con. 1. D. Bernardinus in lib. de Euangelio æterno, sermo. 35. art. 1. cap. 2. & circa finem eiusdem sermonis, Adrian. quodl. 6. ar. 3. Caiet, in commento huius arti. & in Opusculo 16. quæstio. cap. 12. Alfonsus de Castro lib. 2. de lege poena. c. 10. Medina complu. Cod. de restit. q. 32. & Vir certe eruditus Adrianus Florentinus in quæstionibus 4. sent. in materia de restitut. in fine quæstionis quę incipit: Consequenter quæro vtrum indistinctè. Et omnes recentiores.

Ex Iurisperitis Innocen. Et Felinus in cap. In ciuitate. De vsur. post principium Panorm. in eodem cap. In ciuit. & capit. Quia pleriq;. De immunitat. Ecclesia. Antonius de Brutio in eodem cap. Quia pleriq;. num. 12. & in cap. Cum dilecti. nu. 2.

de

de emptio. Archidiaco. In Cano. Hoc ius 10. q. 2. & ibi Glossa notanda in verbo Plus. Et in Cano. Si cupis. 16. q. 1. Salicetus in illa Authent. Ad hæ. Cod. de vsur. q. 21. Fortunius de vlti. fine illat. 17. Anton. Burgen. in cap. Cum dilecti. de emptio nu. 21. Glossa quam ipsi appellant singularem in L. Semper in conuentionibus. ff. de Reg. Iur. in verbo. Per quẽ Tiraquel in l. 9. connubial numer. 10. Couarru. l. b. 2. varia resolut. cap. 4. num. 11. Nauarr. in cap. nouit de iuditiis notab. 6. Coro. 13. num. 43. Et in cap. Qualitas. de pœnitentia dis. 5. num. 45. Et omnes recẽtiores Iurisperiti in repetitionibus l. 2. Co. de rescind. venditio. Eandem sententiam habent Angelus. Syluest. Clauasius. Tabien. Et omnes summistæ. Adeo vt ex Theologis nullus hactenus fuerit, qui oppositum doceat, neq; de veritate huius sententiæ vt ait Gabri. loco citato vllus vnquã Theologus dubitauit.

Sit ergo conclusio: *Quicunq; excessus vel deffectus iusti pretii in contractu emptionis et venditionis scienter acceptus, etiam si non excedat medietatem iusti pretii, peccatum mortale est ex suo genere, et cum vinculo restituendi.*

Hæc adeo certa est, vt oppositum iudicem erroneum. Et probatur: Imprimis, Præceptis naturalibus, cum sint indispensabilia (vt tom. 1. vidimus) nulla lex humana derogare potest: seruare autem iustitiam commutatiuam in contractibus humanis est præceptum naturale & diuinũ, explicatum à B. Paulo in verbis illis 2. ad Thesal. 4. *Nequis supergrediatur, & circumueniat fratrem in negotio, vindex enim est de his omnibus Deus*. Ergo nulla lex humana potest concedere, ne seruetur iustitia commutatiua in contractibus. Ad iustitiã autem commutatiuam emptionis & venditionis pertinet directé & proprie, vt docet Aristo. 5. Ethico. c. 5. & 1. Polit. ca. 6. vt seruetur æqualitas inter pretium & valorem rei, iuxta regulas hic traditas; á qua æqualitate receditur euidenter per excessum vel deffectum iusti pretii, quicũq; ergo excessus & deffectus à iusto pretio in huiusmodi contractu iniquus est, & satisfaciendus, quidquid leges Ciuiles disponant.

Secundo omnis iniustitia vt vidimus 1. to. q. 56. ar. 4. est peccatum mort ex suo genere, & cum debito refficiendi damnũ per illam illatum, iuxta regulam illam sepé citatã: *Si tua culpa damnum est, iure super his te restituere oportet.* Sed vbicunq; interuenit excessus aut deffectus iusti pretii, reperitur iniustitia, ergo committitur ibi necessario pecca. mortal. ex genere: Probatur minor, quia ex propria ipsarum vocuum significatione est aperta repugnantia & contradictio, vt recedatur in contractu à pretio iusto & seruetur iustitia: cum sint velut relata necessaria in hoc cõtractu, pretium iustum & iustitia, & similiter pretium iniustum & iniustitia. Et cõfirmatur quia vt initio 1. tomi vidimus ex Aristo. 2. & 5. Ethico. & D. Tho. 1. 2. q. 64. omnibus virtutibus hoc genuinum est, sicut docet ibi D. Hiero. & maxime iustitiæ commutatiuæ, vt per excessum vel deffectum à medio siue æqualitate in qua consistunt, labatur in vitium.

Tertio si liceret decipere fratrem intra dimidium pretii, similiter liceret intra dimidium iusti ponderis, vel mensuræ, vt ementi 10. choros tritici v. g. 10. aureis sufficeret exhibere 7. vel 8. idẽ enim omnino sunt vel pro 8. choris accipere 10. aureos, vbi non essent accipiendi nisi 8. vel recipere 10. choros pro 10. aureis, & conferre tantum 8. Hoc autem repugnat omnino iuri naturali & diuino, explicato Deut. 25. *Non habebis in saculo diuersa pondera, maius, & minus nec erit in domo tua modius maior et minor.* Et Prouerb. 20. *Pondus & pondus, mensura & mensura vtrumq; abominabile coram domino.*

Quarto iustitia commutatiua non minus est seruanda in venditione rerum sæcularium, quam in venditione rerum Ecclesiasticarum: at si res Ecclesiastica vendatur, etiam si offeratur plusquam valet, non debet illud Ecclesia recipere, sed solũ iustum pretium, vt habetur Can. Hoc ius 10. q. 2. ergo similiter in rebus secularibus. Et confirmatur ex D. Augusti. 13. de ciuit. Dei c. 3. vbi ait, *Velle vili emere aut carius vendere vtrumq; vitium est.* Nec assignatur à D. August. alia ratio, nisi quia quidquid horũ accidat, nõ seruatur equalitas inter rei valorem & illius pretium. Cõmendatq; ibi D. Augustinus quendam hominem, qui rem quam vili pretio emere potuit, nullo modo voluit nisi iusto: *Scio* (inquit) *hominem, cui cum venalis codex fuisset oblatus, pretiiq; eius ignarum, & ideo quiddam exiguum poscentẽ cerneret venditorem, iustum pretium quod multo amplius erat, nec opinanti dedisse.*

Quinto

Quinto, qui rem valentem. 9. vendit pretio vt 12. recipit profecto ab emptore partem illam quæ excedit à iusto pretio, nempe 3. nihil illi conferens, nam cum iustus valor vt constituimus & iustum pretium rei quam illi vendit sit nouem, tria illa quæ reddit soluens 12. excedunt, recipiũturq; á venditore pro nulla re quę ementi tradatur. Nunc sic, venditor accipit ab emptore ista tria pro nulla re illi vendita, vel tradita, hæc autem tria emptor non confert gratis vel libere (quia emptor est non donator) ergo accipit illa venditor consensu domini, accipere autem alienum sine consensu domini est ex suo genere furtum mortale, & restituendum. Ergo. Nec valet dicere, emptorem satis nosse, aut debere nosse iustum pretium rei quam emit, & ex consequenti cum illud reddat sciens & prudens, consentire implicite in illum excessum, & per huiusmodi tacitum emptoris consensum manere venditorem tutum in conscientia. Etenim vt abunde docuimus 1. tomo. quæst. 59. artic. 2. in his quæ sunt in damnum proprium, non sufficit consensus tacitus vel implicitus, sed exigitur omnino explicitus & expressus, ac nulla vi, vel necessitate cogente.

Vltimo, Posito excessum vltra medietatem iusti pretii restituendum esse, in quo omnes conueniunt, percontor, vel est restituendus totus excessus á iusto pretio, vel ille tantum qui superat medietatem iusti pretii: hoc secundum non est dicendum, quia leges ipse ciuiles volunt rescindi contractum, in quo excessus superat dimidium iusti pretii nisi totus ille excessus à iusto pretio restituatur, vt habetur expresse L. 2. Cod. de rescinden. vendit. Nunc sic: Qui excedit à iusto pretio vltra dimidium tenetur totum excessum iusti pretii restituere, ergo totus ille excessus, & quæuis eius pars, & quidquid intra illius latitudinem fuerat acceptum, inique erat acceptum, aliter non teneretur venditor iste nisi id solum restituere quod excedebat vltra dimidium. Patet, nam qui accipit à Ioanne 6. ita vt 4. iuste acceperit 2. vero iniuste, non tenetur restituere omnia illa bus sed solum illa duo quæ iniuste accepit: essetque ridiculum oppositum affirmare. Et confirmatur, cum obligatio restituendi nascatur ex iniusta rei acceptione vel detentione, si vbi venditor rem valentem 10. vendit pro 15. iuste vendit, iusteq; illa accipit, nihilq; retinet alienum, vbi vendit illam pro 16. non grauat profecto emptorem nisi in vno, neq; accipit vel retinet iniuste nisi vnum, nec tenebitur ex consequenti restituere emptori nisi vnum, quod est contra omnes DD. & eos quoque qui alteram opinionem sequũtur: omnibus affirmantibus totum integrumq; excessum esse restituendum, ita vt qui rem valentem 10. vendiderit pro 16. teneatur vel rescindere contractum, vel restituere illa 6. in quibus excessit à iusto pretio, pro vt decepto libuerit. Ex quo aperte sequitur, non modo vbi res valens 10. venditur pro 16. illa sex esse inique accepta, verumetiam vbi venditur pro 12. vel 13. quocunq; excessu à 10. vendatur, inique illud accipi & cum debito restituendi.

Dixi in conclusione modo proposita ex genere suo, quia vt recte docent Scotus Conrradus & Almain locis citatis, & communiter omnes, vbi excessus iste vel deffectus fuerit minimus & valde exiguus solum erit peccatum veniale, vbi vero maior, & qui sufficiat ad quantitatem furti mortalis, erit peccatum mort. In quo sensu accipienda est Glosa in Cano. Si cupis. verb. cum multum. 16. q. 1. dicens, in contractibus decipere non esse peccatũ, intelligenda, enim est, vt deceptio leuis & exigua non sit peccatum mort. aliter enim esset error apertus contra doctrinã B. Pauli.

Sequitur etiam ex proposita conclusione non modo teneri ad restituendum excessum vel deffectum iusti pretii illum qui dum contractum huiusmodi exercuit, nouit certo se à iusto illius rei pretio recessisse verumetiam illũ qui dum illũ celebrauit, credidit bona fide se iustum reuera pretium accepisse, vel contulisse, deinde vero re diligentius considerata, vel ab aliquo admonitus deprehendit se vel carius vendidisse, vel emisse vilius quam sit iustum illius rei pretium. Quia cum primum illud deprehendit, videt se retinere alienum sine consensu veri domini, quod vt constat peccatum etiam est, cum non minus pertineat ad speciem furti nec minus obliget ad restituendum detentio rei alienæ inuito domino, quam illus acceptio. Conueniunt etiam in hoc consectario Scotus, Conrradus, D. Antonin. Adria. Caiet. Syluest. Et Tabien. locis citatis, quin & omnes Theologi: Inter Iurisperitos

etiam

etiam communẽ sentẽtiam ita habere scribit Couarr. lib. 2. varia. resolut. cap. 4. retinentem rem alienam etsi bona fide prius crederet illam suam esse, cum primum nouit esse alienam, teneri ad restituendam illam vero domino.

Qua de causa merito reprehendit D. Nauarr. loc. cit. in cap. Nouit. de iudiciis num. 53. Franciscum Aretinum in cap. Cũ causa. De testibus & Anton. Burgen. In cap. Cum dilecti. docentes oppositum. Non enim est (vt statim videbimus) idem iudicium posidentis aliquid bona fide toto tempore constituto á lege ad præscribendum, & vendentis rem aliquam iniquè, licet ex ignorantia inculpabili credat bona fide se iusto pretio illam vendere, quia lex præscriptionis elapso tempore ab illa constituto transfert dominiũ in possessorem bonæ fidei, ignorantia autem iniquæ venditionis liberat quidem à peccato; quandiu illa sine culpa durat, non tamen tollit quin cum primum iniquitas & deceptio venditionis cognita fuerit, teneatur ad restitutionem, qui deprehendit se retinere alienum. Ac vt recte ait ibi Nauarr. vsucaptio siue præscriptio est quædam via, & modus acquirendi bona temporalia; non solum tolleratus & impunitus, verum approbatus, & constitutus, factusq; actus virtutis à lege, tam canonica quam ciuili, at emptio lesiua, etiam citra dimidium iusti pretii, nulla lege neq; canonica neq; ciuili approbatur, vel permittitur tamquam actus bonus & iustus, sed solum relinquitur impunitus, vt præscriptio cum mala fide á lege Cesarea. Imo vt docet Conrr. quæst. illa 57. in fine quintæ cõclusionis, nõ possunt leges humanæ talem venditionem iustam efficere vel constituere, cum repugnet omnino iuri naturali & diuino, quibus lex humana derogare non potest.

Antequam argumenta illa initio proposita diluamus nonnulla prius necessario obseruanda sunt, tam ad huius controuersiæ, quam aliarum multarum intelligentiã maxime vtilia.

Obseruandum enim, primo est, varia esse genera doli, & deceptionis, quæ in cõtractibus accidere potest. Quædam enim est, quæ dat causam cõtractui omnino, estq; præcisa causa contractus: vt cum quis fallacibus verbis alium inducit ad rem aliquã vendendam vel emendam, quam reuera non intendebat vendere vel emere, vel dũ agitur de venditione, in qua contractus est de vendendo & emendo. A. non venditur nisi. B. siue ex industria vendentis ita accidat, siue ex illius ignorantia. Alia est, quæ non est causa contractus ex toto, sed ex parte: vt cum quis domum suam vendere instituebat iusto pretio; vendit autem illam vili, deceptus ab emptore qui mentitur vel iurat falso se similem vili etiam pretio emisse. Alia est tertii generis, quæ proprie deceptio non est, sed iniustitia & iniquitas: cum citra omnem deceptionem venditur res vel emitur carius, aut vilius, vtroq; contrahente non ignorante iustum illius pretium; qui excessus vel defectus accidit quandoq; intra dimidium iusti pretii; quando vero illud excedit: dicitur vero hęc iniquitas etiam deceptio, quia recedit á iusto pretio; licet deceptio pprie non sit; cum vtroq; sciente iustum rei pretium ab illo recedat.

Quando accidit primum illud; vel secundum deceptionis genus; quorum vtrumq; vere deceptio est & fraus, contractus est nullus in vtroq; foro: In foro conscientiæ omnino & absolute, in foro exteriori, nisi defuerit probatio: multa enim in iudicio aliter iudicantur quam res ipsa postulet, non ex defectu iuris sed ex defectu probationis. Quod autem vtraq; deceptio sit, & reddat contractũ reuera nullum, patet. Primo quia fraus & dolus nemini debent patrocinari. Secundo; quia de intrinseca ratione contractus est, vt sit voluntarius, ideo nam q; dicitur cõtractus, quia ambę partes in illud propria sponte conueniunt, at fraus & dolus, vt docet Aristot. tollunt veram rationem voluntarii, nec sunt dicendi sponte conuenire, qui ex deceptione conueniunt. Tertio ex contractu firmo & valido nascitur vltro citroq; obligatio, atqui deceptus obligatur, reuera non manet obligatus. Et hoc certe traditur in l. Eleganter in princip. ff. de dolo. Etsi non desint Iurisperiti dicentes contractũ ex huiusmodi dolo & deceptione valere donec à iudice irritetur, neq; aliud constituere legem istam: sed Glossa cap. Cum dilecti. de emptione. Et lex ista recte intellecta oppositum docent, aliter nullum esset discrimen inter dolum qui dat causam contractui, & dolũ qui nõ dat causam contractui: cum tamen omnium DD. consensu, inter hæc duo genera doli hoc intersit, vt contractus ex dolo qui dat causam contractui, sit ipso facto nullus & inua-

inualidus, contractus vero ex dolo qui non dat causam contractui, sit firmus, licet possit iniustus esse & iniquus. Neque ex ipsis tur ab hac cõmuni doctrina, nisi vbi dolus & deceptio in bonũ decepti cedunt, vt si quis suadeat alicui monasticam vitam, affirmans illi ea via obtenturum Episcopatum, alter vero sub ea falsa spe vere & ex animo profiteatur religionem, quia in spiritualibus, cum sint in vtilitatem decepti, deceptio non reddit contractum nullum, vt habetur cap. Ex parte tua, De cõuersione coniugatorũ. causam redit Glossa in cap. Dudum, eod. tit. Quia talis dolus bonus est, bonus autem dolus non vitiat contractum, nec prohibetur in iure. L. 1. ff. de dolo. Tertium vero genus deceptionis, quod vere & proprie deceptio non est, cum vtroq; sciente iniquitatem pretii, & consentiẽte celebretur, non res indit ex natura rei contractum, sed solum obligat ad reficiendum damnum illatum: Potuit autem lex humana, quia ex huiusmodi deceptione variæ innumeræq; lites oriri possunt, constituere circa illam, ea quæ quieti Reip. & resecandis litibus visa fuerint magis accomodata.

Obseruemus secundo, leges humanas maxime ciuiles multa concedere, & permittere non tamquam licita, & honesta, sed tã quam minora mala, ad vitanda maiora: quo permissionis genere, non redditur qui illa præstiterit, tutus in conscientia, licet propter illam legis permissionem impunitus maneat in foro iuditiali. Huiusmodi sunt, quæcunque sunt intrinsece mala, & iure naturali ac diuino prohibita, & nihilominus iure Ciuili permittuntur: vt recte docent ex nostris Alensis 3. p. q. 46. D. Tho. in hac 2. 2. q. 10. ar. 11. Driedo de libertate Christiana lib. 1. c. 2. Castro aduersus hæreses verbo peccatum hæresi 7. Recipiturq; vt certum à Iurisperitis, vt refert Couarr. in Epitome. in 4 lib. decret. par. 2. cap. 4. nu. 9.

Hac ratione concedunt leges Ciuiles in ciuitatibus lupanaria, ne tota ciuitas (vt dicebat D. Augusti in sermone de ordine) turpi libidine ardeat: Qua tamen concessione non redditur meretricium licitum, sed solum conceditur meretricibus impune illud exercere. Concedunt similiter lex Gracus, Cod. ad L. Iuliam. de Adult. Et L. Marito ff. eodem titulo, vt liceat viro vxorem deprehensam in adulterio occidere, concedunt quidem illud impune fieri, quia difficile certe homini est dolorem adeo iustum temperare: non tamen efficitur ista concessione legis, occisio illa licita, nec desinit propterea vir iste verus homicida esse, ac mortaliter peccasse cõtra legem naturalem, & diuinam, vt optime Nicolaus Papa explicauit Can. Interfectores, & multo aperius Cano. subsequenti. Inter hęc. 33. q. 2. Quod si recte expenderent nonnulli Iurisperiti; intelligerent quam temerarium sit, imo erroneũ affirmare, virum sic occidentem vxorem manere tutum in conscientia. Idem iuditium est de vsura vltra centesimam, quæ iure ciuili permittitur, & de pręscriptione cum mala fide, quæ aliquando eodem iure ciuili non damnabatur.

Hæc & similia, in quibus leges humanę aliqua admittunt, quæ tamen secundum legem naturalem & diuinã prohibita sunt, & damnanda omnino, non approbantur vt iusta, sed permittuntur solum vt impunita ex aliqua honesta causa. Quod recte considerans D. Augustinus dixit lib. 2. cõtra literas Petiliani cap. 29. *Qui peccat, non peccat legis authoritate, sed contra legis authoritatem.* Nulli enim concedit lex aliqua iusta, vt peccet: licet propter aliquem bonum finem concedat ne puniatur, permittens aliquod minus malum vt aliud maius euitetur. Huius generis sunt leges istæ cõcedentes contrahentibus, vt possint se decipere infra dimidium iusti pretii. Concedunt enim illud ita impune fieri, vt decepto non detur actio in iuditio, ad tollẽdas innumeras lites quę aliter orirentur, vt ex dictis constat.

Obseruemus tertio, Andream siculum grauiter in hac parte esse reprehendendũ. Nam imprimis falso imponit suam opinionem Innocẽtio, & Panormitano. Quia Inno. in illo cap. Quia plerique; nihil tale docet, vt legenti Innocentium eo loco patere potest, docetq; recte Aspilq. loco citato. num. 30. imo in cap. In ciuitate. de vsuris, habet sententiam quam hic sequimur: dicens quod Syluester obseruauit verbo emptio. §. 8. leges istas, & axioma istud, licere contrahentibus se inuicem decipere intra dimidium, *Procedere iure fori, non iure poli:* Simileq; docet Panorm. in eodem cap. In ciuitate. Secundo quia Andreas Sicu. vt ibidem docet Aspilq. subscribit in hac parte Saliceto in illa Authẽt. Ad hæc. q. 21. Salicetus autem docet ibi aperte, peccare contra iustitiam vendentẽ carius

carius, aut ementem vilius quam sit iustum rei pretium, nisi quando vtroq; contrahentium probè sciente iustum rei valorem, nulla necessitate cogēte, gratis, & libere vult illum excessum alteri donare: tunc enim excessus ille iustè recipitur, cum non recipiatur tanquam aliqua pars pretii; sed solum tanquam libera & amica ac gratuita alterius donatio. Tertio, idē Andreas in dicto cap. 1. de Emptio. vbi citat Ananiam in nostrā sententiam, nec audet ab ea recedere.

Nunc iā argumenta opposita diluamus.

Ad primum constat ex dictis, lege Ciuili non effici contractum, in quo non seruatur iustum pretiū, honestum & licitum, sed illud tantum concedi, ne rescindatur, nec detur actio decepto in iuditio, nisi excesserit vel defecerit vltra dimidium. Et in hoc sensu probat illas ius canonicum, quia iustè ac rectè ita constituunt ad tollendas lites. Quod ita esse ex ipsis constat: nulla enim est lex istarum quæ dicat contractum in quo non seruatur iustum pretiū, esse iustum, sed solum non esse rescindendum à iudice; nec concedendam actionem decepto. Ius vero canonicum perpetuo clamat seruandam esse æquitatem in omni contractu, maxime in emptione & venditione. Nam dicto cap. 1. de Emptio. prohibetur peregrinis carius vendere, quam vendatur in mercato. Et in cap. Cum dilecti. Cod. tit. reseruatur remedium agendi super deceptione, canonicè, nec distinguit textus inter deceptionem citra vel vltra dimidiū licet Glosa ibi suo potius quam authoris sensu illud restringat. Demum in regula locupletari: lib. 6. & l. iure. ff. de Reg. Iuris. Iure naturæ nemini locuplètandum est cum aliena iactura.

Ad 2. Respondeo, non esse idem iudicium, quia in præscriptione vt vidimus. 1. tom. quæst. 5. de Dominio artic. 7. lex transfert dominium rei bona fide possessæ in possessorem illius, cōpleto tempore ab ipsa lege definito: in deceptione vero iusti pretii nil aliud præstat, quam negare actionem in iuditio ad tollendas lites. Cuius discriminis iustæ sunt causæ. Primo, quia lex quæ pacis publicæ custos est, meritò eos homines qui tanto tempore res suas negligenter deserunt illarum dominio priuat, vt sic obuiet fallaciis, quæ post longi temporis lapsum suboriri poterāt, in deceptione vero de qua loquimur, quia nulla interuenit culpa in decepto, sed in deceptore solo existit, sufficienterq; obuiatur litibus negata actione in iuditio, nisi vbi illa fuerit vltra dimidium, merito id solum lex constituit, nec transfert dominium aliquod rei iniquè acceptæ in deceptorem. Secundo, quæ potissima causa est, quia in præscriptione possesor bona fide possidet, iniquumq; videretur post tam longum tempus re bona fide possesa illum priuari; in deceptione autem iusti pretii non reperitur ista bona fides, cum fraudulenter frater à deceptore circumueniatur. Quod si bona fide citra omnem fraudem & dolum, excessus iste vel defectus á iusto pretio accideret, tantoq; tempore durante eadem bona fide illū secum haberet, vt sufficeret tempus illud ad præscribendum, certe in eo casu, crederem, nec peccasse propter illam bonam fidem, nec teneri ad aliquid restituendum, non quidem virtute istarum legum, quæ negant decepto actionem in iuditio, sed virtute legis præscriptionis, cum bona fide illud possederit toto tempore legis ad præscribendum necessario.

Ad 3. Respondeo, proloquium istud. *Res tantum valet quantum iure vendi potest*, intelligendum esse iure æquitatis & iustitiæ, leges autem illæ vt rectè dixit Sylu. concedunt illud iure fori, non iure poli. Nam neq; axioma istud ita in vniuersum accipiendum est, vt res tantū valeat, quātum vendi potest, aliter si posset etiā vēdi vltra dimidiū, illud valeret, quod nullus audebit affirmare, sed intelligitur (vt superius diximus) quātū iustè vēdi potest iuxta illā cōmunē regulā. *Id possumus quod iure æquitatis & rectæ rationis possimus.*

Ad 4. Respondeo, Mercenarios quoq; & quoscunq; officiales extorquentes ab his quibus inseruiunt maius stipendium, quam iustè illis debeatur, iniquè agere, & teneri ad excessum iusti pretii restituēdum, his enim dixit D. Ioan. Luc. 3. *Contēti estote stipendiis vestris.* Nec opositū docet D. August. cū sic extorta, (vt idē Aug. ibi ait) sæpe repetantur. Quod autē ait. *Magis reprehendimus eos qui talia repetunt, quam officialem qui recipit*, nō est accipiēdū de extortis vltra debitū stipēdiū, sed de his quę per tolerabilē cōsuetudinē accipere illi cōsueuerūt, cum enim prius dixisset in illa episto. ad Macedo. vnde locus iste sumptus est. *Ab his extorta per improbi-*

probitate repeti solent: subiũgit statim, *data, per tollerabilem consuetudinem non solent* & de his quæ ita accipiuntur per tollerabilem consuetudinem, ait. *Magis reprahendimus eos qui talia repetunt, &c.* quæ si integra Gratianus apposuisset in isto textu, non colligerent aliqui Iuristę (in quo plurimum decipiuntur) extorta vltra debitum stipẽdium per officiales minores non esse restituenda.

Ad vlt. respondeo. Esto vterq; contrahentium intelligat iustũ pretium, & sine fraude aut vi cõsentiat in illum excessum, aut defectum, nihilominus nisi alter alteri liberè & gratis illud expressè, & explicitè affirmet se donare, recipientem illum vel retinentem non esse tutum in consciẽtia. Quia si v.g. emptor pro re valente 10. conferat 12. percontor aut confert ista 12. tamquam integrum pretium rei illius, aut confert solum 10. vt prætiũ 2. vero illa quæ exuperant, vt donum gratuitum: Si quidem tota & integra 12. cõferat vt pretium, venditor illa recipiens inique agit, iniustoq; pretio vendit, tenebi turq; ad restituendum excessum, cum constituamus iustum pretium illius rei esse sola 10. Si vero solum conferat 10. vt pretium, duo vero vt donum gratuitum, certè per viam doni gratuiti non solũ 2. verũetiã alia 10. & 20. poterit hic cõferre, & ille accipere, qua ratione si sciẽti & volenti in hoc contractu nõ fit iniuria, quia gratis dat, poterit venditor iuxta hanc regulam non solũ infra dimidium, verumetiã vltra dimidiũ, & in quocunq; excessu rẽ suã alteri vẽdere, quod nullus dicet. Vnde ista sciẽtia & cõsensus nõ reddit huiusmodi vẽditorẽ tãtũ, nisi interueniat libera, & gratuita ac expressa donatio, cum consensus tacitus (vt vidimus) in his quæ sunt in damnum consentientis, non sufficiat.

Sed offert se hic statim dubitatio.

CVM PRETIA VARIA *sunt, a quo sit sumendus excessus iste, vel deffectus vltra dimidium.*

IN Regno Castellæ videri alicui posset, vbi varia pretia res vendita habet, summendum esse excessum vel defectum vltra dimidium de quo hic loquimur à supremo & rigido: vt si res quæ communiter vẽditur pretio vt 12. vt 13. ac vt 14. vendatur, pretio vt 21. non sit excessus vltra dimidium. Occasionem vero ita sentiendi offerre potest lex 5. tit. 10. libro 3. fori, in qua constituitur dolum soluendum à lege debere esse supra duplum, aut vt aliqui exponũt saltim circa duplum infimi pretii. Vt in exemplo aducto, si quidem pretium infimum sit 12. mediocre & moderatum 13. supremum & rigidum 14. vendens pretio vt 20. vel 21. non vendit in duplo, nec circa duplum, sed ille solum qui vẽderet pretio vt 22. vel 23. quia hæc pretia vidẽtur excedere quasi induplo illud pretium infimum vt 12.

Sed reuera licet lex ista fori occasionem offerat ita opinãdi, leges tamen quæ tamquam ius commune ab omnibus prouintiis obseruantur, opositum docent, maximè cum leges istæ ex iure cõmuni desumptę in fauorem decepti institutę sint, essent autem contra in fauorem decipientis, si excessus in medietate iusti pretii à summo & rigido esset desumendus. Quocirca viri eruditi nostrę tempestatis docẽt & recte legem illam fori per ius commune esse correctam, vel corrigendam.

Sunt etiam qui existimant, cum leges istæ ex iure communi desumptę in fauorem reuera decepti latæ sint, & illi curẽt subuenire, vt habetur cap. Vniuersorum, extra. de Rerum permutatione. in fauorẽ decepti summendum esse excessum istũ & defectum vltra dimidium à pretio infimo: hoc enim cedit aperte in fauorẽ decepti. Tum etiã, quia leges istę hoc potissime instituunt, ne deceptus magnã patiatur læsionem in pretio iusto, patitur autem magnã, eo ipso quo exceditur vltra dimidium, non solum mediocris, vel supremi pretii, verumetiam vltra dimidium infimi. Quis enim non videt, vt in exemplo proposito persistamus, vendentẽ rem cuius iusta pretia sunt 12. 13. & 14. pretio vt 18. etiam si excessus istus non sit vltra dimidium infimi, nihilominus reddentem illa 19. grauiter fuisse læsum.

Cæterum licet hæc secunda opinio nõ careat aliqua probabilitate, quia tamen in his vsus & consuetudo iudicum est prestantissima legum interpres, censendum est á mediocri & moderato pretio excessum istũ vltra dimidiũ esse desumendũ. Sic enim habet cõmunis ęquissimorũ iudicũ vsus, vt cũ de huiusmodi deceptione vltra dimidiũ aliqua lis fuerit apud ipsos contestata, vocatis peritis & expertis viris rei venditæ pretium moderatum inquirant, dimissisq; infimo & supremo: pro ratione pretii illius quod peritorum arbitrio medium

medium est & moderatum, ius litigantibus dicunt. Quo fit, ab eo quoque desumẽdum esse extra iudicium excessum istũ vel deffectũ de quo agimus: cum sit certissimè habendum etiam pro iusto in foro animæ, quod æquus iudex in suo foro exteriori perspecta rei veritate iudicauerit, vbi cõtrahẽtes priuatim, & dimisso forensi iuditio vellent interse conuenire, aut de rescindendo contractu, aut de reficiendo dãno parti læsę in eo illato.

APVD QVEM IVDICEM *deceptus agere debeat?*

DENIQVE ne quid in hac parte intactũ relinquamus, apud iudicem secularem deceptum vltra dimidiũ agere posse adeo perspicuũ est, vt nulla probatione vel Doctorum testimoniis hic opus sit. Sed possit ne apud Ecclesiasticum, nõ ita constat. Nihilominus vbi deceptor sciens & prudẽs fratrem ita in pretio decepit, posse quoque deceptum apud Ecclesiasticum iudicem agere viri peritissimi docent Panor. cap. Cũ causa. De testibus. num. 4. & in cap. In ciuita. De Vsuris. nu. 6. & ibi Anani. nu. 8. Calderin. in cap. Nauiganti. Eod. tit. col. 4. & omnium optime D. Nauar. in cap. Nouit. De iuditiis Corrol. 9. nu. 79.

Circa tertiam conclusionem D. Thom. qua docet licere per accidens aliquid accipere vltra commune rerũ pretium solet hoc loco ab ipsius discipulis disputari.

Controuersia 18.

LICEAT NE IN ALIQVO *casu rem carius vendere, aut vilius emere, quam sit commune illius pretium.*

CONCORS est in hac dubitatione omnium Doctorum responsio, in tribus solum casibus id accidere posse sine dãno cõscientiæ.

Primo, cũ vendens bona fide existimat pretiũ quod recipit, vel emẽs pretiũ quod confert iustũ esse; nec culpa sua in eo decipiuntur, sed laborãt ignorantia inuincibili iusti pretii. Sic enim vendentẽ vel ementẽ excusari a peccato pespicuum est, cũ ignorantia inculpabilis seu inuincibilis tollat omnino rationem voluntarii, & eo ipso excusset etiam omnino à peccato. Tenebitur vero qui ita egit, cum primũ illius pretii excessum vel deffectum intellexerit, restituere parti læsę.

Secundus casus est, quem assignat hic D. Tho. in tertia conclusione posita, quãdo vẽdenti res quam vendit aliquã affert peculiarẽ vtilitatem, qua priuatur illa vẽdita, quod intelligendum est, quando non vendit illam vltro constituens illã venalẽ, sed compulsus, vel rogatus ab emptore. Similiter licebit emptori, si rẽ qua non indiget sed illi incõmoda est cõpellatur vel importunis precibus à vẽditore emere, vilius pretiũ exhibere pro illa: quia sicut ratione lucri cessantis vel damni emergẽtis, vt seq. q. de vsuris videbimus licet pro mutuo aliquod lucrũ recipere, simili ratione in contractu venditionis qui ex re vendita vel empta aliquod patitur damnũ & incomodũ, poterit propter illud, à cõmuni & iusto pretio aliquid addere, vel ab eo detrahere, quãtũ dãnũ illud & incõmodũ arbitrio prudentis æstimabitur: in eo nãq; casu non ex vẽditionis vi vel ratione rei vẽditæ illud recipitur, sed ratione illius damni quod incurritur. Qui modus excedendi vel defficiendi á pretio iusto, cũ innitatur titulo lucri cessantis vel damni emergentis, explicabitur copiosius quæst. seq. De vsuris vbi abunde agemus de huiusmodi tit. art. 2. Cont. 7. & 8.

Dubitare tamẽ hic aliquis posset An nõ rogatus ab alio, sed rẽ suã illi vltro offerens, possit etiã in aliquo casu augere pretium, ratione maioris vtilitatis quã ex illa percipit? Cui respondendũ est, in vno tãtũ casu id licere. Quando scilicet nõ cupiditate aliqua sed sola charitate adductus venditor rẽ illã emendam offerret. Veluti si petrus conspiciens Ioannem in aliqua graui necessitate constitutum, cui nulla alia via subuenire potest, nisi vendito illi suo fundo; dicat optasem certe me habere pecuniã qua te iuuasem, interim quia alia ratione tuæ indigentiæ subuenire non possum, accipe hoc predium meum, quod licet simpliciter & secundũ se valeat 100. propter fructus vero quos ex illo ego percipio mea industria, quos alibi non ita perciperem. valet mihi reuera 130. reddes illa cum tibi facultas fuerit, modo vero accipe illud in isto pretio 130. vt vendens illud statim in pecunia numerata, possis tuæ necessitati occurrere. In hoc casu potest venditor cum sola charitate adducatur misertus Ioannis offerre illi predium

suum venale, exigens aliquid vltra pretium quod illud secundum se valet, ratione vtilitatis quam ex illo precipit, & qua eo vendito priuabitur.

Similiter docent, licere emptori rem sibi inutilem vilius emere in aliquo exiguo defectu á iusto pretio, quamuis ipse roget venditorem, vbi illum non rogat ex cupiditate aliqua, sed ex mera etiam charitate, videns illum in aliqua necessitate constituum, cui non potest succurrere nisi admonens illum, vt aliquā rem suam vendat, nouitq; venditorē eius esse ingenii vel status, qui nulla ratione rem aliquam suam vltro offeret multis venalem, ne prodat suam inopiam. De hoc tamen secundo casu plurimum ego dubitarem, quia cum hic emptor pecuniam habeat in promptu, quam potest patienti necessitatem mutuo, & gratis accomodare, admonere illum vt rebus suis minoris venditis illam sibi comparet nescio qua ratione charitatis hoc consilium sit, non cupiditatis: præter quam vbi de fideli restitutione pecuniȩ illi mutuatæ, qui ita alium egentem ad rem suam vendendam adortaretur prudenter debitaret.

Dubitatur deniq; hoc loco: An ratione maioris affectionis erga rem suam, possit aliquis rem illam carius vendere roganti illum? Hic distinctione opus est. Nam vel maior illa affectio nulli alteri nititur fundamento quā soli amori, quo vnusquisq; ad res suas affectus est, vel nititur alicui cōmodo quod ita ex illa percipit, vt ex nulla alia speret simile forsan se accepturum. Vt qui habet equum cuius mansuetudinem & celeritatem ita expertus est, vt non facile speret alium illi similem suęq; cessioni ita accomodatum se inuenturum. Propter priorem affectionis modum nulli licebit rem carius vendere quam valeat simpliciter, & secūdum se, nam illo affectionis genere omnes ad res suas affecti sunt, dareturq; occasio venditoribus fingendi huiusmodi affectiones, vt ea via nihil iusto pretio venderetur, sed quiuis illud augere niteretur. Quod si secundo modo ad rem suam vēdendam quis affectus sit, cum hæc affectio nitatur commoditati, quam ex illa habet potest carius illam vendere, non quidem illius affectionis ratione, sed cōmoditatis quam ex ea percipit, vt ex dictis constat.

Tertius casus est vbi interuenit libera, gratuitaq; omnino donatio quę lege aliqua nō prohibeatur. Sicut n. in muto quod per liberam donationem accipitur vltra sortem non est vsurarium lucrū, ita quid quid in venditione alter contrahentium alteri gratis exhibuerit sine vlla vi, fraude, dolo, vel simili iniquitate, maxime ab eo qui potēs est, & solitus liberaliter ac gratis similia conferre, recipi illud potest. Quę vero exhigantur, vt donatio huiusmodi, gratuita & omnino libera reuera dicatur, ac licita, & quam recipiens vltra sortem, vel iustum pretium nec iniquitatem committat, nec ad aliquam teneatur restitutionem, explicabitur ex professo á nobis quęst. seq. De vsuris. artic. 2. Controuer. vltim.

ARTIC. II.

AN VENDITIO REDDATUR *illicita propter defectum rei venditæ?*

DVOBVS modis potest venditio aliqua iniusta esse, vel ratione pretii: vt cum carius, venditur, aut vilius emitur, quam sit iustum illius pretium, vel ratione ipsius rei: vt cum ea quę corrupta est, aut diminuta, & defectuosa, tāquam sana & integra venditur. Propterea D. Tho. optima methodo cū egerit precedenti art. de iniustitia quæ ratione pretii potest accidere, agit nunc de iniustitia quæ ex deffectu rei quę venditur, potest prouenire. Rursum ratione deffectus huiusmodi biffariam potest peccare vēditor. Primo cum rem deffectuosam tanti vēdit, quanti si talem deffectum non haberet. Secundo cū rem illam deffectuosam non tanti vendit sed minori quidem pretio, celat tamen ementi deffectum, quē debuisset profecto aperire, & indicare: & quem si emptor agnouisset nulla forsan ratione nulloq; pretio rem illam emisset. Qua de causa proponit D. Tho. & consulto hos duos articulos diuersos, explicans in hoc 2. quam iniustitiam committat, qui rem deffectuosam perinde vendit, & eodem pretio, ac si integra esset & sana: explicaturus ar. 3. sufficiat ne venditori minuere pretium rei deffectuosæ iuxta deffectum illius? vel teneatur etiam aperire illum & manifestare ementi?

Ad

Ad explicanda ea quæ huius art. propria sunt, nonnulla constituit prius D. Tho. imprimis triplicem esse posse deffectum rei quę venditur in damnum ementis. Primo in natura, & substantia, vt cũ traditur res aliqua pro alia diuersa, diuersa autẽ, vel specie vt aurũ fictum, & alchimicum pro vero & naturali, stagnũ pro argento; vitrum pro gemma, carnes bouinæ pro arientinis, vel diuersa numero: vt ager vnus vel fundus pro alio vestis aliqua pro alia. Secundo potest esse deffectus in quantitate, vt cum vtitur vẽditor minori pondere vel mensura quam debeat, vel si vtatur debitis quidem põderibus, & mensuris, pautiores tamẽ tradat quam oporteat: pertinet enim ad hoc caput omnis deffectus qui accideret in numero, pondere, vel mensura. Tertio potest deffectus accidere in qualitate, veluti si animal infirmum vendatur, vt sanũ, terra sterilis pro fœcunda & fructifera, vinum mistũ aqua pro puro, vestis vetus simulata noua, frumentum putridum, & corrosum pro sano & integro. Ad quod genus deffectus, vel fraudis pertinet vbi fructus, vel merces alicuius loci vbi minus pretiossæ esse solent, traduntur sub nomine fructuum aut mercium alterius loci, vbi pretiosiores habentur: vt si seri cum Orcelitanum vendatur, pro Granatensi, vinum Saguntinum pro vino loci S. Martini, triticum collectum in fundis irriguis pro tritico collecto in montuosis & aridioribus.

Similes fraudes, & deffectus possunt etiam accidere in re quæ emitur, in damnum venditoris: In substantia, vt si rusticus tradat veram gemmam pretio vitri opinatus illam vitrum esse non gemmam, emptor vero recte agnoscat gemmam esse, & rusticum illum fuisse deceptum. In quantitate, vt cum venditor maiori vtitur pondere, & mensura quã debeat, aut plura pondera, vel mensuras conferat quam oporteat, existimans se in eis non excesisse, nec plura exhibuisse quam deberet, emptor vero agnoscẽs excessum illum, & in æqualitatem in vtilitatem quidem suam damnum vero cedere venditoris, silet: In qualitate autem, vt si rusticus, equum quem agriculturæ suæ vidit non satis accomodatum, iudicans inutilem vilius vendat, quem tamen emptor nouit optimũ, & vtilisimum ad pugnam, ad astiludia, & æquitandum.

Constituit secundo D. Thomas, huiusmodi deffectus aliquando cognitos esse, & perspectos venditori, vel emptori, aliquando vero ignorari ab illis, aut ab altero eorum. Addit Conrrad. q. 54. & optime, hanc ignorantiam duplicem esse posse, vel inculpabilem, vt cum ignorat venditor, vel emptor deffectus rei, quos non tenebatur agnoscere, vel culpabilẽ, & affectatam, quando scilicet ignorat eos deffectus quos tenebatur, & poterat agnoscere. Illos vero tenetur ex Conrrado venditor scire, qui vel possunt emptori nocere, vel quos ratione suæ artis, & officii tenetur agnoscere. V. g. debet venditor carniũ probe nosce carnes quas vendit, sint ne taurinę? cum experientia teste, si ex taurinis infirmus comedat loco arietinarum, sit graue damnum accepturus: similiter si vnguentarius, & pharmacopola loco alicuius herbę, vel medicamenti necessarii infirmo exhibeat quod illi inutile forsam sit, vel nociuum: Sic vendentes non excusantur ratione ignorantiæ, cum ea culpabilis sit, & circa deffectus quos tenebantur scire, & poterant: eos vero deffectus quos agnoscere nõ possunt, vel non debẽt vult Conrrad. non teneri venditorem agnoscere, ac propterea posse circa illos laborare ignorantia inculpabili: vt sit ne vinum Grecum, vel Italum, sit ne Metinense an S. Martini.

Sit Prima conclusio. *Qui vendit rem deffectuosam, vel in substantia, vel in quantitate, vel in qualitate sciens illum deffectum, peccat mortaliter ex suo genere, teneturq; ad restituendum excessum pretij, quo res illa talẽ deffectum habens arbitrio prudentum æstimaretur.*

Probatur prior pars. Fraus & dolus in quocunq; cõtractu cum damno fratris est peccatum mortale ex suo genere, qui vẽdit rem habentem defectum perinde ac si illum non haberet, vtitur fraude & dolo cum damno fratris. Ergo. Et confirmatur ex prima conclusione pręcedentis articuli, vbi vidimus vendere rem pluris quam valeat cum deceptione ementis, esse mortale ex suo genere.

Hæc conclusio est de fide. Reprehenduntur enim grauiter in Sacra Scriptura qui vtuntur hoc dolo in vendendo. Esaiæ c. 1. *Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aqua.* Vbi in priori parte damnatur vendens scoriam pro

 argento

argento, qui deffectus pertinet ad substantiam: In secunda vero vendens vinum mistum pro puro: qui est deffectus in qualitate. Prohibetur etiam deffectus in quantitate Leuitici 19. *Nolite facere ini quum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera iusta, & aequa sint pondera, iustus modius, aequusq; sextarius. Ego dominus Deus vester.* Deuteronomii 25. *Non habebis in saculo diuersa pondera, maius & minus, neq; erit in domo tua modius maior, & minor, pondus habebis iustum & verum, & modius verus, & aequalis erit tibi, vt multo viuas tempore super terram, quam dominus Deus dederit tibi, abominatur enim dominus, eũ qui facit haec, & auersatur omnem iniustitiam.* Cui alludit illud Prouerb. 20. *Pondus & pondus, Mensura & mensura, vtrumq; abominabile coram domino.* Idem habet tamquam optima iuris naturalis, & diuinae explicatio lex ciuilis: veluti illa lex Modios. Cod. De suscepto. praeposi. & arcar. lib. 10. vnde lex Paulus respondit. ff. De verborum significatione. *Modium iniquũ affirmat non esse modium, sed dolum.* Vbi vtentes huiusmodi dolo in ponderibus, & mensuris admonitos esse vellim, imprimis nulla eos ignorantia excusari, quia ex officio tenentur diligenter expendere, sint ne iustae mẽsurae illę quibus res suas vendunt: vt optime docent iurisperiti in dicta L. Modios. habeturq; aperte in L. Sed & addes. §. 1. ff. locati.

Tum etiam, quae putant sibi lucrum esse, dum hac fraude vtuntur, maximũ illis esse damnum, non solum spirituale, verumetiam temporale, quia & lucrum illud, & alia bona eorum vna cũ illo, diuino quodam iudicio paulatim cõsumentur, & peribunt, sicut minatur eos Deus Micheae 6. dicens. *Numquid iustificabo stateram impiam, & sacelli pondera dolosa? in quibus diuites eius repleti sunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum. Et ego ergo caepi percutere te perditione super peccatis tuis. Tu comedes, & non saturaberis, & humiliatio tua in medio tui, & apprehendes & non saluabis, & quos saluaberis in gladiũ dabo. Tu seminabis & non metes, tu calcabis oliuam, & non vngeris oleo, & mustum, & non bibes vinum.*

Secunda pars conclusionis patet primo, quia sic vendens infert nocumentum proximo, & cum fraude ac iniuria, quicumq; vero ita nocet, tenetur ad restituendum. Secundo omnis excessus iusti pretii restituendus est: qui rem deffectuosam vendidit vt sanam & integrã excedit a iusto pretio, cum res deffectuosa non sit eiusdem valoris cuius est integra, & sana, ergo tenetur excessum illum restituere.

Secunda conclusio. *Vendens rem deffectuosam eodem pretio quo venderetur integra & sana, ignorans tamen illius deffectum: Si quidem ita vendat ex ignorantia culpabili peccat mortaliter, ex suo genere, quod si ignorantia illa inculpabilis sit, immunis est a peccato mortali: tenetur tamen vterq; ad restituendum excessum iusti pretii.*

Prior pars huius conclusionis se ipsa perspicua est, cum sit velut axioma commune DD. ignorantiam inuincibilem & inculpabilem excusare omnino à pecato: culpabilem vero nequaquam. Et confirmatur, quia vbi quis ex ignorantia inculpabili facit iniustum, illud solum est iniustum vt dicunt materialiter, minime vero formaliter aut virtualiter, cum talis ignorantia tollat omnino quamcũq; rationem voluntarii; at qui facit iniustũ ex ignorantia culpabili, quam poterat, & debebat repellere, non solum facit iniustum materialiter, verumetiam virtualiter: quia eo ipso quo tenebatur illud scire, nec adhibuit debitã diligentiam, qua adhibita illud intellexisset, voluit illud vitio suo ignorare, & consequenter virtualiter etiam voluit damnum illud fratri inferre: constat autem ex his quę docuimus 1. tom. quaest. 59. artic. 2. facientem iniustum materialiter tantum, nec iniustum agere, nec peccare morlaliter, sed eum tantum qui non solum materialiter, verumetiam formaliter, aut virtualiter saltim facit iniustum.

Altera pars perspicua etiam est ex his quae docuimus eodem 1. tomo q. 62. ar. 2. cum non solum ratione iniquae acceptionis faciẽda sit restitutio, verumetiã ratione rei alienae, quacũq; ratione illa accepta sit. Quicũq; n. nouit se habere alienũ, etiã si nulla interueniente fraude, vel iniquitate illi contigerit, cũ primũ nouit se alienum habere, tenetur illud restituere; excessus autem ille iusti pretii pro re deffectuosa, tãquam pro integra exhibitus, res est aliena, & sine consensu veri domini detenta. Quin, & acceptio illa si recte consi-

consideretur a parte rei iniusta fuit, etiam si is qui ex ignorantia inculpabili ita accepit, eo quod ita ignorauerit, excusetur a peccato.

Secundo, quicunq; alteri nocuit, licet excusetur á peccato vbi ex ignorantia inculpabili ita nocuit, tenetur nihilominus cum primum nouit se alteri nocuisse damnum illud resarcire, quia quacunq; ratione nocuerit fecit inæqualitatem, quę per compensationem, & restitutionem excessus, vel deffectus est omni iure ad æqualitatem necessario reducenda: at qui rem defficiētē perinde vendidit eodemq; pretio ac si illa integra esset, & sana, licet ex ignorantia inculpabili, ita vendiderit, nocuit nihilominus reuera ementi, in valore & excessu illo iusti pretii, tenebitur, ergo damnum illud cum primū illius fuerit conscius compensare: licet propter ignorantiam inculpabilem qua laborauit dum vendidit, non peccauerit sic vendens.

Tertia conclusio. *Qui rem integram, vel pretiosam tamquam deffectuossam aut vilem emit, sciens illius valorem & pretium, peccat mortaliter ex genere suo, quod si illud ignorans ita emerit. excusabitur a peccato, tenebitur vero vterq; ad restituendum venditori deffectum iusti pretij.* Prior ille qui rei valorem agnoscebat, & inique soluit tenebitur ad restituendum defectum illum iusti pretii statim ipso facto: posterior vero qui illius ignorantia laborabat cum primum nouerit illius rei valorē, & pretium. Exemplum est familiare: si vir rusticus gemman in agro sua inuentam alicui vendat pretio vitri, opinatus illā vitrum esse, si quidem emptor intelligens gemmam esse non vitrum, pretium vitri illi exhibeat, peccat mortaliter, propter fraudem illam, & deceptionem qua vtitur cum damno fratris sui, teneturq; ipso facto deffectū iusti pretii restituere: tandiuq; est in statu peccati morta. quandiu illum nō restituit, quod si opinatus quoque ipse vitrum esse, ita emerit, per illā ignorantiam excusatur a peccato mortali, minime vero quin debeat deffectum iusti pretii cōpensare, cū primum rei a se emptę valorem, & pretium intellexerit.

Circa primam conclusionem obseruandum est, quod recte nonnulli adnotarunt: deceptionem quę in huiusmodi vēditione accidere potest, duplicem esse, quandam quam vocant actiuam, vt cum alter contrahentium alterum decipit, vel saltim non liberat a deceptione quam in illo conspicit, vt in exemplis propositis accidit. Veluti cum venditor nouit equum suum infirmum esse, aut indomitum, vendit vero illum tamquam sanum & domitum: aut vbi emptor nouit gemmam esse non vitrum lapillum quem emit, á venditore vero haberi pro vitro, nec illum admonet: huiusmodi deceptiones dicuntur actiuæ. Aliæ sunt dictæ passiuæ, cum alter contrahentium se ipsum decipit sine alterius culpa, ignoratq; hic illius deceptionem. Vt cum expositis in publico variis immaginibus, emitur aliqua credita ab emptore esse imago D. Pauli, cum reuera sit alterius Diui, neq; emptor rogauit venditorem quænā esset immago illa, sed absolute tantū quæsiuit quo pretio illam traderet, ita vt de solo pretio interse egerint, & conuenerint, sicq; alter pretium alter immaginem recipit. Hæc deceptio dicitur passiua.

Quo posito dico conclusionem illam primam de ea tantum emptione, aut vēditione intelligendam esse, in qua prior illa deceptio actiua accidit, minime vero de ea in qua posterior, quam passiuam dicimus, occurreret. Quia vbi prior illa accidit, interuenit fraus in re, & inęqualitas in pretio: vbi v ero posterior, vtrūq; deest: cum emptor se ipsum deceperit, venditore illud omnino ignorante, & pretium in quo conuenerunt, cuiuscunq; Diui immag o illa sit, iustum esse constituamus.

Quia sermones vniuer sales, vt inquit Aristo. in his quę ad mores pertinent minus vtiles sunt, vtiliores vero multo, quando priuatim singulis hominum actionibus, & operibus accomodantur, vtilissimum profecto erit explicare hoc loco.

Controuersia Prima.

LICEAT NE ARTIFICIBVS *mistur as quas adhibent rebus artis suæ, vna cum illis, & sub eodem pretio vendere?*

OCCASIONE huius quęstionis de his omnibus agemus, qui rebus quas vendunt aliquid miscent, sed potissime de huiusmodi artificibus.

Solent vt experimur aurifices, & argentarii in operibus artis suæ, vt in vasis auri, vel argenti quo illorum partes iungantur, & coaptentur, alia metalla multo inferioris pretii miscere. Similiter Fabri ferrarii in operibus ferreis puluerem arenæ miscent, & qui vasa ollasq; æneas conficiunt ferrum quoq; illis adhibent: In quibus, si huiusmodi artifices diligenter, ac fideliter præcipua & propria suæ artis metalla ad pondus librarent, & in eo tantũ illa venderent, nihil esset difficultatis: attamen cum eodem pretio vendant mixturas illas, & metalla inferiora, quo superiora, & præcipua, sub eodem omnino pondere librata, videtur huiusmodi venditio aliquid habere iniquitatis. Quo enim iure iustum censeri potest, vt plumbum vel stagnum vasis argenteis, vel ferrum vasis æneis mistum sub eodem pondere, sub eodemq; pretio vendere liceat? maxime cum integram suarum operarum, suæq; artis mercedem accipiant, nec soleant ab ea, ratione illius misturæ appositæ, aliquid detrahere, aut minuere.

Vt in hac quæstione quod verius est doceamus, obseruemus primo, huiusmodi artifices bifariam circa has misturas & ligamina posse sese habere, vel ita, vt id tantum adhibeant alterius metalli, vel pulueris, sine quo nulla ratione possit opus illud, & vas iuxta suam artem confici, vel ita, vt plus apponant quam oporteat, vel ex imperitia eorum, vel ex cupiditate. Rursum id quod necessario apponitur & admiscetur, vel apponitur in exigua & minima quantitate, vel in maiori, & propter quam multum augeatur rei pretium.

Obseruemus Secundo, Misturam illã aut latentem & occultam esse, aut perspicuam & patentem emptoribus: similiter aut positum esse in consuetudine illius patriȩ & loci, vt pondere & pretio præcipui metalli vendatur, aut contra: habet enim in his, sicut in omnibus cõtractibus humanis magnam vim consuetudo.

His positis dico primo. Vbi id tantum miscetur, quod secundum artem omnino exigitur ad conficiendum vas illud, & aptandas illius partes, ac in exigua quãtitate, tuta conscientia vendi illud pretio, & pondere precipui metalli. Primo, quia ita habet omnium artificum vsus, & consuetudo vbiq; terrarum, in quam omnes emptores quasi quodam iure gentiũ consenserunt, cum experientia teste, nullus vnquam eorum vbi mistura ita necessaria est, & exigua, conquȩratur. Secũdo quia, quȩ ita necessaria est & exigua, adeo parum & exiguum superaddit pretio pręcipui metalli, vt nullius illud debeat esse cõsiderationis in disciplina morali. Tertio quia certum ac deffinitum põdus vasis aurei, vel argentei non potest haberi, nisi cum illud perfectum est & absolutum, quia quandiu conficitur semper detrahuntur, vel adduntur aliquȩ illius partes, quo fit vt non possit certum metalli pondus à principio accipi cum conficiendũ estuas, vbi vero absolutũ est & perfectum, difficile est imo fere impossibile, distinguere pondus misturæ à pondere pręcipui metalli, qua de causa obtinuit vsus omnium hominum, vt hæc eodem pondere & pretio ęstimentur.

Dico secundo, vbi id quod miscetur, necessarium quidem secundum artem, sed in maiori aliqua quantitate & multi pretii, siue mistura illa occulta sit, siue perspicua & aperta; iniquum esse vt eodem pondere ac pretio illa vendatur quo pręcipuum metallum. Res est perspicua. Primo, quia esset grauis inæqualitas & nocumentum ementis, vt argentum quod secũdum se valet vt 20. propter misturam venderetur pretio vt 25. reddita præterea iusta mercede laborum artificis. Secundo, quia vbi tanta mistura opus est, (vt ab eisdem artificibus accepi) potest illa seorsum librari, & ea ratione pondus etiam pręcipui metalli certò vel saltim parum plus vel minus deprehendi, & consequẽter iustum illius pretium; vnde cum ita contingit misturam se habere, non est in vsu apud peritos & timentes deum (quorum in his tantum ratio habenda est), vt consuetudo artificum & contrahentium vim hebeat) misturam pretio & pondere pręcipui metalli ęstimare.

Ex his satis aperte sequitur tertium. Vbi quid miscebitur in maiori quantitate quã secundum artem exigatur, artificem illum iniquè agere ex genere suo, & teneri ad restituendum quidquid adiecit, præter id quod omnino necessarium erat, & exiguum iuxta primum dictum. Ratio est aperta, quia sic agens vendit reuera rem deffectuosam in substantia pro integra plumbum scilicet pro argento, aut ferrum

pro

pro ere, quod, quam iniquum, sit ex prima conclusione D. Thomæ constat. Dixi ex genere suo, quia potest ille excessus ex leuitate materiæ veniale tantum peccatum esse, quin & nullum quandoq;. Propter quod admonendi sunt, qui inter huiusmodi artifices timorati sunt, & scru pulis vexati. Quotiescunq; curarunt ipsi ea tantum mistura vti, quam iudicarunt necessariã, neq; ex industria, aut incuria, vel cupiditate in ea excesserint, etiam si à parte rei aliquis sit excessus, nec peccasse, nec teneri ad aliquid restituendum, nec debere animo vexari, sed debere pec catam habere conscientiam.

Ex his sequitur, Primo, quam inique agant aurifices quidam, quorum alii aurũ inferioris gradus, veluti in gradu, vt 20. vendunt tamquam aurum gradus vt 22. alii vero qui ponderi 20. argenteorum solent miscere metallũ inferius 4. vel 5. argentorum, & eodem pretio, dum vas confectum tradunt, vendere. Etenim siue tanta mistura secundum illorum artẽ necessaria sit, siue non, siue occulta, & latens, siue patens, & manifesta sit, grauiter ementi nocent, & cum iniuria: nec vllus est emptor qui in tantum nocumẽtũ censendus sit consentire: Neq; vlla ratione in huius iniquitatis iuuamen, afferenda est consuetudo, corruptella enim potius esset, vt ex 2. dicto constat.

Sequitur secundo, vnguentarios, aromatarios, & similes artifices quorum artẽ & opera conficiuntur medicamenta, vnguenta, aromata, aquę odoriferę, & similia grauiter peccare, siue corrupta pro integris tradant, siue illis iam confectis viliora misceant, vt eodem pretio illa vẽdentes suæ consulant cupiditati, iuxta primam conclusionem D. Thomæ. Dũ vero illa conficiunt, si quid misceant olei, aquę, vel alterius rei, sine qua medicamentum illud, aut vnguentum, vel aqua odorifera secundum suam artem confici non potest, in exigua quantitate, iuste possunt, quæ ita miscuerũt eodem pretio, ac pondere vendere. Si quid vero apponi opportuit in maiori quantitate, non possunt, multo minus si quid apposuerũt non necessarium, iuxta ea quæ de aliis ar tificibus hic posita sunt.

Sequitur tertio vendentes carnes teneri ad eas omnino vẽdendas, quas cum Magistratibus conuenerũt se vendituros, & in eo pondere, ac pretio. Vnde inique aget, & cum debito restituendi, qui sufocatas, & morticinias carnes pro sanis, & decollatis, aut arietum incastratorũ, pro carnibus castratorũ venderet in macello, aut agnos pro ædis, quia huiusmodi fraudes tã ratione pretii, quam ratione salutis in graue damnum ementium cedunt.

Illud quoque hic explicandum sese offert.

Controuersia Secunda.

LICEAT NE TRITICO *vendendo glebulas terreas miscere, quo illius mensuræ augeantur.*

BARTHO. Medina in sua instructio. confes. docet agricolam, & quemcũq; aliũ, venditorẽ posse quidem tuta conscientia vendere, triticum cum eo puluere & glebulis terreis, quas ex area solet triticum communiter ac sine vlla industria messorum recipere, Tum, quia habet vsus agricolarum cum domui suæ illud vendunt, impurgatum vendere, tum quia huiusmodi mistura ementibus patet, & cum ea videntes se illud emere, nec reclamãt, vnde aperte in illud consentiunt. Quod si agricola, aut venditor, triticum suum quod vendere non instituebat, ab illo puluere & glebulis sibi purgauerat, deinde vero aut propria sponte aut rogatus ab aliquo ven dere constituat, illud vendere & puluerem ac glebulas à quibus illud purgauerat vel similes illi misceat, ne pauciores habeat frumenti mẽsuras quã ex area receperat, inique agere, quia iam videtur puluerẽ illũ & glebulas de industria, & cũ fraude, & ex cupiditate augendi mensuras sui tritici miscere.

In hac sententia, quo ad priorem partẽ omnes conueniunt, modo in area purgetur, sicut habere solet vsus inter optimos & timoratos agricolas: quamuis enim dũ in proprias domos illud aferunt in suos vsos conuertendum, iterum & perfectius soleant illud purgare, quam fuerit in area mundatum, solent nihilominus & in area quoque prius illud purgare, licet non ita exacte, nec perfecte, sicut deinde in domibus suis, cum vel ad seminandum, vel ad manducandum illud parant. Qui igitur ita illud vendiderit, sicut ex area adducitur, post solam illam purgationem quę in area fieri solet, etsi glebulis & aliquo pul

 uere

uere mistum existat, non agit inique, vt rationes illæ ostendunt.

Quo ad posteriorē vero partē sententia ista Medinę aliis viris eruditis minime probatur, sed iudicatur rigidior quam recta ratio postulet, & merito: modo eas tantum glebulas agricola misceat, quas solet triticum etsi in area purgatum, nihilominus retinere, nec plures apponat. Probatur, triticum purgatum ab agricola ad proprios vsus, cui illæ tantum glebulæ miscentur quas in area solitum est contrahere, ac ibi purgatum retinere, non est minoris vtilitatis quam esset idem triticum, cum primum ex area cum eisdem glebulis adductum fuit, antequam agricola ad proprios vsus illud secundo domui suæ perfectius & diligentius purgaret, pretium autem rerum sumitur ex vtilitate quam illæ vsibus & conuictui humano conferunt, vt vidimus abunde ar. 1. ergo eodem pretio potest vendi cum huiusmodi glebulis illi restitutis, postquam domi purgatum fuit, cum quibus poterat vendi acceptum ex area, antequam domi secundo purgaretur. Et cōfirmatur alienum est à recta ratione, vt quo pretio vnus vendere iuste potest, non possit alius rem similem, & eiusdem bonitatis, ac vtilitatis, sed potest alius agricola triticum suum purgatum tantum in area, cū glebulis quas illud etsi ita purgatum retinere solet, iuste vendere, ergo & hic qui illud sibi tantum perfecte domi suæ purgauerat, poterit similiter vendere, restitutis illi eis tantum glebulis quas solet retinere postquam in area solum purgatum fuerat.

Tertio agricolæ non solent, nec tenentur triticum suum tradere emptoribus perfectissime mundatum, vel ita purgatum sicut solet aut seminari, aut molis frumentariis tradi, sed eo tantū modo purgatum, quem habet communis vsus agricolarum & vendentium, vel in area vel domi suæ ex area adductum: at vbi tritico, quod agricola, quia constituerat in suos vsus tantum conuertere, perfectissime purgauerat, easdem glebulas miscet, ac restituit, quas antea habebat, vbi ex area fuit adductum, triticum huiusmodi non est deterius, nec minus purgatum, quam soleant, aut teneantur agricolæ illud vendere, ergo iuste potest sic vendi: Nec ratio Medinæ conuincit opositum, etenim, licet ista miscere tritico iam perfectē & omnino mundato sit quædam fraus, non tamen est iniqua, cum per eam trriticum illud non reddatur deterius, nec minoris bonitatis, quam debeat habere triticum venale in area vel domo agricolæ; licetq; cuiq; vti ea fraude qua seipsum seruet indemnem, modo non vtatur iniquitate aliqua, qua in hoc casu huiusmodi agricola & venditor non vtitur.

Dices, imo est iniqua fraus, cum cedat in damnum emptoris, cui plures mensuræ contingerent, nisi agricola iste glebulas quas expulit à suo tritico, illi restituisset. Respondeo damnum quidem esse emptoris, sed ad quod vitandum non tenetur venditor: Non enim tenetur is qui vendit omnem vtilitatem & commodum emptoris curare, vel omne damnum repellere, sed id tantum vt iusto pretio vendat: ac in debito pondere & mensura, & rem ita bonam ac vtilem, qualem illud pretiū & mensura exigunt: quæ omnia obseruat satis agricola iste in casu de quo hic loquimur, cum eiusdem bonitatis, & vtilitatis, eiusdemq; mensuræ & pretii sit triticum, cui eas tantum glebulas miscet, quas antea postquam fuerat purgatum in area retinebat, nec plures vt constituimus: Nec teneantur aut soleant agricolæ similesq; venditores tradere emptori triticum exactē ac perfectē mundatum.

Deniq; sicut iniquè ageret vendens rē deffectuosam pro integra & sana, ita quoque emptor qui exhiberet in pretiū pecuniam viciossam, vel in substantia, vt qui loco numismatis verè aurei, vel argentei conferret pecuniam ex auro vel argēteo sophistico, & simulato confectam. In quantitate, veluti si numisima deficiat ab eo pondere, quod debet habere iuxta Regis vel Reip. præscriptum: Fit enim hominum cupiditate, & iniquitate frequenter, vt ablatis à pecuniis aureis vel argenteis quibusdam particulis, debita pondera memismata illa non habeant, in graue tam Reipub. quam contrahentium nocumentum. Demum in qualitate, vt si deficiat vera imago Principis, cuius authoritate & nomine pecunia in eo loco cuditur. Accidere enim potest vt optimum sit aurum, vel argentum & debiti ponderis numisma iuxta prouincię vbi illud est in vsu pręscriptum, in loco autem in quo traditur venditori non recipiatur, vel in minori pretio, tradatur autem ab emptore in eodem & ęquali pretio, quo numismata

mata propria & genuina illius loci æstimari solent. Quicunq; in solutione pretii rei à se emptę aliqua fraude ex his in pecunia quam exhibet, vtatur, peccat mortaliter ex genere, cum non soluat æquale cum damno venditoris, excusabitur autem vbi ex ignorantia ita se gesserit, tenebitur vero cum primum illud intellexerit ad reficiendum deffectum pretii, & monetæ quam exhibuit, sicut diximus de vendente rem deffectuosam, ex ignorantia deffectus illius in tali re.

ARTIC. III.

TENEATVR NE VENditor aperire emptori vitium, & deffectum rei venditæ.

OBSERVEMVS primo, vitiũ rei aliquando manifestũ esse & perspicuũ, vt quãdo equus est monoculus, vel claudus, domus aperte diruta: aliquãdo vero latẽs, & ocultũ: quod duplex esse potest, aut tale, vt illud ignorare redundet in damnum vel periculum ementis, vt si vendatur domus quę ocultam minatur ruinam tamquam firma, & constans, vel equus qui exterius sanus & vtilis aparet, habet autem infirmitatem reddens illum inutilem, vel periculosum, vbi quis illo incederet: vel deffectus ille & vitium nullum secum affert damnum vel periculum, vt cum venditur vas aureum vel argenteum tamquã integrum & sanum, habens tamen aliquã scisuram, sed ita vt propter illam non redatur minus vtile vsibus quibus debet deseruire.

Obseruemus, Secundo Diuum Thomã hoc loco inter damnum, & periculum quæ ex vitio rei quæ venditur, prouenire possunt, ita distinguere: vt per damnum intelligat excessum illũ iusti preti, qui recipitur, vbi res deffectuosa vẽditur vt sana: cũ in tali venditione detrahendũ sit à pretio communi rei sanæ pro ratione illius deffectus, aliter nocet aperte venditor emtori in ea parte pretii, quę in venditione rei deffectuosę debet ex iustia detrahi: periculum vero vocat, quodcumq; aliud dãnum imminens emptori, & quod ex ea re illi accidere deinde potest.

Sit Prima Conclusio. *Si vitium rei ocultum sit, cedatq; in damnum & periculum ementis, actu vel potestate, tenetur venditor illud aperire, aliter peccat mortaliter, & tenetur ad satisfaciendum omne damnũ, & periculum quod illi obuenerit.*

Probatur prior pars. Quia omnis fraus, & dolus in iniuriam, & damnum fratris est peccatum mortale contra charitatem, & iustitiam: contra charitatem cum inferatur damnum, contra iustitiam cum inferatur cum fraude & dolo, habet enim vnusquisque hoc ius á natura, ne ab alio decipiatur: vendens autem rem deffectuosam cuius deffectus potest cedere in damnum & periculum ementis, illumq; occultans, cum fraude & dolo nocet grauiter fratri, ergo.

Secundo, quamuis nemo teneatur alteri concilium, vel auxilium ferre, vt ab aliquo damno vel periculo liberetur, nisi illius curam gerat, aut extreme ille indigeat tali concilio vel auxilio: at ocasionem damni, vel periculi alteri offerre omnia iura tam naturale, quam diuinũ, quã humanum grauiter prohibent, in hoc autem casu qui vendit non manifestans vitium rei, constituit fratrem in magno discrimine alicuius grauis damni, & periculi, ergo.

Hoc genus fraudis prohibet D. Paulus illis verbis 1. Thes. 4. *Ne quis supergrediatur, neq; circumueniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est dominus de his omnibus.* Supergreditur enim fratem, vt exponunt Theophilactus, & D. Anselmus, qui rem iniusto pretio vendit: circũuenit vero, qui decipit illum in re quæ vẽditur, vel vitium quod debebat indicare occultat.

Secunda pars conclusionis ex his percua est, quia quicunq; nocet fratri cum iniuria, tenetur ex iustitia omne illud nocumentum reficere, qui vero tale vitium, de quo hæc prima conclusio, occultat, nocet fatri cum fraude & iniuria. Et confirmatur ex illa regula Iuris, de iniuriis & damno dato. *Si tua culpa damnum datum est iure super his te satisfacere opportet.*

Secunda cõclusio quã nõ habet aperte hic D. Tho, Sequitur tamen recte ex precedenti. *Si ex oculto vitio & deffectu rei nullum periculum immineat emptori, nec propter talem deffectum sit illi minus vtilis, quam si eo careret, simulq; minuit de pretio ratione illius deffectus quantum prudens & peritus iudicaret, nec peccat tacendo talem deffectũ, nec*

nec tenetur ad aliquam restitutionem.

Probatur. Vnicuiq; licet seipsum seruare indemnē, & propriæ vtilitati consulere citra iniuriam fratris: in casu vero huius cōclusionis nulla fit iniuria emptori, cū nullum illi periculum (vt supponimus) immineat, nec inferatur damnum, cum res illi tradatur minuendo de pretio pro ratione deffectus: Neq; aliud hic reuera prestat vēditor, quam seipsum seruare indemnem: quia si aperiret illius rei deffectum, esto propter illum nec inutilis nec nociua illa reddatur, nullus forsam vellet illam emeret, aut saltim vellet, vt communiter accidit, à pretio iusto plus multo subtrahere quàm æquum esset: sic igitur vendens nec peccat, nec tenetur ad aliquam restitutionem.

Et confirmatur, Quia tota ratio, propterquam in præcedenti conclusione obligamus occultantem vitium ex quo sequitur damnum & periculum, ad peccatum & satisfactionem, est ratione illius damni & periculi: in casu autē huius secundæ cōclusionis (vt constituimus) nullum est dānum aut periculum.

Tertia Conclusio. *Quando vitium est manifestum, & cognitum emptori, vel tale vt prudenter, & probabiliter iudicet vendens illi notum esse, non tenetur talem deffectum illi manifestare: tenetur tamen minuere a pretio pro ratione illius deffectus, quod prudens & peritus iudicaret minuendum.*

Probatur prior pars, Quia si teneretur, vel ratione periculi imminentis, vel ratione damni quod pateretur exhibendo idē pretium pro re deffectuosa, quod exhibuisset pro integra, in hoc autem casu nullum imminet illi periculum, cum vitium sit apertum & illi notum, vel prudenter iudicatur illum non latere, ita vt, nisi ab illo sibi caueat ipsi & non venditori sit illud imputandum: nec damnum, cum dicamus venditorem minuere à pretio pro ratione deffectus, ergo non tenetur talem defectum ita manifestum indicare.

Probatur secunda pars, quia vendere rem iusto pretio omni iure tenemur, iustum autem pretium sumitur ex valore rei, valor autem rei defectuosæ, siue deffectus ille manifectus sit, siue occultus, siue agnoscatur siue ignoretur, minor esse debet quam valor eiusdem vbi integra & perfecta esset. Ergo & pretium rei ita deffectuosæ minuendum est, quantum deffectus ille postulauerit. Eandem sententiam habent. Idem D. Thom. quol. 2. artic. 10. & Ioann. Gerson in suis Regul. Moral. cuius verba sunt. Deffectus rerum vendendarum quos quilibet ad extra presumitur cognoscere de facili, sicut neque abscondendi sunt fallacibus cautelis, sic neq; eos dici necesse est, presertim quo ad fori intrinseci iuditium, & quo ad Deum, si quantitas pretii proportionabiliter diminuatur. Est autem huiusmodi imminutio vt in conclusione dicimus facienda, non iuditio ipsius venditoris, qui tamquam in causa propria à propria cupiditate facile decipietur, sed arbitrio peritorum, & prudentum in eo genere rerum, vel mercium.

Ex his sequuntur duo, quæ optime obseruat Medina Cod. de rebus resti. q. 34. Primo vendentem triticum, vel vinum, aut aliquid aliud, quod videt tendere in corruptionem, nec diu in illa bonitate permansurum, nouitq; vel probabiliter opinatur ementem illa non statim ea expensurum, & consumpturum, sed seruaturū per aliquod tempus, debere manifestare emptori rem illam non posse diu conseruari. Ratio est aperta, quia occultatio tali deffectus, & periculum illius cedit in damnum emptoris, quo circa nisi illud aperiat tenebitur ad damnum illud reficiendum, vt habetur L. 2. ff. de periculo & commodo rei venditæ. Et Cynus, Bald. & Salicetus in L. 1. C. De ędilitio. actio. Excusabitur tamen, si bona fide rem vēdidit, ignorās inculpabiliter rem illā ita esse corruptioni proximā, modo illā iusto pretio vendiderit: quia etsi deinde damnū aliquod sequatur emptori, ex sola rē illud ptouenit sine culpa vel fraude venditoris, perinde ac si omnino sanam vendidisset, deinde vero vel incendio, vel aliquo alio casu fortuito perisset.

Infert secundo vendentes vinum limphatum, aut medicamina permista, si illa admistio nociua sit, etiam si minuerit de pretio peccare grauiter, & teneri ad restituendum damnum quod euenerit: Quod si mistio illa nullum damnum vel periculum sit allatura, nec propter eam res illa minus vtilis reddatur, nec peccare, nec teneri ad aliquid restituendum, modo sit vendita iusto pretio pro ratione illius deffectus prouenientis ex tali mistura.

Circa hos artic. Varię sese offerunt ac optimæ dubitationes. Etenim cū deffectus rei,

rei, alius qui rem inutilem reddit, vel nociuam ementi; quem ſi agnouiſſet non emiſſet illam; Alius vero, qui non reddit quidem ipſam nociuam, vel inutilem, nihilominus forſan, neq; eo cognito illam emiſſet. Poſsitque rurſum, venditor aliquando emptorem & in re, & in pretio decipere, vt cum rem ſanam tanti vendit quanti ſi integra eſſet, aliquando vero in re ſola minime tamen in pretio, vt cum rei vitium occultat, cuius tamen pretiū pro ratione illius deffectus minuit: conſtet verò ex Ariſtot. variis in locis, ignorantiam, & deceptionem tollere rationem voluntarii, quo ſublato ceſſat vis omnis contractus, cum de ratione contractus ſit vt fiat libero vtriuſq; contrahentis cōſenſu, & voluntate. Explicemus primum omnium oportet.

Controuerſia Prima.

AN CONTRACTVS IN *quo venditur res deffectuoſa pro ſana, occultando illius deffectum & vicium, ſit validus? ita vt non debeat in conſcientia reſcindi, ſed ſufficiat reſtituere exceſſum iuſte pretii, & alia damna ſubſequita?*

LEgibus humanis nonnullę venditiones reſcendi iubentur, vt quādo res vendita eſt vltra dimidiū iuſti pretii, quando emptor ita deceptus eſt in ſubſtantia, quantitate, vel qualitate rei, vt res illa omnino inutilis ſit, vt cum emitur vitrum venditore aſſerente eſſe gemma; pannus decem vlnarum venditore aſſerente eſſe in eo 15. vlnas ēptore aſſerēte ſe illud omnino nolle, neq; eo egere, ſi defficiat à 15. vlnis, vel equū infirmū venditore aſſerente eſſe ſanū. Sunt tamē alii deffectus nō ita perſpicui, circa quos leges nihil diſponūt, vt qui venderet ſericum Italum, vel Flandrum pro Valentino. Imo, & in prioribus deceptionibus quas retulimus, datur quidem actio decepto, ſed relinquuntur multa prudentię iudicis: Quo circa vidēdum eſt, in foro animæ, & ante omnem iudicis ſententiam quam vim habeant iſti contractus, & ad quid teneatur qui fratrē ſuum decepit, non manifeſtando deffectū rei quæ venditur. *Sint ne validi, an potius reſcendendi?*

Imprimis huiuſmodi venditionem eſſe validam, nec reſcindendam, ſed ſufficere vt damna ſubſequuta, & exceſſus pretii reſtituantur, videtur docere hic D. Tho. Cum in vtroq; articulo nihil dixerit de reſcindenda venditione, ſed tantum peccare decipientē proximum, & teneri ad reſtituendum damnum, & periculum.

Et probatur hæc opinio. Primo, ſi propter deceptionem quam includit occultatio deffectus rei, eſſe reſcindēda venditio, quotieſcunq; accideret aliqua deceptio, & occultatio deffectus, eſſet reſcindenda: at iuxta concluſionem ſecundam, huius artic. quando deffectus nullum includit in ſe damnum, vel periculum, nec res propter illum redditur minus vtilis, ſeruaturq; iuſtum pretium, ſic decipiens & occultans deffectum nec peccat, nec tenetur ad aliquam reſtitutionem, nec talis venditio eſt aliquo modo iniqua, tantum abeſt vt ſit reſcindenda, ergo.

Probatur ſecundo ſi quis vendat vinū Metinenſe pro vino S. Martini, æque tamen bonum & vtile, vel ſi vendatur ſericū Granatenſe pro Toletano, aut Valentino, æque tamen pretioſum & vtile, licet ſit deceptio in ſubſtantia rei, omniū tamen conſenſu ſunt huiuſmodi venditiones & contractus validi, & liciti.

Tertio cum venditor in hoc caſu non prohibeat, qui emptor diligēter inquirat, rei quæ venditur vitia, & deffectus, imo faciat illi copiā inueſtigandi illa, & diiudicandi an res illa ipſi tibi vtilis ſit, ſiquidem decipiatur, talis deceptio ipſius negligentiæ, & incuriæ tribuenda eſt, non vitio aut fraudi venditoris, vbi autem venditor nulla fraude vtitur, venditio valida cenſenda eſt, & licita.

Quarto accidat vt emens ſericū Granatenſe pro Valentino non ſoluat pretiū illius in pecunia, ſed in aliqua re fructifera, & pote ouibus, vel vinea, tunc ſic. Si venditio hæc, ratione iſtius deceptionis eſt nulla, & inualida, ac reſcindenda, non fuit translatum dominium illius rei fructiferæ in venditorem, quia per contractum, qui vere nullus eſt, non transfertur dominium, quod ſi non fuit translatum dominium in illum, res illa non fructificauit vēditori, ſed priori domino, id eſt emptori, & ita teneretur vēditor reſtituere emptori rem illam fructiferam, vt oues, vel vineam, cum omnibus fructibus quos percepit, quod nullius

lus docent imo esset valde durum, & rigidum.

Quinto, non minus exigitur consensus ministri in collatione Sacramenti quam in quouis contractu; at si quis baptizet, vel ordinet Petrum putans esse Paulum, Sacramentum tenet, nec redditur nullum, aut inualidum ex errore illo, & deceptione circa substantiam personæ, ergo similiter in contractu emptionis & venditionis.

Sexto, statuamus modium alicuius rei valere reuera & iusto pretio 4. solidos, Magistratum vero ex odio vel ignorantia taxasse illum tribus tantum solidis, aut emptores malitia sua inito aliquo monopolio nolle reddere pro illo modio nisi 3. tantum solidos: tunc licet domino illius mercis ad reddimendam suam vexationem, & seruandum se indenem, minuere de mensura & vti minori modio, ita vt vendatur res illa iusto pretio. In hoc casu est deffectus & deceptio reuera in quãtitate, & mẽsura, cõtractus tamẽ iste omnium consensu est licitus, & validus, quia inter rem quæ traditur, & pretium quod accipitur seruatur æqualitas, ergo. Similiter si vinũ valens 10. solidos Magistratus iniquitate taxaretur 7. solidis, potest dominus miscere illi tantum aquæ, quantum exigitur, vt veniat vendendum 10. solidis: vbi est deceptio in quidem qualitate, nec propterea talis venditio iudicatur illicita, & inualida.

Septimo. Si Episcopus conferat beneficiũ hyppocritæ, putans esse virum vere studiosum, collatio tenet. Vel si non esset collaturus beneficiũ digno vbi existeret dignior, si conferat digno credẽs digniorem, tenet etiam collatio illa, nec tenetur dignus exprimere se esse minus dignum, vbi tamen est deceptio in qualitate. Similiter si diues det eleemosynam pauperi ficto, putans illum verum pauperem, donatio illa tenet.

Deniq; si quis contrahat cum fœmina paupere, existimans illam diuitem vel cũ corrupta quam credebat esse virginẽ, est quidem error & deceptio in personæ qualitate, matrimonium nihilominus tenet. Vbi non dico hunc contrahere sub ista conditione expræssa si fueris virgo, quia in eo casu defficiẽte tali conditione, cum honesta sit, non teneret reuera matrimonium: sed dixi, credens apud se ipsum illam virginem esse, cum aliter res habeat. In eo enim casu tenet matrimoniũ. Ergo similiter venditio non reddetur nulla, & inualida propter deceptionem aliquam, & occultationem alicuius deffectus.

Ioan. Medina Cod. De rebus restit. q. 34. distinctionibus deffectuum quas hic habet D. Tho. adiungit alias duas, quarum prior est. Quandoq; deffectum talẽ esse, quem si emptor sciret nullo pretio rem illam emeret, quandoq; vero talem, vt quamuis illum sciret, nihilominus rem illam esset empturus, licet non tanto pretio. Posterior est, plurimum differre vẽditorem expresse asserere mercem suam non habere deffectum, vel tacendo, rei deffectum occultare. Quibus positis satisfacit propositæ quæstioni quatuor assertionibus seu dictis.

Primum dictum illius est. Si venditor sciens deffectum rei quam vendit, quicunq; ille sit, siue in substãtia, siue in quãtitate, siue in qualitate, vendat illã tamquam sanam & integram, affirmans illã omni deffectu carere, peccat mortaliter. Quia decipit fratrem in re graui. Vbi addit Medina duo, Prius est, si quidẽ deffectus ille cedat in damnum vel periculum emptoris, teneri venditorem ad reficiendum omne damnum, quod ex ea re emptori illi aduenerit iuxta Regulã illã. *Si tua culpa damnum datum est, iure super his te restituere oportet.* Cap. Si tua culpa. De iniuriis & damno dato. Alterum est, si deffectus talis sit, vt si emptor illũ agnouisset, nullomodo nulloq; pretio rem illã emisset, venditionem illam esse nullam, & ipso facto rescindendam ad libitum defraudati.

Ratio huius est Regula quędam, communisq; doctrina Iuristarum, qua distinguunt duplicem dolum, alium qui dat causam cõtractui, aliũ vero, qui non dat causam, sed solum incidit in contractũ. Dare causam dicitur dolus ille, quo cessante & cognita veritate non fuisset effectus contractus ille, sed renuisset reuera alter contrahentium in illum consentire, consentit vero, quia dolus ille latet ipsum omnino. Incidere vero dicitur, quando etiam si talis dolus deffuisset, vel fuisset cognitus, fuisset nihilominus effectus cõtractus ille. Quæ duo genera doli sic distinguũt, vt si in contractu accidat dolus ille prior, qui dedit causam contractui, contractus ita effectus sit nullus, quia de ratione contractus est, vt sit voluntarius, talis

talis autem dolus & deceptio tollunt omnino rationem voluntarii, cum tali dolo cessante alter contrahentium nullomodo in illum contractum cõsensisset; Propter quod datur à iure actio sic decepto, & defraudato ad illum rescindendũ, ita Glosa & Panor. in cap. Cum dilecti. de Emptio. & vendit. & Glosa in L. 2. de rescindenda venditione. Bartho. in L. in causæ. §. idẽ Põponius. ff. De mino. & Ioan. Calder. in Cap. Nauiganti de vsuris. quem sequitur Abbas in cap. in Ciuitate nu. 6. eodem tit. vbi huiusmodi dolum vocant dolum malum, & omnium prestantissime Salicet. in Autentica Ad hæc. C. De vsuris. q. 21. Contractus verò cui non dedit causam dolus, sed incidit tantum in illum, vt cum venditor celat defectũ rei, quem si emptor agnouisset, emisset nihilominus illã, quãuis non tanto pretio, est quidem validus & firmus, obligatur tamen qui tali dolo vsus est ad reficiendum damnũ, vel inequalitatem, quam ex tali dolo patitur deceptus, vt habetur in L. Iulianus. §. Si venditor. ff. de Actio. empt. & vendit. Cuius ratio est, quia vbi dolus nõ dedit causam contractui, licet qui alium decepit non sit immunis à culpa, cũ omnis deceptio & dolus sit peccatum, contractus tamen ille non est omnino inuoluntarius, sed ex ea tantum parte qua alter deceptus est, non est autem deceptus in re, cum illam quacunq; ratione emisset, sed in solo pretio, & propterea in eo tantum constituenda est equalitas.

Ex qua doctrina perspicuum est quod hic ait Medina in suo primo dicto, si defectus ocultatus à venditore talis sit, quẽ si emptor agnouisset nullo modo nulloq; pretio eam rem emisset, talem contractũ in conscientia esse nullum & rescindendũ, quia est dolus, in eo genere doli qui dedit causam contractui.

In hoc primo dicto egit de eo, qui expresse asseruit rem illam nullum deffectũ habere. Nunc de eo qui non indicat defectum, sed tacendo celat & occultat illum. De quo est.

Secundũ dictũ Medinæ. Vbi venditor sciens rei defectũ, quicumq; ille sit, siue cedat in damnum vel periculum emptoris, siue non, illum ocultat, quem si emptor agnosceret nullomodo emeret, etiã si venditor minuat à pretio quantum exigit talis defectus, nihilominus contractus iste est nullus, peccauitq; venditor qui sciens & prudens defectum illum ita ocultauit.

Quod huiusmodi vẽditio sit nulla probat sicut in primo dicto, quia talis ocultatio est dolus qui dedit causam contractui, cum suponamus emptorem in hoc casu nullomodo empturum, siquidem defectum illum quem venditor iste ocultauit, agnouisset.

Quod autem peccauerit venditor non indicando illum, probat authoritate D. Ambr. qui lib. 3. offit. c. 11. ait. *In cõtractibus vitia eorum quæ veneunt prodi iubentur: at nisi intimauerit venditor, quamuis in ius emptoris transierint, doli actione euacuãtur.* Idem apparet ex L. secunda. ff. De periculo & commodo rei venditæ. Vbi dicitur. *Plane si intelligit venditor non duraturam bonitatem rei, vsq; ad diem quo tolli deberet, nec admonuit emptorem, venditio rescindatur.* Cuius rei nulla alia ratio est, nisi quia non admonere eum damni illius, fuit fraus & dolus cum iniuria fratris, qui dolus peccatum mortale est ex suo genere.

Secundo. Perinde tenetur venditor vitium rei aperire emptori, sicut testis dicere veritatem in iuditio, sed testis veritatem quam tenetur fateri ocultans peccat grauiter, teneturq; restituere dãna ex suo falso testimonio subsequuta, imo & rursum adire iudicem, & verum confiteri, ergo similiter venditor peccauit grauiter ocultans defectum, & vitium rei suæ, tenebiturq; omnia damna subsequuta ex vitio quod ocultauit, reficere, omnia autem in tali casu non reficiuntur nisi rescindendo venditionem. Erit ergo rescindenda.

Tertio. Iure naturę tenetur quiuis proximo suo prestare, quod ipse sibi vellet fieri, at si venditor emisset ab alio rem cum defectu, quem si agnouisset, reuera non emisset, conquereretur iusté de illa fraude: & iuste ac rationabiliter vellet illam venditionem rescindi, ergo similiter quando ipse ita decepit emptorem, peccauit in eo dolo, & tenebitur in foro animæ consentire illam venditionem rescindi.

Vltimo qui inique fratrem suum grauat, tenetur illum quantum potest ab illo grauamine leuare, vendens rem defectuosam quã emptor reuera non emisset cognito tali defectu, grauat illum, non solũ tempore quo vendidit, verumetiam toto tempore qua illam emptor apud se habet,

bet, cum reuera illam noluisset recipere nec habere, cuius grauiminis causa est dolus & iniquitas illius venditoris, & à quo grauamine non liberabitur nisi rescindēdo venditionem, debet ergo rescindi.

Fundamentū huius doctrinę hoc potissime est, vbi aliquis facit ignorans quod sciens reuera non fecisset ex illa ignorantia tantum, & falsa præsumptione illū ita facere, liberè vero & simpliciter in illud non consentire: propter quod dixit Aristo. errorem & ignorantiam tollere rationem voluntarii: sed in hoc casu iste emit ignorās deffectum, quem si sciuisset non emisset, emit ergo ex illa ignorantia, & falsa pręsumptione, minime vero liberè & absolutè consentiens: vbi autem liber & voluntarius consensus non est, contractus non est validus.

Tertium dictum est. Vbi venditor sciēs & prudens occultat defectū rei, quē emptor ignorat, esto diminuat à pretio ratione illius defectus, videatq; defectum illum neq; in damnum neq; in periculum emptoris cedere, iudicetq; probabiliter, emptorem, esto esset conscius illius defectus, nihilominus illam empturū, quāuis non tanto pretio, talis venditio rata est & firma: peccat nihilominus venditor ocultando deffectum illum.

Probat priorem partem. Primo quia cum emptor in hoc casu etsi fuisset conscius talis defectus nihilominus emisset, dolus qui huic vēditioni miscetur, nō dedit causam cōtractui, sed solū incidit, neq; ita incidit vt debeat reduci ad aliquam æqualitatem, cum venditor defenderit à pretio iuxta exigentiam deffectus. Quod enim dicunt iuristæ, quando dolus incidit in contractum dari actionem decepto contra decipientem, ita vt contractus ad æqualitatem reducatur, intelligitur (inquit) quando in contractu non fuit seruata æqualitas pretii cum re, quam tamen constituimus hic seruari, pro ratione defectus rei quæ venditur.

Secundo, quia vbi venditor probabiliter iudicat Petrum empturum rem illam, esto deffectum illius cognouisset, quamuis non tanto pretio, fuit quidem Petrus inuoluntarius quo ad pretiū, cū non tātum dedisset, consensit tamen reuera in emptionem illius rei, & cum tali defectu, contractus autē in quo contrahentes simpliciter & reuera consentiunt, ratus est & firmus, erit ergo hic validus.

Posteriorem partem, quod peccauerit, probat Medina, quia accipit pretiū quod emens non dedisset, etiam si res illa tantū valeat, quia sicut non licet Petro cuius equum emi, & cui pretium centum aureorum in quo conuenimus, nondum reddidi, me inscio illos à me accipere, vbi ego paratus sum vel illos ipsi persoluere, vel suum equum illi restituere, ita nec licet etiam si res defectuosa valet 10. ocultare defectum, vt emptor det illa 10. quando scio rem quidem empturum, non tamē pretio, vt 10. quia accipio illa 10. ipso inscio & inuito, quod non licet.

Addit Medina, postquam autem acepit, licet peccauerit accipiēdo, non tamen tenebitur illa restituere, cum sit iustum pretium rei quam alter voluit emere, sicut nec Petrus deberet mihi restituere valorem, equi quem à me accepit, cum ego apud me habeam equum, quem reuera volui emere, & cuius iustum pretium sunt illa 100. Quia vt Paulo antea dixit, Regula illa. *Si dolus incidat in contractū, datur actio decepto contra decipientem, vt contractum reducat ad æqualitatem,* Intelligenda inquit est, quando in contractu non fuit seruata æqualitas iusti pretii, quod hic non accidit.

Quarto, dicit Medina. Vbi venditor ignorans omnino rei defectum, bona fide illam eodem pretio vendit, quo venderet integram & sanam, non peccauit, cum tali ignorantia laborauerit, cum primum tamen nouerit illius rei defectum, tenebitur ad beneplacitum emptoris, aut venditionem illam rescindere, aut ad debitam ęqualitatem pretium acceptum reducere. Ratio est aperta, quia licet ex ignorantia liberetur venditor ipse à culpa, reuera nihilominus emptor in eo casu deceptus est, optio autem & facultas rescindendi contractū dolosum, vel postulandi, vt reducatur ad æqualitatē, tribuitur a iure & meritò illi qui deceptionem patitur.

Addit similiter iudicandum esse de emptore, qui rei quam emit nouit valorem & pretium, venditore illud ignorante, teneri hunc ad augendum pretium, & reducendum ad ęqualitatem, vbi vilius emerit ex ignorantia venditoris, quam sit iustū illius rei pretium, iuxta ea quæ articulo pręcedenti docuimus.

Hanc sententiam Medinę videntur etiam habere Ioan. Maior in 4. dist. 15.

q. 40.

q. 40. Conrrad. De contract. quæst. 54. conclus. 2. Licet in 3. dicto Medinæ aliquid ab eo differat. Eandem sequuntur Syluester verbo emptio. §. 20. Panor. in cap. Iniustum, de rerum permutatione, & Summa Armilla, & aliqui alii.

Hæc tamen opinio non placet Dominico Soto, iudicat enim lib. 6. de Iustit. quæst. 3. ar. 2. falsum esse, vim & robur contractus summendam esse ex eo quod alter credatur fore empturus, esto defectum rei agnosceret, vel credatur non fore empturus. Vnde sic argumentatur.

Contractus emptionis non solum includit emptorem velle hanc rem vel illam emere; verumetiam includit simul velle illam sub hoc vel illo pretio, quod etiam docet ipsemet Conradus asserens emptionem duo includere intrinsece; & mercem & pretium. Quod si vtrumq; est de intrinseca ratione contractus emptionis sequitur necessario, vt similiter sit cẽsendus inuoluntarius in huiusmodi contractu, qui nollet rem ipsam, vel qui nollet eam sub tali pretio: Sed per Medinam, Conradum, & alios Doctores qui illorum sententiam amplectuntur, quando ocultatur defectus, quo agnito iudicatur emptor non esse empturus rem illam, est contractus nullus, quia censetur emptor tunc inuoluntarius, ergo similiter, etiam si credatur empturus quidem rem, non tamen cognito ab ipso defectu illo in toto illo pretio, quem venditor putat iustum, sed multo minori, occultato tali defectu est quoque censendus emptor in tali contractu inuoluntarius ratione pretii, & contractus nullus. Aut si contractus est validus, & firmus in hoc secundo casu, & licet in eo occultare defectum, ne emptor plus iusto minuat de pretio iuxta secundam conclusionem D. Thom. quod fatentur etiam authores isti, licebit & in primo casu cum illis tribus conditionibus, quas in illa secunda conclusione apposuimus. Nempe vt rei sit vtilis, nec vllomodo nociua, aut periculosa; & tradatur iusto pretio. Vnde aliunde erit summenda vis contractus, & non ex regula istorum DD.

Et confirmatur. Axioma est omnium Doctorum tam Iurisperitorum quam Theologorum. Qui vtitur iure suo citra alterius damnum, non facit alteri iniuriam, qui vendit rem nullomodo nociuã aut periculosam, sed reuera vtilem, & profuturam ementi ad vsus ad quos illã quærit, & iusto pretio, occultat vero eius defectum vt se indemnem seruet a vilipendio & contemptu in quo rem illam, & eius pretium, ac valorem emptores cogni to vel leui ac minimo illius defectu eam haberent, vtitur iure quod natura omnibus concedit, vt citra aliorum damnum se indemnes seruent, ergo nullam facit occultando talem defectum iniuriam emptoribus, siue illo cognito illam etiam emissent, siue non. Venditio autẽ per quã nulla irrogatur emptori iniuria, licita est & valida: alia igitur regula & via ab ea quam docent Conrad. Medina, & qui eos sequuntur, inuestigãdũ erit iuxta Dominicum Soto quando venditio occultato defectu sit irrita, & nulla, ac rescindenda: quando vero firma, & valida.

At licet Soto ita repræhendat doctrinam istam Conradi, & Medinæ nullam tamen aperte proponit. Ex his vero quæ D. Tho. in hoc articul, & in quolibetis docet, explicabimus quid in hac quæstione dicendum sit, quibusdam præmissis.

Primo igitur obseruemus ex D. Tho. ar. 1. huius quæstionis ad 3. quod desumpsit ex D. Aug. 12. de ciut. Dei, vt primo articulo huius quæstionis vidimus. Res venales & earũ pretia in cõtractibus emptionis & venditionis nõ considerari, neq; respici secundum earũ naturas, nã ita vt ibi diximus formica præstaret auro, cum viuẽtia in natura præstent non viuentibus: sed considerantur, & æstimãtur, quatenus vtiles sunt & deseruiunt vsibus humanis. Qua ratione docet idem D. Tho. in eodem art. ad 1. aurum alchimicũ fraudulenter, & iniquê vendi pro vero & naturali, aut pretio veri & naturalis quia habet aurum verũ & naturale aliquas naturales virtutes & vtilitates quas non habet alchimicũ: vt letificare cor humanũ, deseruire aliquibus medicamentis, diutius permanere. Quod si per artẽ & alchimiã posset fieri aurum non minus vtile, & proficuũ ad vsus humanos, quã verũ, liceret inquit tũc tale alchimicũ sine vlla fraude & iniquitate vendere pro vero, & pretio veri, quia res venales catenus sunt æstimãdę quatenus vtiles sunt & valẽt deseruire vsibus humanis. Et hoc ipsum docet Conradus initio quæstionis citatæ, immo nititur docere aurũ

alchimicum quod easdem vtilitates haberet, quas habet verum & naturale, eiusdem speciei esse cum naturali, esto aliud producatur a natura in visceribus terræ, aliud vero arte & industria efficiatur ab hominibus sicũt Adam & Eua miraculose creati non differunt specie ab aliis hominibus: productis naturali propagatione, nec oculus miraculosè à Christo collatus illi cæco nato, de quo Ioan. 9. & oculus naturaliter productus: & sicut mus per putredinem, vel per generationem procreatus: rotunditas quoque naturalis & artificialis non differunt specie: ita aurum naturale & artificiale si easdem omnino habeat virtutes & proprietates ad humanos vsus.

Obseruemus secund. Firmitatem & valorem cuiuscunque contractus siue proprie siue large sumatur, quando nõ est expressus contrahentium dissensus, sed de eo dubitari potest, ex duobus petendam esse potissime. Primo, ex fine illius virtutis, ad quam talis contractus pertinet per se, Secundo ex commodo & vtilitate Reip. Ita vt si in ordine ad finẽ illius virtutis ad quam ille contractus directe & per se pertinet, & ad vtilitatem ac cõmodum Reip. expediat illum contractum esse validum, sit verè validus, & talis censendus. Hoc nomine docent omnes DD. in materia de Sacramentis, si quis baptizet vel ordinet Petrum existimans esse Paulum, sacramentum tenere, & esse verum baptismum vel ordinem. Tum quia sacramenta pertinent ad virtutem religionis, exigitque finis huius virtutis, cuius est vere & non ficte Deum colere, ne frustentur verba illa sacramentalia, quibus formæ sacramentorum continẽtur sua vera significatione, & sensu. Tũ quia expedit etiam maxime Reipublicæ Christianæ, vt habeamus vera sacramenta, nec simus ancipites & dubii, an qui ordinantur vel baptizantur sint vere ordinati, vel baptizati. Propterea censendum est de vnoquoque ministro, vt etiamsi baptizauerit, vel ordinauerit Petrum, existimans illum esse Paulum, nihilominus voluerit simul vere & absolutè, baptizare, vel ordinare hunc, quem habuit præsentem, quia ita exigit finis religionis ad quam ordinantur sacramenta, & Ecclesiæ necessitas.

Verum quidem est, vt si minister baptizans haberet hanc specialem intentionem, non baptizandi hunc præsentẽ existimatum à se Paulum, nisi reuera sit Paulus, quod est sacrilegum & contra communem intentionem Ecclesiæ, tunc nisi esset ille Paulus, quem ipse credit, nõ esse validum sacramentum: propterea quod habuit explicitam, & contrariam actu intentionẽ; Sed hoc est per accidens, ex illa particulari & sacrilega intentione ministri, seclusa autem tam sacrilega intentione, adeoque contraria communi intentioni Ecclesiæ Catholicæ, ac virtuti Religionis, simpliciter habet minister actu vel virtute hanc intentionem baptizandi illum, quem habet præsentem, etiam si sit Petrus, quem ipse existimet esse Paulum. Quo circa quicunque ille sit vere baptizatur, quia ita expedit virtuti religionis & vtilitati Reip. Christianæ.

Similiter si cõferatur beneficiũ indigno & hypochritæ, collatio illa quamuis sit deinde rescindenda sententia iudicis, interim tamen quamdiu non rescinditur a iudice Ecclesiastico tenet, & est valida, quia ita expedit virtuti religionis, & Ecclesiæ vtilitati, ne si collatio illa esset inualida, quæ à tali beneficiato in sua Ecclesia fierent, essent nulla, & deciperentur fideles. Quo etiam nomine, è cõtrario, si Episcopus credens se conferre beneficium viro catholico, conferret homini hæretico, collatio illa esset nulla & inualida, quia est contra Religionem & bonum commune Ecclesię, vt hæreticus aliqua ministeria excerceat circa fideles, & fideles cum illo communicent.

Obseruemus tertio, ex Glossa & Panorm. aliisque Iurisperitis in capit. Per tuas. De donatio. quos refert Pinellus l. 2. Cod. de Rescinden. vendit. p. 3. cap. 2. num. 1. & 2. magis lędi emptorẽ quando decipitur in substantia, quantitate, vel qualitate rei, quam emit, vbi res illa per talem defectum redditur illi nociua vel inutilis, quam si decipiatur vltra medietatem iusti pretii. Rationem assignant: Primo, quia quando ita decipitur in quantitate, substantia, vel qualitate rei, semper datur decepto actio in iudicio, at quando decipitur in pretio non datur illi actio, nisi aperte decipiatur vltra medietatem iusti pretii. Secundo quæ est ratio Pinelli, quia quando deceptio tantum est vltra dimidium

dimidium iusti pretii, nihilominus contrahentes adimplent suas promissiones & pacta; venditor vere dat rem integram, & sanam, quam spopondit ementi, & emens vere dat emptori pretium in quo conuenerunt, etiam si iniustum & superabundans. *Ninguno falea en lo tratado.* At quando est deceptio in re, ita vt tradatur nociua vel inutilis pro sana & vtili, venditor non seruat pactum & promissum, quod secum affert contractus iste, quia in contractu venditionis intelligitur semper vendi res vtilis ementi, alio qui non emeret, (cum res nisi vtilis sit non sit venalis) vnde vendens defectuosam & inutilem non seruat pactum, & promissum. Tertio, quando decipitur tantum in pretio, & non in re, consequitur finem emptionis, reportatque vtilitatem ex illa emptione, recipit enim, etsi iniusto pretio, rem sibi vtilem, & qua indiget, at quando deceptio est in re, ita vt sit inutilis, vel nociua, priuatur omnino fine emptionis, cum non recipiat rem vtilem, & qua indiget: quo fine voluit emere. Et ita magis læditur, quando sic decipitur in re, quam cum decipitur vltra dimidium iusti pretii.

Obseruemus quarto, quod maxime facit ad presentem quæstionem, non quodcunque inuoluntarium euacuare vim contractus, sed illud tantum quando contrahens est rationabiliter inuoluntarius, & in tali contractu afficitur iniuria: nam si contra rationem sit inuoluntarius, tenet contractus, modo aliæ circunstantiæ concurrant. Exemplo furti id intelligitur; Petrus non indigens extreme accipit panem de domo diuitis, illo non consentiente, talis acceptio est iniqua, nec vllam habet vim ad transferendum dominium, quia diues illi acceptioni non consentiens rationabiliter iudicatur inuoluntarius, fuitque illi vere illata iniuria. Accedat autem Ioannes extremè indigens, accipiat panem de domo eiusdem diuitis ipso inuito, & dissentiente, hoc inuoluntarium non reddit acceptionem illam iniquam, vel inualidam, nec efficit quin per eam dominium illius panis vere transferatur in pauperem illum extreme indigentem, quia diues iste fuit irrationabiliter inuoluntarius in tali casu, & pauper iste nullam illi intulit iniuriam, eo quod iure naturæ extreme indigens potest sibi necessaria vndecunque accipere, tamquam sibi communia; qui vero vtitur iure suo, nulli facit iniuriam.

Quæres hac occasione, quando in contractu venditionis de quo hic agimus censendus sit emptor iure, ac rationabiliter inuoluntarius? & quibus regulis aut signis illud deprehendendum sit.

Primum igitur indicium est, quando emptor statim atque fraus fuit detecta, reclamat, & postulat rescindi venditionem illam dolosam, sic enim reclamans aperte ostēdit fraudem illam dedisse causam contractui, ita vt in illud reuera non consensisset, si illius fraudis fuisset conscius. Dixi statim atque fraus fuit illi detecta, quia vbi non statim reclamauerit cum posset, sed per aliquod tempus re illa vteretur vt sua, eo ipso videretur iam consentire in contractum illum, etsi dolosum, efficiturque venditio illa licet à principio fuerit inuoluntaria, per tacitum tamē illū & interpretatiuū cōsensum subsequutum deinde voluntaria. Sicut accidit Matrimonium quod a principio voluntarium non fuit, reddi deinde voluntarium per consensum tacitū, & interpretatium: Veluti, quando qui contraxerunt, non reclamant cum possint, sed cohabitant mutua sibi officia coniugalia impendentes. Vt habetur cap. Ad id. Extra de Sponsalib. & Matrim. Dixi etiam vbi non statim reclamaret cū posset, quia vbi, aut vi, aut alio genere doli impediretur emptor ne reclamare posset, ex tali silentio & taciturnitate illius, nullus consensus inferendus est in ipso. Regula enim illa communis. *Qui tacet consentire videtur*. Iuxta omnes DD. intelligitur seclusa omni vi & fraude, sicut in exemplo adducto in Cap. Ad id. Mulier illa consensisse dicitur in Matrimonium, cui a principio dissentiebat, quia liberum illi fuit a domo viri, cui tradita fuerat recedere, nec recessit, quin potius voluit in ea permanere, & cum viro illo cohabitare.

Secundum indicium, quo certo deprehendetur emptor reuera fuisse inuoluntarius, est, quando res illi cum dolo, a venditore tradita, inutilis omnino est ad finem, & vsum, in quem illam emit: veluti si Bibliopola librū fabulosum tradat rustico postulanti librum Gram-

matri æ in vsum filii sui.

Tertium est, quando emptor tempore contractus significat venditori, in quem vsum rem illā emat, admoneatq; venditorem nullā ratione illa empturum nisi ad talem vsum vtilis sit, vt si affirmet emptor equi ad nullum alium vsum illum emere, nisi ad vehendam redam, quam Hispanè dicimus *coche*, ita vt nisi ad illam vehendam sit accommodatus, nullomodo instituit illum emere. His viis, vel similibus, quæ ad hāc reducuntur, facile est deprehendere, quādo fuerit emptor reuera & omnino inuoluntarius.

Obseruemus quinto, præter illam diuisionem defectuum, quam precedenti art. constituimus cum D. Tho. in substantia, quantitate, & qualitate rerum quæ venduntur, hac quoque ratione vitia ista & defectus distinguendos esse: Vt quidam eorum sint noxii emptoribus, vt cū venditur domus propediem ruitura, vel equus indomitus, qui ascensorem constituet in aliquo discrimine vitæ, pro mansueto & domito, vel medicamenta quæ infirmo nocere possunt: Alii vero sunt, qui licet non efficiant rem nociuam emptori, reddunt tamen illam omnino inutilem vsibus in quos illam emit, vt cum venduntur herbę quę vetustate, parādis medicamentis inutiles effectę sunt, aut medicamenta quę iam vim suam amisetunt, vel equus qui creditur agilis & velox ad cursum, cum sit contra maxime iners & torpens: Alii vero sunt tertii generis, sicut initio huius articuli dicebamus, qui nullum damnum afferunt emptori, vel periculum, quia propter eos res illa nec noxia nec minus vtilis efficitur, vt si quis mercem lineam gallicam emeret pro olandica, quę non minus delicata, alba, ac contextu sit, quam soleat esse prestantissima olandica. De quibus omnibus hic dicendum est.

Obseruemus vltimo, in hoc contractu venditionis accidere frequenter emptorem querere à venditore, an res illa habeat defectus: Et hoc bifariam, aliquā do in genere, & in communi interrogādo an sit optima & vtilis, ac proficua, vel contra, aliquando vero in particulari, an habeat hos vel illos defectus, vt in mercibus lineis, sitne gallicum, vel olandicum, vel inferioris sortis, & loci: in picturis sit ne huius artificis vel illius, in pānis sitne Segobicense, vel alterius loci: in tritico sitne talis loci & sortis, vel non. Rursum qui ita quærit in particulari, vel aperte exprimit venditori, se nullomodo rem illam velle, nisi habeat cōditiones, & qualitates quas expressit, careatque defectibus illis, de quibus interrogauit: aut saltim animi sui est non aliter illam emere nisi sub ea cōditione, vel nihil tale exprimit, aut proponit; sed illud tantum quæsiuit, vt intelligeret rem quam emit optimam esse, ac sibi vtilem & dignam tali pretio.

Similiter venditor potest quattuor modis rei suæ vitia & defectus celare. Primo, negatiue, vt dicunt, quando data opera, sciensque rei suę vitia, tacet, ac silet illa, ne rem illam vilius vendere oporteat. Secundo quādo positiue, vt dicunt, interrogatus scilicet ab emptore quos defectus res illa habeat, affirmat nullos omnino habere; Tertio cum fraudulēta quadam arte, (sicut art. 1. dicebamus de Proxenetis,) innumeros defectus proponit, & cōfingit, vt ea ratione videns emptor plerosque eorum reuera illi rei non conuenire, certo credat, neque vllos alios illi inesse. Vt cum vendens equum, dicit illū esse manicum, cęcum, claudum, infirmū, inertem, & omni genere vitiorum repletum: ex quibus vitiis quędam falso confingit, alia vere affirmat; sed callidè vt tot connumeratis equus ille omni vitiorū genere carere iudicetur; Quarto potest venditor ignorare rei quam vendit defectus, idque vel ex ignorantia inculpabili, aut ex culpabili & affectata: qui priori ignorantia celat, vel negat rei suæ defectus, bona fide vendit, qui vero ex culpabili, & quam potuit, & debuit vincere, non est censendus bonā fidem habere; sed malam, vel saltim dubiam, quæ in cōtractibus in quibus fratri nocere possumus, perinde se habet, ac mala.

His positis sit prima conclusio. *Quando occultus rei defectus illam inutilem vel nociuam reddit ementi, venditor qui sciens & prudens talem defectum occultat, siue fuerit de illo interrogatus ab emptore, siue non peccat mortaliter ex suo genere, & tenetur in foro animæ ipso facto, ante omnē iudicis sententiam rescindere venditionem illam; nec est aliter absoluendus.*

Dixi sciens & prudens, quia de eo, qui il lud

ius ignorat deinde dicemus.

Hæc conclusio est contra Soto, qui lib. 6. de Iustitia quæst.3. artic.2. conc.4. vendentem rem inutilem, vel nociuam emptori fatetur quidẽ peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem, non tamen explicat ad quam restitutionem: num ad restitutionem totius pretii rescindendo venditionem; an ad restitutionem tantum excessus, & inæqualitatis pretii pro ratione defectus: Videturq; in hoc secundo sensu ibi loqui. Primo, quia inter DD. quando venditor rem suam ab emptore recipit, totumq; & integrum pretium illi reddit, non dicitur restituere, sed rescindere contractum: restituere, autem dicitur, quando contractu manente firmo, reddit excessum & inæqualitatem pretii decepto. Secundo, quia nunquam docet in toto illo art. quando sit rescindendus contractus, quin potius (vt vidimus) reprehendit Medinam, Conradum, Panormitan. & Syluestr. eo quod doceant, contractum dolosum, in quo emptor creditur prudenter fuisse inuoluntarius, esse rescindendum. Tertio, quia vbi totam hanc rem in summa colligit, has tantum postulat conditiones, vt venditio censeatur licita, ac sine peccato, vel debito restituendi. Primo, vt caueat venditor, ne aliquod ex ea incurrat emptor periculum, vel damnum. Secundo, vt sit illi vtilis ad vsus ad quos illam emit. Tertio, vt si credat, emptorem alteri rem illam defectuosam venditurum, indicet illi eius deffectum. Quia licet prior venditor minuerit a pretio pro ratione illius defectus, emptor vero quando eandem alteri deinde vendet ignorans illius defectum, & existimans se vilius emisse quam valeat, tanti nitatur eam vendere, quanti absq; vitio deberet vendi. Vbi duo tantum aperte insinuat Soto. Primo peccare quidem vendentem rem emptori inutilem, vel nociuam ratione illius doli, tenerique ad restituendum quantum in pretio excesserit à iusto illius valore. Secundo, si in venditione tantum fuit sublatum à pretio, quantum defectus ille postulauit, teneri ad illum explicandum, vbi crediderit emptorem illum eandem rem rursum alteri venditurum, tamquam sanam, & tanto pretio quantum integra & sana mereretur. Neq; vnquam docet, qui dolus ad rescindendam venditionem obliget in foro animæ ipso facto, sed illud relinquit Iurisperitis, quasi rem quę ad solum forum exterius pertineat.

Referunt nonnulli sensisse Magistrum Victoriam, aut saltim insinuasse, non vitiari, aut infirmari contractũ, eo quod censeatur inuoluntarius, vbi iustum interuenit pretium, nec venditor interrogatus mentitur: quod videtur fauere huic sententiæ Dominici Soto. Qua de causa quidam ex his illam amplectuntur his adducti rationibus.

Primo, in contractu venditionis duo tantum requiruntur, nempe æqualitas pretii, ac vt contrahentes in illum consentiant, in venditione vero in qua venditor sciens rei defectum, & non interrogatus ab emptore illud silet, si minuat pretium pro ratione defectus, seruatur æqualitas pretii, & contrahentes consentiunt. Ergo est valida talis venditio, nec rescindenda.

Secundo, si venditor ignorans rei vitium (vt statim dicemus sequenti conclusione) illud reticeat, non tenetur rescindere venditionem, ergo etiam si reticeat illud sciens & prudens, non tenebitur rescindere. Probo consequentiam, quia si teneretur rescindere illam, qui sciens defectum sileret, illud certe esset, quia emptor in eo casu est inuoluntarius, at inuoluntarius etiam est, etsi illud reticeat venditor ex ignorantia illius, ergo sicut in vno casu non tenetur venditor ad rescindendam venditionem, ita nec in alio.

Tertio sequeretur (inquiunt) plerasq; venditiones esse rescindendas, cum in plerisquè venditores non explicent vitia rerum quas vendunt, conscii tamen illorum, quod certe esset occasio innumerabilium litium cum maxima Reip. perturbatione.

Quarto, vbi vitium manifestum emptor non aduertit, quod si aduertisset, non emisset, certe est inuoluntarius, at tunc venditor (vt docet hic D. Thom.) neque tenetur illud indicare, nec rescindere venditionem, ergo neq; in casu huius primæ conclusionis, cum tota ratio propter quam in hoc casu debeat rescindi, nulla alia asignetur, nisi quia sic deceptus censendus est inuoluntarius.

Quinto multæ licentiæ conceduntur à

superioribus deceptis ab inferioribus, quas, si deceptiones illas superiores ipsi agnouissent, non concessissent, vnde sunt profecto censendi in eis inuoluntarii, at nihilominus licentiæ illæ validæ sunt; ergo similiter in contractu venditionis deceptio ex occultatione vitii non reddet illam inualidam.

Sexto vẽditor vt docet hic D. Tho. nõ tenetur offerre occasionem emptori, ne rem illam emat, vel multo minori pretio quam illa valeat, iuxta illud Ciceronis quod refert hic D. Tho. in argumento. 2. *Quid tam absurdum? quam vt domini iussu præco diceret domum pestilentem vendo?* at si teneretur venditor rei suæ defectum aperire, vt contractus ille firmus esset, teneretur profecto ipsemet offerre occasionem, ne res illa emeretur, aut certe vilissimo pretio.

Et conf. quia nullus tenetur prospicere bono alterius cum proprio damno, at qui rei sui venalis vitium indicaret, consuleret quidem bono emptoris, sibi tamen plurimum noceret, vnde cum iure naturæ teneatur vnusquisque vel saltim possit proprio cõmodo potius consulere, quam alieno, licebit venditori silere quoscunq; rei suæ defectus, modo iusto pretio vendat, vi illius principii. *Qui vtitur iure suo nemini facit iniuriam.*

Denique emptori licet merces quamuis optimas & vtiles contemnere, iuxta illud prouerb. 20. *Omnis emptor dicit malum est, malum est, & cum recesserit, gloriatur*, ergo licebit similiter venditori, merces suas quamuis vitiosę ac defectuosę sint commendare, & eorum defectus suis laudibus occultare, in omni enim contractu debet esse par et æqualis vtriusque contrahentis conditio.

Sed his nonobstantibus conclusio posita est verissima & obseruanda: Habent illam Cicero. 3. offic. & D. Thom. quodlibro. 3. articulo. 10. vbi ait expresse: *Dolosa est illa venditio, in qua vitium vel defectus est occultus, ita vt ex eius detentione immineat emptori damnum, vel periculum, puta, quia vsus illius rei redditur per huiusmodi vitium impeditus, vel noxius.* Et loquitur ibi D. Tho. vt ex contextu illius apparet de dolo efficiente inuoluntarium, & reddente cõtractum nullum. Et licet præsenti artic. non exprimat D. Thom. venditionem, de qua hæc prima conclusio, esse rescindendam tamquam inuoluntariam, illud tamen satis insinuat, cum dicat huiusmodi venditionem illicitam esse & dolosam, siue fraudulentam. Etenim cum fraus & dolus tollant omnino rationem voluntarii, idem est vocasse illam dolosam, quod inuoluntariã, vnde cũ eo nomine dicat D. Thom. illam illicitam quod sit fraudulenta, inuoluntaria vero sit eo ipso quo fraudulenta, ex consequenti idem est dicere D. Thom. esse dolosam quod esse nullam, cum voluntarium ita sit de intrinseca ratione contractus validi & firmi, vt eo sublato inualidus omnino sit & nullus.

Eandem sententiam recipiunt recentiores Barthol. Medina in sua instruct. Confes. §. 25. Ludo. Lopez in suo instruc. negotian. lib. 1. capit. 43. & multi alii affirmantes, venditionem rei inutilis, vel nosciuę cum fraude, & dolo effectam à venditore conscio illius deffectus esse ipso facto in vtroque foro tam poli, quam fori rescindendam, teneriquc huiusmodi venditorem ad reficienda etiam damna, quæ emptor ille, quam diu rem illam apud se habuit, recepit.

Sed probatur iam hęc prima cõclus.

Primo, quia cum finis emptionis sit, vt per hunc contractum vnusquisq; cõparet sibi res vtiles, quibus indiget, nemo censendus est velle emerę rem sibi inutilem, vel nosciuam, imo rationabiliter censendus est nihilminus velle, & esse inuoluntarius; sed vbi contrahens rationabiliter est inuoluntarius tale inuoluntarium euacuat vim contractus, & reddit illum absolute & omnino nullũ; ergo ipso facto rescindendum. Et confirm. Quemadmodum quod est contra finem alicuius virtutis, destruit & tollit illam virtutem, ita quod est contra finem alicuius contractus, tollit vim illius, & reddit illum ipso facto inualidum: finis autem emptionis est comparare sibi res vtiles; ergo quando defectus reddit rem inutilem, aut omnino, aut ex parte, nec exprimitur, talis occultatio & dolus, reddit illam venditionem inualidam.

Secundo, maior læsio fit emptori quando res propter defectũ in substantia, quãtitate, vel qualitate reditur nociua, vel inutilis,

inutilis, quam, cũ res est vtilis quidẽ, sed decipitur emens vltra medietatem iusti pretii, vt constat ex tertia notatione posita, sed quando fit deceptio vltra mediũ iusti pretii, contractus est nullus, & inualidus, ergo á fortiori quando propter defectum res est inutilis.

Dices: quando deceptio est vltra medietatem iusti pretii, non est ipso facto rescindenda venditio, sed venit rescindenda à Iudice. Idemq; esse iudicandum quando res habet defectum redens illam inutilem, vnde non erit ipso facto rescindenda in foro animæ. Dico disparem esse rationem, quando enim deceptio non fuit in re, sed solum in pretio emptor tunc nõ fuit grauatus in re á vẽditore, sed solũ in pretio, & ideo non tenetur venditor ante iudicis sententiam ad rescindendam venditionem, sed sufficit restituat excessum iusti pretii in quo emptorem grauauit: at quando defectus est in re, cum emptor ita grauatus ab eo grauamine liberari non possit, nisi rescissa illa venditione, propterea ipso facto, & ante omnem iudicis sententiam est venditio illa rescindenda: quod probat optime vltimum argumentum Medinæ.

Et confirm. Primo, vnusquisque tenetur in foro animæ, preter quam in pœnis quæ non sunt exsoluendæ nisi adueniente condemnatione, ad id, ad quod cognita rei veritate condemnaretur iusta sententia iudicis, sed iudex recte ac iuste preciperet hanc venditionem ita dolosam rescindi, ergo.

Confirm. secundo. Dolus dans causam contractui cum mala fide, & deceptione alterius contrahentis, reddit illum ipso facto inualidum, sed in hoc casu dolus iste dat causam huic contractui, & cum mala fide vẽdentis, ergo. Et de huiusmodi defectu loquitur D. Ambros. in illis verbis aductis à Medina in fauorem suæ sententiæ, & lex illa 2. ff. De periculo & commodo rei venditæ. aducta ab eodem authore.

Quo circa Ioann. Maior. loco citat. docet optime, vbi vitia rei talia sunt, vt intelligat venditor nullo pretio emptorem illam empturum, si illorum esset conscius, non sufficere vt detrahat à pretio, verumetiam omnino teneri ad illa manifestanda, alioqui contractum, & iniquum esse, & nullum, non solum quia in hoc casu (vt dixi) dolus iste dat causam contractui, verumetiam quia emptor nesciens rei vitium, & minori pretio emens quam sit iustum similis rei sanæ, opinabitur se vilius quidem emisse sua industria, vel fortuna, posseq; eandem rem carius alteri vendere. Quã de causa, cum dederit prior venditor huic emptori occasionem decipiendi alium, ad tollendam hanc occasionem à se obiatam decipiendi fratrem cum iniuria, & damno illius, ad quod omni iure tenetur, debet necessario admonere emptorem tempore contractus de vitio, ac defectu illo, aliter non modo inique agit, verumetiam contractus est nullus.

Nec est audiendus in hac parte Caietan. cum ait, sufficere vt post consummatam venditionem admoneat venditor emptorem, tam de vitio rei illius, quam de detractione pretii ratione illius defectus. Nam imprimis cum emptor cognito tali defectu non teneatur consentire illi venditioni, quia est in hoc casu rationabiliter inuolũtarius, interueniatq; dolus dans causam contractui, cum primum illud venditor indicaret, est in facultate emptoris contractum illum rescindere, at contractus, qui potest cognito dolo rescindi, celebratus cum tali dolo non est validus, ergo non sufficit remedium istud Caietan. Secundo potest emptor & prudenter suspicari, venditorem indicare vitium illud, & detractionem pretii, non vt veritatem aperiat suæq; consulat conscientiæ, sed quia dolet se ita vendidisse, optetq; rem suam recuperare, vt sæpe accidit.

Ex his antequam proponamus alias conclusiones, optimum erit argumenta quæ huic primæ aduersantur suo ordine diluere.

Ad primum, dico ex illis duobus quæ requiruntur in venditione valida, & firma, secundum deesse: nullus enim censendus est consentire in emptionem rei sibi inutilis, vel nociuæ.

Ad 2. Resp. plurimum differre, (vt statim constabit ex secunda conclusione hic apponenda) inter venditorem qui conscius defectus rei suæ illum silet, & ignorantem illum inculpabiliter, prior enim vtitur dolo, qui dat caussam contractui, ratione cuius est venditio illa ipso facto in foro animæ rescindẽda, posterior vero nullo vtitur dolo.

Ad Tertium respondeo, nullum esse incōmodum, vt abundēt lites, vbi abundauerit hominum iniquitas, quæ rescindi contractus postulauerit, hoc enim damnum non sequetur ex nostra conclusione & sententia, sed ex venditorum prauitate & fraude.

Quartum soluitur sicut 2. vbi vitium rei manifestum est, non esse rescindendā venditionem, quia in eo casu non oritur deceptio ex aliqua culpa venditoris, vel dolo ipsius dante causam contractui, sed ex incuria & imprudentia emptoris, cui nulla iura, nec diuina nec humana debent fauere.

Ad 5. dico, facultates quæ conceduntur à superioribus, quæ solum facultates sunt ad aliquid agendum, etsi subditi grauiter peccent decipientes suos superiores, illas tamen valere, quia in eis solum requiritur superioris consensus, siue cum fraude, siue sine illa obtineatur. Quod si facultates aliquæ superiorum contractus sint eorum cum subditis, in quibus aliquid alteri confertur ab altero, iudicandum est de huiusmodi facultatibus, siue conuentionibus secundum quandam analogiam, iuxta ea quæ de contractu venditionis in hoc loco docemus.

Ad 6. dico, neq; teneri venditorem ad consulendū bono emptoris cum proprio damno, neq; etiam licere illi consulere sibi cum dāno & iniuria emptoris: quod certe faceret, si defectum reddentem rem suam inutilem, aut nociuam, quem sciret, non indicaret: vnde in eo casu non habet ius ad sic decipiendum fratrē, nec vtitur aliquo iure suo, imo contra omne ius grauem illi infert iniuriam.

Ad vltim. respondeo venditori, cum rei suę bonitatē aut vitia cognoscat, nullam irrogari iniuriam, vel deceptionem ab emptore, siue mercē illius laudet siue contemnat: emptori vero qui non cognoscit occulta rei vitia, maximam irrogari, nisi illa indicet, & apperiat, maxime quę rem inutilem vel nociuam reddunt.

Secunda conclusio. *Qui bona fide vendit, ignorans, inculpabiliter ocultum suæ rei defectum, propter quem redditur illa inutilis, vel nociua emptori, tenetur quidem cum primum illud nouerit indicare, non tamen rescindere contractum, sed in facultate ipsius est, vel illa rescindere, vel inæqualitatem pretij ad æqualitatem reducere.*

Dico bona fide ignorans inculpabiliter: quia si culpa sua ignorat, defectus quos tenebatur ac poterat agnoscere, perinde est ac si illos agnouisset, & cū dolo ocultasset, culpabilis enim & affectata ignorātia non debet illi fauere cum iniuria & damno alterius: quo circa de venditore ignorante, ignorantia culpabili & afectata similiter iudicandum est, ac de venditore sciente rei suę defectum, & de industria inique illum ocultante.

Quod autem bona fide vendens rem defectuosam pro sana, teneatur indicare, ostendit rectē ratio ista Maioris: ne emptor similiter alium decipiat, ad quod incōmodum vitandum tenetur omni iure qui prius rem vitiosam pro integra vendidit, cum primum illud nouit.

Cæterum quod non sit venditio bona fide facta, ipso facto nulla, sed in facultate venditoris sit aut illam rescindere, aut ad æqualitatem reducere, communis est sententia DD. & velut axioma inter iurisperitos. *In venditione sub tali bona fide facta actionem competere emptori, optionē vero venditori.* Quasi dicant, posse emptorē iure postulare vt à damno sibi illato liberetur, in optione tamen venditoris esse liberare emptorem ab eo damno, vel rescissa venditione, vel ea redacta ad ęqualitatem iusti pretii pro ratione illius vitij & defectus. Estq; ratio aperta. Ex prima conclusione. Quia emptori decepto a vēditore sciente rei vitium, non alio nomine competit actio, & optio, qua potest cum primum rei emptæ vitium agnouerit, pro libito postulare, vt venditio illa rescindatur, vel reducatur ad ęqualitatem: nisi quia venditor qui sciens rei suæ defectum illum occultauit, vendidit mala fide, & cum dolo dante causam contractui, in casu autem huius secundę conclusionis venditor habuit bonam fidem, nec vllo vsus est dolo, non ergo debet ipso inuito rescindi contractus, sed iuste manet illi optio, vel ad rescindendum, vel ad reuocandum illum ad æqualitatem.

Sed obiicies statim contra hanc conclusionem. In l. 1. per totum ff. de Aedilitio. Edicto. & l. sciendum. §. Tempus eodem titulo haberi expresse, vt si quis vendiderit seruum vitiosum aut animal morbidum, aut quiduis aliud defectuousm, emptore ignorante defectus illos, cum primum illud resciuerit, sit in facultate emptoris aut rescindire contractum

tractum actione pretoria, aut stare contractui restituta ei inæqualitate, quam per dolũ passus est. Simile habetur in legibus Castellæ l. 65. tit. 5. Partita 5. vbi aperte emptori datur vtrũq; & actio & optio.

Secundo, est velut axioma inter theologos in hac materia de contractibus: Ad id teneri vnumquemq; in contractibus ciuilibus in foro animę obseruandũ, quod rectus iudex perspecta rei veritate cessanteq; omni falsa præsumptione iudicaret: at quiuis iustus & rectus iudex obligabit, vt de facto obligant vẽditorem rei defectuosæ, de qua hic loquimur, ad indicandos huiusmodi defectus emptori, & offerendam illi liberam optionem, vel rescindendi contractum, vel reficiendi inæqualitatem pretii, ergo tenebitur venditor etiam in casu huius 2. conclus. stare optioni & arbitrio emptoris.

Tertio, contractus cui dolus causam dedit est nullus, & rescindẽdus, eo pro fecto nomine quia iure & prudenter censetur inuoluntarius cum sit omnino de intrinseca ratione contractus, vt voluntarius sit, at vbi venditur res nosciua vel inutilis emptori, etsi venditore illud inculpabiliter ignorante, licet excusetur venditor iste a culpa propter talem ignorantiam, emptor tamen ipse iure & prudenter censendus quoque est in tali emptione inuolũtarius: quis enim credendus est, nisi amens sit vel stolidus, res sibi inutiles aut nosciuas velle emere? quotiescunq; igitur res empta talis fuerit, cũ primũ illud emptori innotuerit, debet esse in optione ipsius postulare, vel rescindi contractum, vel restitui sibi inæqualitatem, quidquid sit de venditore.

Sed propter hæc non est recedendum à conclusione proposita.

Ad primum igitur dico, leges istas iuxta communem DD. expositionẽ fundari in hac præsumptione, vitia rei venalis quæ illã aut inutilem vel nosciuam reddere possunt, non latere dominum illius, neq; vnquam moraliter loquendo tam oculta esse, quin illorum ignorantia culpabilis sit censenda in venditore illius, quo fit vt leges istę de eo tantũ venditore loquantur, quia vel sciens & prudens occultat illius rei defectus, aut saltim culpabiliter illos ignorat. Similiter iudices non iudicant actionem & optionem simul emptori competere, nisi nitentes eidem præsumptioni, vnde vbi venditor sine vlla culpa sua ignoraret rei vitiũ, & bona omnino fide rem illam sanam credens venderet, non tenetur cum illud nouerit ad rescindendũ contractum, nisi velit, sed efficiet satis, restituta illius inæqualitate. Et ita soluitur secundum.

Ad 3. qui sequuntur Medinam, & Conradum respondent, vbi prudenter constaret emptorem in huiusmodi emptione fuisse rationabiliter inuoluntariũ, contractum esse nullum & rescindendum ipso facto, ad optionem & libitũ emptoris: sentirem tamen neq; in hoc casu esse necessario rescindendum reclamante venditore, sed manere illi optionem, quia in casu maioris propositionis istius tertii argumenti, contractus non solum est rescindendus, quia fuit inuoluntarius, sed quia fuit inuoluntarius cum dolo culpabili venditoris dante causam contractui, at in casu huius conclusionis secundæ a nobis positę, licet venditor possit censeri rationabiliter inuolũtarius, non tamen est inuoluntarius ex dolo aliquo venditoris, cum ille bona fide vẽdiderit, inculpabiliter ignorans tempore contractus tales defectus & vitia.

Vnde iuxta nostram sententiam duo exiguntur, vt in foro animę teneatur venditor emptore illud postulante ad rescindendũ omnino venditionem, ita vt tam actio quã optio competant emptori. Prius est, vt emptor sit rationabiliter inuoluntarius, alterum vt inuoluntarium illud non solum oriatur ex rei vitio & defectu, sed ex fraude & dolo venditoris dante causam contractui: pręterquam vbi damnum subsequutum ementi aliter compensari non possit nisi rescindendo contractum. Veluti cum seruus venditus morbo laborat incurabili; retractãda necessario venditio illa est, quia licet morbum illum venditor in culpabiliter ignorauerit, qua de causa simpliciter, & absolute non teneretur ad rescindendam venditionem, si velit damnũ illatum resarcire, per accidens tamen quia in hoc peculiari casu damnum istud resarciri nequit, nisi reuocata venditione, debet in conscientia illam reuocare ac rescindere. Secus est, vbi damnum resarciri potest non reuocata venditione, sed redacta in æqualitate pretii, vel qualitatis

H 5 rei

rei ad iustam & debitam equalitatem.

Rogabis hic, quid si seruus aut equus quē Petrus Ioanni vendidit statim post effectam venditionem pereat ex aliquo occulto morbo, quem Petrus omnino inculpabiliter ignorauit, tenebitur ne Petrus pretium acceptum Ioanni restituere?

Respondeo bifariam venditionem istā potuisse accidere, vel ita vt Petrus suis suasionibus induxerit Ioanem ad emendum seruum illum, vel equum, quē Ioannes nec curabat nec cogitarat emere, vel sine vllis Petri suasionibus Ioannes propria sponte postulauit illum sibi vendi. In priori casu tenetur Petrus restituere. Quia vt ex ista secunda conclusione posita constat, in quacumque venditione rei defectuosæ, cum primum illius vitium dignoscitur, tenetur venditor, vel ad rescindendum contractū, vel ad resarciendam inæqualitatem, in hoc autem casu non potest rescindi inæqualitas nisi restituto toto pretio, cum seruus ille, vel equus tali morbo affectus nullo pretio esset dignus. Quod si Ioannes propria sponte emit, volunt aliqui non teneri Petrum ad aliquid restituendum, censerem tamen in hoc etiam casu teneri ad aliquid, imo ad maximam partem pretii, quia ex eadem conclusione posita tenetur venditor, vbi vitiū innotescit, aut rescindere contractū, aut reuocare illum ad æqualitatem, cū primum autem seruus iste ex morbo occulto, quo apud priorem hærum iam affectus erat, moritur, & ex eo morbo intelligitur periisse, innotescit defectus ille adeo nociuus emptori tenebitur ergo in hoc etiam casu saltem maximam pretii partem illius, emptori restituere.

Dices hæc venditio cum fuerit sine dolo est valida, ergo seruus iste verè trāsiuit in dominium emptoris, quidquid autem perit, domino suo perit, ergo debet perire isti emptori; at si venditor deberet illi pretium restituere, non periret emptori sed venditori. Dico huiusmodi res ita defectuosas transire in dominium emptorum non absolutè; sed sub ea conditione & lege, vt cum primum illa vitia innotuerint, debeat venditor aut rescindere contractum, aut compensare inæqualitatem: Qua de causa cum primum seruus iste ex morbo illo deprehenditur mori, debet venditor compensare inæqualitatem pretii, ita vt restituat emptori, quantum arbitrio prudentum à pretio talis serui, vel equi ratione illius morbi, & periculi quod ex eo illi imminebat, censeretur detrahendum.

Tertia conclus. *Quando defectus rei patens est & manifestus, non tenetur venditor illum indicare emptori, tenetur nihilominus nullis uti mendaciis, aut falsis rei suæ laudibus, quibus illud occultetur, & minuere a pretio, quantum defectus ille arbitrio prudentum postulauerit.*

Hæc conclus. Est eadem cum tertia quam proposuimus initio huius art. Ex D. Tho. neque aliis eget probationibus quam illa.

Quarta conclus. Quando defectus rei non efficit quin illa similiter vtilis sit, ac proficua, vel parum minus, quam esset non habens talem defectum, nec venditor aliquo vtitur mendacio ad defectum illum occultandū; nec interrogauit illum emptor de aliquo defectu; sed simpliciter postulat vendi sibi rem talis generis, & sortis, vtilem, & optimam, non tenetur venditor ad defectum illum indicandum, nec propterea desinit venditio illa firma esse & valida, modo detrahatur a pretio, si quid res illa propter defectum illum iudicaretur a prudentibus minus valere.

Hæc conclus. est reuera D. Thom. in hoc art. iuxta ea quæ docet in prima cōclusione quam hic habet. Nam cum in ea aperte doceat, vendentem rem defectuosam, pro sana iniquè agere, eo nomine, quia defectus ille cedit in damnū, & nocumentum, vel periculum ementis, eo ipso docet aperte, vbi ex rei defectu nullum sequitur damnum vel periculum, seruaturque iustum illius pretium, talem venditionem omni iniquitate carere. Certum autem est in casu huius quartæ conclusionis nostræ, nullum damnum, vel periculum pati emptorem, cum tradatur illi res similiter vtilis & proficua, ac si talem defectum non haberet, & iusto illius pretio, vt constituimus.

Idem docet quodl. 3. art. 10. in verbis illis, quæ in confirmationem primæ conclusionis hic propositæ ex ipso retulimus. Etenim cum dicat: *dolosa est illa venditio, vbi vitium vel defectus occultus est, & ex detentione immineat emptori dānum vel periculum, puta, quia vsus illius*

rei

rei redditur per illud vitium, impeditus, vel noxius: aperte ostendit, venditionem, in qua propter defectum rei nullum dānum, aut periculum emptori immineat, nec vsus illius impeditur, vel efficitur noxius, sicut certe accidit vbi traditur res non minus vtilis & profutura emptori, nec dolosam esse, nec iniquam ratione defectus illius quem silet. Eandem sententiam habent Soto. lib. 6. de iustitia q.3. art. 2. & est cōmunis modo inter recentiores discipulos D. Tho. qui nostro seculo scripserunt. Qui licet sequuti Medinam complutensem; huiusmodi venditionem rei similiter vtilis & bonæ sentiant non carere aliquo genere doli, cum aliud pro alio tradatur; docent nihilominus nec iniquam esse, nec rescindendam, nec teneri venditorem istum ad aliquam restitutionem; cum tradat rem similiter vtilem, & pretio iusto.

Probatur iam conclusio. Res venales in ordine ad contractum venditionis, non considerantur vel æstimantur (vt constat ex D. August. & D. Tho.) secundū suam substantiam; aut alias qualitates vel circunstantias, nisi quatenus sunt vtiles & deseruiunt vsibus humanis, at vbi res ex defectu aliquo, vel circunstantia non est minus vtilis & proficua emptori, quam si talem defectum non haberet, deseruit similiter vsui humano in quem emitur; perinde ac si tali defectu omnino careret, potest ergo similiter contractui venditionis deseruire, & vendi suo iusto pretio, perinde ac si talem defectum non haberet.

Et confir. vendens aurum alchimicum (vt docet D. Tho. art. præced. ad 1.) propterea exercet venditionem dolosam & fraudulentam; quia aurum alchimicū nec peruenit ad puritatē & dignitatē substantiæ veri auri, nec habet vsus veri auri; habet enim aurū verū & naturale aliquas vtilitates & effectus ad vsus humanos, velut ad letificandū cor, & alias infirmitates leuādas, quę auro alchimico nullomodo cōueniunt. Subiungitque, si quidē arte alchimię effici possit aurum verum, & similesq; habens vtilitates & vsus, posse vendi non minus quam verum & naturale, & occultari defectum illum artis, ergo similiter in quacunque alia re licebit occultare defectū, vbi per eum non redditur res illa minus vtilis emptori.

Disputant hic nonnulli, *An arte alchimiæ possit effici verum aurum*, sicut Cōradus opinatur; quod certè cum parum ad nostrum institutum faciat, non est quod in eo immoremur, sufficit huic loco, illud ex D. Tho. nos habere, aurū alchimicum, si eiusdem bonitatis efficiatur in substantia, & similiter vtile vsibus humanis, posse similiter vēdi pro naturali, emptori quęrenti illud ad eos vsus, pretio iusto & proportionato vtilitatibus quas illud arte effectum conferre posset. Sic enim accipienda sunt quę hic docemus.

Sed dices antequam ad alia argumenta progrediamur; ergo similiter si quis cōtraheret matrimonium cum errore in persona, & substantia rei, illud matrimoniū esset quoq; validum, cum ad matrimonium non sit minus vtilis hęc mulier quā illa: hoc autem est contra communem omnium doctorum sententiam.

Respondeo disparem omnino esse rationem; loquendo de matrimonio vt est quidam contractus humanus, & vnus ex ciuilibus contractibus hominum; quia substantia contractus matrimonii non cōsistit in vsu personarum, vel corporum, sed in mutua traditione earum inter se in societatem, & obsequia coniugalia; substantia vero contractus emptionis & venditionis non consistit in traditione rerum, quantum ad earum substantiam, sed quātum ad vsum ipsarum, & ita error in persona, etiam si possit deseruire matrimonio, quecunq; illa sit, reddit matrimonium inualidum; error autem vel deceptio in substantia rei, vel quantitate, aut qualitate modo non sit illa minus vtilis ad vsus humanos, seruato iusto pretio, non reddit venditionem inualidam.

Vel respondeo & melius, substantiam matrimonii consistere in mutua traditione viri & vxoris inter se vt tales personę sunt, non in vsu; quia absq; vsu matrimoniali, & seruata virginitate ex vtriusq; consensu, potest esse verum matrimonium: at substantia venditionis non consistit in traditione rei vt quædam res est; sed vt acommodata & vtilis vsibus humanis. Qua de caussa non valet matrimonium cum errore personæ, valet tamen venditio quamuis cum errore vel defectu rei, modo illa similiter vtilis sit humanis vsibus. Siquidem substantia cōtractus vedditionis consisteret in traditione rei secundum illius naturam, & speciem; & non qua vtilis est, tunc re vera

ra

ptoris, qui ita leuiter credidit venditori mendaci, cui nulla erat adhibenda fides. Quod quam peculiare sit venditoribus Satyricus ille ostendit, dum dixit:

Cum plenius æquo,
Laudat venales, qui vult extrudere merces.

Et alius Poeta cecinit:

Periurata suo postponit numina lucro
Mercator, stygiis non nisi dignus aquis.

Quæ carmina vtinam antiquis illis mercatoribus ac venditoribus paganis tantum conuenirent: nec ita nostris, qui etsi veritatem Euangelicam profiteantur, adeo tamen ab illa multi eorum in suis contractibus & comerciis abhorrent.

Sequitur secundo. Quando vitia rem vendendam inutilem vel nociuam emptori efficiunt; teneri ad illa explicanda ipso tempore contractus, & ante consummatam perfectamq; venditionem, etiam si non fuerit ab emptore interrogatus.

Ratio est aperta; quia vt ex prima cõclusione hîc posita constat, nisi huiusmodi vitia explicentur à venditore tempore venditionis, ex illorum occultatione, quacunque ratione fiat, siue mentiendo, & negando illius defectus, siue reticendo illos, ex parte venditoris interuenit dolus dans caussam contractui, & ex parte emptoris ignorantia, quæ tollit omnino in ipso eam rationem voluntarii & consensus, qui desideratur ad verum, validumq; contractum. Vbi vero rei venalis defectus nec inutilem nec nociuam reddit; sed vna cum tali defectu non est minus vtilis emptori, quam si talem defectum non haberet, aut parum minus, nõ teneretur venditor defectum illum aperire, nisi de eo explicitè & in particulari sit ab emptore interrogatus: vt ex quinta conclusione constat.

Sequitur tertio. In casibus, in quibus iuxta conclusiones hîc positas tenetur võditor vitia rei, quam vendendam proponit explicare, teneri ad explicanda illa apertè, clarè, & distinctè, ita vt emptor in plenam & claram illorum cognitionẽ peruenire possit: quia quacunque ratione accidat venditoris culpa emptorem non habere huiusmodi defectuum plenã notitiam, censendus est rationabiliter, & iure inuoluntarius, & eo ipso contractus ille est inualidus, & nullus. Aliter venditor (vt dicunt) esset in tuto, emptor verò in periculo: quod in contractibus humanis omnia iura prohibent. Quin etiã talis manifestatio per quam vitio & iniquitate venditoris non veniret emptor in plenam notitiam defectus, quem res habet, efficit contractum illum fraudulentum, & dolosum, eo genere doli, qui dat caussam contractui, cum in illo reuera emptor non cõsensisset, si venditor sicut debuit, aperte & distinctè vitia rei suæ explicasset. Ita docent Alex. in l. Si quis cum aliter. ff. de verbo. obligatio. Panorm. in cap. Cum contingat num. 24. de Iure iurando. Et in cap. Iniustum nu. 3. de rerum permuta. & alii Iurisperiti, venditorem scientem vitium debere clare monere: Quibus fauent aperte l. Ea quæ §. fina. ff. de contrahen. emption. & l. Quæro. ff. de actionib. emptio. vbi habetur generalitatem non excusare venditorem scientem, & tentantem circumuenire emptorem, hucque pertinent verba illa D. Ambro. superius adducta in secundo dicto Ioann. Medinæ.

Nunc ad argumenta initio huius controuersiæ proposita, Vbi inprimis dico, satis aperte docere D. Tho. nostram sentẽtiam; Nam cum in corpore huius art. doceat vendere rem cum defectu, propter quem non redditur inutilis, aut nociua, nec illicitam reddere venditionẽ nec dolosam: & apud D. Thom. vt patet ex quodlibetis eiusdẽ hîc citatis vẽditio dolosa sit nulla, & rescindenda. Eo ipso quo docet venditionem rei inutilis aut nociuę esse dolosam, insinuat simul esse nullam & inualidã. Vnde non dicimus propter quãcunque deceptionem & occultationem defectus reddi inualidã venditionem; sed in duobus tantum casibus: nempe vel quando defectus reddit rẽ inutilem, aut nociuam, vt constat ex prima conclusione, vel quando emptor interrogat in particulari, expresse asserens se vllo modo rem illam empturum, si tales defectus habeat, vt constat ex quinta. Venditio autem rei defectuosæ de qua secunda conclusio D. Tho. nihil horũ habet. Et ita soluitur primum argument.

Ad 2. Respondeo similiter, in illis exemplis vendi eos perinde vtiles & proficuas, ac si talem defectum non haberent, & ita venditiones illas esse validas & firmas.

Ad 3. Resp. optime D. Tho. hic ad primum, iudicium à nemine posse fieri nisi de re manifesta, sicut nemo tenetur ad diuinãda occulta: Dauus enim in re aliena emenda emptor est, non Oedipus, vnde illud Aristo. 5. Ethico. *Vnusquisque*

iudicat,

iudicat, secundum id quod cognoscit. Quo fit, vt vitia manifesta non teneatur vẽditor aperire, culpa enim ac negligentia sua in illis decipietur emptor, non venditoris vitio, occulta vero, cũ emptor diuinare & agnoscere nequeat, nisi á venditore illorum cõscio admoneatur, sunt propterea à venditore necessario indicãda, vbi propter ea res illa inutilis aut nociua redderetur, minime vero vbi talis defectus rem illam non reddit minus vtilem, quam si eo careret, vt ex conclusionibus positis constat.

Ad 4. Respondeo, cum venditio, in qua venditur res nõ minus vtilis propter defectum, sit valida nec rescindenda, venditorem solum teneri ad restituendũ excessum pretii, vbi quid accepit plusquam res illa cum tali defectu valeret: nõ tamen teneri ad restituendum totum pretium, nec fructus illius, siue in pecunia illud acceperit, siue in re fructifera, quia per venditionem illam cum valida sit, ac quisiuit emptor verum illius rei dominiũ, & similiter venditor verum dominium pretii & rei datæ in pretium. Quando autem vendita est cum dolo res inutilis, vel nociua, aut emens expressit suum dissensum, si res illa hunc vel illum defectũ haberet, tunc quia venditio est nulla, nec emptor transit in dominium rei, nec venditor in dominiũ pretii, quo fit vt si in re fructifera illud exhibitum sit, teneatur restituere emptori rem illam cum fructibus perceptis, deductis expẽsis, quas in re illa & fructibus illius fecit.

Ad 5. Patet solutio ex dictis in secũda notatione. Minister enim sacramenti vere illud confert, esto opinetur esse Petrum illum cui sacramentum confert, cũ reuera sit Ioannes: quia ita exigit virtus religionis, & Ecclesiæ vtilitas, nisi habeat expressum & actualem dissensum, vt in illa obseruatione diximus. Venditio quoq; similiter nulla est, si res sit inutilis, vel habeat emptor expressum dissensum: Quãdo vero vtilis est, nec talem habet emptor expressum dissensum, pertinet ad virtutem iustitiæ, & bonum Reip. vt sit valida.

Ad 6. Resp. Argum. istud non militare, vbi pretium est á lege constitutũ, quia tunc nulla ratione licet venditori, vt art. primo vidimus ab illo recedere, sed militat vbi pretium non consistit in indiuisibili; sed mutatur passim, vel ab Aedilibus siue Magistratibus, vel communi vsu fori: quo casu dico, multos venditores hac excusatione vti ad palliandam suam iniquitatem in defectu ponderis & mensuræ, qua de caussa si deprehendantur puniuntur merito á iudicibus, etiam si verè, vt argumentum illud proponit, & á parte rei per illum defectum mensuræ recuperent iustum rerũ suarum pretium, & redimãt suam vexationem, ne detur ipsis vel aliis occasio vtendi fraudibus in damnum emptorum: Quia leges & iudicia humana bono communi totius populi, non priuato huius vel illius commodo prospiciunt: cederet autem in damnum commune, vt titulo redimendæ suæ vexationis illis permitteretur, vel recedere à iusto pondere & mensura, vel aliquid miscere. Ceterum in foro animæ si vere accidat casus illius argumenti, potest venditor illa via redimere vexationem suam, quia non læditur iustitia; sed suppletur defectus pretii per illũ defectum mensuræ, constituiturq; æqualitas in defectu pretii cum defectu mensuræ: quia non tenetur venditor cum propria iactura & damno ex aliorum iniquitate vel ignorantia proueniente ciuibus inseruire, sicut nemo, vt iura proclamant, debeat cum alterius iactura locupletari.

Sed hæc ita accipienda sunt, vt papateat prius apertissime iniustitia illa Magistratuum, vel emptorum, & de ea sint admoniti, nec ita admoniti voluerint iustas mensuras vel pretia rebus illis venalibus constituere. Addunt aliqui id licere venditoribus, vbi compelluntur à iudicibus vendere; sed hæc conditio necessaria non est: rem enim iusto pretio vendere cuiq; licet, siue propria sponte vendat, siue ex præcepto Superiorum.

Ad 7. Constat iam ex secunda obseruatione, quomodo illa collatio beneficii sit valida, quia ita exposcit virtus religionis, & vtilitas Ecclesiarum. Similiter vbi quis dat pauperi ficto tenet illa donatio, quia ita expedit ad finem misericordiæ, vt non solum teneat eleemosyna facta vero pauperi, verumetiam collata ficto, nisi dans eleemosynam expresse declaret animi sui esse dare tantum vero pauperi, & non aliter: hoc tamen esset per accidens, & contra virtutem misericordiæ, cuius est dare petenti ad leuandam illius indigentiam, quæ exterius videtur, nec curiosius inquirere, an vere indigeat a parte rei. Quando tamen nihil tale exprimit dans eleemosynum, tenet, dona-

donatio illa, misericordia ita exigente.

Ad vlt. dico matrimonium esse validum etiam si sit defectus in qualitate, vt in diuitiis, vel virginitate: quia ita expedit ad virtutem religionis, in quam ordinatur matrimonium vt sacramentum, & virtutem amicitiæ ac bonum commune societatis humanæ ad quod pertinet vt contractus, vt vbi non est error in persona sit validus: alioquin multa pasim matrimonia dissoluerentur titulo istorum defectuum. Quando autẽ est error in persona aliter res se habet, vt explicatũ est: quia per contractum matrimonij fit mutua traditio personarum, minime vero diuitiarum, vel corporum in vsum corũ: nisi iam exprimeret aperte contrahens suum dissensum, asserendo omnino nolle se hanc ducere, nisi diues sit vel virgo, aliter nisi ita exprimat, tenet matrimonium.

Ad argumenta quibus nititur secundũ dictum Medinæ, quatenus nostræ sententiæ aduersantur respondeo.

Ad primum dico, iuxta D. Tho. venditionem rei habẽtis defectum per quem res illa inutilis aut nociua redditur, nec manifestatur, esse proprie & formaliter dolosam & consequenter inualidam, & in eam rationabiliter emptorem dissentire, cum sit contra finem venditionis; quæ instituta est vt per eam comparet vnusquisque quæ sibi necessaria sunt vel vtilia: at quando res vtilis est, nec emptor exprimit aliquem dissensum, occultatio illius defectus non est proprie fraus & dolus, Nã cum in vnoquoq; contractu, an occultatio alicuius circunstantiæ sit dolosa, ex fine illius contractus iudicandum sit finis autem emptionis (vt modo dicebam) sit comparare sibi rem vtilem, consequenter quando per defectum redditur res inutilis, occultare illũ est dolus in re inualidans contractũ, quando vero similiter vtilis est ac si illum nõ haberet nõ est dolus in re, nisi in particulari inquiratur Ex quo sequitur, vt prior illa vẽditio nulla sit, & rescindẽda, posterior vero firma & valida. In quo sensu intelligẽdi sunt D. Ambros. & illa l. 2. quæ adducũtur ad probandum illam venditionem esse dolosam: loquuntur enim de venditione rei quam defectus reddit inutilem, vt cõstat ex dictis.

Ad 2. Quod sumitur ab exemplo testis Resp. venditorem interrogatum teneri ad aperiendos veros rei defectus ne mentiatur, quia si defectus reddit rem inutilem, est mendacium nociuum, & dolosum, efficiens contractum nullum: si vero defectus non reddit rem inutilem est officiosum tantum in vtilitatem vendentis, citra damnum ementis, propter quod non reddit contractũ nullum. Similiter vbi venditor non interrogatur, si defectus reddat rem inutilẽ, tenetur nihilominus illum aperire, cum aliter sit dolus dans caussam contractui, & illum rescindens, quod si non reddat rem inutilem non est dolus in re, nec iniquitas seruato iusto pretio; sed id solum, venditorem se ipsum seruasse in demnem.

Ad 3. Dico, vnumquemque debere facere proximo suo, quæ sibi vellet fieri rationabiliter, at vbi quis emit rem non minus sibi vtilem, irrationabiliter vult venditionem illam rescindi, & ita nõ tenetur venditor in eo casu velle vt venditio illa rescindatur. Secus est, quãdo res est inutilis, tunc enim rationabiliter vult emptor rescindi venditionẽ, qua de caussa vbi talis est defectus, debet quoque illud venditor emptori præstare: idem enim vellet iustè sibi fieri si res quã emit haberet vitium reddens illam inutilem.

Ad vltimum constat ex dictis, quando defectus reddit rem inutilem tũc grauari emptorem, & ideo debere venditionem illam rescindi, vt frater ab eo grauamine liberetur, at quando res nõ est minus vtilis, non grauatur reuera, etiam si ipse grauari se putet quando sciet defectum, quia tunc falso & imprudenter ita iudicat. Est igitur fundamentum sententiæ quam hic sequimur vt si ignorantia, & deceptio sit contra finem contractus venditionis, contractus ille sit inualidus & nullus, quia tunc emptor est rationabiliter inuoluntarius: quod si ignorantia illa vel deceptio non repugnet fini in quem venditio introducta est, sit validus & firmus, quia tunc emptor nõ est rationabiliter inuoluntarius, cum illa deceptio non impediat quominus recipiat rem ad quam comparandam instituta est vẽditio. Ex quo sequitur vt si vẽdatur res inutilis, nisi vitiũ illius explicetur à vẽditore, vẽditio si nulla quia nõ habetur finis emptionis qui est cõparare sibi rẽ vtilem & necessariam: quando vero vitium illud non reddit eam inutilem esto vitium illud non aperiatur sit firma venditio, quia tale vitium non repugnat fini venditionis, præterquam vbi emptor animum,

quia tale vitium non repugnat fini venditionis, præterquam vbi emptor animum suum in particulari exprimet, sicut explicatum est.

Controuersia 3.

TENEATVR NE VENDItor *aperire defectum, vbi res venalis ipsi quidem ementi inutilis est, aliis tamen vtilis esse potest.*

EXemplum constituit Soto, vt si iuueni solito equitando cursitare per ciuitatem, vendat quis equum debilem & senem, qui tamen medico seni cui, moris est segniter equitare ad visendos infirmos, maxime vtilis esset, quærimus an hæc venditio seruato iusto pretio talis equi censenda sit valida, & iusta?

Discipuli D. Thom. in hac parte varij sunt. Quidam enim eorum existimant, quando res simpliciter vtilis est, ita vt quamuis emptori non prosit, aliis tamen prodesse potest, non teneri venditorem ad manifestandum illius defectum. Voluntque illud colligi ex D. Tho. quia in hoc artic. semper quærit in communi, an res quæ venditur sit vtilis vel nociua, nec inquirit in particulari, sit ne vtilis aut inutilis ipsi emptori.

Ducunturque in hanc sententiam his rationibus. Primo. Res non est vilius vendenda eo quod sit inutilis venditori, modo sit absolute & secundum se aliis vtilis, vt docet hic D. Thom. ergo neque vilius vendenda, aut rescindenda venditio, eo quod sit inutilis emptori, cum sit aliis vtilis. Probo consequentiã; quia debet in contractibus esse par & æqua vtriusque contrahentis conditio.

Secundo, ex eodem principio. Res non est carius vendenda, quam simpliciter & secundum se valeat, quia sit aliqua ratione vtilior ementi; ergo neque ex eo quod sit aliqua priuata ratione inutilis eidem, cum simpliciter & secundum se vtilis sit cæteris, debet minus æstimari, aut vendi, aut venditio esse inualida aut nulla.

Tertio, quando aliquid emitur, non tenetur emptor cauere ne pretium & pecunia quam dat venditori sit ei inutilis veluti si recessurus forsan statim sit in locum vbi pecunia illa est inutilis; sed sat est pecuniam illam simpliciter esse vtilem ipsi venditori, vel aliis; ergo similiter nec venditor debet cauere an res illa sit inutilis emptori, cum simpliciter sit vtilis. Antecedens patet, quia potest emptor dare pecuniam vtilem, & validam eo die quo emit, etiam si sciat propediem illam à Rege reddendam inualidam, & prohibendam: nec tenetur emptori illud aperire.

Quarto, vsu receptum est inter omnes venditores habere res publicè venales omni poscenti, nec curare sint ne vtiles vel inutiles in particulari venientibus ad ipsorum officinas, modo sint á parte rei simpliciter vtiles, & quæ his vel illis prodesse possint.

Quinto, si non licet vendere rem ex defectu aliquo, emptori inutilem, simpliciter autem cæteris vtilem; ergo similiter neque licebit rem sanam & integram & pretio iusto vendere scienti & volenti, quando dignoscitur illi nullomodo futura vtilis (V. g.) non liceret vendere rustico librum Philosophiæ, quem nunquã leget, nec fabro instrumenta sartoris, quibus nunquum vtetur: quod tamen non est dicendum.

Magister Soto lib. 6. q. 3. art. 2. quem multi sequuntur, docet oppositum. Primo, quia tenetur venditor ex charitate curare sicut & quiuis alius, ne emptor frustra pecuniam suam effundat, & ex consequenti admonere illum, rem illam ipsi inutilem esse.

Secundo, inuoluntarium prudenter & rationabiliter reddit contractum nullum; at quando res emptori est inutilis, nullus compos rationis iudicandus est velle illam emere, etiam si aliis vtilis esse posit, quin potius prudenter & rationabiliter cẽsendus est inuoluntarius, quia nullus emit in aliorum vtilitatem; sed suæ tantum volens consulere.

Tertio, ex præcedenti quæstione quando cessat finis contractus, talis contractus nullus est, & inualidus, emptio introducta est in vtilitatem ementium, vt per illam emens comparet in particulari res sibi vtiles, & necessarias, non autem aliis; ergo vbi res illa emptori inutilis est, esto aliis prodesse posit, erit venditio ipso facto nulla, & rescindenda.

In hac quæstione vtendum est necessario hac distinctione, vt empor vel sibi tã-

tum rem illam emat, & ad proprios vsus, aut ſicut mercatores ſolent, vt eandẽ aliis vendat: Quando emptor ſibi tantũ in ſuãq; vtilitatẽ ſolã emit, tenenda eſt opinio Dominici Soto vt probabilior, & menti D. Thom. magis conſona, ſentit enim D. Thom. venditionem doloſam eſſe & nullam, quando emptori ex defectu rei, quẽ venditor occultat, aliquod prouenit damnum vel periculum. Experientia autem teste, ſi Petrus putans emere rem ſibi vtilem, ẽ contrario inutilem ſibi emat, licet poſſit eam aliis deinde vendere, incurrit nihilominus hæc damna: primo, vt teneatur, ad recuperandum pretium illius, quærere emptorem: ſecundo, vilius illam vendere quam emit, cum merces vltroneæ (vt vidimus) vileſcant: tertio, vt quandiu illam non vendit, habeat ſuam pecuniam impeditam, qua indiget ad comparandam aliam ſibi vtilem. Denique, vt non habeat rem quam quærit. (V. g.) quærit quis ad medicamentum aliquod vinum omnino purum, nullaque ratione aquæ permiſtum, ſit tradatur illi vinum pretioſum; ſed limphatum, quamuis illud alteri non minus vtile ſit quam omnino purum, huic tamen indigenti ad ſucum medicamentum vino omnino puro, illud inutile eſt, quin & nociuum. Venditio autem rei inutilis & nociuæ ementi, vt conſtat, iniqua eſt, & nulla.

Et confir. Primo. Emptio huius, qui in ſuam tantum vtilitatem emit, non ordinatur in aliã venditionem & mercaturam, ſed in propriam tantum & particularem vtilitatẽ ſuam, & in ea ſiſtit: Quod ergo ſit valida vel inualida, non ex aliorũ vtilitate ſumendum eſt; ſed ex vtilitate vel damno huius emptoris in particulari.

Confirmatur ſecundo. Emptio quę emptori pernitioſa eſt & nociua, licet aliis nihil noceat, contractus eſt inualidus, vt omnes fatentur; at vbi res quam emptor in proprium tantũ commodum quærit, ſibi inutilis eſt, talis emptio eſt illi pernitioſa, & nociua, vt cõſtat; ergo reſcindenda, quidquid ſit de aliorum vtilitate & commodo.

Tertio venditor iuſtẽ conſiderat damnum, quod ſibi in particulari prouenit ex venditione rei ſuæ, etiam ſi nullum inde aliis damnum ſequatur; ergo ſimiliter emptor iuſtiſsime poteſt conſiderare, an res quam quærit in ſuam tantum vtilitatem, ſit ſibi vtilis, quidquid ſit de aliorum vtilitate: Et iure ac rationabiliter cenſebitur inuoluntarius, quando ſibi in particulari vtilis non eſt, cum ipſe non quærat aliorum vtilitatem ſed ſuam tantum.

Ex quo ſequitur, vt quando res eſt omnino inutilis emptori, lædatur recta ratio iuſtitiæ illius, eſto res illa aliis prodeſſe poſsit, & ita eſt inualida. Quod ſi emptor in eum finem emat, vt faciat mercaturã, & eandem rem aliis cum lucro vendat, ſi quidem aliis vtilis eſſe poſsit, venditio ſit valida: quia cum in talem finem illam emat, poſsitque illam aliis vendere, ipſi quoque ea ratione vtilis cenſenda eſt.

Ad argumenta in oppoſitum, Imprimis ad authoritatem D. Thom. dico, non exprimere aperte noſtram ſententiam, ſatis tamen colligi ex verbis illius, cum dicat, aperiendum eſſe defectum ratione cuius emptor aliquod damnum recipit, conſtat autem damnum ementis eſſe, dare pecuniã pro re ſibi inutili.

Ad primum argumentũ dico, D. Tho. hoc tantum docere, ſi quidem res ſit inutilis venditori, vtilis autem emptoribus, quorum vnus eſt ille qui actu eam emit, poſſe illam vendi tacito vitio, ob quod eſt ipſi venditori inutilis, ex quo non ſequitur, licere etiam tacere vitium, quo redditur inutilis emptori: quia in priori caſu nulli infertur damnum, neque venditori cum vendat rem ſibi inutilem, neq; emptori cum ſit illi vtilis: in poſteriori vero caſu, cum finis venditionis ſit comparare per hunc contractum ementes res ſibi vtiles, & neceſſarias, eo ipſo quo res illa ementi inutilis eſt, cenſendus eſt huiuſmodi cõtractus inualidus & nullus, Nec valet dicere poſſe emptorem illam rem aliis quibus vtilis erit vendere, obligare enim ipſum ad hoc, vt dictum eſt, eſt illi damnum, niſi iam talis res ſit ita aliis vtilis, vt ſine vllo labore, & mora, vel diminutione pretij ſit ſtatim habitura multos emptores: tunc enim nullum recipiet damnum, imo ipſi cenſenda eſt vtilis, cũ poſsit ſtatim ea aliis vendita non ſolũ pretium quod dedit recipere, verumetiam forſan lucrari.

Ad ſecundum dico, argumentum iſtud illud tantum probare, venditionem iſtam non eſſe inualidam ex aliqua iniuſtitia pretij, quia ſicut pretium non eſt ſumendum ex vtilitate peculiari quam affere ementi

ementi, ita neque ex inutilitate eiusdem, sed ex ea vtilitate quam simpliciter & absolutè habet secundum se sumpta: nihilominus est inualida; quia vbi venditor in suam tantum vtilitatem rem aliquam quærit, nisi ea illi vtilis sit, quidquid sit de aliis, est rationabiliter inuoluntarius, & decipitur ex dolo dante caussam contractui, adeo vt nisi talis vēditio esset rescindenda, compelleretur iniq; & dolosè emptor ad habendam rem, quā neq; instituit, neque voluit habere, qua ratione læditur maxime ratio iustitiæ quæ exigitur in contractu emptionis.

Ad 3. Dico, licet statim & prope diem pecunia illa sit efficienda inualida, iustam nihilominus per illam fieri solutionem, si ipso tempore emptionis & solutionis pretij habeat vim & valorem in quo redditur, quod si eodem omnino tempore quo redditur per illam pretium, esset inualidanda, ita vt in ea hora amitteret valorem, tunc non rectè per illam fieret solutio. Similiter in proposito, si res tempore quo emitur sit inutilis, nulla est venditio, quod si ipso tempore quo venditur & pro quo fit venditio sit vtilis, etiam si deinde intelligatur reddenda inutilis ementi, est nihilominus valida venditio, nec tenetur venditor aperire emptori quod in futurum imminet. Differunt enim maxime damnum rei imminens ab intrinseco illius defectu, & quod illi imminet ab extrinseco, & circunstantia loci vel temporis: nam prius illud est verè & actuale damnum, rem ipsam concomitans, & propterea necessario aperiendum emptori, vbi rem illam inutilem aut nociuā ipsi reddiderit, iuxta ea quæ præcedenti controuer. diximus, quod autem imminet rei ab extrinseco ex aliqua circunstantia loci vel temporis aduenturi, non est damnum illius, nec minuit illius valorem donec actu & re ipsi adueniat. Quo fit, vt antequam actu aduenerit, iustè vendatur eo pretio quod valet, perinde ac si nō esset illud futurum, quia quamdiu non aduenit eādem adfert vtilitatem & commodum emptori: constat autem vt sæpè diximus, pretia rerū ex earum vtilitate & vsibus pensari. Exemplū est familiare quo in hoc casu vtūtur DD. si quis locet Ioāni domū in curia Regia 100. aureis, sciens Regem propediem recessurum ab illa curia, & abfuturum longo tempore ab ea, quo recedente domus illa non valebit nisi 30. non tenetur indicare locanti recessum illum Regis, sat est tempore locationis domum illam esse vtilem locanti, & alias domus eandem vel similem vtilitatem afferentes illo pretio communiter locari in curia.

Ad 4. Resp. venditores habere res venales omnibus expositas, iudicantes (& prudenter) eas ab illis tantum emendas quibus futuræ sunt vtiles: quo fit venditorem, cum accedit aliquis emptor postulans rem suæ officinæ sibi vendi (nisi oppositum certa aliqua via intelligat,) prudenter censere rem illam illi vtilem esse: quod si certo nouerit illi inutilem, seruanda est doctrina proposita in illa distinctione.

Ad vltimum Resp. multum ista differre à doctrina proposita: quando enim redditur res ob defectum inutilis emptori, inutilitas illa prouenit à parte rei, & ideo nequit illi cui inutilis est vendi, esset enim deceptio iniqua in re ex parte vendentis, cum illis damnis emptoris quæ retulimus, & consequenter contractus ex parte ementis inuoluntarius & nullus: at quando res ex se bona & integra est, & pretium iustum tunc inutilitas illa non est à parte rei, sed ex parte emptoris, nec est deceptio aliqua facta à vendente, sed tota culpa est in emente, qui cum nequat re illa vti, nihilomius voluit illam emere. Tum etiam, quia ista inutilitas & defectus est manifestus ipsi, cum videat aperte rem illam sibi inutilem esse. Addo neque in hoc casu esse illi omnino inutilem, nam cum voluntariè illam emat, iam complet suum desiderium.

Quærere hoc loco aliquis posset.

QVANDO HVIVSMODI *venditiones rescinduntur, pecunia quæ solet dari in arrham & signum firmæ venditionis, sit ne etiam restituenda.*

De hac quæstione multa Iurisperiti l. Quod in principio ff. De contrahenda vendi. Nos vero quantum hîc locus postulat, obseruemus bifariam posse huiusmodi pecuniam & arrham exhiberi venditori, aut in signum tantum firmitatis illius venditionis contractæ, aut in signum simul & partem pretij: Quando datur tam in signum quam in partem pretij, quacunque ratione venditio rescindatur, restituenda est vna cum pretio, cum sit illius pars: & in his, quæ ratio est totius, eadem quo-

que debeat esse partium. Quando vero solũ datur in signum, siquidem culpa emptoris rescindatur, non est illi restituenda arrha, sic enim collata fuit ex vsu contrahentiũ in signum, vt exponeret se simul emptor in pœnam amittendi illam, si culpa sua ab illo contractu recederet. Quod si ex dolo tantum vel iniquitate venditoris contractus illi rescindatur, ac sine vlla culpa ementis, tenetur illam venditor emptori restituere: tum, quia non debet dolus vel iniquitas venditoris vel in minimo emptori nocere; tumetiam, quia collata fuit solum in signũ firmitatis contractus, qui in hoc casu non infirmatur, nec rescinditur culpa emptoris, sed solius venditoris iniquitate.

Cæterum quia iam omnium fere gentiũ vsus obtinuit, vt arrha non solum confeٞratur in signum verumetiam in partem prẽtij, sic enim habet communis omniũ prouintiarum consuetudo, vt cum redditur pretium; primum omnium computetur pecunia illa in arrham exhibita, propterea quacunque ratione venditio reuocetur, arrha vna cum pretio restituenda est.

Nunc dicamus de emptore occultante virtutem rei, propter quam plus valet. Est ergo quæstio.

Controuersia 3.

AN QVEMADMODVM *tenetur venditor manifestare emptori defectum rei, propter quem est inutilis aut minus valens, ita teneatur emptor manifestare venditori virtutem rei, propter quam plus illa valet, ignoratur autem a venditore.*

DIVVS Tho. in vltima conclusione huius art. habet aperte partem affirmantem, teneri emptorem ad manifestandam talem virtutem.

In oppositum tamen est, Quia si accidat vendi gemmam cuius virtutem nec periti istius artis agnoscunt, sed ipse tantum emptor ex peritia & dexteritate sua, qua cæteros omnes superat, qua de causa confert quidem pretium, quod à cæteris lapidariis gemmæ illi taxabitur, minime vero illud quod videt ipse illam valere, propter eximiam illam & extraordinariam virtutem, quam ipse solus nouit, iustum reddit: ita vt nec teneatur indicare in hoc casu occultissimam illam peregrinamq; illus gemmæ sibi tantum pespectã virtutem, nec reddere aliud pretium quam illud quod cæteri periti illius artis taxarunt. Iam igitur non tenebitur semper emptor manifestare virtutem occultam rei, sicut venditor occultum defectum. Antecedens vero ostendo quia non tenetur iste indicare aliis singularem illam peritiam, qua ipse solus præ cæteris virtutem illius gemmæ nouit. Tum etiam, quia (vt constat) in his quibus lex nullũ pretium constituit summendum est ex cõmuni vsu fori, iste vero lapidarius in hoc casu iam exhibet (vt supponimus) pretium quod in foro omnium peritorum in illa arte iudicio habetur vt iustũ, ad nihil ergo aliud tenetur.

Secundo, fingamus rustico vendenti gẽmam cuius virtutem ipse quidem ignorat, aliis vero lapidariis facile patebit, dicere emptorem: emam à te istam gemmam pretio vt 10. cæterum vt hic contractus tuta conscientia fiat conueniamus inter nos, vt si plus quidem valeat quam 10. illud mihi libere remitas. In hoc casu si rusticus iste libere concensiat, venditio est iusta ratione illius pacti, & protestationis tam aperte positæ ab emptore: nam cum ea audita venditor libere consenserit, nec alios peritos voluerit consulere, libere & voluntariæ censendus est condonasse reliquum excessũ iusti pretii emptori: venditor aut vt ex supradictis constat tenetur manifestare vitiũ; nec sufficeret talis protestatio; ergo non est æqua vtriusque conditio.

Et cofirmatur, quia in hoc casu iste vẽditor nolens amplius quærere, sed contentus illo pretio vna cum illa protestatione emptoris, aperte renunciat iuri suo, & excessui pretij libere & voluntarie, vnde nulla illi ab emptore infertur iniuria.

Tertio vt primo tomo vidimus quæst. 62. art. 5. ad 2. licet emere agrum in quo est thesaurus absconditus solo pretio agri, occultando illũ thesaurũ reconditũ, iuxta illud Christi Matth. 13. *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, &c.* ergo similiter licet emere gemmam cuius vim venditor ignorat occultando eius vim; at si ager haberet defectum esset manifestandus: iam ergo non est æqua condicio vtriusque.

Vltimo, cum venditor cõmuniter soleat inuitare emptores ad suas res emẽdas, offert illis occasionẽ vt decipiantur, nisi manifestet eis occultos illarum defectus, emptor vero cum non ita soleat inuitare venditores com

muniter

muniter loquendo nõ offert eis talem occasionem occultata virtute rei quã ipsi vendũt & ignorant, sed debent ipsi cum voluntarie vendant, & communiter inuitent emptores sibi prospicere, & diligenter scire quid vendant, & quantum valeat.

In hac quæstione obseruemus, bifariam posse euenire, vt intelligat emptor occultam illam vim rei quam emit, & quam ignorat venditor: vel ita vt vis illa communiter cognoscatur ab omnibus peritis in arte, & consequenter iustum pretium illius rei, licet ignoretur à venditore ipso: vel ita, vt tam à venditore quam à peritis illius artis communiter ignoretur, solumque cognoscatur ab emptore, qui præ aliis in ea arte peritissimus est.

Sit Prima conclus. *Quando venditor ignorat virtutem & valorem rei quam vendit, est autem illa cõmuniter perspecta & cognita peritis illius artis, habetque res illa suum pretium in communi vsu fori, tunc emptor tenetur in conscientia manifestare virtutem illius rei venditori illam ignoranti, vel saltim conferre illi iustum rei pretium.*

In hac, parte æqua est conditio vtriusq; vt sicut venditor non potest vendere rem vitiosam pro sana, quin manifestet defectum, aliter venditio sit nulla: ita quoque, non potest emptor emere rem pretiosam pro vili ob ignorantiam venditoris, quin manifestet illius virtutem & valorem, alio quin emptio sit nulla. Similiter sicut venditor ob defectum rei debet minuere de pretio, vbi res illa non est omnino inutilis, & rogatus debet explicare defectum sicuti exposuimus: ad eundem modum emptor debet augere pretium iuxta valorem rei, et rogatus à venditore debet virtutem illius explicare.

Probatur Conc. cum contractus emptionis & venditionis sit actus Iustitiæ commutatiuæ, introductus in vtilitatem vtriusque contrahentium, debet æqua esse tam emptoris, quam venditoris conditio, at venditor tenetur ratione æqualitatis iustitiæ declarare vitium rei quam vendit, quando est inutilis, aut saltim minuere à pretio, quando est quidem vtilis, sed aliqua ratione minus, iuxta ea quæ præced. cont. docuimus; ergo similiter emptor, vt seruet æqualitatem, tenetur explicare venditori virtutem illius rei, vel exhibere saltem illi iustum pretium. Et conf. venditor debet declarare vitiũ aut minuere modo explicato, quia aliter non vendet pretio iusto fori; ergo similiter emptor virtutem quam alij agnoscent, quia aliter non emet pretio iusto fori.

Secunda conclusio. *Si quis emat rem cuius virtus occultissima est, nec cognoscitur ab aliis peritis in tali arte, sed a solo emptore, tunc iuste illa emitur, exhibito pretio quod communiter taxatur a peritis illius artis, nec tenetur emptor indicare illam virtutem occultissimam, quam ipse solus agnouit sua singulari peritia.*

Oppositum videtur sentire Magister Soto 6. de Iustitia q. 3. art. 2. Vbi constituit discrimen inter agrum habentem thesaurũ absconditum, & alias res continentes virtutes occultas: agrum enim dicit apretiandum tantum secundum superficiem terræ, & fructus quos terra illa iuxta suam naturam solet ferre, adhibita industria agricolæ, non autem iuxta thesaurũ, quem habet latentem in visceribus: quia in illo contractu tantũ venditor ille ager vt ager quidam est, alias vero res æstimandas esse secundum proprias virtutes quas habent, etsi occultissimas: quia vendens rem vendit simul omnes virtutes illi proprias & intrinsecas quantumuis occultas. Vnde iuxta Magistrum Soto emens agrum non teneretur manifestare thesaurum occultum in illo, nec pretium augere vltra valorem illius vt ager quidam est: emens autem alias res tenebitur manifestare virtutem occultam illarum.

Nostra tamen conclusio est vera & communis inter recentiores Thomistas, & probatur: Cum pretium iustum cuiuscunque rei, vbi lex illud non præscribit, attendatur penes communem vsum fori: quicunque emit rem eo pretio, quod communi æstimatione prudentum & peritorum in illa arte iudicatur iustum, reuera emit pretio iusto, sed in casu huius secundæ conclusionis ita accidit, ergo.

Secundo, in hoc casu cum virtus illius lapilli & venditorem & omnes peritos lapidarios lateat, & huic soli ementi innotescat, emptor iste perinde se habet, ac si esset inuentor illius lapilli; quo ad illam occultissimam virtutem, quam ipse solus nouit, imo lucrũ illud ex tali virtute prouenìens tribuendum est fœlici sorti, & industriæ ipsius, ratione suæ peritiæ; at res inuentæ inuentoris sunt; ergo. Et confirmatur virtus ista adeo occulta, perinde se habet in ordine ad alios, ac si non esset in tali lapillo, cum ab omnibus ignoretur præter quam ab isto; ergo non debet emptor iste dare pretium pro illa, perinde

perinde ac si talis virtus illi inesset.

Tertio, si emptor tempore quo emit nesciens virtutem illius gemmæ, emit illam pretio iuxta communem æstimationem omnium peritorum iusto; iuste emit, esto vel diuina deinde reuelatione, vel scientia de nouo adquisita in cognitione lapillorum, vel aliqua alia via extraordinaria deprehendat postea illam occultissimam virtutem, nec tenetur rescindere emptionem, aut augere pretium, quia est velut nouus illius virtutis ita occultæ inuentor, ergo quod antea illud sciuerit, cũ ipse solus illud agnouerit ex sua peculiari & singulari peritia, non tollit quin etiam iuste emerit. Antecedens patet, quia in eo casu iste non tenetur vel rescindere vel augere pretium, ratione iniustæ acceptionis, cum receperit gemmam illam contractu licito nempe vẽditione, nec ratione rei acceptæ quia res illa non est furtiua, sed empta à vero illius domino, nec ratione pretii, quia emit eã pretio omnium peritorum iudicio iusto: Consequentiã vero probo, quia sicut vbi res vsu fori valet. 10. ex ignorantia autem vtriusque contrahentis fuit empta 5. vtroq; existimante pretium illud iustum esse, ignorantia illa excusauit quidem ementẽ à culpa, non tamen ab iniustitia neque à restitutione, cum primum illud nouerit, quia fuit pretium reuera iniustum, ita peculiaris sciẽtia huius qua cognoscit occultissimam illius rei virtutem, cum illam emerit vsu fori & iudicio omnium peritorum in illa arte pretio iusto, nõ efficit quin iuste emerit, ita vt nec teneatur rescindere emptionem, neque augere pretium, sicut non tenetur manifestare aliis singularem peritiam qua ipse solus nouit illam occultissimam virtutem.

Quarto pretium rerum non est attendendum secundum earum naturas, sed quatedus sunt vtiles vsibus humanis, in casu autem huius secundæ conclusionis illa gemma rarissimæ & occultissimæ virtutis, secũdum communem vsum quem iudicant lapidarij illi inesse, non est magis vtilis hominibus quam aliæ similes, quæ iuste venduntur eodem pretio quo ista æstimatur à lapidariis; ergo illa occultissima virtus quo ad pretium, perinde æstimanda est, ac si non adesset, cum venditori seclusa illa peculiari peritia huius pertissimi lapidarij, non magis prosit quam alia non habens talem & tam raram virtutem: Vtilitatem enim quæ ex illa peculiari peritia emptoris nascitur non debet venditor reportare; sed emptor ipse, qui illa priuatim præ cæteris præditus est.

Denique in hoc contractu debet esse æqua ratio vtriusque contrahentis; at si arbitrio prudentum lapillus valeret 100, & venderetur 100, etiam si deinde deprehẽderetur ab emptore minus valere, non teneretur vẽditor aliquid restituere, nec venditionem rescindere, quia tempore contractus illud fuit iustum pretium; ergo similiter si arbitrio prudentum valeat 100 singulari autem ipsius emẽtis peritia aliis ignota deprehendatur valere 200, reddens illa 100: quæ omnes iudicant esse iustum pretiũ, iustè emit, nec tenetur aliquid augere vel rescindere emptionem.

Ex his sequitur Hispanos qui primo adierunt Indiã, iustè potuisse ab Indis emere gemmas illo pretio, quod inter ipsos Indos communi vsu fori iudicabitur iustũ: etiam si Hispani intelligerent in Hispania plus valere, quia non tenebantur Hispani manifestare illis virtutem gemmarũ vel auri, & hac ratione excusantur qui initio illarum priorum nauigationũ in Indiam, magnam auri copiam inde asportarunt, quia iustum rerum pretium attendendũ est iuxta communem vsum fori, in loco in quo fit emptio. Sicut qui Siculæ emeret triticũ 3. argenteis, quia tale ibi esset forum, iusté emeret, etsi Valentiæ illud deinde venderet 10. argenteis.

Sed obiicies aduersus hanc doctrinam. Si emptor non tenetur aperire virtutem occultam lapidis, quando à cæteris omnibus ignoratur, similiter nec teneretur venditor, (cũ æqua sit vtriusq; conditio,) quãdo vendit rem defectuosam secundum se, quę tamen communi iudicio & ęstimatione peritorum in illa arte non est defectuosa, aperire defectum illius rei: cum semper standum sit communi arbitrio forensi & benesentientium, etiam si fallantur. At hoc est falsum, tenetur enim emptor vitiũ occultum aperire, ergo & illud.

Secundo, ignorantia venditoris nõ debet minuere pretium quod res meretur iuxta suam veram & propriam vtilitatem, sed res ista quæ venditur habet in se illam vtilitatem; ergo quamuis occultam & ignoratam á venditore, cũ illam emptor agnoscat, tenebitur aut aperire, aut augere pretium, quod illi vtilitati iuste respondeat.

Ad 1. Resp. non esse idem iudicium in hoc casu de emptore & venditore: emptor enim non tenetur manifestare quod ipse solus peculiariter ex singulari peritia sua nouit, sed sufficit reddat quod sapientes

tes in illa arte iudicauerint iustum, venditor autem, vt is qui rem apud se habuit & contrectauit, tenetur defectum illius, quem nouit, & si à cæteris ignoretur, aperire ex iustitia, aut pro ratione illius descendere, ac minuere de pretio. Sicut prætor tenetur nulli dare pecuniam falsam, & si ab omnibus iudicetur vera, quod aliis non incumbit.

Ad 2. Dico, disparem esse rationem, quia vbi venditor ignorat virtutem rei, quę ab aliis communiter scitur, tunc non debet minui pretium illius propter ignorantiam venditoris, sed reddendum est, quod periti iustũ & æquale iudicauerint iuxta valorem & virtutem illius rei, quia illud est, iustũ talis rei pretium; quando vero ignorãtia est ratione alicuius occultissimæ virtutis, quam solus emptor nouit, ex sua singulari peritia, tunc minuitur pretium, quia nõ tenetur emptor aperire, quod ipse solus ex sua illa rara peritia nouit: sed sat est reddat pretium, quod communiter à peritis iudicabitur iustum iuxta virtutem aliis perspectam: pretium vero illi occultissimæ virtuti respondens non tenetur reddere, quia illius virtutis occultissimæ ipse est quasi primus inuentor, sicut & primus cognitor.

Obseruandum est hîc circa primam conclusionem, hoc discrimen esse inter emptorem & alium tertium, qui esset præsens contractui, vt emptor teneatur ex iustitia aperire valorem rei, de quo illa Conc. alius autẽ tertius, qui præsens esset ex sola charitate, quia ille tertius tantum tenetur ex charitate prohibere quãtum commodè ipse potest damnum proximi, cõtrahentes autem tenentur inuicem ex iustitia se ipsos nec decipere nec defraudare. Similiter dicendũ est de tertio qui nouit defectum rei, quem tenet venditor occultat etiã ex charitate aperire illũ emptori: intelligo autẽ hîc per hunc tertium eum qui casu adest contractui, non ministros illius, maxime ministros, quos vocamus ex officio. Vnde ministri ex officio, quos Hispani vocamus *corredores*, & qui sua propria sponte interueniunt contractui, partes inter se componentes, Omnes isti tenentur ex iustitia, eo ipso quo exercent munus ministrorum illius contractus, aperire vel defectum ementi, vel virtutem rei & illius valorem vendenti; quia eo ipso, quo sunt ministri cõtractus, tenẽtur ex officio & cõsequẽter ex iustitia prohibere, quantum commodè possunt deceptiones, & damna contrahentiũ.

Circa secundam vero conclusionem obseruandum est, intelligendam illam esse, nisi emptor à venditore interrogetur, nam interrogatus tenetur aperire veritatem cum illam in eo casu celare iam esset mendaciũ nociuum, & dolus dans caussam contractui, quo interueniente cõtractus est nullus.

Ex his facile diluuntur argumenta initio huius dubij proposita, Primum argumentum probat nostram secundã conclusionẽ.

Ad 2. Caiet. in summa verbo Emptio. cõcedit illam venditionem esse inualidã, quia virtus quæ communiter cognoscitur á peritis non est ita occulta, quin emptor teneatur illam manifestare, ita vt nisi illam manĩfestat venditor sit rationabiliter inuoluntarius, & consequenter contractus nullus: nec est dicendum venditorem per illam protestationem emptoris cedere iuri suo, cum id faciat iniquè deceptus: nec emptorem esse primum inuentorẽ illus virtutis, cum sit aliis quoque peritis cognita. Vnde in illo casu emptor iste non est tutus in conscientia, licet vtatur illa protestatione, quia est illa velut cauillus ad dicipiendum rusticum vendentem. Quo circa cum res debeat emi iusto pretio, vel fori, vel arbitrio prudentum, tenetur augere pretium quod dedit, donec æquetur pretio iusto, cum pretio iniusto nullomodo liceat emere.

Ad 3. Dico quando virtus est occultissima, solique emptori perspecta, tunc ipsum esse quantum ad talem virtutem velut primum illius inuentorem; nec teneri vt constat ad illam indicandam; vel pretium iuxta illam reddendum, quando virtus vero est quidem ignota venditori, cognita autem aliis peritis in illa arte, tunc non est velut inuentor illius, & sic tenetur reddere pretium quod periti iudicarent iustum.

Ad 4. Eadem est solutio, quando enim virtus est cæteris quoque peritis perspecta, tunc non est velut thesaurus absconditus in visceribus terræ; sed velut abscõditus in parietibus domus: Quo fit, vt sicut hic thesaurus est domini illius domus, sic & virtus illa sit domini gemmæ, & indicanda ab emptore, vel saltim emenda iusto pretio. Quando vero est virtus occultissima, omnes latens, & soli emptori ex sua singulari dexteritate perspecta, est velut thesaurus absconditus in visceribus terræ, propter quod sicut emens agrum in cuius visceribus thesaurus existit non tenetur reddere pretiũ illius thesauri; sed sufficit dat iustum pretium illius agri, vt quidam ager est, ita nec tenetur hic perfectissimus

lapidarius soluere pretium illius virtutis occultissimæ; sed sat est soluat quod gemma illa arbitrio aliorum peritorum valebit.

Ad vltimum dico, ex eo quod venditor inuitet emptorem, non dari facultatem emptori emendi pretio iniusto; quia hoc est omnino illicitum, pretium autem cuiusq; rei est, quod valet vel taxatione legis, vel communi vsu fori, vel ex arbitrio prudentum & peritorum in illa arte.

In solutione quarti argumenti docet D. Tho. venditorem etiam si sciat superuenturā proxime copiam mercium, propterquam vilius vendentur, non teneri ad illam manifestandam emptoribus, nec minuendū propterea de pretio currenti ipso tempore quo vendit. Ratio D. Tho. est; quia vendens rem optimam & sanam pretio in foro currenti, ipso tempore venditionis, vendit pretio iusto: admonere autem emptorem de futura copia, propter quam minuetur earum pretiū, hoc charitatis quidem esse, ad id tamē non teneri venditorē ex officio vel iustitia, cum officium eius tantum sit vendere res sanas & pretio iusto, tempore venditionis, non autem futura prædicere. Hāc sententiam sequuntur Caiet. hîc, Syluester verbo Emptio. q. 15. & plerique Thomistæ in lectura huius art. Soto. lib. 6. q. 4. art. 2. ad 4. & fuit communis inter Theologos vsque ad nostra tempora, in quibus Medina & nonnulli recentiores ab ea recedūt. Vnde est tractanda hæc quæstio.

Controuersia 3.

VENDITOR SCIENS *superfuturam copiam mercium, ob quam vilescent illæ quas habet, ad quid teneatur.*

REFERT Cicero. 3. de officiis quæst. hanc iam inter antiquos Philosophos fuisse agitatā, narrat enim cum Rhodi caritas annonæ contigisset, Mercatorem quendā Alexandrinum magnam copiam tritici eo detulisse, vendidisseq; illud pretio communi & currenti, quod inuenit tēpore suæ venditionis, licet sciret multos alios mercatores statim peruenturos, futuramque magnā frumenti copiam, ob quam vilius venderetur: consultosque Philosophos an iustè ille egisset, respondidisse Diogenē iustè quidem; cum optimum triticum vendiderit, & pretio currenti ac iusto apud Rhodios ipso tempore suæ venditionis: quam sententiam sequitur hîc D. Tho. Antipatrum vero Diogenis discipulum oppositum dixisse, quia silere illam copiam statim superuenturam iudicauit quandam deceptionē, & dolum cum damno ementium, quam opinionem sequitur Medina Cod. de rebus restitu q. 35. vbi habet tria.

Primum, si vterque cōtrahentium sciat illam copiam superuenturam, non teneri venditorem ad illam manifestandam, nec ad minuendum de pretio currenti, communi vsu fori, ipso tempore venditionis; sed iusté illud recipere si ab emptore illi tradatur, quia vendit iusto pretio, cum vendat pretio tunc currenti, nec emptor ab eo decipiatur, cum vterque intelligat illam copiam superuenturam.

Ait 2. Similiter, si vterque ignoret tēpore emptionis illam copiam superuenturam, iusté etiam rem illam vendi pretio currenti in foro ipso tempore emptionis, nec teneri ad aliquid restituendum, quamuis deinde illam sciat: quia vendidit pretio iusto, & sine vlla deceptione, ita vt ignorantia, quæ liberauit illum à peccato, liberet etiam eundem ab omni debito restituendi.

Ait 3. Quod si emptor ignoret illā superuenturam copiam; venditor vero eam intelligat, teneri venditorem vel ad manifestandam illā, vel ad minuendū de pretio, non quidem quantum si copia illa iam esset præsens; sed quantum prudens iudicaret. Probat hanc partem variis argumentis.

Primo, si quidem emptor sciret illam copiam superuenturam, reuera nō emeret tanto pretio rem illā, vnde cōfert profecto illud deceptus à venditore qui copiā illam sciens occultat, & ita est rationabiliter inuoluntarius, contractus autem in quo alter contrahentium est irrationabiliter inuoluntarius, est iniquus, & nullus; ergo.

Secundo, cum in moralibus quod parū distat nihil distare iudicetur: ista copia quę proxime superuentura scitur, parumq; distat, censenda est quasi iam ferē præsens, & consequenter res illa, eo ipso quo imminet talis copia & scitur à venditore, nō est iam tanti æstimanda ab ipso, nec vendenda, quanti antea vendebatur.

Tertio pretium iustum, quod sumitur ex communi hominum æstimatione, non debet sumi ex ęstimatione erronea & ignoranti; sed in hoc casu illud commune iudicium, quod existit in foro, procedit ex errore & ignorantia futurę copię, ergo pretium iustum nō est sumendū in hoc casu ex illo

illo communi iudicio, & vsu fori.

Quarto, si venditor sciat rei quam vendit statim superuenturum aliquod vitium, vel bonitatem, quam habet statim ab illa auferendam, siue bonitas illa sit naturalis, vt equum proxime moriturum, siue arte constans, vt monetam quam dat statim à Rege inualidandam, tenetur reuera illud vitiũ vel damnum emptori manifestare, quia alioqui decipit illum cum graui ipsius damno; ergo similiter tenebitur manifestare copiam proxime superuenturam, cum per eam sit priuanda res illa valore & pretio præsenti: & ex consequenti illud occultare cum sciat, vel eodem pretio vendere quo antea vendebat, est decipere ementem cum nocumento ipsius.

Quinto. Si sciret venditor Regem, sua pragmatica diminuturum pretium tritici, tenetur venditor iste manifestare illam pragmaticam proxime promulgandam, cũ perinde se habeat ac vitium rei tollens illius valorem, sed similiter se habet copia rei proxime futura quo ad diminutionem pretij; ergo tenetur illam manifestare.

Sexto. Pretium rei iustũ illud est, quod à peritis in illa arte communiter iudicatur iustum; sed communiter vilescit res ex superuentura copia, omnibus iudicantibus illa superueniente debere merces vilescere; ergo non tanti potest vendere sciens illã superuenturam, quanti venderet si illa non esset superuentura, vel saltim ignoraret.

Quod si dixeris verum id esse quando communiter scitur illa copia, quia tunc omnium iudicio vilescit. Contra quia pretium rei non sumitur ex scientia vel ignorantia rerum; sed ab eo quod reuera est, in hoc autem casu copia ista reuera est futura, propter quam merces minus valẽt; ergo minus vendendę, etiam si ab aliis illa copia ignoretur, cum ab ipso venditore intelligatur.

Denique si mihi constaret propediem librum aliquem ab Inquisitoribus hæreticę prauitatis prohibendum, inique agerem si cui illud venderem eodẽ pretio quo solebat vendi, quamdiu non imminebat illi tale periculum & prohibitio, aut saltim indicare emptori periculum illud, propter quod debet illud reuera minus valere; ergo similiter mercator qui scit superuenturam statim suæ mercis copiam, propter quam illa minus valebit.

Explicat autem Medina quomodo venditor illam debeat scire, vt teneatur vel manifestare, vel minuere de pretio. Si copiam (inquit) illam superuenturã sciat relatione aliorum, siue per epistolas, tunc inquit tenebitur manifestare, aut minuere pretium, quia talis cognitio pertinet ad forum, & per hoc genus cognitionis solent res vilescere. Quod si illud sciuerit per astrologiam, vel aliam scientiam à se adquisitam, non tenetur, quia talis cognitio non pertinet ad forum, nec ad contractus humanos, nec mercatores iudicant futuram copiam vel inopiam, ex his quæ astrologi prenunciant; sed ex his quæ per epistolas aliorum mercatorum vel relatione aliorum intelligunt.

Amplectuntur etiam eadem sententiam Gabriel. in 4. dist. 15. q. 11. art. 3. dub. 6. Et ex Iurisperitis. Bartho. in l. Quæro. ff. de actio. emptio. & Glos. in l. Cõtralegem. ff. de legibus. Eidem subscribit Conradus de contract. q. 66. vbi recedit ab ea quam habet hîc D. Tho. adductus hac ratione. Si ex abũdantia alicuius mercis, quę in hoc loco superuenit illa vilius venderetur, peregrinus vero huc accedens illudque ignorans maius pretium pro illa redderet, non posste illud iuste recipi à venditore, quia pretium illud ex abundantia superueniente imminutum est, nec licet propter ignorantiam illius peregrini carius vendere; sed quando similis abundantia imminet statim aduentura, merces eo ipso vilescũt, minusque valent, maxime vbi venditor illius est conscius; ergo aut tenebitur illam indicare emptori, aut minuere à pretio: aliter vero idem esset, quod carius vendere propter ignorantiam emptoris.

Ex recentioribus discipulis S. Tho. nonnulli sequuntur sententiam eius absolute & in vniuersum: Alij vero ita distinguũt, vt vel emptor emat nihil quærens à venditore de superfutura copia, vel siue suspicatus illam, siue nihil suspicatus; sed ex suo libero beneplacito quærat à venditore, an intelligat superuenturam copiam: Si priori (inquiunt) modo emat vera est sententia D. Thom. & ita intelligenda: si vero secundo modo, veram esse sententiam Medinę, quia tunc mentiri vel occultare veritatem est decipere emptorem & consequẽter, cum ex tali deceptione conferat pretiũ illud currens in foro, quod reuera non deditet explicata ipsi veritate superuenturæ copiæ, est reuera etiam rationabiliter inuoluntarius, & contractus sic factus nullus, & inualidus.

Secundo, sicut ratione vitii oculti res vilescunt, ita & ratione superuẽturæ copiæ,

at tenetur venditor explicare vitium, saltim quando interrogatur ab emptore; ergo & superuenturam copiam, si ab ipso interrogetur, vel saltim minuere de pretio.

Sit prima conclus. *Venditor non rogatus de copia ventura nec tenetur illam manifestare enienti, nec minuere de pretio quo merces illa tunc communiter venditur in foro.*

Hæc conclus. est contra tertium dictum Medinæ, & contra Conradū qui volunt, venditorem etiam non interrogatum teneri ad indicandam emptori superuenturam mercium abundantiam, vel saltim minuere de pretio: habent tamen illam D. Thom. hic ad 4. Caiet. in commento, Syluester verbo. Emptio. §. 15. Soto lib. 6. de iustit. q. 3. art. 2. ad 3. & omnes recentiores discipuli D. Tho. nemine excepto præter Conradum.

Et probatur. Ex ipso Medina & authoribus oppositæ sententiæ, si venditor ignoret illam copiam, & vendat bona fide pretio currenti, venditio illa est iusta simpliciter & absolutè, nec tenetur venditor ad aliquid restituendum, esto deinde intelligat talem copiam esse superuenturam: ergo etiam si eam intellexisset tempore venditionis, venditio illa est iusta simpliciter & absolutè. Probo consequentiam; ignorantia circunstantiæ, vel rei quæ venditionem facit iniustam (vt sæpè vidimus) tantum liberat venditorem à culpa, propter illam bonam fidem qua vendidit, non antem à debito restituendi, cum primum illa ignorantia cessauerit, & illa bona fides; at venditor iste, etsi deinde intelligat copiam superfuturam, cessetq; illa ignorantia, non tenetur aliquid restituere; sed venditio illa fuit iusta, non quia ignorauit; sed qui vēdidit pretio iusto; ergo etiamsi copiam illam agnouerit tempore venditionis, non propterea desinit venditio illa esse iusta, & sine vllo debito restituendi.

Secundo cum restitutio sit ad constituendam æqualitatem vbi fuit inæqualitas, si vendens pretio currenti nesciens superfuturam copiam non tenetur restituere, vt docent omnes, & ipsimet Medina & Conradus, necessario dicendū est in tali venditione non fuisse inæqualitatem. Nunc sic argumentor: iste non fecit inæqualitatem; ergo nec alter qui sciebat illam copiam futuram, probo consequentiam, quia in contractu venditionis, cum sit contractus pertinens ad iustitiam commutatiuam, inæqualitas tantum reperitur, quando res & pretium non sunt sibi inuicem adæquata; sed quo pretio vendit vnus istorum rem illam vendit & alter eandem eodem omnino tēpore & loco; ergo vel vterque necessario vendidit pretio iusto, & adæquato illi rei, nullamque fecit inæqualitatem, vel vterq; pretio inadæquato, & ex consequenti vterque fecit inæqualitatem, & vterque tenebitur similiter ad restituendum, quod est aperte falsum.

Tertio, cum in hoc contractu debeat esse par & æqua vtriusque partis conditio: si venditor sciens superuenturam copiam non posset vendere pretio currenti, similiter nec emptor, qui tempore abundantiæ sciret futuram inopiam, posset emere merces pretio currenti, ipso tempore abundātiæ, seruandas in tempus inopiæ carius vendendas, certum enim est pretia rerum perinde augeri superueniente inopia, sicut minuuntur superueniente abundātia: At hoc licet emptoribus, nec tenentur ægestatem illam futuram aperire, aut minuere de pretio, vt constat ex omni historia: ex sacra, Gene. 41. sciens Ioseph superuenturam ægestatem Aegypti, tempore abundantiæ comparauit magnam copiam tritici pretio tunc currenti, quo deinde carius vendito, ditauit Regem.

Thales Milesius, vt refert Arist. 1. Polit. c. 7. cum irrideretur à diuitibus, quod parū vtilitatis afferret illi Philosophia, sciens per astrologiam, magnam olei copiam proximo anno colligendam, emit ab omnibus agricolis anticipata solutione, quidquid oliueta eorum essent allatura, aduenienteque illa abundantia, cum ipse solus esset venditor, magnam sibi pecuniarum copiam fecit: quod factum Thaletis à nemine reprehenditur.

Nec valet quod Respondet Medina ad vtrumque exemplum.

Ad 1. enim dicit licuisse ita Ioseph, quia cognouit illud per diuinam reuelationem. Sed hæc solutio non tollit vim argumenti, quia cum iustitia contractus venditionis ex duplici tantum capite sumatur, ex bonitate & vtilitate rei, & æqualitate pretij, his seruatis; quod pretiū est iustū pro qualitate rei, cognita inopia futura illius mercis vel abundantia, siue per diuinam reuelationem siue per astrologiam, est similiter iustum eodem loco & tempore quo eadem inopia vel abundantia fide & notitia humana & ex hominum relatione cognosceretur. Et oppositum est ridiculum.

Ad 2. Dicit licuisse illud Thaleti, quia ab omnibus iudicabatur futura sterilitas, ipsa

ipsi autem priuatim per astrologiam fuit cognita illa abundantia futura. Sicut enim copia adueniens non minuit pretium propter modum adueniendi, sed propter abundantiam mercium, quocunque modo illa adueniat, ita neque cognitio illius debet minuere pretium propter modum cognoscendi, sed eo quod sit cognita, quocunque modo cognoscatur: cum modus cognoscendi non variet copiam præcognitam ratione cuius debeant minus æstimari merces.

Sed conf. iam illa tertia ratio, ex communi vsu omnium mercatorum & eorum qui sunt timorati: Omnes enim probi & timorati vendunt res pretio currenti vt iustissimo, etiam si sciant superuenturam copiam, nec illam vnquam ementi explicant. Et similiter tempore abundantiæ omnes emunt merces pretio currenti, seruandas in tempus amplius valituras.

Vnde sit quarta ratio. In his contractibus, quæ est ratio loci ad locum, eadem est temporis ad tempus, quia pro diuersis temporibus sicut & pro diuersis locis sunt varia rerum pretia: sed res valentes 100. in vno loco communi vsu fori ex illius penuria, iuste venduntur in illo pretio vt 100. Etiam si in alio loco vbi abundant vendantur 50. Et in loco vbi vendantur 50. licet eas emere pretio vt 50. vendendas pretio vt 100. vbi illa valet 100: in quo omnes ita conueniunt vt nullus sit Doctor qui oppositum asserat; ergo similiter res valētes modo 100. licet modo vendere pretio vt 100. etiam si alio tempore & proximo ob venturam copiam sint vendendæ pretio vt 50. & tempore abundantiæ quo valent 50. licet eas emere pretio vt 50. seruandas in tempus quo defficient, & valebunt vt 100.

Secunda conclus. *Venditor etiam interrogatus ab emptore intelligat ne expectari copiam illarum mercium, nec tenetur illud aperire, nec minuere de pretio currenti, nisi exprimeret emptor se propterea emere & tali pretio, quia credit venditorem verum dicere.*

Probatur prior pars conclusionis: Quia iustum rerum pretium non sumitur ex ignorantia vel scientia copiæ futuræ, sed ex communi vsu fori, & æstimatione peritorū tali loco, & tempore; ergo siue venditor sciat futuram copiam, siue ignoret illam, siue interrogatus manifestet, siue occultet, vel neget, vel mentiatur, modo vendat rem sanam & pretio communi fori tali loco & tempore, vendit pretio iusto, & consequēter venditio est iusta.

Secundo, quæ non sunt de interna ratione iustitiæ seruandæ in contractu siue desint siue adsint, neque iustum illum efficiūt neque iniustum, modo adsint quę intrinsece pertinent ad illius iustitiam; de interna vero ratione iustę venditionis hęc duo tantum sunt, vt res sit vtilis & sana, & pretium iustum: nempe vel taxatum á lege, vel receptum tali loco & tempore communi vsu fori, vel ex conuentione contrahentium vbi illa duo priora deficiunt; cætera vt mendacia, occultationes, simultationes, &c. non sunt de intrinseca ratione iustæ venditionis, quando per talia mendacia vel simulationes nō vitiatur res, nec desinit vendi pretio legis aut fori, in hoc autem casu siue venditor sciat copiam futuram, siue ignoret, siue interrogatus illam manifestet, siue neget & mētiatur, res quæ venditur vt constituimus est sana, pretium quoq; quo venditur est receptum in foro; ergo venditio iusta & valida.

Tertio, quando res est defectuosa, tenetur venditor illius defectum indicare saltim interrogatus, quia nisi illum indicet censetur emptor & merito deceptus, ac rationabiliter inuoluntarius, eo quod non detur illi res quam intendit emere: intendit enim emere rem sanam & integram, traditur vero illi defectuosa & vitiata; in hoc autem casu nihil tale accidit, traditur enim illi res integra, & pretio currēti: vnde neq; in re neque in pretio patitur aliquam deceptionem, neque est censendus inuoluntarius.

Altera pars conclusionis, nempe vbi emptor de superuentura copia mercis venditorem interrogat, exprimens aperte se propterea tunc ita emere quia credit illum explicaturum veritatem, nec aliter empturum, teneri venditorem ad explicandam illi veritatem quam nouit, ita vt nisi illam aperiat, venditio sit nulla perspicua est: Quia conditio ista sic ab emptore apposita est honesta, & propterea ea deficiente contractus omnino nullus & inualidus.

Tertia conclus. *Licet quoque emptori tempore abundantiæ silere penuriam quam scit futuram, & emere pretio currenti tempore abundantiæ, quæ tempore egestatis nouit carius multo fore vendenda: siue illud sciat per diuinam reuelationem, vt Ioseph, siue per astrologiam aut scientiam adquisitam.*

Ratio est aperta, quia in his par est & æqualis conditio vtriusque partis, & ita sicut licet venditori silere copiam futuram, & vendere pretio currenti, similiter licet emptori silere inopiam futuram, & emere pretio

pretio currenti.

Ex hac conclusione sequitur, eum, qui no scit pragmaticam tritici, vel aliã similem statim variandam, posse interim pretio currenti vendere, etiam si paucis deinde diebus sit merces illa multominus valitura. Similiter habentem merces in ciuitate quam scit obsidendam, propter quam obsidionem merces illæ multum vilescent, posse ante obsidionem illas vendere tam ciuibus quã quibuscunque aliis, pretio currenti. Item scientem curiam regiam proxime discessuram ab isto loco, & ea recedente domus minori pretio locandas, posse discessum illum curiæ Regiæ occultare, domumque suam locare, pretio currenti.

Quarta conclus. *Neuter contrahentium siue emptor, siue venditor tenetur ex charitate, in casibus positis detegere copiam, vel inopiam futuram mercium.*

Quod non teneantur ex iustitia probatum est; quod autem neque ex charitate colligitur aperte ex verbis D. Tho. hîc ad 4. vbi habet emptorem aut venditorem exercere opus virtutis, & supererogationis, vel concilij, vbi illud explicaret alteri parti: at si ad id tenerentur ex charitate, non vocasset D. Tho. opus huiusmodi, opus supererogationis, & concilij, sed opus debitum & obligatorium ex charitate. Constat enim tam apud D. Thom. quam apud quoscunque DD. illa solum vocari opera concilij, quæ nullomodo sunt debita vel præcepta, neque ex iustitia neque ex charitate: quæ enim aliquomodo debita sunt, no dicuntur opera concilij, sed præcepti.

Accidere nihilominus aliquando potest, vt contra charitatem sit, non indicare emptori superuenturam statim mercium copiã, Quod ex communibus legibus charitatis quibus tenemur bono proximi consulere sine proprio damno iudicandũ est (V. g.) si intelligat Ioannes ingentem statim frumẽti abundantiam futuram, videatque simul Petrum magnam ab illo eiusdem frumenti copiam velle emere pretio præsenti, propter quod crastina die tantam patietur suorum bonorum iacturam, vt effi iatur pauper: tenebitur in hoc casu Ioannes ex charitate indicare Petro illam frumenti copiã, quæ statim superueniet, maxime si possit Ioannes triticum illud aliis sine damno suo diuisim vendere. Quod si Ioanni eo quod non vendat frumentum suum Petro, similis iactura & damnum immineat, tunc non tenebitur ex charitate illud manifestare Petro, sed potest tuta coscientia vendere illi quantum frumenti postulauerit pretio præsenti, quia nullus tenetur neque ex charitate, neque ex iustitia alteri consulere cum proprio damno in eodem genere bonorũ.

Vltima conclus. *Si venditor fraude vel dolo efficiat, ne innotescat emptoribus copia superuentura mercis, vel similiter emptor fraude vel dolo impediat, ne venditor intelligat inopiã illius mercis, quam scit superuenturam venditio iniusta est & nulla, vel statim tenebitur qui ita egit, restituere alteri damnum inde illi subsequutum.*

Patet. Primo, quia hoc in casu, quiuis isto rũ ita est alteri iniurius per illam fraudem & dolum, vt alter merito censeatur rationabiliter inuoluntarius & inuitus, & ex consequenti contractus ille nullus.

Secũdo, quia in tali casu qui nocet alteri, nocet illi cum iniuria: nocet quidem, quia si emptor intellexisset illam superuenturã copiam, ea expectata vilius emisset, similiter si venditor intellexisset illam superuenturã penuriam, ea expectata carius vendidisset, quod damnum alter alteri sua fraude infert, & eo ipso cum iniuria, cum nihil magis vnicuiq; iure naturæ concessũ sit, quam posse intelligere & admoneri ab aliis quæ sibi vtilia vel nociua esse possunt, quo iure exspoliaret emptor vẽditorem in hoc casu vel emptorem venditor.

Obseruandum autem est in fine harum conclusionum: quod recte docet Anto. Corduben. lib. 1. Quæstionarij q. 14. Pretia rerum duobus modis posse se habere, vel ita, vt merces vendendæ iam habeant in eo loco certum aliquod pretium, vel taxatum à lege, vel receptum communi vsu fori: aut ita vt nullum adhuc habeant nec à lege, nec à communi vsu fori, sed sit de nouo imponendum. Quo posito dico conclusiones hîc à nobis constitutas intelligendas esse in priori sensu, quando scilicet merces iam habent aliquod certum pretiũ, vel à lege præscriptum, vel receptum communi vsu fori: tunc enim recte ac iuste potest illud recipi à venditore, sicut explicatum est: Esto sciat proxime venturam magnam illarum mercium copiam: Quia cum sit ita taxatum vel receptum; est iustum, donec vel authoritate eiusdem Reip. vel communi vsu eiusdem fori mutetur. Si vero nondum habeant aliquod certum pretiũ neque à lege constitutum, neque currens in foro, sed adhuc constituendum & introducendum, est vera opinio Medinæ: Quia in constituendis de nouo rerum pretiis attendendæ sunt necessario omnes circunstantiæ

ſtantiæ, quarum vna eſt & digna quæ conſideretur, ſit ne illius mercis, cui pretium imponendum eſt de nouo, abſolute & ſimpliciter inopia, vel pro aliquo tantum breui tempore, ita vt ſtatim ſit habenda in magna copia.

Noui recentiores aliquos hanc diſtinctionem Cordub. reiicere, propterea quod quæ communiter (inquiunt) venduntur, cum ſint vſibus humanis neceſſaria, ſemper habent aliquod certum pretium vel á lege, vel à foro, qua ratione nūquā fere accidit vt ſit illis aliquando de nouo imponendum. Sed reuera hæc ratio leuiſsima eſt; & quæ non ſuadet vt à diſtinctione iſta Cord. erudite ab illo excogitata recedamus: Nam eſto quæ communiter venduntur, & vſibus humanis neceſſaria ſunt, vt plurimum habeant ſemper aliquod certum pretium; nonumquam nihilominus etiam accidit, vt tritico, oleo, carnibus, & ſimilibus rebus vel à principibus, vel à prudentibus iuxta anni ſterilitatem, vel abundantiam ſint quādoq; de nouo pretia imponenda: quo caſu veriſſima eſt iſta ſententia Cordubæ, attendendum maxime eſſe, ſit ne ſtatim ſuperfutura illarum mercium abundantia, tamquam vna ex circunſtantiis maxime conſiderandis ad imponenda de nouo pretia rebus.

Nunc ad argumenta Medinæ.

Ad primum Reſp. emptorem tunc ſolū eſſe rationabiliter inuoluntarium, quando patitur aliquam iniuriam vel læſionem, quā reuera in hoc caſu non recipit, quia omnis læſio aut fit in re, aut in pretio, in hoc autem caſu traditur illi res perfecta & vtilis, vt ſupponimus, & pretio iuſto, nempe communi vſu fori: & ita irrationabiliter eſſet inuoluntarius. Quæuis enim res venalis tantum valet, eſto agnoſcatur copia illius ſuperuentura, quantum valebat antequā agnoſceretur, donec copia illa omnibus innoteſcat, & per communem illius noticiam pretium illius rei actu minuatur cōmuni vſu fori, quam publicam noticiam non tenetur venditor facere.

Ad 2. Conſtat iam ex primo art. pretium fori ſummi præciſſe ex tēpore omnino præſenti, tali hora & loco, vnde licet in aliis rebus & actionibus quod breui tempore diſtat, nihil diſtare videatur: In pretiis autem quæ ſumuntur ex vſu fori, vel vnius horæ diſtantia plurimum refert, cum intra horam poſsit mutari fori vſus, & cum ipſo pretium rei. Poteſt enim poſt horam vel intra illam abundare res cuius antea erat penuria, ita vt quod ante illam horam licebat, deinde non liceat, ſicut accidit in nūdinis: Quo fit, vt copia futura etſi iam immineat, nō mutet pretium, donec actu exiſtat, & actu per illam mutetur pretium fori.

Ad 3. Dico, pretium iuſtum ſumi ex communi vſu & æſtimatione fori etiam ſi fallantur mercatores illud conſtituentes, nō enim eſt attēdendum quomodo ſit introductus talis forus, ſed quid ille habeat modo non ſit introductus fraude vel dolo venditoris.

Ad 4. Reſp. vendentem rem bonam & ſanam, eo tempore quo vendit, eſto ſciat per aſtrologiam, vel reuelationē ſtatim poſt venditionem futuram inutilem, vel perituram, poſſe illam nihilominus vēdere, pretio currenti eo tempore quo vendit, tacito illo ſecreto, vt qui venderet equum, quem ſciret die ſequenti ictu fulguris periendum, modo tempore ipſo venditionis exiſtat ille ſanus & bonus. Similiter qui daret pecuniam quam ſciret ſtatim à Rege inualidandam; ſi tempore quo eam confert illa valida eſt & vtilis, recte fieri quia & iudex iuſte iudicans recte preciperet per illam fieri debitam ſolutionem. Si vero intelligatur equus ille ex morbo aliquo proxime periturus, cum vitium illud ſit illi intrinſecum & actu preſens, propter quod redditur inutilis aut periculoſus, tenetur venditor illud manifeſtare. Et ſimiliter ſi moneta intelligeretur inualidāda propter aliquem intrinſecum illius defectum in ſubſtantia vel pondere, quia res habens in ſeipſa vitium intrinſecum cum in eo tempore quo venditur iam reuera & à parte rei minus valet: & propterea venditor, qui interrogatus non manifeſtet illud, decipit cum iniuria emptorem, eſtque emptor cenſendus per tale damnum rationabiliter inuoluntarius. In noſtro autem caſu venditur res ſana, & pretio ipſo tempore venditionis iuſto, quia currenti, nec copia futura aliquod vitium tribuit rei, cum ſit illi maxime extrinſeca. Nec valet dicere illum venditorem irrogare iniuriam Reip. & toti communitati occultando illam futuram copiam, quia nullam cōmittit fraudem, nec facit alicui iniuriam qui vtitur iure ſuo, quo certe vtitur venditor in iſto caſu, cum vendat rem bonam & ſanam, ac pretio iuſto, tunc ſcilicet ita currenti.

Eodem modo ſoluitur quintum, nō enim tenetur (vt conſtat) venditor, ad manifeſtandam illam pragmaticam.

Ad 6. Dico, numquam peritos in hac arte

arte negotiatoria iudicare superuenturam copiam, donec sit actu existens & publicata, minuere pretium, aut mutare vsum fori.

Ad vltimum Resp. plurimum interesse inter venturam rerũ copiam, & libri prohibitionem, quia nullus liber prohibetur nisi propter aliquam doctrinam falsam, vel periculosam, aut aliqua ratione nociuam in eo contentam, quod vitiũ & damnum est illi intrinsecum, ita vt licet prohibitio sit futura, vitium tamẽ vel damnum propter quod prohibetur, sit iam illi intrinsece præsens, quã de caussa deceptio est & dolus illa occultata librum illum alteri vendere, futura vero mercis alicuius copia, & venditori nota non est defectus rei quam habet venalem pretio currenti communi vsu fori, nec quid illi intrinsecum, quod teneatur ementi indicare.

Ad arg. in. Conradi Resp. plurimum etiam distare inter ignorantiam peregrini & exteri aduenientis in locum, in quo res aliqua iam vilius venditur propter actualem & præsentem illius abundantiam, & ignorantiam quam habet emptor de copia rei à se emendæ adhuc superuentura: quia etsi peregrinus aduenìens existimet rem illam carius vendi sicut ante solebat, nihilominus carius illud pretium quo antea vendebatur, reuera iam non est iustum, sed illud tantum quod deinde imminutum est, & receptum communi vsu fori: qua de caussa non potest venditor nisi illud tantum sic iam diminutum recipere, cum nullus possit aliter iuste vendere quam pretio iusto. At pretium quod res habet communi vsu fori, donec adueniat actu illa abundantia mercis quæ superuentura creditur, & propter quam prius illud pretium actu quoq; vsu eiusdem fori minuatur, iustum est, & ita licet venditori illud recipere, nec tenetur emptori illam abundantiam futuram indicare. quia officium eius vt recte admonet hic D. Thom. solum est res suas bonas & integras vendere pretio iusto tali loco & tẽpore, minime vero prædicere futura.

ARTICVLVS IIII.

AN LICEAT NEGOTIANdo aliquid carius vendere quã sit emptũ.

REVOCANDA est hic in memoriam distinctio illa rerũ qua primo tomo. vsi sumus, vt quę dã sint intrinsece bonæ, quæ nunquam possunt male fieri, vt amare Deum: aliæ intrinsecem male, quæ nunquam possunt bene fieri, vt fornicari, mentiri: aliæ indifferentes, quæ possunt bene & male fieri, nullamque simpliciter sumptæ præseferunt honestatem, aut turpidinem, vt ambulare; aliæ vero quæ habent quidem speciem mali, & simpliciter sumptæ præseferunt quãdam turpitudinem, non tamen sunt intrinsece malę, sed possunt aliquando bene fieri, & ex fine vel alia circunstantia honestari, vt occidere hominem.

Quo posito obseruemus primo. Ex Arist. 1. Polit. c. 6. duplicem esse negotiationẽ, aliam quæ velut quidam contractus naturalis est & ad vitam humanam necessarius, vt contractus emptionis, quo, vel res pro rebus, vel res pro pecuniis commutantur: quę vel exerceretur à magistratibus vt habeãt necessaria suę Reip. vel à priuatis vt habeãt necessaria suis domibus & familiis. Alia vero quæ non fit ad comparanda necessaria vitæ, sed ad quæstum tantum & lucrum. Qua de caussa diuiditur negociatio in Politycam, qua gubernatores Reipub. annonam & victum suis ciuibus prouident, Oeconomicam, qua Pater familiæ suis domesticis necessaria parat, & lucratiuam, qua mercatores emendo & vendendo lucra solum inquirunt; quę alio nomine dicitur mercatura, & hæc proprie est negociatio: Dicitur enim negociatio, à latinis quasi negatio otij & quietis, quod maxime conuenit mercaturæ: quamuis enim omnis humana ocupatio aliena sit ab otio & quiete, mercatura tamen est quæ maioribus curis, & solicitudinibus abundat, minusque haotij & quietis: cũ adeo instet diuitiis, & in eis cõparãdis quas merito Christus Dominus spinis assimilauit, versetur. Quofit vt licet litigãtes, & ambientes honores, munera publica, beneficia, & similia dicantur etiam negotiatores, præceteris tamen hoc nomen conuenit exercentibus mercaturam; & ementibus merces vt easdem cum lucro & questu deinde vendant. Vnde dicuntur mercatores, negotiatores, & institores: Mercatores quia emunt vt publice deinde vendant: locus enim publice emptionis & venditionis dicitur mercatum, ipsi vero non emunt in vsum suæ familiæ, sed vt in mercato res constituant vendendas. Dicuntur coemptores quia ex multis locis colligunt res emendas in sua officinas: Negotiatores etiam, Matth. 13. *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori*, id est mercatoris; quia instant negotiis: nullus enim maiori cura negotiis instat quam mercator,

vnde ad insinuandum quanta cura debeat fidelis saluti animę suę intendere, & incũbere, dicitur. Prouerb. 2. *Si quæsieris eam quasi pecuniam, &c.* à Christo Luc 19. *negotiamini dum venio.*

Obseruemus secundo, ementes res iterũ vendendas bifariam posse se habere; nam vel emunt illas, vt mutatas sua opera & arte reuendant, quomodo fulones emunt lanas ex quibus conficiunt pannos; fabri emunt ligna, vt inde conficiant arcas lecticas, &c. Alij vero emunt res vt easdem in eodem vel diuerso loco vendant nulla ratione vel parum tantum mutatas. Priores illi non sunt dicendi mercatores; sed artifices, nec contractus eorum est negotiatio, sed ars mecanica: posteriores vero sunt proprie mercatores, & exercentes negotiationem, vt experientia constat: & habetur dist. 88. cano. Eiiciens. De artificibus qui res arte sua mutatas vẽdunt nulla est quęstio, certissimum enim est posse illos quæ vilius emerunt carius vendere, cum suas operas & labores in eis vendant. Neque est quęstio de illa negotiatione, qua emuntur necessaria Reipub. vel proprię familię, quam, certum est, non modo licitam verũ etiam maxime necessariam esse, & naturali lumine introductam: Sed tota quęstio est de negotiatione, qua res emuntur vt eædem immutatę carius vendantur ad comparandum lucrum, quę dicitur mercatura.

Obseruemus tertio, negotiari ob lucrum tantum non esse intrinsece malum, cũ possit bene fieri, ab eo qui intenderet quidem lucrum, sed animo firmiter deliberato nullam iniustitiam vel culpam committẽdi, Nihilominus cum negotiatio ob lucrum tantum præseferat cupiditatem quandam, & auaritiam, quæ sunt maxima vitia dicente. Paulo 1. ad Timot. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Et ad Coloss. 3. *Auaritia quod est idolorum seruitus*, propterea sic negotiari præseferre turpitudinem quandam. Tum etiam, quia in moralibus vt docet idem D. Tho. 1. 2. q. 18. art. 9. licet actus aliquis secundum suam substantiam & specifice sumptus possit esse indifferens, at in indiuiduo sumptus & a parte rei vt exercetur hic & nunc, necessario debet esse bonus vel malus, turpis vel honestus: ita vt si secundum se bonus non sit, eo ipso præseferat malitiam aliquam & turpitudinem, Et ita cum negotiatori tantum ob lucrum, secundum se sumptum non dicat aliquam bonitatem vel honestatẽ, eo ipso præseferat malitiam, & turpitudinem cupiditatis.

Sit prima conclusio. *Negotiatori emendo ad comparanda necessaria suæ communitati, vel familiæ, laudabile est, & honestum.*

Hæc non indiget probatione, cum constet ex dictis huiusmodi negotiationẽ deseruire naturali necessitati.

Secunda conclusio. *Negotiari tantum ob lucrum, habet speciem mali, & præseferre quandam turpitudinem.*

Sic enim intelligendus est D. Thom. cum dicit hanc negotiationem secundum se consideratam habere quandam turpitudinem, non enim significat illam habere intrinsece, nam ita esset intrinsece mala, nec posset vllomodo benefieri, aut honestari ex circunstantia, cuius oppositum asserit in tertia conclusione quam statim subiiciemus.

Conclusio autem hæc sic explicata constat satis ex tertia notatione: & confir. ex Arist. Ars quæ non habet certum, præfinitum, taxatumque finem, videtur illicita & turpis, negotiatio quæ fit ob lucrum tantum huiusmodi est, quia lucrum & lucri cupiditas non habet præfixum terminũ & finem, ergo.

Ex hac conclusione D. Thom. sequitur primam conclusionem Magistri Soto lib. 6. de iustitia q. 2. art. 2. vbi asserit mercaturam esse rem indifferentem, quæ potest bene & malefieri, sicut comedere, correctione indigere. Hoc enim conuenit quidem negotiationi illi, quam vocamus cum Arist. necessariam & naturalem, illa enim cum nullam habeat speciem mali, sed possit bene vel male fieri, est reuera indifferens: at negotiatio quæ fit ob lucrum tantum, de qua hic agimus, ex D. Tho. in hac secunda conclusione modo posita non est ex earum rerum genere, quę dicuntur indifferentes, sed ex illis quæ habent speciem mali, & præseferunt turpitudinem. Nec est accommodatum exemplũ, quo vtitur Soto, quia comedere est actus necessarius vitæ, & cum nullam habeat ex se speciem mali, est reuera indifferens: negotiari vero, vt hic loquimur de negotiatione, non est actus necessarius vitæ, nec solum indifferens, sed habens speciem mali. Vnde in Euangelio *comedere* dicitur aliquibus simpliciter, *negotiari* autem non dicitur simpliciter, sed metaphorice tantum & per translationem à negotiis & lucris secularibus ad spiritualia, vt in locis adductis *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, &c.* Et alibi. *Negotiamini dum venio, &c.*

Tertia conclusio. *Negotiatio quæ mercatura*

tura est, & ob lucrum tantum, potest ex fine & circunstantiis honestari.

Probatur à D. Thom. sic: Quæ non sunt intrinsecè mala, licet habeant aliquā speciem mali, possunt in finem bonū referri, & seruatis debitis circunstantiis honestari, vt occisio hominis: lucrum etsi habeat speciem mali, quia non præsefert aliquid honestū, & necessarium, sed quandam cupiditatem, non tamen est intrinsecê malum, nec includit in se aliquam iniquitatem aut malitiam intrinsecè, nisi ab extrinseco, & per accidens ei adueniat, vitio & culpa mercatoris; ergo si referatur in bonum & honestū finem, seruenturq; in eo adquirendo debitæ circunstantiæ, poterit eo nomine honestari: hoc autem licet; Poterit enim inprimis mercator qui ob lucrum tantum negotiatur, intendere illud, vt se suamq; familiam ex illo lucro sustentet, & pauperibus subueniat, quin etiam vt ea via patriæ suæ nō desint merces necessariæ, qui fines honestissimi sunt. Potest secundo, obseruare diligenter omnes circunstantias, quæ ad iustam negotiationem exiguntur, sic quærendo lucrum, vt nullum diuinū præceptum vel Ecclesiæ in suo negotio violetur; nec vlla iniquitas in eo exerceatur: quin potius tāta æquitas, vt si quæ casu accidat, cum facile homines labantur, statim illa per satisfactionem compensetur. Sicut ille mercator qui dicebat Christo Luc. 18. *Ecce dimidium bonorum meorū do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui reddo quadruplum.*

Circa hunc articulum nonnullæ sese offerunt optimæ controuersiæ; sed inprimis expendenda magis est doctrina D. Tho.

Controuersia. I.

AN NEGOTIATIO QVAE *exercetur tantum propter lucrum, quam dicimus mercaturam, sit intrinsece & secundum se mala, vel habeat tantum speciem mali, ita vt possit honestari.*

Videri quidem alicui posset intrinsece & secundum se mala & illicita. Primo. Ex Arist. loco citato: Ars quæ non habet præfinitum ac certum terminum & finem, mala est & illicita; huiusmodi autem est mercatura, cuius finis est solum lucrum, constat enim lucrum, quod ab hominibus maxime negotiatoribus appetitur, nescire terminū, iuxta illud Poetæ: *Crescit amor nummi quantum & pecunia crescit.* In quo etiam sensu intelligunt multi illud Prouerb. 30. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes affer affer*, Et sapientissimus Solon vt mercaturam expertus dicebat: *Desiderium mercatoris carere regula, mensura, & termino.* Et cōf. nam appetitus lucri & diuitiarū iuxta B. Pau. 1. ad Thimotheum 6. *Est radix omnium malorum, ita vt qui volunt diuites fieri, incidant in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua; quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Eccles. 27. *Qui quærit locupletari, auertit oculum suum* intellige à lege Dei, & subiungit, *sicut in medio compaginis lapidum, sic inter mediū venditionis, & emptionis angustiabitur peccatis.* Et cap. 26. *Duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerūt, difficile exuitur negotians à negligentia*; intellige in obseruandis præceptis iustitiæ, *& non iustificabitur caupo a peccatis labiorum.* Videmus etiam mercatores cito & plerosque eorum quasi per momenta temporū ditescere, dicitur autem Prou. 10. *Qui festinat ditari non erit absque peccato.*

Secundo, hæc ars est maxime nociua Reip. nam huius artis occasione experientia teste, merces coacertuantur, & recludūtur; qua via crescunt in immensum illarū pretia.

Quod si dixeris Remp. pati hanc artem, quia cum non omnes Prouinciæ abundent omnibus mercibus, per mercaturam quæ in vna prouincia deficiunt, ab alia in qua illę abundāt in eam asportantur. Hęc ratio non reddit mercaturam licitam. Primo, quia multa permittit Resp. vt sibi necessaria, quæ tamen illicita sunt, vt publicas meretrices. Secundo, quia potest Resp. sine mercatoribus per suos ministros iusto stipendio illis exhibito, merces necessarias sibi prouidere: vt faciunt nonnullæ Resp. quarum magistratus assignant ministros, à quibus quærantur triticum, oleum, & similia suæ communitati necessaria.

Tertio, negotiatio hæc ex D. Thom. hoc loco non solum habet speciem turpitudinis, verumetiam ex se dicit turpitudinem. Vnde sic argumētor, negotiatio ista ex suo genere suoque fine habet & dicit turpitudinem; ergo ex suo obiecto habet turpitudinem, nam in moralibus idem sunt obiectum & finis: quod autem ex suo obiecto malum est &, turpe est ex suo genere malum, & intrinsece malum, nec potest vllomodo honestari, erit ergo mercatura intrinsece mala.

Vltimo negotiatio ista de qua agimus audit

audit male in sacra Scriptura: Psalmi 70. *Quoniam non cognoui litteraturam*, legunt 70. negotiationem, *Introibo in potentias Domini*: id est, potero accedere ad tabernaculũ Dei. Et subiungit statim: *Domine memorabor iustitiæ tuæ solius*. Vbi quædam Glossa: *Quia iustitia mercatorum non sit iustitia, adiectum est Domine memorabor iustitiæ tuæ, &c.* Esaiæ. 47. Inter alia propter quæ minatur Deus se recessurum à suo populo, proponit iniquitates mercatorum, dicens: *Negotiatores tui ab adolescentia sua vnusquisque in via sua errauerunt.* D. Chrysost. & habetur Dist. 88. Cano. Eiiciens, considerans illud factũ Christi, quando eiecit ementes & vendentes de templo, ait: *Eiiciens Dominus mercatores de templo significauit, quod mercator nunquam potest placere Deo: & ideo nullus Christianus debet esse mercator, aut si voluerit esse proiiciatur de Ecclesia, dicente Propheta quoniam non cognoui litteraturam, &c.* D. Greg. Homilia 24. in Euangelia quærens cur B. Petrus post Christi resurrectionem redierit ad piscandum, Matthæus vero non redierit ad negotia, Respondet: *Quia aliud est victũ per piscationem quærere, aliud vero Thelonei lucris pecuniam augere: sunt enim* (ait) *pleraque negotia, quæ sine peccatis exerceri aut vix, aut nullatenus possunt*: Quasi dicat, qualia erant quæ Mathæus exercebat, & quia hęc ad peccata implicant, ideo necesse fuit, vt ad ea Matthęus post conuersionem non rediret. Leo Papa Dist. 5. Can. Qualitas. *Difficile inquit est, inter ementes & vendentes non interuenire peccatum.* Et Cano. Falsas ait B. Grego. *Ad veram pœnitentiam peruenire non possunt, qui negotia non relinquunt.* Et ibidem ex concilio Aureliano damnatur, qui ad negotia secularia post actam pœnitentiam redeunt.

Sunt etiam aliqui ex peritissimis hebræorum, qui vocem *horebim*, qua vtitur scriptura 3. Regum 17. referens coruos afferentes Eliæ alimoniam, tria significasse iuxta proprietatem illius idiomatis docent, coruum, mercatorem, & latronem: quasi innuant vox illa, mercaturam innumeris fraudibus & latrociniis patere. Saltim Rabbi Ioseph Kimchi exponit eo loco mercatores siue negotiatores.

Ad intelligentiam huius quæstionis obseruemus. Primo, quod constat ex doctrina D. Tho. in hoc art. ad 1. negotiationem proprie dictam, quæ respicit lucrum, quam vocamus mercaturam, dupliciter posse considerari: vno modo speculatiue & secundũ suam naturam specificam, vt negotiatio est: alio modo practicè, pro vt exercetur in particulari, cum his aut illis circunstantiis, ab his hominibus, hoc modo, hoc loco & tempore, & ob talem finem. Siquidem consideretur speculatiuè & secundum suam naturam, habet speciem mali, sicut & finis ipsius nempe appetitus lucri: qui primo aspectu, vt vidimus, nihil aliud habet quam speciem cupiditatis, & auaritiæ. Si vero sumatur practice, & in particulari, & in actu, vt dicunt exercito, non solum habet speciem mali; verum etiam est omnino & realiter aliquando mala, vt quando ordinatur ad aliquem malum finem, vel negotiator sistit in solo lucro, tanquam in solo suo vltimo fine; aliquando vero est licita & bona, vt si ordinetur in aliquem bonum finem, seruenturq; omnes debitæ circunstantiæ, & cõditiones, vt constat ex tertia conclusione D. Tho. & solutione ipsius hic ad primum Cuius doctrinæ fundamentum est quod diximus ex eodem D. Tho. 1. 2. q. 18. art. 9. nullum actum humanum à parte rei & indiuiduo esse indiferentẽ; sed necessario debere in particulari bonum esse, vel malum.

Obseruemus 2. Negotiatorem tribus modis posse negotiari propter lucrum. Primo, ita vt lucrum sit finis quidem ipsius negotiationis, quia propter illud excercetur, minime vero negotiatoris, quia animus eius nõ sistit in lucro, sed refert illud in alium vlteriorem finem bonum vel malum. Secundo modo potest negotiari propter lucrum, ita vt illud non solum sit finis negotiationis, verum etiam & negotiatoris ipsius appetentis illud tamquam vltimum finem: Quod intelligetur à posteriori, quando scilicet magis diliget lucrum, quam Deũ suum verum vltimum finem: paratusque est præcepta Dei & Ecclesię contemnere quotiescunque lucrum eius impedierint, quod est peccatum mortalę auaritiæ, vt ostendit D. Thom. infra q. 118. In quo sensu vocat B. Paulus auarum idolatram cum ait: *Auaritia quod est idolorum seruitus.* Quia auarus constituit sibi pecuniam & lucrum vt suum vltimum finem, præferens illud diuinis pręceptis. Constituere enim aliquam creaturam sibi vltimum finem ex eodem D. Tho. non est credere illam esse suum vltimum finem, hoc enim esset credere illam esse Deum, quod iã non pertineret ad peccatum auaritiæ, sed infidelitatis & hæresis, (loquimur autem

hic de negotiatoribus auaris Christianis) sed est in suo amore creaturā illam ita Deo præponere & præferre, vt eligat potius, qui illā sibi constituit vltimum finem, Dei amicitiā amittere, & illius mandata violare, quam creatura illa priuari. In quo sensu dixit etiā idem Paulus de Gulosis: *Quorum Deus venter est*, non quod credant ventrem suū esse Deum, sed quia parati sunt ventri suo potius indulgere, quam Dei & Ecclesiæ suę prę cep ta sub mortali obligantia obseruare. Tertio modo, potest lucrum esse finis non modo negotiationis, verum etiam negotiatoris, non tamen vltimus. Finis quidē, quia appetit lucrum propter se ipsum, nec illud in alium vlteriorem refert: non tamē vt vltimum, quia appetit ita lucrum, vt habeat simul animum firmum & deliberatum, nullomodo transgrediendi aliquod præceptum Dei vel Ecclesiæ propter illud, quo modo appetere lucrum non est mortale, sed veniale tantum ex suo genere.

Primo, quia vt docet ibidem D. Thom. in illa q. 118. hæc cupiditas lucri nō est pro prie auaritia, quæ ex suo genere est peccatū mortale, sed solum est quædam cupiditas & nimius pecuniæ amor, qui opponitur liberalitati, pertinens ad vitium illiberalitatis: quia cùm liberalitatis sit appetere pecuniam ad illam honeste expendendam, quotiescū que illa appetitur propter se & non ad honestas expensas, si quidem ita appetatur vt pręferatur diuinis mādatis, est auaritia: quod si non pręferatur illis solum est illiberalitas quę pec. venia. tantum est,

Secundo, quia actionis humanæ bonitas vel malitia ita est sumenda ex fine, & obiecto ipsius, vt quando finis est honestus, ipsa quoque ex suo genere honesta fit, quando finis intrinsecè turpis, ipsa quoq; turpis & mala ex suo genere, quando vero finis non est ex se honestus & bonus, licet nō sit intrinsecè malus, actio illa similiter ex suo genere neque sit omnino mala & mortalis, cum finis ipsius non sit intrinsece malus; nec omnino bona cū finis eius non sit ex se honestus, sed venialis ex defectu finis honesti: vt deambulatio quę neq; fit ob finem honestum, neque ad finem turpem, sed propter se tantum, quia est otium, quod ex suo genere est veniale. Ita in proposito cum lucrū ex se non sit finis intrinsecè malus, quia potest referri in alium bonum finem, nec secūdum se honestus & bonus, quia nullam habet ex se bonitatem, nisi illam ab aliquo alio fine in quem referatur accipiat; imo secundum se sumptus pręseferat quandam turpitudinem cupiditatis, efficitur consequenter, vt negotiatio propter solum lucrum ex suo genere non sit bona; cum lucrum ex se non sit quid bonū: nec mala, cum lucrum ex se non sit intrinsecè malum: sed est ex suo genere venialis.

Obiiciet tamen aliquis contra primū ex his tribus modis hac ratione. Docet D.Tho. 12. q. 1. art. 6. omnes humanas operationes fieri propter finem, vbi intelligit finē operantis, sed negotiatio operatio quædā humana est, debet ergo in ea quoq; idem esse finis negotiationis ipsius, qui & negotiatoris Respondeo duplicem esse relationē humanæ operationis in aliquē finem; aliam in finem proximum & per se propriū illius operationis, aliam vero in finē remotum, & indirectū, siue reductiuum: vt in actu abstinentiæ, finis proximus & per se istius actus (V. g.) ieiunij est maceratio carnis, remot⁹ vero vel indirectus erit parcimonia, in eo qui hoc fine ieiunaret, vt minus expendat. Ita in proposito finis per se & directe negotiationis est lucrum, hoc enim habet ipsa ex suo genere, vt sit medium ad lucrandum: potest autem reductiue & remote habere alium finem intentum à negotiante. Quando D. Tho. ait operationes humanas fieri propter finem intelligit quidem de fine operantis, nō tamen negat quin ipsæ ex suo genere possint habere alios fines sibi proprios, quos forsan ipsi operantes non respiciunt vt fines, sed vt media ad alios fines ab ipsis intentos.

Ex his fit Prima conclus. *Negotiatio speculatiue sumpta & secundum suam naturam on est intrinsece mala, habet tamē speciem mali.*

Sicut & finis eius nempe lucrum secundum se sumptum non est intrinsece malum, habet tamen speciem mali, vt recte docet secunda conclusio D. Tho.

Secuda conc. *Negotiatio in particulari & in indiuiduo sumpta, est necessaria bona vel mala.*

Patet. Si lucrum quod per eam intenditur referatur vlterius in aliquem bonum finem, seruenturque debitę circunstantiæ est bona & honesta; si vero referatur in aliquē turpē & malum finē, aut exerceatur cum indebitis circūstantiis, est mala, & turpis pro ratione illius finis, vel circunstantiæ.

Tertia conclus. *Propter solū lucrum suscepta ita vt in nullum alium finē lucrum illud a negotiatore referatur, sed propter seipsum tantū appetatur, si quidem appetatur vt vltimus finis, præferendo illud diuinæ amicitiæ, diuinisque præceptis est peccatum Mortale: Si vero nec diuinæ amicitiæ, nec præceptis Dei anteponatur, licet propter se ipsum appetatur, si cum firmo*

tamen

tamen proposito non violandi aliquod diuinum præceptum: peccatum veniale tantum est.

Quod negotiatio posit bene fieri, doctrina est D. Augustini Dist. 88. Canone Fornicari: vbi ait *Fornicari, semper non licet, negotiari vero aliquando licet, aliquando non, antequam fias Clericus licet facto Clerico non licet.* Rationem vero cur negotiari liceat, reddit ibi D. August. Quia lucrum quod quærunt mercatores, censendum est velut merces, & stipendium laboris sui.

Dignus autem est mercenarius mercede sua.

Secundo, si damnanda esset negotiatio, certe vel ratione sui, vel ratione mendaciorum & fraudum, quæ negotiis permiscetur, vel ratione lucri cui negotiatores intendũt. At nulla istarum rationum damnanda est. Non ratione sui, cũ non sit intrinsece mala, sed posit bene fieri; nec ratione mendaciorum, & fraudum, quæ illi permiscentur: hæc enim vt ait D. August. Cano. Quoniam Dist. 88. negotiantis vitia sunt non negotij. *Negotium* (inquit ibi August.) *non facit me malum, sed iniquitas mea.* Aliter vt ibidem recte colligit August. damnandæ essent omnes artes mechanicæ, cum in earum exercitio soleant hominum vitio similia peccata passim misceri. Neque est illicita ratione lucri quod per illam quæritur; cum posit vt ex dictis constat, lucrum istud honeste quæri, non tanquam finis vltimus, sed in ordine ad alios fines honestos & optimos.

Deniq; non est damnanda cum sit adeo necessaria Reip. vt sine ipsa ea quibus ciues maxime indigent, haberi non posint. Etenim si vnaquæque Resp. haberet secum omnia victui humano necessaria, aut quiuis posset, quæ patriæ suæ non producũtur aliunde sibi comparare, parum egeremus mercatoribus: at cum neq; singulæ Resp. sibi sufficiant, paucisimi quoq; sint, qui valeãt ex alienis prouinciis, ea quibus egent, habere, fuit omnino Reip. & conuictui humano necessaria negotiatio, & mercatura. Vnde illud Poetæ lib. 6. Georgi.

India mittit Ebur, molles sua Thura Sabei,
Aut Calibes nudi ferrum: virosaq; Pontus,
Castorea, Eliadum Palmas, epiros equarum.

Hac de caussa in Insula Rhodo maximus fuit antiquitus mercatorum vsus, & ea ratione magnum quoque illius insulæ nomẽ, iuxta illud Horatij. *Laudabunt alij claram Rhodum aut Mytilinen.* Vnde & ab eadẽ naualium comerciorum leges dictæ sunt Rhodiæ, vt habetur Cano. Rhodiæ Dist. 2. Hoc nomine mercatoribus, qui vere mercaturam exercent, necessaria ad victum humanum huc illucque transferentes plurimum fauendum esse, & remuneranda premiis eorum pericula, docent optime Bartho. in l. Ambiciosa. num. 23. ff. de Decre. abor. fa. Accursius in l. Vni. in verbo locorum. Cod. de nundi. Iuxta ea quæ habet Iurisconsul. in l. Semper §. Negotiatores. ff. de Iure immun. Plinius victus caussa mercaturam inuentam multis in locis scribit, Et summæ prudentiæ atque authoritatis fuisse apud Græcos. Idem videtur docere Plato Dialogo 2. de Rep. vel de Iusto. Et Cicero pro lege Manilia.

Veteres etiam Philosophi, vt rem sibi aliisque maxime vtilem negotiationẽ exercuerunt. Refert Plutarchus in vitia Solonis illum adhuc iuuenem ad mercaturam se cõtulisse. vbi habet hæc verba: *Mercatura autem ad barbarorum necessitudines: Regumque amicitias comparandas plurimum valere putabatur. Ex eadem quoque homines multarũ & maximarum rerum vsum, experientiumque percipere: ex quibus nonnullos maximarum vrbium conditores extitisse vt Massalias primus qui a Celthis iuxta Eridanum maxime obseruatur. Thalem quoque, & mathematicum Hippocratem mercaturam exercuisse ferunt. Platoni etiam olei in Aegyptum exportationẽ peregrinationis viatirum sub petisse.* Hæc ibi Plutharcus.

Qui plura in commendationem mercature desiderat, legat Augustinum Dathum lib. 3. oratione 9. Cassancum in catha og. Gloriæ mundi par. 11. consideratione 45. Andream Tiraquel. de nobilitate cap. 33. & Benuenutum Stracham in suo erudito tractatu de mercatore.

Dixi me habere hic sermonem de his qui vere mercaturam exercent necessariã ad victum humanum, hucillucq; merces asportantes: Nam de his qui merces emunt, colligunt, & recludunt, vt easdem omnino immutatas in eodem loco carius multo, deinde vendant, quos promercatores dicimus, Hispanę *recatones*, apud nos *Agabelladores*, quam pestilentes sint Reip. & quã indigni mercatorũ nomine, inferius dicemus, agentes de contractu eorum qui fructus annuos Principũ, vel Prelatorũ, vel Ecclesiasticorũ emunt quem Hispanę dicimus *arrendar.*

Nunc ad argumenta initio proposita.

Ad 1. Dico recte Aristotelem dãnare eo loco artẽ, cuius finis non est certus ac definitus, & ita mercaturã quę propter solum lucrum vt suũ finem exercetur, malã esse ex

suo genere: vel mortaliter, vel venialiter, vt expofuimus; nihilominus poteſt recte exerceri, ſi lucrum illud referatur in aliquem finem honeſtum, ſeruenturque debitæ circũſtantiæ. Ad confirmationem ibi adhibitam ex variis ſacræ Scripturæ teſtimoniis in ſolutione vltimi argumenti reſpondebitur.

Ad 2. Reſpondeo, illa nocumenta quæ videtur mercatura inferre Reip. non eſſe vitia illi intrinſeca, cum poſsit iſta ars recte exerceri; ſed eſſe vitia mercatorum: quo circa propter fraudes & dolos mercatorum non eſt ars ipſa Reip. adeo neceſſaria, damnanda & reiicienda. Cũ enim (vt diximus) multa vnicuique prouinciæ deſint, quæ in alia abundant, beneficio mercaturæ afferuntur ſingulis quæ illis deſſunt, quæ priuati non poſſent ſibi facile comparare. Ad replicam quoque illam Reſp. in aliquibus rebus poſſe Magiſtratus per ſuos miniſtros Reip. ſuæ prouidere, vt in tritico, oleo: at non in omnibus: Etenim aromata, papirum, panni, & merces lineę & aliæ quæ per minutiores partes ciuibus venduntur, experientia teſte commodius aſportantur á mercatoribus: vel áſportatis illis à dominis ſuis in portu, commodius eſt Reip. vt mercatores illas in magna quantitate emant ciuibus deinde per minutiores partes vendendas. Quin & triticum etiam, & oleum, carnes, & ſimilia, vtiliſsimum eſt Reip. vt ipſa per ſuos miniſtros ea prouideat, & mercatores quoque exiſtant illa mari vel terra deferentes, vt ſic rebus adeo neceſſariis Reſp. magis abundet, & vilius ac commodius illæ à ciuibus emantur.

Ad 3. Explicauimus iam in ſecunda conclusione D. Tho. qua ratione Doctor ſanctus ſit intelligendus, quando aſſerit negotiationem habere turpitudinem: Etenim ſi ſumatur in communi & ſpeculatiuè dicit quidem ſpeciem turpitudinis, non tamen eſt intrinſecè mala. Quod ſi in particulari & practice, ſi referatur in finẽ honeſtum, eſt honeſta; ſi in ſolum lucrum eſt turpis, & ex ſe mala mortaliter vel venialiter, vt expoſitum eſt, & hoc modo ait S. Tho. ipſam dicere turpitudinem: nempe vt refertur in ſolum lucrũ. Quod vero ſimpliciter & ſpeculatiuè ſumpta, licet habeat ſpeciem male, non ſit intrinſecé mala, iuxta D. Tho. patet ex ipſo, cum in tertia concluſione doceat poſſe ipſam ex fine honeſtari, quod autem eſt intrinſece malum nullomodo, neque ex fine, neque ex aliqua alia circunſtãtia, honeſtari poteſt.

Ad 4. Eadem eſt ſolutio, negotiationẽ in particulari neceſſario aut bonam eſſe aut malam, bonam cum ita fit propter lucrum, vt ordinetur illud tamquam medium ad aliquem honeſtum finem: Malã vero mortaliter vel venialiter quando exercetur ob ſolum lucrum.

Ad vltimum Reſp. negotiationem male audire in ſacris literis, & apud ſanctos Patres; non quidem quaſi ipſa ſit intrinſece mala & peccatum; ſed partim propter vitia negotiatorum, partim quia eſt expoſita multis periculis, partim vero & potiſſimũ quia à pleriſque non exercetur propter lucrum vt medium ad aliquem finem honeſtum; ſed propter lucrum tamquam finẽ potiſsimum. Quod ex eo conſtat, quia ſi non appeterẽt mercatores lucrum propter ſe ipſum, ſed uel ad vitam honeſte tranſigendam, vel ad iuuandos pauperes, vel ad prouidendum Rep. contenti eſſent moderato lucro, nullis dolis aut mendaciis vterentur, nec eſſent ita ſoliciti de augendis rerum vretiis, pauperibus in pretiis ſe accommodarent: quando Remp. viderent egere curarent diligenter illam abundare mercibus vndequaque quęſitis: Experimur autem illos his contraria omnino eniti: nullis enim lucris ſatiantur, pretia augere continuo cõtendunt, quo magis Reſp. eget eo magis ſuas merces recondunt, mille dolis & mendatiis vtuntur, quæ omnia cupiditate & auaritia repletos eſſe mercatorũ animos aperte oſtendunt. Hoc nomine damnant ſacra Scriptura & ſancti Patres Chryſoſt. & Gregor. mercatores: ſed hæc vitia negotiatorum ſunt non negotiationis ipſius, vt docent D. Auguſtinus iam citatus in illo Canone. Quoniam. Diſt. 88. Caſsiodorus Can. Quid eſt. eadem diſt. Nunc videamus oportet.

Controuerſia. II.

QVAE SINT CIRCVNSTAN*tiæ, ex quibus poteſt vitiari negotiatio*

Reſpondeo ſeptem modis poſſe vitiari negotiationem: Primo, ratione finis, vt ſi fiat propter ſolum lucrum: ſicut expoſitum eſt.

Secundo, ratione modi quo exercetur ã multis, interpoſitis fraudibus, dolis, mẽdatiis, iuramentis, monopoliis, & ſimilibus

bus iniquitatibus.

Tertio, ratione materiæ, idq; dupliciter: Primo, si vēdatur res, quæ nō est vendibilis vt sacramenta, beneficia Ecclesiastica, &c. Secundo, si vendatur res quæ licet ex se vendibilis sit, prohibita tamen est ita vendi lege aliqua iusta, vel communi, vel particulari illius regni, vel loci, vt frumentū, quod prohibetur extra regnum vendi. Et multa quæ prohibentur l. tertia Cod. Quæ res vendi non possunt.

Quarto, ratione personæ vendentis, vt si sit Clericus qui vendit, & negotiatur. De quo statim priuatim differemus.

Quinto, ratione personæ cui fit venditio, vt si quis vendat arma, ferrum, galeas, naues, vel quascunque alias res prohibitas infidelibus. De quibus cap. Ita quorundam. De Iudæis & Sarracenis, vbi interdicitur Christianis ne deferant arma, ligna, funes, vel similia infidelibus, ex quibus possunt fieri nauigia, vel arma. Simile habetur in extrauag. Nicolai 4. quę incipit. Quod olim & ex Clementina, quæ incipit Multa. Et ex Bulla in cœna Domini. De qua parte abunde & erudite D. Nauarr. in cōmento siue relectione istius cap. Ita quorundam. vbi per Sarracenos docet intelligēdos esse omnes Maometicos, siue dicantur Mauri, siue Turcę. Talia autem deferentes plectantur pœna excommunicationis, & priuatione suorum bonorum, suntque redigendi in seruitutem capientium eos. Quæ prohibitio non solum habet locum, quando Sarraceni emunt ista ad pugnandum cōtra Christianos, verum etiam, vt recte admonet Medina, quando probabile est illos eo fine talia emere, Qui hæc ita illis vendunt incidunt aperte in pœnas illius cap. Ita quorundam. Quod etiam insinat cap. Significasti eod. titu. Quæ de tempore pacis intelligenda sunt, tempore enim belli nullum genus mercium ad infideles cum quibus Christianis bellum est, deferre licet: vt docent communiter Doctores, Maxime Abbas. In cap. Significauit de Iudæis: colligiturque ex illo cap. Quod olim.

Cæterum etsi maxime deceret Christianos nullos contractus, nullaque comercia cum infidelibus habere vbicunque tamen ad eos merces deferunt tenentur in consciētia Gabellas, & Vectigalia in terris eorum à suis Principibus vel Magistratibus imposita persoluere, nisi de illorum iniustitia aperte constiterit, iuxta ea quæ tractatu proxime sequenti de Vectigalibus art. 3. dicemus: explicantes leges & conditiones quæ in iusto vectigali desiderantur. Debent etiā in omni emptione & venditione cum illis inita iusto & æquo pondere, ac mensura vti, cum nullo enim genere hominum licet rectas æquitatis & iustitiæ leges violare. Quæ non solum intelligenda sunt in terris infidelium, quæ nunquā sub ditione Christianorum extiterunt, verum etiam in his quas inique illi possident, & possent à principibus Christianis bello iusto recuperari. Nam esto inique illas possideant, possintq; iusto bello illis exspoliari, & bonis quæ in illis obtinent, hoc tamen ius solis Principibus Christianis competit, non priuatis fidelibus. Qua de caussa mercatores, & quicunque cum illis contractus celebrant, eandem æquitatem in Vectigalibus, pretiis, & ponderibus debent cum illis seruare, quam tenerentur si eosdem contractus cum aliis fidelibus haberent.

Similiter vendere sacra vasa laycis integra & in propria forma prohibitum est, quamuis fracta & mutata forma illa cuiuis vendere liceat. Tutores bona pupillorum suorum aliis vendere præcedente decreto Prætoris possunt, ipsi vero illa sibi emere prohibentur. Et in vniuersum quicunq; iure communi vel priuato huius vel illius regni contractus exercere prohibentur, vt hæretici, & qui à iure priuantur dominio suorum bonorum à die commissi criminis vel res suas aliis vendere, vel alias ab aliis emere non possunt. Sed hæc ad Iurisperitos potius, quam ad Theologum pertinent. Denique cum excommunicatis, cum quibus cōmunicare nō licet, nullę venditiones aut negotia haberi possunt: pręter quam in casibus in quibus licet cum eis communicare, q̄ui referuntur in additionibus ad 3. p. D. Tho. q. 23. art. 1.

Sexto. Vitiatur negotiatio ratione temporis, vt si fiat in diebus festis, vt patet c. 1. extra de Feriis. vbi reprehenditur abusus nundinarum, & mercatus qui existit in aliquibus locis diebus dominicis. Et cap. 3. prohibentur etiam aliis diebus festis ab Ecclesia institutis. Habet tamen in his maximā vim consuetudo prelatis videntibus & cōsentiēbus introducta: Estque in vno quoq; loco standum in his consuetudini patrię, ita vt ubi consuetudo sit in diebus festis negotiari, ibi nullum sit peccatum: vbi vero talis consuetudo non est, peccatum quidem sit; sed veniale tantum: quia licet negotiari sit quædam irreuerentia festi, vbi talis consuetudo non est, non est tamē opus seruile: Et ita non est mortale nisi ratione,

scandali, aut contemptus festi.

Cæterum An soli Episcopi posſint festa instituere & An primi violatores huiusmodi festorum peccauerint mortaliter, non est huius loci disputare.

Septimo & vltimo, ratione loci, vt si fiat in Ecclesiis. De qua circunstantia priuatim etiam statim agemus.

Ex his circunstantiis, quæ pertinent ad modum, tempus, & personas quibus res vēdi non possunt, satis explicata manent. Maior vero difficultas existit, circa finem habendum á negotiatoribus; circa personas quibus prohibetur negotiatio, vt Clericis: Circa loca sacra, in quibus illa exercenda non est, & res quarum venditio aut iure, aut ratione damni quod proximi afferre possunt prohibentur vendi. De quibus omnibus oportet priuatim hoc loco differamus. Et primum omnium.

Controuersia 3.

QVA RATIONE DEBEAT *mercator negotia sua in debitum finem referre.*

Relatio alicuius actionis in aliquē finem duplex est, vna quæ dicitur formalis: quæ duplex etiam est; actualis scilicet, quando eodem tempore, quo exercetur actio, explicite & actu refertur ab ipso agente in aliquē finē; & virtualis, quando virtute alicuius actus præcedentis habet, vt referatur ab agente in hunc vel illum finem. Alia vero est, quę tantum est habitualis. Quærimus igitur vt mercatura sit honesta, sit ne referenda in bonum & honestum finem relatione formali, actuali vel virtuali, vel sufficiat, vt referatur in illum habituali tantum.

Ad intelligentiam huius quæstionis obseruemus primo, formalem siue actualem relationem esse, quando quis actu explicito & in particulari refert actionem suam in hunc vel illum certum & definitum finem: vt cum Petrus eleemosynam, quam confert huic pauperi, actu & explicite refert in Deū. Habitualis vero dicitur, quando quis in communi refert omnes actiones à se exercendas in aliquem finem. Quomodo iustus cum primum in Deum conuertitur, se ipsum refert in illum, & omnia sua simul illi offert, omnesque actiones suas illi consecrat. Duratq; illa habitualis relatio, quam diu per oppositum actum non interrumpitur. Et hoc modo habet iustus omnes suas actiones relatas in Deum, etiam si quando illas exercet, non cogitet actu de Deo. Vt quando dat eleemosynam pauperi, solum cogitans illius inopiam.

Notemus secundo, solam actualem relationē esse, quæ ratione finis & obiecti reddit actum bonum vel malum: illam vero habitualem non sufficere ad reddendum bonum, actū qui de se est malus; nec reddendum malum, qui de se est bonus. Cōstat hoc efficacissimo exemplo. Iustus eo ipso quo conuersus fuit in Deum, quamdiu non habuit actum contrarium, quo se auerteret à Deo; se, & omnia sua, & quascunque actiones suas habet relatas in Deū habitualiter; numquid verba iocosa, aut mendacia officiosa quæ illa habitualis relatio etiam complectitur, cum se & omnes suas actiones habeat virtualiter relatas in Deum, erunt propterea bona? nequaquam. Similiter dicendum est, de Paganis, cum se & omnia sua habeant habitualiter relata in suum idolum, quando venerantur parentes, naturalem inclinationem sequuti, vel ex naturali miseratione pauperum conferunt illis eleemosynam, illud obsequiū parentum & illas eleemosynas pauperum habent quidem habitualiter relatas in suum idolū, nihilominus hæ actiones bonæ sunt, & honestæ, ac laudabiles. Ratio huius doctrinę est: Quia denominatio propria cuiusque rei non est sumenda ex eo quod est illi rei extrinsecum, & quasi accidentarium; sed ex eo quod illi intrinsece, ac per se cōuenit: relatio operis humani formalis & actualis in aliquem finem conuenit operi illi, eo ipso quo actu & formaliter refertur in talem finem, per se & intrinsece: at relatio illa habitualis est maxime extrinseca operi, & accidentaria, vt in exemplo proposito est videre. Quando Paganus obsequītur patri suo sequutus naturalem inclinationem, quia pater eius est, relatio huius obsequij in illum hominem, vt pater est, conuenit per se & intrinsece isti obsequio, In idolum vero remotè & extrinsecè, ac per accidens; quia per se & simpliciter non obsequitur huic patri, vt Paganus; sed vt filius: accedit vero illi actioni ipsum esse Paganum, & habere se & sua habitualiter relata in suum idolum: Et propterea ab hac relatione non est denominanda actio huius, nec est sufficiens ad tollēdam bonitatem moralem huius actionis, ex se bonæ secundum inclinationem naturalem factæ.

Iudicant aliqui ita sentire D. Thom.

12. q.

2. q. 88. art. 1. ad 3. & quamuis reuera illud non afferat ibi expresse D. Thom. satis tamen illud insinuat, si solutiones illius art. attentè considerentur, & inter se conferantur. Quod vt magis intelligatur obseruandum est: Istam habitualem relationem non consistere, in eo vt actus malus referatur in bonum finem, vel contra: sed in eo tantum, vt ipse operans existat & perseueret in gratia, vt cum iustus existens in gratia profert verba otiosa, dicitur illa referre habitualiter in Deum, non quia illa propter Deum proferat, sed quia perseuerans in gratia habet se, & omnes suas actiones relatas habitualiter in Deum. Similiter quando existens in statu peccati mort. largitur eleemosynam ex sola miseratione pauperis, dicitur eleemosynam illam habitualiter referre in creaturam illam cuius amore est in peccato, non quasi largiatur propter talem creaturam; sed quia largitur illam perseuerans in statu in quo se, & omnia sua habet secundum habitum relata in talem creaturam, vt suum vltimum finem.

Ita constat, quam extrinseca & accidẽtaria sit ista relatio habitualis in aliquem finem, non enim refertur in illum quasi actio illa fiat propter talem finem, quod est proprie & actu per se referri in finem, sed quia exercet quis actionem illam existens in tali, vel tali statu.

Ex his respondeo propositæ dubitationi: Negotiationem, vt sit bona & honesta, deberi actu & formaliter, vel virtualiter referri in aliquem honestum finem; in quem lucrum illud dirigatur vt medium: Nec sufficere mercatorem esse in gratia, & habere se, & sua omnia habitualiter relata in Deum: Quia etiam si ipse sit in statu gratiæ, habeatque firmum propositum nullomodo contemnendi amicitiam Dei, nec transgrediendi præcepta illius, vel Ecclesiæ obligantia sub mortali, eo tamen ipso quo negotiatur non referendo lucrum in aliquẽ finem honestum, sed appetendo illud propter se ipsum, est talis negotiatio actus malus, & peccatum veniale, ex defectu finis honesti. Quia malum ex B. Dionysio ex singulis defectibus; & defectus finis honesti, reuera est defectus: quod autem malum est, per solam relationem habitualem non redditur bonum. Sicut cum quis facit eleemosynam motus inani gloria, esto illam eleemosynam habitualiter referat in Deum, nec velit transgredi aliquod præceptũ Dei, nihilominus cum finis illius eleemosynæ sit inanis gloria, quæ est ex se venialis, est quoque eleemosyna illa venialis; nec redditur bona, ex eo quod ille sit in gratia, & & habitualiter se & sua habeat relata in Deum.

Similiter si mercator negotiatur propter aliquem honestum finem, in quem dirigit lucrum, vt medium, seruatis omnibus debitis circunstantiis, etiam si ipse sit in statu peccati ob amorem alicuius alterius creaturæ, quam appetit, vt suum vltimum finem, præferens illam Deo, nihilominus illa negotiatio est licita, quia talis relatio habitualis ipsius in illam creaturam, & peccatum non tollit bonitatem moralem istius negotiationis.

Controuersia. IIII.

AN LICEAT CONSTITV*tis in sacris aliquas venditiones, vel negotia exercere.*

INitio huius quæstionis, vt certa ab incertis separemus, Obseruemus primo, non esse hic sermonem, vt titulus controuersiæ insinuat; de Clericis solam tonsuram habentibus, aut in minoribus tantum constitutis: hi enim, vt omnes docent maxime Abbas in cano. Fornicari. Et Cano. Negotiatorem Dist. 88. quod etiam colligit ex cap. Sed neque extra. ne Clerici vel Monachi. cum nondum sint diuinis officiis consecrati, sed possint secularem adhuc vitam eligere, neq; vllo iure, neque ratione sui status à negotiis secularibus prohibentur. Vnde proposita quæstio est de solis Clericis in sacris constitutis.

Obseruemus secundo, cum triplex sit negotiatio, œconomica, qua vnusquisque emit sibi & suæ familiæ necessaria, aut vendit quæ sibi redundãt, vt emat inde ea quibus eget: certum esse hanc non esse interdictam Clericis, quia non minus tenentur Clerici, & Episcopi, quam alij patresfamiliæ necessaria suis ministrare: dicente Pau. 1. ad Timot. 3. *Oportet Episcopum domui suæ, bene præesse* & c. 5. *Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet, infidelis est, &c.* Alia vero sit Politica, cuius finis est publicis Reip. necessitatibus negotiando prouidere, quã gubernatoribus ciuitatis incumbere non Clericis certum etiam est, iuxta eundem Pau. 2. ad Timot. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus*: adeo vt Distinct. 88. decernatur deiiciendus Episcopus, sacerdos, vel Diaco-

Diaconus qui huiusmodi seculares curas admitteret. Et l. Placet. Cod. de Episcopis & Clericis. dicitur: *Clerici nihil commune habent cum publicis actionibus, vel ad curiam pertinentibus, cuius corpori non sunt annexi.*

Alia denique est negotiatio lucratiua, qua aliquid emitur, vt carius deinde & cum lucro vendatur: Quæ adhuc duplex est: quædam quæ sua industria & arte res in melius mutat, vt sic melioratas carius vendat, quæ (vt dicebamus) artificium potius est quam negotiatio, quam certum etiam est permitti Clericis ad honestos vsus; veluti ad se alendos, quando Ecclesiæ redditus non sufficiunt; vel ad iuuandos consanguineos aut pauperes: quia licet Clerico artẽ exercere quam nouit, modo illa non sit vilis aut sordida, quæ enim talis esset, illi omnino prohibita est, etiam iure ciuili l. 2. Cod. De Episcopis & Clericis. Et l. Munerum. §. fina. ff. de Mune. & hono. Honestam vero ac decentem sibi artem exercere posse, fuit definitum in Conc. Cartagin. & habetur cap. Clerici. De vita & honest. clericorum. Et cano. Clericus. Dist. 91. Et cano. Nunquam. De consecra. dist. 5. vbi conceditur clericis de suo artificio honesto sibi, suis, & pauperibus necessaria quærere, Exemplo B. Pauli qui cum Christi Apostolus esset artem scenophactoriam cũ Aquilla & Priscilla exercuisse legitur Acto. 18. & de celebra Mis. c. 1. habetur ex concilio Agathensi, *vt liceat Clericis in ruribus se exercere ad lucra honesta, modo suo muneri, diuinisque officiis non desint.* Vnde colligit Medina licere Clericis emere iumenta, vt nutrita & meliorata vendãt cum lucro, maxime vbi ita habet consuetudo, soletq; fieri sine vllo scandalo & contemptu ordinis Clericalis. Similiter poterit oues emere ac nutrire, ex quibus vendat caseos, agnos, &c. sicut B. Petrus perpiscationem, & alij Apostoli operibus manuũ suarũ se alebant: imo vult Medina, quodcunque genus rei quod clericus sua arte meliorare nouerit posse emere, vt illam in melius mutatam carius & cum lucro vendat; in quo dissidet à Cõrado, qui q. 52. de Contractibus ita distinguit res quæ meliorantur, vt aliæ sint in quibus augmentum pretij & lucrũ non tam nititur rei, quam arti & labori artificis, vt in pictura, agricultura, pascendis ouibus, nutriendis iumentis: aliæ vero sunt in quibus lucrum, non tam ex arte & industria nascitur; quam ex valore ipsius rei, vt in his quæ fiunt ex auro, ferro, ligno, panno, corio, &c. Quo posito ait circa priores illas, quarum lucrum potissime est ex arte posse clericum negotiari, & suam artem exercere ad honestum lucrum; circa posteriores nequaquã: quia circa tales non est tam artem, quã mercaturã exercere.

Recedit tamen ab hac dist. Medina & merito. Primo, quia in his omnibus in quibus habet locum ars, ita vt per artem res mutentur in melius, lucrum quod ita acquiritur, non tam est negotiatio quam artificium: Cur enim iudicabitur artificium emere oues, & nutriendo illas vendere caseos, & agnos, & non iudicabitur similiter artificium emere lanas ex quibus conficiantur panni, vel emere aurum ex quo fiant vasa formosa? Secundo, quia in iure in vniuersum & indifferenter cõceditur clericis, vt possint emere res quas sua arte vel industria mutatas in melius vendãt cũ lucro, nec distinguitur in iure, inter has vel illas modo reuera in eis Clericus suam artẽ, exerceat; *Vbi autẽ lex non distinguit* (vt inquit Innoc. 3.) *neq; nos distinguere debemus.*

Subscribit Syluest. verbo Clericus 3. q. 1. & 2. vbi adducit in eandem sententiam Raymundum, & Archiepiscopum florentinum, maxime cum exercet artem ad parandã sibi necessaria, nec propterea deest à diuino officio vel ab his quæ sunt sui muneris. Nec obstat Canon primus Dist. 88. vbi videtur clericis omnis negotiatio prohiberi, quia vt habet Glossa in can. Canonum. 14. q. 4. emere chartam pro libro conscribendo vt sic lucretur victum, non est negotiatio; sed artificium, In iure autem solum prohibetur Clericis negotiatio proprie.

Ex quo sequitur Clericum habentem peculium, agros, vineas vel similia bona posse quæ ex suo peculio recipit, in macello per publicos carnifices, fructus vero quos ex suis agris, aut vineis colligit in foro, vel taberna per suos famulos aliis vendere. Similiter domos suas quibusuis locare, hæc namque simplices venditiones rerum suarũ sunt, minime vero negotiationes. Nec sunt audiendi in hac parte, qui existimant posse Clericum locare quidem domũ suã alicui ad habitandum, nequaquã vero ad macellum, cum non sit magis negotiatio locare illam ad macellum; quam ad habitandum. Eadem ratione possunt ligna, lateres, & similia quæ ad domum suam, vel sui beneficij ædificandam parauerant, vbi concilium & institutum illud postea mutauerint, aliis & cum lucro vendere: Etenim cum ad ædificandum illa emerint, non autem vt venderent, quod mutato animo

animo aliis eadem deinde vendiderint, non negotiatio aliqua. Sequitur etiam, quod recte colligit idem Sylu. posse Clericos recipere possessiones excolendas ad quartam, vel quintã partem, vel illas conducere ad sustentationem sui, & suorum, vt sentit Glossa in cap. Peruenit. in verbo. Auaritiæ caussa. Dist. 86. Et in cano. Clericus Dist. 91. cui subscribunt Hostien. & Panor. in cap. Secundum. Ne Clerici vel Monachi. Et similiter posse locare animalia vt oues, & boues, quæ sibi ex decimis, aut ex successione peruenerint, aut si habeat multa pascua illa emere, vt in pascuis suis animalia illa possint pascere. Quæ omnia vult Syluester licere illis, tantum ad sustentationem suam, vel suorum, vel pauperum, minime vero ad lucrum vel quæstum, quia sic iam fieret in fraudem negotiationis, quæ illis permittitur.

Vnde tota quæstio est de negotiatione quæ proprie negotiatio est, quam dicimus mercaturam; qua res emitur & venditur cũ lucro sine sui melioratione.

Obseruemus tertio, Clericos bifariã posse negotiari, aut per se ipsos, aut per interpositam personam, id est per famulum, vel ministrum, aut officialem suum, aut per amicum, vel consanguineum.

Obseruemus quarto, ex D. Tho. hic ad tertium, & Medina loco citato: Ex triplici radice posse negotiationem Clerici habere speciem mali, propter quam Clericus teneatur illam vitare, ratione sui status & exempli quod debent aliis fidelibus præbere, Quia cum sint *Sal terræ, lux mundi, & ciuitas supra montem posita*, non solum ea quæ mala sunt, sed eã quoq; quæ habent speciem mali vitare debent. Primum igitur potest Clericorum negotiatio speciem mali habere, quia finis eius est lucrum temporale, quod Clerici debent contemnere iuxta illud Pau. ad Thimo. 6. *habentes alimenta: & quibus tegamur, his contenti sumus.* Vnde & Dñs filiis Leui in diuisione terræ promissionis nullam partem aut possessionem voluit assignari, sed ex dicimis & oblationibus populi eos viuere: propter quod in prima tonsura capilli quibus temporalia significantur nobis auferuntur, raditurque corona quasi inter nos & Deum nihil temporale debeat intercedere, dicimusque cum primũ clericatui initiamur. *Dominus pars hæreditatis meæ, &c. Tu es qui restitues, &c.* Vnde dicuntur *Clerici*, quod vocabulum sortem significat quia sunt in sortem domini electi, vt dicitur 12. q. 1. Cano. Clericus. Secundo, potest Clericos à negotiatione impedire, quod raro huiusmodi negotiationes & mercaturæ sine peccatis exerceãtur, vt ex testimoniis sacræ Scripturæ & sanctorũ Patrũ quæ adduximus cõtrou. 1. huius art. cõnstat. Tertio potest eos impedire, quod hæc negotia & mercaturę retrahant plurimum homines à rebus spiritualibus, quibus incumbere proprium est Clericorum officium: Vnde Christus vocat hęc negotia, & solicitudines, quas secum afferunt spinas suffocantes semen diuini Verbi: & Paulus 2. ad Thim. 2. *Nemo militãs Deo implicet se negotiis secularibus* vbi Glossa: *Negotia secularia sunt, cum animus implicatur curæ colligendæ pecuniæ sine labore corporis, vt faciunt negotiatores, & mercatores.*

Sit prima cõclusio. *Negotiatio proprie dicta siue mercatura illicita est, & prohibita Clericis per se ipsos exercenda.*

Hæc conclusio, est D. Tho. hic ad tertium, Medinæ, Conradi locis citatis, Magistri Soto in illo art. 2. conclusione 5. & communis inter omnes DD. Primo, quia omnia illa incommoda, quæ proposuimus in hac quarta obseruatione concurrunt, si Clericus per se ipsum mercaturã exerceat. Secundo, quia illã reuera exercere non potest sine graui & iusto scandalo fidelium.

Tertio, ita habetur per varia capita. Dist. 88. Can. Fornicari. vbi ait D. Aug. *Fornicari nunquã licet, negotiari vero aliquando non licet, antequam Clericus fias licet, facto autem Clerico non licet.* Idem habetur. 14. q. 4. Can. Si quis oblitus. Et Cano. Quoniam clericus. Et D. Hiero. ad Nepotianum, & habetur ibidem Cano. Negotiatorem: *Negotiatorem (inquit) Clericum & ex paupere diuitem factum tamquam pestem fuge* D. Chrysost. ibidem. Cano. Eiiciens. ait: *Quicunque rem comparat non vt integram & immutatam vendat, sed vt materia sibi sit aliquid operandi, ille non est negotiator: qui vero rẽ comparat, vt integram & immutatam vendendo lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei eiicitur.* Cui Adde quod habetur 2. q. 7. cano. Accusatio: illos quos eiecit dominus de templo Sacerdotes fuisse, & leuitas.

Deniq; Gelasius Dist. ista 88. cano. Cõsequens. interdicit omnino Clericis huiusmodi negotiationes, similiter est illis interdicta. 16. q. 1. can. 1. & can. Prædicator, Et est ratio efficacissima: Clericus de quo hic loquimur, nẽpe cõnstitutus in sacris & iã Deo ordine sacro dicatus præstat tẽplo, cũ locus eligatur propter gentem, non gens

propter locum, vt dicit sacra Scriptura 2. Machab. 5. Sed locus Sacerdotum nõ debet vacare negotiis, *Domus* (inquit Christus) *mea non est domus negotiationis, sed orationis*; ergo multo minus clerici ipsi quibus incũbit orationibus & rebus spiritualibus vacare. Propterea 21. q. 3. can. Placuit. interdicitur omnino clericis ex decreto Cõcilii Cartaginensis ne posśint vllomodo esse conductores vectigalium, nec aliqua vilius emere quæ negotiando carius vẽdant. Idem copiose D. Cyprianus in sua epistola ad clericos Cartaginenses. Et habetur ibi dem cano. Cyprianus. Et cap. 1. Ne clerici vel Monachi. interdicitur omnino clericis, ne posśint esse procuratores, aut œconomi alicuius Principis, vel domini, aut cuiuscunque secularis; sed tantum suæ Ecclesiæ, vel hospitalis, aut alicuius viduæ, vel pupilli quos sui & cæteri omnes derelinquunt: vt optim è isto loco Hostien.

Secunda conclusio. *Negotiatio etiam proprie dicta mercatura, non est interdicta clericis per interpositas personas.*

Ita Medina loco citato. Sũma Armilla verbo Emptio. num. 28. & recẽtiores. Probaturque eodem fere argumento quo præcedens conclusio. Quia tria illa incommoda propter quæ debet clericus abstinere à negotiatione per se ipsum, non concurrũt si negotietur per interpositas personas, quod patet à sufficienti diuisione. Nam imprimis non prohibetur ratione comparandi lucri, quia non omne lucrum est illicitum, aut interdictũ clericis: imo aliquod est licitum, & honestũ ipsis concessum in iure, ad honestos vsus in illo capite citato. Clericus. Et conf. quia si lucrum esset eis interdictum, omne lucrum esset illis prohibitum, & illud quod arte & industria sua possunt adquirere, cuius oppositum cõstat ex dictis, maxime exemplo B. Pauli, qui vt diximus Acto 18. exercebat artem schenofactoriam, recipiebatq; lucrum ex tabernaculis & tentoriis quæ conficiebat. Nec habet locum secundum incommodũ, quia negotiando per interpositam personam, nõ se miscent peccatis, & periculis negotiationis: nam licet illi per quos negotiantur, non abstineant ab illis, clericis tamen ipsis sat est ipsos esse timoratos, & admonere suos, vt licite, honeste, ac Christianæ negotientur, & cum debitis circustantiis. Nec obstat tertium, quia negotiando per alios vacat eis tempus & locus ad diuina officia, & præces.

Probatur secundo. Eadem conclusio ex Clementina. 1. de vita & honesta clericorum: vbi prohibetur eis, *ne officium Tabernarÿ, aut Macellarÿ personaliter faciant*; qua voce *personaliter* apperte indicatur, solam negotiationem personalem per se ipsos eis interdici, minime vero per alios, ex regula *Odia restringi oportet*, quia huiusmodi prohibitiones in iure odiosæ sunt. Conf. etiam ex Clement. 1. de Statu Monacho. vbi dicitur: *Monachos, quibus per se venari prohibitum est, posse id per alios facere.* Vnde similiter clerici negotia quæ per se ipsos exercere non possunt, poterunt tuta conscientia per alios.

Noui aliquos recentiores aliter sentire, & damnare clericos per alios negotiantes. Primo, quia in illa Clementina non interdicitur clericis esse Macellarios, aut tabernarios per se ipsos, quasi hæc officia negotia sint, quæ per se ipsos non posśint exercere posśint tamen per alios, Primum, quia esse tabernarium aut macellarium non est exercere negotium; sed officium & artem, qua multi suos fructus suasq; res solent vendere. Secundo, quia non prohibentur hæc clericis ratione negotiationis; sed quia sunt munia vilia & sordida, ac illorum statui maxime indecentia.

Secundo, si liceret clericis per alios negotiari, liceret certe aut per famulos & ministros suos, quos vocamus factores, aut per socios, data illis pecunia ad cõtractum societatis, at quocunq; modo istorũ fiat, est exercere mercaturam, nam & his reuera modis exercent negotia multi mercatores, vnde liceret illis proprie ac directè esse mercatores: quod tamen est omnio prohibitum.

Tertio, Dist. 88. cano. Fornicari: interdicitur clericis omnis negotiatio lucratiua, at negotiatio, siue per se ipsum exerceatur à clerico siue per alium, lucratiua est.

Sed propter hæc non est à conclusione proposita & communi recedendum. Ad primum igitur dico, vere in illa Clementina haberi conclusionem istam: Quia esto vendere carnes, vel vina aliquibus sit velut officium quoddam, & quædam ars mechanica, vilis ac sordida: nihilominus ex vi & contextu orationis in Clementina illa non alio nomine, vel caussa adiecta est vox illa *personaliter*, nisi ad significandum, illud tantum paohiberi ibi clericis, ne per se ipsos venditiones aut negotia exerceant.

Ad secundum dico, per famulos & factores negotiari non posse clericos, quia ita negotiari est vere esse mercatorem, cum ea

ratione

ratione omnes mercatores sua negotia dirigant, quod clericis omnino prohibitum est; licere tamen illis per socios, non quidem adhibita ab ipsis aliqua opera vel industria, quod pertinet etiam ad mercaturam; sed collata solum & apposita aliqua pecunia. Tum, quia sic illam conferre non est negotiatio, tum vero, quia ea via non immi net clericis aliquod ex illis incommodis & & periculis, propter quæ diximus ipsis interdici negotiationem. Nam & viduæ honestissimæ & viri nobiles solent hac ratione lucra quærere, collata alicui mercatori sua pecunia per contractum societatis, nec propterea censentur hi negotiatores esse.

Similiter diluitur tertium, cum hoc genus lucrandi, & negotiandi per interpositas personas non sit dicendum proprie negotiatio, quæ in illis textibus Clericis prohibetur.

Tertia conclusio. *Clerici in sacris constituti, & quicumque Religiosi excercentes negotiationem quem mercatura est, peccant mortal.*

Caietanus in summa in verbo Clericorũ peccata. Sentit Clericos per se ipsos excercentes mercaturam, si admoniti à superiori non desistant ab ea, peccare mortaliter ratione scandali, & inobedientiæ illius, quã admonitionem & mandatum sui Superioris contemnunt: exclusis tamen huiusmodi scandalo & contemptu, propter solũ excercitium mercaturæ non peccare mortaliter. Caietanum sequitur Michael de Palatio libro 2. de Contract. cap. 10. adducunturque hac ratione. In iure non imponitur clericis huiusmodi excommunicatio, vel suspensio ipso facto; sed solum inferenda, ita vt prius admoneantur, ac si perseuerẽt, vt contumaces excommunientur, & suspendantur: Ergo antequam admoneantur, & sint contumaces, non sunt condemnandi de peccato mortali: Cum non posit illis nisi precedente ista admonitione, & eorum contumacia imponi grauis pena secundũ ius. Et confirmatur à Caietano, Quia quidquid (inquit) sit de rigore iuris, ipsa tamen ratio æquitatis videtur exposcere, vt pro huiusmodi peccatis quę excluso scandalo & contumacia natura sua grauia non sunt, nec habent intrinsecè grauem malitiã; non imponatur grauis poena.

Syluest. verb. Clericus. Tertio. quest. 3. vbi adducit in eandem sententiã. Panorm. & Archiep. Florent. Medina & Conradus locis citatis, & Summa Armilla verb. Emptio. num. 27. volunt clericos exercentes mercaturam per se ipsos, eo ipso quo illam exercent, ex vi precepti Ecclesiastici illud prohibentis peccare mortal. maxime (inquit Medina) si publicè illud faciant. Quod ita probant. In iure nõ imponũtur grauissime penæ quales sunt excommunicatio, suspensio, depositio, & priuatio alicuius excellentis priuilegij pro delicto leui & veniali, sed pro graui tantum & morta. At clericus negotiator de quo hic agimus, nisi desistat à tali negotiatione est punĩedus huiusmodi penis; ergo ipsum exercere mercaturam illi ab Ecclesia interdictam, vel sola ratione talis prohibitionis est culpa grauis & mortalis. Maior certa est, quia vt vidimus art. 1. huius quæst. controuer. 8. penæ istę tam graues vt excommunicatio, suspensio, &c. indicant apperte culpã, pro qua imponuntur perseueranti in illa, grauem esse, & mortalem: *Vt sit pro mensura delicti & plagarum modus.* Minor patet ex iure: Nam cap. Secundum instituta. huiusmodi clericus negotiator venit excommunicandus. Cap. Sed nec. Ne Clerici vel Monachi. venit suspendendus ab officio Ecclesiastico, quod iam antea constituerat. Gelasius Papa Can. consequens dist. 88. Est deponendus, nisi se correxerit, Can. Clericus Dist. 91. Expellitur siue prohibetur à Clero Can. Canonum. 14. quest. 4. vbi multa Abbas num. 6. Et nu. 10. in Clementina prima De vita & honest. Clerico. In qua expoliatur etiã priuilegio clericali, potestq; conueniri coram iudicibus secularibus, & consulibus mercatorum, sicut quiuis alius secularis negotia exercens. D. Nauar. in suo Manuali cap. 25. num. 110. & 111. meminit illius opinionis Caiet. quam indicãs nimis amplam impugnat eo nomine, quod sibi contradicat, quia infra q. 186. artic. 9. asserit videri sibi maxime consonum rationi, vt quando in iure inuenitur aliquod vocabulum continens preceptum, vel commisnatio alicuius excommunicationis, obliget sub moata. in Summa vero loco citato asserat clericos per se negotiantes non peccare mortaliter ex vi præcepti Ecclesiastici, quibus tamen in iure sub precepto & comminatione excommunicationis, & aliarum penarum adeo grauium illud prohiberi constat apperte.

Sed quamuis hæc obiectio Doc. Nauar. non tam impugnet sentẽtiam Caiet. quam rationem illius, nihilominus probabilior multo & verior est sententia illa Syluest. Medinæ, & aliorũ, quam hæc Caiet. Semper enim iudicaui, Ecclesiam nunquam prohibere aliquid sub comminatione excommun

municationis maioris, aut alterius grauissimæ pœnę, quin simul instituat prohibere illud sub morta. vt vidimus abunde ar. 1. huius quæst. cõtrouer. 8. Vnde cum imponat tot pœnas, & adeo graues Clericis exercentibus mercaturam, censendi profecto sunt peccare mortaliter, quicunq; constituti in sacris illam exercent. Secus est de nonnullis aliis rebus, quæ illis pręcipiũtur, veluti vt afferant tonsuram, habitum longiorem, benedicant mensam, & similia, quæ quamuis Nauar. iudicet obligare etiã ad morta. multo tamen probabilius, & verius docet Caiet. obligare solum ad veniale, cum sint res adeo leues. Cui in hac parte subscribendum esse iudico.

AN NEGOTIARI IN LOco sacro vel sola ratione talis loci sit peccatum.

Negotiatio in loco sacro duobus modis fieri potest, vel adductis rebus ipsis venalibus in locum sacrum, vel illis non adductis, sed verbis tantum vel scriptis iniendo ibi & celebrando contractus.

Sit prima conclusio. *Negotiari in locro sacro, quacunque ratione id fiat, vel ex sola circunstantia loci, est aliquod peccatum ad minus venia.*

Patet, Quia est quædam irreuerentia loci, & actus ibi prohibitus cap. primo de immunit. Ecclesia. & cap. Decet. eod. tit. in 6. vbi Gregor. Decimus in Conc. Lugdun. prohibet ne fiant negotia in Ecclesiis, vel earum cementeriis, maxime Nundinæ vel forum, habetque ibi multa de reuerentia, & cultu debito locis sacris.

Circa hanc conclusionem quatuor obseruat Medina Cod. de reb. restitu. q. 30. Primo non solum peccare negotiantes in locis sacris, verum etiam eos, qui ibi pręcipiunt negotiari, vel non prohibent cum possint & debeant, vt prælati: *Quia error cui non resistitur approbatur.* Can. Error. Dist. 83. Obseruat. 2. Esse peccatum, vel ex sola circunstantia loci, etiam si in negotio ceteræ omnes circunstantię debitæ obseruentur. Primo, quia in illo cap. Decet. & aliis textibus, vel eo solo nomine & ratione istius circunstantiæ loci prohibetur. Secundo quia cum malum ex singulis defectibus, vel sola ista circunstantia loci debet vitiare negotiationem.

Obseruat tertio contra Caiet. in opusculo, Responsionũ 17. respon. 12. peccatũ esse negotiari in loco sacro, esto eo tempore nulla celebrentur in illo diuina officia: Quamuis reuera Caiet. in illa responsione potius demonstret illud sibi falso imponi, quam tale doceat, dicens ibi, circunstantiam loci sacri inducere nouam culpam, quando id quod fit in tali loco est directe contra Sanctitatem, cui locus ille dicatus est, cuiusmodi est negotiari. Sed quidquid sit de sententia Caiet. negotiari in loco sacro quocunq; tempore illud fiat, culpa est. Primo. Quia Papa in illo cap. Decet. ob solam reuerentiam loci sacri prohibet in eo negotiari, nec meminit an impediantur propterea diuina officia. Secũdo quia Christus similiter, cum eiecit de templo ementes & vendentes, solum assignauit in caussam reuerentiam loci: quia locus orationi dicatus non debet negotiis deseruire. Quarto admonet Medina nomine Ecclesiarum non solum intelligi templa & loca in quibus celebrantur diuina, verum etiã cementeria fidelium; quia in his, eo ipso quo in eis fideles sepeliuntur, licet & missas celebrare, videmusq; excommunicatos priuari simul & ingressu templorũ, & Ecclesiastica sepultura.

Secunda conclusio. *Negotiari in loco sacro adductis in eum rebus ipsis venalibus, maxime illis, quæ vsibus secularibus deseruiunt peccatũ mort. est.*

Primo, Quia est grauis irreuerentia loci sacri, & notabile scandalum, quæ duo non possũt excusari á mortali. Ita Syluest. verb. negotium q. 2. §. 4. Medin. loc. cit. Conrad. q. 52. de contract. sicq; intelligunt cap. illud Decet: vbi fit mentio nundinarũ, inquibus certum est res ipsas adduci vendendas, & cum tumultu. Explicaturque magis Cap. Relinqui nolumus. De custodia Eucharist. Vbi innocen. nullas res seculares nec suppellectilem Clericorum vult adduci in Ecclesiam, quanto magis res venales.

Et hoc genus negotii est quod Christus Dominus ita reprehẽdit Ioan. 2. & Matth. 21. proiectis de tẽplo negotiatoribus, & mercibus eorum. Etenim si templum illud vmbratile, seu potius atrium templi (ibi enim animalia illa vendebantur, non intra tẽplum) tantũ fecit Christus, vt flagellis proiecerit inde negotiatores, quanto in honore volet haberi templum suum, vbi sacratissimum ipsius corpus consecratur, alia sacramenta conferuntur diuinæque laudes & sacrificia illi offeruntur, & varię sanctorum reliquię continentur? Propterea in tẽplis

plis, & cementeriis; quæ illi atrio templi Hierosolymitani adeo præstat, nūdinas nec iudicia secularia habere licet: ita vt sententiæ ibi latæ à iudice seculari ipso iure sint nullæ, licet alij contractus ibi celebrati teneant. Reiicienda tamen hic est Glossa illa in dicto cap. Decet. asserens pec. mortā. esse cōtrahere matrimonia in Ecclesia: quia si nomine matrimonij intelligat desponsatione actualem viri & vxoris, cum hæc sacramentum sit, recte fit in Ecclesia ante benedictionem nuptialem; si vero intelligat confabulationem parentum vel amicorum de contrahendo matrimonio; cum illa non sit proprie negotiatio; sed via ad matrimonium, si recte & honeste tractetur, nullum est peccatum.

Tertia conclusio. *Negotiari in Ecclesia rebus ipsis absentibus, solo verbo vel scripto, nisi ex eo diuina officia aliquo modo impediantur, veniale tantum est.*

Veniale quidem, quia est aliqua irreuerentia loci sacri, non tamen mortale, quia non est grauis; modo nullus interueniat tumultus. Ita communiter Doctores, & Conrad. cum illis, esto Medina existimet Conradum aliter sentire, illumque propterea reprehendat. Sed reuera docet Conrad. loco citato aliquam irreuerentiam esse, quacumque ratione negotiari in loco sacro, vnde censet ad minus esse veniale.

Hæc omnia intelligenda sunt, quando negotiator nō ignorat inuincibiliter locum illum sacrum esse, quia si illud ita ignoret, excusabitur ab omni peccato. Intelligenda etiam sunt de ipsismet locis sacris, nā iuxta illa negotiari, vt habere nundinas, modo sine tumultu & perturbatione diuinorū officiorum fiant, ac sine scandalo, nullum est peccatum: maxime in locis, vbi illud habet vetus consuetudo.

Ex hac conclusione tertia patet non esse immunes à culpa saltim veniali, vt recte Medina loco citato, Decanos, & Capitulares (quamuis post celebrata diuina officia illud faciant) qui hæreditates & reditus suos intra templa voce alta preconis vendendos proponunt, cum possint in aliis locis ista fieri, Quis enim dubitat in aliquam templorum irreuerentiam id cedere, cum soli diuino cultui templa consecrata sint? quam irreuerentiam illis irrogari nulla cōsuetudo tollit, neque illam respexit Christus, cum dixit: *Domum patris mei fecistis domum negotiationis*, ordinabanturque negotia illa, vt recte obseruarunt D. August. & Beda in eiusdem Dei sacrificia, & cultū.

Sentirem nihilominus Sacerdotem vel Scholarem, qui priuatim ac secreto alteri librum aliquem venderet, non peccare, quia illud aut quid simile aliqua vice ita vendere nullam profecto cōtinet loci sacri irreuerentiam. In casibus autem, in quibus negotiari in loco sacro iuxta conclusiones positas, vel aliquod malum committere, peccatum est, illud sacrilegium quidem est, nō duo tamen peccata, vt opinatur Medina, sed vnicum tantum, nullamque secum afferens censuram à iure, nisi illa ab Ordinario, vt in quibusdam Ecclesiis fit, imponatur: imposita vero, cum ex iusta caussa imponatur, qualis est loci sacri reuerentia, ligat profecto transgressorem.

Controuersia. VI. & vltima.

LICEAT NE VENDERE *res indifferentes, quibus homines sæpe vtuntur ad malos vsus, ut taxillos, cartas, lusorias, arma, fucos mulierum, &c.*

Quæstio hæc multa cōplectitur, quæ à D. Tho. disputantur variis in locis. Veluti, An liceat vendere iudæis, & infidelibus res natura quidem sua indifferentes; sed quibus ipsi vtuntur in suis ritibus? De quo dubio D. Tho. sup. q. 10. Secundo, liceat, ne vendere arma tempore belli iniusti vel dubij, De quo sup. q. 40. Tertio, An liceat vendere cibos in die ieiunij violaturo ieiunium, De quo infra. q. 147. art. 4. Denique An liceat vti illis artibus, quarum opera indifferentia sunt bonis vsibus & malis, vt ars conficiendi ballistas, tormenta manualia, &c.

In hac quæstione variæ sunt Doctorum opiniones.

Prima est Medinæ De rebus. Restit. q. 30. Nauar. in suo Manua. cap. 23. nu. 90. vbi affert in eandem sententiam D. Anton. 2. par. tit. 1. cap. 23. §. 13. Qui docent hæc quatuor.

Primum, res quibus emptores non possunt vti nisi in malum finem, nullomodo posse vendi.

Secundo, licet res natura sua indifferentes sint, si tamen venditor intelligat, aut præsumat, vel præsumere debeat illas ad exercendum aliquod peccatū emi, peccare venditorem, qui illas tunc vēdiderit, mortaliter, vel venaliter, pro ratione peccati quod committet illius rei emptor.

Secun-

Tertio, si res indifferens sit, emptor vero persona honesta, quæ nullam ingerit suspitionẽ, nec existunt indicia rem illam emi ad malum vsum, esto illa reuera in talem finem ematur, tuta conscientia posse illi talem rem vendi: nec esse inquirendum à venditore quo fine res illa ematur. Imo esset (inquiunt) peccatum curiositatis intentionem illius emptoris inquirere, cum nemo sit iudicandus immemor suæ salutis. Vnde D. August. in Episto. ad Publicola. *Absit* (inquit) *vt ea quæ propter bonum finem facimus, si præter nostram voluntatem in alicuius malum acciderint, vobis imputentur.*

Ex his colligunt hi Authores quartum: venditores huiusmodi rerum esse in malo statu, si parati sint quibusuis emptoribus indifferenter & promiscuè illas vendere, nec absoluendos, nisi vel tale officium omnino dimittant, vel statuant firmiter illis solum eas vendere, quos probabiliter & prudenter iudicauerint, rebus illis nec per se nec per alios fore abusuros.

Probat hanc sentẽtiam Medina. Primo. Qui cooperatur peccato alterius, committit simile peccatum cum illo, Can. Notũ. 2. q. 1. vẽdere res indifferentes quibus possunt homines benè, vel malè vti, his quos suspicamur, vel debemus suspicari illis abusuros, est cooperari peccato illorum, sicut tradere gladium furioso. Ergo tales res huiusmodi emptoribus vendere peccatum est.

Secundo. Innocen. 3. cap. vnico. De sagittariis. Damnat artem sagittariorum, qui conficiunt huiusmodi arma vendenda bellatoris indifferenter contra fideles, vel infideles, talemque artem de cætero prohibet sub anathemate, nec alio nomine, nisi quia huiusmodi rebus vtuntur homines promiscuè in bonum vel malum finem.

Dices venditores istos non concurrere ad illud malum, quia ipsi in ea venditione hoc solum constituunt, merces suas vendere, optarentque neminem illis male vti. Contra, & sit tertium argum. licet ita vendentes non velint directè, & formaliter illud malum, volunt tamẽ illud indirectè, & virtualiter, ac reductiue, quando sciũt aut præsumunt, vel debent præsumere emptores rebus illis abusuros. Probo. Ad voluntatem & consensum indirectum sufficit, vt posiit quis malum prohibere, & teneatur: venditores isti possunt prohibere illa peccata, non vendentes tales res, quod est ipsis liberum, tenẽturque illa prohibere saltim ex charitate, *Quia vnicuique mandauit Deus de proximo suo. Ergo.*

Quarto. Non licet vendere res de se tendentes in malum vsum, vt docet D. Tho. sup. q. 10. art. 4. & 10. & apertius infra q. 169. art. 2. ad 4. dicens, artes illas quarum opera non possunt deseruire nisi in malos vsus, esse iniquas & turpes: Ergo similiter nec licebit vendere res indifferentes, emptori quem venditor intelliget, aut præsumet prudenter illis abusurum. Probo cõsequentiã, quia sicut res illas nõ licet vendere propter abusum emptoris, similiter nec istas indifferentes, cũ illis quoq; supponamus emptorem abusurum. *Nam vbi eadem est ratio, idem quoque debet esse ius.* l. Illud. ff. Ad legem Aquiliam. Dices, vsus illarum rerũ quæ ex se male sunt & nociuæ non toleratur, & ideo nullo modo licet eas vendere, vsus autem indifferentium, quamuis illis aliqui male vtatur toleratur à Repub. & ita licebit eas vendere. Hoc inquiunt parum refert. Quia Ecclesia etiam toleratur synagogas, & ritus Iudæorum, qui ex se mali sunt, nec propterea licet ædificare illis Synagogas, aut vendere illis panes azimos.

Secunda opinio est D. Antoni. loco cit. §. 11. 12. & 13. Syluest. verb. infidelitas. Dub. 4. et latius verb. Ars q. 4. 5. & 6. Angeli verb. Ars num. 2. quos sequuntur pleriq; Sũmistæ constituentes res de quibus hic agimus duplices, quasdam, quæ sunt simpliciter malæ, vel quibus homines vt in plurimum malè vtuntur, alias quæ ex se malę non sunt, sed promiscuè vtuntur illis homines quandoq; in bonum, quandoque in malum finem: Quo posito docent res illas prioris generis nec confici, nec vendi posse, res vero secundi generis & sic indifferentes posse vendi his, quos venditor intelligit, aut præsumit illis non male vsuros, minime vero his, quos suspicatur illis abusuros, nisi iã talis abusus vtilis sit vel necessarius Ecclesiæ vel Reipub.

Vnde colligunt hi DD. nonnulla consectaria, Primum, venena quæ non ponuntur in medicamentis, nec cedunt nisi in intertiũ alicuius, vel maleficium, aut aborsum, arma tempore belli iniusti in quo nullus eis bené vtetur, aut ipso tempore pacis tormenta illa manualia, quæ nõ deseruiunt nisi homicidiis per insidias, quæ vocamus *pistoletes*, & similia quibus homines vti nequeunt nisi in aliquod damnum, peccatum mortal. esse illa vẽdere. Vt habetur De pœnit Dist. 5. Can. Falsas & Can. Fratres. vbi negatur absolutio exercentibus officium, quod sine peccato exerceri non potest: ad quod genus reducitur vendere res quibus homines

vti

vti non possunt nisi ad malum.

Colligũt secundo, vendentes aleas, taxillos, cartas lusorias, &c. peccare, nec esse absoluendos donec dimittant tale officium, quia homines vtuntur communiter his rebus in malum; quo fit vt illas vendentes cooperentur, vel saltim exponant se periculo cooperandi peccato illorũ. Afferuntq; in hanc sententiã Hostiensem, Archidiac. Guillermum Parisien, & Summam Pisan. Quamuis Syluest. quo ad aleas, taxillos, & cartas dissentiat ab eis, iudicans, imo his homines frequentius bene vti ad leuamẽ tędij, & laboris. De fuccis mulierum, & illarum sertis, & ornamentis, quæ Angelus loco cit. pompas, & curiositates vocat, sentit idem Angelus pec. morta. esse ista vendere, Quia his pleræque mulieres vtuntur ad incitandos viros ad lasciuiam: D. autem Anton. Syluest. & Archidiaco. locis citatis iudicant de his, vt de omnino indifferentibus, ita vt meretricibus, & mulieribus, quas istis fucis præsumitur male vsuras, nõ liceat illa vendere, aliis vero mulieribus liceat, cum ex D. Tho. liceat mulieribus se ipsas componere, & ornare vel ad decentiam sui status, vel vt placeant viris suis. Similiter ballistas, tormenta manualia longa, quæ vocamus, *Escopetas*, & similia arma tẽpore pacis, & iusti belli, in quo homines his promiscue vtuntur, & bene, & male, posse vendi, nisi emptor credatur aut prudenter præsumatur illis male vsurus. Cõueniunt enim hi DD. in hac parte cum prima opinione Medinæ, & Nauarri. Quo ad res autem, quibus infideles, & Iudęi vtuntur ad suos ritus, sentiunt peccare mortaliter, & cooperari peccato illorum, eũ qui tales illis vẽderet eo animo, & fine, vt illis in suis ritibus vterentur. Et consequenter eum qui ædificaret illis Synagogas, conficeret vestes Sacerdotales, propinaret panes azimos, vel similia, quibus ipsi non possunt vti nisi ad suos infideles ritus.

Vendens vero illis ea quibus possunt bene vti, vt agnum, ramos, &c. eo tantum fine vt vendat res suas cum lucro an peccet? non eodem modo ab his explicatur.

Summa Rosella verb. Iudeus num. 2. sentit hunc peccare mort. idemque docebunt Medina, & Nauar. iuxta suam opinionẽ, quia esto res istę ex se indifferentes sint, Iudeus vero pręsumendus est istas emere circa suas festiuitates ad suos ritus. Angelus. verb. infidelitas nu. seu q. 2. quẽ sequitur Syluest. eod. verb. nu. 4. dicunt licere illas vendere Iudæis, cũ non sint ex se malę licet Iudę illis male vtantur: modo vẽditor non conferat ea, eo animo & fine quem habet Iudæus, vt diximus sed solo fine vendi res suas. Ratio Angeli est, quia aliter Ecclesia, quæ Iudęos & horum ritus tolerat, videretur ponere laqueum damnationis Christianis inter quos illi viuunt, & cum quibus habent comercia. Confirmat Syluest. Quia licet vnicuique vti in proprium commodũ iniquitate ad quam alter iã paratus est, qua ratione dicemus quæst. seq. cum communi DD. sententia licere accipere mutuum cõ fœnore ab vsurario parato: qua etiã de caussa possum vendere agrum meum volenti illud emere commodiori mihi pretio quam ab aliis offeratur, esto sciam illũ male vsurũ illo agro: quia vtor iniquitate illius, ad quã ille iam paratus est ad meum commodum. Similiter in proposito quod Iudæi habeant Synagogas, seruentque adhuc alicubi suos ritus, cedit in vtilitatem Ecclesiæ & fidei, vt constat ex quæst. 10. propter hanc igitur Ecclesiæ vtilitatem licebit eis ista vendere, cũ non sint res ex se malæ; sed quibus possunt bene vti, vtantur autem illis male culpa suá.

Tertia opinio est Caiet. qui variis in locis, sup. q. 10. art. 4. infra. q. 147. art. 4. & q. 169. art. 2. ad 3. Et in opuscu. 17. Responsionum, Respon. 13. dub. 1. & 4. Victoria in lectura huius art. & omnes fere Recentiores Thomistæ volunt licere vendere res natura sua indifferentes, quamuis intelligat venditor illas emi ad malum vsum, modo toleretur abusus ille ab Ecclesia, vel Repub. vendatque, non eo animo, vt seruiant illa alicui peccato; sed solo fine vendendi res suas.

Probãt illud ex D. Thom. infra q. 169. art. 2. ad 4. Si dentur aliquæ artes quarum operibus homines non possunt vti absque peccato artifices earum illa faciendo aut vẽdendo peccant, quia præbent directe aliis occasione peccãdi, vt si quis conficeret idolum. Si quæ vero ars est cuius operibus possunt homines bene vel male vti, sicut gladiis sagittis & similibus, vsus istarum artiũ non est peccatum; ergo neque ista vendere est peccatum: probo consequentiam, quia quæ licet facere, licet etiam vendere; Nam ratio mediorum sumitur ex fine, ista vero fiunt, vt vendantur.

Dices licebit facere ista ad vendendum his, qui prudenter iudicabuntur illis bene vsuri; Contra in quit Caiet. inprimis nihil tale apponit D. Thom. 2. talis suspicio nõ prohibet ista vendere, Primo, quia est maxĩme incerta, nam forsan is quẽ credis male illis

illis vſurum, vtetur bene & contra: Secũdo quia ſi illis abutuntur, non pertinet ad venditorem tollere illum abuſum, ſed ad Principes & ſuperiores, illi tantum incumbit vendere rem vtilem emptori & pretio iuſto, Tertio, quia venditor non debet examinare mores vel animos emptorum, ſat eſt admoneat illos ne illis male vtantur, quando aliquam habuerit ſuſpitionem, vt ſatisfaciat præcepto charitatis de admonendo fratre.

Et confirmant ex eodem D. Tho. qui habet ibidem, mulieribus licere ſe ipſas ornare ad decẽtiã ſui ſtatus, & aliquid ſibi ſuper addere quo placeant viris ſuis, Ex quo ſequitur artifices huiuſmodi ornamentorum & fucorum non peccare in vſu iſtarum artiũ; At quod eſt de fuccis & ornamentis mulierum, idem eſſe debet de taxillis, cartis, armis, & ſimilibus rebus, quibus homines bene vel male vti poſſunt.

Ad intelligentiam huius quæſtionis quæ tot capita cõtinet, Obſeruemus primo. Opiniones iſtas ſic differre, vt prima, & ſecuncunda condemnet vendentes res quibus homines male vti poſſunt, quando pręſumitur emptorem illis abuſurum, ſiue res iſtæ indifferentes tantũ ſint, ſiue natura ſua tendentes in malum: ſiue abuſus earuũ toleretur, ſiue non: ſiue ſint in damnum tantum ementis illas, ſiue in damnum alterius: Tertia vero opinio diſtinguit (& recte) inter res ex ſe tendentes in malum, & indifferentes, Rurſus has indifferẽtes diſtinguit in eas quarũ abuſus toleratur à Repub. vt res quibus abutuntur meretrices & luſores, & eas quę nõ tolerantur à Repub. vt ea quibus vtuntur homines ad homicidia vel maleficia. Tertio eædẽ res indifferentes aliquando ſunt in dãnum tertij, vt venena, & arma tendentia in homicidium, aliquando vero ſolum ſunt in damnum & peccatum abutentis illis, vt carnes, quas guloſus emit ad violandum ieiuniũ. Quibus poſitis dãnat hæc tertia opinio, Primo res natura ſua tendentes in malũ, Secundo indifferentes, quæ probabiliter præſumũtur eſſe in dãnum tertij, Tertio eas quarũ abuſus nõ toleratur à Repub. ea de cauſſa quia ſunt in damnum aliorũ. Concedit autem licite vendi res ex ſe indifferentes, quæ non ſunt in damnum tertij, & quarum abuſus toleratur à Repub. propter aliquod bonum commune, etiam ſi venditor intelligat emptorem illis abuſurum, modo non vendat illas eo fine vt deſeruiant illi iniquitati; ſed ſolo animo vendendi rem ſuam.

Obſeruemus ſecũdo. Inter res quarũ abuſus tantum cedit in damnum abutentis illis, & eas quarum abuſus eſt in damnum tertij, hoc intereſſe: vt in prioribus, aut is qui rebus illis abutetur, aut iã ex ſe paratus erat illis abuti, aut nõ eſt ita paratus; ſed ego offero illi occaſionem: ſi quidem ipſe iam ex ſe paratus ſit, poſſũ vti peccato illius in meũ commodum ex iuſta cauſſa, quod ſi paratus non ſit, non licet mihi vti peccato illius neque in meum vtilitatem, quia tunc reuera inducerem illum ad peccãdum, & cooperarer peccato illius. Quo nomine docent omnes DD. licere accipere pecuniã ab vſurario parato ad fœnerandum, quia cum dare vel accipere pecuniam ſit res ex ſe indifferens, & vſurarius ille iam ex ſe ſit paratus, ego poſtulans ab illo pecuniam, qua egeo, non induco illum ad peccandum; ſed vtor tãtum peccato illius in meum commodum. Secus vero eſt, quando non eſt paratus, tũc enim eſſet offerre illi occaſionem peccandi. In rebus artem, quarum abuſus cedit in damnum tertij, tenemur abſolute & ſimpliciter prohibere ex charitate quantum poſſumus, ne quis illis abutatur: quia tenemur ex charitate damnum proximi quantum poſſumus euitare, etiam ſi aliqua vtilitas inde nobis proueniret, quia nulli licet ſibi conſulere cũ damno alterius.

Obſeruemus tertio ex Caiet. in illa reſponſio. 13. Dub. 4. Cum ratio mediorum ſit ſumenda ex fine, res quæ ex ſe dicũt ordinem ad finem malum, eo ipſo eſſe ex ſe malas, res autem quæ dicunt ordinem ad finem indifferentem quo poteſt proximus bene vel male vti, eſto male illis vſurus ſit, eſſe indifferentes: nec malitiam abutẽtis illis tollere genui nam illarum indifferẽtiam: (V. g.) porrigere alicui carnes ad cœnandũ, eſto ſciam illum violaturum ieiunium, non eſt actus malus; ſed indifferens, quia porrigens illas non exhibeo eas huic, vt frangat ieiuniũ; ſed vt ſolum cœnet, quod eſt indifferens: Quo fit vt violatio illa ieiunij non ſit tribuenda mihi, qui obtuli carnes; ſed iniquitati comedentis illas tali die; ego enim ſolum obtuli, illas ad comedendum, quod eſt indifferẽs. Qui vero alteri offerret carnes vt frangeret ieiuniũ offerret profecto illas per actũ ex animo eius ordinatũ in finẽ malum, & ſic illa oblatio carnium eſſet mala, & cooperaretur peccato alterius.

Sit prima concluſ. *Vendere rem ex ſe tendentem in malum, ſiue natura ſua tendat in illum, ſiue ex ſuo modo, & forma, vel circunſtantia illud habeat, vt tendat in malũ vt domus ſic ædificata, vt non poſſit deſeruire niſi in Syna-*

nago-

nagogam, est peccatum.

Patet, quia vendēs talem rem, cum emptor non posit illa bene vti, consentit in peccatum illius, & cooperatur illi.

Secundo, vendens rem indifferentem nō alio nomine excusatur à DD. nec potest excusari, nisi, quia cum emptor illa bene vti posit, siquidē male illa vtatur soli culpæ illius tribuendū sit. Ergo quādo res non est indifferens, sed tendens ex se in malum vsum, vendere illā est simul vēdere malum vsum illius, propter quod erit etiam venditori tribuendus.

Tertio, Ars conficiens huiusmodi res est prohibita, vt docet D. Tho. loco cit. ex D. Chrysosto. & Cypriano; ergo neq; licet eas vendere. Probo consequen. Quia cum ratio mediorum sit sumenda ex fine, & artifices res artis suæ faciant, vt vendāt, quæ non licet facere, nec vendere.

In hac conclusione omnes conueniunt, & habetur vt ait D. Anton. 21. q. 1. Can. 1. sed apertius. De consecratio. Dist. 5. Can. Fucare. vbi damnat D. August. vendere viris inaures vel alia ornamenta, Quia *hæc* inquit *non ad placendam hominibus, sed ad seruiendū dæmonibus adhibentur.* Et l. Quod sæpe §. veneni. ff. de contra. emp. quam afferunt hic. Angel. Antoni. & alij DD. habetur. *Rei flagitiosæ quæ nullomodo per additionem alterius vtilis esse potest, nec emptio, nec mandatum, nec societas valere posit.* Et de huiusmodi rebus intelligendi sunt Cano. Falsas. Can. Fratres. Can. Negotium. De pœnitent. Dist. 5. in quibus damnantur artes, officia, & negotia, quæ sine peccato exerceri nequeant, & prohibentur absolui, vel admitti ad pœnitentiam in huiusmodi artibus vel negotiis persistentes.

Secun. Conclus. *Vendere rē indifferentem eo animo vt emptor illa abutatur illicitum est omnino*: Constat iam ex dictis, quia tali animo vendēs consentit, & cooperatur peccato emptoris.

Tertia conclus. *Vendere res indifferentes quarum abusus non toleratur a Repub. & cedit vel timetur probabiliter cedere in damnum tertij, siue particulare, siue publicum Reipub. vel Religionis Christianæ illicitum est omnino. Committitque sic vendens idem peccatum quod emptor & incurrit easdem pœnas.*

Patet. Primo, quia In rebus indifferētibus quarum abusus est in damnum tertij, non licet vti peccato proximi neq; in propriū commodum, vt constat ex secunda obseruatione.

Secundo, qui potest & debet prohibere damnum alterius, nec prohibet, concurrit etiam ad illud, saltim virtualiter, venditor iste in hoc casu potest prohibere dānum, quod per res illas vult emptor alteri inferre, non vendendo illas, debetque illud ex præcepto charitatis prohibere; ergo vendens cooperatur peccato ementis.

Deniq; tenetur ex pręcepto charitatis, qui intelligit vel prudēter suspicatur Ioanē nociturū Petro vel admonere Petrū, vt sibi caueat, vel denuntiare, aut accusare Ioannē, quando sola admonitione non occurritur sufficienter illi periculo. Ergo multo potius tenebitur non vendere illi arma quibus potest fratri nocere. Et confirmatur. Iudex rectus iustè condemnaret talem venditorem, si iuridice probaretur illum prudēter suspicantem malum animum emptoris vēdidisse illi huiusmodi res, sicut cōdemnatur qui interfecturo fratrem accommodat sua arma, talis igitur venditor grauiter peccat in hoc casu.

Dixi in hac conclusio. res indifferentes quarum abussus non tolleret Respubli. & cedunt in damnum tertii, quia vbi non cedunt in damnum alterius, esto non tolleret illos Respub. non reddunt venditionem illicitam, quamuis sciat venditor emptorem rebus illis abusurum (v. g.) licet vendere cibos violaturo ieiunium, modo non vendantur eo fine vt emptor ieiuniū frangat, sed solum animo vendendi rem suam: quia licet iste abussus non tolleretur ab Ecclesia, at cum ciborum emptio sit res indifferens, qua potest emptor bene vti, si male vtatur, nulli nocet pręter quam sibi soli, (suponimus enim frangere illud ex sola gula non ex contemptu religionis) Nec tenetur venditor cauere illum abussum, sed potest vti peccato illius qui ita paratus est comedere, in suum cōmodum, nempe vt res suas vendat.

Quarta conclusio. *Res indifferentes quarum abussus tolleratur a Repub. nec sunt in damnum alterius vendere, licet etiam si intelligat venditor emptorem illis ab vsurum, nec tenetur venditor in his examinare mores vel intentiones ementium.*

Probatur. Quia si ad id tenerentur venditores, quotquot sunt artifices, & venditores mercium essent in statu peccati, quia multi res illorum non emunt nisi in malos fines, nempe vt illas dono offerant mulieribus, aut iudicibus in malum finem, paratiq; sunt vendentes ista ad venden-

dendum omnibus indifferenter sine vllo examine emptorum. Nec vllus est Doctor qui illos ad tale examen obliget, esset enim durum & rigidum.

Secundo, venditores isti solum instituũt vendere res suas, peccatum vero illud emptorum nec directe, nec indirecte volunt; ergo non peccant vendendo. Consequentia perspicua est, quia vbi nullus est consensus, nec peccatum: Antecedens vero ostendo. Inprimis non volunt peccatum illud directe & formaliter, cum solum intendant res suas vendere. Neque indirecte, probo: indirecte dicitur concurrere aliquis ad peccatum alterius, quando non prohibet illud cum possit & debeat, in hoc autem casu venditor, etsi possit prohibere peccatum emptoris, non tamen tenetur, quia non tenetur priuatus ciuis prohibere aut vitare, quæ à Repub. tolerantur: etenim si illa euitare oporteret, illud gubernatoribus tantum incumberet non priuatis.

Tertio, venditio in qua nulla est iniustitia, nec ratione pretij, nec ex defectu rei, licita est, quando ordinatur ad bonum Reip. sed venditio rei indifferentis cuius aliquem abusum tolerat Respub. est huiusmodi, ergo licita. Probo minorem. Accessorium, vt dicunt, sequitur naturam sui principalis; sed huiusmodi abusus, esto in eo qui re illa abutitur sit malus, & peccatum, Reipub. vero vtilis est & bonus, veluti esse meretrices ne tota ciuitas libidine ardeat, vti Iudæos suis ritibus in confirmationem nostræ fidei, vendere igitur his res indifferentes licet, non tanquam ad malum vsum eorum; sed in bonum commune Reip. vel fidei.

Quarto, in rebus sic indifferentibus non licet quidem in ducere aliquem non paratũ ad peccandum, licet tamen vti peccato illius, qui iã paratus est in propriam vtilitatẽ, in casu autem huius quartæ conclus. venditor non inducit emptorem ad peccandũ, imo vellet illum non peccare; sed solum vtitur peccato illius in suũ cõmodum; Ergo. Dices licet emptor ille paratus sit ad peccandum, at eo tempore & loco non peccaret, nisi venditor illi vendidisset, vnde videtur ad illum particularem actum peccati offerre illi occasionem: Hęc ratio nihil refert, nam nec vsurarius paratus, in particulari exerceret hic & nunc vsuræ actum, nisi ego ab illo peterem pecuniam, & nihilo minus vt videbimus licet illam petere ab illo.

Denique nisi hęc conclus. vera sit, peccaret qui meretricibus venderet carnes, panem, medicamina, & necessaria saluti illarum, cum ille salute sua abutantur ad peccandum. Similiter qui locaret domum meretrici, vsurario, aut cuiuis peccatori, cum non vtantur illa nisi ad sua delicta, quod tamen nullus affirmabit. Intelligenda autẽ sunt hæc quæ dicimus de emptore parato ad peccandum, peccato sibi tantum nociuo, nã si peccatum illud redactum in opus sit in damnum alterius, illicita est venditio, vt ex præced. conclusionibus constat.

Ex his conclusionibus licet nõnulla colligere ad praxim pertinentia.

Primo. Non licet vendere paganis idola, vel altaria iuxta illorum ritus confecta: Nec Iudęis vestes Sacerdotales, panẽ azimum, lactucas agrestes, gladiolos circuncisorios; nec ædificare, idolatris delubra, aut Iudæis Synagogas, aut Mauris mesquitas cum his omnibus nequeant vti nisi ad suos ritus. Nec licet vendere Iudæis, vel infidelibus crucifixum, aut imaginem aliquam Christianorum, cum his præsumendum sit eos abuti, irridendo, & improperando illis qui abusus cedit in maximum contemptum Religionis, nec toleratur ab Ecclesia. Licet autem Iudæis vel aliis vendere agnos, flores, & similia quibus quiuis potest bene vti, esto sciat venditor illos eis abusuros: quia sunt res ex se indifferentes, quarũ abusus culpa tantum emptorum accidit, & toleratur.

Sequitur secundo, non licere vendere venenum, vel arma illa quę solum deseruiũt homicidiis per insidias, nec alia arma tempore belli iniusti, quia hoc est est in damnũ Reipub. nec Respub. humana communis illud tolerat, quãuis hic priuatus princeps iudicet bellum illud sibi expedire. Vnde in eo casu nec subditus illius Principis, nec alius potest arma vendere, vbi vero bellum est dubium, subditus potest illa vendere, sicut & militare, extraneus vero non potest. Quod autem quidam dicunt, tempore belli iniusti posse speculatiuè arma vendi tanquã res indifferentes: practicè vero non posse, quia milites non vtentur illis vt indifferentibus, sed vt nociuis in damnum tertii, reiiciendum est: In materia enim morali non sunt admittendę istę metaphysicę speculationes, cum practicè arma tali tempore nociua sint in damnum Reipub. & Innocentũ, quod damnum tenetur quiuis vitare quantum potest ex charitate, & iustitia legali.

Vnde

Vnde vendens cooperatur iniquitati illi sui Principis, similiter extraneus qui in bello dubio venderet, cum non teneatur obedire Principi alieno, teneatur vero vitare quantum potest damna proximorum. Quod non est de subdito, qui tenetur in dubio suo principi obedire, vt recte docet Caiet. infra q. illa 169.

Sequitur tertio, non licere vẽdere arma, vel gladium ei qui pręsumitur vel se ipsum, vel alium occisurum. Nec venenum, non solum illud quod læthale tantum est, quod dicitur toxicum, verum neque illud quod est indifferens, potestque misceri medicinis, quamuis solis pharmacopolis illud vendi posſit. Nec licet vendere ea quę habent vim veneni, vt *Solyman* quibus vtuntur fœminæ ad suos fucos, præter quam fœminis honestis, quas certisſimũ sit illis nõ abusuras; Nec licet vendere puellæ aut mulieri grauidæ quæ inferunt abortum. Similiter neque ea, sine quibus emptor (esto alias haberet animum peccandi) actu tamen sibi vel alteri nociuo non peccaret, (V. g.) est virgo parata ad stupũ, vel mulier ad adulterium, quod perpetrare nequeũt nisi domum meam illis conducam, non possunt in hoc casu eam illis locare. Horum omnium ratio est, quia abusus emptoris circa huiusmodi res non toleratur à Repub. quia est in damnum tertij, quod tenetur quiuis ex præcepto charitatis quantum potest vitare.

Sequitur quarto, licere tẽpore pacis & iusti belli conficere arma communia, quibus homines bene, vel male vti possunt præter quam his quos prudenter suspicatur illis abusuros, aliis vero ab his recte possunt; nec tenentur emptorum mores vel intentiones inquirere, sufficit illos non esse viros suspectos. Similiter licet vendere taxillos, aleas, &c. etsi venditor sciat emptorem illis abusurum, tum quia talis abusus non est tribuendus venditori, tum quia toleratur à Repub. nec est in damnũ tertij. imo vt recte obseruauit Syluest. aleis & taxillis vtuntur sæpe homines bene sicut pilis & schachis in leuamẽ tedij, & laboris. Similiter licet vẽdere fucos & quæuis ornamẽta fœminis non solum honestis, verum etiam meretricibus, & aliis rebus illis abusuris. Ratio horum omnium & similium est: quia venditor solum vendit animo vẽdendi res suas, quod si emptores illis abutantur, vitio eorum non venditorum illud accidit, estque abusus toleratus à Repub. & in illius vtilitatem. Vnde male quidam adeo fucos mulierum honestarum, & quibus moderate illæ vtuntur reprehẽdunt, cum id eis maxime liceat, ne viri ipsarũ alias quærãt, vnde Pau. 1. Corint. 7. *Mulier nupta cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat viro.*

Ita fit recedendum esse in hac parte a sententia illa Angeli, Hostiensis, Archidiaconi, Medinæ, Nauari, & aliorum sentientiũ non licere hæc vendere emptori, qui timetur illis abusurus. Sententiã vero quam hic sequimur, docuit etiã vir eruditisſimus Ioãnes à Peña, subscribitque D. Nauar. cap. 28. additionum ad cap. 17. nu. 185. vbi retractat opinionem, quam habuerat cap. 23. num. 90.

Ex his sequitur licere etiam locare domos vsurariis, lusoribus, & meretricibus, nisi hæ sua vicinia plurimum nocerẽt aliis fœminis honestis, quia tunc in damnum tertij illud cederet meretrices habere vicinas.

Nunc ad illa argumenta Medinæ & aliorum initio proposita.

Ad 1. Respondeo veditorem vel ministrum eius solum cooperari peccato emptoris, & tribuere illi instrumenta iniquitatis, quando vendunt illi vel res ex se tendentes in malum, vel indifferentes quibus emptor abutitur in damnum tertij, estq; prohibitum à Repub. vt si daretur gladius furioso, vel quando vendit illi habens eandem prauam intentionem, quam habet emptor ille: extra hos casus nõ est dicendus illi cooperari.

Ad 2. Dico, in illo cap. vnico haberi sermonem de armis & sagittis tempore belli iniusti, & damnari ibi artes conficientes instrumẽta prohibita á Repub. & nociua proximis.

Ad 3. Constat ex dictis; venditorem cõcurrere in directe ad malũ vsum emptoris, in rebus quæ cedunt in damnum tertij, vel ex se vel vitio emptoris, quia illud damnum potest & tenetur prohibere, in aliis vero indifferentibus quarum abusus non est ita nociuus, nec prohibitus, non concurrit neque directe, cum non vendat tali animo & fine, neque in directe, quia non tenetur illud prohibere, vt explicatum est.

Ad 4. Constat ex dictis abusum rerum quæ ex se & natura sua tendunt in malum finem, esse in damnum tertij, & ideo prohibitum à Repub. Abusum vero aliarum rerum quæ ex se indifferentes sunt, nec tendunt in damnum alterius, tolerari, & ita priuatos venditores non teneri ad illud vitandum, sed posse eo vti in suum commodum.

Ad

Ad vltimum dico, permissionem Reipub. non efficere vt quod ex se malum est bene fiat, efficere tamen, ne priuati teneantur ad illud prohibendum, imò nec posse ipsos illud prohibere, cum gubernatores illud permittant vt rem bono communi vtilem, & ita possunt cõficere & vẽdere, quæ illi vsui, & si malo vtilia sunt, quatenus abusus ille cedit in bonum Reipub.

Offerebant sese hic nonnullæ aliæ controuersiæ, quæ ad hanc quæstionẽ siue disputationem de emptione, & venditione videbantur pertinere, quas inferius tamquam cõmodiori loco explicabimus.

Nam inprimis varios titulos, seu caussas excogitatas ab hominum cupiditate, ad augenda rerum venalium pretia, ratione expectatæ solutionis explicabimus q. 78. art. 2. agentes de vsuris, cum tale augmentum pretij vsurarium plerumque sit.

De Monopoliis, quę venditores excogitant ad rerum caritatem, agemus in disputatione priuata de contractu locationis. Ad quẽ etiam pertinent emptiones & venditiones fructuum, & redituum, siue seculariũ, siue Ecclesiasticorum, quæ hispane dicũtur *arrẽdar*, de quib⁹ ibidẽ copiose disseremus, & de variis difficultatibus, quæ circa huiusmodi emptiones fructuum tam in foro animæ, quam in foro exteriori passim accidere solent.

Eodem loco explicabimus, quæ ad promercatores pertinent; cum frequenter hominum vitio, & iniquitate, occasione fructuũ quos ex decimis, & primitiis multi emunt, alios fructus, similesque res in vnum congregare, & occultare, vt ea via pretia rerum augeantur, soleant.

Vbi, quia periculosum illud vendendi emendiq; genus, quod hispane dicimus *moatras*, in quo res alicui carius vendita ad creditum, ab eodem vilius numerata pecunia statim emitur, ab eisdem promercatoribus exerceri solet, eodem etiam loco á nobis examinabitur.

Multa denique hic tractari poterant circa venditiones, quæ commodius à nobis inferius dum minutiores contractus; veluti Societatis, Depositi, Commodati, Locationis, Assecurationis, & similes percurremus, commodius explicabuntur. Nunc quę hactenus dicta sunt ad intelligentiam huius quęstionis 77. dicta sufficiant.

Quęstionem vero seu disputationem ab omnibus peritis iudicatam difficilem, quam proxime subiicimus de Vectigalibus, & Gabellis á veritatis studiosis opto, ac postulo attente legi, & considerari, propter crassam nimis ignorantiam, quam circa hæc, non modo imperitum vulgus, verum etiam & multi confessarij cum graui cõscientiarum damno patiuntur.

DISPVTA-

DISPVTATIO DE TRIBVTIS ET VECTIGALIBVS. AVTORE EODEM F. Michael Salon Augustiniano, Sacræ Theologiæ Doctore.

CVM pręcedenti quęst. de emptionibus,& venditionibus cum D. Tho. disputauerimus, inquo genere contractus, preter iniustitiā quæ vel ratione rei vendite, vel ratione pretij cōmiti potest, alia quoq; nonnūquam accidat,nempe vt per fraudem vel occultatio-nem mercium non soluantur vectigalia, gabellę,municipalia jura quę dicuntur Asisia, & similes impositiones, ęquum esse duximus de his omnibus hoc loco antequam ad alias quęstiones D.Thom. progrediamur copiose disserere: Vbi quinq.a nobis diligenter discutienda sunt Primo. Explicabimus varias voces quibus DD. tam Theologi quam Iurisperiti, & Summistę in hac disputatione vtuntur. Secundo, An vectigalia & tributa iusta sint in foro animæ debita & persoluenda, etiamsi non exigantur a Principibus, & Magistratibus, vel ab illis quibus hæc cura incumbit? quos Sacrę literę exactores vocant vel publicanos. Tertio, Quæ conditiones siue leges exigantur, vt huiusmodi gabellæ & vectigalia iusta sint,& in foro animæ debita. Quarto, Expendemus priuatim,& in singulari vectigalia gabellas, & Asisia quę in hoc nostro Regno,& ciuitate Valentiæ,& alijs locis Hispaniæ sunt in vsu. Demum quid iustitię vel iniquitatis contineant Tributa,& obsequia siue munera quæ subditi Ducibus, Comitibus,Varonibus,& alijs Dominis locorum maxime nouiter conuersi solent conferre.

AGVNT. de his omnibus DD. Theologi in 4. Dist. 15. inqua a Magist. & Scolasticis disputatur de restitutione. Sumistæ in verbis. Vectigal, Pedagium, Gabella, & Munus. Iuristæ ff. de publicanis. Et Cod. Noua vectigalia instit. non posse. Et in priuatis tractatibus de Vectiga. & Tributis. Canonistæ in cap. Super quibusdam. Ext. de verborum signif. cap. Quanquam de censibus, & cap. Innouamus. Ioan. Medina. Cod. de Restitut. q. 13. De Gabellis non defraudandis, & sequen. Soto lib. 3 de Iust. q. 6. ar. 7. Et lib. 4. q. 6. ar 4. Castro de lege pœna. lib. 1. cap. 9. & sequent. D. Thom. Opusculo 20. cap. 4. & 11. Et in Epistola ad Ducissam Brabantiæ de regimine Iudeorū. D. Antoni. 2. p tit 9. cap. 13. Ioan. Driedo. lib. 3. de libertate Christiana. cap. 5. Couarru. in Reg. Peccatum par. 2. §. 5. Nauar. in suo manua. cap. 23 num. 54. & sequen Cordub. in opusculo de casibus conscientiæ. q. 95. Magister & institutor meus Blasius Nauarro in suo opusculo de vectigalibus, & Ludouicus Lopez in suo instuctor. conscien. p. 2. cap. 36. & sequen. è quibus omnibus & alijs non paucis quæ in hac disputatione afferemus desumpta sunt.

ARTIC. PRIMVS. QVID *proprie ista sint. Census, Tributum, Vectigal, Gabella, Duana, Theloneum, Pedagium, Guidagiū, Asisium, Impositio, Collecta, Tallia, Prestantia, Munus, Obsequium, Angaria, Perangaria, & Similia.*

CVM his & similibus vocibus vtantur Doctores in hac disputatione quam aggredimur, propria singularum significatio & vis est initio á nobis explicāda necessario, vt rerū de quibus dicturi sumus explorata & perspecta propria ratione, &natura, quibus legi bus

bus illę contineri debeant, ne ęquitatis, & iustitiæ limites egrediantur, facilius judicemus.

Controuersia Prima.

QVID SIT CENSVS.

Primum igitur. Census vt obseruat Siluest. Gabella. Primo num.2. duplex est. Alter publicus, qui exhibetur Principi, vel Fisco: alter autem priuatus quem vnus ciuis alteri persoluit ratione fundi, domus, vel alicuius pecunię debitę, vel acceptę, qui dicitur annua pensio vel censualis pensio. In hoc posteriori sensu vtemur hac voce quæst. seq. 78. vbi de vsuris quæ in Censibus, cambijs, & similibus contractibus committi possunt differemus. In priori vero qui proprius est huius loci, Census est quod vnusquisque ciuis suo principi in signum subiectionis pręcipitur persoluere.

Qua de causa numerabantur & describebantur quandoq; apud antiquos subditi, idq; duobus modis: Nam aliquando fiebat huiusmodi descriptio, non solum vt haberetur numerus subditorum, verumetiam vt vna cum ea numeratione deprehēderetur quantum vnusquisque haberet in facultatibus, vt iuxta illarum rationem & mensuram tributum principi penderet. Aliquando vero fiebat solo appetitu, & ambitione gloriæ, vt cognosceretur solum magnus subditorum numerus, nec computabantur tūc facultates vel reddebatur tributū iuxta illarum quantitatem, sed simplex tantum aliqua pecunia æqualiter ab omnibus.

Priori modo instituit cēsum inter Romanos Seruius, vt refert Titus Liuius lib. 1. sic de illo scribens: *Censum instituit rem saluberrimam tantum futuro imperio, cum quisque tantum persoluat, quantum ille iuxta bonorum suorum facultatem ac æstimationem præscriptum fuerat.* Vnde qui singulorum facultates ęstimabāt, dicti sunt Censores, & illarum rerum æstimatio Census, indeq; translato nomine quod quisq; persoluebat dictum quoq; fuit census. Ita Cice. 3. de legibus refert verba illa sumpta ex legibus duodecim Tabularum. *Censores populi familias facultatesq; censento* Hinc sicut duces exercituum in suis signis militaribus vtebantur illis quattuor literis S. P. Q. R. ita hi censores cum ad describendos subditos proficiscebantur, deferebant quoque secum quędam velut signa militaria descripto in eis triplici C. C. C. id est *Ciues, Capita, Census.* Hoc modo Pompeius, vel alius aliquis voluit Iudęos describi cum primum cœperunt Romanis esse subiecti ex Iosepho lib. 18. Antiquit. cap. 1. quod illi ęgrè admodum tulerunt, sed persuadente illis Sum. Sacerdote Iozaro passi sunt personas ipsorū describi, & facultates eorum censeri, ne bellis vastarentur.

Secundo vero modo pręcepit Octauianus Cæsar qui primus fuit vocatus Augustus, anno 42. sui Imperij, quo tempore natus fuit seruator noster Christus, vt describeretur vniuersus orbis, qui Imperio Romano subiacebat. Hæc enim descriptio Octauiani edicto indicta, (vt optime obseruat Cornel. Iansenius. 8. cap. suę Concord. Euangelicę) non fuit facta ad censendas facultates, sed vt constaret tantum quam ingens subditorum numerus Octauiani ditioni pareret. Quod optime colligit, primo ratione, Quia si vna cum descriptione hominum fuissent quoq; tunc censenda singulorum bona, non expediebat, vt ascenderet vnusquisq; in ciuitatem vel oppidū vnde erat oriundus, quin potius vt maneret in eo loco, vbi domum possesionesq; habebat: descriptio autem illa vt constat ex D. Luca fuit facta vnoquoq; in ciuitatem vnde erat oriundus ascendente. Secundo ex eadem scriptura, quæ hanc descriptionem professionem vocat, qua nomen dabant Principi Romano, & se illi subditos profitebantur, indicans hoc fine factam esse, non ad ditandum ęrarium Imperatoris. Ita dicitur Luc. 2. *Ibant omnes vt profiterētur, &c.* Et Paulo post: *Ascendit autem & Ioseph vt profiteretur cum Maria, &c.* Et Acto. 5. agens D. Lucas de illo Iuda Galileo qui voluit haberi pro Christo eodem tempore quo seruator noster natus est, ait: *Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, &c.* In hac ergo descriptione indicta ab Octauiano non fuerunt censitę facultates Iudæorum, sed solum in signum subiectionis descripti vniuersi, & solutus ab vnoquoq; quidam numus. Cœpitque ab eo tempore singulis annis solui numus ille ab omnibus tanquam census quo subiectionem illam profitebantur: cudebaturque numisma quoddam cum immagine, & inscriptione Cęsaris, quo census hic persoluebatur, vt hac ratione subiectio illa, & solutio diutius ac firmius permaneret, neq; ab ea vllo tēpore Iudæi retrocederēt. Is enim est census de quo Iudæi cum Herodianis. Math. 22. Christū seruatorem nostrum sub dolo interrogarūt, liceret ne cēsum dari Cæsari

Cæsari an non? quibus Christus Dominus sapientissime ex immagine & subscriptione numismatis quo per soluebatur census ille, occurrit. Etenim cum in illo esset immago & nomen Cęsaris respondit. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, &c.* Qui plura de huiusmodi censu desiderat, legat Orosium de his quæ acciderunt circa Christi natiuitatem.

In summa census est quod redditur Principi titulo subiectionis, in quo sensu dicitur. L. Aetatem. ff. De censibus. *Quod annuatim soluitur in quantitate, &c.* Qui in subiectionis signum, & Principis necessitates persoluitur apud Christianos Principes, vt suo loco dicemus institui potest ab ipsis, & subditis imponi; qui vero ad gloriæ tantum vel cupiditatis ambitionē, & apetitum, nec est, nec debet apud eos esse in vsu, cum Dauid. 2. Reg. 24. eo quod ex ambitione & tu more animi populum describi, & numerari voluerit, grauissimas Deo poenas reddiderit. Et hæc de isto censu.

Controuersia Secunda.

QVID SIT TRIBVTVM.

TRIBVTVM est quod ex proprijs fructibus, vel terrę nascentibus tribuimus Principi, vel Reipub. ad alendos milites, & exercitus, qui ciues ab hostibus tueantur. Vnde Cicer. 2. Offic. dixit: *Danda opera est, ne quod apud maiores nostros sæpe fiebat propter ærarij tenuitatem, & bellorum assiduitatem, tributum sit conferendum.* Ideo Festus vt refert Ambrosius Calepinus. *Tributum* (inquit) *dictum est, quod ex priuato in publicum tribuitur, vtpote ad alendum publicum militem.* Qua de causa vocatur etiam stipendium, vt habetur. L. Ager. ff. De verb. & Rerum signif. Varro. cui consentit. D. Isidorus lib. Etimolog. vult dictū á Tribubus, quia vnaqueq; Tribus & Pars populi ex suis bonis iuxta hæreditates quas possidebat, partem aliquam conferebat in stipendia militum. Archidiac. in Can. Si in morte. 23. quæst. vlt. nu. 2. ait. dici Tributum, quia Tribunis qui præerant partibus populi Rom. ad sumptus necessarios ad tuendam ciuitatem â singulis conferebatur. Quæ omnia in idem fere coincidunt, vt Tributum sit, quod ex proprijs fructibus persoluitur ad Reipub. defensionem, & vtilitatē, qua de causa exhibetur Principibus tanquā acerrimis ipsius Reipub. defensoribus, & his quibus ex officio incūbit ciues in pace continere, suū vnicuiq; tribuere, impios & sceleratos Reipub. perturbatores arcere, exteros inimicos vi & armis profligare. Quod optime docuit B. Paul. ad Roma. 13. vbi cum prius dixisset de Principe: *Minister Dei est, ac vindex in eos qui male agunt, non. n. sine causa gladium portet, &c.* Subiungit: *Ideo tributa præstatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes, &c.*

Quo fit censum & tributum differre tribus modis. Primo. Quia census commode diuiditur in publicum & priuatum, vt vidimus cum Syluest. Tributum autem publicū tantum est cum soli Principi reddatur. Secundo, differunt materia, quia census redditur de quibusuis bonis, tributum vero de solis terrę nascentibus. Tertio, distinguntur fine, cum census in signum subiectionis & seruitutis exibeatur, tributum verò licet nō reddatur nisi à solis subditis suo Principi, non tamen redditur in signum subiectionis sed ad defensionem tantum Reipub. & eiusdē necessitates: quibus debet Princeps prospicere. Vnde ex solutone tributi non infertur necessario subiectio, vt recte docet Abbas in cap. 2. De censibus num. 3. & Felin. in cap. Ad audictiam num. 21. De præscrip. Glosa. in verb. Ecclesia. in Can. Tributum. 23. q. 8. Et DD. in Can. Magnum. 11. q. 1. & in cap. Præterea, el segundo. De Transactionibus.

Controuersia Tertia.

QVID SIT DIDRACHMA.

VOX TERTIA est didrachma, quæ licet modo nō sit in vsu, cum tamē legatur in Euangelio, explicanda quoq; à nobis est. Legimus enim Math. 17. Publicanos qui Capharnaum tributa exigebant cum eo Dominus transiret, dixisse Petro: *Magister vester non soluit didrachma?* Est ergo quęstio inter Doctores quid essent hæc didrachma, est enim vox pluralis cuius singulare est didrachmū.

D. Chrisost. quem sequuntur Theophilac. & Euthimius, putat peccuniam illam quæ secundum legem Moysi soluenda erat à primogenitis, appellari ibi didrama. Dominus enim quia ad liberandos Israëlitas primogenita Aegyptiorum percusserat, postulauit consecrari sibi omnia primogenita Iudæorum, cæterum quia solam Tribum Leui designauerat in

rat in ministeria & obsequia Tabernaculi, constituit legem. Leuit. 12. vt primogeniti Tribus Leui manerent sibi consecrati, & in Tabernaculi obsequium: primogeniti verò aliarum tribuum redimerētur quinq; siclis. Hanc ergo pecuniam quinq; siclorum pro primogenitis persoluendam, opinatus est Chrisost. cum Theophil. & Eutimio esse didrachma quæ á Christo postulabant exacto res illi Capharnaitæ.

Sed hęc sententia non est accomodata. Primo quia illi quinq; sicli semel tantum persoluebantur, quadragesimo scilicet die á natiuitate infantis, sicut persoluit eos Beatissima Virgo pro Christo in die suæ Purificationis: Quod significauit D. Luc. dicēs: *Tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vuluam sanctum Domino vocabitur.* Idest omne masculinum primogenitum erit consectatum Domino, ait Redemptum quinq; siclis, tuleruntque illum in Hierusalem vt id pręstarent. Secūdo hæc pecunia quinq; siclorum reddebatur soli Sacerdoti, & in templo tantum, vt ex eodem Euangelio constat, didrachma vero Publicanis Romanis in quacunq; prouincia. Tertio, pro primogenitis persoluebantur quinq; sicli, didrachma autem nec vnicus siclus est, sed dimidium sicli. Nam vt licet colligere ex Budeo in lib. de Asse, & D. Hiero. in 4. cap. Ezechiel. & Iosepho lib. 3. Antiquit. cap. 12. Siclus idem est quod stater, valens quatuor drachmas sicut stater, vnde didrachmum, id est duplex drachmum, dimium tantum est stateris vel sicli, tantum abest vt sit quinq; sicli: Valet autem didrachmum ex Budeo & alijs septem stuferos Teuthonicos, apud Germanos; Septem solidos Turonicos apud Gallos, qui apud Hispanos efficiunt Argenteum & dimidium dēptis duobus vel tribus nummis Valentinis.

D. Hilarius cum Exod. 30. præciperetur, *Vt omnis vir qui est in numero filiorum Israel vigesimum anno egrediens persoluat dimidium sicli in vsus tabernaculi.* Existimauit didrachmum esse hoc dimidium sicli, adductus similitudine pecuniæ, cum didrachmum vt modo ostendimus sit dimidium sicli, videturq; fauere huic sententię, quod habet Iosephus lib. 7. de Bello Iudaico cap. 26. præcepisse Vespasianum Iudęis omnibus vbicunque degerent, vt binas drachmas, id est didrachmum singulis annis penderent in Capitoliū, sicut antea pendebant Hierosolymorum templo: Vbi videtur Iosephus insinuare dimidium sicli quod pendebatur templo, esse didrachmum quod Publicani Romanorum postularunt à Christo.

D. Hiero. Iudicat didrachma esse illum censum seu tributum, quod á tempore natiuitatis Christi edicto Octauiani Iudæis fuit impositum, & quod ceperunt persoluere vnusquisq; in ea ciuitate, vel oppido vnde erat ortus vel oriundus. Et quoniam Christus inquit Hieron. nutritus erat in Nazareth oppido Galilee, credebaturq; ibi ortus & Galilæus: postulant ab eo hoc tributum vel censum Capharnaum, quæ Metropolis erat Galilææ.

Hęc D. Hieron. Sententia probabilior multo est quam illa D. Hilarij. Primo, quia etsi post destructum templum à Vespasiano non solueretur dimidium illud sicli in vsus templi, attamen quandiu templū perpermansit semper illud fuit persolutum à Iudæis iuxta præceptum legis in vsus Templi, exhibebaturq; Sacerdotibus, vel Leuitis, minime vero publicanis Romanis, vnde aliud necessario est didrachmum illud quod à Christo exigebatur. Secundo ipsemet Christus explicauit quid sit hoc didracmū. Cum enim illud postulassent á Petro, de eodem agēs seruator noster dixit statim eidem Petro. *Reges gentium a quibus accipiunt tributum vel censum, &c.* Eo vero tempore quo hęc acciderunt nullum aliud tributum vel censum persoluebant Iudæi Romanis nisi illud quod manserat à tempore Octauiani.

Nec repugnant nobis quę scribit Iosephus loco citato, præcepisse Vespasianum omnibus Iudęis, vt duas drachmas soluerent ac deferrent in Capitolium: Quia Vespasianus nō imposuit nouum tributum Iudæis. cum iam à tempore Christi solueretur didrachma ab ipsis: sed quod fuerat à Pompeio, vel Cęsare Augusto impositum Iudęis, Iudæam incolentibus, hoc extendit Vespasianus ad cęteros omnes Iudęos, qui per varias regiones erant dispersi, vbicunq; terrarum agerent. Nec ait Iosephus medium sicli quod pendebatur templo, esse didrachmum quod ferebatur ad Capitolium, sed perinde deferri illas duas drachmas in Capitolium à Iudæis, sicut antea reddebatur medium sicli Templo, vbi similitudinem insinuat, non (vt ita dicam) idem ptitatem.

Vnde colligo iuxta D. Hiero. Didrachmū esse tributum illud, siue censum quod á Iudæis

Iudæis reddebatur Romanis in signum subiectionis, non quidem illud quod fuit impositum à Pompeio, sed quod fuit in dictum ab Octauiano, vt vult Cornel. Iasen. & optime. Primum, quia Pompeius soli Iudeę, & non Galilæę imposuit tributum, siue censum. Octauianus verò toti Palestinę, Et didrachmum quod postulabant á Christo exigebatur Galilææ.

Secundo, Quia tributum siue census impositus à Pōpeio Iudęis ille idem erat qui à principio vrbis conditæ fuerat impositus à Seruio Romanis, qui nō continebatur certa quantitate, sed iuxta proportionem facultatum, & bonorum quæ vnusquisq; possidebat reddebatur. Census autem impositus ab Octauiano (vt diximus) continebatur certa quantitate, idemq; reddebatur ab omnibus, & tale fuit didrachmum postulatum à Christo, certus vtpote census ac difinitę quantitatis nempe duarum drachmarum: quod ex eodem contextu Matth 17. patet. Etenim cum decreuisset Christus ad tollendū scandalum censum illum exactoribus Capharnaitis reddere, dixit Petro: *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle: & aperto ore eius inuenies Staterem, illum sumens da pro me & te:* Vbi cū ab vtroq; vellet censum illum exhiberi, & á se, & á Petro, ita vt vterque tanquam pater familias & caput illum persoluerent, staterem reddi iussit, qui vt diximus duplex didrachmū valet, nēpe quatuor dragmas, vt ea ratione didrachmum vnum redderetur pro Christo, & aliud pro Petro.

Vbi miror profecto plurimum, Mag. Blasium Nauarro virum eruditissimum, & singularis ingenij, multęq; lectionis indicasse didrachmum iuxta D. Hieron. nōn esse censum, cum Diuus Hieron. de dridachmo isto agens sic scribat: *Post Augustū Cæsarem Iudea facta est tributaria, & omnes cēsi capite ferebantur: vnde Ioseph cum Maria cognata sua profectus est ad tributum hoc persoluendum in Bethlehem, Prima enim solutio huius census facta fuit in ijs oppidis aut ciuitatibus, vnde vnusquisq; originem ducebat.* Vbi aperte D. Hiero. illum censum qui ab Augusto Cęsare fuit impositus Iudæis, & ad quem per soluendum profectus fuit Ioseph cum Beatissima Virgine prægnante in Bethlehem, docet esse didrachmum, de quo Capharnaitæ exactores Petrum interrogarunt, Et Christus ipse vt vidimus in textu tributum vel censum appellauit. Nec alius census tempore Christi reddebatur Romanis, nisi ille ab Octauiano impositus, vt patet ex eodem Euangelio. Nam cum Math. 22. Iudæi Christum dolose interrogarunt liceret ne censum dare Cęsari, non distinxit Christus census, sed simpliciter, & absolute dixit. *Ostendite mihi numisma census.* Nec illi distinxerunt, cuius census numisma postularet, sed simpliciter etiam, & absolute quia vnicus tantum erat eò tempore census, ostē derunt illi numisma.

Nec repugnat nobis quòd affert Mag. Blasius, quòd in censu esset descripta Cæsaris imago, quasi esset nouum tributum, didrachmum verò esset tributum iam antiquum dicente D. Hiero. de illo. *Romani ex more poscebant tributa,* quia idem numisma valens duas drachmas erat illud quòd imaginem Cęsaris habebat, nec opositum potest ostendi, & census iste quem dicimus esse didrachmum ex eodem Hiero. antiqua consuetudine postulabatur, vt pote á tempore Augusti Cęsaris. Minus vrget quòd subiūgit, censum dari in signum subiectionis, didrachmum in vsus Capitolij, sed solū scribat deferri illud in Capitolium. Vnde idem census qui ab August. Cęsare. fuit impositus duas dragmas valens: & immagine Cæsaris cussus in subiectionis signum, fuit de inde iussu Vespasiani ab omnibus Iudęis extra Iudeam agentibus vbicunq; habitarent in Capitolium deferendus.

Controuersia Quarta.

QVID SIT VECTIGAL.

APVD autores vectigal promiscue aliquando sumitur, & velut commune nomem sicut & Gabella ad omnem publicā exactionem, & impositionem, ita vt tributum, census, pedagium, assisium, & similia, quasi cōmuni nomine appellentur vectigalia, qua ratione. L. Imperatores. ff. de Publica. vt obseruat ibi Gloss. in verb. vectigalib. tributa quę Principibus reddūtur ex fructibus terræ, vocat vectigalia. Et Siluest. verb. Gabella. cap. 1. nu. 3. sequutus Archidiac. pedagium vocat vectigal. Et apud autores Latinos non solum sumitur pro exactione publica, sed pro quocunq; etiam fructu, & reddito quamuis priuato. Ita Cicer. in Paradox. *Ex meo tenui vectigali capio ego decenta.* In quo sensu agri, & homines quoque aliquos fructus ferentes dicutur vectigales. Et communi sermone omne debitum reddendi aliquid vocamus vectigal. Pro-

prie tamen, & ſicut præſens diſputatio poſtulat, peculiare nomen eſt, & peculiare quoddam exactionis genus.

Eſt. n. vectigal quod ex mercibus, & rebus quæ negotiationis cauſa, huc illucque transferuntur, & vehuntur, ſoluitur in locis à Principe, vel Repub. conſtitutis, ad murorum, turriũ, pontium, itinerum, & aliorum publicorum operum fabricam, & conſeruationẽ. Ita Gloſ. verb. pendant. in.l.1. ff De publican. & vecti. quo nomine Cice. pro Lege Manilia vocat vectigalia neruos Reipub. Et Suetonius in Ceſſare. *Agrum campanum* inquit, *Ad ſubſidia Reipub, vectigalem reliquit.* Et in hoc ſenſu ſumitur communiter à DD.

Vnde differunt Tributum, & vectigal materia, & fine, materia quidem, quia illud ſoluitur ex fructibus, & terræ naſcentibus, vectigal autem ex mercimonijs, & his quę vehantur negotiationis gratia: Ideo Gloſ. in Can. Si tributum. 11. q. 1. & Gloſ. verb. Regaliã. in cap. Generali. De Electio. in 6. Et Bartho. in. Lege Placet. De Sacroſanct. Eccleſ. aiunt. Tributum eſſe quod fiſco, vel Regi perſoluitur pro rebus immobilibus. i. ex agrorum fructibus, Vectigal verò pro rebus mobilibus, & his quę vehũtur. Et Archidiac. Can. illo. ſi in morte. 23. q. vlt. nu. 2. ait. *Tributum eſt quod ſoluitur per Regiones, ſed vectigal quod datur pro his quæ vehuntur per patrias.* Vnde dictum eſt vectigal á vehendo: Cui conſonant illud Gloſæ in cap. 13. ad Roma. *Tributum dicitur quod datur domi, vectigal vero quando ad domum vehitur.*

Differunt quoque fine, quia tributum ſoluitur Principi, tanquam in ſtipendium ſui muneris, & Militum quibus indiget, ad Reipub, & ſubditorum propugnationem, vectigal verò ad alias neceſsitates Reipub. veluti muros, pontes, itinera, & publica ædificia.

Hoc vectigal cœpit ſtatim apud Romanos ab vrbe condita, etſi non legatur certus illius autor, ſoluebaturque octaua pars eorum quę deferebantur ad mercimoniam, vt conſtat ex. L. Ex prҿſtatione. iuncta. Gloſ. Verb. octauas. Et. L. Allegatis. iuncta Gloſ. verb. octauarij. Cod. De Vectigal. Sed quia erat graue, & oneroſſum nimis octauam partem mercium reddere, Cayus Caligula propter gerulorũ (id eſt arrieros, ò trag ineros) diurnas quæſtiones, & continuas querellas, vt ait Sueton. in vita Caligulę inſtituit, vt non redderetur niſi decima pars, ſicut modo ſe habet Caſtellę tributum quod vocatur. Alcauala, propter quod aliqui Alcaualam faciunt vectigal, quamuis vt ſuo loco docebimus magis pertineat ad tributum.

Cœpit quoq; vectigal apud Gręcos vocari Archimandia, ſed deinde vocatum eſt Thelonia, & locus vbi exigebatur Thelonium, & Doana. Vnde D. Math. propriæ erat huiuſmodi vectigalium exactor. Latine verò quia ſoluitur pro mercibus quę aſportantur ex vno loco in aliũ dicitur Portorium, Hiſpane Portazgo. Ita Gloſa in verb. Pedagia in cap. Super quibuſdam §. Præterea. De verb. ſigniſ. & ibidem Hoſtienſ. Innocen. & Abbas. Antiquitus vectigalia ſolum ſoluebantur pro his quæ vehebantur ex vno loco in alium, deinde verò neceſsitatibus Reipub. in graueſſentibus ſoluitur etiam, & pro mercibus quæ non defferuntur ex vno loco in alium, ſed in eodem in quo colliguntur venduntur: quia non minus pertinent ad negotiationem & mercaturam quę intra eandem ciuitatem colliguntur ac venduntur: quam quæ deffe runtur ex vno loco in alium, vt optime obſeruauit Salicetus in illa L. vectigalia. ff. De Publica. vnde apud Caſtellam eſt proprie vectigal, quod vocatur portorium, Hiſpanè el portazgo.

Apud nos verò pertinent ad vectigalia tria genera exactionum. Primum quod eſt commune toti Regno vocatur Valentine Lo General, inſtitutum in mercinionijs ad communia ædifficia, cõmuneſq; huius Regni neceſsitates. Alterum eſt quod vocant Murs, y valls, ad peculiaria ædifficia huius ciuitatis, & locorum quæ huic ciuitati proxima ſunt. Tertium eſt quod dicitur vectigal ſalinarium, Valentine, Lo real de la ſal: Apud omnes enim Prouincias ne ſal, quo ad victum adeo homines indigent, defficiat ſed exiſtat certus locus in quo ab omnibus facile ematur, cum difficile nimis eſſet ab vnoquoq; priuatim haberi, impoſitum eſt quoddam vectigal ratione expenſarũ quas Princeps, vel Repub. facit, vt ſit omnibus ſal in promtu.

Controuerſia Quinta.

QVID SIT PEDAGIVM.

Qvinta vox eſt Pedagium, cui alia ſimilis eſt nempe Guidagium. Silu. in verb. Gabella cap. 1. nu. 3. Et Tabieſ. verb. Pedagium nu. 1. non

non distingunt inter ista, vectigal, pedagiũ, & Guidagium, sed eadem faciunt, hac ratione, vt Guidagium sit quod soluitur ex mercibus quæ transferuntur; pedagium verò (quod dictum est à pede) quòd soluitur á transeuntibus per aliquam viam, pontẽ, vel locum ratione transitus pro fabrica, vel con seruatione illius viæ, pontis, vel nauis. Vnde iuxta hos autores Vectigal, & Guidagiũ conueniunt materia & fine cum vtrunque soluatur ex mercinionijs quę transferuntur, & in fabricam, vel conseruationẽ pontium, nauium, vel viarum. Pedagium verò conuenit cum eis in eodem fine, cum soluatur eadem de causa, differt tamen ab illis materia, quia iuxta ipsos non soluitur ex mercimonijs, sed ratione personæ, vel iumenti transeuntis.

Sed ab omnibus alijs DD. cum quibus loquendum est (quia loquendum cum pluribus) ista tria sic differunt, cum in vijs, & itineribus, ac locis publicis tria necessaria sint, primo adaptatio viæ, ita vt sint praua indirecta, & aspera in vias planas, & pontes necessarij. Secundo securitas itinerantibus, ita vt adsint custodes, vel erectę turres quibus eò transeuntes efficantur securi. Tertio, ducatus, ita vt occurrat qui indicet viã & recto itinere ducat. Vnde opportet, vel adesse qui viatores ducant, vel erigi & conseruari columnas, aut Cruces quæ viam vniuscuiusq; loci transeuntibus, indicent sicut olim in triuijs erigebantur Mercurij, Hac ratione hę tres Gabellę in aliquibus locis sunt institutæ. Ad construendos pontes, & aptandas vias, quod pertinet ad ędifficia publica, institutum est vectigal, ad erigendas turres, & cõstituẽdos custodes viarum, constitutum est pedagium, ad stipendia eorum qui ducatum itinerantibus prestent, vel ad expensas quibus columne ille, vel Mercurij erigantur, institutum est guidagium.

Diximus proxime pręcedenti voce quæ pertineant apud nos ad vectigal. Ad pedagium verò pertinent duę Gabellę, vna quæ colligitur á Rege, eo fine instituta, vt viæ quæ ducunt á Valentia in Castellam, (cum sepe à Mauris, & Sarracenis hôc Regnũ incolentibus essent infestę), haberent custodes, quibus redderentur securæ, quód communi nomine appellatur El Peaje, Altera verò, Gabella instituta à magistratibus huius Regni, & autoritate Regia suffulta, quæ dicitur nouum impositum ad construendas, & conseruandas turres, constituendosq; exploratores, & milites, qui horas maris à piratis Affricanis, & turcis frequẽter infestas custodiant, & tueantur. Guidagium vero non est apud nos, eo quod facile sit in his Regnis Hispanię vias, & itinera nosse, magnaq; culpa sua declinabit in his prouincijs á recto tramite, qui dimisserit viam quam debeat sequi.

Controuersia Sexta.

QVID SINT COLLECTA, *Tallia, Prestantia, & Asisium.*

SExta vox est Collecta, quæ etiam dicitur Tallia, siue Præstantia à DD. Est autem duplex Collecta, alia quæ imponitur á Principe, vel Republic. ad totam substantiam, ita exigente aliqua communi necesitate de nouo exorta, vt si vrgeat grauissimum bellum, vel damnum aliquod immineat toti Regno, videatque Princeps, nec tributa quæ sibi redduntur nec alios census regios illi necesitati leuandę sufficere, potest subditis suis quotam aliquam imponere iuxta facultates, & vires bonorum quæ vnusquisq; illorum posidet. Hæc dicitur collecta ad totam substantiam, qualis solet imponi à Principe.

Alia verò collecta est, quæ priuatim imponitur á Magistratibus ciuitatis, vel populi, consentientibus ipsis ciuibus ad priuatas necesitates, & damna eiusdem ciuitatis & populi. Docuit enim omnes recta ratio priuatas necesitates cuiusq; ciuitatis, & populi á ciuibus, & incolis eiusdem loci leuandas esse, imposita communi eorundẽ consensu aliqua collecta: quæ quoniam non potest imponi ipsis ad totam substantiam, propter grauia & innumera incomoda quæ vt suo loco dicemus inde sequerentur, inuenta hęc alia via, & ratio est tanquã commodior, vt fiat hæc collecta in rebus quæ ab vnoquoque emuntur ad proprios vsus, vt in pane, vino, vestibus, & alijs rebus. Ad quod genus collectæ pertinent iura municipalia quæ dicuntur Asisia.

Controuersia vltima.

QVID SIT MVNVS *& Obsequium.*

VLtima vox est munus, ꝙ nomen ęquiuocũ est, aliquãdo enim significat donũ ꝙ gratis, & ex liberalitate cõfertur. Ita definitur donũ á iurisperitis. Quod spõte pręstamus, & ex nulla

nulla necessitate vel iuris officio qua ratione distinguitur donum á munere L. Munus proprie. Et L. Inter donum. ff. De verb. signific. Sumitur secundo pro officio aliquo cum honore, & dignitate coniuncto, qua ratione dicimus hoc pertinere ad munus regium, vel Episcopale: ita in illa L. Munus tribus modis dicitur. ff. de verb. signific. Sumitur tertio (quæ significatio propria est huius loci) pro solutione alicuius impositionis ex precepto Principis, vel Reipub. vel domini loci.

In quo sensu triplex constituitur a DD. Quoddam mere personale, quod persoluitur labore corporali, sine sumptu aliquo vel detrimento rerum propriarum. De quo L. fina. ff. de mune. & hono. in principio illius legis. Aliud reale seu patrimoniale, quod redditur proprio sumptu, vel in pecunia, idq; tribus modis, nam vel imponitur rei secundum se totam in aliquod tempus nulla habita ratione personæ, vt cum precipitur subdito, vt nauis currus vel iumenta illius tot diebus inseruiant Regno, vel ciuitati, aut domino loci: Vel sumitur, ex ipsa re secundum partem, vt cum postulatur certa pars fructuū: vel redditur aliqua pecunia pro re quam subditus colligit aut possidet. Tertium genus muneris est mistū quod est velut constitutum ex personali, & reali, vt quando vna cum labore corporali aliquis etiam fit sumptus: De quo in illa. L. fina. §. mista munera. De munerib. & honor.

Omnia vero hæc munerum genera, tam personalia, quam realia, quam mista, in duplici sunt differentia, quedam. n. eorum sunt ordinaria, & quę suis temporibus & locis quotannis soluuntur, vel ex precepto legis alicuius, siue statuti, vel vi diuturnæ consuetudinis. Alia vero sunt extraordinaria, quę imponuntur a Dominis locorum, vel alijs superioribus, secundum eorum voluntatem, occurrente aliqua noua, & extraordinaria necessitate & causa.

Porro ex his tribus generibus munerum quæ personalia tantum sunt, cum sint pleraq; eorum vilia, sordidaq;, & laboriossa, vt fodere arenam, calcem coquere, dominum loci pedester commitari, & similia, de quibus in L. Maximarum de excusation. mulierum. lib. 10. C. dicuntur Angariæ, à voce Ango, quę idem est quod constringo, vel à voce Angario, quæ est locare aliquem ad onus aliquod ferendum, vel subeundum, inquo sensu milites Christi seruatoris nostri dicuntur angariasse Simonē Cireneum, vt duceret Crucem Christi vsq; ad locum crucifixionis in Golgotha. Quod si muneri mere personali aliquis etiā sumptus, vel solutio alicuius pecunię admisceatur, dicitur Perangaria. Vnde Angaria idem est quod munus personale, Perangaria verò idem quod munus mistum de quibus hîc loquimur.

Solent Iurisperiti hoc loco quasdam regulas assignare quibus depræhendamus quæ munera vilia sint, & sordida, quæ verò honorifica, & cum dignitate coniuncta, sed potissima, & precipua, & ad quam omnes fere reuocantur est hominum æstimatio, ita vt illa vilia habeantur quæ tali loco, & tempore à prudentibus censentur vilia, illa verò honorifica quæ eorundem arbitrio honorifica iudicantur. Ita & recte Innoc. in cap. De multa. num. 11. & 15. De preben. & Barth. in L. vnica. num. 7. *Cod. de Muneribus.* Deniq; omnia ista munera siue personalia, siue realia, siue mista aliquando dicuntur indicta, idq; Principis vel Reipub. lege & statuto, quę si progressu temporis diutiora reddantur, transeunt in ordinaria: quod si huiusmodi muneribus ita indictis, & per consuetudinem effectis ordinarijs aliquid preterea super addatur ratione alicuius necessitatis occurrentis, dicuntur superindicta: de quibus in L. vnica. De superindicto. lib. 10. Codicis.

D. Gregor. explicans verba illa Esai. 33. *Qui excutit manum suam ab omni munere.* Et Vrbanus Pontifex Can. Saluator. prima causa. quęst. tertia. constituunt triplex genus muneris: à manu, ab obsequio, & â lingua quæ ad presens institutum non faciunt, sed ad disputationem de Simonia, De qua diuino numine freti tertio tomo horum comentariorum copiosse disseremus. Nunc quæ de munere, Angaria, & perangaria diximus sufficiant.

ART. SECVNDVS.

An Vectigalia pedagia, & aliæ Gabellæ iustæ, & quibus omnes conditiones necessariæ ad iustam Gabellam conueniunt obligent in foro conscientiæ, etiam si non exigantur.

QVAESTIO hęc maxime difficilis est, & controuersa, propter varias in hac parte tam Theologorum quam Canonistarum sententias

tentias. Angelus qui inter Summistas maximi nominis est in verb. Pedagium. nu.6. distinguit plurimum inter vectigalia, pedagia, & Alias Gabellas quæ à Principe, vel Gabernatoribus alicuius Regni, vel Prouinciæ imponuntur in mercimonijs, & collectas quæ à priuatis Magistratibus huius vel illius ciuitatis, aut oppidi ad leuandas peculiares necessitates sui loci instituuntur, quas vocamus iura municipalia, seu Assisia. Rursum omnes Gabellas cuiuscunq; generis sint, distinguit, in alias quæ aperte iustę sunt, & alias de quarum iustitia dubitatur: pretermisit aperte iniustas, & merito, cum inter omnes DD. compertum sit gabellas iniustas non deberi in foro animæ, nisi vel ratione scandali, si illis non solutis aliqua sequeretur in Repub. perturbatio, vel ex conscientia erronea, veluti si quis existimaret se teneri ad illas persoluendas. Extra hos casus scandalum scilicet, & conscientiã erroneam, certissimum apud omnes est, gabellas aperte iniustas, cum sint tyrannicę potius extorsiones quam Gabellæ, non esse persoluendas.

Positis hîs distinctionibus constituit Angelus varia dicta seu conclusiones, quibus suam proponit sententiam. Prima est. Vectigalia, Pedagia, & similes Gabellę quæ non sunt collectę, nec Tallia siue Assisia, etiam si iusta sint, ita vt sint imposita ab habente autoritatem, & iusta de causa, prestentq; superiores ea omnia propter quę Gabellę illę impositæ sunt, non tenentur subditi in foro animę illas persoluere, nec ad eas restituendas, si illas defraudauerint: nec in eo peccant: nisi interuenerit mendacium, periurium, vel fraus per occultationem mercium. Etenim si hęc (inquit) interuenerint committetur quidem peccatum mendacij, vel periurij, vestigalia verò illa, & gabellas defraudare nullum erit peccatum.

Ad probandam hanc conclusionem statuunt Angelus, & qui illum sequuntur primo cum Henrico Ganden. quolib. 3. q. 22. Leges & statuta superiorum varia esse, quędam quę nullam continent pœnam, sed solum præceptum. Alia verò quæ aliquam continent pœnam. Rursum leges istas quæ pœnã continent aduc subdiuidi, esseq; in duplici differentia, quædam. n. sunt pręceptiuæ non purè pœnales etiam si pœnam aponant, inquibus duo continentur, nempe, & id ꝙ precipitur, & de quo fertur lex, & pœna aposita ac luenda ab illius præcepti transgresore. Vt cum dicit lex: Nemo extrahat equos à Regno, quod siquis illos extraxerit prescribantur omnia bona illius, perspicuum est in hac lege duo contineri, vtpote & præceptum de non extrahendis equis, et pœna qua mulctandus est istius præcepti transgressor. Alię verò inquiunt, sunt, inquibus nil præcipitur, sed solum assignatur pœna aliquid facienti, vel omittenti, quę leges dicuntur pure vel mere pœnales, vt si ita diceret lex: Quicunq; extraxerit equos è Regno expolietur omnibus bonis, & tradantur fisco.

Constituunt secundo, inter hæc duo genera legum pœnalium hoc interesse, vt priores illę cum duo contineant, & pręceptum, & pœnã, obligent subditos ad obseruationem præcepti simpliciter, & absolute in foro animæ, ad solutionem verò pœnę nequaquam nisi fuerint deprehensi, & à iudice damnati. Posteriores verò quę pure pœnales sunt nullum continentes præceptum sed solam pœnam, cum nil precipiant, ad nil aliud obligare subditos in conscientia, prętérquam vt maneant expositi vi illius legis ad luendam pœnam illam cum primum fuerint á iudice condemnati.

Constituunt tertio, Leges istas imponentes vectigalia, pedagia, & similes Gabellas autoritate Principum, vel Magistratuum totius Regni non esse præceptiuas sed pure pœnales habentes hunc sensum. Qui non soluerit ista vectigalia cadat in commissum: Aut saltim esse pœnales conditionatas reddentesq; hunc sensum. Statuimus vt soluat talia vectigalia, qui non vult cadere in commissum.

His positis probat iam suam sententiam Angelus. Primo. Statuta quæ imponunt vectigalia, pedagia, & similes gabellas de quibus hîc loquimur, non sunt leges præceptiuę, sed pœnales tantum, imponentesq; solam pœnam non soluentibus istas gabellas, aut saltim sunt, velut pœnales conditionatæ, quarum natura est relinquere in facultate, & optione subditi, vt eligat ipse vnũ è duobus, vel soluerere huiusmodi Gabellas, vel subire pœnam illam si deprehensus fuerit, & huic periculose exponere. Si dixeris esse pure pęnales, & non pręceptiuas, (sicut reuera sunt,) obligant ergo solum ad luendam pęnam adueniente iudicis condẽnatione, non tamen ad soluenda ipsa vectigalia in foro animæ, cum lex pure pœnalis, nil aliud contineat quam pœnam, neq; ad aliquid aliud obliget quàm ad pœnã, pęnã

vero nemo teneatur soluere ante iudicis condemnationem ex communi Doctorum sententia, in Canone Fraternitas. 12. q. 1. Similiter res habet, si dixeris esse velut pœnales conditionatas, relinquetur. n. (si tales sint) ex natura earum in facultate cuiusq; aut Gabellas istas soluere, aut exponere se ipsum pœnæ huiusmodi legibus assignatæ. Vnde cum non soluentes Gabellas istas eo ipso se exponant huiusmodi pœnis, & damnis, ad nil amplius tenebuntur in foro conscientiæ.

Secundo Gabellæ quæ prudenter, & rationabiliter possunt haberi, & iudicari iniustæ non obligant in foro animæ, sed ista vectigalia pedagia, & similia licet iudicare iniusta: Ergo: Maior sumitur ab his Doctoribus tanquam certa, minorem vero ita probant, cum lex, & ius sit regula quedam iuxta dictamẽ rectæ rationis. L. cum ratio. ff. De portionibus quæ liberis damnatorum conceduntur, licet vnicuiq; vti præsumptione iuris, id est, arbitrari, & præsumere quod ius præsumit, toto tit. De pręsumptionib, at in iure vectigalia præsumuntur esse iniusta: nam cap. Quanquam. De censibus lib. 6. habetur aperte vectigalia, pedagia, & similia iure Canonico, & Ciuili regulariter esse damnata. Vnde infert Angelus nisi euidenter, & certissimo constet esse iusta, prudenter posse iudicari iniqua: cum vnicuiq; vt dicunt liceat stare in pręsumptione iuris. Ex quo sequitur: vectigalia de quorum iustitia dubitatur, non esse soluenda in foro animæ. Quia si quæ aperte iusta videntur, non tenemur illa soluere, sed sat est nos ipsos exponere pœnę commissi, vt prior ratio docet, à fortiori, multo minus tenebimur ea persoluere, de quibus prudenter dubitare licet, an sint iusta.

Quod si queras ab Angelo, quid ergo sentiendum erit de ministris, & exactoribus vectigalium, quæ dubia sunt? Respondet. Si exactor iste & minister sit subditus Principi, vel Magistratibus, á quibus huiusmodi vectigalia imposita sunt, exigatq; illa á suo superiore compulsus, nõ peccat, sed excusatur ob bonum obedientiæ, & rationabiliter illa exigit; quod si non sit illis subditus, aut si subditus sit, voluntarie tamen, & propria sponte se offerat, & ingerat illi ministerio, est in statu peccati. Quia cum dubia possint esse iniusta, qui non compellitur præcepto superioris, sed propria sponte munus illud exercet, voluntarie se offert periculo accipiendi iniustum, & committendi furtum, cui periculo se exponere peccatum mortale est. Sicut in bello dubio miles subditus principi, & cõpulsus ab eo militare non peccat, quia in dubio excusatur ob bonum obedientiæ, vt docet D. Aug. Can. Quid culpatur. 23. q. 1. Qui verò non est subditus, vel si subditus sit, non compellitur á suo Principe, sed propria sponte sumit arma, peccat Mortaliter: quia cum res sit dubia, exponit se ipsum periculo occidẽdi innocentes.

Secunda Conclu. Iuxta mentem Angeli. Gabellæ quæ sunt collectę, & tallia, siue Assisia soluendæ sunt durante iusta causa propter quam sunt impositę, soluendæ autem sunt á ciuibus, & vicinis, non ab extraneis. Et ita, vt cum primum cessauerit illa iusta causa, neque à vicinis, neq; ab extraneis persolu antur.

Conclusio hęc tres habet partes. Primã nempe durante causa soluendas esse istas collectas à vicinis, probat Angelus autoritate Panormit. in cap. Innouamus. num. 5. De censibus, potest probari etiam ratione. Quia ciues iusta causa illud postulãte veluti comuni aliqua necessitate suæ ciuitatis, vel loci, possunt imponere sibi ipsis grauamina necessaria, quibus illi necessitati commode occurratur, vt habetur L. 1. §. Quibus autem. ff. Quod cuiusq; vniuersitatis nomine. Vbi dicitur, *Vt quibus permittitur efficere vnum corpus vnamq; societatem, & communitatem, eisdem liceat etiam communem quoq; arcam efficere.* Hoc autẽ præstant ciues constituentes communi consensu collectã aliquam & Talliam, tenebuntur ergo in iuditio conscientię illam persoluere.

Secundam partem scilicet non teneri ad illam extraneos, ostendit, quia ad huiusmodi collectas illi tantum tenentur, qui in eas cõsenserũt. arg. ex cap. Quod omnes tãgit. de regul. iur. in 6. et illi ad quos necessitates propter quas illę collectæ imponuntur, pertinet, sed extranei neq; consenserunt in collectas ciuitatis sibi alienę, neq; pertinet ad eos prospicere necessitatibus talis ciuitatis. Ergo.

Tertiam partem probat ex communi regula iuris quæ docet cessante causa cessare simul effectum, vt habetur Cap. Cum cessante. De Appellat. Hanc sententiam Angeli sequuntur nonnulli DD. & grauissimi.

Tabien. in verb. Pedagium. nu. 9. existimat illum à quo publicani exigunt iusta vectigalia, teneri ad ea soluenda, quando exiguntur ab ipso. Quod si nullus adsit qui

illa

illa exigat, possitq; negotiator, citra mendatium, periurium, & fraudem, merces suas ex vno loco in alium transferre, aut vendere vel emere non solutis vectigalibus, non teneri in foro conscientiæ ad illa soluenda, vel restituenda. Possumus hanc sententiam hoc exemplo maxis explicare. Vt quemadmodum in causa criminali qui nouit delictum rei infamati, si vocetur, & interrogetur à iudice, tenetur aperire veritatē, quia iudex in eo casu iuste ac iuridice inter rogat, quando verò non vocatur, non tenetur se ipsum offerre ad ferendum vltro testimonium, ita in hoc casu, subditus si quidē exigantur ab eo vectigalia iusta, tenetur illa soluere, quia qui iusta exigit, iuste quoq; illa postulat; quod si nullus exigat ab eo, nō tenebitur ipse exactorem querere, & vltro illa exhibere, & in hoc sensu vult Tabiens. accipiendum esse illud primum dictum seu primam conclusionem Angeli.

Eandem sententiam reffert Ludouic. Lopez in suo instructorio conscientię par. 2. cap. 36. docuisse. Salmantice Mag. Victoriam, Eandē habet F. Iosephus in suis Floribus conscien. in Materia de Restitutio. Vectigalia, pedagia, & alias gabellas aperte iustas soluendas esse si exigantur, minime verò vbi non exiguntur, sed hac lege, vt nō occultentur merces cum venduntur, nec transferantur occulte, nec ducātur per vias insolitas, & occultas: quia negotiatores inquiunt licet non teneantur ad soluendas huiusmodi Gabellas iustas, nisi cum exigūtur, tenētur tamen ad vendendas suas merces, vel mutandas loco sine vllo dolo, vel fraude. Gabellas verò de quarum iustitia dubitatur, non solum non teneri negotiatores in foro animæ ad eas per soluendas, verumetiam posse merces suas ne illas soluant occulte vēdere, & per vias in solitas ac horis nocturnis ex vno loco in aliū transferre: quia huiusmodi occultatione vti non est iuxta hos DD. fraudem aliquam excercere, sed suam redimere vexationem.

Nititur hęc opinio nonnullis rationibus. Primo. Nil magis commune, & naturale contrahentibus quam ex communi consensu se ipsos fortunæ exponere, & aliquid sibi inuicem donare, sed cum ementes Gabellas sciant certo illas à multis non solui, & nihilominus sua spōte illas emant; defraudātes verò Gabellas sciant etiā se ipsos exponere periculo cadēdi in cōmissum, & nihilo minus cum tali periculo vellint eas defraudare, aperte quasi ex communi consensu vtriq; exponunt se fortunę; ementes Gabellas huic fortunę expositas, vt â multis defraudentur, defraudantes verò illas huic discrimini, De pagarlo muy bien si los cogen, Et consequenter quasi communi consensu sibi mutuo & inuicem condonant.

Secundo. Si omnes soluerent Gabellas, non oporteret tot, & adeo magnas imponere, sed sufficeret abunde, vel tertia pars earum, necessitatibus propter quas imponūtur, ex his autē quæ communiter soluuntur à nō defraudantibus Gabellas, sufficienter colligitur illa tertia pars pecuniarū quæ leuandis necessitatibus cōmunibus necessaria est, Ergo alij defraudantes nullam inferunt iniuriam, aut nocumentum Reipub. Tertio Gabellæ iniustæ non sunt soluendæ, sed hæ communiter, & in plurimum sunt iniustæ. Primo quia immoderatę & nimiæ. Secundo, quia in plerisq; illarum, iam cessarunt iustæ causæ propter quas fuerunt impositę. Ergo non debentur in iudicio conscientiæ.

Et confirmatur, quia ipsimet Doctores qui sentiunt illas deberi quando iustę sunt, docent nihilominus de facto multas earum esse iniustas, vel eo nomine quod iam cessauerit causa illarum, vel ex alijs defectibus. Ita Cayet. in summa. *Tot ait requiruntur ad vectigalia iusta, vt raro inueniantur aliqua iusta.* Simile habet Ioann. Driedo. De libertate Christiana. lib. 3. cap. 5. & alij DD.

Deniq; si subditi tenerentur ad vectigalia persoluenda tanquan simpliciter, & absolute debita in foro animæ, sequeretur defraudantes illa quando depręhenduntur, & condemnantur a iudice ad luēdam pœnam, teneri non solum ad illam pœnam, verumetiam ad persoluenda vectigalia, quæ antea non reddiderunt: vt fur, qui non solū mulctatur pœna constituta à lege, verumetiam tenetur reddere quæ rapuerat. At nullus est Doctorum qui defraudantem Vectigalia quando deprænhenditur, & luit pœnam, ad aliquid aliud illum obliget, neq; est in vsu præter pœnam aliquid aliud reddere.

Doc. Nauar. in suo Manua. cap. 17. nu. 200. Et cap. 23. nu. 54. non solum sequitur Angel. sed in vniuersum docet omnia vectigalia, pedagia, & Gabellas etiam ex cōsensu populi impositas per modum collectæ, si statuta, & leges illas imponentes habeant adiunctam pœnam aliquam temporalem, non obligare ad solutionem gabellę, in foro conscientię, sed ad solam pœnam illam, vbi accesserit iudicis condemnatio. Probat Nauarr. hanc opinionen suam hac ratione.

ratione. Leges humanæ ciuiles quæ obligant ad pœnam, eò ipso non obligant ad culpam quià non est consonum rationi, vt lex humana ciuilis imponat duplicem pœnam, & temporalem quam constituit, & spiritualem si obligaret ad culpam, sed statuta quę imponunt vectigalia siue sint à Principe, siue á Repub. siue à quocunq; alio Magistratu, sunt velut quædam leges humanæ ciuiles, si ergo imponant pœnam temporalem non soluentibus illa, vt communiter imponunt pœnam comissi, non obligabunt ad culpam, nec tenebuntur subditi illa in foro animæ persoluere, sed solum pœnam.

Secundo omnes fideles non solum ignari, & è media plebe, verumetiam nobiles, & periti iudicant se non obligari ad culpam huiusmodi legibus vectigalium. Et vt videmus ita est positum in consuetudine, vt plerią; si commode posśint, illa non persoluant, consuetudo autem est optima legum interpres.

Communis autem sententia DD. habet Tributa, Vectigalia, Pedagia, & alias Gabellas quæ iustę sunt, & quarum iusta causa durat soluēdas esse in foro animę simpliciter, & absolute, & ex natura rei, etiam si non exigantur, committereque peccatum furti defraudantes illas, & teneri ad restitutionē. Ita docent. D. Tho. in illa Episto. ad Ducissam Brabantiæ. Et in cap. 13. Epistol. ad Roma. Lec. 2. Liranus in cap. 22. D. Math. in illud. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, &c.* Et in cap. 13. Episto. ad Roma. in illud: *Cui tributū, tributū, cui vectigal, vectigal, &c.* Gabriel in 4. Dist. 15. q. 5. D. Antoni. par. 2. tit. 9. cap. 13. Ioann. Medin. Codice de Restitut. q. 13. Ioann. Driedo. lib. 3. De libert. Christia. cap. 5. Alphonsus de Castro lib. 1. de Lege pœna. cap. 10. & 11. Dominicus Soto lib. 3. de Iusti. q. 6. arti. 7. Et lib. 4. q. 6. ar. 4. Cayet. in Sum in verb. Vectigal. Siluest. in verb. Gabella cap. 8. Armilla. verb. Gabella. num. 7. 14. & 15. Rosella. eadem voce. §. 8 Corduben. in suo tractatu de Casibus conscientiæ. quæst. 95. Magist. Blasius Nauarro in suo Opusculo de Vectigalibus. cap. 7. & grauisśimi Doctores Theologi huius Scholæ Valentinæ quos suo loco referam idem semper tanquam certisśimum docuerunt. Ex Iurisperitis Archidiac. in Cano. *Si quis Romi petas.* n. 3. 24. q. 3. Docent Gabellas nō esse persoluendas vbi superiores non præstant ea pro quibus impositæ sunt, si veró illa præstent, & iusta causa perseueret soluendas esse omnino. Simpliciter autem & absolute iustas Gabellas soluendas esse in foro conscientiæ docent Panormit. num. 5. & Hostien. in cap. Innouamus de censibus. Didacus Couarru. in Regu. Peccatum par. 2. §. 5. num. 5. de Regul. iur. in 6. Ioan. Berthachinus in suo eruditisśimo tractatu de vectigal. & Gabel. par. 9. num. 1. Imo vt affirmant. Siluest. & ipsemet Angel. locis citatis, hęc est communis opinio omnium fere Doctorum vtriusq; iuris.

Probatur hæc sententia varijs argumentis, & testimonijs. Imprimis ex verbis Christi Matth. 17. vbi cum Publicani Capharnaitę interrogassent Petrū in via, cur Christus non solueret didrachmum, cum peruenerunt domum quæsiuit Christus à Petro. *Simon Principes gentium à quibus accipiunt tributum, vel censum, à filijs an ab alienis?* Respondenteq; Petro, ab alienis, intulit statim Christus, *Ergo filij liberi sunt, Veruntamē ne scandalizemus eos, vade ad mare, &c. ac solue pro me, & te:* Ex quo loco duplex sumitur argumentum. Primum quod maxime obseruandum est, non dixisse Christum liber ergo sum, quia ista tributa nō debentur, sed liber sum, quia sum filius Dei, & Dauidis; filij autem Regum liberi sunt. Vnde sic argumentor, in his quę simpliciter, & absolute non debentur, nō opportet recurrere, nec confugere ad aliquod priuilegium & immunitatem, sed tantum fit hic recursus in his quæ alias simpliciter, & absolute cessante tali priuilegio deberentur: Christus Dominus in hoc casu cum ab eo exigebantur tributa, non negat illa deberi, sed tanquam in re verè, & simpliciter debita recurrit ad priuilegium, & immunitatem qua gaudebat, vt verus filius Dei & Dauidis: Ergo tributa iusta simpliciter, & absolute debentur ab omnibus, nisi aliquo priuilegio ab illis liberentur.

Secundo. Curat Christus diligenter eo loco, vt ad tollendum scandalum soluat Petrus staterem. Sic argumentor. Omnium quotquot sunt DD. consensu triplex est scandalum, quoddam pusillorū, quod prouenit ex ignorantia, tolliturq; admonendo pusillum, & ignarum: Aliud est Pharisęorum ortum ex malitia, & prauitate eius qui scandalizatur, quod non est curandum, cum de huiusmodi dixerit Christus: *Sinite eos cæci sunt, &c.* Math. 15. Aliud veró est iustorum, & prudentum quod nascitur ex culpa, & vitio scandalizantis, quia vel facit

quod

quod est prohibitum, vel omittit facere id ad quod tenebatur, tolliturq; huiusmodi scandalum cessando ab illa culpa, veluti, vel desistendo ab eo quod prohibitum erat vel præstando id quod omittebatur, & ex cuius omissione alter iuste scãdalizabatur. In hoc casu Christus non inquit Petro, admone illos me nihil debere quasi esset scandalum pusillorum: Nec ait sine illos (sicut dixerat de Phariseis) quasi esset scandalum Pharisęorum, sed ait vade & solue, quasi diceret. Tollamus hoc scandalum, efficiendo ac præstando id, ob cuius omissionem scandalizãtur exactores isti: Erat ergo hoc scandalum ortum ex iuxta causa, in his qui ignorabant Christi dignitatẽ, & priuilegiũ: scandalum autem ex iustá causa ortum est, quando committitur quod prohibitum est, aut omittitur quod debetur fieri, Ergo debentur in conscientia tributa, & vectigalia, & omittere illorum solutionem est culpa in eo qui non gaudet aliquo priuilegio, & immunitate.

Sed dices forsam argumẽta hęc, vim quidem in eò casu habere quia Publicani exigebant tributum illud, Iuxta Tabiẽsem vero, & alios quos retulimus, soluenda sunt tributa & vectigalia, debenturque in foro animæ, quando exiguntur, minime vero quando non postulantur. Contra, attendamus diligenter verba Christi. *Vade, inquit Petro, solue pro me & te*: Publicani illi solũ exigebant Didrachmum à Christo, nihil á Petro postulabant, At Christus volens insinuare Petrũ futurum caput Ecclesiæ quia solutio illius census ad capita familiarum spectabat, ait. *Solue pro me.* A quo exactores isti censum postulant, *& pro te*, etiam licet à te non exigatur. Non solum igitur quando exiguntur tributa & vectigalia, verum etiam quando non exiguntur iure debentur.

Hæc est aperta sententia B. Ambros. in comentario. 5. cap. D. Lucæ quam ex hoc loco Matth. 17. colligit, & habetur. 11. q. 1. Cano. Magnum: *Magnum* (inquit) *quidem est & speciale documentum quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur esse subiecti, nequis constitutionem terreni Regis putet esse soluendam: si enim censum Dei filius soluit, quis tu tantus es, qui non putes esse soluendum?* Et D. Hiero. in eundem locum Matth. 17. ita habet. *Dominus noster & secundum carnem, & secundum spiritum filius Regis erat, vel ex Dauidis stirpe generatus, vel omnipotentis Patris verbum, Ergo tributa quasi Regum filius non debebat: sed qui humilitatem carnis assumpserat, debuit adimplere omnem iustitiam.* Vbi aperte D. Hiero. solutionem tributorum quasi iuste & in conscientia debitam iustitiam siue actum iustitiæ vocat.

Tertio, & apertius Math. 22. cum magna de hac quęstione, forent ne soluenda tributa & vectigalia, esset inter Iudęos eo tẽpore concertatio, affirmantibus quibusdam tributa esse debita ac reddenda Principibus Romanis, cum iam illis obedirent, & ab eis gubernarentur: alijs vero iudicantibus Iudæos filios Abrahæ, & qui sacrificijs & victimis veri Dei sua bona offerent, non debere tributa paganis, sumpta hic occasione miserunt Pharisei discipulos suos cum Herodianis ad Christum, vt fraudulenter & callide quo illum caperent in sermone, de hac quæstione ipsum interrogarent, Proposita vero illi hac consultatione. *Esset ne census reddendus Cæsari.* Christus seruator noster sapientissime illis occurit, postulata in medium pecunia quæ illi censui persoluendo priuatim deseruiebat, & quæ in illũ finem ab ipsismet Iudęis cudebatur, vt iniquitatem interrogantium numismate illo quasi gladio proprijs ipsorũ manibus confecto, trucidaret. Vbi quamuis miro artificio fraudes illorum eluserit, docuit nihilominus apertissime vtrunq; deberi, & Principibus tributa, & ministris templi oblationes, in Dei cultum offerendas. Dicens. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Vbi D. Chrisost. & perpetuus Chrisostomi sectator Euthimius obseruant plurimum, non dixisse Christum date sed reddite. Damus enim quę non debemus, reddimus vero quæ debemus, vt in illa parabola Euangelica, in qua Dominus a suo seruo debita exigit est videre. *Redde enim ait quod debes.* D. etiam Hiero. locum istum explicans ita ait: *Cæsaris vocat numum censum, pecuniam, Dei vero decimas, oblationes, primitias, & victimas: vt doceret igitur, & principibus esse reddenda tributa, & ministris Templi decimas, oblationes, & victimas, reddite inquit quæ sunt Cæsaris Cæsari, &c.* Vbi ex professo iuxta sensum genuinum & literalem istius loci docet in eo Christus reddenda esse Principibus tributa, & vectigalia. Vbi quoq; idem Hiero. post quam interpretatus est ista verba Christi, reddite quæ sunt Cæsaris, &c. Subiungit: *Quomodo & ipse reddit tributa pro se & Petro.*

Quarto, vtor iam ratione. Leges iustę & pręcepta iusta superiorum eo ipso quo sunt præ-

præcepta superiorum, & iusta, obligāt simpliciter & absolute in foro animę, cum primum fuerint sufficienter promulgata. Nam eo ipso quo iusta sunt, sunt (vt recte inquit Ioan. Medin.) iuxta dictamem rectæ rationis, & eo ipso quo indicuntur à superioribus, tenentur subditi illis parere, habētq; vim & autoritatem simpliciter, & ex natura rei obligandi subditos, aliter vana esset superiorum autoritas, & frustra à Deo in Repub. constituta, dicente ipso Prouerb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.*

Demum eo ipso quo sufficienter promulgata sunt, exigunt ab vnoquoque subditorum obedientiam, & eorum obseruationem: nunquam. n. vissum est, legem aliquam vniquiq; ciui priuatim intimari. Sed eo ipso quo lex iusta est, & lata ab habente autoritatem, & sufficienter promulgata, tenentur subditi illi obedire omnino, sub pœna Mort. vel venial, pro qualitate materiæ, & eo modo quo diximus superius. q. 77. ar. 1. agentes de vi & robore legum humanarum, Controuersia decima, in qua disputabamus de præcio legali rerū venalium, & de pracmatica tritici. Sed statuta gabellarum quæ iustæ sunt, & in quibus conueniunt, & reperiuntur omnes illæ conditiones, & leges quas dicemus ar. 3. desiderari ad iustam gabellam, sunt quędam leges superiorum, cū ab ipsis imponantur, & iustæ (de his enim nunc loquimur) & sufficienter promulgatę, vt constituimus, Ergo obligant absolute & simpliciter, & natura sua in foro animæ.

Sed dices forsan cum Henrico & Angelo veram esse maiorē huius quarti argum. quando leges sunt præceptiuæ, & pręter pœnam continent etiam apertum præceptum aliquid faciendi, vel omittendi, statuta vero quibus imponuntur vectigalia, & gabellæ esse pure pœnalia & nullo modo pręceptiua. Vel dices cum Azpilqueta, leges imponentes pœnam non obligare ad culpam, nisi Legislator eam intentionem habeat, illamq; aperte exprimat; quod non accidit in huiusmodi statutis, cum imponantur à superioribus secularibus in quibus non est autoritas spiritualis, nec facultas obligandi ad culpam.

Sed nihil horum tollit vim propositi argumenti: Nam imprimis statuta hæc non sunt leges pure pœnales, sed reuera & expresse sunt etiam præceptiuæ. Narrant siquidem necessitatem quę in Repub. occurrit, & in quibus rebus vectigalia imponantur, & expresse præcipiunt vt soluantur, quod vt diligentius obseruetur, constituūt (vt cōstat) vt facientes cadant in cōmissum. Vnde cum eo nomine existimet Angelus tributa & vectigalia nō deberi in foro animæ, quia statuta Principium vel Magistratuum á quibus proponuntur, arbitratus est esse leges purę pœnales, nec continere pręceptum, profecto si accurate huiusmodi statuta inspexisset, saltim quæ habemus Hispaniæ, sensisset haud dubie cum communi opinione, nec asseret nō deberi, nec sua autoritate occassionem alijs Doctoribus obtulisset recedendi á communi sententia & verissima.

Addo pręterea cum Syluest. loc. cit. Esto essent leges ciuiles quibus imponuntur vectigalia purè pœnales, nihilominus obligātur ciues ad illa persoluenda. Quia licet cōcedamus cum Ioan. Medina, Alphōso de Castro, & alijs DD. leges puré pœnales secundum se, & ex sola vi verborum quibus constant, solum obligare ad pœnam adueniente iudicis sententia, hoc tamen intelligendum est, in his quæ sunt à solo iure humano, in his enim, cum solum ius humanū interueniat, & illud nihil aliud pręstet quā assignare pœnam aliquid facienti, vel omittenti, concedimus tantum incurri pœnam, at in his, ad quę iuræ naturali vel diuino iā tenemur, licet lex humana ciuilis nihil præcipiat, sed sit purè pœnalis solam continēs pœnam, nihilominus non obseruans præceptum illud iuris naturalis aut diuini, peccat reuera, cum agat contra id, ad quod iam alias tenebatur, nec pœna illa lege humana constituta eximat ipsum vel liberet à debito legis naturalis, vel diuinæ. Res est perspicua: si lex humana constituat vt qui iurauerit falso vapulet. Hæc lex sic lata iuxta verborum tenorem & vim purè quidem pœnalis est, non temen præstat vt falso iurans non peccet, quia iam alias & seclusa ista lege pœnali periurium iure naturali & diuino est peccatum Lethale. Quin etiam si lex pœnalis diuina sit, vt illa Leuitic. 20. *Qui maledixerit patri vel matri morte moriatur.* Quæ est purè poenalis iuxta verborū tenorem, non tollit quin maledicēs patri, vel matri grauiter peccet, quia talis maledictio iam alias simpliciter, & absolute, ac ex natura rei, quacunq; lege poenali seclusa est grauissimum crimen. Sic ergo in pręsenti disputatione, etiam si statuta imponētia vectigalia essent leges puré poenales, nec

nec aliud præseferrent, aut constituerent quam non soluentem vectigalia esse obnoxium illi pœnę, nihilominus qui illa non solueret, peccaret, quia tributa & vectigalia iusta simpliciter, & ex natura rei sunt debita Principibus, & Reipub. Iure naturali, & diuino, quo tenentur ciues sui Principis suæq; Reipub. necessitatibus ex suis bonis subuenire. Dictum vero Doc. Azpilquetę ex his quæ docuimus quæstione præced. 77. articulo .1. agentes de pretio legali rerum venalium, constat falsum esse, & á recta ratione (quod pace tanti Doctoris dixerim) maxime alienum, cum poena non apponatur præcepto vel legi, vt illa minus obliget, sed vt maiori cura obseruetur: qui enim vt recte inquit Syluest. imponit pœnam aliquid facienti, eo ipso ostendit nolle illud fieri.

Quinto (quo argum. vtitur Ioan. Medina, & recte) Si lex Gabellarum pœnalis est, & iusta, (nā de huiusmodi nunc loquimur) iustè igitur illam poenam statuit: poena autem nulli iustè infligitur, nisi ob culpam. Ergo culpa & peccatum est non soluere gabellas. Quod si dixeris, vt quidam solent, sat esse defraudantem gabellas se ipsum exponere poenę illi, nec lege gabellarū aliud constitui, quam vt vel soluantur, vel non soluens maneat expositus illi poenæ. Contra inquit Medina, & optime, si ita lex ista haberet, & sub ista diuisione vel optione esset accipienda, maneret profecto in facultate cuiusq;, vel gabellas soluere, si vellet, vel illi poenę se ipsum exponere, iniusteq; agunt Princeps, & Magistratus ac illorum ministri exigentes, & recipientes gabellas, sed deberent vnumquēq; in hac libera opinione relinquere, vt solueret si vellet, aut maneret expositus poenę. Quemadmodum si debitori fas sit vno è duobus modis quem ipse elegerit debitū suum reddere, iniquè profecto aget creditor si illum ad alterum tantum solutionis modū tenendum compellat. Videmus autē Principes & Magistratus, per ministros suos cū primum norunt merces aliquas aduentare vel emi, aut vendi; conuenire statim mercatores, ac vectigalia, & tributa ab illis exigere, vt in portis maritimis, Theloneis, & similibus locis fit, in qua exactione nec Tabiensis, nec qui ipsum sequuntur alicuius iniquitatis aut iniustitiæ damnarunt vnquā Principes ipsos vel Magistratus.

Deniq; omnes gabellæ reuocantur ad hæc tria genera: Nam vel sunt tributa quæ soluuntur principibus, vel vectigalia, pedagia, & similia, quæ soluuntur Magistratibus quibus totius Regni, vel Prouincię cura commissa est, aut sunt iura municipalia, & asisia, quę per modum tallę & collectæ soluuntur in priuatis ciuitatibus, & locis, sed hæc omnia vbi iusta sunt, iure naturali & diuino ex natura rei debentur Principibus, & Rebuspub. in foro animæ. Ergo per soluenda etiam si non exigantur, sicut cætera debita, quę simpliciter alicui debentur. Maior certa est, Minorem probo in singulis partibus ipsius. Imprimis.

Tributa deberi Principibus.

EA C ratione constat. Stipendia iusta quę pro laboribus susceptis, & expensis iustè & necessario ab aliquo factis illi persoluuntur, iure naturali & diuino, & simpliciter ac ex natura rei illi debentur: sed tributa quæ exhibentur Principibus sunt iusta stipendia, asignata illis in mercedem laborum & industriarum quibus curant bonum commune subditorum, & pro expensis quas iuste & necessario faciunt in eorum gubernatione & defensione. Ergo sunt illis simpliciter & ex natura rei omni iure debita.

Maior huius argum. vel solo lumine naturali perspicua est. *Dignus. n. est*, Vt dixit Christus. *Operarius mercede sua.* Et D. Paulus. 1. Corint. 9. *Habemus potestatem manducandi & bibendi apud vos*, Rationem subiungit, *Quia prædicamus vobis & laboramus in vestram vtilitatem. Etenim*, inquit. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si carnalia vestra metamus.* Et Paulo ante: *Quis militat suis stipendiis vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem & de lacte eius non manducat.* q. d. iure naturę pastores ex grege suo in quo pascendo laborant, & vigilant, sumunt lac, caseos, & lanam, sunt enim hæc velut eorum stipendia. Quo etiam nomine decimæ, & primitiæ debentur ministris Ecclesiæ omnî iure, tanquam iusta ipsorum stipendia, & in mercedem laborum quos patiuntur in curanda fidelium salute suis precibus, sacrificiis, doctrina, & sacramentorum administratione. Eadem ratione Tutoribus pupillorum asignatur, & iurè à Prætore aliqua pecunia ex bonis eorundem pupillorum, velut stipendium laborum quos suscipiunt in curandis illorum personis & bonis. Eum deniq; qui alterius bona vel domos ab incendio

cendio aliquo, vel infortunio tuetur, vel curat ne ab iniustis possesoribus, vel furibus occupentur, volunt omnia iura partem aliquam eorundem bonorum vel pecuniã accipere in stipendium, & mercedem laborũ quos adhibuit, in tuendis bonis illis vindicandisq; ab iniuriis & damnis quæ illis imminebant.

Minor etiam constat, subeunt enim Principes maximos labores in vtilitatem Reipub. Principum enim est curare vt suũ ius vnicuiq; reddatur, ne minus potentes á potentioribus oprimantur, vt viduarum, & pupillorum calumnijs, & damnis á suis ministris diligenter prospisciatur, vt lites ac discordię sopiãtur, vt pax & iustitia apud omnes ciues conseruetur, vt scelerati é medio tollantur, vt omnis iniquitas & perturbatio à Repub. expellatur, demum vt ab inuasoribus, & pyratis, & omni inimicorum ac hostiũ genere secura existat, ad quæ omnia curanda, & obtinenda quis non videat Principes maximos subire labores? omnem mouere lapidem & adhibere industriam? innumeras propemodum facere expensas, & consumere opes? in ministris iustitiæ, in conciliarijs, & alijs sui numeris socijs & adiutoribus, in ducibus, in copijs & exercitibus parandis, ac sustinendis tam mari, quã terra: omni ergo iure tot tantisq; loboribus & expẽsis iusta stipẽdia reddenda sunt. Hęc stipendia sunt tributa quæ ipsis reddimus, sunt ergo illis simpliciter, & ex natura rei debita. Vnde D. August. 23. lib. contra Faustum. cap. 74. ait. *Ad hoc enim tributa præstantur, vt propter bella necessario militi stipendium præbeatur:* Qua de causa vt vidimus ar. primo. L. Ager. ff. De rerum & verb. signif. Et. L. 2. ff. de Publica. & vectigal. hæc tributa vocantur stipendia. Et D. Thom. copiosse in illa Epistola ad Ducissam Brabantiæ ad sextam quæst. respondet, pro laboribus quos suscipiunt, & expensis quas faciunt Principes in vtilitatem boni communis suorum ciuiũ iuste ab illis tributa exigere, adeo vt si tributa solita nõ sufficiant, aut nouæ sese offerant necesitates, quibus á Principe occurrendum sit, posse illum seruatis legibus iustitiæ distributiuę alias collectas, & tallias imponere.

Hoc primum cap. de tributis Principibus reddendis copiosse, & aperte docet D. Paul. Roman. 13. Vbi primo constituit duo tanquam certisima fundamenta, quorum prius est. *Omnem animam debere subiectam esse ac obedire sublimioribus potestatibus.* Et nequis existimaret de solis prelatis & superioribus in quibus potestas aliqua spiritualis residet ipsum loqui, vt ostendat de Principibus etiam & Magistratibus secularibus se habere sermonem subiungit. *Si malefeceris time, non enim sine causa gladium portat.* Quæ verba perspicuum est ad potestatem secularem directe pertinere cum ea sola gladio vtatur, & effusione sanguinis, nõ autem Ecclesiastica vt docebimus. 3. tomo horum comentariorum agentes de statu Clericorũ. Posterius vero quod constituit ibi Apostolus est. *Principes & Magistratus a Deo esse institutos, vt ministros boni communis.* Ex quibus infert & recte, cum á Deo ita instituti sint, ex Dei ordinatione hęc duo illis deberi veram obedientiam, & tributa: Etenim cum accessoria (vt in iure receptum est) sequantur naturam sui principalis sicut Principes, & Magistratus á Deo instituti sunt tanquã ipsius ministri, ita quoq; debetur illis vera obedientia, vnde ait. *Ideo subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* q. d. vt exponit. B. Ambros. *Non solũ timore præsentis pœnæ verumetiam propter conscientiam futuri iuditij.* Debenturq; illis ex eadem institutione diuina ista stipendia, cuiusmodi sunt iusta tributa: Propterea addit: *Ideo enim & tributa præstatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes.* q. d. eo ipso quo ex diuina ordinatione sunt ministri boni comunis illi seruientes, eadem diuina ordinatione debetis eis tributa, quæ ipsis pręstatis. Quod vt clarius & apertius explicaret, subicit, & colligit. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem, & nemini quicquam debeatis.* Quibus obsecro verbis poterat. D. Paul. apertius docere esse iusta stipendia omni iure debita Principibus, tributa quę ipsis persoluuntur? *Reddite inquit omnibus debita:* Quæ sunt Beatisime Paule ista debita? *Cui tributum tributum, &c.* Vnde Theophilact. explicans hęc verba ait. *Ipse istiusmodi Principum beneficia testificaris, & probas, cum eis tributũ & mercedem rependis. Quod sane perspicuum est eo te illud persoluere, quia & tui curam illi susceperint: neq; enim præsidibus ipsis hos Census a principio detulissemus, nisi nobis fuissent pernecessarij; quippe cum ipsi curis vacui hos habeamus qui pro nobis inuigilent. Fit itaq; vel Dei id voluntate vt tributa suis ministris pendantur: vult enim Deus, vt pax ipsa, & virtus exerceantur, & propulsetur iniquitas, ad idq; Deo volente sunt Principes, &*

illi parent cum ministerio isto funguntur; & pro communi hominum statu labores insumunt, vt vitã ipsi per quietem ducamus. Hæc omnia Theophil. edoctus a B. Paul. qui 1. ad Timoth. 2. dicebat: *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes pro Regibus, & pro omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus.*

Deniq; cũ iusta dictũ B. Pau. *Quis pascit gregem, & delacte eius non manducat, &c.* Principes autem omnes etiam seculares pastores sint & pastoris nomen à Deo per Ezechielem accipiant ca. 34. vt ibidem D. Hiero. exponit, pascuntq; gregem, idest, populum sibi commissum iustitia, pace, & tranquillitate, qua suo labore populo mini strant, quomodo iustum nõ erit vt Iac. 1. tributa á populo sibi suisq; ministais accipiat Hæc de tributis.

VECTIGALIA ET PEDAgia deberi similiter.

NVNC de vectigalibus, pedagiis & similibus gabellis quæ in cõmunes Regni et Prouinciæ necessitates instituuntur, similiter iudicandum esse ostendamus. Constat vero illud hac apertissima ratione. Ad leuandas communes necessitates, & prouidenda ea sine quibus commune bonum obtineri & permanere non potest, tenentur ciues omnes iure naturali & diuino contribuere, & sua priuata bona vel partem saltim aliquã eorum exhibere, ea via & modo quem recta ratio dictauerit esse commodiorẽ: Sed in vnaquaq; prouincia & regno occurrunt passim variæ necessitates communes, desideranturq; multa sine quibus totius Regni bonum contineri, non potest, debent ergo ciues ad huiusmodi necessitates leuandas, & necessaria suæ prouinciæ prouidenda contribuere, & partem aliquam suorum bonorum exhibere: commodior autem via ad colligendam aliquam pecuniam ex singulis in hunc finem nulla est, nec ex cogitari potest, quam per vectigalia iusta, iure ergo naturali & diuino tenebuntur ciues illa persoluere.

Maior huius arg. certissima est. Etenim si iure naturali & diuino tenetur vnusquisq; pro bono communi vitam exponere, vbi recta ratio illud dictauerit, quanto magis bona sua vel aliquam eorum partem?

Minorem docet copiosse D. Tho. lib. 1. de Regimine Principum ad Regem Cypri ca. 11. & 12. Sunt enim tria cuiuis regno maxime necessaria: imprimis fortissima mœnia, arces, munitiones, ac turres: tũ vt Rex ipse & domestici eius tutius agant, tum vt reliqui ciues & Regi ipsi obediẽtiores sint, videntes magnifica regum ædifficia, & securius viuant ab hostibus & sicariis. Quo nomine 2. Reg. 5. Dauid cum primum Hierosolymam occupauit, construxit arcem in monte Sion quam ex nomine suo vocauit ciuitatem Dauid, quam rursum strenuus ille sapientissimusq; Dux Iudas Machabeus 1. Mach. 4. post aliquot tempora vbi Hierosolymam recuperauit, fortissimis muris & altissimis turribus cinxit in defensionem patriæ contra hostes: Et similiter in Bethsura magnas extruxit munitiones contra faciem Idumeæ. Romani quoq; ob eandem causam tutissima curarunt habere ędifficia publica, maxime Capitolium, quem locum vt tutiorem Senatores elegerũt; narrantq; historiæ in eo tota Roma ab hostibus occupata ipsos illęsos permansisse.

Exiguntur secundo in Regnis & prouinciis accomodatæ viæ ad iter faciendum, & à sicariis ac aggressoribus securæ; quod omnes nationes diligenter curasse neminẽ latet, tum vt incolæ regni commodius sua negotia & comercia excersere valeant, tum vt exteris securius aduenientibus suasq; merces eo deferentibus, regnum ipsum aliarum prouintiarũ diuitiis & fructibus magis abũdet. Quod ita apud omnes quotquot sunt prouintias quantumuis barbaras & remotas receptũ est, vt iure gentium viæ publicæ omnibus securæ pateant: illasq; occupãtes vel infestantes tanquam rei lesæ maiestatis & publicæ fidei puniantur. Adeo vt Deus ipse propterea Amorreos deleri præceperit, quia filiis Israel iniquè restiterunt, ne per viam publicam libere incederent. Vbi via publica via regia dicitur, eo quod Regibus vel Reipub. gubernatoribus incũbat diligenter curare, vt viæ istæ tutæ sint & securæ ac accomodatæ. Demum Romani in hoc offitio adeo solertes se exhibuerunt vt plurimi eorũ tã ex Principibus quã ex Senatoribus augendi boni communis desiderio varia itinera & vias suis expensis aperire & aptare curauerint, à quibus viæ illæ nomina acceperunt: quedã enim dicta fuit Aurelia at Aurelio Principe: alia Apia ab Apio Senatore: Alia Aemilia ab Aemilio & eadem ratione aliæ multæ à suis autoribus appellatæ sunt.

Exigitur tertio in quocunq; Regno publicum aliquod ærarium. Offerunt enim sese quandoq; preter communes & ordinarias necessitates multæ aliæ extraordinariæ non minus graues, quibus nisi statim occurratur, maxima patietur Regnum incommoda, occurri autem illis statim, & commode non potest, ipsamet experientia teste, nisi publica pecunia ex aliquo publico, & communi ærario in promptu habeatur. Veluti si accidat incendium aliquod, vel inundatio, aut pestis, aut multorum hostium, & pyratarum aduentus, aut aliquod aliud graue & simile damnum, cui præsto esse oporteat, sine publica & prompta pecunia illud effici profecto non potest. In hunc igitur finem vectigalia, pedagia, & similes Gabellę institutæ sunt, vt hac ratione & via communis pecunia in Regnis, & Prouinciis habeatur ad ista tria quæ adeo necessaria esse compertum est. Ad hec verò prouidenda, vectigalia ista cōmodiorem viam esse, eo ipso quo statuimus illa iusta esse satis constat. Quia si iusta sunt, seruata est in eis iustitia distributiua, & diligenter prospectum, vt communes omnibus necessitates sine vllius iniuria, aut grauamine leuentur.

GABELLAS QVOQVE PRIuatas vniuscuiusq; Ciuitatis quæ dicuntur Assisia si iusta sint in conscientia deberi.

DENIQVE de Gabellis quæ in vnaquaq; ciuitate, vel populo ciues illius sibi ipsis imponunt per modum collectæ, vel tallię, neq; Angelus, neq; vllus ex Authoribus alterius opinionis, hac in parte à nobis dissidet. Nā cum vnusquisq; suorum bonorum dominus sit, & liber eorum dispensator, possunt liberè quiuis ciues ex communi consensu quam voluerint suorum bonorum partem per huiusmodi collectam in vtilitatem suę patriæ, & ad leuandas illius necessitates conferre.

Licetq; vnicuiq; vniuersitati eo ipso quo communitas quedam est, & populus, suos habens Magistratus, & Gubernatores, grauamina quæ voluerit, ex communi consensu sibi imponere, ac communem arcam, & pecuniam cōstituere: vt videre est in L. illa prima. Cod. Quod cuiq; vniuersitatis nomine. Quod cum faciunt, ac communi cōsensu inter se constituunt, apertè promittunt sibi inuicem, & inter se paciscuntur Gabellam illam persoluere, omnis autem promissio & pactum iure naturali & diuino in re graui sub pœna pec. mort. seruandum est. Vnde D. August. lib. 3. Confessionum dixit. *Pactum inter se gentis aut ciuitatis consuetudine firmatum, vel lege, nulla ciuis aut peregrini libidine violetur.*

An autem huiusmodi collectæ, & iura municipalia debeant persolui etiam ab exteris, vel á solis ciuibus vt vult Angelus, alterius est disputationis explicabiturq; ar. 5. huius tractatus. Cæterum quæ iusta sunt omni iure in foro animæ deberi saltim à ciuibus ipsis, omnes quotquot sunt DD. confitentur, nec potest qui recte sentiat oppositum docere.

Ex his facile possumus aliorum argumēta quæ nostrę sententiæ aduersantur dilucere. Ad 1. igitur argum. Angeli constat iam ex dictis, statuta huiusmodi quibus Gabellæ precipiūtur solui, non esse leges purè pœnales, neq; habere illam conditionem, vt relinquatur in libera cuiusq; optione, vel illas soluere, vel exponere seipsum pœnę luendę: sed esse leges omnino præceptiuas, quibus expresse mandatur iusta vectigalia solui, appositam verò habent pœnā, vt homines qui magis vt plurimum ducimur formidine pœnæ quā virtutis amore, cautiores efficiamur, & magis solliciti in illis obseruandis. Quod plerisq; legibus cōmune est, vt cum aliquid precipiunt, pœnam præcepto coniungāt, quo diligentius & accuratius quod præcipitur efficiatur. Quin etiam vt diximus cum Syluest. esto leges huiusmodi purè pœnales essent, soluenda nihilominus in cōscientia iusta vectigalia sunt, quia non debentur (vt recte ait Caieta.) propter solam authoritatem legis humanę, aut impositionem pœnę, sed ex vi debiti absolute, & simpliciter, ac ex natura rei, vt bona debita Principi vel Reipub. iure naturali & diuino: lex autem humana vel pœna in ea contenta non tollit vinculum & obligationem iuris naturalis & diuini.

Ad secundum respondeo. Cap. Illud Quanquam. De Censibus alludere vt Glossa illius optime admonet ad alios textus. Nam dum dicit vectigalia esse damnata iure Canonico, alludit ad cap. Super quibusdam. De verbo significa. & dum dicit iure ciuili, alludit ad L. vltim. Codi. Nou. Vectigal. institui non posse. Quo circa ex his locis erit colligendus genuinus ac legitimus sensus istius cap. Quanquam.

In vtroq;

In vtroq; autem textu illorum, tam in cap. Superquibusdam : quam in illa. L. vltim. damnantur vectigalia noua sine Imperatoris, aut Papæ, vel Gener. Concilij authoritate introducta : ac vt vnico verbo dicam, damnantur noua vectigalia quibus non cōueniunt conditiones illæ, quas ar. proxime seq. dicemus in vectigalibus iustis desiderari. Quo fit vt in isto cap. Quanquam iniusta tantum vectigalia, & sine debita authoritate introducta damnentur: nos autem quæ iusta sunt, non quæ iniusta, asserimus in foro conscientiæ deberi.

Quod vero subiungit Angel. de dubijs inferius examinabimus: tū etiam quæ pertinēt ad Gabellas priuatas quas iura municipalia siue Assisia appellamus. Sint ne á solis ciuibus, vel ab exteris quoq; persoluēda? & qua ratione cessante illorum causa, illorum solutio cessare etiam debeat.

Nunc ad argumenta. Tabiensis accedamus.

Ad primum respond. Ementes á Principe, vel Repub. ius istud exigendi vectigalia, & tributa quos vocamus *Arrendadores*, esto sciant hominum iniquitate & malitia, sępe huiusmodi Gabellas defraudari, nunquam tamen illud fieri ipsorum beneplacito, & consensu. Primo, quia ipsi emunt huiusmodi ius exigēdi Gabellas iuxta Principis, vel Reipub. statuta, quæ vt constat sunt leges veré præceptiuę, absolute, & omnino præcipientes solui vectigalia. Et cum hęc sit voluntas legum, hęc eadem est censenda voluntas, & consensus huiusmodi publicanorum. Et confirmatur: quia cū huiusmodi publicani in vectigalibus, & tributis exigendis referant personam Principis, vel Reipub, eundem consensum & uoluntatem censendi sunt habere quam habent Princeps ipse, vel Respub. quorum vices gerūt, & quorum habent ius. Princeps autem, & Respub. hoc absolute instituunt, & omnino volunt, vt soluantur tributa, et vectigalia, & hoc fine non soluentibus pœnas imponunt, vt diligentius & fidelius soluantur, non vt ciues in pœnam illam incidant. Aliter enim leges vectigalium, & tributorum iniquæ essent, non enim essent verę leges sed laquei, & muscipulæ ad capiendos subditos, quod quam alienum esse debeat à legibus, & pręceptis superiorum neminem latet. Vnde nec publicani isti censendi sunt sunt habere hunc consensum, vt liceat mercatoribus defraudare vectigalia, modo periclitentur luere pœnam.

Secundo, etiam si admmitteremus tacitum istum consensum publicanorum, non propterea recte colligit Tabiens. nec defraudantes vectigalia manent tuti in conscietia: quia in his quæ cedunt in damnum proprium, vt docuimus primo tomo horū commentariorum. quæstione 62. Articulo secundo, exigitur necessario consensus expressus, vt patiens illud damnum dicatur consentire, defraudare autem vectigalia quis ignorat in graue damnum ipsorum publicanorum esse?

Ad secundum respondeo. Etiam si ex his quæ communiter aliqui soluunt, sufficienter prouideatur necessitatibus Principis, vel Reipub. & expensis publicanorum, non propterea manere tutos in conscient.a cęteros, qui iusta tributa & vectigalia non persoluunt. Primo quia nulli licet onera communia & ab omnibus persoluenda in aliorum humeros coniicere, & se ipsum ab illis eximere. Secundo, quia eodem titulo possent omnes Gabellas defraudare, cum graui Reipub. iactura; quæ enim potior ratio esset vnius quam alterius? cur obsecro non liceret cuiq; opinari, sufficere quę iam ab aliis persoluuntur? & ea ratione ipsum non teneri? quā via omnes niterentur se ipsos eximere, & nullo soluente, à nemine publicæ necessitates leuarentur. Tertio, nocent hi grauiter Reipubli. & proximus suis, Reipublicæ quidem, quia optaret Respubli. si obtinere illud posset, non modo leuare necessitates quas actu patitur, verum etiam parare ærarium aliquod, cuius ope, his quæ præter opinionem accidere possunt, statim occurreret, ne inquouis euentu noui damni, nouæq; necessitatis essent noua imponenda vectigalia, vel augenda antiqua. Ex quo etiam ęratio solutis eiusdem Reipub. debitis antiqua minuerentur: quæ obtinere non potest, culpa, & iniquitate eorum qui huiusmodi Gabellas non persoluunt. Quo fit vt suis etiam proximis plurimum noceant. Etenim cum culpa eorum vbi noua necessitas occurrit noua oporteat Magistratus imponere vectigalia; in causa etiam sint quo minus antiqua non minuātur, vtriusq; damni, cuius omnes ciues participes sunt, quis non videat istos defraudatores vectigalium caussam esse? Cogitur enim Respub. propter huiusmodi fraudes maiora quandoq; imponere vectigalia quam imponeret, &

diutius illa protrahere quæ citius nonnunquam cessassent. Taceo nunc grauia damna & iacturas quas exactores vectigalium quos vocamus Arrendadores, sępe in suis bonis patiuntur non habentes vnde reddant integrum pretium vectigalium in quæ á Repub. ius acceperunt.

Ad 3. facilis est solutio, nos enim non sentimus gabellas iniustas esse persoluendas, sed eas tantum quæ reuera iustæ sunt, & quibus vere conueniunt, quæ exiguntur ad iustam gabellam. De dubiis suo loco agemus.

Ad 4. Dico, Simpliciter et absolute eum qui deprehenditur defraudasse gabellas, teneri non solum ad luendam pœnam, verumetiam ad restituendam gabellā quam defraudauit, sicut argumentum illud probat: cæterum quia ita vsus obtinuit, vt solam pœnam reddat, videmusq; ea sola cōtentos esse exactores, eo quod pœnæ istæ solent esse adeo graues, vt gabella defraudata earum comparatione quasi pro nihilo ab ipsis habeatur, propterea soluta pœna nihil amplius redditur, sed illam aperte, & expresse publicani iudicantur remisisse. Conuenit enim communiter cum ipsis qui gabellam defraudauit, quid illis reddere debeat, pro omni iure quod in ipsum habeant. Et cum persoluat id quod facta inter eos conuentione constituitur, liber manet in vtroq; foro ab omni debito, tam ratione pœnę quam vectigalis defraudati, modo in ea conuentione nulla vis, nullaq; fraus, vel dolus interueniat.

Argumenta Doct. Nauarro imbecilliora sunt. Nam prius illud leges obligantes ad pœnam eo ipso non obligare ad culpam, falsum esse, satis constat ex his quæ superius docuimus. quęstione. 77. Articulo primo, agentes de lege pœnali cum pœna nō apponatur legi ad tollendam illius vim quin potius (vt sępe diximus) vt illa accuratius, & fidelius obseruetur. Posterius verò iudicare omnes, vectigalia non esse persoluenda, nec ex eorum defraudatione obligari ad culpam, falsum etiam est, vt ex dictis abunde constat. Vidimus enim quot & quam graues Doctores tam ex Theologis quam ex Iurisperitis contra sentiant. Quod si ex vulgi opinione argumentum ille sumat, vulgi opinio corrigenda potius est á Peritis quam sequenda.

Ex his in summa duo sequuntur, quę optime colligunt Caiet. verb. vectigal. & Syluest. verb. Gabella cap. 3. quæst. 8. Prius est, vectigalia iusta non deberi virtute legis humanæ, aut ex impositione pœnæ, sed ex natura rei eodem omnino iure naturali ac diuino, quo tenentur ciues publicas & cōmunes suæ Reipub. necessitates ex suis bonis leuare: vnde lex humana in his solum assignat quantitatē Gabellæ, & modum persoluendi illam, sicut in decimis, ad quas iam tenentur fideles iure naturali & diuino in sustentationem Clericorum, lex vero humana solum assignat quantitatem, in qua sunt exhibendæ.

Alterum est quod ex priori sequitur, defraudare Gabellas esse peccatum mort. furti ex suo genere, & cum vinculo ac debito restituendi: peccatum quidem furti, quia illas defraudans nocet Principi, vel Reipub. in re sua, pecunia enim per vectigal, vel tributum iustum reddenda in communem vtilitatem, ita est Principis vel Reipub. vt in illam habeant verum ius, qua propter illam defraudare, est expoliare Principem, vel Rempub. rebus, in quas habent verum ius, & ex consequenti apertum furtum. Quod si furtum restituendum omnino est, nec poterit qui ista defraudauit, nisi illa restituerit absolui: iuxta illud D. August. Cano. Si res. 24. q. 5. vbi ait. *Si res aliena propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur, pœnittētia non agitur, sed simulatur.* Idem docet Rayn. Pisa. Archid ac. Rosella: & omnes fere summistę in verb. Pedagiū. Et omnes Doctores in cap. illo Innouamus, & maxime Panormitan. vt refert Syluest. loco citato.

Ex his etiam sequitur animaduersione digna esse quæ habet Azpilc. in suo Manua. cap. 23. num. 60. & 61. Docet enim ibi hæc duo. Prius est, extrahentes vel inferentes merces non soluto vectigali solam legem humanam violare. Posterius est, huiusmodi homines si à custodibus vel exactoribus deprehendantur teneri ad soluendum, nec posse merces illas vi & armis tueri, ne ipsæ auferantur à custodibus: rationemq; reddit, quia resistens iustè aggredienti peccat grauiter. Vtrumq; enim falsum est, Prius illud, cum constet aperte lege naturali, & diuina deberi vectigalia. Quāuis. n. vectigal authoritate humana imponatur, postquam autem impositum est, si iustum illud sit, iure naturę & diuino tenētur subditi illud persoluere; sicut diuisio rerum iure gentium facta est, ea vero semel facta, iure naturæ, & diuino prohibemur attingere quæ huic, vel illi fuere appropriata.

Poste-

Posterius vero vix intelligi potest, nam vel is qui merces extrahit debet vectigalia, aut non: siquidem debet, peccat non soluendo illa, & custodes iustè exigũt ab eo pœnam, nec potest illis iure resistere, cum non detur bellum ex vtraq; parte iustum. Quod si non debet, vt sentit. D. Nauarrus, poterit iuste custodi illi resistere, vt agressori rem iniustã & non debitam, postulanti, nec custos poterit iure illam auferre, ob eandem causam, quia non datur bellum ex vtraque parte iustum.

Tractata hactenus quæstio huius articuli est simpliciter, & ex natura rei: vt pote tributa, & vectigalia iusta in foro animę omnino deberi. Cæterum qua ratione illa persoluenda sint non dum satis explicatum est, quo circa videamus opportet.

DEBEANT NE SVBDITI *exactores vectigalium adire ad illa soluenda, vel sufficiat ad paratos esse illa reddenda, quando ab exactoribus postulabuntur.*

SVNT nonnullæ Gabellæ ad quas persoluendas non est certus constitutus locus, sed hostiatim per domos singulorum Ciuiũ colliguntur: vt ius salinarium, id est, *El real de la sal*, & aliud quod apud nos dicitur, *El Morabatin* ad obsequia Regia, quæ omniũ consensu nõ tenentur ciues deferre ad exactores, sed sufficit illa persoluant vbi fuerint ab ipsis exactoribus requisiti: Est ergo quæstio hoc loco explicanda.

An in Prouinciis in quibus non sunt Telonia, Duanę, & similes loci publicè constituti ad exhibenda vectigalia, sed ex antiqua consuetudine colliguntur priuatim per domos mercatorum, & vendentium, sufficiat ciuibus, persoluere illa quando ab exactoribus fuerint ab ipsis postulata, simpliciter & nude manifestata illis, mercium quæ asportatę, vel venditę sunt quantitate, & prætio, sine vlla fraud, emendatio, vel periurio?

Sunt qui existimẽt soluenda quoq; esse in huiusmodi Prouinciis in quibus talis consuetudo existeret, etiam si non exigantur. Quod ita colligunt. Gabellę iustæ, vt constat simpliciter, & ex natura rei sunt debitæ, quod autem simpliciter, & absolute alicui debetur, simpliciter etiam & absolute illi reddendum est, siue exigatur illud ab ipso creditore, siue non, siue sit locus aliquis ad illius debiti solutionem designatus, siue non. Et confirmatur. Consuetudo potest quidem derrogare iuri humano, non tamen iuri naturali, aut diuino, sed vectigalia iusta debẽtur iure naturali & diuino, vt cõstat, non potest igitur consuetudo aliqua efficere, vt debitor eorum non teneatur illa soluere, siue exigantur, siue non exigantur, siue sit assignatus eis locus, siue non.

F. Iosephus in suis Floribus agẽs de restitutione sentit, secundum consuetudinem Hispanię nullum teneri ad soluenda vectigalia pedagia, & similia, donec á quęstoribus exigantur, teneri tamen ad non occultãdas merces, aut res in quibus negotia exercet, ita vt nullo omnino mẽdatio, periurio, vel dolo vtatur, sed publicę suos cõtractus exerceat, in publicis locis res ipsas vendẽdo, vel emendo, & per publicas vias illas asportando. Ratio eius est. Retinere alienum tunc solum est peccatum, quando retinetur inuito domino. Quãdiu autem exactor non postulat vectigal, mercator non retinet illud inuito domino. Ergo.

Victoria quem sequitur Bartholo. Medi. in sua prima secũdę, distinguebat inter Gabellas quę apertè & manifestè iustę sunt, & inter eas quę sunt apertè iniustę, vel de quarum iustitia á prudentibus & peritis dubitatur: has posteriores asserebat in foro animę non deberi, circa priores verò nempe aperte iustas, de quibus hic agimus, docebat seruandam esse consuetudinem patriæ, ita vt vbi cõsuetudo habet, publicanos, & exactores á Principe vel Repub. constitutos colligere vectigalia per mercatorum domos & officinas vendentium, in tali loco nemo teneatur illa vltro exhibere, nisi cum primum fuerint petita ab illis collectoribus, vel exactoribus, vbi vero talis consuetudo non est, quin potius est in vsu mercatores, & emptores adire ipsos publicanos, ad manifestandas merces quas vendunt, vel recipiunt, aut alio deferunt, & illis vectigalia soluere, in huiusmodi locis teneri in conscientia ad soluenda illis vltro vectigalia, etiam si non exigantur, vel saltim manifestandas merces illas. Et iuxta hunc sensum (vt ex hac doctrina constat) censendus, est Magist. Victoria fuisse sequutus Tabiensem, quando dicebat vectigalia iusta non esse persoluenda, nisi exigantur.

Intelligit Victoria, vbi existit talis consuetudo patriæ.

Ex hac doctrina colligunt discipuli Victoriæ: tributa regia, & vectigalia aperte iusta soluenda esse, etiam si non exigantur, iuxta patriæ vt modo dictum est consuetudine, pedagia, vero collectas, & asisia, cum iuxta ipsos non sint aperte iusta, sed vel iniusta, vel saltim maxime dubia, in foro animæ non deberi, sed posse tuta conscientia occultari, nisi vbi ita exigerentur, vt sequeretur scandalum, & perturbatio, si petita nõ soluerentur. Hac tamen parte nũc dimissa: An pedagia, collectę, & asisia, sint iusta, vel iniusta aut dubia (quod in singulis. artic. 4. huius disputationis diligenter examinabimus) illam opinionem Mag. Victoriæ quę habet stãdũ esse in his tam in foro interiori quam in exteriori consuetudini patriæ sequuntur. Blasius Nauarro in suo opusc. de Vectigal. cap. 7. Ludouicus Lopez in suo Instruct. par. 2. cap. 36. & Corduben. in suo Tractatu de casibus cõscientiæ. q. 95. Didacus vero Couarru. in Regu. Peccatum §. 5. num. 5. iudicat eam maxime probabilem.

Ad cuius intelligentiam obseruemus primo ex Saliceto, & communi Doctorum sententia in. L. Consuetudinis. Cod. Quæ sit longa consuetudo. Et Cap. vlt. de Consuetud. consuetudinem in his quę sunt de iure humano positiuo habere vim legis, & posse id ipsum quod potest lex humana, vbi consuetudo illa approbata est & recepta: dicitur autem approbata, quando superioribus scientibus, & consentientibus introducta est: ita vt nec pro clamauerint, nec processerint contra sic agentes. Constat hoc fundamentum varijs exemplis. Præceptum est Ecclesiæ die Dominica nõ exercere opera seruilia: postetq; eadem lex Ecclesiastica concedere, vt audita re sacra liceret: hoc idem potuit consuetudo. Etenim quia consuetudine receptum est, vt in macello occidantur arietes, excorientur, scindantur carnes eorum & vendantur in diebus etiam festis, licet iam illud in vtroque foro: Similiter in Cap. illo. Super quibusdam. Definitur posse colligi vectigalia lege Imperatoris, Papę, vel alicuius Concilij General. instituta, aut antiqua, & immemorabili consuetudine introducta. Vbi aperte quo ad exactionem vectigalium pertinet quod potest lex superioris potest etiam antiqua consuetudo: vt sicut iustè exigũtur lege, & authoritate Principis introducta, ita quoque antiqua consuetudine obseruata. Et in decimis licet controuersum sit inter DD. posit ne consuetudo aliquem omnino eximere à solutione decimarum, vt superius vidimus, docent tamen D. Tho. in hac. 2. 2. quæst. 87. artic. 1. Et quolib. 6. art. 10. D. Antonin. 2. p. tit. 3. cap. 3. §. 6. Syluest. in verb. Decimæ. num. 10. Couarru. lib. 1. variarum Resolut. cap. 17. num. 8. & 12. & communis, tam Theologorum quam Canonistarum Schola, in Prouincijs inquibus est consuetudo non soluere Decimas, nisi postulentur, non esse aliter in foro etiam animæ soluendas, propter vim quam habet in his recepta consuetudo.

Obseruemus secũdo, leges & statuta humana circa Gabellas quatuor posse assignare, vt pote quantitatem pecuniæ soluendę, modum soluendi, materiam, id est merces ratione quarum soluendę sunt, & personas quę illas soluere tenentur, vel ab illarum solutione censendę sunt liberæ, & immunes. Est enim commune omnibus legibus humanis, vbi ius naturale, vel diuinum aliquid quidem præcipit in genere, & in communi, non tamen assignat priuatim, & in particulari tempus, locum, & similes circunstantias, assignari illas à legibus humanis. Verb. gra. Est quidem de iure diuino præceptum confitendi peccata Sacerdoti, non tamen assignat ius diuinum certum tempus, assignat illud Ecclesia in cap. Omnis vtriusq; sexus. De pœnit. & remissio. nẽpe tempus Paschę. Est de iure diuino, vt aliquis dies sit Deo consecratus in quo oporteat fideles cultui diuino vaccare, non tamen assignat ius diuinum in lege Euangelica diem aut modum vacandi Deo: assignat Ecclesia diem Dominicam, modum verò, audiendo rem sacram, & abstinendo ab omni opere seruili. Deniq; iure naturali, & diuino debentur ministris Ecclesiæ decimę, in qua tamen quantitate, & à quibus reddendę sint, non explicat ius naturale, vel diuinum. Explicat illud ius humanum Ecclesiasticum. Similiter res habet in vectigalibus, & Gabellis debentur quidem vt constat quę iustæ sunt iure naturali & diuino, at in qua quantitate, in quibus rebus, vel qua ratione, aut à quibus personis sint persoluendæ, non assignatur à iure naturali, aut diuino, assignat verò omnia ista ius humanum ciuile, leges vt pote

Prin-

Principis, & statuta Reipub.

Obseruemus Tertio, quod optime animaduertit Couarr. loc. cit. in ciuitatibus & locis inquibus sunt Thelonea, Duanę, & alij loci, & domus publicæ, vbi assistũt publicè horis statutis exactores Gabellarũ, & in quibus sunt constituti custodes portarum, quasi speculatores mercium quæ in ciuitatem vel oppidum inferuntur, vel inde extrahuntur, perinde sese habere Thelonea ista, & loca publica in hunc finem assignata, & Publicanos illos, & exactores in illis constitutos, ac si aperte & expræsse exigerent actu vectigalia á mercatoribus ementibus, vel vendentibus suas merces, aut in ciuitatem illas inferentibus, vel extrahentibus. Quia licet aliquę sint Gabellę, quæ commode possunt exigi per domos, & priuatas officinas, cuiusmodi sunt quæ non soluuntur ex mercibus, sed per familias, vt ius salinariũ, & quæ apud nos appellantur. El Morabatin, y la Peyta: at tributa, pedagia, assisia, & similia vectigalia siue Gabellę, quæ sunt impositę mercibus, & rebus venalibus, non possunt ita commode colligi. Quia neque exactores possent diuinare à quibus essent exigẽdæ, nec mercatores illas fideliter manifestarent, adde quod essent maximæ expensæ necessario faciendę, si ea ratione essent vectigalia, & tributa exigenda, & colligenda; quæ omnia cederent in graue damnum ciuium, & Reipub. Propterea prudenter Principes & Magistratus, excogitarunt hoc modo illa exigere, promulgatis sufficienter legibus, & statutis vectigalium, & constitutis locis publicis in Portis, Theloneis, & Duanis, ac publicis exactoribus in illis: quod certe sufficit, vt dicantur tributa, & vectigalia ab omnibus exigi, vt eleganter loco cit. docet Couarru. Quemadmodum vbi est consuetudo soluendi decimas, si consuetudo etiam sit laycos eas defferre in horrea Clericorum, vbi fuerint horrea à Clericis publice deputata, in quæ omnes decimæ defferantur, tenentur debitores decimarum eò illas ducere, ac soluere, etiam si non exigantur, quia habere illa horrea publice deputata ad decimas recipiendas, & publicos in illis collectores, perinde est, ac si aperte & expresse illas Clerici exigerent.

Ex his perspicuum fit quam verum sit quod docent Victoria, Couarru. & alij quos paulo ante retulimus: vt si consuetudine receptum sit, vectigalia non persolui, nisi postulata á singulis in suis domibus, & officinis, nõ teneri ciues ad illa persoluẽda, nisi quando ab ipsis exactoribus fuerint ab eis petita. Vbi verò existũt Thelonia, & publicæ domus, & in illis publici exactores, vel collectores à Principe, vel Repub. cõstituti, teneri subditos ad deferendas merces suas in illa Thelonea, & domos, ad eas manifestandas, & persoluendas Gabellas.

Probatur prior pars huius sententiæ. Consuetudo recepta, & approbata habet vim legis, potestq; id ipsum quod potest lex humana, potest autem lex humana in tributis & Gabellis assignare modum quo soluantur, nempe vt soluantur, vel quæsitis & aditis exactoribus vltroque manifestando illis merces, & præcia illarum, vel quando exactores ipsi hostiatim singulas domos & officinas mercatorum, & vendentium adierint, postulauerintq; á singulis vectigalia quę pro ratione merciũ quas emit, vendidit, vel asportauerit vnusquisq; eorum, fuerint iurè debita, vt constat ex prima & secunda obseruatione. Ergo vbi fuerit consuetudo, & vsus patriæ non soluere vectigalia, nisi quando exiguntur, non tenebuntur subditi ad illa persoluenda, nisi petita.

Probatur altera pars ex vltima obseruatione hoc modo. Vectigalia iusta, & Gabellæ iustæ soluendæ sunt quando exiguntur, sed vbi sunt Thelonea, & publicę domus in quibus existunt publici exactores, á Principe, vel Repub. constituti, perinde ista se habẽt, ac si aperte, & expræsse exigerentur. Ergo vbi sunt ista Thelonea, & domus, tenentur asportantes merces, vel emẽtes, aut vendentes illas ibi eas manifestare, & Gabellas soluere.

Confirmantur hæc omnia ex his quæ dicta sunt de Decimis, hac ratione. Non minus debentur decimę ministris Ecclesiæ iurè naturali & diuino, quam debeantur tributa, & vectigalia iusta Principi, & Reipub. Sed in soluendis decimis standum est in vtroque foro consuetudini loci, ita vt vbi vsus obtinuit eas non solui nisi petitas, non teneatur aliquis eas soluere nisi petitas, vbi verò sunt publica horrea, publicique Collectores á Clero constituti, teneantur layci illas eo defferre: quia eo ipso quo talia horrea à Clero sunt constituta, censentur Clerici illas exigere. Ergo similiter in vectigalibus

aliisque Gabellis res sese habebit.

Argumenta initio proposita facile diluētur. Ad primum enim dico, differre ea quę priuato ciui debentur, & ea quæ Principi, vel Reipub. Etenim cum in bona particularium ciuium non habeat Respub. dominium, non potest Respub. condere legem, qua constituatur, ne teneantur ciues reddere debita suis creditoribus, nisi fuerint ab illis postulata. Et similiter nec consuetudo potest efficere, vt quæ alicui simpliciter debentur, non sint persoluenda nisi petita: quia in his idem est iuditium de consuetudine, quod esset de lege humana. Vectigalia vero & similes Gabellæ sunt bona Reipub. & ita potest circa illa legem condere, vt hoc vel illo modo ipsi exhibeantur, & cum consuetudo in his habeat eandem vim quam lex humana, potest propterea asignare quoq; consuetudo modum soluendi, ita vt iuxta illum soluens maneat tutus in conscientia.

Ad confirmationem dico, maxime differre hæc duo, soluere vectigalia, & modū soluendi illa, nam prius illud est à iure naturali & diuino, posterius vero à iure humano, vt ex secunda obseruatione constat, & cum consuetudo in his, idem posit quod ius humanum, soluenda propterea vectigalia sunt iuxta eum modum qui in singulis ciuitatibus, & locis fuerit approbata consuetudine receptus.

Ex his patet non esse recte dictum quod habet Domin. Soto lib. 3. de iust. q. 6. ar. 7. tributa illa quæ Regi exoluuntur, quæ Hispanis dicuntur Alcaualas, si moderatè exigantur vltro soluenda esse, si vero cum rigore, sat esse illa obedienter soluere cum fuerint petita. Quia huiusmodi tributa siue moderata sint, siue rigurosa, aut sunt iusta, aut iniusta, si iniusta, non tenentur subditi illa soluere in foro animę: quod si iusta sint, soluenda sunt iuxta consuetudinem patrię, vt expositum est.

Oportuisset nunc agere de Gabellis dubiis. Sint ne in foro conscientiæ persoluendæ? cæterum quia Gabellæ de quarum iustitia dubitari potest, variæ sunt, nec idem iuditium de omnibus ferendum est, sed pro ratione & qualitate dubii ita est de illis iudicandum, quod plurimum pendet ex legibus, & conditionibus, quę exiguntur, vt Gabellæ iustę sint, propterea de huiusmodi conditionibus, & legibus prius differamus oportet.

ARTIC. TERTIVS.

Quæ leges siue conditiones requirantur, vt Tributa, Vectigalia, & aliæ Gabellæ censeantur iustæ?

CVM statuta quibus Gabellę à superioribus imponūtur, sint quędam leges, exiguntur eo ipso ad iustas Gabellas eadem omnino quæ ad iustas leges: ad leges vero iustas vt docet optime. D. Tho. 1. 2. quęst. 96. ar. 4. exiguntur quatuor illa, ad quæ omnia causarum genera philosophi reduxerunt: nempe Efficiens, Materia, forma, & finis. Efficiens, id est, vt sit condita lex ab habente autoritatē, ita vt ille suam facultatem & ius non excedat: nam cum debeat lex habere vim coerciuā, exigitur necessario huiusmodi autoritas & ius in conditore illius ad compellendos subditos ad illius obseruationem.

Exigitur secundo debita materia circa quam versetur lex, ita vt pręcipiat quæ tali loco & tempore recta ratio docuerit conuenire, sępe enim accidit, vt quę aliquo tēpore vel loco accomodata sunt, in alio non expediant sed noceant potius.

Tertio forma, Etenim cum lex sit regula recti, & iusti, debet iuxta dictamē rectę rationis seruare in omnibus æquitatem & iustitiam, & eam tam in honoribus quam in oneribus proportionem, vt nullus ciuiū iustè conquęratur. Ita vt sicut in corpore humano singula membra lege â natura ipsis constituta id præstant, quod iuxta proprias vires ab eadem natura illis tributas commode valēt, ita quoq; singulis ciuibus ea lex prępscribat, quæ iuxta proprias vires præstare commode possunt.

Exigitur quarto debitus finis, nempe vt in bonum commune publicamque vtilitatem referat, quidquid pręscribit: vt optime admonet. L. illa. Nulla. ff. De legibus. Hoc enim interest inter Principem, & legitimū legum conditorem, ac tyrannum, quod hic suę tantum cupiditati, ille vero communi bono, & publicæ suorum ciuium vtilitati cosulat.

Hæc eadem exiguntut in omni Gabella vt iusta habeatur. Primo authoritas in imponente illam, Secundo necessitas & causa publica, ob quam solum iusté imponi potest. Tertio debita forma, quæ in eo consistit vt duplex proportio in gabellis maxime

xime

xime obseruetur. Altera cum necessitate propter quam imponitur, ita vt non maior imponatur Gabella quam iuditio peritorũ & prudentum videbitur desiderari ad publicam illam necessitatem leuandam. Iniqua enim esset Gabella qua colligerentur duodecim millia aureorum, vbi octo millia sufficerent necessitati quæ Reipub. sese obtulit. Seruanda etiam debita proportio est cum ciuibus. Quod obtinetur vbi singuli iuxta suas vires in Gabellam contribuunt, nec alij prę alijs magis grauantur. Quarto debita materia, quę postulat, vt in his rebus vectigalia imponantur, in quibus iura illud concedunt, & recta ratio suadet, minime vero in aliis. His acceditquintum quod ad finem quoq; reduci potest, meritoque ab omnibus DD. constituitur, rectus scilicet Gabellarum vsus, ita vt quæ ex Gabellis colliguntur illi necessitati deseruiant ad quam leuandam impositæ sunt, nec Principes, vel Magistratus se ipsos vel suos ex illis ditiores reddant.

De singulis suo ordine dicendum est. Ac primum omnium.

Controuersia Prima.

QVIS HABEAT AVTORItatem ad imponendas Gabellas.

INITIO constituenda huius quæstionis sunt hæc duo tanquam certissima fundamenta, in quibus omnes DD. conueniũt.

Prius est, autoritatem instituendi & imponendi Gabellas, quæ sunt tributa, vectigalia, pedagia, & similia, quæ non imponuntur per modum collectę, & priuati iuris municipalis, in eo tantum residere, qui in eo loco vel prouincia est vere Princeps: Cuius rei ratio est. Quia hęc autoritas pertinet ad plenitudinem potestatis temporalis & ciuilis, & summum Imperium seculare, cum huius sit vt supremi capitis talis loci, vel Prouinciæ communi bono suorum subditorum prospicere: plenitudo autem huiusmodi potestatis, & Imperij conuenit soli Principi, vt nomem ipsum sonat.

Alterum est, illum solũ dici Principem, qui habet supremam authoritatem in aliquo Regno, & Repub. quã DD. comuniter appellãt merũ & mistũ Imperiũ. Habet autẽ in aliquo Regno, vel Repub. huiusmodi authoritatẽ, & Imperiũ, qui in illa ita cęteris omnibus preest, vt sit ipse supremum caput, nec vlli alteri in temporalibus subijciatur. In temporalibus inquam, quia in spiritualibus certa fide tenendum est, quotquot sunt Principes, & supremos Imperatores Sum. Pontif. Roma. subiectos esse, cũ sint Christi oues, nec vllus iure ipso diuino Christi ouis censendus sit, quin sit etiam B. Petri & legitimi successoris illius qualis est Roman. Pontif. ouis, & filius, dicente Domino ad B. Petrum, & in eo ad omnes Romanos Pontif. *Pasce oues meas.*

Quibus ita positis, Sit prima conclusio.

Quo tempore solus Imperator erat verus Dominus totius orbis, & in eo solo residebat plenitudo potestatis secularis, & supræmum merum ac mistum Imperium, reliqui vero Princeps & Reges, Imperatori erant subiecti in temporalibus, & illi pheudatarij, cẽsus & tributa illi reddentes in signum suæ subiectionis, (quod ex historijs cõstat per multa tempora durasse) solius Imperatoris authoritate poterant vectigalia instituui, nec erant iusta si quæ ab alijs Regibus vel Principibus in suis Regnis, aut Prouincijs instituebantur, nisi consensus & authoritas Imperatoris illis accederet.

Hæc conclusio est omnium fere Doctorum. Ita Salicet. L. Vestigalia. Cod. Noua vectig. institui non posse. num. 3. Bald. in cap. 1. De pace iura, firm. Cardin. Zarabella in illo cap. Super quibusdam. Et ibidem. Abbas. num. 6. vbi repræhendit grauiter quod omnes Reges, & ciuitates, imo & Castellani in suis locis audeant propria autoritate vectigalia imponere, cum id soli inquit Imperatori competat, & Regi Romanorum electo, qui idem est Imperator.

Et probatur ratione ex fundamentis positis. Quia imponere vectigalia solum spectat ad supremam authoritatem secularem, & habentem supremum ac merum Imperium, quando igitur talis potestas, & Imperium in solo Imperatore residebat, & nõ in alijs Regibus, vel Principibus, solus ipse poterat imponere vectigalia, & nullus alius sine ipsius consensu, & concessione.

Et confirmatur: sicut omni iure (saltim iure gentium apud omnes recepto) seruus non potest habere seruũ, quia videtur maxime dissonum rectæ rationi: vt qui sub alterius est dominio, habeat ipse dominium in alium, ita qui alteri pendit censum & tributum, non potest alijs tributa aut vectigalia imponere, sed antiquitus omnes Reges, vt docet. Bald. loco cit. in cap. 1. de pace iuram. firman. nu. 1. pendebãt cẽsum & tributum Imperatori, vt supremo totius orbis,

bis, & omnium Prouinciarum domino, non ergo licebat tunc ipsis Regibus, vel Principibus, própria authoritate tributa, & vectigalia alijs imponere. In hoc sensu intelligẽdę sunt. L. Deprecatio. ff. ad Legem RodiamDe iac. Et L. Bene à Zenone. Cod. De Quadric. præscrip. inquibus affirmatur Imperator totius mundi Dominus: Et omnia Principis esse. Accipiendę enim sunt leges istæ & similes, de eo tempore, quo solus Imperator habebat supræmam potestatem secularem, ac merum & mistum Imperium in omnibus Prouinciis, & Regnis totius orbis.

Secunda Concl. *Post vniuersalem illam pacem factam Constãtiæ inter Imperatorem, & Principes, ac Reges, & quasdam Respub. & Ciuitates Italiæ, habẽt Principes, & Reges, ac ciuitates illæ, quæ sunt Respub. perfectæ, ita se ipsas gubernantes, vt nullum alium superiorem in temporalibus agnoscant, authoritatem, & potestatem instituendi vectigalia in suis Regnis, Prouinciis, & ditionibus.*

Probatur hæc Concl. sicut & præcedens ex fundamento posito, hac ratione. Propterea, quando omnes Principes Imperatori subiecti erant, non licebat eis vectigalia imponere, sed solius Imperatoris authoritate institui illa poterant, quia supræma potestas, & merum ac mistum Imperiũ supræmum cuiusq; Regni, vel Prouinciæ in nullo alio Rege, vel Principe quam in solo Imperatore residebat: post illam verò generalem pacem inter ipsum, & ceteros omnes Principes, & Respub. initam Constãtię; (liceat Imperator nomem, & dignitatem Imperatoris retineat, (non tamen habet iam in omnibus Prouincijs, & Regnis supræmam illam potestatem, & Imperium quod antea in toto orbe habebat, sed habet illud absolute, & omnino vnusquisq; Princeps, vel Rex in sua Prouincia, & Regno, & vnaquęq; Respub. perfecta in sua ditione, vt Respub. Venetorum aut Genuensium. Nec subijciuntur iam in temporalibus Imperatori, licebit ergo nunc his omnibus tributa, & vectigalia sibi subditis imponere. Ita Ioan. Andre. & Panormit. in Cap. Innouamus. De Censib. num. 6. Salice. in illa. L. Vectigalia. Cod. noua vectig. instit. non posse. num. 3. Bald. in L. fina. Cod. de vectigal. Antonius de Butrio in illo Cap. Superquibusdam. Angel. Verb. Pedagium num. 2. Siluest. verb. Gabella. nu. 7. & omnes Doctores tam Theologi quam Iurisperiti.

Ac de Regibus quidem, & Principibus nulla est dubitatio. De Ciuitatibus verò istis quę perfectæ Respub. sunt in se ipsis, etsi nonnulli aliquando dubitarunt, eadem tamem est ratio, cum habeant in se ipsis plenum, & merum Imperium suprẹmum ad se ipsas guberndas, nec alicuius superioris ditioni in temporalibus subiaceant.

Confirmaturq; magis argumento Siluest. loco cit. Ante pacem illam, & phędus Constantiæ, propterea, neq; Reges in suis Regnis, neq; ciuitates istæ Italiæ quæ modo constituunt perfectam Rempub. apud suos ciues, instituere vectigalia poterant, quia erant sub protectione, & gubernatione Imperatoris, ab ipso auxilium, & leges accipientes, qua de causa ius ciuile commune, erat ius illud Imperatorum, quo omnes gubernabantur. Post illam veró pacem & phędus tam Reges & Principes, in suis Regnis, & Prouinciis, quam Ciuitates istæ, & Respub. in suis ditionibus se ipsas suis copijs, & exercitibus tuentur, suisq; ciuibus propria authoritate leges conferunt, nec ab Imperatore auxiliũ aliquod, vel leges iam accipiunt, poterit ergo modo vnusquisq; Princeps, & quęuis Respub. perfecta suis subditis vectigalia imponere.

Tertia Concl. *Concilium Generale, & afortiori Sum. Pontif. potest etiam vectigalia instituere.*

Hæc conclusio, communis etiam est inter omnes. DD. in præcedenti citatos, & habetur aperte, in cap. illo Super quibusdã. Vbi Innocen. Tertius statuit. *Illa pedagia, guidagia, salmaria, & similia vectigalia esse interdicta, nec persoluenda, quæ non fuerint, vel Imperatoris, vel Regum, vel Concil. Latera. largitione concessa.* Vbi à contrario sensu definit aperte Pontif. hanc tertiam conclusionem.

Dices tamen statim, vectigalia (vt ex dictis constat) non possunt imponi, nisi authoritate Principis, vel Magistratus habentis supræmam authoritatem in temporalibus, quam tamen non videtur habere Concilium. Respondet Panormit. Ciciliũ Generale habere iura Principis, quia Concil. Genera. nullum sibi superiorem in temporalibus agnoscit, potestq; condere leges ad seculares etiam pertinentes. Respondet autem Siluest. in Concil. Generali præesse Papam, qui supræmus omnium Princeps est, & ea ratione habere Concil. authoritatẽ istam ad imponenda vectigalia, posseque illam alijs committere, sicut potest Princeps.

ceps. Quæ responsio Syluestr. videtur ad solum Concil. Lateran. pertinere cui ipsemet Innocentius inter fuit, & præfuit, at quamuis in isto cap. Super quibusdam solius Cōcil. Lateran. fiat mentio, communiter tamē DD. sub nomine Concil. Lateran. intelligunt, & recte quodcunq; Concilium Generale, etiam si in eo non præsideat Papa, sed solum Legati illius. Vnde melius dicitur cum Panor. Concilum Genera. eò quod nulli Principi, neq; in temporalibus subiiciatur, habere iura Principis, maxime in terris Ecclesiæ Summo Pont. approbante. Ex quo á fortiori patet, imponi quoq; posse vectigalia ex sola concessione Pape, vt recte colligunt Ioann. Andre. Syluest. & Tabien. locis in precedenti conc. citatis. Tum quia Summ. Pontif. neq; in spiritualibus neq; in temporalibus alicui subiicitur: quo nomine est censendus in hac parte, velut supræmus Princeps, habens iura Principis, nō solum in terris Ecclesiæ, verumetiam in quibusuis Regnis, & Prouinciis totius Orbis, potens cum ipsi æquum visum fuerit facultatem concedere quibusuis Magistratibus imponendi vectigalia suis ciuibus, & locis. Tum quia si Conciliū Genera. illud potest, á fortiori Papa á quo quodcunq; Conciliū omne robur, & vim accipit, vt recte dicitur in cap. Significasti. De Electione.

Ad hos igitur, Imperatorem scilicet, Reges. Concil. Genera. seu Papam spectat authoritas imponendi vectigalia, neq; sine errore id negari potest, extante hac Decretali Innoc. Tertij adeo aperta, & perspicua, & communi consensu omnium Doctorum.

Ex his nonnulla in summa colligere licet, Imprimis non solum posse Reges vectigalia imponere, vt ex dictis cōstat, verumetiam posse concedere inferioribus sibi subiectis facultatem ad illa imponenda in suis Ciuitatibus, & Regnis. Confirmaturq; aperte ex isto cap. Super quibusdā, vbi dicitur: Soluenda esse pedagia, & vectigalia quæ Imperatoris, vel Regum fuerint largitione concessa. Vbi eodem modo loquitur textus de Regibus, & Imperatore. Vnde cum Imperator possit concedere suis subditis facultatem ad imponenda sibi vectigalia, de quo nullus dubitat, poterunt similiter, & Reges.

Colligo secundo ad constituendā authoritatem quam modo Rex Hispaniæ, vel Frāciæ habet ad imponenda vectigalia, non esse recurrendum ad priuilegium aliquod illis concessum, vt faciunt Hostien. qui in cap. Per venerabilem. Qui filii sint legitimi existimat Regem Franciæ ex priuilegio Sedis Apostolicę id obtinere. Et Cardin. Zabarella. Qui in Clementina prima De Iureiuran. putat Carolum Magnum filium Regis Pepini in cuius persona fuit translatum Imperium ad Germanos, liberasse Regem Franciæ à subiectione Imperatoris, & tribuisse illi hoc ius imponendi vectigalia. Regem quoq; Hispaniarum volunt Iurisperiti quidam ex priuilegio Sedis Apostolicæ non subesse Imperatori, & habere ius imponendi vectigalia, & constituendi quæcunq; potest supræmus Princeps, quia vi & armis Regna quæ possidet ex faucibus hostium, & infidelium eripuit. Baldus etiā Reges omnes existimat ex concessione Papę posse imponere Gabellas: ita in. L. prima. ff. Quæ sunt Reg. in vsu Pheu. Sed frustra ab his Doctoribus ad huiusmodi, vel similia priuilegia recurritur, Cum post illam generalē pacem factam Constantię Reges omnes in suis Regnis, Princi pes Italiæ & aliarum Prouinciarum in suis ditionibus, & Respub. perfectæ quas vocamus Señorias, vt Venetorum, Ianuensium & similes, sint supremi, & legitimi Principes in suis locis, habentes merum & mistum Imperium, supremamq; authoritatem secularem in suos ciues, nulli alteri superiori in temporalibus subiectam, cui vt vidimus nititur hęc authoritas, & ius imponendi vectigalia.

Colligo tertio. Neq; in facultate quam habet Papa ad imponenda vectigalia recurrendum esse ad aliquod priuilegium, & concessionem Imperatorum, vt quidam faciūt, existimantes Papam id posse ex priuilegio Constantini Magni. Cum id possit absolute in suis terris pertinentibus ad Ecclesiæ patrimonium, in quibus est vere Princeps, nulliq; superiori, neque in temporalibus subiectus.

Colligo vltimo ad vectigalia & Gabellas iustas quatenus pertinet ad hoc primum caput, nempe, vt imponantur ab habente authoritatem, sufficere authoritatem cuiusuis istorum: ita vt si interuenerit authoritas Regis, in Regno cui preest Rex, non desideretur ibi priuilegium aliquod vel concessio Imperatoris vel bulla, & diploma Summ. Pontif. quod admoneo propter eos, qui in Gabellis Hispaniæ, & huius nostre Ciuitatis, vel Regni Valentini, querunt an sint cōcessę à Sum. Pontif. Id enim non exigitur modo vbi autoritas Regia interuenerit. Cū ad imponendas Gabellas, vt hic docuimus sufficiat

sufficiat authoritas supremi, & legitimi Principis, qualis est noster Catholicus Rex in tota Hispania, & alijs celeberrimis Regnis quæ diuino numine possidet. Et Innocen. Tertius aperte in illo cap. Super quibusdam, sub disiunctione loquatur, affirmans. *Illa tantum vectigalia esse iniusta, quæ non fuerint Imperatoris, vel Regis, vel Concilij Lateran. largitione concessa.* Et de his quidem nulla est modo inter Doctores controuersia: Maior verò & difficilior dubitatio versatur circa consuetudinem.

Controuersia Secunda.

AN ANTIQVA CONSVEtudo *cuius initium superat hominum memoriam, possit conferre alicui ius imponendi noua Vectigalia?*

EST consuetudo antiqua, vt Dux vel Marchio soleat imponere sibi subditis aliqua vectigalia, quę consuetudo adeo antiqua est, vt non sit in hominum memoria quãdo incœperit, sed conueniunt omnes sic fuisse perpetuo in vsu in eo loco: Est quæstio. An hæc consuetudo adeo antiqua & immemorabilis tribuat huiusmodi Duci, vel Marchioni verum ius imponendi illa.

Panorm. in capite Innouamus de Censibus. num. fin. docet reseruata Principi posse pręscribi antiqua & immemorabili consuetudine, vnde infert Ciuitates Italiæ potuisse pręscribere ius imponendi vectigalia antiqua, & immemorabili cõsuetudine. Sequuntur Panorm. in hac parte Syluest. verb. Gabella. cap. 3. num. 2. Angel. verb. Pedagium. num. 1. Armilla verb. Gabella. num. 7. Tabienſ. Pedagium. num. 2. Vbi habent etiam illud fundamentum Panor. reseruata Principi posse præscribi. Ioann. Medina. Cod. de Rebus restituend. q. 13. D. Nauarrus in suo Manua. Capit. 17. num. 202.

Probantq; hanc sententiam primo ex cap. isto Super quibusdam. Vbi eodem fere tenore verborum loquitur Innocentius De Imperatore, Rege, & Concilio Genera. & de consuetudine immemorabili. Sic enim ait: *Duximus declarandum illa esse pedagia, salinaria, & guidagia interdicta, quæ non apparent Imperatorum, vel Regum, vel Lateran. Concil. largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine a tempore, cuius non extat memoria introducta.* Vbi apertissimis verbis Pontif. idem tribuit consuetudini, quod Imperatori, vel Regi.

Secundo consuetudo habet vim legis, sed lex potest conferre alicui ius imponendi vectigalia, ergo & consuetudo. Minor cum consequentia apertissima est: Maior vero demonstrata est iam á nobis articulo proxime præcedenti. Potestq; confirmari testimonio D. August. qui in Epistola ad Casulanum ita scribit: *Mos populi Dei, & instituta maiorum pro lege sunt tenenda: & sicut præuaricatores legum diuinarum, sic contẽptores cõsuetudinũ Ecclesiast.carũ habendi sunt.* D. quoq; Isidorus, & habetur dist. 1. Cano. Mos. *Consuetudo*, inquit, *est ius quoddam moribus institutum, quod pro lege accipitur.* Vbi lex deficit. Simile habetur in. L. Diuturna. ff. De legibus, vbi dicitur. *Consuetudo pro iure, & lege in his quæ non ex scripto descendunt, obseruari solet.* Quod si tantum inquit Panormit. potest & valet consuetudo, asserendum profecto est, reseruata Principi in signum specialis priuilegij acquiri posse consuetudine tanti temporis, de cuius initio non sit memoria. Et ita ius imponendi vectigalia poterit acquiri immemorabili consuetudine.

Tertio temporalia, & quæ computantur in bonis præscribi possunt antiqua consuetudine, hoc ius imponendi vectigalia est quid temporale, quod numeratur inter bona Principis, Ergo potest pręscribi. Et confirmat tandem illud Panormit. quia á iure communi solus Imperator potest imponere Gabellas, modo autem possunt etiã Reges, & cæteri Principes hoc potissimum titulo, & nomine, quia per antiquam consuetudinem pręscripserunt sibi hoc ius.

Oppositum docuit Bartho. in, L. Vectigalia. Et. L. Si publicanus. ff. De publica. & vectiga. Sentit enim ibi, duo. Prius est Gabellas imponi non posse, nisi ab Imperatore, vel Rege, aut Papa, vel Concil. Genera. minime verò titulo antiquæ consuetudinis quãtũuis immemorabilis: ita vt quę hoc solo titulo imponerẽtur, sint iniustę, & defraudantes illas nec pecarẽt, nec tenerẽtur Deo nec mundo. q. d. nec teneri ad aliquam restitutionem. Excipit tamẽ Gabellas illas quas vnusquisq; populus communi consensu sibi imponit, per modum collectę, vel tallię. Alterum est, vectigalia illa quæ solita sunt exigi ex antiqua consuetudine, cuius initij non extat memoria, iuste exigi, & soluenda esse: Et hoc tantum definiri in illo cap. Super quibusdam.

Vnde

Vnde Bartho. & qui illum sequuntur distinguũt maxime inter hæc duo iura, ius imponendi de nouo aliqua vectigalia, & ius exigendi antiqua. Prius illud soli Imperatori, Regi, Papę, vel Concilio volunt cõuenire. Posterius vero eisdem, & præter eos ex antiqua quoq; & immemorabili cõsuetudine posse obtineri. Quo fit iuxta hãc sententiam, vt nõ possint Dux, vel Marchio noua vectigalia in suis ditionibus instituere, nisi Regis authoritate & consensu interueniente, etiam si prædecessores eorum soliti sint ex immemorabili consuetudine im ponere illa in suis locis: aliter iniusta erunt quę aliquis eorum imposuerit, manebitq; excõmunicatus donec restituat quæ ex illis vectigalibus receperit. Quod si inueniat in eo loco cuius dominium suscipit antiquum aliquod vectigal persolui ex immemorabili consuetudine, poterit illud tuta conscientia exigere ac recipere, tenenturq; subditi in foro animæ illud persoluere.

Sequuntur eandem sententiam Alphonsus de Castro lib. 1. De lege pœnali cap. 11. & Magist. Blasius. De vectiga. cap. 2. Nititurq; illa potissime decreto Alexand. Tertij in cap. Innouamus de Cẽsib. vbi ita hẽt Pontifex. *Nec quisquam alicui nouas pedagiorum exactiones sine authoritate & consensu Regum, vel Principum statuere aliquo modo præsumat: si quis autem contra hoc fecerit, & commonitus non destiterit, donec satisfecerit,* (Id est restituerit tali pedagio, & vectigali recepta) *Communione careat Christiana.* Vbi apertissime Alexand. ius imponendi noua vectigalia solis Regibus, & Principibus tribuit, non consuetudini aut alteri alicui.

Ad definiendam hanc quæstionem nonnulla obseruanda sunt. In primis negari nõ potest hęc duo iura, ius scilicet imponendi vectigalia, & ius exigendi reuera maxime differre. Ius enim imponẽdi illa, includit simul in se ius exigendi, non contra. Quicunq; enim potest imponere vectigalia potest etiam illa exigere: aliter frustra imponeret, inutilisq; esset in eo talis potestas: nõ tamẽ quicunq; potest exigere potest quoq; imponere. Hi namq; quibus Princeps cõmittit exigere tributa Regia habent quidẽ ius exigendi illa, imponere autem non possunt. Similiter Publicani emẽtes à Repub. iura alicuius vectigalis eo ipso habent ius exigendi illud, minime vero imponendi: sicut iudices inferiores possunt quidem exigere à ciuibus vt custodiant leges, condere tamen illas non possunt. Et confirmatur ex Bulla in Cœna Domini, vbi dicitur. *Excõmunicamus omnes qui in suis terris Pedagia, seu Gabellas ad id potestatem non habentes imponunt, vel prohibitas exigunt.* Vbi aperte hæc duo imponere, vel exigere tanquam diuersa & distincta proponuntur.

Obseruemus secundo. Sicut Principi hęc duo conueniunt, nempe vt gubernet populum, ac vt populus illi subiiciatur, ita quoq; quædam ei conuenire in ordine ad gubernationem populi, alia vero in signum subiectionis, & sui Principatus. In ordine ad gubernationem populi competit Principi leges condere, mutare, interpretari, tollere. Et hoc prius præscribi potest longa consuetudine. Vnde omnium consensu consuetudo est optima legum interpres, potestq; legẽ tẽperare, immo & mutare ac efficere vt aliquid habeatur pro lege, quia sic habeat consuetudo, sicut D. Aug. & D. Isidorus in locis adductis docuerunt. Alia vero quæ conueniunt Principi in signum subiectionis & sui Principatus supremi non possunt præscribi consuetudine. Primo, quia sicut nulla consuetudo potest efficere vt verus, & legitimus Princeps, non sit Princeps, & suprema potestas in suo Regno, nec potest efficere quin habeatur illi subiectio iure debita supremo capiti totius Regni. Et consequenter quin sint propria eius, & aliena à præscriptione, quæ conueniunt illi in signũ subiectionis: quia accessorium vt dicunt iurisperiti imitatur, & sequitur naturam sui principalis. Secundo, in gubernatione monarchica qualis est Principis, sicut non est constituendus, nisi vnus Princeps dicente Arist. *Multitudo Principum mala, vnus ergo Princeps.* Ita quoq; suprema potestas secularis alicuius Regni, & Prouinciæ, & quę ad illam proprie pertinent, non est constituenda, nec tribuenda nisi vni tantum, ipsi nempe Principi, & nulla ratione alicui alteri, nec homini, nec consuetudini. Ita fit quæ sunt propria Principis in signum subiectionis nulla ratione consuetudini tribuenda esse, nec vlla consuetudine præscribi posse. Habetur hoc aperte. L. Comperit serenitas nostra. Cod. de Præscriptio. vbi dicitur. *Quod reseruatum est Principi in signum subiectionis, & sui Principatus præscribi non posse.* Quo nomine docet Innocen. Ter. cap. Cũ non liceat. Extr. De Prescriptio. in eam obedientiam quę Prælatis debetur, præscriptionem cadere non posse, quia huiusmodi obedientia pertinet ad subiectionem debitam Prelatis. Hoc ipsum docet Panorm. in cap. cum

Cum nobis de Pręscript.num.11.vbi adducit L. istam Comperit. Et copiosius in Cap. Ad audientiam.num.18. De Pręscrip. vbi Census qui priuatis soluuntur(quos vocamus Pēsiones censuales)ait pręscribi posse, Census vero & tributa quæ soluuntur Principibus nullo modo posse pręscribi, quia soluuntur in signum subiectionis. Idē etiam docent Felinus in isto cap. Ad audientiam. nu. 20. Bald. in illa. L. comperit. Iason in.L. Imperium.nu.20. ff. de Iuridictione omnium iudicum.

Obseruemus Tertio. Non quemcumq; vsum multi temporis esse consuetudinem receptam & approbatam, sed illum quē supremus Princeps Regni sciēs, & intelligēs, libere ac prudenter dissimulauit, quia consuetudo non habet ex se vim, sed quatenus ex Principis consensu dimanat. Quemadmodum enim cōsensus est duplex, alter explicitus & apertus, alter implicitus, & interpretatiuus, ita quoq; voluntas & consensus Principis est duplex, alia aperta & explicata, quam lex continet, hoc namq; est lex: voluntas Principis scripto aut verbo explicata: implicitus vero, & interpretatiuus consensus Principis est consuetudo: quia eo ipso quo sciens & volens aliquid permittit, multoq; tempore dissimulat cum posset illud prohibere, dicitur interpretatiue in illud consentire. Debet autem ista dissimulatio Principis esse libera, quia si dissimulat, vel vi, vel aliqua alia necessitate coactus, cum vis & coactio tollant rationem voluntarij, talis dissimulatio non est dicenda consensus. Debet etiam esse prudens, ita vt nō dissimulet ex sua negligentia, & vecordia in damnum boni cōmunis aliquem malum vsum. Primo. Quia sicut non est lex sed corruptela, quæ nocet bono communi, ita non est consuetudo sed corruptio morum, nec vsus, sed abusus potius quę nocent bono communi. Secūdo. Sicut Prælatis in spiritualibus, ita & Principibus in temporalibus, & secularibus non est data potestas in destructionem, sed in ędificationem, at si ex Principis permissu & dissimulatione abusus aliquis introduceretur in damnum commune, haberetq; propterea vim cōsuetudinis, potestas Principis, & vis quæ in illius cōsensu existit, esset profecto in destructionē. v. g. Si permitteret Rex ac dissimularet, vt priuatus quisq; tanquam ipsius Regis & iustitiæ minister proprias iniurias vindicare posset, huiusmodi dissimulatio, & tacitus Regis consensus non efficeret certe consuetudinem, quia talis vsus abusus potius esset, quieti Reipub. & debitæ administrationi iustitię maxime nociuus. Habet ergo vsus vim consuetudinis, quando Princeps libere ac prudenter. i. sine damno boni communis tacet ac dissimulat sciens & volens.

Ex his facile est propositam quæstionē explicare. Affirmamus igitur cum Barthol. Alphonso de Castro, & Mag. Blasio consuetudinem quantumuis antiquam, & immemorabilem tribuere quidem ius exigendi vectigalia, quæ consuetudine adeo antiqua solita sunt exigi, & persolui: non tamen tribuere ius imponēdi aliqua de nouo.

Probatur ex dictis. Imponere vectigalia vt constat pertinet ad supremam potestatē secularē, & supremum Imperium, hęc vero potestas, & Imperium ita cōuenit soli Principi, vt nulla consuetudo possit illud alicui alteri tribuere, sicut nulla consuetudo potest constituere alium Principem, pręter eū qui est verus, & legitimus Princeps. Ergo hoc ius imponendi vectigalia nulla consuetudo valet alicui tribuere. Et confirmatur. Quia vt diximus concedūtq; illud ipsimet Panorm. Syluest. & Tabiens. propterea quędam Ciuitates, & Respub. perfectæ Italiæ post pacem illam factam Constantię possunt in suis ditionibus imponere vectigalia, quia ab eo tempore habent merum & mistum Imperium supremum, nec iam Imperatori aut alicui alteri subijciuntur in temporalibus, vnde qui non habet tale Imperium non potest illa imponere.

Sed dices cum Panormit. qui in his non videtur satis sibi constare, & Ioan. Medina, hoc ius posse præscribi, & ita antiqua ac immemorabili consuetudine quasi titulo præscriptionis acquiri. Contra sitq; secundum argument. Quæ conueniunt Principi in signum subiectionis, & sui Principatus, ac obedientiæ illi debitæ, vt supremo capiti, nulla consuetudine possūt præscribi, vt constat ex illa. L. Comperit serenitas, conueniuntq; in eō, vt vidimus omnes Doctores, & ipsemet Panorm. in capillo. Ad audientiam de Pręscrip. Sed ius imponendi vestigalia est vnum ex his quæ Principi in signnm subiectionis conueniunt omnium consensu. Ergo non potest præscribi.

Tertio genuinus sensus definitionum Pontificum sumendus est vt optime docet Cano ex his quæ à Pontifice inquiruntur, & pręcipuo ac proprio instituto illius definitio-

nitionis ac decretalis: ver. gra. In illo cap. A quodam Iudæo. De Consecrat. dist. 4. non interrogatur Pontif. An baptismus in nomine S. Trinitatis collatus sit verus Baptismus, sed an collatus á Iudæo vel Pagano sit verum Sacramentum. Et quia hoc solum fuit quęsitum á Pótifice, & hoc est institutum illius decretalis propterea docent omnes Theologi, hoc tantum ibi definire Nicolaum, Baptismum scilicet á quocumq; collatum, quamtumuis Iudęo vel Pagano, modo habeant intentionem efficiẽdi quod efficit Ecclesia esse verum Baptismũ. Quod vero addit collatum in nomine S. Trinitatis conferri Baptismum, adiectum illud fuit á Nicolao velut quędam doctrina & opinio, sibi probabilis, non tamen tanquam definitio & decretum, cum de eo non interrogaretur, vt respõderet de cathedra. Ita in proposito. Quia conquerebatur Comes ille Tolosanus, quod Legatus Apostolicus prohibuisset exigi quędam vectigalia quę dictus Comes sua tantum authoritate imposuerat & exigebat, explicat Innocen. Tertius quę vectigalia liceat exigere. Nec agit ibi de iure instituendi vel imponendi de nouo vectigalia, cum nulla illi de huiusmodi iure proponeretur quæstio, sed solum de iure exigendi. Explicat igitur illa vectigalia esse omnino interdicta, nec vllo modo exigi posse, quę non fuerint Imperatoris, vel Regis, vel Genera. Concilij largitione concessa, aut immemorabili consuetudine introducta. i. solita recipi. In cap. autem innouamus, quæsitum fuit ab Alexandro, quis posset vectigalia instituere, respõdetq́, iuxta quęsitum, vnde sumendum est proprium illius Decretalis institutũ, solos Principes, & Reges id posse, vnde sic argumentor. In definitionibus Pontificum id solũ intelligendum est ab ipsis definitum, quod ab eis vt Pontificibus quæritur, sed in illa Decretali super quibusdam hoc tantũ quęritur ab Innocentio, quæ vectigalia liceret exigere, illud igitur tantum ibi explicat Innocentius. In illa vero Decretali innouamus, quæsitum est ab Alexandro, quibus competat ius imponendi vectigalia, illud ergo simili ratione ibi explicat Alexan. Ergo ex illa Decretali super quibusdam, non licet colligere, qui habeant ius imponendi vectigalia, sed solum qui habeant ius exigẽdi imposita. Qui verò habeãt ius imponẽdi sumendum erit ex illa Decretali Alexand. Innouamus. Et cum in ea Alexand. aperte definiat solos Reges, & Principes habere ius imponendi de nouo vectigalia, consuetudo tribuet quidem ius exigendi illa non autem de nouo imponendi.

Quarto. Vt habet regula iuris Odia oportet restringere, sed impositio vectigalium est odiosa, erit ergo facultas ista imponendi illa restringenda potius iuxta Cap. Innouamus, quàm amplianda. Sed dices facultatẽ & ius potius esse quid fauorabile quã odiosum, quia hoc nomen facultas, & ius fauorẽ insinuat. Dico. Quotiescumq; quod vni fauorabile est, alteri odiosum est, & onerosum, vtendum esse hac regula, vt deprehendatur qualiter illud denominandum sit, fauorabile ne an odiosum: siquidem tam is cui aliquid fauorabile est, quam is cui idẽ odiosum est sit communitas aliqua, sed ita vt alia sit secularis, alia verò Ecclesiastica, in fauorem Ecclesię ab ipsa sumenda est denominatio, ita vt si Ecclesię sit fauorabile illud iudicandum sit, & ampliandum, etiam si communitati seculari illud odiosum existat, similiter res se habet si Ecclesię esset quid odiosum, communitati verò seculari fauorabile in fauorem Ecclesiæ censendum est illud odiosum, & restringendum. Quod si vtraq; communitas Ecclesiastica est, vel vtraq; secularis, respicienda est pars quę videtur grauari & ab ea sumenda est denominatio, vt in fauorem partis quæ grauatur tanquam infirmioris illud iudicetur odiosum, & restringendum. Quando autem vna ex partibus communitas est, altera verò singularis, & priuata persona, á communitate cui potius fauendum est, est sumenda denominatio ita vt si in fauorem, & bonum communitatis illud cedat, censendum sit fauorabile & ampliandum, si verò in onus, & grauamen communitatis iudicetur odiosum, & restringendum. Vnde cum vectigalia sint res onerosa, & quoddam grauamẽ Ciuium, quamuis facultas illa imponendi sit quidam fauor eius cui tale ius tribuitur, nihilominus in fauorem cõmunitatis vectigalium impositio simpliciter & absolute res odiosa, & onerosa censetur.

Deniq;. Esto alicubi existat talis consuetudo, non est dicenda recepta, & approbata, & quæ vt talis debeat habere vim. Quia vt constat, vt consuetudo approbata censeatur & vim habeat exigitur consensus tacitus Principis liber & prudens eo modo quem exposuimus, at experientia teste Reges ac Principes non patiuntur nec consentiunt sibi subditis, quocunq; stemmate, vel digni-

dignitate fulgeant, vt sine ipsorum consensu & regia autoritate noua vestigalia in suis terris instituant. His accedit leges ipsas quæ sunt velut expræssa voluntas Principum illud omnino negare: imo per eas censendi sunt Reges proclamare, cũ prohibeant alijs à Principibus facultatem imponendi vectigalia. Vt aparet L. Vectigalia. ff. de Publica. & vectigal. & L. vltima. Cod. Noua vectig. instit. non posse.

Præterea etiam si Reges non proclamarent sed dissimilarent, talis taciturnitas & consensus non constituit consuetudinem quæ habeat vim, cum sit in damnum Reipub. Etenim si alij á Principe possent autoritate propria sine expresso Principis consensu vectigalia aut tributa instituere vi alicuius antiquæ consuetudinis, niterentur magnates eam introducere, & ea semel introducta, quacunq; de causa ipsis bene vissa, & vel leuiter aparente iusta, sibi subditis vectigalia imponerent, indiesq; illos grauarent & excoriarent. Vnde pertinet maxime ad bonum commune, vt res adeo onerosa à solo Principe vel ex eius beneplacito & non aliter imponatur.

Nunc ad argumenta aliorum, quæ facile soluuntur ex dictis. Ad primũ constat iam in illo cap. Super quibusdam. De solo iure exigendi agere Pontificem, illudq; tribuere etiam cousuetudini, minime vero ius imponendi, de quo proprie agitur in capitulo Innouamus. Vbi solis Regibus & Principibus illud tribuitur. Non consuetudini.

Ad secundum constat imprimis, consuetudinem posse illa quæ pertinent ad gubernationem, vt interpretari leges, temperare, mutare, & similia: non tamen ea quæ sunt propria Principis insignum subiectionis, quia consuetudo non potest efficere alium Principem, nec tribuere alijs quæ illi soli omnino conueniunt. Constat etiam non quemcumq; vsum dicendum consuetudinem aprobatam, sed illum solum in quem Rex tacite consentit libere, & prudenter, ac sine nocumento boni communis, in talem autem vsum, quo sine ipsorum autoritate vectigalia aliqua in suis regnis imponantur, neque Reges consensiunt, neq; si consentirent efficeret quicquam talis consensus, cum cederet in commune damnum Reipub.

Ad tertium dico. Temporalia quę computantur in diuitijs & bonis præscribi longa & antiqua consuetudine, non tamẽ quæ competunt Principi in signum subiectionis, & supremi principatus sui: Qua de causa ius exigendi vectigalia quod computatur velut in diuitiis Principis potest præscribi, & vendi, sicut passim venditur publicanis quos voçamus *Arrendadores*: ius vero imponendi noua, cum sit insignum subiectionis & supremi Principatus, sicut docuimus, neq; vendi potest, neq; præscribi, Quia sicut Regnum & Principatus nõ possunt vendi, ita nec ea quæ sunt propria & genuina Principatui, & dignitati regiæ, & subiectioni quam subditi suo Principi debent, inter quæ cõnumeratur hoc ius imponendi noua vectigalia.

Nec valet quod addit & affirmat Panorm. alios Principes & Reges ab Imperatore posse imponere noua vectigalia, quia consuetudine longi temporis præscripserunt, & vendicarunt sibi hoc ius, constat enim ex dictis, affirmantq; illud etiam Panorm. Siluest. & Tabien. vt vidimus, quosdam Principes & nonnullas Ciuitates Italiæ quæ sunt Resp. perfectæ habere hoc ius post illam generalem pacem initam Constãtiæ; quia ex tunc habent merum ac mistum Imperium, & supremam potestatem secularem. Vnde huic supremæ potestati quam post illam pacẽ habent, id tribuendũ est, non alicui consuetudini vel titulo præscriptionis: Huic difficultati proxima est hæc alia.

Controuersia Tertia.

QVAS POENAS INCVRrant *imponentes noua vectigalia, cum ad id non habeant facultatem.*

IMPONENTES noua vectigalia, vel augentes antiqua cũ ad id non habeant facultatem, imprimis peccant mort. contra iustitiam, vt docent Angel. verb. Pedagium nu. 1. Tabiens. eod. ver. nu. 7. Siluest. verb. Gabella. cap. 2. quæst. 1. nu. 4. Armilla eod. verb. num. 7. Cayet. verb. vectigal. Nauarrus loc. cit. & quotquot sunt Doctores, nec in eo vlla est dubitatio. Probaturq; primo, quia vsurpant propriam autoritatem Principis, quod est velut crimen lesæ Maiest. quod in re graui est Mor. Secundo, quia accipiunt alienũ, vel saltim nitũtur accipere via iniusta, quod pertinet ad spesciẽ furti, quod ex suo genere est Mort. Tertio. Quia Ecclesia non punit excommunicatione nisi sola peccata mort. imponentes autem noua

vectigalia

vectigalia sine autoritate Principis excōmunicat excommunicatione grauissima vt statim dicemus. Vnde extra omnē est dubitationē talia imponētes peccare grauissime, & teneri ad restitutionē eorū omniū, quæ per talia vectigalia acceperunt, tam ipsos, quam hæredes eorum, ratione iniquæ acceptionis, nec esse aliter absoluendos.

Incurrunt preterea qui sic vectigalia imponūt duplicē pœnā, ciuilē vt pote & Ecclesiasticā. Ciuilē quidē quia sunt puniēdi perpetuo exilio, vt habetur L. vlt. C. Noua vectig. inst. nō posse. Ecclesiasticam vero, quia sunt excōmunicati á iure excōmunicatione maiori. c. Innouamus de Censibus. li. 6. vbi ita habet Alex. *Nec quisquam nouas pedagiorū exactiones instituere sine Principis vel Regis cōsensu præsumat, quod siquis contra fecerit, & admonitus non destiterit, ac satisfecerit, cōmunione careat Christiana.* Iuxta quā decretalē nō erat imponēs noua vectigalia sine autoritate Regis statim excōmunicatus ipso facto, sed erat admonēdus ab ordinario, ac si desisteret, & accepta iniquo vectigali restitueret, nullā incurrebat excōmunicationē, si vero nec desisteret, nec restituere accepta vellet, tunc erat nominatim excōmunicandus. Deinde vero in Bulla quę legitur feria quinta in Cœna Dñi, maiori & acriori pœna in eos vtitur Ecclesia, vult enim vt ipso facto sint excōmunicati qui talia imponunt. Canon istius Bullę ita habet: *Excōmunicamus & anathematizamus omnes qui in terris suis noua pedagia seu gabellas, ad id potestatē non habentes imponūt, vel prohibita exigūt.* Vbi ipso facto isti excōmunicantur, nec exigitur præcedēs admonitio, quia in excōmunicatione quæ est á iure ipsum ius est admonitio.

Huius Canonis verba indigēt aliqua obseruatione, iuxta ea quę in ipso aduertūt & optime. Silu. ver. excōmnnicatio. c. 70. Excōmunicatione 19. Nauarrus in expositione Bullæ huius in Cœna Domini in suo Manua. cap. 17. nu. 61. Caiet. verb. excommunicatio cap. 71.

Inprimis. Voce illa pedagia seu gabellas non intelliguntur quæcūq; gabellæ seu impositiones, quia non sunt intelligendæ collectę seu Talliæ, quas vnusquisq; populus potest sibi imponere vel solo suo communi consensu, vt diximus, sed illa tantū vectigalia, quæ indigent autoritate Principis, vt imponi possint: quod docēt verba ipsius Canonis, cum dicat *Excōmunicamus eos qui in terris suis pedagia ad id potestatē non habentes imponunt,* vbi cū de pedagiis & gabellis sit sermo quæ peculiari aliqua superioris potestate indigēt, vt imponi possint, qualia sunt tributa & vectigalia, quę non possunt imponi nisi autoritate Principis, de his tantum in isto canone sermo habetur, minime vero de collectis & Talliis quę solo populi consensu institui possunt, nec indigēt aliqua Principis facultate.

Secundo in voce ista pedagia includūtur omnia illa gabellarum genera quæ Principis autoritate indigent, vt salinaria, guidagia & similia vectigalia: Primo quia Canō iste instituit nequis sua priuata autoritate aliqua vectigalia imponat, quo fit vt loquatur necessario de omni impositione, & gabella indigente Principis autoritate: Secundo, quia hic Canon est quædam instauratio & reualidatio illius Decretalis Alexan. III. in cap. illo Innouamus: vnde sicut in illa Decretali veniunt excommunicandi imponētes propria autoritate vectigalia quæ indigent facultate Principis vel Regis, ita nunc in ista Bulla in Cœna Dñi excommunicantur de facto qui vectigalia ad quæ instituenda exigitur Principis vel Regis autoritas, sine illorū facultate & cōsensu instituūt. Deniq; consuetudo quæ est optima legum interpres, & vsus omnium fidelium ita docet: vt quicumq; vectigal aliquod de nouo in suis terris imponit sine facultate Regis, sentiat se in hunc canonem incidisse & curet ab illo absolui.

Tertio in voce illa Noua: non solum intelliguntur vectigalia quæ omnino de nouo instituuntur, verum etiam antiqua, si aliqua ex parte augeantur sine Principis facultate & consensu. Vocem hanc Noua: ita accipi ab omnibus Doctoribus affirmant Siluest. & Nauarrus locis citatis: vbi referunt Archidiac. in cap. Nuper: De sentent. Excomm. & Ioann. Andre. & Angel. loco citat. Solus autor Summæ Rosellæ sentit oppositum, adductus hac ratione: In cap. cum ex eo. De Exceptio. Prælat. Augentes loca antiqua non dicuntur efficere noua. Ergo à simili neq; augentes vectigalia antiqua censendi sunt imponere noua: Sed hæc ratio parum valet. Quia augere ædificium in eo loco quem iam aliquis possidet nulli est nocumentum, augere autem vectigalia vt bene obseruat Siluest. non minus est onerosum quam de nouo imponere, cum augmentum illud sit reuera noua quædam impositio & nouum onus, & ita vtriusq; idem debet esse iudicium.

Quarto in clausula ista: *vel prohibita exigunt*, non intelliguntur in primis exigentes collectas, etiam si iniustas, quia hæc pars constituitur ibi sub disiunctione ista *vel*, referendaq; est ad eandem omnino rem, de qua loquitur prior; in priori autem non excommunicantur, vt constat imponentes collectas quas vocamus Asisia, sed solum imponentes vectigalia quæ indigent Principis authoritate, eadem igitur ratione in hac secunda non excommunicantur exigentes iniustas collectas vel prohibitas (quamuis peccēt grauiter & teneantur ad illas restituendas) sed hi solum qui prohibita exigunt vectigalia. Tum etiam vt recte obseruauit Caiet. quia cum tempore Martini V. solum excommunicarentur in ista bulla imponentes noua vectigalia, deinde vero additū sit, *vel qui prohibita exigunt*, sequitur vt in quo sensu accipitur prior illa pars quæ erat in vsu & stylo antiquo istius Bullæ, in eodem quoq; sumatur posterior quæ deinde addita est: sed prior illa quæ erat in vsu solū intelligitur, semperq; est intellecta de imponentibus vectigalia quæ indigent Principis autotitate, minime vero de imponentibus collectas. Ergo similiter posterior pars, *vel qui prohibita exigunt*, de exigentibus vectigalia prohibita debet solū intelligi: non autē de exigentibus gabellas quas vocamus asisia & collectas, quamuis iniquas & prohibitas.

Quinto. In eadem clausula *vel prohibita exigunt*: intelligendus est canon hic de prohibitis simpliciter & secundū se. Quod ita intelligetur. Possunt vectigalia duobus modis esse prohibita, aut simpliciter & absolute, ita vt á nullis liceat illa exigere, neq; à clericis neq; à laicis, tanquā iniusta & iniqua, hæc dicuntur simpliciter & secundū se prohibita: Possunt etiā prohiberi non quidem absolute & omnino cum sint iusta & recte posita, sed ne ab aliquibus exigantur v.g. ne exigantur à clericis, hęc dicūtur prohibita secundū quid. Dico igitur: Cū hic canon loquatur absolute & simpliciter, & censuræ vt res odiosæ debeant restringi, consequenter non esse excommunicatos hoc canone, eos qui exigunt vectigalia alias secundum se iusta & licita à clericis, quia exigentes illa à clericis non exigunt vectigalia simpliciter & secundum se prohibita, sed solum prohibita secundum quid.

Sunt quidē exigētes vectigalia à clericis excōmunicati cap. illo: Quāquā. De vsuris, & aliis textibus vt videbimus in sequentibus: nō tamen per hunc canonē Bullę istius in cœna Dñi, de quo hic agimus: in quo sicut vox ista *prohibita* simpliciter ponitur, ita quoq; simpliciter intelligēda est, & ita accipienda de vectigalibus quæ simpliciter & omnino prohibita sunt exigi, tā á laicis quā à clericis: quę enim à laicis iuste exigūtur, á clericis vero ex eorū priuilegio exigere nō licet, non sunt dicenda simpliciter & secundū se prohibita, sed solū secundū quid, & cū hoc addito, prohibita ne á clericis exigātur. Vnde qui simpliciter prohibita exigeret, à quocūq; illa exigeret, incideret in hunc Canonē, nec posset absolui per Bullā Cruciatę nisi semel in vita & in articulo mortis: cum extra hęc tēpora á cēsuris quas cōtinet Bulla in Cœna Dñi, nō possit quis absolui per Bullā Cruciatę: Exigentes autem vectigalia quæ iusta sunt nec simpliciter prohibita á clericis, incidūt quidē in excōmunicationē, sed quā potest quiuis cōfessarius ab ordinario loci approbatus per bullā Cruciatę absoluere, toties quoties voluerit: cū hęc excōmunicatio non sit ex illis quæ continētur in Bulla in Cœna Domini.

Sexto non excommunicātur in isto canone recipientes vectigalia iusta vel prohibita, sed solum exigentes: siquis enim propria sponte persoluat exactori aliquod vectigal prohibitū, exactore nō postulante illud, nō est in eo casu exactor, qui non postulauit, nec exegit, sed solū recipit, excōmunicatus: quia in hoc casu nō est dicēdus exegisse sed solū recepisse: Canō vero iste solū ferit excōmunicatione exigentē, minime vero recipientē. Quod autē is qui nō postulauit, sed solū recepit ab eo qui propria spontę & gratis ac libere dedit, non sit dicēdus exegisse, patet, quia exigere est tanquā ex debito & iure extorquere, vt probat Nauarr. loco citato ex Glos. in L. Soluendo. ff. de Neg. & Glos. in Clemen. Finali. De cēsibus.

Deniq; per exigentes prohibita, non solum sunt intelligendi Magistratus ipsi, & ementes ius exigendi, quos vocamus publicanos, Hispane *Arrendadores*, sed quoscumq; exactores, & ministros, ac famulos huiusmodi exactionibus seruientes: quia omnes isti concurrunt ad illam iniquam exactionem. Possunt autem excusari ex ignorantia inculpabili, veluti si bona fide existiment vectigalia quæ exigunt non esse iniusta, neque prohibita, inculpabilis enim ignorantia cum iustè tollat rationem voluntarii excusat ab excommunicatione, sicut & á peccato, cum omnis

excom-

excōmunicatio necessario præsupponat pec catũ mort.c.2.de Const. Vbi vero res dubia fuerit, habet locũ doctrina illa Angeli superius adducta de militante in bello dubio. Excusabitur enim si sit subditus & compellatur præcepto maioris, secus autem si subditus non fuerit, sed propria sponte ac libere seipsum ingerat colligendis & exigēdis vectigalibus de quorum iustitia dubitatur.

Controuersia Quarta.

QVOD CAVSSA IVSTA *exigatur ad imponendam Gabellam: Et quæ caussæ sint censendæ iustæ:*

EXIGITVR secundo ad iustã gabellam vt ex aliqua iusta caussa imponatur, & in debitum finem, nempe, propter cõmunem aliquã & publicam necessitatem: ita Siluest. verb. Gabella. cap. 3. quæst. 3. Angel. verbo Pedagiũ nu. 2. Tabiens. eod. verb. n. 3. Caiet. ver. vectigal, & quotquot sunt Doctores.

Probat vero illud D. Tho. in illa Epistola ad Ducissam Brabãtię. Primo. Quia hoc interest inter verum Principem seu Magistratũ & tyrãnum, quod hic suis cõmodis tantũ suęq; cupiditati, illi vero bono communi consulunt & prospisciunt, nec quicquã imponunt vel statuunt, nisi cõmuni & publica necessitate illud exigente. Secũdo: quia Principes & Magistratus non sunt dñi bonorũ suorũ ciuiũ, sicut nec vitę, quo fit, vt sicut nõ potest Princeps vel Respu. vitã subditi & ciuis sui exponere nisi bonũ cõmune ita exigat, eodē modo nec potest vti bonis suorũ ciuiũ, vel illa exigere, nisi publica aliqua & cõmunis necessitas sese offerat. Tertio: quia sicut oues nõ sunt propter pastorē, sed contra, ita nec populus est propter Principem vel Magistratum, sed contra: Qua de causa debent Principes & Magistratus vtilitati populi in omnibus cõsulere, nec aliud imponere vel precipere, nisi quod viderint in populi vtilitatē bonũq; cõmune cedere. Ideo Ezec. 22. reprehenduntur grauiter gubernatores & Principes suis priuatis commodis intenti: *Principes* inquit *eius in medio eius quasi lupi rapaces, positi ad effundendum sanguinem, & ad quærendas animas, & auaritiæ lucra sequenda*: Et cap. 24. *Væ pastoribus Israel qui pascunt semetipsos, nonne greges pascuntur a pastoribus? Lac commodebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis.* Qui locus vt recte admonet D. Hiero. non solum pertinet ad prælatos Ecclesię, verum etiam ad Principes seculares, & Magistratus Ciuitatum: cum & hi pastores quoq; in sacra scrip. appellētur. Sic enim dictum fuit Dauidi 2. Reg. 5. *Tu pasces populum meum Israel,* Cuius beneficii gratias reddens idem Dauid ait Psalm. 77. *De post fœtantes accepit eum pascere Iacob seruum suum, &c.* Qua de caussa vt Princeps non quærat sua lucra sed populi, pręcipiebatur inquit D. Thom. apud eundem Ezechielem vt haberet suam hereditatem & peculium, suasque priuatas & proprias possessiones, ne populum grauaret. Sic enim dicitur. *Principi possessio erit in Israel, & non depopulabuntur vltra Principes populum meum.*

Causæ vero seu necessitates publicæ variæ afferunrur á Doctoribus, á Gabri. in 4. dist. 15. q. 5. ar. 2. D. Antoni. 2. p. tit. 9. cap. 13. Angel. verb. Pedagium, num. 2. Tabien. eod. verb. nu. 3. Siluest. verb. Gabella. cap. 3. q. 3. Armilla. eod. verb. n. 4. Medina Cod. de reb. restitu. q. 15. Lopez. p. 2. cap. 39. q. 5. Blasio Nauar. de vectigalib. cap. 2.

Primo. Dignitas regia. Etenim si Rex nõ habuerit patrimoniũ & sufficiētes redditus ad statum suum decenter & qua Regiam decet dignitatem tuendum, ad alendam prolē regiam, & in decenti etiam statu constituendam, potest tributa & vectigalia imponere, quantum prudentis arbitrio ad huiusmodi regias necessitates videbitur desiderari, ita D. Tho. ad Ducissam Brabantiæ.

Ex hac prima caussa sequitur Secũda, posse quoq; noua vectigalia vel tributa institui, ad liberãdũ eũ qui ex prole regia in bello iusto captus fuerit, iure enim naturæ mēbra corporis caput suũ tueri debēt & á quocũq; dãno illud liberare: Dixi in bello iusto, quia si in bello iniusto captus sit, ex proprio patrimonio Regis redimendus est, nisi forte patrimoniũ illud adeo tenue sit, vt sustentationi Regiæ, & redēptioni captiui illius ex prole regia nõ sufficiat. Ratio vero obquã in bello iusto captus expēsis subditorũ redimēdus est, non ex proprio patrimonio, etiã si illud habeat, in bello autē iniusto ex proprio patrimonio quãdo illud habet, hęc est: Quia bellũ iustũ suscipitur á Principe in vtilitatē subditorũ, & ita si in eo captus fuerit est ab illis simpliciter & omnino redimēdus: Bellum autem iniustum suscipit ipse aut libidine dominandi, aut alio iniquo fine, qua de causa vbi patrimonium sufficiens habet debet seipsum ex illo redimere,

mere, non expensis subditorũ: Quod si patrimoniũ illius nõ sufficiat, tunc nõ est curãda illius culpa, sed necessitas regni & honor.

Tertia caussa est necessitas stipendiorũ, quæ vel ministris regiis in gubernatione regni, vel militibus & exercitibus in cõmunẽ regni defensionẽ necessariis exibẽda sũt: quã necessitatẽ & caussam paucis assignauit B. Pau. dicẽs, *neminẽ militare propriis stipẽdiis.*

Quarta caussa est ad ineundũ aliquod bellum iustũ quod de nouo sese offert, vel ad repellẽdos patriæ & regni inuasores, vel ad recuperanda quæ sunt iniuste ab aliquo tyranno occupata, vel in fidei defensionẽ: ad huiusmodi enim bella suscipienda si regiũ patrimoniũ aliiq; prouentus non sufficiãt, potest iuste Princeps ea tributa & vectigalia imponere, quæ iudicauerit prudens ad sũptus taliũ bellorũ esse necessaria. Debẽt autẽ huiusmodi bella prudẽter suscipi, quia licet finis sit bonus, si tamẽ prudẽtũ & peritorũ iuditio in rebus militaribus & bellorũ euentibus, nulla sit spes obtinẽdi finẽ illũ, cũ tale bellũ sit temerariũ, non habet facultatẽ Princeps (si conscientiæ legibus cõtineri paratus est) neq; ad illud ineũdũ, neq; ratione illius ad tributa vel vectigalia imponẽda: Hanc etiã caussam assignat B. Th. in illa Epistola ad Ducissam Brabannæ.

Quinta est ad ędificia publica viarũ, mœnium, pontiũ, turriũ & similiũ: quibus ciuitates & regna plurimũ indigẽt, vt comercia & negotia tã ab incolis quã exteris cõmode possint ibi exerceri, & ea ratione merces quibus ciues indigent abundare: Ad hanc caussam potest reduci quod á Cõcilio Lateran. conceditur Episcopis cap. Cum Apostolus §. Prohibemus cap. de censibus.

Sexta ad redimendam Rempu. ab aliquo debito vel onere, & prouidendam de necessariis maxime victui & annonę: ad quã caussam reducitur obligatio quã potest habere Respub. reficiendi dãna aliqua quæ bello iniusto inito alteri loco intulit: quia hæc obligatio & debitũ onus quoq; Reipu. est, quod ciuiũ expensis persolui debet. Aliqua necessitate vel caussa ex his vel simili occurrẽte institui possunt vectigalia ab eo qui habuerit autoritatẽ imponendi illa, seruatisq; his quę statim subiungemus, tenẽturq; subditi in conscientia tales gabellas vt iustas & omni iure debitas persoluere. Quod si nulla ex his extiterit, neq; aliqua alia illis similis quæ cedat in bonũ publicũ, imponens vectigalia grauiter peccat, teneturq; accepta restituere, vel his á quibus talia vectigalia recepit, vel eorũ hæredibus, vel pauperibus vbi heredes nõ apparuerint. Et defraudãtes tales gabellas sine iusta caussa impositas, cũ iniquæ sint & tyrannicæ, nec peccant, nec tenentur ad aliquid restituendũ: nisi periuriũ aliquod vel mẽdaciũ interuenerit, tũc enim peccabũt quidem ratione illius periurii aut mendacii, non tamen furti, cum tales gabellę nec debitę sint nec restituendę. Qua in parte quotquot sunt Doctores tam Theologi quam iuris periti conueniunt.

Controuersia Quinta.

AN CESSANTE CAVSSA illa ob quam vectigalia fuere imposita, cesset quoq; obligatio persoluendi illa.

IN hac quæstione Angel. ver. Pedagiũ n. 6. Gab. in 4. dis. 15. q. 5. ar. 2. Silu. ver. Gabella c. 3. q. 9. Caiet. in ver. vectigal. & cõmunis opinio simpliciter & absolute ac sine vllo discrimine docẽt, cessante caussa vectigalis siue nouũ sit siue antiquũ (non enim distinguũt inter ista) cessare quoq; & iustitiã illius, & obligationẽ ad illud persoluendũ, ita vt nec superiores possint illud iuste exigere, sed teneantur restituere quidquid acceperũt postquam cessauit caussa illius, nec subditi teneantur in conscientia illud exibere.

Probatur hæc sentẽtia variis rationibus: Inprimis ex communi illa regula iuris, quæ habetur, ca. Post translationẽ. De Renunciatio. Et ca. cũ cessante. De Appellatio. cessante caussa cessare etiã effectũ. Et cõfirmatur. Correctio fraterna est de iure naturali & diuino Matth. 18. at si cesset finis & caussa propter quã præcipitur, cessat simul præceptũ & obligatio illius. Etenim cum finis correctionis sit emenda fratris, dicẽte Christo: *Si te audierit lucratus eris fratrem tuum*, si probabiliter & prudenter iudicem illũ mea correctione minime fore emendandum, nec meam correptionẽ profuturã, nõ teneor eũ corripere, iuxta illud D. Aug. de pen. dis. 7. Can. Si scirẽ. *Si scirẽ tibi non prodesse, nõ te terrerẽ nõ te admonerẽ*: quia cessante caussa cessat effectus: Ergo a simili cessante iusta causa & fine vectigalis cessat quoq; illius iustitia & obligatio.

Secundo Princeps vel Respub. non habet dominium bonorum suorum ciuium, sed solum potest illis vti, quandiu & quantum illud exigit publica necessitas alicuius boni communis, cum primum autem cessat iusta caussa, cessat talis necessitas, & é cõuerso,

uerso, quia vt constat, nulla alia potest dici iusta caussa, cessat quoq; vectigal, nec potest vlla ratione iuste exigi.

Tertio: Ad iustum vectigal & in foro animæ debitum, sicut exiguntur autoritas imponentis, debita materia, & forma, ac optimus vsus, ita & iusta caussa. Sed deficiente autoritate in imponente, vel debita materia aut forma, vel legitimo vectigalis vsu illud iniustum est & iniquum, nec obligat in foro consciencię. Ergo similiter deficiente caussa illius amplius non obligabit.

Quarto vnaquæq; res quomodo se habet in fieri eodem modo se habet in conseruari: quod significat illa regula iuris: *Omnis res per quas caussas nascitur, per easdem dissoluitur*: At si eo tempore quo vectigal nascitur & instituitur non habeat iustã caussam iniquũ est, nec soluendũ. Ergo similiter si deinde cesset illa iusta causa propterquã fuit institutum, non debet permanere, nec persolui. Deniq; ita videtur definisse Paschalis secund. cap. Peruenit. De censibus. Vbi interrogatus de quibusdam censibus quorum nulla iam apparebat caussa, respõdit: *Census ignorantiæ. In cuius caussa omnino ignoratur, nec diuinis nec humanis legibus inuenitur: oportet quippe vt omnis cẽsus ad quid & quando persolui debeat præsciatur.* Vbi apertissime docet Pontif. censum & tributum omne seu vectigal cuius nulla apparet iusta caussa, sed omnino ignoratur, & cessauit, nullo iure habere vim aliquam obligandi.

Ioan Medina. Cod. de reb. restituen. q. 14. ita distinguit inter gabellas seu vectigalia, vt quædam eorum sint noua quorũ initium & institutio scitur, alia adeo antiqua vt nulla sit memoria quãdo inceperint. Rursum hæc adeo antiqua dupliciter inquit possunt sese habere, vel ita vt caussa obquam fuerunt imposita cessauerit a paucis annis, qui non sufficiunt ad præscribendum, vel a tot annis qui sufficiant ad præscribendũ. Quibus positis ait si vectigal nouum sit, cessante caussa illius cessat quoque illius vis & obligatio, Si vero antiquum, & caussa illius cessauit á paucis annis, qui non sufficiant ad præscribendum, similiter cessante caussa illius, cessat quoq; illius vis & obligatio: Et hoc tantum sentit Medina probari argumẽtis prioris opinionis: quia sicut sine iusta caussa institui non potest, ita neque illa deficiente permanere, iuxta cõmunem regulã iuris: *Cessante caussa, &c.*

Quod si causa á tot annis cessauerit, vt ad præscribendũ sufficiant, iustè inquit exigitur, & in foro animæ est persoluendum: non quidem ob illam primæuã caussam ob quam fuit institutum, cũ ea iam cessauerit, sed ratione illius præscriptionis.

Probat hanc partem Medin. ex illo cap. Super quibusdam, vbi definitur iustè exigi vectigalia, quæ ita exiguntur ex antiqua cõsuetudine vt initii illius non sit memoria. Quod si id potest antiqua consuetudo, vel ea sola existente, sine vlla alia caussa iuste exiguntur & debentur.

Secundo ius exigendi potest præscribi omniũ Doctor. cõsensu, quod & nos quest. precedenti, docuimus. Ergo per adeo antiquã cõsuetudinẽ prescribetur: in his autem quę prescribũtur nullus alius titulus vel causa exigitur quã vetus consuetudo, vel antiquitas tẽporis cũ bona fide. Ergo etiã si nulla alia caussa existat, quã immemorabilis cõsuetudo exigendi aliquod vectigal, vbi illa existet quamuis alias cessauerit illius caussa, iuste nihilominus exigetur & debebitur.

Addit Medina, successu tẽporũ ita augeri dominorũ status, expensas, & necessitates vt si aliquæ Gabellæ quarũ iam nõ apparet caussa tollerẽtur, vix possent huiusmodi locorum domini statum suum sustinere, oporteretq; vt subditos suos nouis oneribus grauarẽt, & hac ratione cõuenienter tales Gabellas antiquas etiã si nõ appareat causa propter quam fuerãt institutæ, iustè permanere ad leuandas illas dominorum necessitates.

Alphons. de Castro lib. 1. De lege Pœna lib. 5. docum. 3. Auton. Cordub. in suo tractatu de casibus conscien. q. 95. dub. 2. Lopez in suo Instruct. p. 2. c. 37. ita distinguũt de vectigali, vt vel omnino omniq; ex parte cessauerit illius caussa; ita vt neq; iã existat illa primeua propter quam fuit institutum, neq; vlla alia illi similis in genere vel specie in ordine ad bonũ publicũ, vel potuit quidem cessasse illa primęua in specie, & in particulari, manere autem alia illi similis. Vt si impositum sit vectigal ad ædificandum pontem, illo autem edificato accidat grauĩ aliqua inundatione diuisiones aquarum quas vocamus Azudes perturbatas esse, & ad eas restituendas Remp. pluribus expensis egere, cessauit quidẽ causa illa in particulari, & in specie, non tamẽ in genere, & omnino. Rursus potest (inquiunt cessare causa aliqua quo ad exercitium actuale ipsius, nõ tamen quo ad debitum, & præparationem Ver. grat. Institutum est vectigal ad constituendos mille custodes in turribus maritimis, sed eo tẽpore quo pauci aduenĩũt pyratæ,

ratæ constituuntur tantum centum aut nulli, est tamen paratus Princeps vel Resp. quotiescunq; oportuerit illos mille custodes vel plures si opus fuerint, ex pecuniis illius vectigalis ibi constituere: in hoc casu cessauit quidem caussa quo ad actuale exercitium, non tamen omnino, cũ maneat Rex paratus illos custodes adhibere, & si quæ damna ex illorum defectu acciderint reficere.

Hoc posito sentit Castro : si caussa ob quam vectigal impositum fuit omnino cesset tam in specie quam in genere, tam quo ad actuale exercitium eius quam quo ad præparationem & debitum, ita vt nullo modo deseruiat vectigal illud alicui bono communi, siue nouum sit siue antiquum, siue caussa á paucis annis cessauerit siue à multis, & ex antiqua consuetudine persoluatur, postquam illa omnino cessauit, tale vectigal iniquum esse, nec iuste exigi aut deberi, cum omnino omniq; ex parte caussa ipsius cessauerit. Si vero cessauit quidem in specie illa primæua ob quam fuit institutum, maneat vero alia deinde exorta, vel cessauit quidem quo ad exercitium, paratus vero est Princeps vel Resp. quotiescunq; oportuerit pro loco & tempore præstare ea propter quæ vectigal illud fuit institutum, manere vectigal illud in sua vi, iustumq; esse, ac in foro animæ persoluendũ.

Priorem partem huius opinionis probant aperte argumenta initio proposita. Eãdem habet Pano. in cap. Quia pleriq; de immunitate Ecclesiarum num.39. vbi citat Cynum in L. non dubium Cod. de legibus & Baldum in L. maximum vitium. Cod. de liberis præteritis, habet idem Abbas & apertius in cap. 1. de constit. num.9. vbi citat in idem Barth. in L. vectigalia ff. de Public. confirmat Castro hanc doctrinam ex cap. Post translationem extra de renunciatio. vbi refert Innocen.3. Quoddam decretum Concilii Constantinop. in quo præcipitur ne Episcopus factus monachus rursum in Episcopum eligi possit, coniiciens autem Innocen. caussam illius decreti esse quod propter delictum aliquod Episcopus ille in monasterium sit reclusus, cum in casu illius capit. caussa illa non concurrat definit decretum illius Concilii in eo casu non habere locum, quia cessante caussa legis cessat & ipsius vis. Cum enim inquit ipsemet Medi. caussa sit anima legis cessante ea, necesse est legem manere mortuam.

Secundam vero partem suæ assertionis probãt hi auctores: Quia vbi primęua caussa cessante alia succedit, vel Princeps paratus est præstare ea omnia propter quæ vectigal illud impositum fuit, quotiescunq; oportuerit, pro loco & tempore, tunc nihil deest eorum quæ exiguntur ad iustum vectigal. Interuenit enim legitima auctoritas, debita materia, quia hæc supponũtur adest etiam iusta caussa, nempe aliqua publica necessitas, & ita iuste exigitur ac debetur. Et confirmatur. Quia si tale vectigal nondum esset institutum, adueniente illa necessitate & caussa quæ successit, posset iustè institui, & exigi, ergo similiter adueniente illa quæ præcedentis vices & locum gerit, quamuis prior cessarit, potest protrahi, & continuari, & iuste exigi.

Hæc sententia vt maxime rationi consona recipienda & tenenda est : cui etiam videtur subscribere Mag. Blasius Nauarr. de vectigal. c.8. Quamuis enim initio eiusdem cap. videatur declinare in sententiam Medinæ, deinde tamen aperte fatetur, cum vsu eueniat cessante primęua caussa ob quam vectigal aliquod est impositum, alias graues & æque vtiles ac necessarias Reip. se se offerre, ita vt si vectigal illud nõ existeret, de nouo esset imponendum, hoc nomine vectigal cuius primæua caussa cessauit, iuste protrahi & exigi, quia loco illius primæuæ, aliæ successerunt. Si autem cessarent omnes caussæ, & perpetuo nihilominus vectigal exigeretur, tyrannidem manifeste pręseferre. Quibus verbis aperte huic sententiæ adhęret, quæ nobis quoque perpetuo verior visa est. Vnde solo titulo præscriptionis, vbi omnes caussæ omnino deficerent, non iudico vectigal iusté exigi, nec deberi: Vbi vero cessante primæua, alię æque vtiles ac necessarię Reip. successerint, iudico hoc nomine iuste protrahi ac deberi.

Et hanc existimo esse sententiam D. Thom. lib.1. de Regimine Principum cap. 12. Vbi ita habet. *Vt autem stratæ in sua communitate sint liberæ & securæ, iura principibus permittunt pedagia, Vnde & eis seruantibus quæ viatoribus sunt prædicta, officiales Principum ipsa merito possunt exigere, & proficiscentes debite obligantur persoluere*, Quibus verbis D. Thom. aperte, tunc tantum iudicat pedagia iuste exigi & deberi, quando Principes præstant ea propter quæ instituta sunt, & non aliter. Et ita iuxta Diuum Thomam quãdo nulla

nulla existit causa aut necessitas publica, cui deseruiant, amittunt suam vim, & iniquê exiguntur. Idem quoq; sentit Caye. habet enim in verbo vectigal. iniqua esse vectigalia ex fine: quando non imponuntur pro publica vtilitate, at quando omnis causa omnino cessat, iam non sunt in publicam vtilitatem, sed in priuatum tantum cōmodum recipientis illa: sunt ergo tunc iniqua reuera. Idem deinde docet, affirmans iniquê exigi vectigalia, quæ non sunt ab Imperatore, Papa, Concilio, vel Rege concessa, aut quæ non exiguntur ex antiqua & immemorabili consuetudine, & subdit, *Similiter uidetur præsumendum contra vectigalium iustitiam secundum alias conditiones, si non apparent*: Est autem vna ex aliis conditionibus iusta causa, publica scilicet necessitas, vbi ergo omnino illa cessauerit, nec apparuerit, iniustum est vectigal illud iudicandum.

Ad argumenta. Medinæ ex dictis licet occurrere. Ad primum respondeo cum Caye. loco citato in illo ca. Super quibusdam. tractari solum, quæ vectigalia exigi iusté possint, quantum est ex parte imponentis: docereq; ibi Innoc. quantum est ex parte autoris imponentis, illa iuste exigi si sint concessa ab Imperatore, Rege, vel Concilio, aut ex antiqua consuetudine. q. d. in his quę actu exiguntur si defficiat authoritas Imperatoris, Regis, vel Concilii, illam suppleri ex antiqua & inmemorabili consuetudine, nihilominus cap. istud non tribuit consuetudini, vt ea sola, si nulla existat iusta causa, efficiat vectigal iustum: Quod ita patet: In isto cap. tantum tribuitur consuetudini, in his quæ iam exiguntur, vt valeat pro autore, nempe vt vectigal quod ex tam antiqua consuetudine exigitur perinde se habeat ac si ab Imperatore esset institutum, sed institutum ab Imperatore, vel alio quocunq; habente auctoritatem non est iustum, nec debitum, nisi instituatur ex debita & iusta causa, ergo neq; quod antiqua consuetudine exigitur, est iustum, aut debitum, quando nulla existit causa iusta illius.

Ad secundum patet ex dictis præcedenti q. antiquam consuetudinem non tribuere ius imponendi vectigalia, sed solum ius exigendi illa, concurrentibus aliis quæ desiderantur in vectigali iusto.

Ad tertium concedimus ius exigendi (vt superius docuimus) posse præscribi, sicut & vendi, aut locari, cæterum quando nulla manet iusta causa vectigalis non habet locum talis præscriptio: quia vectigal exigitur á Rep. & à communitate quæ omni iure gaudet priuilegio pupilli & minoris, quo fit vt sicut contra minores non præscribitur, ita nec contra Remp. Secundo quia cum vectigal intrinsece sit pecunia communis, & velut ærarium publicum ad publicam necessitatem, vbi hæc omnino deest, nullo modo ipsum vectigal habet locū: in aliis vero bonis habet locū præscriptio, quia sunt bona priuata, parumq; reffert Reip. sint huius vel illius, illud tantū ipsi reffert vt sint sub alicuius dominio, & ita habet in eis locū pręscriptio: vectigalia vero cum sint bona Reipub. in solam eius vtilitatem, vbi nulla est causa iusta, nec Reip. vtilitas, nō habet locū in eis præscriptio. Tertio quia lex præscriptionis instituta est ad bonum Reip. ad tollendas lites, ac vt bona non maneant per lōga tempora sine vero & legitimo possessore ac domino, quod autē princeps vel magistratus recipiat vectigal cuius nulla est iusta causa, non deseruit alicui publicę vtilitati: quin potius est in damnum Reipu. Et ita in his non habet locum lex præscriptionis: quod enim pro bono Reip. institutum est, non debet in damnum Reipu. conuerti: sicut quod pro charitate institutum est, vt ait B. Bernardus, non debet contra charitatem militare. Adde quod reuera, sicut primi exactores videntes omnino cessasse causam, non sunt in bona fide, ita difficile est (moraliter loquendo) vt cæteri succedētes videntes similiter nullam causam vectigalis illius existere, nec primeuam nec aliquam aliam, & in omnium ore versari ad iustum vectigal iustam etiam causam desiderari, habeant bonam fidem: sed habebunt ad summum dubiam, & eam quæ non sufficit ad præscribendum.

Denique ait Medina contra ignorantes non præscribi, populum autem cum possit scire, an causa iusta vectigalis cessarit interrogando maiores, non esse dicendum ignorantem sed consentientem. Sed profecto hac in parte non bene considerauit Medina ea quæ quotidie experimur in hac materia, nam imprimis populus cōtinuo clamat quā primū suspicatur causam cessasse, imo multoties ea nondum cessante conqueritur: Tū etiam non potest adire maiores, vt ab eis audiatur, quia expellerentur, iudicarenturq; contra publicum bonum forsan cōiurasse. Vnde reuera hac in parte habet se populus velut ignorans, nec contra eum vt ignoran-

tem,& qui proclamaret cum primum intelligeret caussam cessasse, habet locum praescriptio.

Argumenta initio proposita confirmant vt diximus priorem partem huius sententiæ quam sequimur. Quatenus vero videntur militare contra secundam partem diluenda sunt,seu potius explicanda.

Ad primum igitur respondeo,regulam illam accipiendam esse de vnica & præcisa causa,vbi enim alicuius effectus vnica tantũ est & præcisa causa, ea cessante cessat necessario effectus v.g. præsentia solis in nostro emispherio est precissa causa diei,presẽtia solis cessante & deficiente deficit dies: Similiter emenda fratris est præcisa causa correctionis fraternæ, vbi non est spes emẽdæ cessat præceptum correctionis quia cessat vnica illa & præcisa causa, propter quã frater erat corripiendus, Ita modo,quando omnino cessaret causa vectigalis, cessabit quoq; illius vis & iustitia:at quando cessante primęua causa alia succedit bono etiam communi necessaria,tunc non cessat vectigalis vis & obligatio:quia nõ est causa pręcisa vectigalis illa primęua ob quam fuit institutum,cum possent aliæ occurrere, sed est iusta causa vectigalis quęcunq; publica necessitas & bonum commune.

Secundum argumentum id tantum probat cessante omnino causa cessare vectigal, at si cessante illa primęua alia suboriatur iã Princeps vel Resp. vtitur bonis suorum ciuium ad bonum commune.

Tertium idem probat, & eodem modo soluitur Exigitur enim ad iustum vectigal iusta causa,sicut & cæterę conditiones,iusta autẽ causa non solum est illa primæua, sed quęcunq; quæ deinde vere se offet in vtilitatem communem.

Quartum autẽ & vltimum cõfirmat omnino quæ docuimus.

Cæterum contra hanc regulam cui nostra sententia nititur,cessante causa cessare effectum multa obiici possunt. Primo ieiunium institutum est vt caro reprimatur,nihilominus in eo qui haberet illam omnino cohibitam non cessat præceptum ieiunii etiã si causa eius cesset. Secundo causa pœnæ propter quã delinquens punitur est culpa,at quamuis ea per pœnitentiam cesset,nihilominus punitur iustè delinquẽs. Tertio finis & causa baptismi est remissio culpæ originalis, at etsi ea baptismo flaminis alicui remissa sit tenetur ille nihilominus intingi baptismo fluminis. Quarto decimæ institutæ sunt ad sustentationem clericorũ, at etsi clericus aliunde viuere possit nihilominus reddendæ illi sunt. Quinto vsus matrimonii est ad prolis generationem, at etsi non speretur prolis procreatio,tenetur nihilominus alter coniugum alteri debitum reddere. Sexto si lex sit ne quis egrediatur ciuitatem,in hunc finem, ne hostibus illam obsidentibus secreta reuelet etiam si quis nullo modo ea reuelaturus sit,tenetur nihilominus legi illi parere. Denique emisit quis votum vt liberaretur ab aliquo damno,vel obtineat aliquod bonum, etiam si causa cesset, vt nec damnum illud immineat,nec bonum illud permaneat, tenetur nihilominus vota illa seruare,iam igitur nõ semper ex eo quod causa aliqua cesset effectus & obligatio illius cessabit.

Hęc omnia facile diluuntur & regulam traditam magis aperiunt. Ad primum respondeo leges aliquas constitui in commune & vniuersale omnium bonum, alias vero ob fines particulares, priores illæ non cessant etiam si in aliquo particulari non obtineatur earum finis,cum tamen illę maneãt in communi necessariæ; Quo fit vt licet Petrus non egeat ieiunio ad cohibendã carnem,in plerisq; vero aliis hominibus necessarium est ieiunium ad istum finem, & ideo lex ista semper retinet suam vim. Similiter etsi decimæ sint institutæ in clericorum sustentationem, hic vero aut ille eis non egeat, alii communiter egent, & ideo lex decimarum semper obligat. Similiter etsi in hoc homine sterili non expectetur proles,in aliis communiter expectatur, quod sufficit vt ab omnibus lex matrimonii obseruetur. Deniq; & si hic nulla ratione sit secretũ reuelaturus, alicui tamẽ poterit illud reuelare, & ideo quãdiu hoc periculũ imminet,iusté præcipitur omnibus,ne quis egrediatur ciuitatẽ ab hostibus obcessam.

Similiter res habet in tributis & vectig. vt licet primęua causa cessauerit,alia tamen exorta & oblata debeat manere vectigal:

Aliæ vero sunt leges quę respiciunt vnicum aliquem & particularem finem, quo cessante cessat & ipsa lex,vt lex correctionis fraternę sicut expositum est.

Ad secundum dico punitionis delinquẽtis nõ esse vnicam & præcisam causam vindicare culpam delinquentis,sed bonum cõmune,nempe vt alii timeant,quæ causa perpetuo manet.

Ad tertium dico legis baptismi non solum esse finem remissionẽ culpę originalis,

verum

verumetiam cultum Dei per actum religionis, qui exercetur in susceptione Sacramẽti, & susceptionem caracteris, quo baptizatus disponatur ad susceptionem aliorum sacramentorum, & similes fines, qui non obtinẽtur per solum baptismum flaminis. Adde quod lex baptismi est preceptiua, cui paret suscipiendo baptismum aquæ.

Quartum, quintum, & sextum soluta manent ex dictis ad quintum argumẽtum.

Ad vltimum respondeo, aliam esse causam voti, & aliam seruandi illud, voti enim causa est, aut ipsa animi deuotio, aut liberari ab aliquo damno, vel obtinere aliquod bonum: seruandi vero illud causa est vis, & natura ipsius voti, cum sit promissio in re graui, causa emittẽdi votum potest cessare quamprimum illud emissum est, causa vero seruandi illud perpetuo manet, nempe ius & obligatio standi promissis.

Oportet iam agamus de alijs conditionibus in vectigali iusto requisitis: nempe de forma, & materia. Ac primum.

Controuersia Sexta.

QVAE FORMA SERVANDA *sit in vectigali iusto.*

Exigitur ergo tertio loco in vectigali, vt iustum sit debita forma & proportio, quę triplex esse debet. Prima in ordine ad necessitatem propter quam imponitur; sicut enim ratio mediorum sumenda est ex fine, ita & vectigal cum instituatur ad leuandam necessitatem publicam debet illi esse commẽsuratum, vt si necessitas cum omnibus suis expensis exigat. v. g. 2000. non imponatur vectigal quo colligantur. 3000. Confirmatur hęc pars ex cap. Quia plerią;. de immunitat. Ecclesia. vbi Innocen. 3. Regi Scotiæ scribit, extorta à Prælatis, vel superioribus, à suis subditis vltra necessitatem ad quam leuandam illa exigebantur restituenda esse his à quibus extorta sunt, vel pauperibus. Simile modo si vectigal superet necessitatem ob quã imponitur excessus ille, restituendus est.

Secunda proportio & commensuratio debet esse cum populo, vt non imponatur nisi iuxta populi facultates, & vires. Aliter iniquum est, & tyrannicum, si populus immoderatis vectigalibus grauetur. & in pauperiem redigatur. Nam cum vectigalia in populi vtilitatẽ imponantur, quod pro populi vtilitate institutum est, non debet contra populi vtilitatem militare. Optimum si quidem est aqua fontis vti, non tamen fontẽ ipsum exhaurire, & venas illius exsiccare: Optimum vt pastor de lacte gregis sui comedat, iniquum tamen illum excoriare, ita neq; potest Princeps immoderata tributa subditis imponere, cum non sit dominus bonorum ipsorum, sed illis tantum vti potest, & debet ad ipsorummet subditorum vtilitatem. Contra facientes arguit Dominus acriter Mich. 3. *Audite Principes Iacob, qui violenter tollitis pelles eorum desuper, & carnes eorum desuper ossibus eorum: qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt.*

Tertia proportio maxime etiam obseruanda est vt seruentur cũ singulis, leges iustitię distributiuæ, vt sicut honores publici exhibentur iuxta merita cuiusq; ciuis, ita & publica onera qualia sunt vectigalia imponantur iuxta facultates singulorum ciuium, nec grauentur qui minus possunt, minusq; debent grauari, nec qui pauperiores sunt æqualiter aut forsan plus persoluere cogantur, quam qui ditiores & potentiores sunt in populo.

Ex illa prima proportione quæ debet esse inter vectigal & necessitatem propter quam imponitur, confirmatur aperte sententia Alphonsi de Castro, quam secuti sumus, cessante omnino causa, cessare etiam vectigalis iustitiam; Quia si titulo vectigalis id tantum exigi potest quod ad necessitatem publicam leuandam desideratur, quãdo neq; illa necessitas pro qua fuit institutum manet, neq; aliqua alia in ordine ad bonum commune, iniquitas est, & tyrannis pecunias ciuium recipere.

QVAE SIT DEBITA MATERIA *vectigalium, & in quibus rebus possint institui?*

STANDO in iure communi Vectigalia & Gabellę in his tantum rebus constitui possunt, quæ deferuntur ac vehuntur causa negotiationis, vt habetur aperte L. Omnium Cod. de vectig. Dicuntur autẽ deferri causa negotiationis (vt obseruat Caiet.) quæcunq; deferuntur vt emantur, vel asportantur vt iterum vendantur, & hoc fine contrectantur. Et ita est communis sententia Doctorũ in L. Si publicanus ff. de Public. & l. 2. §. cum in eandem ff. ad legem Rodiã

de Iact. & copiose Card. Zabar. Clementi-an fina. de Censibus in solis mercibus circa quas exercentur mercatura, & negotiatio habere locum vectigalia. In his verò rebus quæ emuntur, vel defferuntur in proprium vsum, vel suæ familiæ, aut quæ ad seminandum necessarię sunt, & agrorū culturam, cum hęc quoq; inter necessaria ad proprios vsus computari debeant, & in his quę defferuntur ad fiscum non posse imponi vectigalia, adeo vt plectatur capite secūdum ius commune L. vniuersi Cod. de Vectig. qui super huiusmodi rebus vectigalia ausus fuerit imponere.

An autem, in aliquo euentu possint institui Gabellæ in rebus quæ sunt in proprium vsum, non conueniunt DD. Hostiēsis enim in cap. Super quibusdam. sequutus ius commune, & Caiet. similiter in verbo vectigal. omnino negant posse licite imponi in rebus quę sunt ad proprium vsum, vt pane, vino, tritico, vestibus, &c. Primo, quia ius commune id omnino negat, vt constat. Secundo inquit Cay. quia ad iustum vectigal exigitur ne grauētur pauperiores & qui minus possunt magis quam alii, at si vectigalia imponantur in rebus quæ sunt ad propium vsum, cum huiusmodi res panem vinum &c. frequentius emant, & plures earū, ac minutim, qui pauperiores sunt, cogentur plus persoluere quam ditiores, qui illa iunctim emunt, & accommodatis temporibus, & cum minore vectigali: Tum quia radix vsus est indigentia, quo enim aliqui huiusmodi rebus magis indigēt, magis quoq; illis vtentur pluraq; soluent vectigalia & á primo ad vltimum qui plus indigent maiori onerabuntur vectigali.

D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 13. §. 8. & Archidiaco. vt reffert Siluester. Gabella cap. 3. q. 5. sentiunt cum solo iure imperiali prohibeantur imponi vectigalia, in his rebus quibus vtimur, iure autem naturæ id non fit illicitum, posse alia lege municipali vel cōsuetudine in his quoq; rebus imponi, quando alia vectigalia in mercimoniis imposita grauia plurimum sunt, nec sufficiunt ad leuandas publicas necessitates: quia recta ratio ita videtur exigere, vt vbi mercimoniæ sunt satis grauatæ vectigalibus, communis vero necessitas plura exigit, imponantur illa in aliis rebus.

Confirmari potest hæc opinio facto Regis nostri Philippi qui anno 1558. cum hæc Resp. Valentina egeret aliquo vectigali ad soluendas expensas propter pestem illius anni & precedentis factas, consultus Rex á Magistratibus huius ciuitatis consensit, vt imponeretur vectigal quorundam denariorum, & admonitus á viris peritis quorum Concilio tunc vtebatur, præcepit vt illorū denariorū minor pars constitueretur in mercimoniis, eo quod satis essent oneratæ, alia verò pars & maior constitueretur in vino.

Siluester loco citato Gabella c. 3. q. 5. cui subscribunt Angelus Pedag. nu. 3. Tabien. eodem verbo num. 4. sic nititur conciliare Hostiensem & Archidia. vt Gabella quę verè est pedagium & vectigal, non possit imponi in rebus quibus vtimur, sed in solis mercimoniis: & in hoc sensu iura illa cōmunia manere in viridi obseruantia: Gabellā vero quæ imponitur per modum collectæ & assisii, posse lege municipali, vel consuetudine populi in quam populus consentiat, imponi in aliis rebus, quibus vtimur ad victum, & obligare illam in conscientia: sed ita vt talem Gabellam non soluant extranei, sed soli vicini & ciues illius populi.

Priorem partem huius asserti probat Silue. Quia licet populus priuatus non possit legem communem facere toti regno & prouinciæ, potest tamē ex communi consensu concedere particularē, ad quā teneātur omnes ciues in ordine ad bonum commune, maxime Principe illud consentiente, Nam vt habetur L. omnes populi. ff. de Iust. & Iure, vectigal est velut lex cōmunis & vniuersalis, collecta autem est velut lex particularis: vnde licet non possit institui vectigal nisi in mercibus, collecta tamē ex cōsensu populi & Principis poterit etiam institui, in rebus quibus vtimur.

Secundo, vnusquisque populus potest vti suis priuatis bonis in vtilitatem communem pro libito, cum sit suorum bonorū dominus, hoc autem facit cum instituit collectas istas in pane vino, &c. ergo potest in his rebus illas constituere.

Quod si dixeris hac via grauari quandoque illos qui essent minus grauandi. Respōdent primo autores huius opinionis, proprio omnium consensu ita fieri ob pacem & tranquillitatem Reip. quia quando vectigalia ordinaria in mercimoniis non sufficiunt ad necessitates populi, sed omnino exiguntur alia, constituere illa in eisdē mercimoniis esset grauare nimis mercatores, & ementes, ac negotiantes, occasionemq; illis offerre ad recedendum in alias prouincias, qua ratione cessaret vel saltim minueretur plurimum negotiatio, quod est in graue

damnum

damnum Reip. colligere vero illa per familias & capita iuxta bona & facultates cuiusq; vt aliqui sentiunt, est difficile & fere impossibile, ac occasio maximarum litium inter magistratus & particulares ciues, & committendi multa peccata, ac periuria, dũ singulorũ bona ęstimarētur, imposita autē in his rebus (etsi videantur aliqui magis grauari in alimoniis) colliguntur commode, pacifice, & quiete, quod est summum bonũ Reip. & ita præstat multo vt hac via colligantur.

Secundo quia si pauperiores per Gabellas sic impositas videntur grauari in rebus quæ deseruiunt victui, ditiores similiter cum maiorem habeant communiter famulorum familiam, & decentius oporteat ipsos indui, grauantur magis in rebus necessariis ad vestitum, & ita manet inter eos quædam æqualitas grauaminis: qua ratione cessat iam illud incommodum cui nititur Caiet.

Nobis hæc doctrina Siluest. quo ad istā priorem partem maxime probatur, confirmarique potest communi vsu omnium gētium & nationum, cum apud omnes experientia teste præter vectigalia quæ in mercimoniis constituuntur, collocentur etiam communi populi consensu quædam collectæ & assisia in rebus qnæ ad proprios vsus emuntur, & deferuntur, iuxta illius populi necessitates, qui vsus adeo vniuersalis & receptus apud omnes gentes & nationes est velut ius gentium, maximam vt suo loco vidimus habens vim & robur.

Circa eandem vero partem antequam ad secundam accedamus obseruanda nonnulla sunt. Primo ea dici in propriũ vsum, quæ tempore emptionis eo fine emuntur, vt in proprium vsum vel familiæ conuertantur: quod si deinde vel deficiente familia, vel oblata aliqua necessitate, vel ex alia causa vendantur, non propterea est soluendum vectigal, quod non fuit solutum tempore prioris emptionis; quia contractus sumit denominationem à tempore quo fit, vnde cum tempore emptionis rem illam vere emerit in proprium vsum, quamuis illam deinde alteri vendat, non est dicenda merces adducta gratia mercaturæ. Et hæc est communis sententia Doctorum.

Secundo in rebus religiosis & sacris non habet locum Gabella, gaudent enim simili priuilegio quo Ecclesiastici ipsi, præterquā vbi imponeretur Gabella à Papa, cui res Ecclesiasticæ perinde subiiciuntur, ac res seculares Principi, in quo etiā omnes conueniunt.

Tertio quod res emantur vel deferantur in proprios vsus standum est iuramento deferentis illas, ita DD. in l. 2. ff. de Nautico feuo. & Glosa in verbo. Non negotiandi. in Clemen. fina. de censibus.

Quarto lex vectigalium de ea tantum re præcise intelligenda est quam exprimit: vt si soluenda præcipiatur Gabella de vino non includatur acetum: ita DD. l. 2. Cod. de Peric. & commo. rei vend.

Deniq; quamuis res emptæ in nũdinis, non statim exhibeantur á venditore, vel aliquo tempore elapso extrahantur, gaudent nihilomnius priuilegio nundinarum: quia istud priuilegium in vtroq; foro respicit tēpus quo fit contractus emptionis, & ita si venditio rerum facta sit tempore nundinarum, quocunq; deinde tempore tradantur à venditore, vel extrahantur è loco, sunt immunes á Gabellis, & gaudent priuilegio nundinarũ: ita DD. L. 1. C. de Nundinis.

Quod vero addit Siluest. extraneos qui per nos transeunt, vel ad nos accedunt, nostrisq; rebus vtuntur ad eas Gabellas vel collectas non teneri, falsum est, nec vllo modo admittendum, cum aperte repugnet rectę rationi & ęquitati, vt inferius docebimus. Ar. 5.

Quintum quod requiritur ad iustum vectigal est debitus vsus; vnde videamus.

Controuersia Septima.

AN VBI PRINCIPES VEL *Magistratus non præstant ea propter quæ vectigal impositum est, cesset tunc vis, & obligatio persoluendi illud?*

DE hac quæstione iudicandum est sicut de cessatione caussæ, nam cum vsus & debita executio vectigalis in eo consistat, vt conuertatur illud in necessitatem ob quam fuit impositum, eodem modo iudicandum est de vsu, quo iudicauimus de caussa.

Potest ergo tribus modis non præstari illud propter quod vectig. est institutum. Primo quando non conuertitur in illam necessitatem, conuertitur tamen in aliam similem vel maiorem. Secundo quando aliquo tempore non conuertitur in illam, quia forsam nō ita vrget, paratus autē est Princeps vel Magistratus in eam illud conuertere pro loco & tempore suo. Tertio quando nullo modo deseruit, ita vt nec in illam

nec

nec in aliam necessitatem conuertatur, nec seruetur in aliud tempus.

Sit Prima conclusio.

Vbi vectigal nullo omnino modo conuertitur in necessitatem publicam, ita vt neq; in illam propter quam institutum est, neq; in aliam, neq; vllo tempore deseruiat, iniquum est & tyrannicum: nec tenetur subditi illud persoluere. Si vero conuertatur in aliam necessitatem similem vel æqualem, vel seruetur conuertendum cū primum oportebit, iuste exigitur, & debetur illud in conscientia.

Ita D. Thom. libr. 1. de Regimine Princip. c. 12. cuius verba præcedenti quęstione adduximus. Angel. Pedag. num. 6. Silu. Gabella c. 3 q. 6. Tabien. Pedag. n. 8. Cayet. in verb. vectig. & Archidia. in can. Si quis Romipetas 24. q. 3. Prior pars conclusionis patet, quia in eo casu cessat omnino caussa, & quo ad executionem, & quo ad præparationem. Vt si turres omnino destructę sint nec erigendæ, sublatiq; omnes custodes nec restituēdi, si via illa periculosa sit, manet quidem necessitas, caussa tamen vectigalis omnino cessauit, & consequenter vectigal. Secundo quia in hoc cassu prioris partis huius conclusionis vectigal istud nullo modo cedit in vtilitatem publicam, sed tantum in vtilitatem priuatam recipientis illud, quod tyrannicum est & iniquum.

Secunda vero pars conclusionis patet: quia in eo casu iam manet caussa iusta, nēpe similis necessitas in quam conuertitur vel actu, vel in præparatione debita pro loco & tempore. Quæres quid si vectigal institutum est pro aliqua necessitate graui, Magistratus vero conuertat illud in aliam minorem & quæ minus vrget? Dico in hoc cassu Magistratum peccare contra charitatem, cuius ordo exigit vt maiori necessitati prius succurratur, non tamen contra iustitiam; nec teneri ad aliquam restitutionē, cum cōuertat illud in necessitatem, ad quod tenetur ex iustitia.

Secunda conclusio.

Princeps, aut dominus loci, vel Magistratus recipiens vectigalia pro aliqua necessitate, vt pro custodia viarum, ædificatione turrium maritimarum, pro reficiendis pontibus, vel similibus, nec tamen præstat ea propter quæ vectigal illud institutum est, tenetur in conscientia restituere omnia damna subsequuta ciuibus & viatoribus, quæ reuera non accidissent, si præstitisset ipse quæ debebat ratione illius vectigalis.

Constat hæc conclusio. Ex his quæ docuimus tom. 1. q. 62. ar. 2. agētes de restitutione, Quia qui ex officio, & accepto stipēdio tenetur aliqua damna prohibere, nec prohibet sicut debet, tenetur ad omnia illa reficienda, vt custos vineę qui accepto stipendio suscipit illā custodiendam, tenetur in conscientia imo & in foro exteriori soluere omnia damna illata, & sequuta vineæ ex eius incuria, & negligentia. Ita Silu. loco cit. & in verbo dominium q. 4. n. 4. Hostiē. quoque & Archid. loco cit. & ex recentioribus Corduba in suo tractatu cassuum conscientiæ q. 113. & Ludouicus Lopez in suo instruct. consc. p. 2. capit. 30. q. 1.

Nunc tractanda est quæstio illa quam in hunc locum distulimus.

Controuersia Octaua.

AN VECTIGALIA DE *quorum iustitia a peritis & prudentibus dubitatur, sint soluenda quandiu manent dubia.*

DIXI a peritis & prudentibus, quia quod populus vel alii qui nec indagarunt caussas vectigalium, nec norunt quas necessitates patiatur Resp. & quomodo vectigalia sint instituta, & expendantur, dubitent, nō reddit vectigal iniustum, vel dubium. Sed illud tantum dicitur dubium, de cuius iustitia periti & prudentes consideratis & exploratis diligenter his quæ ad iustum vectigal requiruntur, deprehendunt, vel reuera illa non concurrere, vel saltim non apparere in tali vectigali, propter quod prudenter ac rationabiliter dubitant plurimum, an illud sit iustum. De huiusmodi ergo ita dubio inquirimus, an sit persoluendum in foro animæ.

Mag. Soto lib. 4. de Iustitia q. 6. arti. 4. ait in hoc cassu consulendum esse Principē, vel Magistratum à quo impositum est, cur impositum sit? Et cui necessitati deseruiat? Quibus consultis si caussam reddiderint soluendum esse in conscientia, quod si nullam reddiderint tunc prudenter habendum esse in conscientia, pro iniusto, & sine iusta causa imposito nec soluendum: quia si aliqua iusta causa illius extaret, rederent profecto illam statim superiores. Quandiu vero non interrogantur, & ignoratur eius caussa, & res est dubia, persoluendum esse, quia in dubiis obediendum est superiori, & præsumendum pro eo, ac in fauorem illius quod iusté agat. Hanc sententiam

tiam M. Soto. sequuntur multi ex ipsius familia, cui videtur subscribere M. Blasius asserens in dubiis standum esse legi superioris & statuto ipsius.

Cordub. in suo tract. casuum conscientiȩ q. illa 95. manet anceps, dicens in dubiis nec condemnandos Magistratus quod talia vectigalia exigant, nec obligandos subditos vt illa persoluant, quia cum res sit dubia, æquale videtur ius & superiorum ad exigẽdum, & inferiorum ad non soluendum.

Silu. Gabella cap. 3. in fine, Armilla eod. verb. num. 18. docent debere confessarios in his ita se gerere, vt ante factum idest antequã subditi talia vectigalia dubia defraudauerint, prohibeãt illos ne exponãt se ipsos periculo defraudandi, quæ forsan debent, post factum vero cum iam defraudarunt, non compellant eos ad restituendum. Primo quia in pari caussa turpidinis id est in re dubia potior est conditio possidẽtis, is autẽ qui nõ soluit adhuc possidet suam pecuniã. Secundo quia non debet confessor exponere se periculo surripiendi hanc pecuniã ab eo qui forsan illam non debet, vt detur ei cui forsan non debetur.

Ad intelligentiam huius quȩstionis hæc duo sunt maxime obseruanda. Prius est, dubia duplicia esse, quædam in quibus qui paret superiori, nullum incurrit detrimẽtum, vt si superior præcipiat ieiunare, orare: alia vero in quibus si obediat, vel incurrit graue damnum, vel exponit se illi: in prioribus dubiis tenetur subditus superiori parere, quia nullum imminet damnum: in posterioribus vero nequaquam. Quo nomine vt vidimus tom. 1. q. 69. ar. 2. Controu. 3. quando iudex interrogat reum, reus vero est prudenter dubius, an iuridice ab illo interrogetur, non tenetur illi obedire, neq; aperire suũ delictũ, quia exponit se proprio dãno, quin neq; testis vt ibidẽ vidimus in re dubia tenetur iudici obedire in dãnum tertii.

Alterum est in dubiis vt habet Regula iuris meliorem esse conditionem possidentis. Cuius regulȩ hæc est ratio. Quia rem temporalem ille iustius habere & retinere potest, qui plures titulos in illam habet, quã do res est dubia, qui nondum eam possidet, vnicum tantum habet titulum, nempe suã forsan esse, qui vero possidet habet similẽ titulum, suam forsan esse, & præterea titulum possessionis, quo fit vt habeat potius ius in illam, sitq; melior & potior ipsius conditio.

Obseruemus. Secundo. Id quod admonet Soto optimum esse, vt consulatur Princeps vel Magistratus de caussa & iustitia vectigalis, vt deprehendatur sit ne iustũ, quod nos etiam hic constituimus, peritos & prudentes explorasse diligenter caussam & cõditiones requisitas ad iustitiam vectigalis, & omnibus diligenter perspectis mansisse dubios.

His positis dico, *Vectigalia de quorum iustitia & caussa periti & prudentes omnibus exploratis sunt prudenter ac rationabiliter dubii, non esse soluenda in conscientia.*

Primo quia in dubiis nemo tenetur obedire cum proprio damno, at si vectigalia ita dubia soluantur, damnum est soluenti, amittere illam pecuniam quam exhibet. Secundo, quia in dubiis potior est conditio possidentis, soluturus autẽ vectigal donec illud actu soluat, possidet pecuniam illã, quocirca non tenetur eam soluere. neq; ad id compellendus est, vt optime docet Siluest. quod si iam soluit non tenetur exactor pecuniam acceptam restituere, quia tunc fauet iam illi titulus possessionis, qui antea fauebat illi qui nondum soluerat.

Ex his patet, argumentum quo M. Soto ostendebat, quandiu res est dubia soluendũ esse, & obediẽdum ratione dubii, non habere vim. Cum in dubiis non sit obediendum cum proprio damno. Patet etiam verum esse dictum Silu. ne confessores obligent ad restituendum eos qui dubia vectigalia defraudarũt, Quod autẽ dicit, vt ante factum prohibeat defraudationem vectigalis, si quidem intelligat, vt consulat solui, recte quidem quia securissime aget: si vero intelligat, vt compellat, nec aliter absoluat nisi statuat se illa soluturum, non credimus ei: quia cum ita dubia reuera non debeantur propter rationes dictas, non est compellendus, neq; ante factũ, immo potest illi vere affirmare illa nõ deberi. Sunt autẽ hæc non omnibus explicanda secularibus, nam sub titulo dubii (maxime in re adeo odiosa & difficili) nec iusta soluẽt. Cui autẽ aliquãdo explicare illa oportebit, caute & distincte aperiẽda sunt, ne liberius agãt, sed ea tantũ retineãt quæ erunt vere dubia.

Quærere hic aliquis posset, quando in aliqua ciuitate vel loco varia vectigalia exiguntur, quorum quædam iusta sunt, alia vero iniusta, vel prudentissime dubia, nec propterea soluenda; si quidem accidat Petrum a superiore compulsum soluisse aliqua iniusta vel dubia, licebit ne huic defraudare ex iustis quantum compulsus est

persol-

persoluere de iniustis?

Huic dubitationi occurrunt optime Cordub. in illo tractatu casuum conscientiæ q. 95. & Ludo. Lopez. in suo instructor. p. 2. c. 37. q. 4. dicentes distinguendum esse, nam aut omnia ista vectigalia persoluuntur eidẽ exactori, & publicano, siue collectori eiusdem Reip. aut diuersis tanquam diuersis dominis: Si eidem, licet Petro retinere & defraudare ex iusto vectigali, quantum compulsus est soluere de iniusto, quia vnicuiq; licet rem suam in qua lęsus est, commodiori via qua poterit recuperare: Quod si illa ad diuersos exactores vel collectores pertineant, tunc non licet, non enim licet mihi læso à Petro, damnum illud compensare ex bonis Pauli, cum apud Paulum nulla res mea detineatur. Vnde in hoc nostra ciuitate si aliquod vectigal Regium iniquum sit, qui illud compulsus est persoluere non potest defraudare propterea vectigal ciuitatis, aut regni, quasi compensatione vtens, cum hæc ad diuersos dominos pertineant, & diuersis necessitatibus deseruiant, & è conuerso.

ARTIC. IIII. DE GABELlis quæ Castellæ exiguntur.

Controuersia Prima.

AN DECIMAE REGIAE IVste a Regibus Hispaniæ exigantur.

EXPLICAVIMVS iam quæ exigantur ad iusta vectigalia, proximũ est expendamus priuatim & in particulari, an Gabellæ quæ in Hispania maxime in hoc nostro Regno & Ciuitate Valẽtina exigũtur, iustæ sint, & in foro consciẽtiæ persoluẽdę?

Ac primũ de Gabellis quę Castellæ exigũtur. Vbi non instituo eas omnes quę in singulis ciuitatibus & locis institutæ sunt, explorare: esset enim immensum opus, nec necessarium: quia tum ex his quæ hactenus in communi dicta sunt, de conditionibus quę desiderantur in vectigali & Gabella iusta, tum ex his quæ priuatim dicemus de nostris Gabellis Valentinis, facile erit cuique de cæteris quæ in aliis ciuitatibus exigũtur, vel exigi possunt, iudicium ferre. Agere vero tantum instituo de illis quæ Regi vel Magnatibus persoluuntur Castellæ, deinde de nostris.

Castellæ igitur potissima tributa & vectigalia quæ Regi persoluuntur quatuor sunt. Inprimis decima illa regia quæ ex fructibus, & terræ nascentibus ab initio illi vt Principi supremo persoluebatur antiquitus in tributum, ad sumptus regios, & expẽsas quas facit in gubernandis, & tuẽdis subditis. De quo tributo nulla est controuersia, debetur enim hoc cuiuis Principi (vt vidimus) in stipendium, dicente Christo Reddite quæ sunt Cęsaris Cęsari, &c. & B. Paulo, Cui tributum tributum, &c.

Secundo. Persoluitur ei ex Priuilegio Apostolico Innocentii III. Honorii, & omnium successorum vsq; ad Alexan. VI. & cæteros Pontifices, tertia pars decimarũ Ecclesiasticarum, ad iuuandas ingentes expensas, quas Reges Castellæ & Aragonum fecerunt in expellendis mauris, & liberandis his Regnis á faucibus infidelium, quod tributum iuste ab ipsis exigi, illisq; deberi, citra cõtrouersiã etiam est. Quia cũ Sum. Ponti. sit dispensator legitimus bonorum Ecclesiæ, maxime iusta causa interueniente, quæ ipse iusta de caussa Regibus concessit, iustè ab eisdem Regibus exiguntur, & recipiuntur.

Tertio persoluitur Regibus in terminis & diuisionibus regnorum, ratione eorum quæ extrahuntur vel inferuntur in Castellã, vectigal quoddam quod in portibus maritimis antiquissimum est, in terminis autem Regnorum, vel exitibus eorum, quos vocant saltus, Hispane *Puertos secos*, non ita antiquum, dicitur á nonnullis portoriũ, vel pedagium, Hispanè *Portazgo*.

Quarto loco persoluitur Castellæ decima pars omnium rerum quæ venduntur, vel commutantur, ad sumptus etiam regios & alias expensas quas Rex facit: quod incepit tempore Alphonsi Regis Catholici. quã do indixit bellum mauris, vocatur Hispane *Alcauala*, q. d. aliud tributum quod valeat ad hæc onera & sumptus bellicos.

De his duobus posterioribus est tota difficultas. Primo.

Controuersia Secunda.

AN PORTORIA ET TRIBVta per saltus sint persoluenda in conscientia.

ANGEL. Pedag. §. 3. Nauar. & Medin. Salmanticen. locis cita. & Ludo. Lopez in suo instruct. p. 2. c. 36. indicant hæc portoria

vbi

vbi exiguntur persoluenda esse, vbi vero non exiguntur non esse persoluenda, idem docent de his quæ soluuntur ratione transitus per aliquem pontem, vel viam: Probant illud triplici ratione.

Primo nemo tenetur scire leges vel statuta prouinciæ alienæ, inferentes vel extrahentes merces per istos portus, vel transeuntes per põtes & vias, alienigenę sunt & exteri, non ergo obligandi ad scienda statuta priuata cuiusq; loci, vel Prouinciæ, affirmare autem quod teneantur soluere ista portoria & tributa, etiam si ab eis non exigantur, est obligare illos ad scienda statuta loci alieni. Ergo.

Secundo nemo tenetur prodere suam ignobilitatem, dicente B. Chrysost. *Non dico vt te ipsum prodas*: ista vero portoria & tributa frequenter non soluuntur á nobilibus, obligare ergo vt soluantur etiam si nõ exigantur, est compellere homines ad prodendam suam ignobilitatem, quod est iniquum.

Tertio fatentur grauissimi DD. vt Driedo li. 3. de libertate christiana, his tẽporibus tributa ista, & impositiones quæ soluuntur in portibus, maxima ex parte esse iniusta, vel saltim plurimum dubia, at dubia vt diximus non sunt persoluenda.

Oppositum docent & verius multo, ac probabilius, Medina complutensis, & grauiss. D. noster Blasius; quia in his portoriis cõcurrũt quecũq; diximus desiderari ad iustum vectigal. Nam inprimis reperitur auctoritas imponentis, cum sint imposita à Rege. Secundo iusta caussa, cum deseruiant publicis necessitatibus, ex his namq; soluit Rex multa stipendia suorum ministrorum, & aliqua opera pia, quæ decent dignitatem regiam, vt constat ex reditibus quæ colliguntur, in Portu Requenæ. Tertio debita materia, non enim exiguntur nisi ex mercibus & his quæ deferuntur caussa negotiationis. Deniq; debita forma cum non grauentur nisi qui grauandi sunt, qui enim plures merces inferunt, vel extrahunt, plus persoluunt, qui vero pauciores minus; Sunt ergo iusta & persoluenda, etiam si non exigantur.

Secundo huiusmodi vectigalia in portis maritimis persolui antiquissimum est; & quasi iure gentium, omniumq; rationum vsu receptum: ad hæc enim portoria exigẽda sedebat D. Math. in Thelonio apud Capharnaum: imo hæc erant vectigalia illius temporis, de quibus B. Pau. *Cui vectigal, vectigal, &c.* Ex quo vetustissimo vsu & consuetudine sic argumentor. Portoria maritima iure gentium sunt recepta, & iusta simpliciter & secundum se, nisi aliqua ratione & culpa publicanorum vitientur: sed portoria quæ exigũtur vel in terminis Regnorum, vel à transeuntibus per aliquos pontes, portas, vel vias, eiusdem omnino rationis sunt cum illis maritimis, eadem auctoritate imposita, in eũdem vel similem finem, in eisdem vel similibus rebus. Ergo.

Argumenta in oppositum nullam habet vim. Ad primum respondeo. Nos non obligare exteros, ad scienda statuta quæ sunt in aliis Prouinciis, & Regionibus, sed supposito quod illa sciant, vel suspicentur, & habeant quos interrogent, quod frequentissimum est, teneri ad illa persoluenda, cum iusta sint, etiam si non exigantur: sicut diximus de vectigalibus iustis. Adeo vt sit definitum, non teneri exactorem ad admonendum deferentem merces, sed debere ipsum illud inquirere, cum adeo commune sit, & communi vsu omnium gentium receptum solui portoria, vt vix reperiri possit maxime inter mercatores qui illud ignoret. Vnde dicitur C. fin. §. Diui. ff. de Publica. *Diui quoque Marcus & Commodus rescripserant, non imputandum Publicano, quod non instruxerit transgredientem, sed illud custodiendum ne decipiat profiteri volentem.* Quod si non est imputandum publicano quod non instruxerit, certe non tenetur exigere, & ex consequenti debentur etiã si non exigãtur, Quod si transiens per pontes vel transferens merces omnino ignorauerit, & inculpabiliter illa portoria deberi, tunc excusabit eum illa ignorantia inculpabilis, nisi ab eo exigãtur, quandiu manserit in ignorantia illa, cum primum autem intellexerit illa persolui, & se illa debere, tenebitur quærere exactorem cui pertinent, & illa persoluere. Restitutio enim non solum faciẽda est ratione iniquæ acceptionis, verum etiam ratione rei alienę, quam primum quis deprehendit se alienum detinere.

Ad secundũ respondeo, Aliud esse prodere turpitudinem suam & culpas, quas sequitur infamia, aliud vero prodere ignobilitatem quæ nec culpa reuera est nec infamia, sed quidam inferior status hominum, propter quem nulla incurritur infamia vel contemptus; ad prius illud nemo tenetur ratione alicuius pecuniæ persoluendæ, quia cum propria infamia nemo tenetur pecuniam alteri restituere, præstat enim bonum

nomen

nomen multis diuitiis. Et in hoc sensu dixit D. Chrysost. *Non dico vt te ipsum prodas*, idest tuam turpitudinem & culpas quæ te reddant infamē. At cum nobilitas nil aliud sit quam temporalis quædam æstimatio, à qua nec virtus nec fama pendet, imo iuxta dictum B. Agathæ. *Vera nobilitas est quæ moribus comprobatur*, tenetur qui vere nobilis non est suam ignobilitatem prodere, & iustas gabellas persoluere, quis enim dubitat, ficta nobilitate ex spoliare Principē vel Rempub. vectigali iusté illi debito iniquum esse?

Ad vltimum dico portoria aut vectigalia quæ fuerint iniusta, aut de quorum iustitia á prudentibus dubitatur, non esse persoluēda. At quæ iusta sunt, nec Driedo, nec alius qui bene sentiat, negabit soluenda esse, vt ex dictis constat.

Controuersia Tertia.

AN TRIBVTVM ALCAVAlæ *debeatur in foro animæ.*

HOC tributum seu vectigal cepit tempore Alphōsi vndecimi Regis Christianissimi, cui inter alia referunt hæc beneficia Deum contulisse, vt cū Tarifam à Mauris recuperare niteretur, miraculosa Crucis apparitione, exercitus eius fuerit ad bellandum incitatus: cuius rei dies festus agitur Castellæ trigesima die Octobris in sanctissimæ Crucis honorem. Et cum alio bello obsedisset locum Gibraltar vt inde Mauros etiam expelleret, pestem illius exercitum inuasisse, nec propterea obsidionem tollere voluisse, quod ea sublata hostes viribus auctis & accersitis aliis Mauris Africanis qui à Gibraltare parum distant, totam Hispaniam destruxissent: quin etiam nec ab exercitu recessisse vt suam personam regiam tueretur, sed ibi eadem peste percussum feria 6. in Parasceue quo die mortem Seruatoris nostri fideles celebramus è vita discessisse.

Hic ergo sanctissimus Rex habito Concilio Episcoporum, Magnatum, & prudentū sui Regni, omnium consensu, quia decima illa Regia aliiq; reditus & tributa quæ ipsi ex more persoluebantur, non sufficiebant ad expensas tot bellorum, quæ cum Mauris, religionis Christianæ caussa gerebat, statuit vt omnes subditi ipsius tam Ecclesiastici quam seculares, tam nobiles & ingenui quam ignobiles & rustici, omnium rerum quas venderent, vel permutarent, decimam partem illi exiberent. Quod tributum, quia loco eorum quæ Regi ex more reddebantur, nec sufficiebant ad bella, fuit impositum, vt hac via Rex haberet sufficienter, dictum est Hispane *Al que vala*: idest aliud tributum quod valeat ad sumptus, & expensas Regis modo voce corrupta dicitur *Alcauala*, Postea tēpore Ioann. 1. & 2. & Hērici. 2. 3. & 4. in quo linea recta Regum Castellæ per viros cessauit, cum bella contra Mauros magna ex parte cessassent, cepit etiam hoc tributum decrescere ac cessare.

Sed Rege Ferdinando Catholico qui Isabellam Henrici Quarti filiam in vxorem duxit, & in quibus hæc duo Regna Castellæ & Aragonum iuncta fuere, ortis multis bellis ciuilibus cum Rege Lusitano prius, deinde cum mauris, maxime ad recuperandum Regnum Granatense, & restituendam in eo Christianam Religionem, tributum illud restituit multorum sapientum & prudentum vsus Concilio. Et ne aliquis scrupulus ipsi maneret, præcepit in suo testamento hæredibus suis, vt explorata diligenter huiusmodi tributi iustitia, si quid iniquitatis contineret, illud in integrū subditis restitueretur. Cui succedentes Piissimus Imperator Carolus V. & Philip. II. Rex noster Catholicus, quem Deus nobis & suæ Ecclesiæ ad multa secula seruet incolumem, hi Christianissimi Principes habito etiam multorum prudentum Concilio, nec tollendum, nec aliquid restituendū inuenerunt: Nihilominus propter multas imperitorum & vulgi querelas de ipsius iustitia hic à nobis disserendum est.

Huiusmodi Gabella vt optime obseruat Soto lib. 3. de iust. q. 6. ar. 7. nec simpliciter & omnino est tributum, nec omnino vectigal, nec omnino collecta, imo cum omnibus aliqua ex parte conuenit: nec mirum cum omnium fere gabellarum quæ Regi persoluebantur vicem gerat: ideo enim dicitur *Alcauala*, quia valet pro omnibus. Etenim si materiam respicias vel finem, habet speciem & tributi, & vectigalis, & collectæ: Tributi quidem, quia soluitur ex fructibus terræ nascentibus in sumptus regios, & in expensas bellorum; Vectigalis, quia soluitur etiam ex mercibus quæ vehū tur, & non solum ad bellicos sumptus verū etiam ad reficiendos pontes aptandas vias, & alia publica ædificia: Collectæ vero, quia communi consensu omnium Episcoporum, Magnatum, & nobilium qui cum Rege

Rege illo Alfonso vndecimo aderant, fuit introducta, soluiturq; ex his quę defferuntur ad proprios vsus, & ab omnibus, cuiuscunq; ordinis & status sint.

An autem iustum sit hoc tributum controuersum est. Soto circa illud tria habet. Primo iustum esse qua parte exigitur ex mercibus, & his quæ defferuntur gratia negotiationis, ex his vero quę emuntur ad proprios vsus illud persolui, dubitat maxime an sit iustum, propter argumenta illa quibus diximus Caiet. & alios docere non deberi vectigalia, ex his rebus quibus vtimur ad proprios vsus: & hanc partem reliquit Soto maxime anbiguam. Secundo ait Magnates & dominos qui hoc tributum à suis subditis exigunt ex Regis priuilegio & concessione, quia illud vel emerunt, vel gratis ob suorum stemmata, & preclare gesta à Regibus obtinuerunt, inique agere, si illud cum rigore exigant. Hanc vocem cum rigore explicat Bartho. Medina si in integrum exigant, nempe decimam partem, quod si moderate (id est) vigesimam vel trigesimam iustum esse, & persoluendum. Ita refert Ludo. Lopez in suo Instruct. p. 2. cap. 16. in fine. Ait tertio Soto si vectigal hoc ab exactoribus cum rigore postuletur, id est in integrum, sat esse persoluere illud, quando exigitur, & non aliter: Si vero moderate, id est in vigesima vel trigesima parte, soluendum esse omnino. Hæc Soto.

Medina Complut. Cod. de rebus restituend. quæst. 15. obiter, & apertius Cordubensis in suo tractatu de Casibus conscient. quæst. illa 95. & Ludo. Lopez loco cit. Couarru. Regula peccatum §. 5. numer. 5. volunt vna cum aliis doctissimis viris tributum istud iustum esse, & persoluendum, nec licere alicui eludere exactorem: soluendum autem esse, vel integrum, vel in ea parte, & eo modo, quo solet ab omnibus persolui iuxta patriæ & loci consuetudinem. Cuius sententiæ illud est potissimum fundamentum quod sit iustum tributum, vt pote à Christianissimis Principibus institutum, & obseruatum quotiescunq; bellis vrgentur.

Ex recentioribus non desunt qui vulgi querellas auscultantes damnent hoc tributum, saltim iudicent maxime dubiũ, nec persoluendum. Primo quia impositũ à Rege Alfonso Vndecimo ad bella Tarifę & Gibraltaris, quibus absolutis, aut cessauit omnino, aut certe magna ex parte decreuit. Similiter cum deinde fuerit restitũ á Ferdinando Rege Catholico ad bellum granatense, illo absoluto debuit etiam vel cessare, vel ex parte remitti. Secundo videtur iniquum aut saltim maxime dubium, quia soluitur toties quoties res vẽditur: quo fit, vt aliquando tributum hoc sepius solutum excedat valorem rei, quod est iniquum: Soluitur & de rebus quæ deseruiunt ad proprios vsus, in quibus vectigal aut tributum collocare omnes doctores iniustum iudicant. Tertio exigitur à nobilibus, quos liberos esse constat, & à quibus exigere videtur iniquũ. Deniq; exigitur etiam non solum quando res vẽditur, verumetiam quando commutatur, quod à iustitia & æquitate quis nõ videat esse alienum. His argumentis nituntur hi ostendere de huius tributi iustitia prudenter dubitari, & ita non esse persoluendum, tamquam prudenter & rationabiliter dubium.

Alii ex eisdem recentioribus volunt tributum hoc quando exigitur iuxta patrię consuetudinem soluendum esse, quod si non exigatur, modo non interueniat mendatium vel fraus, non esse persoluendũ, maxime elapsis 14. mensibus: quia leg. 120. & 129. in legibus quas vocant Quaternionis habetur: vt venditor vel commutator cuiuscunq; rei teneatur exactori res illas manifestare intra 15. dies, quod si exactor fuerit negligens in tributo isto de re sibi manifestata exigendo, transactis 14. mensibus non possit vocare venditorem illum aut commutatorem in iuditium. Hac lege sentiunt hi deobligari ciues post 14. menses à solutione istius tributi, quando â ministro vel exactore non postulatur. Sic enim videntur colligere: Quod iustè debetur, quocumq; tẽpore licet petere in iuditio, cum quouis tẽpore debeat Iudex equitatis & iustitię seruandæ inter ciues fidelis executor & minister esse: vnde si tributum istud Alcaualæ absolute & omnino deberetur, & elapsis illis 14. mensibus: liceret profecto ministris constitutis á Rege ad illud colligendum & recipiendum, quantumuis isti 14. menses elapsi essent, exigere, ac postulare illud in iudicio: hoc autem eis non licet: sequitur

ergo aperte, elapsis istis 14. mensibus á lege constitutis omnem obligationem, & debitum persoluendi tributum istud, seu vectigal Alcauale, vi eiusdem legis tale tempus ita præscribentis omnino cessasse, nec manere eos qui fideliter suas merces publicanis istis & exactoribus manifectarunt, vbi ab eis per totum istud tempus 14. mensium non exigitur, ad soluendum aliquid deuinctos.

Nos inter adeo varias DD. opiniones per subiectas cõclusiones aperiemus quid in hac controuersia sentiamus. Sit prima. *Tributum hoc Alcaualæ iustum est, ac in conscientia persoluendum iuxta loci & patriæ consuetudinem.* Probatur, quia concurrunt in eo quæcunq; desiderantur ad iustum vectigal. Imprimis authoritas Principis vt constat. Secundo debitus finis & vsus, nempe tot necessitates bellorum, quibus sine isto tributo impossibile erat Regi occurrere. Vnde potest summi hæc ratio. Quando antiqua tributa & vectigalia non sufficiunt necessitatibus publicis quæ occurrunt, iustum est & necessarium, vel noua instituere, vel precedentia augere, creuerunt autem bellorum necessitates, ad quas leuandas cetera tributa regia in hoc conuersa sunt, nec illæ priores cessarunt, imo plures & maiores quotidie offeruntur: ergo iuste exigitur, quod si iuste exigitur ex debito fine & vsu, debebitur etiam in conscientia. Sunt enim hæc relata, iuste aliquid à superiore exigitur, ergo debetur illud ab inferiori.

Est debita materia: merces & res quæ venduntur, & consequenter debita forma: nec obstat quod persoluatur etiam ex his quæ deseruiunt propriis vsibus, vt vidimus, & rursum videbimus. Ergo.

Secundo, Hoc tributum fuit pactum & conuentio inter Regem Alfonsum, & Episcopos ac magnates qui totius regni vices gerebant, cum enim cætera non sufficerent, fuit communi consensu constitutum, vt omnia tributa quæ Regibus solebant persoluere in hoc conuerterentur, qua ratione auctum sufficeret: at pacta & conuentiones nisi vtriusq; partis consensu infirmentur, suam semper retinẽt vim, nullibi autẽ legimus consensisse Reges vt vis & obligatio huius tributi cessset, etiam si aliquando remissius aliquando vero arctius illud exigant, iuxta temporum necessitates.

Secunda Conclusio. *Hoc tributum Alcaualæ iuste etiam exigitur ex rebus quæ emuntur ad proprias necessitates, nec propterea de ipsius institia dubitandum est, sicut dubitat Soto in hac parte,* Prob. Hoc tributũ non modo habet speciem tributi & vectigalis, verumetiam collectæ: cum non solũ Regis Alfonsi authoritate, verum etiã omnium Magnatum qui vices regni gerebãt communi consensu fuerit impositum: at collectæ quæ communi populi consensu instituuntur, possunt in quibusuis rebus constitui, etiam in his, quibus vescimur & vestimur, ergo.

Secundo, quando necessitas noua se offert, & mercaturæ sunt nimium grauatæ, licet noua tributa vel vectigalia quibus illa noua necessitas leuanda est, in aliis rebus imponere, & in his quibus vtimur; sic se habet hoc tributum propter ingentes bellorum necessitates. Ergo.

Tertia Conclusio. *Magnates & domini locorum qui ex priuilegio aut quauis alia via possint exigere a suis subditis hoc vectigal in suis locis, non possunt illud aliter exigere, nec subditi tenentur aliud soluere, nisi quod communiter soluitur, & in ea quantitate, eoq; modo, quo à Vassallis Regis persoluitur exactoribus Regiis.* Vnde cum experientia teste, Rex per conuentionem quam habet cum suis Regnis & Ciuitatibus, quam vocant, *El encabeçamiento,* non recipiat, nec exigat in integrum hoc tributum, sed communiter vigesimam aut trigesimam partem, nec Magnates nec Domini locorum debent amplius exigere, vel recipere à suis subditis, nec tenentur subditi aliquid amplius aut alio modo persoluere, quam soluant subditi Regis. Probatur conclusio: Delegatus loco & vice alterius non habet maius vel amplius ius, quam habeat ille cuius personam reffet, isti Magnates & Domini quacunq; via possint Alcaualã à suis exigere, exigunt illam vice & loco Regis, eius personam in hac parte ex ipsius concessione referentes, ergo non possunt exigere vel recipere plura quam Rex communi consuetudine à suis recipiat. Imo vt verum fatear, deberent si æquitatis leges seruare vellent, multo minus. Primo quia ipsi non habent hoc ius, *Del encabeçamiento,* idest compositionis & conuentionis cum populo, quod habet

habet Rex. Secundo non sustinent bella, & labores quos sustinet Rex. Tertio habent ipsi ac recipiunt alia iura ex fructibus suorum locorum præter tributum Alcaualæ, quæ non recipit Rex. Vnde cum non habeant alium titulum ad hoc tributum, nisi concessionem Regis, qui ea solum illis concessit quæ ipse reciperet iuxta communem vsum, & consuetudinem, habeant vero minora onera quam Rex, deberent profecto multo minus recipere quam Exactores Regij.

Quarta conclusio. *Per leges illas Quaternionis non liberatur defraudans Alcaualam ab illius solutione iuxta patriæ consuetudinem, etiam si elabantur illi 14. menses, vel plures.* Ita Corduba, & Lopez locis citatis.

Ad hanc conclusionem intelligendam obseruare oportet, leges illas non loqui cum publicanis, & ementibus istud ius, qui siue illud exigant á priuatis siue non, tenentur reddere pretium, quo emerunt istud vectigal, vel simile: sed loquitur cum collectoribus, & ministris constitutis ab ipso Rege ad recipiendam Alcaualam, vel à ciuitate, vbi ciuitas conuenit cum Rege, & obseruatur conuentio quam vocant, *El encabeçamiento*: His enim præcipitur, vt si admoniti à venditore desides fuerint per 14. menses in exigenda Alcauala, non possint deinde illam exigere in iuditio. Quia cum sit constitutus publicus scriba, qui fideliter notet eos omnes, qui manifestant res quas vendunt, vel permutant, si collector, & minister aliquos incuria culpaq; sua dimisserit, iure compellitur ex propriis illa persoluere: vt hac ratione debitam adhibeat diligentiam, & fidelitatem, nec cum aliquo ex amore, vel alio humano afectu iniqua gratia vtatur.

Hoc posito facile probatur conclusio. Leges istæ tantum prohibent collectori ne possit alicui cōdonare istud tributum, aut cum eo dissimulare, aliter soluat ex propriis, vnde conditæ sunt, vt diligentius exigatur, & persoluatur, quod autem institutum est vt diligentius persoluatur vectigal, non reddit liberum debitorem ab illius solutione: quia sicut quod pro charitate, vel iustitia institutum est, vt ait D. Bernardus contra charitatem, vel iustiam militare non debet, ita quod pro vectigali, & in eius fauorem institutum est, contra ipsum militare non debet: ergo tenetur venditor etiā si illi 14. menses labantur, illud persoluere. Et confirmatur. Istæ leges tantum prohibent collectori actionem in iuditio in pœnam suæ negligentiæ, ita vt teneatur soluere ex propriis, pœna ministri non reddit debitorem liberum, ergo cum Alcauala simpliciter debeatur, vt vectigal iustum, simpliciter & absolute, quidquip sit de illis 14. mensibus, persoluenda est.

Ad argumenta illorum qui putant non persoluenda, nunc Respondeamus.

Ad primū dico, Alcaualam fuisse introductam ad illa bella quę gessit Alphonsus vndecimus, & ad similia quæ sese offerrent. Vnde á Ferdinando Rege Catholico fuit similiter restituta, quia alia deinde illi sese obtulerunt. Qua etiam ratione iuste quoque exigitur a nostro Rege Philippo, qui pro fide, & bono communi tot bella, & adeo difficilia sustinet: Cōstant enim non modo vectigal iustum esse, durante primeua causa, verumetiam licere illud protrahere, si alia similis in Repub. occurrat.

Ad secundum dico. Illud esse per accidens, neque esse incomodum peculiare, & proprium huius tributi solius, sed omnibus mercibus quæ venduntur, si quod vectigal quantumuis iustum & necessarium existat, posse hoc accidere: toties enim merxs aliqua vendi potest, vt vectigal multoties repetitum ęquet, vel superet valorem illius.

Ad tertium dico, non esse incomodum, vt soluatur ex rebus ad proprios vsus. Tum quia tributum hoc (vt diximus) collecta etiam est, consensu totius Regni imposita in prima sui institutione tempore Alphonsi vndecimi. Tum quia cum loco aliorum tributorum persoluatur, si in solis merciniōnis esset constituta grauarentur plus nimio, nec posset illud ferre mercatura, cessaretq; omnis negotiatio in Hispania: ad quod damnum vitandum, licet in his etiam rebus quæ sunt ad proprios vsus, constituere vectigalia, vt vidimus.

Ad quartū dico nullum esse incommodum. Primo, quia collecta, cum totius populi consensu constituatur, ab omnibus sæcularibus debetur, siue nobiles sint, siue non, nobilitas enim tan-

tum liberat à censibus & tributis quæ persoluuntur in signum subiectionis, non autem à Vectigalibus vel collectis quæ imponuntur pro publicis necessitatibus, quibus omnia Reipub. membra debent subuenire, ac propterea etiam nobiles qui sunt præcipua Reipublic. membra. Secundo, quia in prima institutione Alcaualæ omnes in eã, consenserunt, tam nobiles quam ignobiles, promiseruntq; se Regiis sumptibus & bellis ea via auxiliaturos, posito autem tali consensu manent debitores. Quantumuis enim nobiles & clari sanguinis, si tamẽ consentiant in aliquod vectigal, & offerant se illud persoluturos, vi talis consensus tenentur illud persoluere, nec gaudent tunc priuilegio suæ nobilitetis, nec immunitatis qua nobiles gaudere solent.

Tertio quia cum hæc exceptio nobilium non sit à iure naturali vel diuino, sed ex priuilegio & concessione Regia, potest Rex quando ita postulauerit publica necessitas, præcipere & statuere, ne durante illa necessitate tali priuilegio & exemptione vtantur, sicut potest Pontifex Clericis licet immunes sint & exempti à solutione vectigalium, vt illa soluant indicere, nec sua exemtione & immunitate vtantur, quando publica & communis necessitas ita postulauerit, cum pro bono communi non solum bona temporalia, verumetiam vita ab omnibus ciuibus cuiuscunque ordinis & status existant, exponi debeat.

Duplex se hic offert dubitatio. Prior est.

Quando quantitas tributi ex vna parte est iusta, ex alia vero iniusta, sit ne soluendum illud tributum in integrum? vel liceat potius defraudare illud tamquam iniustum ratione partis iniustæ. Facile est huic dubio respondere, vt quemadmodum in pretiis rerum si excedant quod iustum est, & in debitis, si creditor plus postulat quam vere ipsi debeatur, soluendum quidem est quod iustum est, reliquum vero commodiori via qua licebit, & citra scandalum defraudari potest, ita vt propter excessum vendentis vel creditoris nullomodo liceat in iusto rei valore, vel in iusto debito illos defraudare, ita quoque vectigal & si aliqua ex parte sit iniustum, non propterea licebit eam partem quæ iuste exigitur retinere, sed illa vt iusta persoluenda est, ea quæ iniusta est & in qua vectigal excedit, commodiori via qua citra scandalum fieri poterit, non soluta.

Alia dubitatio est.

An quando exactores vectigalium nolunt in portis vel duanis explorare merces quæ vehuntur, nec pretium & valorem earum, sed id relinquunt dicto & fidei ipsorum defferentium illas, num teneantur hi omnino veritatem aperire, tam circa quantitatem mercium, quam circa earum valorem? Respondent communiter Doctores Nauarr. capit. 17. numero. 203. Medina de rebus restituen. quæstion. 13. Lopez in suo instruc. p. 2. capitu. 37. quæstio. 3. Corduba illa quæstion. 93. vbi citat Scotum, Driedonem & alios M. Blasius de Vectiga. capit. 7. distinguendum esse, nam vel hi exactores committunt illud dicto & fidei mercatorum, obtestantes eos vt sub iuramento aut in fide suæ conscientiæ verum dicant, & tunc certum est istos teneri ad verum in integrum explicandum: quia cum illi habent ius ad id exigendum consequenter delator mercium tenetur verum simpliciter dicere, cum exactor aperte indicet animi sui esse vt veritas sibi omnino manifestetur, aut contra dicunt exactori vt ipsemet exploret & quantitatem mercium & earum valorem. Si in priori casu mentiantur peccant morta. quia est mendatium in re graui, & tenentur ad restituendum illud omne quod occultauerint, & in quo defraudarunt iustum vectigal. Potest etiam accidere, quod sepe fit, vt exactores committer & vrbanè committant ipsis mercatoribus quantitatem & valorem mercium, vtanturq; verbis quibus insinuent amice secum agere: tunc licet mercatoribus occultare aliquã partem sine graui defraudatione & damno publicani, quia eo ipso quo ita vrbane & amice committit exactor rem mercatori, significat se contentum esse ea quantitate & valore quam mercator affirmauerit. Quod solent isti præstare in suam vtilitatem, vt hac vrbanitate & comitate allecti mercatores & delatores mercium, ad suas ciuitates, & loca

& per

& per suos portus, & duanas frequentius merces deferant, & frequentius ab eis vectigalia recipiant. Dixi sine notabili defraudatione & damno, quia nemo est censendus sua vrbanitate, & comitate concedere alteri, vt sibi grauiter noceat, sed solum velle aliquam tantum partem sine graui iactura illi remitere. In his vero rebus quæ superiorum lege & præcepto prohibitæ sunt ex vno regno vel loco in alium transferri sub aliqua pœna, cum pœna illa vere pœna sit, & non vectigal, transgrediens præceptum illud peccat quidem mortal. aut venial. secundum grauitatem rei vel poenæ, non tamen tenetur ad luendam illam poenam nisi accedente iudicis cōdemnatione. Quia ad soluendam poenam nullus tenetur nisi prius condemnatus, vt habetur 12. quæstion. 2. Can. Fraternitas. & nos supra docuimus. In rebus autem quæ non prohibentur omnino extrahi à regno, sed præcipitur tantum, vt qui voluerit eas extrahere soluat aliquam pecuniam, quo illi talis facultas concedatur; cum hæc pecunia non sit pœna, sed velut impositio à Rege constituta, soluenda est à quocunq; rem illam exrrahente.

DE GABELLIS QVAE in hoc Regno Valentiæ Regi nostro persoluuntur.

PERSOLVVNTVR in hac nostra Ciuitate & Regno Valentiæ triplices Gabellæ, quædam Regi ipsi, Aliæ Magistratibus, quibus totius Regni cura cōmissa est, quos vocamus Deputatos, Aliæ vero Magistribus quibus priuatim incumbit huius ciuitatis regimem, & gubernatio, quos appellamus Patres juratos. De singulis suo ordine nūc dicamus oportet, ac quā vim & iustitiam habeant exploremus.

Regi imprimis in hac ciuitate triplex tantum gabella seu tributum persoluitur. alterum quod vocatur pedagium, alterū cui Hispane nomen est *La quema*, alterum quod vocatur, *El quinto del pescado, y diezmo del mar.* Pedagium soluitur ex omnibus mercibus quę vehuntur, & deferuntur negotiationis gratia, est autem ius pedagii recipere quatuor denarios Valentinos pro valore 20. solidorum. Cęterum an hoc vectigal iustum sit, & in foro animę persoluendum res est controuersa.

Controuersia Prima.

AN PEDAGIVM DEBEATUR in conscientiæ iuditio.

NON desunt, vt refert Medina Compluten. Cod. de rebus restit. q. 14. qui censeant, illud etsi aliquando iustum fuerit, modo tamen nō esse persoluendum, in quam sententiam ducuntur his rationibus.

Primo Pedagium, vt vidimus ex D. Thom. lib. 1. de Regimine Princip. cap. 12. soluitur propter expensas quas faciunt Princeps, vel Respub. in adaptandis viis, & reddendis illis securis ac tutis, cum hoc maxime expediat bono communi, comerciis hominum, & abundantię ciuitatum, quo nomine, & qua de causa hoc pedagium quod persoluitur Regi in hac ciuitate, & de quo hic agimus, asseritur à peritis horum vectigalium fuisse institutum, vt pote, vt via quæ ducit à Valentia Requenam, & alię similes huius Regni, in quibus maxima erant inuasorum pericula, redderentur securę. At hęc ratio, & causa cesauit omnino, tum quia huiusmodi vię satis securę redditæ sunt, & liberæ à periculis, tum quia si quę adhuc in eis maneant pericula, non videmus Regem, vel erectis turribus, vel adhibitis custodibus securitati huiusmodi viarum intendere, vel quid simile in hunc finem præstare. Et confirmatur ex D. Thom qui loco cit. habet aperte. *Si Principes curent vias securas esse, & custodibus muniat, iuste ab illis exigi pedagia, ipsisq; deberi: si vero illud non curent, iniuste ab ipsis exigi.*

Secundo. Pedagium quod iustum est, sicut instituitur in communem omnium vtilitatem (cum omnibus expediat vias esse securas) ita quoque debet ab omnibus persolui, at vicini huius ciuitatis Valentinę, non persoluunt illud, sed soli regnicolæ, & ex his non omnes, sed hi solum qui carent quodam priuilegio, quod vocatur Hispane *Franqueza*, vnde videtur in huiusmodi vectigali non seruari æquitas, & iustitia.

Alii vt Medina quæst. illa 14. citata. Cordub. q. illa 95. & Lopez lib. citato, c. 37. docent hoc nostrum pedagiū esse iure persoluedum, eo quod antiquissimū sit, & ex immemorabili consuetudine per-

 soluatur

soluatur in hoc Regno. Quod si modo nõ ita aperte appareat in quem vsum conuertatur, certo tamen credendum esse, aliquam habere iustam caussam, & conuerti in aliquod bonum commune: idq; sufficere vt subditi teneantur illud persoluere. Fundamentum huius sententiæ est doctrina illa eiusdem Medinæ, quam supe rius articul. 3. contro. prima satis abunde confutauimus: nempe ex sola immemorabi consuetudine deberi vectigalia, etiã si nulla iam eorum caussa existat, vel appareat.

Magist. Blasius, in suo opusculo de Vectigal. cap. vltimo agens de hoc nostro pedagio Valentino docet tria. Primo, pedagia institui ad aptandas vias, & reddendas securas. Secundo, hoc nostrum pedagium antiquissimum esse, & absq; dubio credendum esse fuisse in hunc quoque finem institutum. Tertio, cessante omni caussa pedagii, ita vt neq; conuertatur in illum vsum ob quem fuit iniustum, neq; in vllum alium in ordine ad bonum cõmune, cessare quoque omnino iustitiam pedagii, peccareq; Principes illud exigẽtes, & teneri ad compensanda omnia damna subditis subsequuta: eo quod omiserint ea præstare ac efficere propter quæ pedagia illa fuere imposita, & consequenter non teneri subditos ad illa persoluenda. Quam sententiam confirmat ex D. Tho. loco citato D. Anton. p. 2. tit. 10. ca. 13. §. 7. & 8. Sylu. verb. Gabella c. 3. Medina Cod. de reb. restituen. q. 14. & Driedone lib. 3. de libertate Christiana c. 5. Nõ tamen explicat priuatim. An hoc pedagiũ nostrum Valentinum, cum reuera iam nõ conuertatur in aptandas & asecurandas vias, conuertatur ne in aliquod aliud bonum commune, tum etiam, an sit in concientia persoluendum.

Nos vero cum diligenter curauerimus huius vectigalis vsum deprehendere, reperimus conuerti illud in stipendia ministrorum quibus vtitur Rex in hoc regno, & varia præmia quæ conferuntur ab eodem, vel nobilibus, vel vxoribus aut filiis eorum, qui strenue bono communi in bello vel pace inseruierunt: quæ præmia illis exhiberi æquum est, & dignitatem ac pietatem regiam maxime decet. Estq; vtilissimum bono communi, vt ea ratione excitentur alii ad similia prę standa, sicut vtile est Reipub. puniri delinquentes, vt cæteri timeant. In hos autem vsus conuerti perspicuum est, quia omnis pecunia quæ ex hoc vectigali colligitur deffertur ad Balliuum vel receptorem Regium. Soluunturque ex ea ab ipsis tam stipendia ministrorum, quam præmia aliorum quæ diximus.

Quo posito, quod certissimum est tam quam à viris fide dignis acceptum, duo inde colligo. Prius est iuste à recte exigi, & esse illi persoluendum. Primo, quia est impositum authoritate Principis, quã casu quo deesset supplet immemorabilis consuetudo, cum hæc vt vidimus articu. 2. sufficiat ad exigendum. Secundo, habet iustam causam & debitum vsum, cum conuertatur in stipendia & præmia quæ modo exposuimus, debitam etiam materiam cum exigatur ex solis mercibus, & debitam consequenter formam. Alterum est cum propria caussa huius vestigalis sit viarum securitas, & propter eam ab initio fuerit institutum, quamuis progressu temporis illa necessitate cessante in aliam quam proposuimus fuerit commutatũ, teneri nihilominus Regẽ vel eius ministros iuxta necessitatem temporum, quando scilicet aduentantibus insidiatoribus redderentur vię parum securæ, custodibus illas munire: ita vt nisi id pręstiterit teneatur ad reficienda omnia damna, quæ ex defectu huiusmodi custodiæ acciderent itinerantibus.

Argumenta initio posita nullam habent vim. Ad primum enim, respondeo institui quidem pedagium ad assecurandas vias, sed ea caussa modo cessante successisse alteram, quæ non minus deseruit bono communi, & eam sufficere vt vidimus: Locus ille Diui Thom. intelligendus est quando pedagia exiguntur, sed nec custodiuntur viæ, nec pecunia illa conuertitur in aliquem alium vsum bono cõmuni vtilissimum.

Ad secundam opinionem Medinæ & Cordubæ dico verum illos docere, qua parte asserunt persoluendum esse hoc pedagium, falsum tamen esse quod docent persoluendum esse ob solam immemorialem consuetudinem exigendi illud, etiam si nulla caussa existat in quam conuertatur, quia vt contra Medinam ostendimus immemorialis consuetudo supplet quidem vicem & deffectum Principis & authoris illius, vt recte docuit

Caietanus, non tamen defectum caussæ, imo sicut in vectigali de nouo instituendo præter authoritatem imponentis illud, exigitur etiam iusta causa, similiter in antiquo præter immemorabilem consuetudinem desideratur quoque iusta causa: vel illa primæua propter quam fuit institutum, vel alia similis & vtilis Reipub. Vnde pedagium hoc affirmamus, esse persoluendum non solum ob suam antiquitatem & immemorabilem consuetudinem exigendi illud, verumetiam quia conuertitur in optimos & publicos vsus, vt constat.

DE VECTIGALI QVOD *dicitur Quema.*

EX his quæ dicimus de hoc pedagio, licebit iudicium ferre de Gabella quæ dicitur, *Quema*, Hanc Gabellam iudicauimus & nos aliquando iuxta multorum sententiam aut iniustam, aut saltim maxime dubiam, eo quod nulla iam appareat illius iusta caussa; cepit enim in illis simultatibus, quæ fuerunt inter Beticos & vicinos Aragonum, in quibus combusserunt Betici quandam partem domus Regiæ, quam incolunt nunc Pro reges huius regni: tunc enim ad damnum illud compensandum, & reficiendam illam domum fuit impositum hoc vectigal, quo pro valore viginti solidorum ex omnibus mercibus, quæ vel ex Castella huc inferuntur, vel ex hac ciuitate deferuntur in Castellam, soluuntur tres denarii. Cæterum cum ex pecunia ab huius vectigalis institutione vsq; ad hæc nostra tempora collecta potuerit domus illa sæpius ædificari, nec vlla alia caussa appareat, quæ illi successerit, visa fuit cessasse omnino eius caussa tam in genere quam in specie, & consequenter vectigal illud nulla ratione deberi. Ita Ludouic. Lopez in suo Instruct. part. 2. capit. 37. & Cordub. quæst. illa. 95. vbi afferunt in eandem sententiam Gabrielem in 4. distinct. 15. quæst. 5. Angelum in verb. Pedagium §. 6. Syluest. verb. Gabella. c. 3. q. 8. & 9. Caietan. in summa in verbo vectigal.

Re tamen diligentius explorata deprehendimus, vectigal hoc dictum, *La quema*, etsi primæua caussa propter quam fuerat institutum cessauerit, reuera tamen conuerti in eosdem vsus in quos pedagium, esseq; omnes pecunias istas tam quæ ex pedagio quam quæ ex ista, *Quema*, colliguntur, ad illa stipendia, & premia, aliasq; publicas expensas regias, quæ in vtilitatem huius regni fiunt, necessarias. Qua de caussa affirmo iusté quoque illud exigi, & in conscientia deberi, Nec suspicetur aliquis obsecro, humano spiritu me in hanc venisse sententiã, vt ius regium defendam: inique enim profecto iudicaret & de Rege nostro, cui sola equitas diuinusq; cultus sunt in votis, & de me qui solius veritatis amore ducor, adeoq; debeo: ne si ab eo quod iustum & rectum censeo, vel latum vt aiũt vnguem recessero, infensum habeam supremum illum regem, de quo scriptum est, *Iustus Dominus & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.*

DE VECTIGALI QVOD *dicitur, el Quinto del pescado vel Diesmo de la mar.*

PRAETER duo ista priora vectigalium genera, recipit etiã Rex noster, in hoc Regno, vectigal quoddam, ex mari quod vulgo dicitur, *El quinto del pescado y el diesmo de la mar*, quod antiquissimum etiam est, & debitum, ac ad sumptus regios quos retulimus necessarium. Recipit enim Rex noster in hoc Regno, ex pedagio singulis annis vt plurimum, duodecim millia aureorũ: ex vectigali proxime præcedenti, dicto, *Quema*, quinque millia: Ex hoc tertio quatuor millia, quę in vnum collecta efficiunt, viginti vnũ millia. Quæ omnia ita conuertuntur in eos vsus, quos diximus, vt multoties non sufficiant, sicut ab his qui reditus Regios huius regni recipiunt viris certe fide dignis accepimus.

Controuersia Secunda.

AN GABELLAE QVAE *dicuntur Generale & nouum impositum debeantur in foro animæ.*

GABELLAE quæ persoluũtur Magistratibus constitutis & deputatis ad curandas necessitates communes & generales totius regni, duæ sunt potissime.

Altera antiquissima vocatur Generale, Alia noua aliquot ab hinc annis imposita in solo serico, diciturq; nouũ impositum, vtriusq; nunc iustitia & obligatio exploranda á nobis est.

Gabella Generalis quę toto hoc regno persoluitur antiquissima est, superatq; apud nos hominum memoriam quando inceperit, vnde prudenter creditur incepisse initio Regni; id est, quam primum illud fuit à christianis adquisitum; nec dubium, quia hoc vectigali leuantur cõmunes & publicæ necessitates regni. Quã primum enim hoc regnum fuit adquisitum, est certum habuisse suas necessitates, & cõsequenter illis ita exigentibus fuisse toto regno impositum, vnde vocatum est generale. Hoc vectigal ab initio persoluebatur in exigua quadam quantitate sex denariorum ex rebus quæ mercaturę causa deferebantur; deinde tempore Alfonsi tertii in comitiis habitis Sagunti cum proceribus huius regni auctum fuit ad nouẽ denarios in quibusdã mercimoniis, in aliis vero mansit in prioribus sex. Et in eisdem comitiis vt existimo cepit hoc quoque exigi ex his quæ ad vestitum scinduntur, modo confecta sint ex lana vel serico, nam linea libera sunt ab huiusmodi vectigali & quocunq; alio quando scinduntur; vocamus huiusmodi vectigal Hispanè *El tall* fuitq; ita impositum, vt pro singulis libris id est summa viginti solidorum solũ dẽtur duodecim denarii.

Deinde crescentibus communis regni necessitatibus visum fuit maxime oportere vt augeretur, sicq; fuit auctum vsq; ad denarios viginti vnum. Durauitq; in ea quantitate hoc vectigal per aliquod tempus. Sed deinde redactum est ad priorem institutionem duodecim denariorum sicque modo persoluitur. Regno magis aucto necessitatibusq; communibus ipsius crescentibus oportuisset profecto hoc vectigal augeri, Cæterum quia id fieri nõ poterat sine graui onere mercium, & damno negotiationis, propterea conuenerunt Magistratus hi quos vocamus Deputatos Maiores huius Ecclesiæ, & eos quibus incumbit cura status Ecclesiastici, vt in re adeo necessaria communem totius regni vtilitatem iuuarent, concesserunt illi iustę Magistratuum postulationi, ceperuntq; Ecclesiastici illud quoque persoluere ex communi eorum consensu.

Sed cum postea aliqui eorum reclamarent, & iniquum assererent hoc vectigal ab ipsis exigi, qui ab omni vectigali immunes ipso iure sunt, consultus Adrianus 6. initio sui pontificatus (cum peruenisset Cæsaraugustam vt in inde in Romam proficisceretur) ab Imperatore Carolo 5. anno 1522. & sui ponficatus anno primo in domo Aljafariæ die 14. Maii breue Apostolicum edidit, in quo præcipit omnibus clericis, vt hoc vectigal tamquam iustum ipsi quoq; persoluant, designatq; iudices in hac causa Canonicos illos qui solent singulis annis esse coniudices in rebus Ecclesiæ, facultatem illis tribuens quã per censuras compellant quoscunq; clericos cuiuscunque status ad illud persoluendum.

Iam in quos vsus conuertantur nõ erit difficile explicare. Deseruit potissime ad duo. Primum cum in hoc regno ex antiquissima & inmemorabili consuetudine Rex noster non recipiat tributum illud, quod vocatur decima regia ex fructibus & terrę nascentibus, sed loco huius tributi soleant illi persolui quotiescunq; celebrat comitia centum millia aureorum, ad hæc illi persoluenda colligitur hoc vectigal, ex ipso enim redditur Regi hoc obsequium & munus illi iustissime debitum, tamquam proprium illius tributum.

Deseruit Secundo, ad communem Regni huius defensionem, cum enim hoc regnum pateat innumeris insidiis & infensissimis hostibus christiani nominis, qui quocunq; tempore inuadunt oram hanc nostri littoris, & oppida mari adiacentia, exigitur necessario habeat hoc regnum in promptu omnia genera armorum & munitionum: ad quæ conficienda & paranda deseruit etiam hoc vectigal. Vnde habent hi magistratus erectam magnam domum plenam omni armoram genere, innumeris tormentis æneis, & cadis sulfurei pulueris, ex qua quotidie ad loca maritima quin & ad vicinas Insulas & regiones deferuntur arma militaria; tormenta ęnea, & copia istius sulfurei pulueris. Neque sola arma & instrumenta bellica pręstantur toti Regno & vicinis, verumetiam quotiescunq; oportet, & vbi oportet, necessitate aliqua vel incursu hostium exigente, congregantur milites necessarii, persoluunturq; illis sua stipendia ex hoc vectigali. Ex eodem quoq; in hac nostra ciuitate, & in locis regni vbi ita fieri oportet; eriguntur ageres, & arces, ac munitiones,

nes, & antiquæ quandoq; dirutæ reficiuntur, ac conseruatur, quæ omnia quam necessaria sint huic Regno oculis patet.

Tertio, cum antiquitus solum persoluerentur huius vectigalis sex denarii, & ex solis mercibus, & a solis secularibus, & Reges Aragonum frequẽtius celebrarent comitia horum Regnorum in quibus erant eis per soluenda illa centum millia aureorum; offerrentq; se aliẹ necessitates publicæ, nec sufficerent pecuniæ, quæ per hoc vectigal tunc exiguæ colligebantur, partim quia illa quantitas sex denariorum erat exigua, partim quia cum pretia rerum essent tunc vilia, & infima, parum debebãt plerẹq; merces, oportuit, á priuatis queri pecunias, ac sub annua pensione ab his Magistratibus persoluenda illas recipere. Ad hos cẽsus & annuas pensiones reddẽdas, quæ excedunt singulis annis sexaginta millia aureorum, & superarunt aliquando, oportuit maxime hoc vectigal ea ratione qua diximus augeri.

Præter hæc, vt ad alia multa quæ occurrere præter expectationem possunt, quibus nisi statim succurratur periclitaretur maxime regnum hoc de aliquo graui damno, necesse etiã fuit existere aliquod publicum ærarium; sicut in omnibus prouinciis, & Rebuspub. legimus, ad publicas necessitates extitisse. Dauid enim legitur imposuisse suis tributa, vt haberet ẹrarium, & magnam pecuniarum copiam ad erigendas arces, constituẽdas munitiones, & alia ædificia quæ Hierosolymis, & in Regno Israelis constituit, & ad expensas bellorum quæ sua ẹtate extiterunt. Quæ tributa permanserunt tempore Salomonis, peperuntq; illi magnas diuitiarum copias, cum tempore ipsius nulla fuerint bella in Israele, de quibus ait ipse, *Coaceruaui mihi aurum, & argentum, & substantiam Regum, & prouinciarum*. Vbi vocat substantiam Regum, & prouinciarum, tributa quẹ illi pendebant aliqui Reges, & vniuersæ Tribus Israelis. Nec repugnat his præcepisse Dominum Deuth. 17. *Non habebit Rex auri, vel argenti immensa pondera*: Hæc enim verba vt docet optime D. Thom. de Regimine Principum lib 2. c. 7. non prohibent quin Reges, & Resp. habeant ærarium ad cõmunes necessitates, sed solum ne habeãt illud ad sustentationem, & faustum tantum Regium, vel ad explendam suam cupiditatem, hoc enim tyrannicum esset: vt de Crasso referunt historiæ, propter quod Deo permittente captus à Rege Persarum Cyro nudus in alto mõte patibulo fuit affixus. In lib. quoq; Iudith. scribitur. Holofernem Principẽ militiæ Nabuchodonosoris quando inuasit Regiones Syriæ, & Cylitię cum magno exercitu, tulisse ex illis prouinciis multum auri, & argenti, quod erat in publico ærario ad bella paratum; Refert etiam Salustius sententiam Catonis in Catelinario asserentis. *Romanam Remp. plurimum profecisse, quandiu fuit Romæ publicum ærarium, eo vero deficiente ad nihilum esse redactam.* Additq; D. Thom. ibi. *In hoc corpore Reipub. ex sententia Philosophi ærarium velut stomachũ esse Regni, a quo diffundũtur quæcunq; sunt necessaria singulis huius corporis partibus.* His positis facile est de huius vectigalis iustitia iudicare.

Scio quidem Angelum, Nauarrum, & eos qui volunt nulla vectigalia esse in conscientia persoluenda, iudicaturos similiter de hoc vectigali, sed satis est in superioribus sententia ista confutata. In particulari vero nullum video eorum qui de hac re scripserunt, qui hoc nostrum vectigal Generale senserit nõ esse persoluẽdum. Anton. Cordub. & Ludoui. Lopez qui locis supra citatis de ipso agunt in particulari, & breuiter (licet in eo decepi sint, quod iudicauerint hoc vectigal in nostro Regno idem esse quod est Alcauala in Castella, cum reuera maxime differant, vt ex dictis constat) nec mirum cum loquantur a remotis, nec habeant in particulari exploratum quæ illi conueniant, & modo retulimus, asserunt tamen iustissimum esse, & persoluendum, seruãdasq; esse omnino circa ipsum leges, & consuetudines huius Regni. Idemq; sentiunt alii DD. Salmanticenses: quamuis assisia huius ciuitatis pleriq; eorum non probẽt, vt Bartholomẹus Medina, & alii, hoc tamen vectigal quod vocamus Generale iudicant iustum, & deberi. Apud nos audio nescio quos Theologos, vel confessarios de ipsius iustitia dubitare, & miror cum ipsemet vulgus conceptum habeat, vt certissimum, generale in conscientia deberi.

Sed sit conclusio.

Vectigal hoc Generale iustum est, & in conscientia persoluendum, ita vt illud defraudans vere committat furtum, & teneatur ad illius restitutionem.

A suo principio fuisse iustum probat M. Blasius, quia non constat oppositum,

estq; regula iuris: *Vnusquisq; præsumitur bonus quandiu non probatur malus*. Sed in his non solum hac via iustitia vectigalis habenda est, verumetiã ex natura ipsius: Vnde ab initio fuisse iustum ita ostendo: Vt vidimus art.1. huius disputationis, hæc duo tributum & vectigal simul extiterunt cum Regnis & Prouinciis, quia quã primum extiterunt Respub. eguerunt Gubernatione, defensione, & publicis ædificiis, ad quæ necessaria sunt tributa & vectigalia, ergo hoc vectigal generale quod ad persoluenda obsequia & tributa debita regibus, & alias necessitates communes regni est institutum, certissimo à suo principio est iustum.

Modo quoque iustissimum esse cõstat aperte, concurrunt enim in eo quæcunq; exiguntur ad iustum vectigal. Primo authoritas Alfonsi tertii à quo fuit maxime approbatum, & auctum, & immemorabilis consuetudo quæ vicẽ institutoris legitimi supplet, vt vidimus ex capite illo Super quibusdam. De verb. signific.

Causa iustissima, vt pote ad constituendum ærarium ex quo soluantur tributa Regi, habeanturq; quæcũq; sunt necessaria defensioni huius regni, & persoluantur annuæ pensiones quas communitas siue Generalitas regni debet priuatis, qui suas pecunias dederunt ad leuandas eiusdem regni necessitates.

Materia debita, merces & ea quibus vtimur ad vestitum, qua parte nullam habet hoc vectigal iniustitiam. Primo quia cum communi consensu maiorum & procerum totius regni sit impositum, potuerunt isti se ipsos & cæteros omnes, quorum vices in comitiis habebant grauare ob bonum commune, maxime cum mercimoniæ iam essent satis grauatę, nec expediret amplius illas grauare, sicut diximus in Gabellis quæ fiunt per modũ collectæ. Secundo quia cum exigatur ex his quibus vestimur, quæ frequentius emunt diuites, quam qui minus habent, non magis grauantur qui minus forent grauandi quam diuites & potentes.

Deniq; nec deest debita forma; quia colliguntur pecuniæ necessariæ in eos vsus quos diximus, quod si aliquando abundet hoc ęrarium, prudenter id conantur Magistratus ad redimendas aliquas annuas pensiones. Nec sunt culpandi quod multas non redemerint, quas videntur potuisse redimere, quia aliquando cum ex hoc vectigali soluatur Regi suum tributum, exigit Rex occasione alicuius nouę necessitatis, quæ ipsi occurrit, aliquod munus & tributum extraordinarium, & tenentur ciues illud ei exhibere.

Secũdo cõfirmatur iustitia huius vectigalis. Tributa (vt vidimus & docuit B. Pau.) debentur iustissime Regibus, sed hoc vectigal deseruit ad persoluenda tributa & munera Regi debita, ergo hac saltim ratione hoc vectigal debetur in conscientia.

Tertio clerici & personę Ecclesiasticæ in conscientia & sub pœna mort. tenentur persoluere hoc vectigal, ergo & cęteri omnes: consequentia aperta est, quia si qui immunes sunt & exempti ipso iure, persoluunt nihilominus illud, ac debent, quanto magis cæteri qui non gaudent clericorum priuilegio & immunitate: si enim quod minus videtur inesse inest, quanto magis quod magis videtur in esse: Antecedens vero constat ex bulla Adriani 6. vbi præcipit, vt vectigal hoc tamquã iustũ & cõmuni vtilitati totius regni maxime necessarium tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus, ab ipsis quoque Clericis persoluatur, committ itq; iudicibus, vt per censuras procedant contra non soluentes. Vnde sic argumentor. Nemo potest excommunicari nisi pro re debita sub mort. Sum. Pontif. vult posse excommunicari non soluentes hoc vectigal, ergo est debitum in conscientia, & sub mortali. Et ne de hac re locus dubitandi relinquatur placuit hoc loco Bullam istam Adriani propriis illius verbis referre.

(∴)

DILE-

DILECTIS FILIIS CLERI CIVITATIS ET Regni Valentiæ iudicibus per ipsum Clerum nunc & pro tempore Deputatis.

DILECTI filii Salut. & Apostolicam benedictionem. Exposuit nobis dilectus filius nobilis Carolus de Pompeto dominus loci de Laxaulz charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum & Hispaniarum Regis Catholici ad nos & sedem Apostolicam orator destinatus, quod licet olim Clerus & populus Ciuitatis & Regni Valentiæ ob nonnullas vrgentes ipsius ciuitatis & Regni necessitates, & in euidentem ipsius ipsis cleri vtilitatem tendentes, certas impositiones sibi ipsis iura generalis nuncupatas exceptis tamen ab isto clero San. Rom. Eccle. Cardinalibus & omnibus dictorum Ciuitatis & Regni Ecclesiis, imposuissent, ipsasque impositiones postea continue persoluissent. Tamen à paucis annis citra, nonnulli ex dicto Clero scandala & seditiones satagentes, & sub ouina pelle lupum gestantes impositiones prædictas soluere recusarunt, prout de præsenti recusant, & alios ad similem recusationem quantum in eis est incitantes, in ipsius Cleri & populi non mediocre pręiuditium & detrimẽtum. Quare pro parte dicti Caroli oratoris asserentis per maxime dicti Caroli Regis interesse, vt periculis quæ exinde prouenire possunt occurratur, ne ve tolleretur quod generalitas ipsa quæ in possessione est dictas impositiones exigendi à tanto tempore de cuius contraria memoria hominum non existit, vel ad id per eam Deputati in huiusmodi exactione de facto impediantur, nobis fuit humiliter supplicatũ, vt in premissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, quibus idem Carolus orator similiter exposuit, quod si huiusmodi exactio impediretur non minus in cleri quam populi eiusdem damnum cederet, cupiẽtes & dictæ generalitatis commodo & quieti cõsulere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus omnes & singulas personas Ecclesiasticas cuiuscunq; gradus & conditionis existant solutioni huiusmodi se oponentes, ac dictam generalitatem seu eius Deputatos ac eorum pro exactione huiusmodi ministros in possessione eas exigendi si in ea existant impedientes, per censuras & penas Ecclesiasticas ad impositiones huiusmodi prout hactenus factum est soluendas cogatis, & compellatis, ciuitatem Deputatos & Ministros præfatos in dicta possessione omnibus iuris remediis manutenendo & conseruando, donec nos qui ad præsens paci inter Christianos Principes inter se dissidentes ac aliis arduis negotiis vniuersam Remp. Christianam concernentibus intendentes huic negotio cui ad præsens vacare nequimus debitum finem imponere valeamus. Vt autem præmissa omnino executionem habeant, censuras prædictas si opus fuerit agrauandi, interdictũ Ecclesiasticum imponendi, brachium seculare inuocandi tenore præsentium vobis concedimus facultatem, volentes licere vobis præsentes literas in quibuscunque locis dicti regni quibus videbitur, & per affixionem ad valuas Ecclesiarum publicare, vt facilius ad omnium notitiam valeant deuenire. Cæterum quia accepimus nonnullos verbi Dei prædicatores circa hoc se intromittere, ex quo scandalosi & seditiosi clipeum accipientes eo magis scandala ipsa & seditiones excitant, & nutriunt, vniuersis dicti verbi prędicatoribus sub excommunicationis latę sententię pœna pręcipimus, & mandamus, vt donec nos negotio huiusmodi finem vt pręfertur

fertur imposuerimus, in eorum prędicationibus, seu sermonibus de hac re se non intromitant, nisi in his quæ ad executionem eorum quæ præsentibus continentur tenderent. Dat. in palatio Aljafariæ prope, & extra muros Cæsaraugustę sub annulo piscatoris, die 17. Maij 1522. suscepti a nobis officii Apostolatus Anno primo.

DE VECTIGALI QVOD *Dicitur Nouum impositum.*

EX his quę de isto vectigali Generali dicta sunt, facile erit iudicare de alio quod dicitur nouum impositum. Etenim cum per ageres, & antiquas munitiones huius Regni non esset ipsum sufficienter custoditum, sed libere, & audacter Turcæ, & Sarraceni Africani litora huius maris inuaderent, nec illa solum adire, sed frequenter etiam in eis manere auderent, latitantes in speluncis montium, & aliis locis occultis, qua ratione passim innumeros secum deferebant captiuos, curarunt Magistratus huius Regni, & Proreges vt pluribus custodibus litus hoc muniretur, ita vt quidã eorum, velut speculatores erectis in quibusdam locis turribus, collocarentur, alij noctu equitantes sibi inuicem occurrãt, quæ singuli nouerint aliis renunciaturi, vt horum industria, & sollicitudine ab hostium triremibus, & insidiis sibi quisque prospiciat, & damna quæ hostes inferre poterant impediantur: quod experientia teste adeo fœliciter successit, vt non capiatur modo, decima pars eorum, qui ante hoc custodię genus solebant à mauris captiui adduci.

Ad erigendas has turres, & constituendos custodes istos, non sufficiebant pecuniæ illę Generales, sed alio præterea opus omnino fuit vectigali; quod si supra omnes merces constitueretur, fuisset illas plus nimio grauare: propterea, cum sericum in hoc Regno abundet, & illius extractio huic Regno nullum afferat cõmodum, visum fuit, & prudenter (nec potuit occurrere via cõmodior) in serico quod ẽ Regno extrahitur, nouum vectigal constituere. Sicq; fuit exoratus Rex noster Philippus in comitiis celebratis Montisoni anno 1564. vt hoc vectigal serico quod ad externa regna defertur ad finem explicatum imponi sua regia authoritate concederet. Concessitq; illud Rex, & in alijs comitiis vltimo celebratis anno 1585. confirmauit. Vnde iustissimum est, & in conscientia persoluendum, concurrunt enim in ipso quæcunq; exiguntur ad iustum vectigal, Authoritas Principis, causa iusta, vt constat, debita materia, & merces, sericum scilicet quod extrahitur, debita forma, quia ea solum peccunia colligitur quæ his expensis necessaria est.

Ab hac sententia, recedunt quidem nonnulli Theologi Bethici, existimantes, hoc vectigal, & nouum impositum, non alio fine esse á Proceribus huius Regni institutum, nisi vt hac ratione, difficilius sericum extrahatur ex hoc Regno, transferaturq; in Castellam, cum per huiusmodi Gabellam pretium serici plurimum augeatur, sed reuera non satis rectè de vera, & genuina causa huius vectigalis iudicarunt. Institutum enim illud est ob finem tantum explicatum, vt supetant pecuniæ ad erigendas turres, & constituendos custodes quos diximus, quæ ex vectigali illo Generali haberi non possunt, cum ad alios vsus sint omnes illæ pecuniæ vectigalis Generalis necessariæ, nec cõmodior merxs inuenta est ad vectigal istud imponendum, quam sericum. Vnde Corduba, vt peritus certe, & prudens, in suo erudito tractatu de casibus conscientiæ quæst. 95. dubio 6. nobis apertissime subscribit.

DE VECTIGALI SAlinario.

COLLIGITVR ab eisdem Regni Proceribus deputatis, vectigal quoq; Salinarium quod dicitur cõmuniter, *El Real de la sal*, quod antiquissimum est, & in omnibus prouinciis adeo receptum, vt velut iure gentium ab omnibus persoluatur, propterea circa illud nulla est dubitatio, persoluendũ etiam esse cum exigitur per domos, vel iuxta patriæ consuetudinem. In nostro Regno exigitur statutis temporibus per domos, & familias, ceditq; in communes etiam huius Regni vsus, maxime ad leuanda quædam onera annuarum pensionnm, quas Regni huius communitas, quę Generalitas dicitur singulis annis

annis persoluit. Neq; de eo vllus vnquam peritus vel prudens dubitauit.

Controuersia Tertia.

AN GABELLAE PRIVATAE *huius Ciuitatis Valentiæ quæ vocantur Asisia debeantur in conscientia.*

EXIGVNTVR deniq; in hac nostra Ciuitate ad priuatas ipsius necessitates Gabellæ quędam quæ sunt velut priuata iura municipalia: dicuntur communiter Asisia, circa quæ maior solet esse controuersia.

Multi tam ex exteris DD. quã ex nostris, & innumeri è media plebe, nec pauci confessarii ignorantes quid hæc reuera sint, quomodo colligantur, in quos vsus deseruiant, non dubitant illa condemnare tamquam iniusta, & indubitanter asserere non esse persoluenda in foro consciẽtiæ; à quo errore non dubito liberandos esse eos qui diligenter obseruauerint, quæ hic afferemus.

Solent ergo qui ita sentiunt tribus nominibus communiter hæc Asisia damnare, & defraudantes illa iudicare immunes à culpa, & debito restituendi. Primo, quia pleraq; eorum sunt imposita in rebus necessariis ad proprium victum, vt pote pane, vino, carnibus, &c. quod videtur iniquum: partim, quia prohibitum iure communi, partim quia hac via paupe res qui hæc frequentius emunt è tabernis, & panificis, ac pistoribus, grauãtur maxime, imo solis pauperibus videntur hæc onera imponi, cum diuites illa coniunctim emant temporibus accommodatis.

Secundo, quia pleraque Asisia ex his sunt temporalia, imposita quidem ad erigenda aliqua publica ędifficia huic ciuitati necessaria, quæ tamẽ iam absoluta sunt, quo fit vt in plerisq; Asisis cessauerit iã omnino iusta illorum causa.

Tertio, quia cum hæc Asisia sint imposita per modum collectæ, iniquum est vt exigantur ab exteris, quia collecta imponitur consensu populi: consensus vero populi solum habet vim ad obligandos vicinos eiusdem populi, non autem exteros, vt omni iure constat.

Ita Bartho. Medina prima secundæ in materia de legibus: Ludo. Lopez in suo instructor. conscien. par. 2. cap. 37. loco sepe citato, & nonnulli alii Salmanticenses. Videturq; Caiet. occasionem obtulisse ita sentiendi, quia damnat ipse huiusmodi Gabellas impositas in rebus qui bus vtimur ad proprios vsus, quod si vocemus eas collectas quo nomine (inquit) DD. miserti animarum volunt esse vocandas, tunc ait redduntur iniquæ alio nomine, nempe quia exiguntur ab exteris, quod non licet: Nam cum constituatur collecta (vt modo dicebamus) cõsensu populi, ab eis tantum debetur, qui in illam consenserunt, & pertinent ad illum populum: ad quem tamen exteri nõ pertinent. Vnde est argumentum, ex hac doctrina Caiet. Aut istæ Gabellæ quæ colliguntur Valentiæ à Iuratis sunt vectigalia, aut collectæ, nam ad tributa non pertinent: Si dixeris vectigalia sunt iniqua, quia vectigalia non possunt imponi ex iure, & communi DD. consensu in rebus quibus vescimur, & vestimur, si dixeris esse collectas, non sunt persoluendæ ab exteris, ad eas tamen persoluendas cõpelluntur quoque exteri, Sunt ergo iniustæ:

Sententiæ propositę à Barth. Medina, videtur subscribere Anton. Cordubẽ. in suo tractatu de casibus conscientiæ q. 95. ea sola ratione adductus, quod causæ huiusmodi Gabellarum, quę in hac ciuitate vocantur Asisia cessauerint omnino. Sed deinde sententiam Medine Complutensis, quæ oppositum docet, cũ priori conciliare volens admonet, cum vectigalia & Asisia cessare quidem debeant vbi iusta illorum causa omnino deficit, retinere vero suam vim, vbi noua causa illorum occurrit; quantumuis primęua propter quam fuerant imposita, cessauerit omnino, se de nostris Asisiis plurimum dubitare, an iusta sint & persoluenda, quia dubitat etiam plurimum, & ignorat, an cessantibus primęuis causis propter quas illa instituta sunt, alię reuerra successerint iustę, & bono communi necessarię: Quo fit vt cum reuera alię & grauiores successerint, ac quotidie succedãt, vt ex progressu huius controuersię perspicuum fiet, siquidem Corduba illas intellexisset, ac perspexisset, sicut nos qui illas oculis cernimus, ac manibus nostris contrectamus, idem omnino de huiusmodi Asisiis docuisset, quod nos statim docebimus: Maxime, cum admoneat ac prudenter;

denter, non esse hęc á Magistratibus vulgo in particulari necessario explicanda: sed debere subditos de maioribus suis bene sentire, ac credere, (vbi oppositum non constat euidenter,) illos non exacturos vectigalia, nisi extarent reuera publicę necessitates, ac iustę causę, quibus necessario ea via & ratione oporteat subuenire, subscribitq; Cordubę in hac etiam parte Lopez loco citato sui Instructorii, par. 2. cap. 37.

Nos vt in re adeo graui & difficili veritatem facilius deprehendamus, hac methodo vtemur, vt primum omnium explicemus ex historiis & libris fide dignis huius Ciuitatis, quomodo hæ Gaballæ quas vocamus Asisia ceperint, processerint, & peruenerint ad ea incrementa quæ in ipsis hodie cernuntur. Secundo explicabimus necessitates non fictas sed verissimas ac certissimas quas patitur hęc Resp. Valentina, & in quos vsus conuertantur. Tertio quam fideliter à Magistratibus & eorum ministris hę pecunię expendantur, & conuertantur in bonum commune: vbi singulas Gabellas recensebimus & earum valorem.

Primum igitur, cum hęc ciuitas fuit é faucibus infidelium á Iacobo primo erepta, propter loci amenitatem, cœli temperiem, & commoditatem situs ad comercia, & negotia mari terrę; exercenda, statim cepit abundare vicinis, ex omnibus Europę partibus hic inde innumeris hominibus huc confluentibus: qua de causa oportuit statim & intra breue tempus ambitum illius plurimum augeri, qualem nūc videmus. Qui vt augeretur ędifficandi fuerunt muri, erigendę turres, portę, pontes, & in ea magnitudine quam hęc nobilissima ciuitas pro sua dignitate & nomine postulabat, ędifficandum templum maximum, tribunalia iudicum, & domus in qua senatores conuenirent, designanda stipendia Magistratibus & aliis ministris quibus gubernatio huius populi indigebat, ad quę omnia non mediocres desiderabātur expensę & pecunię. Ad has comparandas fuerunt (vt credendum est) necessario aliqua vectigalia ab ipsismet Magistratibus quibus horum omnium cura incumbebat, statim instituta; Et ita vectigal sex denariorum qui persoluuntur pro quantitate viginti solidorum in quibusuis mercibus, quod adeò antiquum est vt superet omnium memoriam, & vectigal vndecim denariorum quod soluitur sub nomine ędifficiorum publicorum, dicūtur apud nos *Muros y Valles*, & vectigal quod per soluitur pro quacunq; mensura tritici quā vocamus cahis, quæ antiquissima etiam sunt: iuxta rectam rationem credenda sunt statim incepisse, fuisseq; imposita ad illa ædiffitia, & stipendia, ac similes necessitates quæ vna cum ipsa Rep. inceperunt, nec aliter leuari poterant, nisi institutis aliquibus vectigalibus, quæ fuisse hęc quæ modo retulimus immemorialis ipsorum antiquitas copiosse ostendit.

Deinde cum Insulæ Sardiniæ & Corcicæ abundarent perfidis hominibus, qui impedimento erant suis insultis ne commodè hæc regna negotia & comercia haberent cum Itallis, Gallis, & maxime cum Siculis, iurauit Iacobus secundus auitam pietatem Iacobi primi immitatus copias parare ad Insulas illas suæ ditioni subiiciendas, quod vt pręstaret, cum Reges eo tempore non ita abundarent, hęc regna magnam illi pecuniarum quantitatem obtulerunt, vnumquodque iuxta suas facultates. Cum vero ad huiusmodi pecunias Regi exhibitas pro acquisitione Sardinię & Corcicę, (quod huic regno necessarium omnino erat, maxime propter comercium Siculę ratione annonę) aliasq; necessitates ordinarias, & stipendia, non sufficerent vectigalia illa quę ab initio propter immemorialem eorum antiquitatem prudenter creduntur imposita, viderunt Magistratus huius Ciuitatis aut illa priora augenda esse, aut alia de nouo imponenda: Sed cum augere antiqua, & magis onerare merces videretur durū, iudicarunt commodius, vt in rebus quibus vtimur ad victum aliqua constitueretur impositio, quę vt creditur fuit aliquorū denariorum in his quę ad vestitum scinduntur, dicitur *La sisa del tall*, adderetur q; in tritico illis 11. denariis aliquid aliud vsq; ad tres solidos, qui à multis etiam annis exiguntur in ea tritici mensura quam dicimus Cahis. Impositęq; huiusmodi collectæ fuere ex communi consensu populi, necessitatibus Reipub. ita exigentibus: Cui rei fidem facit Secundū Priuilegium Alfonsi 2. quod habetur inter priuilegia ab eo huic ciuitati concessa, vbi reffert obsequium quod hæc ciuitas Patri suo Iacobo secundo præstitit ad acquisitionem Sardinię & Corcicę, concessitq; Magistratibus illius facultatem ad impo-

imponendum Gabellas in pane, vino, & similibus rebus. Iuratq; (quod omnes Reges post ipsum obseruarunt, & fideliter obseruāt,) se non impositurū aliquas collectas vel tributa aut vectigalia in his rebus.

Hanc facultatem & concessionem factam Magistratibus huius ciuitatis, constituendi quascunq; impositiones in quibusuis rebus, ad leuandas communes huius ciuitatis necessitates confirmauit, & locupletissime concessit deinde filius ipsius Petrus 2. Priuilegio 97. inter priuilegia quæ ab hoc Rege huic ciuitati habemus concessa.

Durarunt hæc vectigalia hoc modo per multos annos. Ad publicas istas necessitates quas diximus.

Quibus alia deinde & grauissima successit. Etenim cum ad communem tam fidei quam horum Regnorum vtilitatē oportuerit Regibus Aragonum multa bella inire, & cum capitalibus religionis nostræ hostibus, & cum propriis quandoq; subditis propter varias apud illos exortas simultates, ciuiliaq; odia: in quibus euentibus debent ciues Principibus suis non modo pecunias, verumetiam sanguinem & vitam in illorum obsequium & iuuamen offerre, postularunt hac ocasione varii Reges ab hac ciuitate maximas sub mutuo pecuniarum copias, ad quas illis vt par erat exhibendas, necesse fuit ciuitatem hanc & Magistratus illius à priuatis eas quærere, ac recipere sub debito persoluendi illis annuas pensiones, quas etiam, Reges ipsi, vna cum capitali fideliter restituere cum primum commode possent, promittebant. Quod circa pensiones ipsas aliqua ex parte & per aliquod tempus Rex noster præstitit, licet capitalium multarumq; pensionum onus, semper ciuitas ipsa subeat.

Hac via: ex consensu eorum qui publicis huius ciuitatis cōcilis intersunt, & pœnes quos omnis authoritas distribuendi bona illius posita est.

Anno Domini 1437. Regi Alfonso collatæ sunt mutuo ab hac Ciuitate.	5495.	libræ	& 10. Solidi.
Anno 1428. eidem collatæ sunt.	7049.	libræ	& 10. Solidi.
Anno 1429. eidem Regi.	10851.	libræ	
Anno 1430. eidem Regi.	8915.	libræ	
Anno 1545. & 1459. eidem Regi Alfonso, & Regi Ioanni fuere collatæ.	7250.	libræ	
Anno 1472. Ferdināde Regi Catholico.	13300.	libræ	
Anno 1502. eidem Regi.	5523.	libræ	
Anno 1506. eidem Regi.	24777.	libræ	
Nostro etiā Regi Philippo Secūdo collatæ sunt anno 1554.	3377.	libræ	
Quæ pecuniæ efficiunt in vnum collectæ.	84483	libras.	& 12. Solidos.

Ad has pecunias quas hæc ciuitas suis Regibus non potuit, nec debuit non accomodare, & multas alias, quas (crescentibus progressu temporis publicis & communibus necessitatibus quibus illæ antiquæ Gabellæ non sufficiebant) opportuit necessario à priuatis sub annuis pensionibus accipere: ita effectū est, vt iuxta ea quę in libris & computis huius Ciuitatis à viris fidelissimis scripta inueniūtur, anno 1464. persolueret iam hæc ciuitas in annuis pēsionibus 28176. libras. Quas non valens ex Gabellis antiquis redimere, aliis publicis necessitatibus ex iniuriis temporum semper occurrētibus, (sicut accidit in priuata cuiusq; patris familias domo, sine ipsius culpa) oportuit subinde semper augeri. Qua ratione effectū est, vt anno deinde 1480. solueret in annuis pensionibus 32560. libras. Anno 1500. 33368. libras.

Deinde annis supra Milesimum quingentesimum. 19. 20. 21. 22. passa est hæc ciuitas maxima damna: Extiterunt enim tunc simultates huius regni, pestes, & alia infortunia; quo tempore cum paucissimi remanerent multis pereuntibus: aliis recedentibus, fuerunt Gabellarum redditus adeo tenues vt nec possent Magistratus ex illis persoluere annuas pensiones commemoratas, nec necessitatibus ordinariis hisq; grauissimis, quales solent tempore simultā

simulatum & pestis accidere, occurrere; Vnde opportuit nouas pecunias querere, & pensiones illas annuas plurimum augeri:

Et ita, Anno 1530. persoluebantur 48688. libræ.

Anno deinde 1540. 52017. libræ.

Anno 1550. 56611. libræ.

Anno 1560. 65646. libræ. Et hoc progressu, quia necesitates publicæ non solum perseuerant, verumetiam indies augentur vt statim exponemus, tam onera ista quam annuæ pensiones creuerunt simul. Vnde hoc tempore persoluit hæc ciuitas in annuis pensionibus fere sexaginta octo milia aureorum parum plus, vel minus.

Hac ergo de causa, cum & necesitates & onera ciuitatis ita creuerint, nec culpa Magistratuum vt imperitum vulgus existimat sed necesitatibus Reipub. & iniuriis temporum ita omnino exigentibus, oportuit præter illas Gabellas quas diximus, alias imponi in vino, in eodẽ tritico, quas statim recensebimus, & cõmuni consensu procerum ciuitatis propter bonum commune recta ratione illud postulante. Constet ergo saltim ex his hæc prima necesitas ex iniuriis temporum, eo progressu quem hic recensuimus orta, qua tenetur persoluere hæc ciuitas in annuis modo pensionibus fere 68000. libras.

Offerunt se & aliæ duę necesitates vrgentisimæ circa annonã & victũ. Pręcedẽtibus enim annis extractio tritici é Castella & Insula Siculæ erat libera, defferebatusq; huc triticum ab ipsismet mercatoribus commodo pretio, sufficiebatq; ciuitati aliquod tantum habere seruatum, si quæ necesitas ei se offeret, quæ raro accidebat, & ita raro vendebatur triticum ciuitatis, sed aliquando diuidebatur per familias.

Deinde vero, aliquot ad hinc annis extractio Castellæ prohibita est á Rege, licet aliquando concedatur in aliqua certa quantitate, sed exigua certe si cum frequentia & multitudine huius populi conferatur, quo fit vt ea via parum subueniatur huic regno & ciuitati, vbi tam parum colligitur tritici, populus vero adeò abundat, propter quod indiget absolute & omnino tritico Siculæ, nec commode ipsi prouissum esse potest, nisi magna copia tritici inde ad nos onustis nauibus defferatur. Cessarunt iam mercatores vt solebant, quia extractio prohibita est aliquot ab hinc annis, & á Proregibus illius Insulæ imposita magna vectigalia extrahentibus illud, etiam si ad hanc ciuitatẽ deferatur. Quo fit, vt partim pretiis tritici auctis, partim propter vectigalia extrahentibus illud imposita, annona in summa sibi caritate & pretio. Præter hæc, mare antea securius nauigabatur, modo tot exortis inimicis catholicæ Religionis & fidei abundat innumeris periculis, propter quod pretia contractus assecurationis aucta quoque maxime sunt, nec non cambia, & quæ soluuntur mercatoribus pro literis campsoriis. Quibus effectum est, vt mercatores non audeant & inuitati á Ciuitate triticum inde ad nos adducere: Quod si quis aliquando id tentet, postulat iniquas conditiones: Primo vt mutuetur ei magna pecuniarum copia, cuius annuæ pensiones à ciuitte persoluantur. Secundo ne taxetur illi pretiũ, sed vt posit vendere pro libito. Tertio ne compellatur vendere hoc vel illo tempore, sed cuui illius cupiditati placuerit. Quę conditiones & similes quas postulare solent, in damnum potius ciuitatis, sunt & in penuriam annonæ, ac caritatem pretiorum, quam in commodum.

Ita cogitur omnimo Ciuitas ipsa, ne vicini eius fame pereant, Procuratorem fidelem eò mitere, qui triticum commode emat, ac expensas facere in eo huc deferendo. Affert enim illud duplici fine: Primo vt abundet triticũ, qua de causa nõ ad eam mensurã adducendum est, vt nec deficiat nec abũdet: Quod enim in priuata domo dificile est, in tam ingenti Rep. quam imposibile erit; propterea defferendum est in ea copia, vt semper aliquid abundet, quod si aliquod nonnunquam deperdatur, vtilisimum est, modo sit sufficienter prouisum. Alter finis est, vt commodo pretio vendatur, obuieturq; cupiditati aliorum venditorum. Quod vt obtineat, licet multoties accidat propter expẽsas in eo factas & causas positas mensuram tritici quam vocamus cahis stare ciuitati in pretio vt 9. vel 10. aureorũ, ne cæteri in tanto pretio vendant, sed in moderato, constituit tritici mensurã sub pretio 7. vel 8. aureorum. Vnde patitur hæc Respub. huiusmodi damna ad annonam é Sicula cõmode parandam, cum sine ea imposibile sit hic viuere, sed opporteret

teret omnino non solum hanc Ciuitatem verumetiam alia oppida huius Regni fame perire: experientia enim teste quando necessitas plurimum vrget, ex hoc tritico omnibus locis Regni subuenitur.

Ita facit maximas, expensas, partim in tritico quod opportet abundare, & nonunquam perire, partim in eo quod detrahit à pretio quo ipsi stat, vt in alio comodiori ab omnibus ematur. Accidit etiam vt vel procellis maris, vel inuasionibus Pyratarum dum deffertur per mare, quandoq; pereant frumenta, quæ dãna aliquãdo pertingũt ad decẽ milia aureorum, aliquando ad 15. aliquando ad 20. vel 25. has igitur ac similes expensas certum est recuperandas esse à Magistratibus ex singulis Ciuibus, cum omni iure quod in communem omnium vtilitatem, & necessitatem expenditur, omnium quoq; sumptibus leuandum sit.

Quam vero vtile hoc sit, vel hac ratione constabit. Indiget Ciuis huius Ciuitatis decem. v. g. mensuris tritici, quas certissimo nisi Ciuitas, cum hac diligentia, & expensis pararet annonam, ad minus emeret 100. libris. Ciuitate vero hac ratione annonam parante emet illas, vt videmus 70. lib. reportat apperte commodum, vt 30. neq; hoc solum, sed emit optimum triticum, abundant etiam forum & pauperes panibus, & præter alias innumeras vtilitates, saltim emens istas decem mensuras hanc recepit, vt lucretur 30. libr. omnes vero Gabellæ quas potest persoluere non peruenient ad 5. libr. imo neq; ad 3. loquor de his quas persoluit ratione tritici, quod ab ipso ad molas ducitur. Nonne igitur præter communem vtilitatem quam totus populus recipit ex abundantia Annone, cui uis etiam priuato in particulari vtilius est, solutis 4. vel 5. ratione Gabellę tritici, emere 70. aureis furmenta, quę forsam, nec 100. emisset & deteriora?

Nec eo tantum anno quo sterilitas, ac caritas annonæ accidit, hac vtilitate, & beneficio afficiuntur tota Resp. & quiuis priuatus Ciuis, verumetiam, & multis sequentibus: cum pretia rerum maxime trinci si semel augeantur, difficile deinde decrescant, quantumuis in subsequentibus abundent.

Noui multos harum rerum de quibus agimus non satis peritos concedere libenter probandam esse Magistratum solertiam, & industriam in paranda annona ex Sicula per fidelem procuratorem co missum, cæterum pretium quo frumentum defertur plurimum excedere eorũdem Magistratuũ incuria, & inertia. Etenim cum vna ex potissimis causis propter quam frumenta in pretio adeo excessiuo inde ad nos adducũtur, sint magna vectigalia quæ illis in Regno Siculę imposita sunt, possent (inquiunt) Magistratus Valentini huic damno occurrere, & uilius multo illud emere, si curarent, vt varia Regum priuilegia, quibus huic Ciuitati cõceditur extractio tritici ê Sicula, exiguis, & minimis vectigalibus solutis executioni mandarentur Quod quia adeo negligẽter obtinere curant, in tanto pretio ad nos inde frumenta deferũtur.

Certe ignorant hi quot viis ac vicibus quantaq; solicitudine, & diligentia in commitiis Regnorum, & extra illa Magistratus, & tribunus piebis huius Ciuitatis qui dicitur Sindichus, nixi sunt illud obtinere, cuius rei certã omninoq; indubitatam fidem ciuiuis hæc legentĩ facient profecto (vt alia innumera testimonia eiusdem rei nunc omittam) literæ Caroli V. Imperatoris ac Regis Christianissimi de hac re ab eo datæ: & sententiæ quædam circa eandem rem a Iudicibus grauaminum latę, quas hic placet apponere. Primum igitur Carolus V. ad postulationem huius Ciuitatis, & Regni Barcinone anno Domini 1535. has literas executorias dedit.

CAROLVS diuina fauente Clementinia Romanorũ Imperator semper Augustus Rex Germaniæ, Ioana eius mater, & idem Carolus Dei gratia Reges Castellæ, Aragonum, vtriusq; Scisciliæ, Hierusalem, Vngariæ, Dalmaciæ, Croatiæ, Legionis Nauarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galitiæ, Maioricarum, Hispalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicę, Murtiæ, Giennis, Algarbii Algezire, Gibraltari, Insularum Canariæ, nec non Insularum Indiarum, ac terre firmæ Maris Occeani, Archiduces Austriæ, Duces Burgundię, & Brauantiæ, Comites Barchinonæ, Flãdriæ, & Tyrolis, &c. Domini Visçaiæ, Molinæ, &c.

P Duçes

Duces Athenarum, & Neopatriæ, Comites Rosilionis, & Ceritaniæ, Marchiones Oristanni, & Gotianni, spectabili præsidenti seu cuicunq; futuro Viceregi, & Capitaneo Generali nostro in prædicto Sciscilię vlterioris Regno, Magistro Institiario eiusq; in officio locumtenenti, iudicibus nostræ Magnę Regię curiæ, Magistris Rationalibus, Thesaurario, & Cōseruatori nostri Regii patrimonii, nec non Magistro Portulano, Viceportulanis, Portulanotis, & custodibus quorumcunq; portuum, & carricatorum istius dicti Sciscilıæ Regni, & aliis officialibus maioribus, & minoribus, ad quos spectet, & præsentes pertineant, seu fuerint quomodolibet præsentatę, salutem, & dilectionem. Cū in curiis per nos nouissime celebratis in villa Montisoni fuerimus pro parte triū brachiorū prędicti nostri Valentiæ Regni humiliter supplicati, quatenus pro obseruatione fororū, & priuilegiorū per Reges, nostros prædecessores, Ciuitati Valentię concessorū mandaremus, quod quoties per nos, seu officiales dicti nostri Sciscıliæ Regni fuerit eidē Valentiæ Regno cōcessa licētia & facultas ab eodē extrahendi, seu extrahi faciendi aliquā quātitatem frumentorum, siue ordei, tantum solueret, & soluere deberet ad rationem tarenorum trium pro qualibet salma frumenti, & tarenū vnum cū dimidio pro qualibet salma ordei. Cui quidem supplicationi nos libenter duximus annuendū pro vt per illius seriem, & thenorem latius est videre. Qui de verbo ad verbum talis est. Cum per priuilegia Regis Martini, & Reginę Mariæ, & Federici Regis Sciscıliæ concessa vestræ ciuitati Valentinæ, & legem siue forum constitutum a Catholico Rege Ferdinando in cōmitiis celebratis Montisoni Anno Dñi 1510 sit in effectu dispositū statutū, & ordinatū, vt quotiescunq; extrahātur, & extrahi permitantur, frumentū, & ordeū, cum facultate V. Mag. vel Magistrorū Portulanorū vestrę Insulæ, & Regni Sciliciæ possit vestra Ciuitas Valentię extraere ea frumenta quibus indigebit ad suam annonam prouidendam, solutis tantummodo tribus tarenis pro mensura tritici quę dicitur *Salma general*, & vnico tarino, ac dimidio pro simili mēsura, & *Salma general* ordei, ratione huiusmodi extractionis, propterea proceres triū ordinū Ciuitatis Valentiæ humiliter postulant a vestra Magestate, vt dicta ciuitas Valentiæ possit habere necessariā annonā frumentorū & ordeorum, concedatur illi ad obseruantiam dictorū priuilegiorū, & fororū statuere, ordinare, ac præcipere, vt quotiescunq; a vestra Magestate, vel Magistris Portulanis supradictis fuerit ciuitati Valentiæ, cōcessa facultas, ad extrahēdū dicta frumenta, & ordea a memorata Insula, & Regno Scilicię dicta ciuitas Valentię possit in effectu extrahere dicta frumenta, & ordea, solutis tantū supradictis tribus Tarinis pro mensura, & salma generali ordei. Ac vt hæc omnia suum sortiantur effectum, præcipere, vt expediantur literæ ac mandata necessaria. *Placet suæ Magest.* *Maius Vicecancellar.*

Et quia nostræ mentis, & intentionis est pręinsertum forum eidem Ciuitati Valentię pœnitus ad vnguem obseruari, thenore igitur præsentium de certa scientia, Regiaq; authoritate nostra, & consulto præinsertam supplicationem, in eius pede factam confirmantes, & quatenus opus sit de nouo concedentes, vobis, & vnicuique vestrum ad quem spectet dicimus, præcipimus, & iubemus ad incursum nostrę indignationis, & irę, pœneque vntiarum mille irremisibiliter exhigendarum, & nostro inferendarum ærario. Quatenus pręinsertū forum, seu priuilegiū omniaque, & singula in eo contenta eidē ciuitati Valētię suisq; factoribus, & procuratoribus à prima linea vsq; ad vltimā teneatis firmiter,

ter, & obseruetis teneriq; & obseruari per quos deceat inuiolabiliter faciatis iuxta eius seriem, & continentiam, & tenorem, nec secus agatis, aut agere permitatis aliqua ratione, siue causa, si præter iræ, & indignationis nostræ incursum, pœnam præ appositam cupitis non incurrere. Dat. Barchinone, die 27. mensis Maij octauæ inditionis, Anno a Natiuitate Domini 1531.

Yo el Rey.

V. Maius Vicecanc.

Cæsarea & Catholica Magestas mandauit michi Vgoni de Viues.

ET licet suficere debuissent huiusmodi literę, & mandata, quæ à Christianissimo Imperatore in fauorem huius Ciuitatis data fuerunt, vt Ciuitas hęc solutis tantummodo supradictis tarinis extraheret frumentũ, & ordeum ex Insula, & Regno Sciliciæ, nihilominus à Proregibus, & Magistris Portulanis illius Insulæ, & Regni nescio quibus de causis, cũ maximo huius Ciuitatis grauamine, actu, & reipsa obseruata non sunt. Sed compellitur Ciuitas hęc integra vectigalia ibi imposita, dum frumenta vel ordea extrahit, illis persoluere: quod cum adeò frumentis illius Insulæ indigeat, quasi redimens suam vexactionem persoluit, licet nõ debeat: cum spe postulandi huiusmodi grauaminum restitutionem, vel ab eodẽ Rege in communibus horũ Regnorũ comitiis, vel à iudicibus, qui in eisdẽ cõmitiis designantur singulis Regnis ad exigenda grauamina huiusmodi, vel similia à Fisco Regio. Quod & pręstitit diligenter, vt ex sententiis quas hic apponemus, perspicuum fit: quæ etsi iustè latæ sint, adhuc nihilominus Ciuitas hęc huiusmodi damna patitur, nec illa vitare potest, cum nihil aliud possit quam honestis viis, quas modo exponimus, ab illis se eximere, nec iniuria temporum, vt videmus sufficiant.

SENTENTIÆ LATAE A IVDICIBVS GRAVAMInum designatis Regno Valentino in commitiis Montisoni. Quibus præcipitur restitui Sindicho Valentino Gabellas receptas ab exactoribus Siculis ratione frumenti inde extracti.

IN facto Grauaminis oblati per sindicum Ciuitatis Valentiæ, cum quo petit eidem Ciuitati restitui quinque mille, & triginta ducatos, quos Magistri Institiarius, & Portulanus Insulæ Sciciliæ mandarunt solui per procuratores dictæ Ciuitatis anno 1536. ratione noui impositi tritici tracti per dictos procuratores a dicta Insula, ratione prouisionis dictæ Ciuitatis, contra dispositionem fori facti per suam Magestatem in curijs celebratis Montisoni Anno 1533. & obseruatoriã dicti fori, prouident esse grauamen. Et proinde dictos quinq; mille triginta ducatos per suam Magestatem esse soluendos, & esse consignandos super tertia parte seruitij, si quæ eidem competunt, qui infra annum a die publicationis computãdum, posit coram Magestate sua in præsenti Regno existente, aut eo absente, coram suis officialibus in dicto Regno existentibus, ad quos pertinebit, dicta iura deducere, quomodolibet eidem pertinentia super predictis.

Præinsertæ prouisionis exemplum pro vt iacet abstrahitur a registro mei Francisci Ioannis Gil, authoritate Regia Notarij publici Ciuitatis & Regni Valentinæ: in quo continentur omnes prouisiones, & declarationes per Reuerendos, Nobiles, Magnificos Examinatores, Prouisoresq; grauaminum per S.C.Regiamq; Magestatem, & per tria brachia Valentinorum in curijs generalibus Anno 1586. Montisoni celebratis

bratis nominatos, factas, & per me dictum Franciscum Ioannem Gil Notarium in Confratria Beati Iacobi Ciuitatis Valentiæ scribamq; prædictorum grauaminum, die sexto mensis Iulij 1538. coram dictis examinatoribus, & Prouisoribus grauaminũ in illo die in prædicta Confratria existentibus, publicatos, manu mea propria scriptum, & cum suo originali bene, & fideliter comprobatum. Et vt eidem vbiq; fides tribuatur, ego dictus Franciscus Ioannes Gil Notarius hic me subscribo, & meum solitum artis notariæ appono pro vt ecce sig✠num.

In facto grauaminis oblati per sindicum Ciuitatis Valentiæ, quo petit eidem Ciuitati restitui viginti sex mille, octuaginta septem libras, decem solidos, monetæ regalium Valentiæ, quas locumtenens generalis Magistri. Magister instiitiarius, & portulanus Insulæ, & Regni Sciciliæ mandarunt solui per procuratores factores dictæ Ciuitatis Valentiæ, ratione noui impositi tritici tracti per dictos procuratores, seu factores a dicta Insula, ratione dictæ Ciuitatis, in annis 1581. & 1582. contra dispositionem fororum per suam Magestatem æditorum, in curijs Montisoni celebratis in annis 1533. & 37. & obseruatoriam illorum concessam, aliorumq; fororum, & priuilegiorum dictæ Ciuitatis super his concessorum: facto legitimo calculo. Quia constat de solutione dictæ quantitatis, prouident, & declarant grauamẽ prædictum esse fundatũ, & procedere, & proinde dictas viginti sex mille octuaginta septem libras, decem solidos per suam Magestatẽ esse soluendas, & consignandas super parte seruitij, seu alia quantitate pro agrauatis reseruata. Reseruato tamen iure procuratori patrimoniali, si quod ei competit, qui infra vnum annum a die publicationis præsentis computandum, possit in Regia Audientia illud deducere.

Exemplum huiusmodi prouisionis, siue sententiæ per examinatores, & Prouisores, grauaminum huius Ciuitatis, & Regni Valentiæ factæ, die decimo mensis Maij, anni 1543. & publicatæ in domo Confratriæ Sancti Iacobi, per me Petrum Mir Notarium publicum dictæ Ciuitatis, & Regni Valentiæ, scribam causarum dictorũ grauaminum, fuit sumptum a Registro, in quo continentur omnes prouisiones, siue sententiæ, per dictos Prouisores, & examinatores grauaminum factæ, recondito pœnes me dictum Notarium, & scribam, & per me diligenter comprobatum. Et vt eidem copiæ manu propria scriptæ tanquam suo originali fides indubia, tam in iuditio quam extra ab omnibus impendatur, Ego dictus Petrus Mir Notarius hic me subscribo, & meum quo vtor in claudendis publicis instrumentis artis Notariæ appono sig✠num.

HIS accedunt propter eiusdem annonę indigentiam innumera alia incommoda, quæ nonnunquam Ciuitas hæc ita patitur, vt nulla ratione, ea vitare possit. Quandoq; enim ex nauibus quæ frumentis onustæ expensis ipsius huc deferũtur, nonnullæ pereunt, aliarum vero frumẽta, quas aut tempestate ingruente, aut ex alia causa ad litus alterius Ciuitatis, vt Barcinone, vel Maioricarum aplicare cõtingit, si quidem eo tempore frumentorum inopia laborant, illa vel reclamantibus nautis, sibi vsurpant. A quibus deinde tam illorum frumentorum pretia quã aliæ expensæ difficile, & per litem, ac cum magna iactura recuperantur. Nonnunquam etiam pecunię quæ in Siculam in hunc finem mittuntur, propter exortas Regibus grauissimas aliquas necessitates ab ipsis accipiuntur; sicut accidit in portu Carthaginis 130000. aureorum à Rege nostro hac occasione annis elapsis accipi, restituenda quidẽ, sed quæ occurrẽtibus semper eidẽ Regi similibus necessitatibus publicis adhuc recuperata nõ sunt.

Iam antequã cauernę illæ quę deinde prope Ciuitatẽ hãc extructæ sunt, ad asseruanda frumenta publicæ annonæ necessaria extarent, cum in qubusdã domibus aliisq; locis huius Ciuitatis illa asseruarẽtur, quædam nonnunquam illorum pars corrumpebatur iniuria humiditatis solo huius Ciuitatis innatæ, alia per vicinos minori pretio quam Ciuitati staret,

staret, diuidebatur: quæ damna aut erant necessario eo tempore subeunda, aut manere ciuitatem alicui grauissimæ indigentiæ expositam: cum ad debitam annonæ præparationem ea frumentorum copia congreganda sit, vt abundent illa potius quam deficiant, pereantq; potius nonnulla eorum, quam ciues ipsi fame intereant illorum deffectu.

Quibusuis etiam mercatoribus frumēta huc deferentibus, conferunt Magistratus Valentini, pro singula quaque mensura tritici, quam vocamus *Chais*, duos solidos, & domos ac loca in quibus sua frumenta vendenda asseruant, gratis. In loco siue horreo communi vbi publicé omnibus frumenta venduntur, quem Hispane vocamus *Alhondiga*, siue *Almodin*, sunt ab eisdem varii ministri constituti ex omni ordine hominum, ne fraudes aliquæ, tam in frumentis, quam in eorum pretiis commitantur, collatis illis à ciuitate ipsa honestis stipendiis; ne priuati venditores, qui vltro in eum locū frumentum venale asportant, propter huiusmodi stipendia & expensas pretia frumentorum, augere nitantur. Cum viderint expedire, viros probos mittunt per totum regnum, ad exploranda & describenda frumenta quę in singulis locis colliguntur, vt omnibus viis quas humana prudentia excogitare valet, annona abundet.

Extructę prętereа sunt in monte quodam prope hanc ciuitatem, loco, diuino certo numine ad hoc bonum parato, cauernæ quædam asseruandis triticis accōmodatissimę é quibus quod vno anno reponitur, post multos illæsum & incorruptum extrahitur: in quo opere & fabrica cum nec dum absoluta sit, plusquam octo milia aurei sunt iam expensi, & merito etiam si plura desiderarentur, tanta est huius operis & loci in hunc finem vtilitas cum necessitate coniuncta. Ad huiusmodi cauernas defertur triticum à litore maris, in quo deferendo & ministeriis quæ ad commodam illius conseruationem & distributionem exiguntur, multas quoque facit expensas.

Similesq; & maiores, nec minus necessarias, vbi occurrant maximę fluminis nostri inundationes omnia vastantis, præcipué molas farinarias, & diuisiones, ac decursus aquarum quos Hispanê vocamus *Azudes y Asequias*: ad has enim in prōptu reficiēdas ne ciues fame pereant, (quā statim necessario paterentur, si, vel per breue tempus farinæ deficerent,) exhibet quoque ciuitas hæc multam pecuniam mutuatam, cuius annuas pensiones toto tempore quo illa non restituitur, ipsa persoluit.

Extructæ etiam in eadem ciuitate sunt domus, in quibus tam frumenti quod ad molas defertur, quam eiusdem reddacti in farinam pondus á ministris eiusdem ciuitatis fideliter expendatur, ne vicini dum eo triticum ducitur, & in domos suas conuersum in farinam redducitur, fraudes aliquas patiantur. Quę omnia, publicis eiusdem ciuitatis expensis fiunt.

Demum licet viæ quę á Requena huc ducunt, à Rege viderentur esse aptandæ nihilominus quia redditus quos ex hac ciuitate Rex noster recipit adeo exigui sunt, & ad stipendia suorum ministrorū aliosq; vsus quos superius retulimus necessarii, referatq; plurimum huiusmodi viam aptā & commodam deferendis ad nos triticis è Castella existere, in ea adaptanda maximos etiam singulis annis facit hæc nostra ciuitas sumptus. Obsecro hęc legentem, attente consideret, quam necessaria hęc omnia ciuibus Valentinis sint, & quot expensas hęc necessario exigant, & à quibus sint colligendæ? num à ciuibus eiusdem ciuitatis in quorum vtilitatē hęc expenduntur, & fiunt, an ab alienis?

Similis est huic & hæc alia necessitas. Cum hoc namq; regnum non abūdet gregibus ouium, nec apud nos sint ditissimi pastores quales habent Castella & Aragonia, patitur magnam penuriam carniū, quibus perspicuum est tantā populi multitudinem maxime indigere: Siquidem concederetur facultas exteris pastoribus deferendi huc carnes, & pro libito vendendi, ex pastoribus certissimo fierēt mercatores, pateremurq statim haud dubiè multa damna in re adeo necessaria. Nam primo, penderet ex eorum arbitrio abundantia vel deffectus carnium, & cum omnes venditores optent esse rerum penuriam vt augeantur pretia, ipsimet pastores qui deberent carnes prouidere, illarum egestate nos oprimerent. Secundo esset incertissima carnium prouisio, quam sicut & tritici oportet certissimam esse. Tertio in rigidissimis pretiis venderētur, præter alia innumera incommoda quæ longum esset recensere. Ita

 oportuit

oportuit omnino, vt Ciuitas cum ipsis pastoribus pacto inito constituat & pretium carnium, & obligationem afferendi illas, maxime cum extractio carnium è Castella quę antea libera erat, modò pro hibita sit á Rege, nec facultatem concedat extrahendi arietes ab illo regno, nisi quandoque & in exiguo numero. Vt inueniantur ergo pastores obligati ad deferendas huc carnes, ac sub certo & accõmodato pretio, cogitur (quia alia via nullomodo eos inueniret) mutuare illis pecunias anticipatas, quarum annuam pensionem ipsa persoluit. Experientia enim testè exiguntur ad victum huius ciuitatis communiter fere centum millia arietum, pręter agnos, ędos, boues vitulos, sues, & alias carnes, quę á priuatis afferuntur: Cẽtum millia arietum ad minus valent ducenta millia aureorum, & eo amplius, quę nullus pastorum habet, neq; in gregibus neq; in pecunia numerata: Quo fit vt nisi à Ciuitate reciperet pecunias istas mutuas per singulas hebdomadas, aut maximam illarum partem, nullo modo posset neq; auderet aliquis cõuenire cũ ciuitate hac de deferẽdis certò carnibus sub cõmodo pretio. Hac ergo de causa exhibet illis mutuo pecunias istas quas dicimus acceptis fidei iussoribus, persoluitq; ipsa annuas pensiones illarum, quia aliter victum non haberemus, nisi cum summa egestate & in summo pretio.

Pręter hęc offerunt sese multę alię nec leues expensę in ędificiis, in aliis ministrorum generibus, pręter eos quos in vsum frumentorum retulimus, ac in variis temporum euentibus. Extruxit enim in portu & ora maris huius domos olim tirremibus, nunc recondendis frumentis, cum primum è mari extrahuntur, deseruientes: quas Hispane appellamus, *El taraçanal*. Simulq; munitionem cum custodibus, & tormentis ęneis, quo portus iste & quę ad illum deferuntur tutiora existant.

Extruxit magnam formosamq; domũ, & qualem dignitas huius ciuitatis postulat, vbi mercatores & quicunq; negotia exercent, conueniant, quam Hispane dicimus, *La lonja de los Mercaderes*.

Cum carceres incendio flagarint, alii de nouo non sine magnis sumptibus fuerunt construendi.

Erexit hanc nostram Scholam pręstantissimum omnium scientiarum Emporium, vbi variis propositis stipendiis habet in ea grauissimos omnium disciplinarum professores: in qua vna cum ędificiis quę in ea paulatim construuntur, expendit singulis annis plusquam duo millia aureorum. In quem vsum conuertuntur modo pecunię illę, quę ad ędificandam domum negotiationis quam dicimus apellari *Lonja*, olim colligebantur.

Quod est obseruandũ maxime propter exteros, & alios multos, qui existimantes hęc Assisia Valentina ad ędifficandam tantum istam domum fuisse instituta, cũ illam ab aliquot annis absolutam videãt, affirmare propterea audent iam non deberi: ignorantes, tum innumeras alias necessitates quas referimus, tum, quę in isto ędificio expendebantur, in sumptus huius Academię Valentinę cum tanta non solum huius regni, verumetiam aliorum multorum vtilitate, conuerti.

Huc etiam pertinent maxima damna, quę 14. ab hinc anis propter pestem quę in vicinis illi Regnis adeo viguit, passa est, constituendi enim fuerunt in variis tam huius regni, quam eiusdem ciuitatis locis fideles custodes; mittendi per vias & itinera solertes exploratores, ne vicini regnorum in quibus pestis grasabatur ad nos transirent, nec illorum vestes vel merces aliqua ratione huc ducerentur. Cum experientia teste nisi in his prohibendis summa & quanta excogitari potest adhibeatur diligentia, facilime huiusmodi morbus per vicina loca & regna sese diffundat: inuasissetq; nos reuera, nisi tanta huius regni & ciuitatis Gubernatores in eo vitando vsi fuissent solicitudine, ad quam adhibendam plusquam 30. millia aureorum oportuit consumere.

Fiunt etiam & neçessario multæ expensæ in variis litibus quas hęc ciuitas sustinere compellitur, in procuratoribus & nunciis, quos propter illas in Regiam curiam mitti, ibiq; decenter per aliquod tempus commorari oportet. In aduentibus Regum & Principum, in eorundem publicis priuatisq; suffragiis, vbi vel infirmantur, vel Deo ita disponente ex hac vita decedunt. In celebrandis Festis, quorum cultus ad illam maxime pertinet, vt festi Sanctissimę Eucharistię & vtriusq; Vincentii, quorum natiuitas & patrocinium Valentiam nostram adeo illustrem celebremq; efficiunt in quibus expen-

expenduntur fere singulis duo milia aureorũ, & merito, cum in his quæ ad Dei diuorumq; cultum, & honorem spectant, hæc ciuitas adeo fidelem, piam, deuotãq; semper se ipsam exhibuerit, nec laboribus parcens nec pecuniis.

Denique iuuat Ciuitas Xenodochium, seu hospitale pauperum singulis annis trecentis aureis, & quandocunq; pluribus iuxta illius indigentiam. Religiosis, & monialibus vbi monasteria illorum aliquam minantur ruinam, vel aliquo indigent ædifficio, optimas confert Eleemosynas; Qui optimis eruditisq; libris in lucem editis, typisq; mandatis, aliorum studia promouere curãt, à ciuitate hac vt Optimo Mecenate plurimum iuuantur. His qui vel ex dono Dei aut singulari ingenii sui acumine, medendis infirmis faciliora & breuiora conferunt medicamenta, ipsa quoque in communẽ ciuium vtilitatem plerumq; fauet:

Hæc omnia & alia innumera quæ non oportet me hic recensere, cum commemorata sufficiant, expendit & prudenter hæc nostra Ciuitas. Quibus effectum est, vt onera illa & annuæ pensiones progressu temporum ea receperint incrementa quæ retulimus propter hac, præter vectigalia illa antiqua quæ proposuimus, oportuit vt vectigal eorum quibus vestimur augeretur ad solidum pro quantitate 20. solidorum, quam vocamus libram pecuniæ, Et similiter vt in piscibus siccis & salsis qui á mercatoribus defferuntur aliis vendendi augeretur etiã vectigal ad solidum pro quantitate 20. solidorum, Vt in aliis mercibus quæ extrahuntur vectigal illud antiquum sex denariorum augeretur ad 8. denarios. In his vero quæ inferuntur, imponeretur vnicus denarius pro libra: In vino pro quantitate & valore 20. solidorum priuati ementes ad vsus proprios persoluant duplum, quã solebant. Vt in tritico imponeretur de nouo præter illos 3. solidos antiquos alii tres his qui emunt ad proprios vsus, pistoribus vero qui illud emunt vt coctum panem aliis vendant in duplo. Hæc omnia adeo necessaria sunt, ad leuandas necessitates huius Ciuitatis, vt nisi Rex noster Phylippus in vltimis commitiis habitis Montisoni anno 1585. de oportuno remedio prouidisset, oportuisset vel rursum istas Gabellas augeri, vel onera, & pensiones ciuitatis plurimum crescere. Sed Pius ac sapientissimus Rex ne ciuitas nostra amplius grauaretur, præcepit vt omnes pecuniæ quæ mercatoribus quibusdam tãquam in fideli deposito, quod communiter vocamus *Banco*, à priuiuatis commendabantur, commendarentur tantum in publico deposito ciuitatis, vt hac ratione depositum istud ciuitatis dictum, *La tabla de Valencia*, maxime abundet: possintq; Magistratus huiusmodi pecuniis vti ad publicas necessitates, quandiu priuati qui illas cõmendarunt eis, nõ indigẽt, nec illas postulant, vt illis vtentes quod maxime licet & expedit, non teneãtur maiora onera huic Ciuitati imponere.

Reliquum est, vt quas pecunias ex singulis Assisiis, ciuitas hæc recipiat, & in quos vsus, & quam fideliter, in eos illæ conuertantur, priuatim & in particulari explicemus.

Primum igitur, colligit hæc Ciuitas ex Gabella, quæ persoluitur in his quæ minutim venduntur, & scinduntur ad proprios vsus, quandoq; duodecim milia aureorum, quandoque sola decem milia, hoc anno multo minus, quibus ad communiorem quandam quantitatem reddactis, & eam quæ frequentior censenda est, recipit hæc ciuitas singulis annis. 10000. Aureorum.

Ex Gabella vini similiter quandoq; recipit 15. milia quandoque 16. milia quandoque 18. quibus etiam ad communiorem quantitatem reddactis, constituamus. 17000.

Ex Gabella antiqua tritici variis similiter annis ad communiorem quantitatem reddactis constituamus. 10000.

Ex Gabella seu impositione noua eiusdem tritici, quam clerici etiam & religiosi persoluunt communi eorundem consensu propter vrgentes necessitates annonę, recipit eadē similiter ratione vt plurimum.	13000.
Ex omnibus mercimoniis quæ inferuntur, vel extrahuntur, in quibus sunt diuersa gabellarum pretia pro qualitate mercium, diuersorum similiter annorum redditibus in cōmuniorem quantitatem redactis, recicipit.	40000.
Ex Gabellis deniq; carniū, vbi vel integræ pecudes, vel in partes conscissæ venduntur, recipit communiter parum plus vel minus.	7000.
Quæ Gabellæ omnes in vnum collecte efficiunt.	97000.
Conuertuntur autem in has expensas & vsus.	
Persoluuntur imprimis in annuis pensionibus, ratione censuum quos hæc ciuitas progressu temporum ex causis explicatis sibi imponere compulsa est, habita primum ad id facultate ab Alfonso tertio, vt constat ex priuilegio eiusdem Alfonsi tertii, & aliorum deinde Regum qui illi successerunt, fere parum plus vel minus.	68000. Aureos
In stipendiis ministrorum quibus ad suam gubernationem & varia illius munia omnino indiget fere.	8000.
In stipendiis & ædifficiis huius Academiæ.	2000.
In reficiendis passim & conseruandis publicis ædifficiis antiquis, præter ea quæ de nouo erigere oportuit in pontibus & oris nostri fluminis.	4000.
In expensis annonnæ, & carniū, omnisq; victus generis, in quibus adeo graues ac vrgentes necessitates & sumptus sese quotquot annis offerunt, consumuntur singulis annis vt minus, nec sufficiunt plerunq;.	12000.
In Festis quorū meminimus, Eleemosinis, & subsidiis quæ suis ciuibus aliquid egregium efficere enitentibus æquum est & honestissimum exhibere, communiter & eo amplius.	4000.
	98000.

EXpendūtur præter hæc multa alia quæ in variis euentibus sese offerunt necessario expendenda. Qua ratione fit experientia teste, vt quæ ex Gabellis explicatis colliguntur reuera non sufficiant: Quā de causa cū maxima olim debita hæc Ciuitas iniuria progressuq; temporū contraxisset, ad illa persoluenda opportuit ipsam quasdam Varonum ditiones quas Hispanè *Varonias* dicimus, venderet. & illarum dominio se ipsam expoliaret: ita vendidit ditionem locorum qui apud nos dicuntur, *La baronia de Carlet, y de Cullera*, & ditionem quandam nunc vero Ducatum Gandiæ. Quæ placuit hic referre vt intelligant harum rerum ignari, quot dāna & necessitates Resp. hæc iam olim passa sit, & quantum curarint illorum temporum Magistratus bona ciuitatis in eiusdem leuamen conuertere, ne ciuibus grauia vectigalium onera essent imponenda: sed illis persolutis cum similes iniuriæ tēporum nunquam cessent, propter quas publicæ etiam necessitates semper vrgent augenturq; passim potius quam minuantur, permanere oportuit semper gabellas, quin & augeri. Adeo vt quamuis aucta (sicut vidimus) fuerint, non sufficiant: sed eorum defectu contrahit indies hæc ciuitas magna debita. Quibus obsecro à quibus occurrendum est, vt supra dicebam, à propriis ne eiusdem Reipub. ciuibus, an ab alienis?

Expenduntur autem hæc hac fidelitate. Imprimis pręter iuramentum publicum & solemne quo suam fidem Magistratus astringunt, fideliter se res ciuitatis tractaturos, & priuatim quę ad has pecunias pertinet, & iuramentum quod alii ministri ipsorū similiter de eadem re pręstant, ipsi Magistratus huiusmodi pecunias nec publicè nec priuatim attingunt, nec mediate nec immediate ad eorum manus aut domos perueniunt, sed constituti sunt harū pecu-

pecuniarum receptores publici, & fideles, qui & iuramentum simile præstant, & habent publicos scribas, qui in eis rationem habent dati, & accepti, ita vt nec in minimo obulo posit fraus cõmiti, vnde sunt varii clauigeri harum peccuniarum ex variis ordinibus hominum, quidam ex ordine equestri, alii ex ordine senatorio alii ex statu mercatorum, qui omnes sunt velut testes oculati harum pecuniarum. Præter hos sunt constituti 14. viri ornatissimi 4. ex ordine equestri seu militari, & 10. ex ordine Senatorio, quibus incũbit cura redimendi onera ciuitatis vocãtur *Los catorze del Quitamento.* qui nec peccunias has attingunt, neq; a longe salutant, sed pœnes eos est cura ne ciuitas amplius oneretur, imo quantum fieri potest exoneretur. Qui præter quam quod sunt viri ornatissimi, & selecti, & suo ingenio, ac nobilitate fidelissimi, astringunguntur etiam iuramẽto ad munus suum fideliter, ac diligenter exequendum. Præter hos est publicus quidam iudex quęstorum vrbis, vocamus illum *El Rational de la ciudad.* Qui cum aliis fidelissimis sociis muneris sui coadiutoribus omnia scriptis fideliter mandat, habetq; rationẽ dati, & accepti, circa omnes peccunias, & onera ciuitatis, curatq; diligenter, ac fidelissime, vt omnes computi quarumque peccuniarum, vere ac fideliter colligantur, & absoluantur. Si quid ciuitatis ab aliquo retinetur, ab isto iudice prefato quæstorum, qui á Rege designatur authoritate publica, & Regia, & cui nullus potest se opponere, compellitur statim ciuitati restituere. En quod hominum ingenuorum, & selectorũ inter precipuos huius Reipub. viros fidei, curę, & conscientiæ peccuniæ hæ gabellarum ad publicas necessitates leuandas comendãtur. Certe vis humani ingenii, & prudẽtiæ non potuit commodiori via vtilitati cõmuni in hoc genere negotii prospicere. Qui his non fidit quærat Angelos è cœlo. His positis.

Facile est ostendere quam iustæ sint hæ Gabellæ, & Asisia, quæ in nostra ciuitate persoluuntur, & quantum secutiãt, qui illas putant non obligare in foro animæ: Sunt ergo iustissimæ, & omnino neccessariæ, & ex consequenti qui illas defraudant commitunt furtum, teneanturq; ad illarum restitutionem. Prob. Imprimis concurrunt in his quæcunq; exiguntur ad iustam Gabellam, nempe illa 4. quæ diximus. Primo authoritas Principis, vt constat ex concessionibus, & priuilegiis Iacobi. 2. Alfonsi 2. cap. 2. Priuilegiorum Alfonsi 2. & ex priuilegio Petri 2. c. 97. suorum priuilegiorum, quæ à successoribus non sunt reuocata, sed cõfirmata semper. Secundo. Existunt iustissimæ causæ, necessitates vt pote adeò graues, & vrgentes quas retulimus, in quas fideliter conuertuntur: vnde nec licet dubitare de optimo vsu earũ. Tertio. Debita materia, merces, & aliæ res in quibus optime potuisse collocari istas Gabellas, nec grauari ciues cum diluemus argumẽta initio proposita, appertissime constabit. Est etiam debita forma, & proportio, tam in ordine ad necessitates propter quas impositę sunt, quam in ordine ad subditos, à quibus persoluendę sunt, In ordine ad necessitates, constat enim ex dictis omnia ista necessaria esse ad stipẽdia onera, & expensas huius ciuitatis in ordine etiam ad ciues, cõstitutę enim sunt cum summa ęqualitate, vt constabit.

2. Hæ Gabellæ cõstitutę sunt per modũ collectę, cõmuni cõsensu totius populi, cõstituũtur enim à Maioribus, quibus populus habet omnes suas vices commissas, confirmatæq; authoritatę Regia ad petitionem eiusdem ciuitatis, & populi, vnde sunt velut pactum, & conuentio populi interse, ad communes necessitates hac via pacifice, & quiete leuandas. Quia cõstituere collectas censitis bonis cuiusq; & impositis iuxta cuiusq; facultates, erat dificilimum & magnarum perturbationum seminarium, at pactum à Maioribus ciuitatis pro bono cũmuni, & quiete Reip. constitutum in foro animæ est ab omnibus obseruandum. Quod efficacissime docuit D. Aug. lib. 3. confess. dicens. *Pactum interse gentis, aut ciuitatis consuetudine, vel lege firmatum, nulla causa, aut peregrini libidine violetur.* Huiusmodi pactum sunt hæ Gabellę communi consensu impositę, consuetudine obseruatę, lege & priuilegio Regum firmatæ, adeo vt promitat sub iuramento Alfonsus ille secundus nullomodo ipsum, vel successores ipsius imposituros aliquas collectas, vel Gabellas, vt impositæ, à Ciuitate firmiores redderentur, ergo in conscientia sunt hæ persoluendę.

Tertio, ab ipsamet familia Regia, exegerunt Magistratus Valentini, & exi-

gũt has Gabellas quãdo ad nos accedunt Reges ipsi, adeo vt cũ aliqui familiares Regũ de eo dubitarẽt, & iudicarent non esse persoluendas habito super ea re maturo peritorũ concilio declararunt Reges ipsi, a suis quoq; persoluendas esse, & tanquã iustas omnino deberi. Cap. 2. priuilegiorum. Alphonsi 3. habetur mandatũ Petri 2. vbi cum recusarent emptores domus eiusdem Petri 2. & alii curiales soluere has impositiones quas vocamus Assisia, præcepit Rex, vt ab omnibus persoluerentur tam à curialibus, quam a familiaribus domus suæ, quam ab omnibus domesticis, eo quod hęc á prædecessoribus suis essent concessa ad necessitates huius Ciuitatis leuandas. Idem præceptum subiicitur statim eodem cap. Ioann. 1. vbi vtitur his verbis: Declaramus, ordinamus, statuimus, ac etiam prouidemus perpetuo irreuocabiliter ad vberiorem cautelam, nos, & nostram charissimam coniugem, & omnes nostros infantes nostrosq; & eorum omnes curiales, atq; domesticos, & generaliter alios omnes vniuersos, & singulos debere ac teneri, & fore astrictos, & etiam astringendos contribuere, & soluere impositiones supradictas, &c. Iurantes sponte per Dominum Deum, eiusq; Crucem, & sancta Euangciia posita coram nobis, & corporaliter per nos tacta, hęc omnia supradicta, & singula grata, & rata habere, ac inuiolabiliter obseruare, &c.

Cęterum cum deinde tempore rursum Christianissimi Rehis Martini niterentur curiales ipsius, & domestici eius has Gabellas defraudare, & de eo conquerentur apud ipsum huius Ciuitatis Magistratibus, voluit, vt res hæc á peritissimis Doctoribus examinaretur. An iusta sint huiusmodi Assisia, & debita reuera in conscientia, & ea re diligenter considerata, & disputata apertissimis DD. & ipsius Regis conciliariis, visisq; tribus priuilegiis quibus hæc Assisia à Regibus confirmata erant, vt omnibus inotescceret, quam iuste debeantur, & à nemine posse iuste defraudari, hanc protulit sententiam quæ eodem loco continentur.

NOS vero visis, & diligenter recognitis, priuilegiis antedictis, auditisq; ad plenum semel, bis, & pluries in audientia nostra, vbi aderat copia Doctorum, Licenciatorũ, & peritorum in iure, aduocatis fiscalibus nostris, & aduocatis Ciuitatis iam dictæ, habitis in & super præmissis cum DD. & conciliariis nostris, & etiam cum nonnullis aliis Doctoribus, & scientificis personis pręgrandi acordio, & deliberatione, solemni die, & hora, prædictis partibus præsentibus assignata, propositis corã nobis Sacrosanctis Euangeliis, Pronuntiamus, & declaramus causa cognita, & deliberate. Nos, & dictam illustrem coniugem nostram, ac Regem Ciciliç primogenitum nostrum, & alios filios, si quos Deus nobis dederit in futurũ, & quoscunq; etiã in Regno nostro de cætero succedentes, & eorum coniuges, & filios, ac officiales, familiares, & domesticos nostros, & eorum, & cęteros quoscunq; teneri ad in perpetuum soluendum, & contribuendum in impositionibus impositis, & quæ de cętero imponentur, seu quæ colliguntut, & in posterum colligentur in Ciuitate Valentiæ. Non obstantibus quibuscunq; incontrarium allegatis, &c. Et super prædictis silentium perpetuum imponentes, &c. Mandantes autem thesaurario, & expensori dictæ Illustris Reginæ, & aliis officialibus ad quos spectat, quatenus de omnibus, & singulis illis victualibus, atque rebus alis quibuscunq; ad opus nostri, seu curiæ vsq; ad diem pręsentem habitis, seu receptis, pro quibus impositiones istę non fuerunt solutæ impositoribus Ciuitatis iam dictę, seu illis ad quos spectat, impositiones easdem exoluant, atq; tradant, omnibus exemptionibus remotis. Lata fuit pręsens sententia die Veneris 8. Maij, Anno a Natiuitate Domini 1401. Regniq; nostri anno 6.

VBI vides aperte ab isto Chistianissimo Principe, vt rem iustam præcipi solutionem Assisiorum Valentię, nec tãtum solui in posterum, verumetiam, vt rem iustam, & debitã in vtroq; foro, quæ soluta non erant, sed defraudata, restitui.

tui. Nec valet quod aliqui excogitarunt, huiusmodi sententiam tātum habere vim in foro exteriori, non autem in interiori, ita vt in conscientia hæc non debeātur, possint tamen ab exactoribus postulari coram iudice.

Hæc inqua solutio non valet, nam vt vidimus tom. I. nostrorū Cōmentar. q. 62. ar. 2. Controu. 4. estq; cōmunis sententia Doctorum, sententia iudicis iusta quę nō nititur falsę presumptioni, sed fertur perspecta rei veritate, obligat in foro etiam iuteriori, sicut leges iustæ omnium DD. consensu in vtroq; foro obligant. In hac autem sententia Regis Martini nulla est falsa presumptio, neq; nititur illa falsis testibus, sed propositis ipsi veris priuilegiis suorum predecessorum, quibus conceditur huic ciuitati facultas imponendi necessarias Gabellas, explicatis causis, & necessitatibus ad quas leuandas sunt impositę, & in quos vsus conuertantur, tum etiam rebus in quibus imponuntur. Sicq; explicata illi omni ex parte rei veritate, hanc ille tulit sententiam: quæ cum sit iusta, ab habente aucthoritatem lata, & sine vlla falsa presumptione, obligat omnino in conscientia.

Huic doctrinæ subscribūt D. Anton. 2. p. tit. 9. c. 13. §. 9. Sylu. Gabella cap. 3. q. 5. Driedo. lib. 3. de libertate Christiana. c. 5. Medina Cod. de Rebus restituen. q. 13. Qui licet non loquantur in particulari de his Asisiis Valentinis, satis tamen aperte eas probant, cum doceant impositiones constitutas a Magistratibus cuiusque ciuitatis, aut loci ad leuandas communes illius loci necessitates, etiam in rebus quę deseruiunt ad proprium vsum, obligare, & esse persoluendas in foro animæ, cum debito restituendi ipsas à quocunq; defraudentur.

Nec Corduba, licet videatur subscribere contrariæ opinioni, audet illam cui subscribit aperte, & omnino affirmare, sed manet dubius. Mirorq; plurimum Alfonsum de Castro virum eruditum aliter sensisse. Sed reuera hi á remotis iudicarunt, nec perceperunt in particulari quæ apud nos geruntur, etenim si illa habuissent satis perspecta aliter iudicassent, vereq; illis possemus dicere illud Poëtę. *Tu si hic esses aliter sentires.* Sicut ex nostris viri doctissimi: congregati a Reuerendissimo Domino, & sanctissimo Patre F. Thom. à Vilanoua, huius Ecclesiæ Archiepiscopo, vt de hac re iudicium ferrent, nempe Petrus Maça, Thomas Real, Ludouicus Sapaterius, & ex religiosis Sanctissimus Pater Miconus. Petrus Salamāca, Franciscus Barbera, & alii grauissimi DD. ex omnibus religionibus, habitoq; super ea re, maturo consilio, explicarunt deberi in conscientia, & decipi plurimum imperitum vulgus, & eos omnes qui aliter sentiunt. Quod publicè, & priuatim sępe retulerunt Ioannes Luuiela, & Magister Iacobus Montiel Augustinianus, eiusdem Archiepiscopi confessarius, qui illi congregationi etiam interfuit. Eadem sentētia semper fuit recepta inter peritos, & timentes Deum huius nostrę scholæ, sic enim docuerunt Ioānes Baptista Burgos, Augustinianus, Ioachimus Molina, Ioachimus Mijauila, & eruditissimus Magister Blasius Nauarro scriptum reliquit in suo opusculo de Vectig.

Aliorum argum. Ex supra dictis facile diluentur. Primum illud cui maxime nōnulli nituntur cum Caietan. solutum est Art. 3. contro. 6. cum disputaremus de materia debita vectig. Vbi vidimus, ex communi consensu populi, quando necessitas vrget, & merces sunt iam nimiū oneratæ, prudenter & recte imponi collectas in rebus quibus vtimur ad victum, & vestitum: sicut docēt D. Anton. & alii quos ibi citauimus. Nec grauari propterea pauperes hac via, cum hæ Gabellę in maiori multo quantitate colligantur ex vestibus quam ex alimentis, vestibus autem frequētius, & carius, vti ditiores, & potentes quam pauperes neminem latet. Sed ne hæc in genere, & in communi tantum dicamus, ostendam quam parum, aut fere nihil pauperes in alimentis grauentur, dimitamq; vestitum, cum in eo, vt modo dicebam plura persoluant qui magis abundant, & ditiores sunt, eo quòd, & frequentius vestes emant, & pretiosiores.

In alimentis ergo parum aut nihil omnino grauari ex singulis patet apperte. Primo, in pane vectigal sex solidorum quod persoluitur ratione mensuræ quā vocamus *Cahiz*, á pistoribus, & nō ab aliis, diuisum per singulos panes quos ipsi coctos publice vendunt, adeo exiguum est, vt propter illos sex solidos nihil omnino addatur, aut detrahatur vnicuiq; pani: quod constat experientia eorum, qui conficiendis huiusmodi panibus, & ponderandis

derandis pręficiuntur à Repub. potestq; etiam patere distribuenti istos sex solidos per septem, vel octo libras monetæ Valentinæ, quas valet vna cum expensis singula mensura istarum quas dicimus *Cahiz*, distributa in minutiores panes, qui cocti publice venduntur.

Secundo. In carnibus nullo etiam modo onerantur. Primo. Quia carnibus quãdo minutim in macello venduntur nullum est impositum vectigal, sed quando afferuntur ab ipso venditore pro quacũque pecude viua persoluitur certa Gabella exigua. Secundo, quia etiam si in carnibus quando minutim venduntur Gabella aliqua, vel collecta existat, vt in aliquibus locis fit, ratione illius, non magis onerantur pauperiores, sed ditiores, cum hi sint, qui in maiori quantitate cõmuniter carnes emunt.

In vino autẽ est quidẽ maior collecta, sed merito: quia cum necessario essent collocandæ aliquæ collectæ in rebus quibus vtimur, eo quod iam satis essent grauatæ aliæ merces, (vt diximus,) non debuerunt illę collocari præcipue in pane, & carne, quibus omnino indigemus, sed in vino cuius minor est necessitas, & quo parcè ac sobriè vti corporis & animæ saluti maxime expedit. Quid? quod si in hac parte aliquid esset impositũ grauius onus alimẽto vini, maius certe onus subirent ditiores, quibus propter maiorem familiam maiori copia vini opus est. Fauet maxime huic doctrinæ quod Rex noster Phylippus anno 1558. cum ad expensas factas in hac ciuitate in custodia ipsius, ratione cuiusdam pestis, oporteret quandam Gabellam necessario constituere, scripsit, vt duo denarii qui de nouo collocandi erant, sic imponerentur: dimidium denarii in mercibus, eo quod satis onerate sint, aliud dimidium in vestibus, & integer denarius in vino.

Ad secundum. Postulat hoc argum.

AN COLLECTA QVAM *priuatus populus sibi imponit obliget etiam exteros.*

HAC in parte Cayet. & alii maxime impingunt. Nihilominus asserimus etiam obligare, neq; hoc nomine hæc nostra Assisia esse iniqua. Ad quod obseruandum est, collectas bifariam constitui posse, vel ad solam vtilitatem populi, vel ad communem tam eorum qui populum illum incolunt, quam aduenientium collectas: in solam populi & ciuiũ ipsius vtilitatem impositas verissimũ est solum populũ debere soluere, at si collecta instituatur tanquam omnibus necessaria, & incolis & exteris, recta ratio docet, vt quod pro communi omnium vtilitate constituitur, ab omnibus qui illius vtilitatis sunt particeps persoluatur. Iure enim naturæ qui particeps est commodi, debet & participes esse damni. Vnde illud commune dictum, *Cum honoribus & oneribus*, Quæ Regula exemplis potest illustrari: Ecclesiastici immunes sunt á persoluendis tributis & vectig. at si impositio aliqua ita sit necessaria & vtilis clericis, sicut secularibus, tenentur quoq; illam persoluere, vt statim dicemus. Quo nomine Adrian. 6. in bulla quam hic apposuimus, præcipit vt Generale vectigal huius regni persoluatur ab omnibus, quia in omniũ cedit vtilitatem. Pontes quando eriguntur, & imponitur Gabella ad illorum expensas, ab omnibus transeuntibus soluitur, siue sint Ecclesiastici, siue vicini, quia omnibus est communis illa vtilitas. Cũ leges v.g. Hispaniæ solis Hispanis conditæ sint, ad nos tamen venientes, quia quandiu apud nos agunt, rebus fructibus, & cæteris bonis Hispaniæ vtuntur, eisdem tenentur legibus. Cum ergo hæ Gabellæ deseruiant in communem omnium vtilitatem, tam incolarum Valentiæ, quam exterorum, vt omnes habeant ædifficia vbi commode negotientur, siue litibus siue contractibus incumbant, iudices & Magistratus qui omnium saluti prospiciant, alimenta quibus omnes vtãtur, tam incolæ quam exteri, tenentur omnes & iustissime illas persoluere.

Conf. hoc illa doctrina D. Augustini lib. 3. confess. *Vt pactum Ciuitatis nec ciuis, nec peregrini libidine violetur.* Et sententia illa Regis Martini, vbi suos domesticos, curiales, & familiares etsi exteros præcipit has Gabellas soluere, hoc nomine quia qui vtuntur rebus huius ciuitatis, æquum est vt ipsius quoque onera sustineant. Deniq; est iam velut quoddam ius gentium communi omnium nationũ & prouinciarum vsu receptum, vt qui ad nos veniunt Gabellas huius Ciuitatis persoluant, qui ex Valentia alio proficiscuntur, soluant etiam Gabellas loci quo perueniunt. Sicq; obseruatur in toto orbe.

Tertium

Tertium argumentũ est omniũ imbecillius.

Primo quia & si nonnullæ institutæ sint propter aliqua ædifficia, quæ iam sunt extructa, vel ob aliquas necessitates quæ iam cessarunt, suborte sunt nihilominus vt ex dictis constat aliç maiores, in quarum leuamen conuersæ sunt illæ Gabellæ. Quod maxime, oportere, iam vidimus. Illud vero ita habere in hac nostra Ciuitate ex dictis abunde constat. Et ita nonnullæ perseuerant, vt duo illi denarii additi vectigali merciũ ad construẽdam domum negotiationis, & similes: quę cum protrahuntur non fit à solis Iuratis, sed communi ac generali congregato populi conuentu, & eorum concilio & assensu, Quomodo ista Gabella Lonje nouę inter alias protracta est, ad stipendia & ędifficia huius nostræ Scholę. Dixi initio huius solutionis, nonnullæ Gabellæ: nam ridiculum est, quod multi nostrarum rerum ignari arbitrantur, omnia Assisia Valentina ad solã fabricam istius domus esse imposita: Tũ quia pleraq; eorum antiquiora sunt, tũ quia quę de nouo imposita sũt aliis deseruiũt necessitatibus.

ARTICVL. VI.

Qui sint immunes a solutione Gabellarum.

Controuersia Prima.

AN PAVPERES ET LOCA *sacra eximantur a soluendis Gabellis.*

GABELLAS in genere omnes tenentur persoluere. Nam cum illæ pro communi imponantur necessitate, sicut ad bonum cõmune omnes tenentur, ita quoque ad Gabellas. Excipiuntur tamen ab ista obligatione nonnulli iustis de causis.

DE PAVPERIBVS.

PRIMO, vt optime docebat sanctissimus ille Archiepiscopus F. Thom. á Villanoua, pauperes qui omnino pauperes sunt, nec habent vnde viuant, nisi aut ex eleemosinis publicis, vel priuatis, aut ex mercede diurna quam singulis die bus lucrãtur, quæ ita est illis ad victum, & sustẽtationem naturæ præcisse necessaria, vt si quid illius in aliud expendatur, oportet deficiat eis aliqua pars necessarij victus. Qui adeo pauperes sunt, non tenentur ad soluẽdum vllum genus Gabellæ. Etenim eos qui ita indigent, vt nihil re vera habeant, preter ea quæ omnino, & simpliciter sunt illis necessaria naturę, & sustentationi, iniquum esset obligare ad leuanda onera Reip.

Et probatur. Non minus debemus soluere debita quæ aliis creditoribus, & priuatis amicis, vel ciuibus debemus, quam vectigalia; cũ ad vtraq; teneamur ex iustitia: sicut docuimus 1. tom. q. 62. agẽtes de restitutione ar. 8. At qui solũ habent quę præcisse, & omnino sunt necessaria victui, & naturæ, non tenentur ad soluenda priuata debita suis creditoribus, ergo neq; ista vectigalia.

DE NOBILIBVS.

SECVNDO. Sunt immunes à tributis, & vectigalibus Regiis nobiles, qui Regia concessione ab eis eximuntur. A tributis inquã, & Vectigalibus Regiis, nã à Vectigalibus impositis ad necessitates Regni, vel priuatæ alicuius Ciuitatis in qua viuunt, Rex non potest eos eximere, quia non est Dominus bonorũ Reip. Nec potest efficere, quin teneantur ad leuanda onera suæ Reip. quicũq; sunt illius membra, & ciues. Ab his vero quę Regi ipsi persoluuntur potest eos liberare ac eximere, quia huiusmodi concessio fit ob præclara aliqua facinora illorum quibus ista immunitas conceditur, vel suorum: ob quæ decet dignitatem, & ęquitatem Regiã illis gratum esse, & aliquod munus, & mercedem reddere. Vnde cũ posset Rex huiusmodi hominibus aliquam magnam peccuniam in pręmium suorum gestorum reddere, è qua viuerẽt, concedit eis hoc priuilegium loco illius pecunię, & mercedis. Quo fit vt iustè hoc à Rege illis concedatur, & iuste illa immunitate ipsi gaudeant.

Debet autem in huiusmodi concessionibus duplex conditio obseruari. Prior, vt nec temere neq; adulatoribus hec concedantur, sed preclarum quid facienti in obsequium Reip. Posterior, vt quod huic conceditur, non cedat in aliorum grauamen, nec pars quæ ab hoc erat persoluenda,

uenda, & á qua eximitur, aliis imponatur, sed idem á cætero populo exigatur, nec aliquid addatur, propter id, quod huiusmodi nobilibus per talia priuilegia remittitur, sicut reuera fit.

DE ECCLESIIS.

TERTIO sunt immunes ab omni Gabella persoluenda, cuiuscunq; generis Ecclesię, & illarum bona, tam immobilia & permanentia, & loca quę possidēt, quam mobilia, vt vestes & vasa sacra illarum, quando aliquid ex officinis mercatorum emitur, vel aliunde adducitur ad Ecclesiarum vsum. Hoc priuilegio & immunitate gaudent Ecclesię & illarum bona ex antiquissimo priuilegio cristianissimi Imperatoris Constantini Magni, & successorum. Reffert Vrbanus Papa Can. Tributū.23. q. 8. varias immunitates concessas Ecclesiis, & Ecclesiasticis, à Cōstantino, Cōstante, Valente, Valētiniano Iustiniano. Et duobus proxime sequētibus nēpe Can. Secundū, & Can. Sancitum. à Ludouico pio: Lege circa hæc Zozomenū in historia Ecclesiastica lib. 1. c. 8. Idē habetur c. 1. de immunitate Ecclesiarum in 6. Vbi Alexā. 4. Ecclesias liberas deffinit ab omni exactatione, estq; communis omnium doctrina in cap. Non minus. de immunitate Ecclesiarum. Et in iure ciuili. L. Nulla communitas. & & L. Placet. Cod. de Sacrosanct. Eccles.

Tenētur autem nihilominos ad tria genera onerum seu impositionum: Imprimis ad ea quę dicuntur realia, seu patrimonialia, qualia sunt quę in loco vel re Ecclesię collata iam prę existebant ex antiquo & ordinario iure, erantq; iam ordinaria, & perpetua. Vt si concedatur locus in Ecclesiam, vel monasterium, aut hęreditas aliqua eis conferatur, in quibus existebat aliquis sensus vel impositio, quę solebat persolui ratione illius loci, & hęreditatis vel Principi, vel Reip. vel alicui priuato, manet ille census vel impositio nec tollitur: eo quod ibi sit erecta Ecclesia. Habetur simile cap. Quanto, de censibus, sed apertius L. Imperatores. ff. de Publicanis. Est enim velut regula DD. *Rem transire ad Ecclesiam cum onere suo*. In Can. Secundum canonicam 23. q. 8. Et in Can. Sancitum. de Censibus. Estq; cōmunis opinio DD. Panorm. & Innocentii. In cap. Non minus. de Censibus. Et cap. fina. de vita & honestitate clericorum. Ioann. And. & Archidiaconi in Clementina Pręsenti. de Censibus & c. 1. eod. tit. lib. 6. quibus subscribunt Sylu. Immunitas cap. 1. quęst. 5. num. 3. Tabiensis. Excommunicat. cap. 5. casu 18. numer. 3. Angelus verb. Immunitas num. 38. quos sequuntur reliqui omnes Summistę.

Ad impositiones vero nouas, vel census extraordinarios non tenentur: quia hęc est immunitas qua ex tot priuilegiis Pontificum & Imperatorum gaudent loca Deo & Ecclesiis dicata.

Sunt alii census & impositiones secundi generis, quę vocantur naturalia vel ex natura rei, ad quę etiam tenentur Ecclesię: huiusmodi sunt, quę imponuntur ad reficiendam viam, puteum vel pontē, aut quid simile, quod omnino & simpliciter est necessarium Ecclesię, sicut & cęteris ciuibus. Quando ad huiusmodi necessitatem aliquid imponiitur á Principe vel Rep. ipsa natura rei ostendit debere quoque Ecclesiam in illis expensis contribuere, cum non minus illa ędifficia sint ei necessaria quam cęteris. Ita docent omnes Iuristę in L. Ad instructiones. C. de Sacrosanct. Eccles. & omnes DD. supra citati.

Sunt & alię impositiones tertii generis, quę dicuntur concernere pietatem, vt constructio pontis, muri, vię, &c. quibus simpliciter & omnino non indiget Ecclesia, indigent tamen ciues loci in quo est Ecclesia, & ita videtur quodammodo ad pietatem pertinere, vt Ecclesia illi quoque necessitati faueat, de huiusmodi Sylu. & Tabien. locis citatis ita distingunt ex cōmuni doctorum consensu, & optime: Aut necessitas (inquiunt) illa respicit Ecclesiā indirecte, & á remotis vt aiunt, & secundnm quandam tantum consequentiam, quia vilitas populi resultat etiam in commodum Ecclesię, vt quando fit aquę ductus quo hęreditates secularium commodius colentur, vberioresq; reddent fructus, etiam si Ecclesia nullam habeat hęreditatem aqua illa irrigandam, nihilominus vtile etiam est indirectē Ecclesię, vt hæreditates alię secularium vberiores fructus reddant, etenim vt Hispane dicitur: *Quando han los campos, han los santos*, Si ad huiusmodi necessitates constituatur aliqua impositio non tenentur Ecclesię ex debito, pie tamen agent, si contribuant; Sed id efficiendum est approbante Episcopo cum clero, vt habetur aperte in illo

cap.

cap. Non minus. de imunit. Ecclesi. & consulto prius Roman. Pont. & non aliter, vt habetur in illo cap. Aduersus eod. titu. nisi iam necessitas adeo vrgens esset, vt non esset locus consulendi Rom. Pon. nec pateretur talem moram.

Potest vero necessitas illa populi quã vocamus piam, directe etiam, & immediate respicere non minus vtilitatem Ecclesiarum, quam laycorum, vt si societas sicariorum deuastet hereditates tam Ecclesiarum quam secularium, vel quid simile quod ad omnes exæquo pertineat, tunc tenentur etiam Ecclesię illam impositionem, ad talem necessitatem cõstituam persoluere: non tamen ex deliberatione solius populi, sed communi consensu tam Cleri quam populi, cũ ad omnes pertineat: Ex illa Regula: *Quod omnes tangit ab omnibus debet aprobari*. Et Clementina prima de censibus. Vbi dicitur. *Naturæ consonum esse illos non recusare onera, qui rerum commoda complectũtur.* Neq; ad hoc indigẽt, vt cõsulatur Rom. Pont. sufficit consensus Episcopi, & Capituli. Quo nomine ad necessitatem quã patitur hæc nostra Ciuitas Valentiæ in paranda annona tritici, persoluunt etiã nouum impositũ tritici Clerici, ex consensu Cleri, interuenienteq; Capitulo vna cum Senatu ad talem impositionem constituendam.

Sunt qui existiment, Ricardum quolibet 2. q. 30. art. 5. illius quæstionis docere, posse Ecclesias, & personas Ecclesiasticas habentes bona temporalia compelli á iudicibus, vel Magistratibus propria authoritate ad soluendas collectas, vel Assisia quę imponuntur ad reficiendum pontes, vias, vel similia ædificia bono communi necessaria.

Sed re vera aliud ibi docet Ricard. quã isti opinantur, nec eius sententia à nostra dissidet. Constituit enim imprimis Clericos habere duo genera bonorum, quædam quę consistunt in solis decimis, primitiis, & oblationibus fidelium: vt beneficiis, & ęlemosinis quas recipiunt pro missis, & aliis officiis diuinis, ac ecclesiasticis, quæ bona Nicolaus Papa appellauit partem leuiticam; Canon. Si in mortem 23. q. 8. Alia vero sunt bona eorũ tẽporalia, vt possessiones, vel cẽsus, quæ aut hęreditario iure, aut proprio labore, & industria sibi compararũt, quæ ad eorum hæredes ipsis deffunctis transferanda sunt.

Secundo cõstituit licet non satis aperte, sed ex progressu orationis colligitur omnino, illum ita constituere, refectionem istam pontium, viarum, aut similiũ quãdoq; non minus esse omnino ac precissè necessariam possessionibus, & hereditatibus Clericorum, quam laycorum, quandoq; vero non esse ita necessariam, licet sit illis vtilis, quatenus quidquid in bonum commune cedit, ipsis quoque vtile est.

Quibus positis docet ibi Ricardus hęc. Primo si quidem Clerici, vel Ecclesiæ, hæreditates, & possessiones habeant, quibus refectio illa pontiũ, & viarũ aquęductus, & similia ita est omnino, & præcisse necessaria, sicut possessionibus laycorũ, teneri Clericos, & Ecclesias in sumptus, & impositiones quæ ad illos instituuntur, sicut & laycos; posseq; ad id á iudicibus compelli, quia tales sumptus, & impositiones, & earum obligatio consequuntur possessiones illas, & personas ratione ipsarum possessionum: sed ita vt hæc communi concilio Clericorum, & secularium instituantur. Cum digniores sint Clerici in communitate quam layci, aliter non teneri si à solis laycis inconsultis Clericis constituerentur impositiones ab omnibus soluendę, & pro causis omnes concernentibus: quia non seruarent tunc layci honorem Clericis debitũ. *Non sunt autem sua iura seruanda ei, qui alienum ius violare non metuit*. Vt dicitur extra de priuilegiis cap. Vt dilecti filii. Et. 25. q. 2. can Sic decet.

Si vero Clerici non habeant huiusmodi possessiones, vel hereditates, quibus illa ædifficia ita necessaria sint, licet vtilia, cum iudex, vel Magistratus secularis non habeant ius, nec in ipsos, nec in alia bona eorum, oportere adire ordinarium, qui inspecta boni communis necessitate, & indigentia, ad quam leuandam soli seculares non sufficiunt, consentiat, vt Clerici in illud etiam contribuant, cuius consensu habito ad Summum Pont. recurratur: vt sic compellãtur etiam Clerici impositiones illas persoluere. Quam doctrinam Ricardi perspicuum est maxime conuenire cum his quæ hoc loco docuimus, tantum abest, vt ab ea recedat

Contro-

Controuersia Secunda.

AN CLERICI ET RELIgiosi sint immunes a solutione Gabellarum.

QVARTO eximuntur etiam ab omni vectigali, & Gabella quocunq; nomine censeantur, omnes Ecclesiastici: tam Clerici quam Religiosi. Ita Angelus, Sylu. Tabien. Armilla, & omnes vno ore DD. locis citatis. Estq; difinitum in cap. 1. & 2. de immu. Eccle. lib. 6. in cap. Sancitũ. De censibus. & cap. Non minus. ac cap. Aduersus. de Immune Eccle. & aliis multis locis: potissime cap. Quamquam. De censibus. in 6. vbi excommunicantur, si personę singulares sint, quicunq; aliquas Gabellas exegerint ab Ecclesiasticis personis. si admoniti non destiterint, & restituerint accepta: si vero sit communitas, vel Resp. interdicitur. In cap. Non minus. Excommunicantur Consules, Rectores ciuitatum, & locorum, & Potestates imponentes Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis tallias, aut vectigalia, si admoniti non desistunt: & omnes qui prebent cõcilium, fauorem, vel auxilium, & eorum successores.

In cap. Aduersus excommunicatur Rector, & Gubernator qui succedens priori à quo inique tales Gabellę fuerũt á Clericis exactæ, nisi intra mẽsem faciant illas restitui, vnde iuxta hoc cap. Aduersus. non solum est excommunicatus prædecessor qui Gabellas exegit à Clerico, verumetiam successor, qui non curat diligẽter, & facit, vt illi Clerico intra mẽsem restituantur. Quod si hic successor prestiterit, quod in se est, nec restitutæ sint, non incidit in excommunicationẽ, prior tamen qui illas exegit manet semper excommunicatus.

Excõmunicantur etiam in Bulla Pij. V. & à temporibus ipsius omnes qui in fructibus, & redditibus Ecclesiæ formaliter, & qua tales sunt, nempe pertinẽtes ad Ecclesiam, vel Religionem, imponũt tributa, contributiones, decimas, tallias, prę stantias, vel alia onera, aut illa exigũt sine facultate, & concessione sedis Apostolicę, etiam si consentiente parte illa exigant. Deniq; in Conci. Viennensi. & habetur in Clementina Pręsenti. De censibus. præcipitur Episcopis, vt præter obligationem iuris naturalis, quo tenentur protegere suos Clericos, & illorum immunitatem, vt oues suas, ex præcepto istius Cõcilij teneantur denũtiare, vt excõmunicatos, quoscunq; imponentes, vel exigentes quascunq; Gabellas à Clericis, & imponere interdictum in locis, & terris, in quibus à Rep. vel communitate exiguntur ab eis, ipsi vero Ecclesiastici qui aliquas Gabellas persoluerint exactas sine facultate Sedis Apostolicę, iure antiquo etiam excommunicabantur in illo cap. Clericis. De immunit. Ecclesias. lib. 6. modo tamen ista excommunicatio iam non est in vsu, imo reuocata in Clemẽt. prima De immunitate Eccles. Manet tamen semper præceptum naturale Clericis non persoluendi illas, peccaretq; qui vltro persolueret iuxta quantitatem materiæ. Primo, quia eo ipso quo fuit aliquo tempore imposita excõmunicatio: ostẽdit Ecclesia se velle id obseruari a suis Clericis sub mortali, cum excommunicatio non feratur nisi pro mortali tantũ, est autem sublata excommunicatio ad securitatem conscientiæ, non tamen ad minuendum ius immunitatis Ecclesiasticæ. Secundo, quia qui talia solueret in quantitate offerret scandalum, & occasionem litibus, isti enim exactores (vt solent esse cupidi) ex facto vnius, vel alterius niterentur introducere sub titulo consuetudinis, vel adquisitæ possessionis aliquem abusum in damnum immunitatis Ecclesiasticę. Careret tamẽ peccato qui coactus aliqua vi cui non valeret resistere, solueret.

Circa istam immunitatem, & censuras in ipsius fauorem latas à iure, aliqua obseruanda sunt. Prius est, ex cap. illo Quamquam. & aliis, non solum Ecclesiasticos esse immunes ab omni Gabella, vbi aliquid illi emunt ad proprios vsus, vel suæ familiæ, verumetiam omnia bona ipsorum sint siue bona Ecclesiastica, & quę titulo sui beneficii possidẽt, siue secularia, vt patrimonialia quæ hereditate, obtinuerũt, vel castrensia quę propria industria sibi adquisierunt. Ita communiter omnes DD. Quia definitur in textibus istis, esse immunes ab omni Gabella Ecclesiasticas personas, & eorũ bona, præter ea quę negotiationis causa ab ipsis aliquo defferuntur. Vnde cum sit regula

gula iuris, vt quando á voce communi aliquid excipitur, eo ipso cætera, quę nõ excipiuntur, intelligantur comprehensa in illa voce communi, in istis autẽ textibus Ecclesiastici, & bona eorum dicuntur libera, & immunia ab omni Gabella, præter ea quæ negotiationis causa ab ipsis deferuntur, sequitur aperte Clericorum fructus, vt frumentum, vinum, & similia circa quæ non exercent mercaturam, sed colligunt ea ex suis hęreditatibus, quocunque titulo iusto illas possideant, libera esse quando ea aliis vendũt ab omni vectigali. Etenim cum mercatura sit aliquid emere, vt immutatum alteri vendatur, fructus quos ex suis hęreditatibus Clerici colligunt aliis vendere non est mercatura, sicut nec agricola dicitur mercator, aut negociator, quia fructus quos ex suo agro colligit vendat, vt art. 4. huius quæst. 77. art. 4. agentes de mercatura, & explicantes qui dicantur illam excucere vidimus. Non ergo tenentur Clerici ad aliquod vectigal ratione eorũ quæ ex suis heeeditatibus colligunt, & vendunt. Ita Panor. in cap. fina. de vita & honestate Clerico. quem sequuntur Sylu. verb. excommunicatio 9. casu 5. §.2. Et verb. Immunitas c. 1. q. 6. num. 3. Tabien. verb. Excomunicatio. 5. casu 18. nu. 4. habeturq́; aperte 12. q. 2. can. Ecclesiarum seruos. & in illo c. Quãquam. Et in illa Clementina. Præsenti. & L. omnis. Cod. De Episcop. & Cleric. Nec per contrarium vsum potest contra hãc immunitatem Ecclesiæ, & Ecclesiasticorũ præscribi. L. Item nulla cõmunitas. Eodem titulo modo citato.

Imo est communis Iurisperitorum sententia, vt docet Azpilq. explicans c. istud Quamquam. De censibus. in suo Manuali c. 27. nu. 128. Vbi vtitur hoc exemplo, vt si monasterium, vel Clericus habeat venã ferream suam in suo fundo, eamq́; asportet in alia loca, vt inde ferrum conficiat, & vendat, non debeat Gabellam aliquam, vel vecturam: vt docent Federicus consi. 207. Ancar. in illo Cap. Quãquam. & Cynus ab omnibus in hac parte receptus in L. omnes. Cod. De Episcopis & Clericis. §. Priuilegia. Quamquã deberet reuera si emeret solã venam, & aliorum ministrorum manibus ferrum ex ea conficeret aliis vendendũ, quia tunc iam exerceret mercaturam; cũ rem alienam emeret, vt eãdem licet mutatam aliis cum lucro venderet. Idem etiã docuerũt Bertachin. in suo erudito tractatu De Gabellis. part. 7. nu. 18. affirmans, & ostendens Clericos posse facere vendi vinum, vel frumentum suum, tam minutim quã in maioribus quantitatibus sine solutione Gabellæ, quando vinũ illud, vel frumentum, quod venditur ex propriis illius vineis, aut ex Abbatia, vel beneficio ipsius est: quia tunc non exercet mercaturam. Idẽ Petrus Rebuff. 2. tom. constit. Regia. tract. De mercat. art. fin. num. 23. affirmatq́; ibi, a Rege, & suprema curia ita fuisse sœpius declaratũ. Etenim quod non sit mercatura, vel negotiatio, quãdo quis vendit granum, vinum, aut oleum suum ex suis fundis, & agris collectum, docent Panorm. volum. 1. dub. 2. Cõcil. 6. Decius in cap. Ecclesia Sanctæ Marię. De constit. colum. penult. & multi alii grauissimi Iurispontificii interpretes.

Cæterum si Clericus hereditatem suã locauit, aut in integrũ, aut medietatem fructuum, tunc agricola tenetur illorum fructuũ, qui sibi pertinẽt Gabellas soluere, perinde ac si proprii ipsius essent, Ideq́; dicendum si Clericus habeat aliqua bona cõmunia cum fratre suo, quia immunitas transit à persona in fructus. Quo fit, vt si fructuũ sit dominus Clericus, sint liberi si vero agricolę ipsius, vel fratris, nõ sunt liberi. Ita Sylu. Excommu. 9. casu. 5. §. 3. & casu 21. §. 6. vbi adducit Geminianum, & Federicum in cap. Quamquam. ita docentes. Quia pars agricolæ, vel fratris secularis est.

Secũdo, sequitur apertè ex istis textibus res quas emunt Clerici, vt aliis vẽdant, & circa quas exercent mercaturã, siue perse ipsos, siue per interpositã personam, eas omnes in cõsciẽtia debere Gabellas omnes quas debent seculares: quia hoc est proprie negotiatio, aliquid emere, vt immutatum alteri vendatur. Ita Syluest. Tabien. & omnes DD. imo habetur aper te in illo cap. Quamquam. Dixi res quas emunt Clerici, & sunt ipsorum ad vendendum aliis. Quia si Clericus res non suas, sed Ecclesiæ transferat in alium locum causa negotiationis, non potest ab illis rebus quæ reuera sunt Ecclesiæ exigi Gabella. Vt optime Panor. Et Sylu. locis citat. docent, quia delictum Clerici Ecclesię non potest nocere nec debet.

Tertio, est obseruandum (vt supra docuimus cũ Cayet.) istas censuras licet Papales sint, non tamen pertinere ad processum Papæ quem communiter voca-

mus Bullam in Cœna Dñi, quia in ista bulla solum excõmunicantur omnes imponentes, vel exigentes nouas Gabellas, à quibuscunq; illas exigant, hic autẽ est sermo de Gabellis, quæ simpliciter iustæ sunt, & impositæ ab habente authoritatem, iustéq; á secularibus exiguntur, sũt tamen ab illis excepti Clerici. Vnde tota iniquitas talium exactorum in eo solum consistit, quod exigant ab exemptis immunitate Ecclesiastica, minime vero in eo quod imponãt, vel exigant nouas Gabellas, quod prohibetur in illa Bulla in Cœna Domini. Vnde qui iustas & quas à secularibus exigere possunt, à Clericis exigunt, non incidunt in Bullam Cœnę, sed in aliam tantum excommunicationẽ Papalem: qua percutiuntur in textibus illis citatis, á qua satisfacta parte per Bullam Cruciatæ absolui possunt, vt constat ex eisdem textibus. Ex quibus etiam liquet esse prius admonendos talia exigentes, ne amplius illa exigant, sed accepta restituant, ita vt nisi destiterint ac restituerint accepta admoniti, tunc denũcientur excõmunicati, ante admonitionẽ vero, nec excõmunicati sunt, nec vt tales denunciandi: quia textus ille in cap. Quãquam. & cap. Nõ minus. ita aperte habet.

Quarto est obseruandum, controuersum esse inter DD.

An minister vel gubernator qui videt suo muneri esse annexum exigere Gabellã a Clericis, & præstitit quidquid potuit, vt obtineret a Rege, vel Rep. vel aliis quorum interest, ne talis Gabella exigatur ab ipsis, teneatur relinquere officiũ cui talis exactio annexa est; vel posit tuta conscientia illud retinere, cum præstiterit, quantum in ipso est, ne talis Gabella exigeretur.

Innoc. in cap. Nouerit de sent. excom. Ioan. And. in C. Aduersus. Quos sequũtur nonnulli, sentiunt istum gubernatorẽ, cuius officio talis exactio annexa est, incurrere excõmunicationẽ quã diximus, & cum excommunicatio non incurratur nisi pro peccato mortali, consequenter peccare istũ mortaliter. Vnde iuxta hos cũ quoduis munus dimittendũ sit, cui est annexum peccatum mortale, tenebitur talis gubernator dimittere illud officiũ. Et probatur ratione. Quia licet immunitas (vt dicemus) sit à iure humano, at existẽte tali immunitate exigere talẽ Gabellam a Clericis est iniustũ, & furtũ, ac prohibitũ lege naturali & diuina: sicut apropiatio rerum est quidem a iure gẽtiũ, at ea facta auferre a Petro quod ipsi apropriatũ est, est prohibitũ omni iure sicut furtũ, relinquendum autem est quodcunq; officiũ, ne violetur lex naturalis aut diuina.

Panor. in dicto cap. Aduersus. iudicat istam sententiam nimis rigidam. D. Nauar. in suo Manuali cap. 27. nu. 115. sentit non esse istum excommunicatum, nec teneri ad dimittendum officium, cum ipse pręstiterit quidquid potuit ne Gabella illa exigeretur, quia hac immunitas Clericum est a iure humano, quod non debet obligare cum tanto damno.

Angelus quem sequitur Tabien. verb. Immunitas 5. casu. 18. §. 4. volunt post factam, id est post collectam Gabellam á Clerico, non teneri ad dimittendum officium, sed sat est illam restituat, vel ex propriis: ante factum vero, prius debere dimittere officium quam illam exigere, quando aliter non potest officium illud retinere, nisi exigendo talem Gabellam, ab eo, a quo iniquum est illam exigere. Et huic sententiæ subscribit aperte Sylu. Excommunicatio. cap. 9. nu. 5. §. 8. vbi ait: officiales istos resistentes eo modo quo dicimus, non esse excommunicatos, nec peccare, cum ipsi talia non imponãt, nec exigant, sed solum receperint aliquãdo; restituerint vero iam illa, nec teneri ad dimittendũ officiũ, nisi quando illud aliter omnino exercere nõ valent, nisi imponendo, aut exigendo istas Gabellas a Clericis. Vbi miror D. Nauarrũ afferre Sylu. & nonnullos alios in suam sententiam, cum oppositum omnino doceant.

Nos Innocentii & Ioan. Andreę, quos profecto sequuntur Angel. & Sylu. sententiam probabiliorẽ iudicamus. Potestq; confirmari præter rationes adductas: quia non minus iniquum est exigere Gabellã, ab eo qui non tenetur illam soluere, quã exigere Gabellã iniustam: sicut non minus iniquum est, iudicem velle iudicare illum qui non est sibi subditus, quam eum qui non est iudex velle iudicare aliquos: sed prius est dimittendũ officium quã exigenda Gabella iniusta, ergo similiter prius quoque est dimittendum officiũ, quã exigenda ab eo qui illam non debet.

Secundo, Immunitas Clericorum circa suas personas maxime in causa sanguinis à iure humano est, vt vidimus 1. tom. nostrorum cõmen. q. 66. ar. 7. Contro. 1. agentes de iurisdictione quæ requiritur in iudice: at nihilominus si Rex præciperet prætori, vt iudicaret Clericum in causa sangui-

sanguinis, vel illud & si meritū puniret, peccaret grauissime iste pretor, & incurreret cano. Si quis suadēte deberetq; prius dimittere officiū quā illū Clericum iudicare: ergo similiter etsi hæc immunitas concessa Clericis ne soluāt Gabellas sit à iure humano, vt statim videbimus, nihilominus exigēs illam à Clerico peccabit grauiter, veluti inique exigens rem non debitam, incurreretq; censuras iuris contra exigentes Gabellas à Clericis.

Nec ratio Panor. valet, aut D. Nauarri, ius humanum non obligare cum tanto damno, vt dimittatur officium, non enim asserimus dimitendū officiū ob ius humanum, sed quia violatur lex naturalis ac diuina, qua prohibemur iniquè aliquid exigere: exigere vero à Clerico Gabellā, etsi ista immunitas a iure humano illis conueniat, eā tamen posita, & stante iniquum est & furtum.

Quinto obseruandū est circa excōmunicationem, quæ habetur in Bulla Pij 5. illam non esse nouam, sed explicationē antiquę. Etenim cū iam in omnibus bullis Cœnę Domini habeatur illa clausula, excommunicari omnes imponentes nouas Gabellas, nec vnquam fuerit in vsu apud fideles; & Catholicos exigere Gabellas ex fructibus & reditibus Clericorū sub hac ratione & nomine, quia sunt fructus Clericorū, hoc namq; modo ab ipsis illas exigere esset ostendere graue odium in bona Ecclesiæ & Clericorum: propterea qui postularet Gabellas ex bonis Clericorum qua talia sunt, nempe qua bona Clericorū, introduceret profecto nouas Gebellas, & consequēter incurreret clausulam illā contra imponētes noua pedagia sine consensu superioris authoritatē habētis. Vnde clausula ista huiusmodi bullæ loquitur formaliter & proprie, vt incurrāt censurā istā imponentes, vel exigētes Gabellas quascūq; ex fructibus & reditibus Ecclesiasticis, qua tales sunt, & sub ea ratione qua fructus sunt Ecclesię.

Vltimo loco circa hanc immunitatem Ecclesiasticorum, qua liberi sunt a solutione quarundam Gabellarum, videamus oportet.

Controuersia Tertia.

QVO IVRE HAEC IMMVnitas *Ecclesiasticis conueniat, diuino nè an humano tantum?*

PLERIQVE Iuriscanonici interpretes, quibus consentiunt nonnulli Thologi, opinati sunt Clericos & illorū bona iure diuino liberā esse ac exempta a potestate seculari, & solutione Vectigaliū, vtrumq; enim simul docēt, & de vtroq; capite simul solēt DD. disputare. Nos quod pertinet ad caput illud, quo iure sint exēpta a potestate & iudicio seculari, explicauimus iam 1. tom. q. 66. ar. 1. Cont. 1. propterea solū disseremus hoc loco. Quo iure sint exempti a solutione tributorum, & vectigalium?

Qui ergo Clericos iure diuino exēptos esse opinantur, colligūt illud. Primo ex c. 47. Gen. vbi legimus Ioseph reddidisse omnem terrā Aegypti tributariā, excepta solum terra Sacerdotali, adeo, vt manserit ex eo quasi in legem, vt cūctus populus tributum solueret preter Sacerdotes, nouimus autē eo tēpore Ioseph nullo alio iure vsum fuisse quam solo naturali, vel diuino. Quo testimonio vtitur Vrbanus Papa in cano. Tributum 23. q. 8.

Secūdo legimus 1. Esdrę. cap. 7. Sacerdotes Leuitas Ianitores cęterosq; ministros tēpli à tributis fuisse exemptos, sic enim habetur in Epistola Artaxerxis missa Esdræ: *Vobis quoque notum facimus de vniuersis sacerdotibus, & leuitis, & cantoribus, & Ianitoribus, nathinæis, & ministris domus Dei huius, vt vectigal, & tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.*

Tertio sacerdotes & viri Ecclesiastici sunt electi à Deo in eius obsequium, & cultum, quibus populus debet decimas & primitias, vt habetur varis in locis Exod. & Leuit. & potisime num. 18. Eodem ergo iure diuino quo in tam sublimem dignitatem electi sunt, censendi sunt esse immunes ab omni tributo, & vectigali seculari. Quod videtur insinuare canon ille D. Hiero. Duo sunt 12. q. 1.

Quarto deplorabat Hiere. Threno. 1. quod viri nobiles & Principes Israelis essent tributarii Chaldęis, quasi rem ab omni iure tam naturali quam diuino maxime alienam, dicens: *Principes Prouinciarū facti sunt sub tributo.* At prestātissimi Principes in hoc Regno Christi quod est Ecclesia sunt sacerdotes: alienum ergo etiā erit ab omni iure naturali & diuino, vt hi tributa vel alia vectigalia persoluant. Quo argumento videtur vti Concil. Later. in cap. Non minus. De immunit. Eccles.

Quinto Math. 19. cū exactores Caphar-

naitæ à Christo tributum postularent, interrogauit Christus Petrum. *Reges terræ a quibus accipiant tributum, a filiis, an ab alienis?* Respondenteq; Petro. *Ab alienis*: intulit, & recte Christus Dominus. *Ergo Filij liberi sunt, ne autem eos scandalizemus, vade & staterem, quem in ore piscis deprehendes, solue pro te, & pro me.* Vbi Christus aperte Petrum aliosq; discipulos in quibus Sacerdotalis, Ecclesiasticusq; status presignabatur, ostendit liberos iure suo, neq; tunc alio nomine præcepit Petro, vt tributũ redderet, quam vt tolleret scandalum, quod tunc oriri poterat apud ignaros dignitatis, & immunitatis status Apostolici, & Ecclesiastici, qua ignorãtia & scandalo cessante sicut nunc iam apud fideles cessat, videntur iure suo á Christo illis tributo, esse ab huiusmodi vectigalium, & tributorum solutione liberi, & immunes.

6. Innoc. tertius cap. Quamquã. De cẽsibus. in 6. habet aperte Ecclesiasticas personas, ac res ipsarum, non solum iure humano, verumetiam diuino á secularium Principum exactionibus esse immunes, vbi Glossa affert locum citatum 1. Esdræ cap. 7. & in Conc. Trident. Sess. 25. cap. 20. De reformatione dicitur. *Deo disponente, & ordinante concessam fuisse Clericis exemptionem & immunitatem a potestate layca, & ciuili, tam in personis quam in eorum rebus & bonis.*

Afferunt præter hæc, quæ habentur can. Relatio. Can. Continua. Cano. Placuit. Can. Sacerdotibus. 11. q. 1. Can. Futuram 12. q. 1. Can. si Imperator. Can. Nunquam dist. 96. Sed hi ac similes textus non pertinent ad præsens institutũ de solutione tributorum, sed ad caput illud quo iure sint exẽpti a iudicio seculari.

Oppositum docent D. Tho. in 1. epistol. ad Timot. c. 13. Sylu. verbo Iudex. §. 4. Ioannes Medina Cod. de Rebus restit. q. 15. Blasius Nauarro de Vectigal. cap. 10. & est cõmunis inter Theologos, huiusmodi exemptionem, qua potiuntur Clerici a solutione Gabellarum concessam esse illis iure humano Põtificio, cui Principes Christiani libere ac prudenter pro sua pietate Christiana consenserunt. Probaturq; illud efficacissimis argumẽtis.

Primo. Quia si ius naturale respicias, cũ tributa & Vectigalia omnia ad leuandas communes, & publicas necessitates Regni & Reip. instituantur, exigit recta ratio, & ius ipsum naturale, vt sicut æquissimum est cõmunes necessitates ab omnibus mẽbris, & ciuibus Reip. leuari, ita quoque ab omnibus mẽbris, & ciuibus Reip. cuiuscunq; status & ordinis sint, Vectigalia & Gabellas ad tales necessitates leuandas instituta, persolui. Si vero ius diuinũ positiuũ respicias, ius diuinum positiuũ (vt recte ait Medina loc. cit.) non tollit obligationẽ naturalem, aut diuinã, quę præcerat, sicut nec lex Euangelica tollit debita prius contracta, siue sit debitum carnis, siue pecuniarum, siue seruitutis, siue alterius obedientię. V. g. eo quod seruus ad fidem conuertatur, & babtizetur, nõ redditur liber á seruitute Domini sui: vt docẽt B. Paul. 1. Corint. 7. & B. Petrus 1. cano. c. 2. Similiter debitum coniugale non tollitur per Baptismum subsequẽtẽ: iuxta illud B. Ambros. *Baptismus peccatum tollit non coniugium.* Debitum etiã pecuniarum per baptismũ, aut legẽ Christi de nouo susceptam non tollitur, sicut nec per Sacerdotium aut alium ordinem postea susceptum. Vnde nisi lex Pontificia, cui principes Christiani consenserũt: exemisset Ecclesiasticos a solutione vectigalium, Sacerdotium Euãgelicum nõ liberaret eos ab ea: cum iure naturę, vt vera Reip. mẽbra ad eius necessitates & onera iuuanda non minus, quam alii tenerẽtur. Vnde B. Paul. cuius tempore Clerici nondum habebant tales exemptiones canonicas, & priuilegia Regũ, sine vllo discrimine pręcipit omnibus, vt debita reddãt. *Cui tributũ, tributũ, cui vectigal, vectigal*, nõ distinguẽs inter clericos, vel laycos.

2. Nihil asserendum est esse de iure diuino, nisi contineatur aperte in sacris litteris, vel ex illis colligatur in bona, & necessaria consequentia; vel ex traditione Christi, & Apostolorum, quæ ab aliis in alios quasi per manus deriuata sit habeatur; at nullus est locus Sacrę scripturę, in quo Clerici aperte eximantur à solutione vectigaliũ, & Gabellarum, vel ex quo talis exemptio recte ac necessario colligatur, nullum testimonium, vel conciliorũ, vel Summorum Pontificum, aut Sanctorum Patrũ in quo illa proponatur, tanquã Apostolica traditio, omnia enim quę à Iurisperitis in suę opinionis confirmationẽ adducũtur, nihil tale ostẽdũt, vt ex solutionibus argumẽtorũ cõstabit: nõ est ergo quod dicamus Theologice agẽtes huiusmodi exẽptionem esse a iure diuino.

3. Constat ex historiis Ecclesiasticis, tempore primitiuæ Ecclesiæ antequã Imperatores

peratores Romani Euangelium Christi suscepissent, & Sacramẽtum Baptismi, Clericos & illorum bona Regibus ac Imperatoribus fuisse subiectos, cum Imperatores, & post susceptam fidem varias leges constituerint circa personas, & res Ecclesiasticas, ac Ecclesiasticã disciplinã, vt constat C. De Sacros. Ecclesiis. De Episcopis, & Clericis quas piissimi illi ac Christianissimi Imperatores non tulerunt volentes ex tumore, aut arrogãtia Clericos sibi subiicere, sed quia reuera antequam priuilegio Apostolico ab ipsis pie admmisso essent ab illorum iurisdictione, & tributis immunes, illis profecto in omnibus præterquam in rebus fidei, & Sacramẽtorum administratione, & his quæ sunt propria muneris Ecclesiastici subiiciebantur. Quod B. Paul. Rom. 13. apertissime explicauit, vbi agens de potestatibus secularibus quibus tributa præstantur, ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Quo loco obseruauit eleganter B. Chrisost. omnibus pręcipere Paulũ, vt potestatibus secularibus subiecti sint, & ait. *Siue quis Euangelista sit, siue propheta.* Cũ hæc subiectio, nec pietatem Christianam subuertat, nec libertati Christianæ aliqua ex parte aduersetur.

Quarto 23. q. 8. Vrbanus Papa accomodans quod Math. 17. Christus pręcepit Petro, vt staterem in ore picis inuentum redderet, ait aperte. *De exterioribus Ecclesiæ.* (Id est bonis temporalibus) *Quod constitutum est antiquitus, pro pace, & quiete qua nos tueri, & defensare debent, Imperatoribus persoluendum est.* Quod vero habet deinde de Ecclesiis, & Ecclesiasticis non debere Imperialibus exactoribus subiacere, cum Ioseph in Aegypto tempore illius magnæ famis Sacerdotes liberos esse voluerit. *Domino ex tunc pronuntiante Sacerdotes in omni gẽte liberos esse oportere.* Non est ita accipiendum, quasi doceat Vrbanus iure diuino esse liberos, sed id maxime congruere cum iure diuino, à quo Sacerdotii dignitas constituta est, & quam Deus tot spiritualibus priuilegiis exhornauit. Aliter enim non indiguissent Ecclesia, vel Ecclesiastici aliquo humano, vel Imperatorio priuilegio, vt hac exẽptione & immunitate gauderent: sicut ad ministeria spiritualia, & Sacramentorum administrateonem, & iuditia ferenda in rebus fidei, & salutis ęternæ, quę iure diuino ipsis competunt, nullus vnquã sensit aliquo priuilegio, vel facultate humana Regum, vel Principum indiguisse: At idem Vrbanus cum dixisset, iustum videri, ne Ecclesię Imperialibus exactionibus subiiciantur, idq; maxime congruere cum iure diuino á quo dignitas Ecclesiastica instituta est, vt fecit Pharao in Egypto, affert statim varia priuilegia, concessa Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis, & eorum bonis ab ipsis Imperatoribus Cõstantino Constante, Valentiniano, Valente, & Iustiniano, in quibus immunitas, & exẽptio à vectigalibus, & tributis, de qua hic loquimur, illis conceditur.

Vbi inter alia illud est maxime obseruandum, Imperatorem Iustinianũ in suo priuilegio non dixisse Ecclesias immunes esse, eò quod illa non debeant. *Sed quia lex ipsa Imperatoria in parte Ecclesiastica suũ vigorem pietatis intuitu mitigandum censuit.*

Et Parisiense Concilium, vt habetur in proximo sequenti Canone. Secundum. meminit priuilegii, & constitutionis Imperatoris Ludouici, à quo fuit presbiteris concessa huiusmodi exemptio ab omni censu, illis quę tribuit hanc immunitatẽ. Quod intelligendum est, in Regnis Frãciæ quorum Pius ille Imperator Rex etiã fuit. Nam in vniuersum omnibus Ecclesiis Ecclesiasticisq; personis hæc exẽptio concessa fuit à Constantino Magno, vt refert Zozomen. lib. 1. Historię Ecclesias. c. 8. eo quod Clerici Dei ministri sunt, pro Regibus, ac Rep. & vniuersis Christi fidelibus laudes, & sacrificia die noctuq; Deo offerentes, & in spiritualibus corũdem Regũ, & Principum, patres ac pastores: quæ munera dictante recta ratione quasi suo iure exigere videbantur, vt ab omni tributo, & vectigali ab eisdem Regibus, & Principibus immunes efficirentur: vt optime obseruauit D. Tho. in commento c. 13. Epistolę ad Romanos.

Deniq; si iure diuino hęc immuntas illis competeret, cum ius diuinum, neq; Pontifices, neq; quiuis alius potestatem dispensandi habeant, nulla ratione liceret, vel Principibus, aut Rebuspublicis hæc ab Ecclesiasticis exigere, vel ipsis Ecclesiasticis illa persoluere, etiam si authoritate Sedis Apostolicæ illud concederetur: at vbi necessitas communis illud postulat, iustè, & optime Principes, vel Magistratus à prælatis Ecclesiæ postulãt, vt consensu eorum interueniente, persoluant quoque Ecclesiastici Gabellas,

quę ad necessitatem illam communem instituuntur, quibus consentientibus, cōsulitur tunc Romanus Pont. aduenienteq; illius supremæ Sedis authoritate, tenentur Clerici illas persoluere.

Vnde dicamus, habere Ecclesiasticos ac merito hanc immunitatem, non à sola potestate seculari, vel ex solo nudoq; Imperatorum, vel Principum priuilegio: quia ita posset ab eis pro libito reuocari, quod non est asserendū: sed fuisse eis cōcessam authoritate Romani Pont. accedente cōsensu totius Ecclesiæ, & approbatione ac priuilegio ipsorum Imperatorum, & Regum. Nam cum ex diuina institutione diuersę sint in Ecclesia potestates, & iurisdictiones, potuit Sūmus Ecclesię Princeps suos ministros segregare à potestate seculari, & a tributis, & vectigalibus illi debitis, consentientibus in illud ipsis met Imperatoribus, & Regibus per suas concesiones, & priuilegia. Quibus semel ita ab Ecclesia, constitutis & à piis illis & Catholicis Imperatoribus, & Regibus approbatis, nequeunt iam Principes seculares aliqua ratione derrogare.

Nūc ad argumenta contra nostrā sententiam, initio proposita diluamus.

Ad primum respondeo, factū illud Ioseph, & Pharaonis non esse vocandum ius diuinum, sed humanum potius, non enim est probabile Sacerdotibus illis sacrilegis potius quam sacrificiis, cum essent Idolorū cultores, iure diuino fuisse aliquam immunitatem concessam, licet domino inspirante illud Ioseph fecerit in honorem non illorum, sed eorum qui veri Sacerdotes sunt, & veri Dei cultores ac ministri: nō quasi iure diuino sint exempti, sed quod illud maxime congruat ministeriis, & dignitati quę à iure diuino sunt instituta. In quo sensu, vt diximus accipienda sunt verba illa Vrbani Papæ in illo Canone Tributū. Vbi recitato hoc facto Iosephi, & Pharaonis, subiungit. *Domino ex tunc pronunciāte Sacerdotes in omni gente liberos esse oportere.* Id est Domino indicante, quā congruum sit iuri naturali, & diuino hac immunitate ipsos gaudere.

Secundum argumentum, fauet potius sententiæ nostræ, quam repugnet, cū ex ipso textu appareat immunitatem illam cuius ibi fit mentio, vt nec tributum aliquod, nec vectigal Sacerdotibus, & Leuitis illius populi imponeretur, à Rege Artaxerxe fuisse illis concessam in gratiā Esdræ.

Ad 3. dico cum Medina De rebus rest. q. 15. verissimum quidem esse, Deū elegisse sibi in veteri lege Leuitas, in noua Sacerdotes, & Clericos, non tamen inde sequi, propterea exemisse illos à tributis, & vectigalibus, quæ Principibus, & Rebuspub. iustè debentur. Etenim, vt in progressu huius quęstionis vidimus, ius diuinum, quo illorum status, & dignitas institutà est, non tollit obligationem naturalem, & ciuilem, qua vt subditi Regū, & ciues Reip, iustis illorū legibus, & statutis parere tenētur: nisi ab ipsismet Principibus ab illis eximantur. Quemadmodum ergo decet Regem ex sibi subditis aliquos designare in sua suæq; familiæ peculiaria, & domestica obsequia, qui nihilominus iustis Reip. legibus, & iudicum pręceptis obedire debent, ita decuit maxime, & oportuit, vt ex populo fideli aliquos in suum obsequium, sacraq; ministeria Deus eligeret, quibus etiam victum necessariamq; sustentationem designaret ex decimis, & primitiis, nō tamen propterea a iustis Principū legibus, & necessariis in bonum commune exactionibus voluit esse liberos, licet eo ipso quo ad tantam dignitatem illos euexit, insinuauerit satis, piè ac decenter Principes Chrīstianos facturos, si a sua potestate, & exactionibus illos liberos, & immunes esse Summis Pontificibus ita constituentibus, consentient.

Ad 4. dico Hieremiā eo loco nō loqui de Clericis, vel ministris tēpli, sed de Hierosolima, & Principibus, ac nobilibus illius, quorū omniū deplorat vicem, Ciuitatis quidē, quod ita a Caldæis ferro flammisq; vastanda esset, Principū vero, & nobiliū, quod in captiuitatē Babilonicā ducti Regi infideli efficerētur tributarii, qui solis Regibus naturalibus ex semine Dauid & fidelibus tributa soluebant, minime vero alienis vel infidelibus.

Ad 5. dico, Christum Dominū dicētē Petro filios liberos esse à vectigalibus, nō exemisse Clericos ab illorum solutione, sed eos tantum, a quibus Publicani illi Capharnaitæ tunc temporis illa exigebant, nempe se ipsum, & Apostolos, ab his enim tūc illi didracma postulabāt, quibus nec ipse Christus cum esset filius Dei filiusq; Dauidis censum illum debebat,

bat, nec Apostoli qui omnibus relictis Christumq; sequuti summam pauperiem profitebantur, ex solis Eleemosynis victũ habentes, huiusmodi enim pauperes, vt diximus, á vectigalibus omnibus ratione suæ indigentiæ omni iure sunt immunes, se ipsum igitur & Apostolos eo loco docuit Christus liberos esse, minime vero reliquos Clericos qui huiusmodi pauperiem Euangelicam & Apostolicam non sequuntur. Nisi mauis, quod tertiis maxime congruit, de se ipso tantum loquutum ibi fuisse, cum exactores illi Capharnaitæ solum essent conquesti apud Petrum, cur Magister illius non solueret Didracma: quorum querellæ satisfacit Christus, affirmãs se verum Dei, Dauidisq; filium illud nõ debere: cum iuxta omnium gentium consuetudinem filii Regum censum non soluant, sed liberi sint. Quis autem dicat, quę Christus de seipso protulit, vt vero Dei Dauidisq; filio, Clericis omnibus esse accommodanda?

Ad sextum, Respondeo, fuisse quidem sacerdotes, & ministros templi exemptos in lege veteri, minime verò in nouo Testamento: quia exemptio illa quam tunc habuerũt antiquæ Legis Sacerdotes, cum ad cęremonialia vel iudicialia illius tẽporis pertineret, cessauit omnino cum cæteris cęremoniis, & iudicialibus illius legis in monte Christi: In nouo autem Testamẽto nullus existit locus, in quo á Christo Seruatore nostro talis immunitas legatur Clericis concessa, aut ex quo illud recte colligi possit, nec traditio aliqua Apostolica, quę illud á Christo doceat Clericis concessum: Imo docent sancti Patres (vt vidimus) oppositum, maxime D. Gregorius 23. quæst. 8. Cano. Si in mortem. cuius verba sunt. *Sed notandũ est, quosdam Episcopos leuiticâ tantum portione esse contentos, qui sicut in Dei sortem tantum numerantur, sic ipsum Deum solummodo in hæreditatem accipiant, dicentes: Dominus pars hæreditatis meæ. His nihil est cõmune cum Principibus sæculi: quia temporalia pœnitus abiiciunt, ne eorum occasione legibus Imperatorum obnoxii teneantur. Talibus nulla occasio relinquitur occupationis secularis militiæ: quia cum de decimis & primitiis viuant, tamquam filii summi regis in omni regno a terrenis exactionibus liberi sunt: ita vt dicere valeant: venit Princeps huius mundi, & in nobis non habet quidquam Porro alij sunt, qui non contenti decimis, & primitiis prædia, villas, castella, & ciuitates possident, ex quibus Cæsari debent tributa, nisi Imperiali benignitate immunitatẽ ab huiusmodi promeruerunt: quibus a domino dicitur. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quae sunt Dei Deo, quibus idem Apostolus: Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.*

Cęterũ quia mos est Sãctorũ Põtificũ quę in veteri testamẽto á Deo fuerũt instituta, obseruandá quidem ab illo populo Israelitico tempore illius legis, si quidem videãtur gubernationi populi Christiani vtilia, illa amplecti, ac præcipere: Licet non pręcipiantur ab ipsis vt mandata, vel cæremonię illius Legis, quæ iam sepulta est, & abolita omnino, sed tamquam Ecclesiastica præcepta, & instituta, soliti nihilominus sunt appellare illa, diuina instituta & ordinationes, eò quod aliquãdo ita fuerint á Deo illi populo constituta: cũ reuera in nouo testamento ad ius tantum humanum spectẽt, nec vllam haberent vim nisi ab ipsis Põtificibus fuissent pręcepta, & constituta. Ita affirmant Matrimonium in quibusdam gradibus consanguinitatis, vel affinitatis iure diuino esse prohibitum, quia in veteri lege Dei præcepto prohibebatur, cum in nouo tamen á solo iure humano Pontificio huiusmodi prohibitio vim habeat. Similiter quadragesimale ieiunium ab Apostolis institutum humani tantum iuris est, cum illud Beatissimi Apostoli instituerint, non vt pręceptum à Christo, sed authoritate qua præditi erant ad vniuersam Ecclesiam gubernandam, & præcipienda quę fidelium saluti iudicarent expedire: habet nihilominus D. Ambros. serm. 34. hęc verba. *Quisquis Christianus consecratam non impleuerit quadragesimam, præuaricationis, & contumaciæ reus erit, quod legem diuinitus pro salute sua datam concedẽdo ipse refudit.* Et sermone 36. *Sacrarum litterarum.* Inquit. *exempla protulimus, quibus probauimus hũc quadragenarium numerum non esse ab hominibus constitutum, sed diuinitus consecratum. nec terrena cogitatione inuentum, sed cœlesti Maiestate præceptum.*

Vbi D. Ambr. Ieiunium quadragesimale, quod à iure tãtũ humano Apostolico est institutũ (aliter enim in eo nulla ratione nulla ve de causa posset Sum. Pont. in eo aliquando dispensare, quod tamẽ potest, & præstat) vocat diuinum, quia il-

lustrissima illius exempla in sacris litteris præcesserunt, Moise, Elia, & Christo Seruatore nostro hoc dierum numero ieiunantibus. Eadem omnino ratione Pōtifex in illo cap. Quamquam. Et Patres Concilii Tridentini hanc exemptionem Clericorum de qua hic agimus, iure diuino, vel Deo ordinante illis collatam dixerunt, non quod in nouo testamēto à iure diuino sit, sed quia aliquando diuino iure sit illiis concessa: nempe in veteri lege. Quod ius, diuinamq; ordinationem illius antiquæ legis immitantes, constituerunt ipsi Pontifices vniuersa Ecclesia illud consentiente, & Principibus Christianis illud approbantibus, & concedentibus, vt Clerici hac gaudeant immunitatate.

ARTIC. VII. ET VLTIM.

Quæ tributa, Vectigalia, vel impositiones possint Duces, Marchiones, & alij Domini locorum a sibi subditis exigere.

VARIA sunt quę huiusmod Magnates, & domini locorū à sibi subditis exigunt, & accipiunt.

Primo partes decimales, quæ ipsis persoluuntur in signum subiectionis, & dominii, quę sunt vere tributa.

Secundo, varia munera: & realia, vt gallinas, ædos, &c. Et personalia, veluti, vt in agris eorum, vel ędifficiis domorum subditi gratis tot diebus laborent, aut tanto stipendio vbi domini isti iter aliquod aggredientur, eos commitentur. Et mista, vt cum propriis iumentis, aut bobus tenentur in dominorum agris laborare: quę munera & obsequia dicūtur à DD. Angaria, & Superangaria.

Tertio, exigunt quoq; ab ipsis nonnulla vectigalia ratione eorū quæ à sibi subditis venduntur, vel emuntur, aut deffeꝛuntur gratia mercaturæ.

Quarto, postulant etiam nonnunquam ab ipsis quędam obsequia, seu subsidia ad extraordinarias ipsorum dominorum necessitates, constitutis nouis quibusdam impositionibus per familias, vel fructus ad modum collectæ.

Quinto exigūt ab illis Gabellas quasdam, siue pecunias, quo facultatem eis concedant, vel ad scindenda ligna ex nemore, vel ad ædificandas domos, vel ad vendendas hæreditates, vel (vt aliqui faciunt) ad conficiendum testamentū, aut dotandas filias, & similia.

Deniq; sumunt etiam ab eis aliquas pœnas, vel ratione transgresionis alicuius, vel vt pœna corporalis alicui subdito iniuncta in pecuniariam commutetur.

Hæc omnia nunc exploremus oportet, quid æquitatis habeant.

Quod ad primum caput pertinet, tuta conscientia accipiunt huiusmodi domini decimas istas fructuum, & tributa ex terræ nascentibus, quę vel lege Principis ipsis asignata sunt, vel antiqua cōsuetudine. Nā cum isti domini vice Principis illis terris dominētur, & loco Principis eas gubernēt, custodiant, ius in eis dicant subditis, & eorum lites componant, debentur ipsis huiusmodi tributa, sicut deberentur Principi, si quidem ab eo gubernarentur.

Quó ad secundum res est difficilior: opusq; est districtione. Loca enim ista, & terrę, aut ita fuerunt á Regibus, eo tempore quo Regnum fuit acquisitum, vel postea, huiusmodi dominis tributę, vt tradiderint illis simul illarum dominium omnino, & absolute, quod vocant proprietarium, aut tradiderunt illis solum ciuile, & gubernatiuum: Si quidem omne dominium, & proprietarium illis à Regibus traditū sit, ac domini isti velut tale dominium in illis terris habentes, constituerunt vnicuiq; subditorum hanc, vel illam hęreditatem, vel partem suæ terrę sub hac conditione, exhibebis mihi tāquam pretiū huius hæreditatis, vel fundi, quem tibi trado, tantam partē fructuum, tot gallinas, vel in tali pretio arabis meas hęreditates tuis iumentis tot vicibus singulis annis, & sub illa conditione subditi ipsi liberé, & voluntariè terram illam acceperunt, tuta conscientia recipiunt huiusmodi domini hęc munera, & obsequia à sibi subditis: quia illud pactum, & conuentio fuit re vera illius terrę venditio, pro huiusmodi muneribus tamquam pro iusto pretio. Quo fit, vt sicut pōtest venditor iustum rei suæ pretium, de quo cum emptore conuenit, ab illo postulare similiter possunt Magnates isti munera ista, & obsequia a sibi subditis exigere.

Quod

Quod si domini isti nō habuerunt istorum locorum dominium propietariū, sed solum ciuile & gubernatiuum, constituerunt vero cum suis subditis, vt exhiberent eis gallinas in tali pretio, labores diurnos iu tali stipendio, & similia, ita vt hæc conuentio non fuerit emptio terrarum, sed conuentio solum de pretio accomodato rerum in gratiam & obsequium illius domini, vt sui gubernatoris vel iudicis: tūc non possunt isti domini res istas exigere á suis subditis in pretio adeò deficiente à iusto, vt fieri solet. Ratio est aperta, quia cum ista conuentio non fuerit in pretium terræ quam subditus acceperit à domino loci, tanquam absoluto & proprietario domino illius, sed conuentio tan tum de pretio rerum tamquam accommodato, & moderato in gratiam illius domini, vel in gratiam simul & seruitium gubernatoris sui: certum est eo tempore quo fuerunt hæc pretia constituta, non fuisse imposita temere, sed inspecto recto illarū pretio tali loco, & tēpore, & seruato quodam honesto moderamine, & non tyranice: Ita vt si gallina tunc valeret 24. denarios, conuenerint subditi cum domino exhibere illi omnes quibus indigeret dece met octo denariis, si stipendium laboris diurni esset 30: conuenirent, se ab illo tantum accepturos 24. Quo fit vt cum pretia (quod certissimum est) non fuerint tunc constituta tyrannice, sed cum honesto quodam moderamine, sicut fuerunt tunc instituta seruata quadam hone sta proportione cum pretiis iustis illius tēporis, ita quoque postquam pretia illarum rerum progressu temporum aucta sunt, debere dominos istos illa etiam augere cū subditis, seruata similiter honesta & mode rata proportione.

Sed dices ignorant qui huiusmodi locorum nunc habent dominia, qua ratione maiores eorum cum subditis cōuenerint, num titulo conuentionis pro pretio terrarum, vel titulo emptionis ipsarum rerum?

Dico vel ex historiis, vel ex scripturis, vel traditione maiorū omnes aut plerosq; eorum posse facile deprehendere, qua ratione maiores sui terras illas sibi subditis tradiderint: num tamquam proprias & illis venditas sub huiusmodi pactis, vel conuenerint solum cum subditis, vt in eorum gratiam promisserint, se res istas pretiis adeo exiguis illis vendituros. Quod si nequiuerint id certò scire, expendant diligenter, quid habeat antiquā consuetudo eorum, quos vel nouerunt vel audierunt non esse tyrannos, sed viros probos & timoratos, illamq; sequantur. Quia per antiquam consuetudinem habet in his locum præscriptio. Ita docent Anto. Cordub. in suo tractatu casuum conscientiæ q. 114. Lopez in suo Instruct. p. 2. c. 38. Gabr. in 4. dist. 15. q. 5. conc. 2. & 3.

Quin & antiqua munera quæ domini isti à suis subditis sub ista bona fide accipiunt, probant Syluest. in verbo. Dominus num. 5. Tabien. eodem verbo. numer. 9. Angelus eodem verbo, num. 6. & D. Tho. in illa Epistola ad Dacissam Brabantiæ: Vbi nouas impositiones quas aliqui domini suis subditis constituunt, sine iusta causa in ordine ad bonum commune subditorum, damnat, antiqua vero tributa, & obsequia, siue munera quæ ex veteri consuetudine bona fide maiores acceperunt, relinquit vt iusta & licita.

De vectigalibus quę imponūtur ab istis dominis, eodemmodo iudicandum est, quo de vectigalibus quæ imponuntur ab aliis Repub. non enim possunt isti noua imponere sine authoritate Principis, & ex iusta causa, seruataq; debita materia & forma, ac ita vt conuertantur in debitos vsus, efficiantq; illa propter quæ imponontur. In antiquis vero siquidem solita sint exigi in illis locis ex immemoriali consuetudine, illa consuetudo suplet authoritatem Principis, sed desiderantur prætere a iusta causa, & alia quæ diximus debere reperiri in vectigali iusto.

Nouas impositiones pro libito nō possunt illis constituere, possunt tamen si iusta causa se obtulerit. Primo si ad deffendendum suum locum ita oporteat, vt habetur 23. q. 2. Can. Fortitudo. Secundo si sit dominus loci profecturus in bellum aliquod iustum, vt pro causa fidei, vel sui Principis. Tertio si captus in bello iusto egeat pecuniis ad suam redemptionem. Quarto si aggressurus sit aliquod iter ad Regem vel curiam, &c. in vtilitatem suorum. Quinto, si facturus sit expensas ad recuperandum locum, cuius recuperatio & augmentum vtile est subditis, vel ad maiora comercia, vel vt facilius necessariis abundet. Sexto ad constituendum filium in altiori statu, vel dotandam, filiam: quia hęc incrementa filiorum cedunt communiter in subditorum vtilitatem & commodum. Septimo si effectus sit dominus

Q 5 alique

aliquo infortunio, vel calamitate pauper: exigit enim recta ratio, vt à subditis in suam dignitatem restituatur, dixi infortunio, quia si ex ludo, lasciuia, vel alia iniquitate sua damna illa patiatur, non tenentur subditi ad redimendam paupe riem, quam dominus ipse suis delictis sibi acquisiuit.

Conueniunt in his omnibus D. Tho. Sylu. Tabiensis & alii DD. locis citatis. Intelligenda vero sunt seruata hac duplici conditione. Prior est, vt teneantur subditi ad ista per nouas collectas, & impositiones, quando ipsi domini non habent aliunde, nec alia tributa, & obsequia, quæ illis prestant, ad illa sufficiant Posterior est, vt imponātur moderate, & sine grauamine: vt habetur 10. quæst. 3. can. Vnio. & Cap. Apostol. De cēsibus.

Quod ad 5. nempe pecunias quas exigunt à subditis ratione alicuius facultatis illis concedendæ, ita sentiendum est. Siquidem, quæ prohibuerūt iustè ac rectè prohibita sint, possunt ratione facultatis illius ab ipsis concedendæ aliquid recipere moderatè, ac eodem modo quo Princeps solet pro simili facultate aliquid recipere. Quod si prohibitio illa iniqua fuit, iniquum etiam est, pro facultate prestandi quod inique prohibitum est aliquid accipere, quia prohibitio illa nō fuit lex sed muscipula, & laqueus ex cupiditate domini extensus ad captāda iniustè subditorum bona. V. g. si vere est terrarum dominus, & velut directus illarum dominus exigit pro facultate vendendi aliquem fundum, quod solent domini directi recipere, iuste illud exigit, & recipit, si ligna nemores ab initio ipsius sunt, & non populi, neq; inique illa sibi vsurpauit, iustè etiam potest recipere pecuniam, vt concedat facultatē scindi illa, tamquam iustum pretium rei suę, &c. Iniuste vero si nemus illud, vel locus piscandi, aut venandi sit totius populi, & ab aliquo domino tyrānice fuit vsurpatus.

Vnde exigere pecuniam, vt possint subditi testari de bonis suis, vel ea vēdere quę omnino libera sunt, aut dotare filias, vel eas nuptui tradere iniquum est, & quidquid hoc nomine acceptum fuerit, est restituendum; quia hæc iure naturæ ita vnicuiq; licent, vt nullus possit illa sibi subditis prohibere, nisi sint eorum serui & mancipia.

Quo ad vltimum, debent Magnates isti, & domini locorum in commutandis, vel dimitendis pœnis seruare leges, & consuetudines sui Regni, & Prouincię. Quia huiusmodi domini, cum non sint Principes supremi, non possunt dispensare in pœna legis sicut Princes, sed habent se, vel vt iudices inferiores, qua de causa id tantum possunt, quod iudex inferior, quem constat, debere necessario iudicare secundum leges scriptas, & non aliter.

QVAESTIO

QVAESTIO. 78.

DE FRAVDVLENTIA quæ committitur in Vsuris.

DAMNA quæ proximi patiuntur (vt initio huius libri diximus) duplicia sunt, quædam quæ aperte illis incutiuntur: vt homicidium, furtum, infamia, & similia; alia quæ simulate, & occulte sub specie alicuius contractus liciti & honesti: cuiusmodi sunt quæ sub titulo emptionis, & venditionis, aut sub specie mutui inferuntur: his enim duabus viis potissime suas fraudes, & iniquitates exercet humana cupiditas. Propter quod vt superius admonebamus, iniquitates quæ his viis committuntur, fraudulentias merito appellauit D. Thom., quia sub colore liciti contractus, quales sunt emptio, venditio, mutuum, & similes, aliena fraudulenter, & dolose rapiuntur. Egit hactenus D. Thom. De fraudulentia quæ committitur in contractu emptionis, & venditionis, cui duximus adiungendam disputationem de fraudulentia quæ in Tributis, Vectigalibus, aliisq; Gabellis committi potest. Agit nunc præsenti quæstione optima methodo De fraudulentia, quæ exercetur sub titulo, & colore mutui: quam communi voce Sacræ litteræ, & omnes DD. vocant vsuram.

EST hæc disputatio grauis, difficilis, & Theologo maxime necessaria, propter innumeros nodos, & laqueos conscientiarum quos Vsura continet. De qua Scholastici DD. variis in locis. Quidam eorum in 3. distin. 37. vbi Magister agit de vsura. Ibi D. Bonauent. super textum. num. 121. & D. Thom. q. vnica. Du*rand. q. 2. 3. & 4. Palud. q. 2. Dionys. Cartus. q. 3. Alii vero in 4. dist, 15. Richardus art. 5. q. 5. & 6. Scotus eadē dist. 15. q. 2. & 3. Gabriel. quæst. 11. Almain. q. 2. Maioris a quæst. 23. vsq; ad q. 30. Alii qui non seruant ordinem Magistri, quia fuerunt illo antiquores, vel coæui aliis in locis. Vt Alensis 3. p. q. 26. Memb. 4. Altisiodorensis lib. 3. tract. 21. D. Anton. 2. p. tit. 1. C. 5. 6. & sequen. Gerson 2. p. num. 24. littera S. & in tractatu* De *contractibus. Consideratione. 15. Adrian. in suo 4. in materia de restit. dub.* 8. *a fo. 15. vsq; ad fol.* 60. D. *Tho. hic & in quæst. de Malo artic. 4. & quodl. 3. art. 19. Ioann. Medina Cod. De Rebus Restit. tractatu particulari de adquisitis per vsuram. Contra. De contract. tractat. 2. quæst. 21. vsq; ad 29. Abulens. p. 7. in cap. 25.* D. *Math. a quæst. 164. vsq; ad q. 287. Summistæ in verbo Vsura, & in verbo Fœnus. Iuristæ. ff. & Cod.* De *vsuris. Canonistæ in* Decreto *dist. 46. &. 47. per multos canones, vbi erudite Turrecrem. & 14. q. 3. Cap. finali. Et in* Decretalibus. *extra de Vsuris, & de vsuris in 6.* D. *Nauar. in Manu. cap. 17. a num. 207. vsq; ad finem cap. & specialiter in suo comment. in cap. finale. 14. quæst. 3. Soto lib. 6. de Iustitia. quæst. 1. Ludouic. Lopez in suo instruct. p. 2. cap. 54. & per multa sequentia. Couar. eruditissime lib. 3. varia resolu. cap. 1. 2. 3. & 4 & multi alij* DD.

ARTIC. I.

ARTIC. I.

An accipere vsuram pro pecunia mutuata sit peccatum?

INITIO huius disputationis explicare oportet vim huius vocis *Vsura*, propriam quoque ipsius rationem, & naturam, & quę requirantur ad vsuram; vt sic deprehendamus, in quo proprie consistat huius vitii malitia, & iniquitas. Nomen vsuræ latinum est, significatq; primo non vt aliqui volunt vsum æris, sed idem omnino quod vsus, siue bonus sit siue malus. Ita Cicero pro Rabirio Posthu. *Vos obsecro Iudices huic optimo viro, quo nemo melior vnquam fuit, nomen æqui Romani, & huius lucis vsuram.* (id est vsum) *& vestrum conspectum ne eripiatis.* Et 7. oratione cõtra Verrem: *Cur piratis huius lucis vsuram tam diuturnam dedisti?* Et ad Apiũ Pulchrum lib. 3. suarum Epistolarum ait: *Perficiam profecto, vt longi temporis vsuram qua caruimus, intermissa nostra consuetudine resarciam.* In eodem sensu ait D. Augustinus in sermo. Innocentium de illis beatissimis infantibus: *Ante vitæ perpetuæ adepti sunt dignitatem, quam vsuram præsentis acciperent.*

Sumitur, secundo pro lucro, & fructu, qui ex aliqua re percipitur, siue iusto & honesto, siue iniquo & turpi. Ita idem Cicero de senectute. *Terra nunquam recusat imperium, nec vnquam sine vsura* (id est lucro & fructu) *reddit quod accepit, sed aliquando minore, plerumq; vero maiore cum fœnore.*

Tertio, ex communi vsu DD. tam Iuristarum, quam Theologorum, imo omnium fere hominum, & Sacrarum scripturarum vsura sumitur pro lucro iniusto, & iniquo, quod recipitur ex pecunia, vel quauis alia re, quæ vsu consumitur, mutuata. Ita Exodi 22. *Nec vsura opprimes fratrẽ tuum, &c.* Psalm. 14. *Qui pecuniam suam nõ dedit ad vsuram* Psal. 54. *Et non defecit de plateis eius vsura, & dolus.* Mat. 25. & Luc. 19. *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris vtiq; recepissem eam?* In quo sensu non solum Scripturæ sacræ, & DD. vtuntur nomine vsuræ, verum etiam ipse Cicero Oratione 5. cõtra Verrẽ: *Cum Senatus* (inquit) *Publicanos vsura sæpe iuuisset, Magistratus a publicanis pecuniam pro vsuris audet auferre.* Et Lucan. lib. 1.

Hinc vsura vorax, auidũq; in tẽpore fœnus.

Existimat Soto lib. 6. quæst. 1. artic. 1. translatum esse hoc nomen vsuræ, quod proprie & sua primæua significatione significat quemcunq; vsum rei, ad vsum pecuniæ iniquum cum lucro per antiphrasim, id est per contrariam locutionrm, vt dicatur vsura ad indicandam peruersitatem huius vitii, quia per tale vitium volunt homines vti re, in qua nullus est vsus distinctus ab ipsa, & lucrari per vsum ilius rei quasi distinctum ab ipsa, cum ab ea vere non distinguatur. Vt qui vult lucrum accipere ex vsu pecuniæ quam fratri suo mutuo dedit, cum reuera pecunia & vsus ipsius idem omnino sint: sicut vocamus per antiphrasim bellum, quia non est res bella sed difformis & perturbans Remp. siluam densam & concitam arboribus quę nihil minus habet quam lucere, vocamus lucum, & Hispane, *Al negro Ioan blanco*: ita vsura dicatur quasi carens vsu, quia ex re quæ vsu consummitur, & cuius nullus est fructus aut vsus, præter ipsam rem, fructus exigitur.

Crederem etiam dictam vsuram, quia cum vsura summatur pro lucro & fructu, cupiditas humana nulla alia via nititur facilius, & breuius lucra sibi parare, quam mutuatis pecuniis & ad mensam positis. Quod significant verba illius parabolæ Mat. 25. *Quare non dedisti pecuniam meã ad mensam? & ego veniens cum vsuris recepissem eam.* Vt dicta sit vsura, ista iniqua mutuatio, quasi frequentius medium quo vtuntur homines ad lucrandum.

Vocatur & alio nomine fænus. Ita Aristo 1. Polit. c. 7. & Cicero 1. offici. *Primũ improbantur hi quæstus, qui in odia hominũ incurrunt, ut portitorum, & fœneratorum.* Et in oratione pro Flaco: *Hæc pecunia ab honoribus translata in quæstum & fœnerationem, &c.* Et pro Cælio: *Parcat iuuentus pudicitiæ suæ, ne expoliet patrimonium, ne fœnore trucidetur.* Teren. in Adelphis. *Metuisti, & cave non tibi istud fœneraret.*

Vocaturq; vsura accõmodatissime fœnus. Est enim proprie fœnus quasi fœtus vel partus Ouid. 1. fastorum.

Hordeaq; ingenti fœnore reddat ager.

Et Cicero in illo loco adducto ex libro de senectutæ. *Terra reddit quod accipit, quandoq; minore plerumq; maiore cum fœnore*: Fœnerare idem etiam est quod mutuare, Plinius lib. 2. c. 6. *Fœnerat sollumen*

lumen suum aliis sideribus: Quo fit, vt fœnus sit quidam partus ex mutuo, & hoc ipsum est proprie vsura de qua hic agimus. Vnde á Grecis vocatur, *Tochos*, id est partus, quasi pecuniæ partus. Et sicut in partu animalium producitur simile, ita in vsura pecunia parit pecuniam.

Hebræi accōmodatissimo nomine ad significandam huiusmodi vitii malitiam, vocant eam *neschek*, idest, *morsum*. Exodi. 21. vbi nostra editio habet: *Si mutuo dederis pecuniam populo meo pauperi, non eris ei exactor*. Ad veritatem Hebraicam vertit Vatablus, *Non inferes ei morsum*, Deuth. 23. vbi nos legimus, *Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, neq; aliam rem: sed alieno: fratri autē tuo absq; vsura*, habet Vatablus, *Non morsum inferas fratri tuo fœnore pecuniæ, alienū mordebis fœnore, fratrem autem tuum nō mordebis*; Et appellatur optime morsus, nam sicut feræ & robustiores bestiæ agri, morsibus dilacerant & excoriant inferiores, vt lupi, & vrsi oues, & pecudes, ita diuites vsurarii vsuris & fœnoribus dilacerant, destruunt, & consumunt substantias pauperum. Vnde Psalm. 75. dicitur de Mœssia & quocunq; Principe pauperum patrono, *Ex vsuris & iniquitate redimet animas (idest vitas) eorum*. Quia vsurarii vsq; ad vitas pauperum consumunt. Vnde Chrysost. in illud Matth. 5. *Et volenti mutuare*, &c. ait: *Similis est pecunia vsurarii morsui Aspidis, percussus enim ab Aspide quasi delectatus abit in somnum, & per suauitatem saporis moritur: quia tunc venenum latenter per omnia membra decurrit, sic qui sub vsura accipit, sub tempore quasi beneficium sentit, sed vsura per omnes suas facultates decurrit, & totum conuertit in debitum*. Hęc Chrysost.

Chaldæi quasi idem significantes vocant vsuram Habulia, idest corruptionem perditionem, & ruinam.

Ex his patet nomen vsuræ æquiuocum esse, cum & vsum cuiuscunq; rei significet, & fructum ac lucrum quod ex rebus percipitur, & iniquum lucrum quod sumitur ex pecunia, aliisq; rebus quæ vsu consumuntur, ratione mutui.

Accipitur etiam nōnunquam à Legistis pro augmento ex quocunq; contractu, etiam licito, vt cum debitor est in mora soluendi, & creditor patitur damnum ex illa mora: quod ratione illius damni illati creditori persoluitur à debitore, quod iustum est, & licitum (vt vidimus) vocatur etiam vsura. In quo sensu dicitur L. Cum quidem §. si populo. ff. De vsuris. *Vsuræ non propter lucrum petentium, sed propter moram non soluentium, infliguntur.*

Propria autem, & recepta significatio huius vocis nō modo in Sacra scriptura, & apud DD. verumetiam apud omnes fideles, & in toto orbe est, qua hic vtimur, pro lucro inquo accepto ex mutuo: vnde recte habet titulus huius artic. D. Thom.

An accipere vsuram pro pecunia mutuata sit peccatum.

Et hæc de voce ista vsura.

QVID SIT VSVRA.

QVID vero ipsa sit variis diffinitiōnibus explicatur à DD. In Concilio Agathensi. & habetur 14. q. 3. cano. Vsura. definitur. *Vbi amplius recipitur, quam datur*: A B. Ambros. in lib. de Thobia cap. 14. & habetur ibidē cano. Pleriq;. diffinitur. *Quodcumq; accedit sorti*. Vocant DD. sortem pecuniam illam, vel rem, quæ mutuo accipitur, quæ alio nomine dicitur principale, vel capitale, Grece *Archeon*, vel *Cephalon*, ductumq; est forsan hoc nomen ex contractu societatis, in quo capitale illud, & pecuniam quam vniusquisq; socius apponit, vocatur sors: sicq; dicuntur consortes. Vnde sumpto vocabulo, & trāslato ad cæteros omnes contractus, pecuniā illam, & capitale quod mutuo accipitur, vocatur sors. Ait ergo Beatus Ambros. *Vsurā esse quod sorti accedit*, id est, quod accipitur extra sortem, & capitale.

D. Thom. hic in fine corp. art. definit illam. *Pretium rei mutuatæ*, quā magis explicans Soto, definit vsuram. *Pretium vsus rei mutuatæ*. Alii definiunt illam. *Lucrum in mutuo ex pacto*, Vel Lucrū exactum vltra sortem ex officio mutuationis, quod idem est.

D. Nauarrus in comment. illius Cap. fina. 14. q. 3. num. 15. impugnat omnes istas diffinitiones, traditq; hanc. *Vsura, est lucrum natura sua æstimabile pretio, quod præcipue recipitur ratione mutui taciti, vel expressi*. Quæ definitio parum differt ab aliis; sed explicatio quædam solum est illius, quam proponit D. Thom. Nam qui dicit pretium rei mutuatę, dicit lucrū pretio æstimabile, acceptum ratione mutui;

tui, quodcumq; illud sit, tacitum vel expressum. Vnde præstantior multo est illa D. Tho. quam ista D. Nauarr. cum eadem breuius contineat.

Couarr. lib. 3. varia. resol. c. 1. num. 2. reprehendit omnes istas definitiones, qua si nulla earum explicet peccatum vsuræ, vultq; illam sic esse definiendam, vt dicatur: *Voluntas, seu actus voluntatis capiendi vltra sortem lucrum aliquod temporale, vi & causa mutui principaliter.* Possunt tamē omnes hę definitiones interse cōciliari, Quia sicut in cæteris vitiis & virtutibus videmus idem nomē hæc tria frequēter significare, nēpe & habitum internum, & actum externum, & obiectum; vt in furto, furtū enim significat vitium, quod est habitus furandi, & actum externum quo accipiūtur aliena, & res ipsa furtiua: similiter in fide, fides enim significat habitum internū ad credendum, & actum ipsum credendi, quomodo dicitur adhibe fidem, idest crede, & propositiones quoque ipsas quas credimus: In quo sensu Athanasius propositis credendis in suo symbolo, ait: *Hæc est fides catholica quam nisi quisque. &c.* Ita vsura potest significare hęc tria, Primo vitium seu habitum internum, quo voluntas male affecta inclinatur ad lucrum ex mutuo, & hunc habitum seu vitium definit Couarr. Secundo actum ipsum vsurarium & hunc videtur definisse Conc. illud Agathen. Tertio obiectum vsuræ, quod est lucrum illud ex mutuo, & hac ratione definiunt illam D. Ambro. D. Tho. Soto & Nauarr. Quæ definitiones cum sumantur ex obiecto, sunt magis accommodatæ. Vnde possemus iuxta regulas logicæ sic vsuram definire per suum genus & & differentiam, vt sit vsura. *Iniustitia qua accipitur pretium ratione mutui, interueniente pacto.*

Ad quam definitionem optime intelligēdam, Obseruemus primo. Mutuum & accōmodatum (vt constat ex primo tom. in disputatione de dominio, & restitutione) ita inter se differre, vt per mutuū trāsferatur vna, cum vsu rei, ipsa quoque res, & illius dominium, in commodato transferatur quidem vsus, non tamen dominiū rei, sed maneant res illa & ipsius dominiū penes priorem dominum. Cuius discriminis ratio est, quia materia commodati sunt res, quæ licet vsu quandoq; deteriores reddantur, non tamen consummuntur vsu, sed permanent: vt equus, domus, vestis &c. & ita cum in his vsus & dominium reuera distinguantur, & separari possint, trāsfertur per commodatū vsus rei, reipsa & illius dominio minime translatis: Vt cum commodo tibi meum equum, manente illo sub meo dominio. Materia autem mutui sunt res quæ vsu consumuntur, & quibus non possumus vti, quin simul illas cōsummamus, vt pecunia, panis, vinum, &c. quæ cum tales sint non potest mutuo concedi alicui earum vsus, quin simul concedantur quoque res ipsæ, & earum dominium. Estq; ratio aperta: Quia cum dominium sit facultas vtendi re vsq; ad eius cōsumptionem, in rebus autem quę vsu consummuntur idem omnino sit concedere illarum vsum, quod concedere facultatē vtendi illis vsq; ad earū cōsumptionē, nec possit quis illis vti, quin easdē tali vsu omnino consummat: efficitur necessario, vt in his idē omnino sit recipere vsum quod recipere rem ipsam & illius dominiū, saltim moraliter loquendo, quidquid sit metaphysicè. Et confirmatur aperte ex Iure Ciuili. In quo cum legatur alicui vsus rei quæ vsu consumitur, eo ipso quo legatur illi vsus talium rerum, legatur & dominiū, vt habetur Inst. de vsu fruct. §. constituitur. & l. 2. ff. de vsufruct. earum rerum quę vsu consummuntur. Qua etiam de causa omnium DD. consensu in commodato est restituenda eadem omnino res numero, quę commodata est, (dicunt Iuristę eadem specie) quod enim Theologi iuxta veras Logicæ & Methaphysicę regulas vocamus idem numero, vocant ipsi idem specie, & quod nos dicimus idem specie vocant ipsi idem genere. In mutuo autem, cum transferātur simul vsus & dominium, quia materia mutui est res vsu consumptibilis, in qua (vt constat) vsus & dominium reuera non distinguūtur, nec potest concedi vsus quin simul concedatur & dominium, propterea non est restituenda eadem numero, sed similis vel æquiualens.

Ex hoc discrimine nascitur aliud quod facit plurimum ad nostrum institutum. Vt cum in rebus quæ sunt materia accommodati distinguantur vsus & dominium, possitq; concedi vsus & vtilitas rei nō cōcessa ipsa re, neq; illius dominio, consequēter liceat in huiusmodi rebus, rem ipsam & eius dominiū diuisim & seorsum vno pretio æstimari, vsum quoque ipsius alio pretio. Quo fit, vt duplex contractus circa huius-

huiusmodi res celebrari posse. Alter venditionis, tradendo rem, & eius dominium suo iusto pretio, alter vero solius locationis, tradendo solum rei vsum iusto etiam pretio, manente re illa penes dominium eiusdem domini. In rebus autem quæ sunt materia mutui, cum non distinguantur vsus & dominium, nec possit moraliter loquendo (qua ratione res hic accipiendæ sunt) vnum tradi sine alio, consequenter non potest vsus habere suũ pretiũ seorsum, vel æstimari seorsum aliquo pretio distincto a pretio rei, sed pretium rei est simul pretium vsus, & è cõuerso: redditaq; simili re aut æquiualenti, redditur quidquid reddendum est. Adeo, vt velle aliquod pretium pro solo vsu in huiusmodi rebus distinctum à pretio rei, sit reuera velle pretium pro re, quę secundum se, & seorsum nullum habet pretium, aut valorem.

Quo similiter fit, vt in his possit quidem celebrari contractus venditionis, tradendo illas absolute, & omnino suo pretio, minime vero locationis vendẽdo solum vsum, cum in ipsis sint idem omnino vsus & dominium, nec possit vnum sine alio transferri. Propter quod D. Thom. caute in hoc art. loquutus est, dicens: Vsum in huiusmodi rebus non debere computari seorsum ab ipsis, quia cuicunque conceditur vsus, conceditur & res.

Hoc posito obseruemus Secũdo. Tria requiri ad vsuram, primo vt sit mutuũ expressum vel tacitum, ita vt propria actio in qua exercetur vsura sit mutuatio alicuius rei, earum quæ vsu consumuntur, vt pecunię, vini, frumenti, &c. Ita dicitur Deut. 23. *Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, &c.* Et ratio est aperta, quia malitia vsuræ consistit in eo, vt circa temporalia, & secularia accipiatur pretium pro re quæ non habet pretium, sicut malitia simoniæ consistit in eo, vt circa spiritualia accipiatur pretium pro re quę non habet pretium: Omnis autem contractus in quo accipitur aliquod pretium est triplex, aut venditio, aut locatio, aut mutuum, si quis alius excogitetur in quo accipitur pretium, necessario reducendus est ad aliquem ex his. In venditione potest quidem pretium esse iniustum, nihilominus res pro qua illud accipitur, pretiũ habet, quia trãsfertur in venditione dominiũ rei. In locatione similiter: cũ locetur res quę vsu non consumuntur, & in quibus vsus est distinctus à dominio, habetq; vnũquodq; eorũ, vt constat, seorsum suũ pretiũ, quãuis possit etiam pretium rei locatæ esse iniustum, nihilominus accipitur pro re quæ habet pretium. In solo mutuo accidit accipi pretium pro re quæ non habet pretiũ, quia cũ in mutuo tradatur res vsu consumptibilis, & sub debito restituẽdi, vel æquiualentẽ, si quid accipiatur vltra valorem talis rei, accipitur profecto pro vsu ipsius, qui vt constat in huiusmodi rebus non distinguitur à re, nec est aliquo pretio seorsum æstimabilis: Et ita in solo mutuo habet locum, accipi pretium pro re quę nõ habet pretiũ, in quo consistit malitia vsuræ. Ita fit, vt exigatur necessario hoc primũ ad vsurã, nẽpe vt exerceatur in mutuo: ita vt vbi non interuenit mutuum possit quidem reperiri aliqua alia iniquitas, vel fraudulentia, non tamen vsura.

Dixi mutuum expressum vel tacitum, nam vt optime obseruat Doct. Nauar. in sua definitione vsurę & loco citato numer. 3. mutuum in quo potest committi vsura duplex est, expressum & tacitum; expressum, quando aperte & explicite celebratur contractus mutui, & exigitur aliquid vltra sortem; Vt cum postulas à me mutuo 10. ego vero illa tibi mutuo ea lege, vt restituas 12. in hoc casu est mutuum expressum, & manifesta vsura. Tacitum vero est, quando sub titulo & colore alterius contractus implicitè & virtute aliquid tibi mutuo, recipiendum cum lucro. V.g. vendo tibi meas merces pecunia credita, si quidem statim illam per soluisses, vendidissem illas pretio iusto v.g. 100. quia tamen expecto solutionem per sex mẽses, vendo tibi illas 110. Hic cõtractus habet titulum & colorem venditionis, & expectatæ solutionis, est tamen reuera mutuum, quamuis occultum & tacitum, & similiter occulta, simulata, ac palliata vsura: Quia in hoc contractu perinde me habeo, ac si tu actu & in pecunia numerata mihi soluisses statim iustũ pretiũ merciũ, nẽpe illa 100. & ego illa tibi mutuassem per illos sex menses, ea lege vt redderes mihi ratione illius mutui 110. Hæc est prima conditio vsuræ.

Requiritur secundo ad vsuram, vt is qui mutuat, intendat accipere aliquid vltra sortem ratione mutui, idest aliquod lucrum

lucrum pretio æstimabile, & tamquã pretiũ illius mutui, quod alii dicunt, vt intendat lucrũ propter officium mutuationis. Dico vltra sortẽ, quia intendere recipere rem suam integram, & equiualẽtem, hoc iustum est, cum illam nutuauerit tantum, & non dederit. Dico tãquam pretiũ, vel lucrum. Quia potest accidere, vt tu debeas mihi 10. quæ ego difficulter à te possum recuperare, accedis, vt mutuem tibi alia 10. licet mihi ita pacisci mutuabo tibi ista. 10. sed hac lege, vt simul citra omnem litem restituas mihi hęc 10. & alia quæ vere mihi debes. In hoc casu, & si tibi mutuem ista 10. vt præter ista reddas quoque illa alia 10. non est vsura: quia non postulo illa 10. à te velut pretium, aut lucrum istorum 10. quę nunc tibi mutuo, sed quia mihi erant vere debita, nitorq; hac via redimere meã vexationem, ac tuam iniquitatem, & recuperare quæ mihi iuste, & vere debentur, difficile tamen recuperare poterã.

Dico etiam tamquam pretium & lucrum, quia possum optare te habere amicum, & eo fine oblata tibi necessitate mutuo tibi gratis pecuniam qua indiges, vt tuam ineam amicitiam, & beneuolentiam, & licet illa in multis mihi profutura sit, nihilominus quia amicitia, & beneuolentia non est pretium, vel lucrum temporale, sed bonum quoddam honestum, nulla est vsura; sicut mutuare pecuniam, vt frater non furetur, vel ne mulier fornicetur, vel propter aliquod aliud honestum bonum, non est vsura: huiusmodi enim bona non dicuntur lucra, nec pretia temporalia.

Deniq; dico aliquod lucrum pretio æstimabile, quia non solum est vsura mutuare aliquid animo & intẽtione accipiẽdi aliquam pecuniam, vel aliquam rem vltra sortem, verumetiam animo obligãdi mutuarium ad aliquid, quod potest pretio ęstimari. Vt cum mutuo tibi pecuniam, vt æqualem tantũ restituas, sed ea lege, vt tenearis triticum tuum afferre ad meas molas frumentarias, est vsura: quia hæc obligatio afferendi triticũ ad meas molas pretio æstimari potest.

Tertio requiritur in vsura, vt interueniat pactum, aut aliqua obligatio ciuilis, ratione cuius in foro exteriori qui mutuo accepit, possit obligari ad redendum illud lucrum vltra sortem. Dico in foro exteriori quia in interiori, & a parte rei, nihil tenetur iste soluere, cum ille contractus sit iniquus, & nullus, nec vllã reuera inducat obligationem: in exteriori tamen obligabitur soluere, quia vsurarius ostendet iudici aliquod chirographum, aut probationem illius obligationis, tamquam ciuilis, & iustæ, ac contractæ ex aliquo legitimo, & licito contractu.

Hoc pactum potest duplex esse, aut explicitum, & manifestum, vt cum dico aperte, do tibi centum ea lege, vt restituas 110. & da mihi chirographum te debere mihi ad festum Sancti Ioannis 110. vel saltim promitte. Aut est implicitum, vt cum dico mutuo tibi 110. sed heus tu optime nosti te debere esse mihi gratum, & me ex his pecuniis viuere: nosti etiã quid soleat fieri inter mercatores, & mutuantes. Rursum hoc pactum implicitum & tacitum potest cõtingere aut ex vtraq; parte, aut ex altera tantum: ex vtraq; cũ vterq; & dans, & accipiens nutibus, & signis, aut verbis ambiguis vicissim sibi annuunt illud pactum, mutuans recipiendi aliquod lucrum, & mutuatarius exhibendi illud vltra sortem, quo casu est aperte vsura. Ex altera vero parte dupliciter potest accidere implicita illa obligatio & pactum, vel ex parte mutuantis intendentis obligare mutuatariũ sub illis signis, & verbis ambiguis ad soluendũ aliquid extra sortem, quod est etiã vsura propter solam intentionem mutuantis, etiam si mutuatarius nihil tale intelligat, neq; constituat. Vel reperitur implicita illa obligatio ex parte tantum mutuatarii, ita vt is qui accipit, existimet se manere obligatum ad soluendũ aliquid vltra sortem, cum tamẽ is qui mutuat nihil tale intendat, quo casu non est cõtractus vsurarius, sed error solum mutuatarii. Tenetur tam ille qui mutuo dedit, si tẽpore solutionis mutuatarius aliquid ipsi exhibeat vltra sotem, intelligatq; vel suspicetur illud sibi exhiberi ratione mutui, nullomodo recipere, aut si acceperit restituere: quia tunc iam reuera acciperet aliquid ratione mutui, in quo consistit iniquitas vsuræ. Quod si ignoret talem animum prudenterq; iudicet, & credat illud sibi gratis dari, excusatur quandiu illa inculpabilis ignorantia durat, quia gratis, & ex sola amicitia, & non intuitu mutui aliquid dare vel accipere (licet sit periculosum) nõ est tamen prohibitum.

Ex

Ex his apertum est, optimam esse illam definitionem D. Tho. *Vt vsura sit accipere pretium rei mutuatæ.* Continet enim hæc definitio quæcunq; sunt de ratione vsuræ. Nam inprimis explicatur in prima conditio, nempe vt interueniat mutuum: cum dicit *rei mutuatæ*. Secunda quoque ac tertia, cum dicit *pretium, vel accipere pretium*: quæ idem sunt, Quia qui mutuat pro pretio, illud intendit, alioquin si non intenderet, gratis mutuaret & non pro pretio. Includit etiam hæc vox *pretium* pactum ipsum, quia quod sine vllo pretio & gratis datur, non habet pactum, vbi autem interuenit pretium, eo ipso interuenit pactum, quo pretium illud constituatur. Vnde paucioribus verbis iniquitatem vsuræ propriè & rectè significanti bus complexus est D. Tho. Et ita hac definitione tantum vtemur in progressu huius disputationis, vt appellemus eam. *Pretium rei mutuatæ.*

Distinguiturq; hac definitione vsura ab aliis omnibus cōtractibus. A vēditione quia in ea non accipitur pro re mutuata, sed pro re omnino & absolute tradita ementi. A locatione, quia in locatione non accipitur pretium pro re, sed pro vsu, qui à re illa & ipsius dominio vere distinctus est, & seorsum pretio æstimabilis: A contractu societatis distinguitur, quia in eo pecunia quam vnusquisque exhibet, nec datur, nec mutuatur, sed penes dominium vniuscuiusq; manet exposita negotiationi. A compensa etiā quæ fit ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, quia in ista compensatione non datur illud ratione mutui, aut pecuniæ mutuatæ, sed solum ratione illius damni accepti, quod reuera compensandum fuit. A contractu denique assecurationis, quia in hoc non mutuatur pecunia aliqua, nec accipitur aliquid ratione mutui, sed ratione periculi, cui se exponit assecurans, quod periculum pretio æstimari potest.

QVOTVPLEX SIT VSVRA

A Iurisperitis variè diuiditur vsura, potissimè tamen in lucratoriam, compēsatoriam & punitoriam: ita Bald. Salicet. Paul. & pleriq; eorū in l. Vsur. Cod. De vsur. Lucratoriam vocant eam, quæ est proprie & formaliter vsura, in qua accipitur aliquid vltra sortem sola ratione mutui, sine aliqua alia iusta caussa. Cōpensatoriā, quando accipitur quidem aliquid vltra sortem, non tamen propter officiū mutui, sed ex aliqua iusta caussa, veluti ad cōpensandū aliquod damnū à mutuante passum, quę proprie vsura non est, nisi materialiter tantum & communi quadam ratione. Punitoriam vero, quę est in pœnam propter defectum & moram solutionis apposita, siue ab homine siue à lege: quæ proprie quoque vsura non est nisi materialiter tantum, sicut proximè præcedens. A Theologis vero, qui hoc loco vsuram eam tantum vocant quę propriè & formaliter vsura est, & lucrum sola ratione mutui, diuiditur communiter in realem & mentalem, quæ non distinguitur per pactum expressum vel tacitum, quasi realis sit quæ fit pacto expresso, mentalis vero quæ pacto tacito. Neq; distinguuntur sicut in aliis vitiis actus interior & exterior, quasi vsura realis sit quę exterius exercetur in actu mutui, interior vero sit propositum dandi ad vsuram: sicut homicidium exterius est realis occisio hominis, interius vero propositum occidendi. Sed distinguuntur vsura externa siue realis & mentalis per solum pactum: Ita vt vtraque postulet actum mutui, sed ita vt si fiat mutuum interueniente aliquo pacto siue expresso siue tacito, quodcunq; illud sit, est vsura realis: si vero detur quidē mutuum nullo tamen omnino interueniente pacto, neq; tacito neque expresso, sed cum sola intentione, & spe solo animo concepta recipiendi aliquid vltra sortē ratione illius mutui, fit mentalis. Vnde possumus constituere duplicem vsuram mentalem, aliam quę sit solum propositum dandi cum fœnore, & hęc licet peccatū etiam sit, mortale, aut venia. pro qualitate illius propositi & intentionis, non tamen est ea quam vocamus hic mentalem. Alia vero sit, in qua non solum est propositum mutuandi cum fœnore, sed reuera & actu fit mutuum nullum autem interuenit pactum, sed sola intentio & spes interior accipiendi aliquid vltra sortem: & hęc est quam DD. vocant mentalem, & quam significabimus quotiescunque in progressu huius disputationis fiet mentio vsuræ mentalis.

His positis respondet D. Tho. quęsito huius art. per quatuor conclusiones Prima est.

Vsura secundum se & ex suo genere est peccatum mortale.

Probatur Primo, Omne dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei ex D. Augustino contra Faustum est peccatum: sed vsura est contra legem

dum Exodi. 22. *Si pecuniam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non vrgebis eũ quasi exactor, nec vsuris opprimes eum*; Ergo.

Secundo, ratione petita ex natura rei. Iniqua venditio, cum sit furtum & fraus cũ iniuria & damno proximi, est peccatũ mortale ex suo genere, sed vsura est velut quædam veditio iniqua, ergo. Probatur minor, cum mutuo tibi 100. vt reddas 110. percõtor, aut illa 10. quæ excedunt sortem mutuatam accipio pro illa sorte & re mutuata, aut pro vsu ipsius rei: si pro ipsa re, accipio duplex pretium, & eandem rem bis vendo, nam inprimis cum dederim 100. quorũ iustum pretium sunt similia 100. quando tu illa mihi restituis, accipio pretium iustum meæ sortis, cum vero preterea des mihi 10. accipio profecto aliud pretium, quo fit, vt accipiam duplex pretium & eandem rem bis vendam. Si vero accipiam ista 10. non pro re mutuata, quam dices sufficienter solui restituta simili vel æquiualente, sed pro vsu: vsus in his (vt constat ex dictis) non est æstimabilis aliquo pretio seorsum & distincto à re, cũ in his vsus & dominium non distinguantur, vnde venditur res quæ non habet pretium. Vtrumque autem horum est iniquum, siue eandem rem bis vendere, siue accipere pretium pro re quæ non habet pretium; ergo.

Secunda conclus. *Quidquid per vsuram accipitur, restituendum est necessario.*

Sequitur aperte hæc conclusio ex precedenti, cum omne furtum restituendum sit, & quodcunque damnum illatum proximo cum iniuria.

Tertia conclusio. *Vsura non solum in lege Euangelica, verumetiam in lege veteri fuit in vniuersum prohibita Iudæis, tam erga conciues suos nempe alios Iudeos, quam erga ceteros omnes exteros & paganos.*

Patet, Vsura ex natura rei est iniqua, cũ sit quædam iniqua venditio, quod autem ex natura rei iniquum est, simpliciter & omnino in ordine ad quoscunque homines iniquum est, & illicitum.

Secundo. Psal. 14. vbi damnatur vsura, cũ dicitur de viro iusto: *Qui pecuniam suam nõ dedit ad vsurã*. Et Ezech. 18. vbi dicitur: *Qui vsuram non acceperit*: in vniuersum loquitur Spiritus sanctus à quocunque homine, nec distinguit inter Iudeum vel paganum.

Tertio. Iudæis præcipitur Exod. 22. Deuth. 23. & aliis locis ne darent ad vsurã fratribus & proximis suis, frater autem & proximus quicunq; homo est, vt docuit Christus Luc. 19, in illa parabola Samaritani contra errorẽ Phariseorũ existimantiũ solos Iudeos esse sibi proximos, ergo.

Quarta conclus. *Iudæis fuit permissa vsura cum extraneis, non tamquam licita cum eis, sed propter duritiam cordis eorum, & nimiam cupiditatem.*

Etenim cum sint procliues ad auaritiam, quæ maxime fouetur vsuris, ne suos conciues fænoribus destruerent, permisit illis Deus, vt fænerarent ur extraneis, ne fenerarentur suis, sicut qui permittit minus malum, ad vitandum maius, sicut permittebat illis libellum repudij, ne vxores suas occiderent, vt ipsemet Christus exposuit Matth. 18. vbi interrogatus á Pharisæis, liceret ne viris quacunque ex causa vxores suas repellere, ac dimittere; docuit aperte id minime licere, permissum vero illis fore in lege à Moyse, tanquã minus malum ad vitandum maius, quod ex duritia cordis, suæ perpetrassent occidendo facile quas haberent exosas.

Circa doctrinam huius articuli, & conclusiones propositas nonnullæ sese offerunt graues controuersiæ hoc loco explicande.

Controuersia I.

QVO IVRE SIT PROHIBITA *vsura? num solo positiuo diuino? vel humano? an naturali quoque?*

QVæstio hæc solet etiam à DD. hac ratione proponi. *Sit ne vsura probibita, quia ex se & natura sua sit intrinsece mala, & iniqua? vel eo tantum nomine mala sit quia probibita, cum ex se mala non esset.*

Ex prima conclusione D. Tho. & arg. quo vtitur in corp. art. satis videtur constare vsuram ex se, & natura sua esse malam, & prohibitam: nihilominus nonnulli DD. rẽ hanc reddiderunt controuersam.

Fuit enim inprimis error Græcorum, vt referunt Guido Carmelita in sua Summa de hæresibus, & Alphonsus de Castro lib. de hæresibus verbo Vsura existimantium vsuras licitas esse absolute & simpliciter: ita vt nullo iure sint prohibitæ. In eodem errore fuerut etiam Albanenses, sicut refert Gabriel Prateolus in libro de vitis, & vitiis hæreticorum cap. 22.

Abulens. in c. 25. D. Matth. q. 171. & 172.

172. docet vsuram esse iniquam, & prohibitam iure positiuo diuino, & humano, non tamen iure naturali, & ita non esse intrinsece malam, sed posse in aliquo casu exerceri: Cuius sententiam controuer. proxime sequenti abunde referemus. Eandē habuit etiam Ancarra: in peculiari quæst. De vsuris, quem sequuntur nonnulli Iuristæ quos refert Couar. lib. 3, c. 1, num. 6.

Molineus in suo contractu De vsuris & comerciis, nu. 11. & 12. Cum prius dixisset vsurā esse natura sua malam, & ideo prohibitam, docet deinde aliquam etiam propriè sumptā licitam esse, & meritoriam. Constituit enim vsuram & propriè sumptā duplicem, aliam quæ est contra charitatem, aliā vero quę est maxime consona charitati proximi. Priorem vult esse omnino iniquam, & prohibitam, posteriorem vero bonam, & exercendam. Priorem ait committi, vbi propter mutuum maximum lucrum exigitur à mutuante, etiam si mutuatarius ex pecunia illa nullum reportet lucrum: sicut accidebat in vsuris illis vsurarum, vel vsuris vltra centissimam, quæ iure ciuili merito prohibentur: has enim perspicuum est in damnum & iacturam esse proximorum, & contra charitatem. Secundum charitatem vero, quando habens pecuniam mutuo illam daret mercatori vel pauperi, vt cū ea alicui negotio tradita lucretur, ea lege, vt si cum ea lucratus fuerit, partem aliquā illius lucri debeat illi vna cum capitali restirestituere; Quam vsuram honestā esse & optimam docet, tū quia dictat recta ratio, vt qui cum mea pecunia recepit lucrum, quod sine illa nullo modo habuisset, in recompensam tanti beneficij quod reuera á me accepit, partem aliquam illius lucri mihi exhibeat. Tum etiam, quia opus charitatis cum illo exercui, vt cum non haberet vnde negotiaretur & lucraretur, exibui illi pecuniā qua negotiari & lucrari valuit. Qua de causa non repugnat charitati, imo maxime cōsonum illi est, vt habens pecuniam mutuo illam concedat non habenti ad negotiandū, & lucrandū, recipiens vero illam & cum ea negotio tradita aliquid lucratus, partē illius lucri suo benefactori persoluat. Quod si id adeo honestum est, ac rectę rationi & charitati, & gratitudini consonum, cur à principio mutuans illud pacisci non poterit?

Sic docet Molineus hoc modo, & cū hoc moderamine vsuras acceptas nullo iure prohiberi. Ius enim diuinum in contractibus (inquit) id tantum prohibet, quod rectę rationi, & charitati repugnat, quod docuit Christus Matth. 7. dicens: *Omnia quæcūq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis*, certum autem est, mutuantem pecuniā pauperi ad negotium lucratiuū ea lege (qua diximus) vt reddatur ei aliqua pars lucri, vbi lucrum fuerit, optare vice versa, pecuniam sibi mutuo dari ad negotia & lucra quando illa egeret cū eadem lege & cōuentione: Affert in eade sententiam nonnullos Iurisperitos, quorum autoritas in iudicio conscientiæ quanta esse debeat, expendat prudens Catholicus, Nā Molineo & hæreticis quæuis autoritas maxima est, modo ipsorum erroribus patrocinetur.

Ad quod intelligendum obseruare oportet ex Conrado. De contract. q. 22. in lege ciuili duplicem tantum vsuram reprobari à Iustiniano Imperatore: nempe vsuram quę dicitur vsura vsurarū, & vsuram vltra cētesimam. Vsura vsurarum dicitur, á Doctoribus cum quis dat alteri mutuo 100. vt in fine singuli cuiusque anni donec restituat illi sortem & capitale, soluat 10. eā lege, vt nisi soluerit illa 10. teneatur anno sequenti soluere vndecim, nempe illa 10. de quibus à principio conuenerunt, quę est prima vsura, & præterea vnum pro illis 10. quæ non persoluit, quæ est secunda vsura illius primæ, qua de causa dicitur vsura vsurarum: & hæc prohibetur omnino. ff. De vsuris. Centesima vero dicitur iuxta eundem Conradū lucrum æquale sorti: vt si sors sit 20. & lucrum totidem 20. Dimidia centissimæ fit, si sors sit 20. & lucrum 10. & hoc consequenter modo tertia centissimæ, quarta centissimæ quinta centissimæ, &c. Vnde iuxta Conradū vsura centissima erit [illegible]dere lucrum quod intra annū æquetur sorti & capitali. Quæ tamen explicati[illegible]ræ centissimę nō potest certe admitti: Quis enim credat ad cupiditatem adeo enormē homines peruenisse, vt mutuans 100. intra annū vel paulo lōgius tēpus 200. postularet à mutuatario? Quo circa Recentiores vsuram centesimam ita explicāt, vt reddatur lucrum vt 100. pro capitali vt 100. intra centum menses: quod inferius in hoc eodem art. controuer. 3. explicabitur. Statuit ergo in illo [illegible]d. De vsuris lib. 4. Iustinianus, vt nullomodo exerceatur vsura vltra centissimam, id est, ne lucrum neque intra centum menses excedat sortem, posit vero aliquando accipi centissima, aliquando dimidia, aliquando tertia pars.

Huiusmodi ergo vsuras quas istis legibus probat vel permittit potius Iustinianus sentit Molineus licitas.

Iam, quia huic errori (vt videbimus) ad uersantur statim apertissime verba illa Christi Luc 6. *Mutuum date nihil inde sperantes*, Excogitauit quendam nouũ istorum verborum sensum à cõmuni omnium expositione alienum, dicens: Non loqui ibi Christum De vsuris, sed de subuentione pauperum, quasi dicat: omnibus mutuò date, non solum diuitibus qui habent vnde restituãt acceptum, verumetiam pauperibus qui non habent, imo his potius debetis mutuo dare nihil ab eis sperantes, quia quod ab indigentibus non fuerit vobis restitutum, á Deo abundantius & cum maiori multo lucro restituetur: Vnde verba ista Christi (inquit) solum prohibent ne à pauperibus qui nihil habent speremus recipere collata illis per eleemosynam, minime vero prohibent, quin à potentibus restituere & cum moderata vsura ex lucro nostra pecunia acquisito, illam accipiamus.

Molineum purgatum ab hoc similibusq; erroribus visus est offerre Catholicis Gaspar Caballinus in suo tractatu De vsuris excuso Lugduni. 1582. sed cũ illum attente perlegerem, vt verũ fatear, visus mihi potius est Molineus suscitatus cum suis erroribus, quam purgatus ab illis. Nam inprimis num. 10. Mutuantem mercatori pecuniam aliquam exponẽdam ab illo alicui negotio, posse recipere vltra sortẽ partẽ lucri, quod ex illa pecunia negotio tradita mercator ille mutuatarius comparabit, vult Caballinus contra Conradũ & alios Theologos nõ modo licere, verum etiã charitati, & æquitati Christianę censendum esse maxime consonũ. Sub nomine enim æquitatis ac charitatis Christianæ vult Caballinus sicut & [redacted] hoc genus vsuræ cooperire. Vbi si mercatori diceret Caballinus posse conferri pecuniã per contractũ Societatis, ita vt illã cõferens partẽ lucri recipiat, vel dãni, prout rerum euẽtus duxerit, talis pecunię collatio nõ est mutuũ nec acceptio illa alicuius partis lucri est vsura, vt inferius agentes de cõtractu Societatis videbimus loquitur autem loco citato, vt ex contextu illius apparet, de mutuo quod vere mutuum est, quo fit vt sequatur reuera hic autor [redacted] cuius se recopilatorem in eo opere profitetur.

Adde quod vult in progressu operis nu. 14. licitas esse & in foro animi illas vsuras, quas lex ciuilis permittit, quas vere vsuras esse, certum est, vnde probat profecto easdem vsuras quas Molineus, nã nec alias probat ille, aut moderatas & licitas censebat, nisi eas quas ius ciuile non dãnat. Et quo magis ostendat se nec in verbis á Molineo recedere, Doctrinã Theologorum damnantiũ huiusmodi vsuras in iure permissas, vocat sicut ille præposterã religionẽ perniciose ligitimas vsuras dãnantẽ. Et Catholicã doctrinã omne genus vsurę damnantẽ vocat vulgatã opinionem, illamq; ibi proponit non vt verã, & certam, sed quasi per hypotesim tantum admittendam, sicut solemus admittere per hypothesim falsa quæ nostræ sententiæ non aduersantur. Demum vt alia preteream argumenta D. Tho. & aliorum Theologorum quibus efficacissime ostẽditur vsuram iure naturę prohibitã esse, nititur dissoluere, & ostendere nullã habere vim eodem omnino modo quo illa dissoluit Molineus, sententiamq; seu errorem potius Molinei argumentis eiusdem confirmat num. 530. & 531. Vnde de hoc autore, aut saltim de his quæ in illo tractatu docet idem debet esse iudicium in hac parte quod de Molineo, vt in fine conclusionum quibus hanc controuersiam explicabimus, ostendemus.

Quod autem vsura non sit intrinsece mala & natura sua sic nituntur ostẽdere. Primo quod intrinsece & naturã sua malum est, & iniquum, in nullo euentu potest bene fieri, neque ex aliqua circunstantia honestari, vt sæpe docuimus: vsura autẽ potest aliquãdo licite exerceri; cũ dicat B. Ambro. & habetur 14. q. 4. Can. Final. *Ab illo exige vsuram, cui merito nocere desideras, cui iure inferuntur arma*: Quasi dicat aperte licere hostibus, & inimicis quos possumus iusto bello impetere, dare ad vsuram.

Secundo, cum quis præstat alteri opus aliquod illi vtile, quod non tenebatur præstare, potest pro tali opere pecuniam aliquam accipere, vt procurator pro actionibus & operibus suis, potest pecuniam & stipẽdium accipere, cum non teneatur ex iustitia ad illas actiones & operas; sed nemo tenetur mutuare alteri saltim ex debito & iustitia, ergo cum hoc opus vtile sit mutuatario, poterit pro eo aliquid accipere.

Tertio, si vltra sortem nihil aliud conferatur mutuãti, non redditur ei æquiualens, nec quantum ex iustitia ipsi debetur: ergo vsura non solum est licita, verum etiam iusta & debita. Consequentia aperta est: antecedens vero ita ostendo. Qui dat mutuum, præter sortem obligat se ad non postulandũ, nec repetendũ mutuũ, donec mutuatarius ea re vsus sit, & aliquã ex ea perceperit vtilitatem: hæc autem obligatio cum sit ciuilis, est pretio æstimabilis; ergo si tantum illi restituat sortem, & nihil vltra ratione

ne istius obligationis quæ includitur in mutuo, non reddit illi æquiualens.

Et conf. Quia si pacto & conuentione obligaret se mutuans ad non repetendum intra 3. vel 4. menses, ista obligatio esset pretio æstimabilis, at qui mutuat, eo ipso tacite & implicite se obligat ad non exigēdum per aliquod tempus, quia aliter non esset mutuum. Ergo potest pro illa obligatione aliquid vltra sortem accipere.

Quarto. Sentētia est Caietani in summa verbo vsura. in fine. De pagis Montis Genuensis, & satis probabilis (vt infra videbimus) licere emere pagas acerbas, id est solutiones expectatas. Vt si Petrus debeat Ioāni 100. aureos soluendos 6. ab hinc mensibus, potest Andreas emere à Ioanne debitum illud pecunia præsenti, pretio vt 90. quod alio nomine non licet, nisi quia expectaturus est illā solutionem maturescere, & peruenire tempus illius; Ergo similiter licebit accipere pecuniam pro illa obligatione tacita, quam subit mutuans, & cui se offert eo ipso quo mutuat, expectādi restitutionē faciēdā sibi à mutuario post aliquod tēpus.

Quinto. Si vsura licita non esset, maxime ob rationem D. Tho. quia vsus pecuniæ est ipsius consumptio, quo fit vt talis vsus nō possit computari extra rem, nec seorsum æstimari pretio. Sed hæc ratio nititur falso fundamento, quia pecunia non consumitur vsu, imo manet apud mutuatarium apta vt ab eo libere expendatur in suos vsus, vel vt per eam aliquid lucretur. Quod si dixeris tale lucrum non esse tribuendum pecunię, sed industriæ mutuatarij: contra, sequeretur ex hoc dicto, vt si quis commodaret mihi agrum, fructus illius agri non esse adiudicandos domino agri, sed mihi: cum ager ex se nullum fructum ferat nisi interueniente industria agricolæ, hoc autem cōsequens aperte est falsum, cum ager omnis Domino suo fructificet.

Sexto, si quis commodaret mihi pecuniam ad ostentationem, vt docet hic D. Tho. ad sextū, potest aliquid recipere pro illa pecunia, ergo similiter & pro pecunia mutuata. Probo consequentiam, quia maior vtilitas recipitur profecto ex pecunia mutuata, quam ex accommodata ad solam pompam & faustum. Primo, quia in mutuata transfertur dominium, in commodata solus vsus. Secundo mutuata licet vti ad omnes vsus pro libito, commodata ad illum tantum vsum. Dices diuersam esse rationē, quia mutuata si perit, perit mutuatario, commodata vero commodāti vt domino, & ideo posse commodantem aliquid accipere pro illo periculo. Hoc non tollit vim argumenti. Primo, quia etiam accommodata perit accipienti illam, & non domino multoties, vt supra vidimus. Secundo quia potest deduci in pactum inter ipsos, vt pecunia illa accommodatario pereat non accommodanti, etiam in casu omnino fortuito, & nihilominus recipiat accommodans aliquod lucrum, & pretium ratione illius rei accommodatæ.

Septimo, si vsura esset peccatū, esset certè peccatū iniustitiæ, & ex consequenti esset cū iniuria & dāno fratris, at in vsura nulli fit iniuria vel damnum, imo vtriq; accedit cōmodum; Inprimis nulli fit iniuria, quia tā mutuans quā mutuatarius sciens & prudēs citra omnem vim, aut deceptionē liberè cōfert quidquid alter eorū recipit: *Scienti autem & volenti non fit iniuria*: Quod vero neuter recipiat damnū, quin potius vterq; cōmodum, patet. Quia qui soluit vsuram, recepit beneficium & vtilitatem ex pecunia mutuata, Et qui recipit, illā recipit tanquā remunerationē beneficij quod altari cōtulit.

Octauo. Quod cedit in maximā Reip. vtilitatem, non est cōtra ius naturæ: at vsuræ moderatę cedunt in maximū Reip. commodum: Ergo: Probatur minor: Quia mercatores, & quicunq; negotia exercent indigent sæpe aliena pecunia, quam cum nullus teneatur illis mutuare, nulla alia via commodius, & facilius, ac cum minori damno habent in promptu, quam accepta illa mutuo cum aliqua moderata vsura: Similiter grauati ære alieno si bona sua vendere compellātur, non possunt liberari à suis debitis sine magna iactura bonorum suorum, quę tamē facilius & commodius, & cū exiguo dispendio rerum suarū persoluunt accepta etiam aliqua pecunia cū leui vsura. Et confir. Quēadmodum vsus numi & pecuniæ inuentus fuit ad faciendas rerum commutationes, vt testatur Arist. 1. Polyt. c. 6. & Iureconsul. l. 1. de contrahen. emptio. Ita quoq; ad habendam pecuniam alienā ad proprios vsus, ad promiscuas necessitates componēdas, & negotia tractanda fuit necessaria inuētio & concessio alicuius moderatę vsuræ, vt probat tex. in l. Ideo. ff. De eo quod cert. dona. vbi vsuræ sunt medium inueniendi vsum pecunię alienę, & redimendi proprias necessitates: Quin & in iure vsuræ nihil aliud sunt, quā congrua quędam & æquabilis compēsatio temporarij vsus æris alieni, vt

probant text. in l. Nec enim. in fine De pign. actio. in l. Insulam §. vsuras. ff. Solut. matrimo. in l. Pater. in principio ff. De doli exceptio. At vsus pecuniæ non est contra ius naturę ad res commutandas. Ergo nec solutio vel receptio alicuius moderatę vsuræ ad necessitates proprias cũ exiguo dãno redimendas, ad negotia, & comercia cõmodius tractanda, cẽsenda est iuri naturæ aut charitati, vel ęquitati repugnare.

Nono. Videntur fauere vsuris saltẽ moderatis parabolę illę Matth. 25. & Luc. 19. in quibus cõqueritur Dominus familias de seruo suo dicens: *Quare non dedisti pecuniã meam ad mensam? Et ego veniens vtiq; cum vsuris recepissem eam.* Non enim dicendus est Christus á reb⁹ iniquis cõparationẽ duxisse.

Decimo. Si recipiat quis agrum, aut alia rem fructiferam loco pignoris, recipiatque fructus illius, non computans illos in partem sortis; sed præter illos recipiat etiam deinde integram sortem, est manifesta vsura: quia hoc est aperte recipere lucrum vltra sortem. Hoc autẽ conceditur in capite, Conquęstus. De vsuris. Vbi monasterio habenti in pignus terram cuiusdam Clerici, dicit Pontifex, vt monasterium illud recipiat fructus illius terræ, nec computet eos in sortem, si terra illa sit de fæudo monasterij. Idem habetur cap. 1. De feudis. Et simile in cap. Salubriter. Extra de vsuris. Vbi dicitur Generũ non debere cõputare in sortẽ fructus pignoris, quod habet pro dote. Est ergo licita aliqua vsura.

Vltimo vsuræ sunt concesse & approbatæ tã iure diuino quam humano, ergo non sunt illicitę, neque contra ius naturę. Consequentia patet, quia ius diuinũ potius perficit naturam, quam illam destruat, humanum vero deriuatur à naturali: Antecedens autẽ probatur: Inprimis cõceditur iure diuino. Deuth. 23. vbi dicitur. *Non fænerabis fratri tuo, sed alieno.* Vbi aperte approbatur vsura quo ad alienos, & Gẽtiles. De iure vero humano patet etiam, ex l. Placuit ff. De vsuris & l. Eos. Cod. eodem titulo. Vbi Iustinia. Christianissimus Imperator approbat vsuram centesimam, & alias quas iam retulimus. Constatq; idem ex toto titulo De vsuris.

Oppositũ docet cõmunis schola, omniũ Theologorũ, tam veterũ, qui præcesserunt D. Tho. quã eorũ qui postea secuti sunt: nec est vllus ex Theologis præter Abulens. qui non asserat vsuram iure naturę esse omnino prohibitam. Est etiam communis sententia omnium Iuristarum, præter Ancarran, & Molineũ. Et quamuis proposita controuersia potissime versetur circa ius naturale, An eo vsura tanquã res intrinsece mala prohibeatur? Vt constet tamẽ quam iniqua sit, & damnata: quã ratione omni iure prohibita sit, hoc loco ostendendum esse duximus.

Sit ergo prima conclus. *Secundum fidem tenendum est, vsuram in quacumque quantitate esse illicitam, & diuina lege prohibitam, & oppositum est hæreticum.*

Patet hęc conclusio tam definitionibus Cõciliorum, quam Summorum Pontif. In Concil. Niceno. c. 17. & refertur 14. q. 4. Can. Quoniam. Dicitur: *Clerici auaritiæ caussa turpia lucra sectantes, obliti sunt diuini præcepti quo dictum est; qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.* Vbi etiamsi sermo sit de Clericis, docet tamen aperte Concilium Nicenum vsuram esse lucrum turpe, & prohibitam diuino pręcepto. In Conc. Lateranensi sub. Alexan. 3. & habetur extra de vsuris. Cap. Quia in omnibus, dicitur: *Vsuram condemnatam esse vtriusque testamenti pagina.* Vrban. 3. in cap. Consuluit. De vsuris: ait. *Omnem vsuram prohiberi in lege.* In Concilio Lateranensi vltimo sub Leone 10. Sess. 10. & in Bulla Leonis 10. qua approbat montem pietatis, de quo postea dicemus, diffinitur *vsuram esse iniquam & illicitam.*

Et clarius & expressius in Concilio Viennensi, & habetur in Clementina vnica De vsuris. §. sane. Dicitur: *Si quis in illum errorem inciderit, vt pertinaciter affirmare præsumat, exercere vsuras non esse peccatum, decernimus eum velut hæreticum puniendum, locorũ etiam Ordinariis & hæreticæ prauitatis Inquisitoribus districte iniungentes, vt contra eos quos de errore huiusmodi diffamatos inuenerint aut suspectos, tamquam contra diffamatos vel suspectos de hæresi procedere non omittant.*

Iam Ecclesia non punit aliquem grauissimis pœnis, aut censuris, nisi pro peccato mortali; at vsurarium grauissimis subiicit censuris, & pœnis.

Nam primo sunt infames infamia iuris, 13. q. 7. Canone Infames. & 6. q. 1. Can. Infames. Et l. Improbũ Cod. Ex quibus caussis irrogatur infamia: Vnde nec possũt esse testes in iudicio, nec contractus ciuiles facere, nec testamenta, vt docent DD. in istam l. Improbum. Et cap. Raynuntius. De Testam. & habetur l. Fratres Cod. De inofficiosi. Testament.

Secundo, priuatur sacra cõmunione altaris

ris & ſacramẽtorum. Cap. Quia in omnibus De vſuris: Nec deſunt qui non ſolum com munione ſacramentorum, verumetiam & introitu Eccleſiæ, quando celebrantur officia. Ita Abbas & Panor. Quamuis prius illud ſit magis receptum.

Tertio, non ſunt admittendæ in Eccleſia eorum oblationes tanquam è rebus furtiuis, & Clericus illas recipiens præcipitur illas reſtituere: Habetur eodem capite. Quia in omnibus. Et 14. quæſtio. 5. Cano. Imo. Et ſuſpenditur ab officio Clericus illas admittens, niſi vſurarius prius plene ſatisfecerit, aut dederit ſufficientem cautionem. Cap. Quamquam. De vſuris.

Quarto, eadem ratione niſi ſatisfecerit vſurarius, aut dederit ſufficientem cautionem, priuatur Eccleſiaſtica ſepultura. habetur eodem cap. Quia in omnibus. Et cap. Quamquam. De vſuris lib. 6. & ſepelientes tales ſunt excommunicati ipſo facto, vt habetur in Clementina Eos. De ſepul.

Quinto, non poteſt repetere vſuras quibus alius ipſum grauauit, quin prius ipſe perſoluat quas ab aliquibus accepit. Cap. Quia fruſtra. & cap. Michael Laicus. De vſuris.

Sexto. Prohibetur vſurarius ad Clericatum promoueri, Can. Seditionarios. Diſt. 46. & Can. De Petro. Diſt. 42.

Denique vſurarius ſi ſit Clericus ſuſpenditur ipſo facto à ſuo officio, & vſu ordinum: imo & degradari præcipitur, ac abſtinere. Can. Si quis. Diſt. 47. ex Concil. Elibertano. c. 20. ſi Laicus eſt excommunicandus, in cap. Præterea. de vſuris. Qui plura deſiderat circa pœnas vſurariorum legat Syluest. verbo vſura. Cap. 9. q. 4. Couarr. lib. 3. cap. 4.

Secunda Aſſertio. *Vſura iure naturali prohibita eſt, vt reuera intrinſece, & natura ſua mala, & iniqua.*

Hæc concluſio probatur inprimis illa ratione D. Tho. efficaſsime. Quia reuera aut eſt bis eandem rem vendere, aut accipere pretium pro re, quæ ex ſe, vt ex dictis conſtat, non habet pretium. Reſpondet huic argumento Carolus Molineus & Caballinus, vſurarium non accipere illud lucrum pro re ipſa, neq; pro vſu eius, quia videt aperte Molineus id non licere; ſed pro commoditate quam recipit mutuatarius ex illa re, quæ pretio æſtimabilis eſt: & qua commoditate priuat ſe is qui mutuat per totum illud tempus.

Hæc tamen reſponſio non habet locum, vidimus enim abunde quæſt. præced. art. 1. in venditione, præter rem quæ venditur, duo poſſe contingere, Primo vt ementi ex ea re aliqua proueniat vtilitas, Secundo vt vendenti aliquod proueniat damnum, aut poſitiue vt aiunt, quia reuera aliquod illi propterea inferatur nocumentum, aut priuatiue, quia vendendo rem illam priuatur aliqua peculiari vtilitate, quam ex ea percipiebat, præter illam communem quam talis res in ſe ipſa habet: è quibus (vt ibi abunde docuimus) poteſt quidem vẽditor ducere in pactum, præter pretium propriũ & primarium rei, damnum quod recipit ratione illius nocumenti, quod patitur, vel peculiaris vtilitatis qua exſpoliatur: non tamen ratione vtilitatis quam emptor ex ea reportabit, Quia illa vtilitas eſt rei, & vendendo rem, venditur ſimul cum illa talis vtilitas. Vnde ſi quis vellet vnum pretium pro re, & aliud pro vtilitate, idem omnino eſſet quod velle duo pretia pro eadẽ re: cum res venales vt ſupra dicebamus eatenus venales ſint, quatenus vtiles hominibus quæ enim inutilia ſunt nullius ſunt pretij.

Tum etiam quia utilitas iſta quã emptor eſt recepturus, non eſt quid venditoris poſt quã vendidit rem, ſed emptoris: & ita vltra pretiũ rei velle aliquid pro tali vtilitate eſſet velle vt emptor reddat pretium pro re ſua quod eſt iniquum. Eodem modo in mutuo, ſiquidem mutuans aliquod damnum recipiat, quia mutuat, vel aliquam vtilitatem ſibi certam amittat, tunc vt infra docebimus poterit quidem aliquid recipere, non ratione mutui, ſed in recompenſam illius lucri ceſſantis, vel damni emergentis: at ratione vtilitatis quam mutuatarius recipit ex re mutuata, iniquum eſt aliquid exigere, quia hæc vtilitas & commoditas non eſt quid mutuantis, ſed ipſius tantum mutuatarij, cum non differat ab ipſa re. Quo fit, vt ſi teneretur mutuatarius & rem ipſam æquiualenter reſtituere, & præterea aliquid pro illa commoditate quam ex ea percepit, duplex pretium pro eadem re daret: Quod eſt argumentum D. Tho.

Vnde ſicut quando pretio iuſto venditur equus, quamuis ex vſu equi ſit emptor magnam vtilitatem recepturus, non poteſt vẽditor ratione illius vtilitatis aliquid recipere, quia empto equo vſus ille, & vtilitas, & quidquid ex eo haberi poteſt, iam eſt emptoris, eſſetq; vẽdere illi ſuã rẽ. Eodẽ modo nec pro vſu pecuniæ, nec pro vtilitate quã ex ea recipit mutuatarius poteſt aliquid recipere is qui mutuauit, quia eo ipſo quo mu-

mutauit, hæc omnia transeunt in mutuatarium vna cum pecunia, suntque ipsius, nec aliud debet quàm valorem pecuniæ nempe æquiualentem pecuniam.

Vnde sumitur secundum argum. efficacissimum ex natura rei. Contra ius naturæ est, vt recipiat quis pretiũ pro re quæ nullo modo est sua, nec quo ad vsum, nec quo ad dominium: sed qui aliquid mutuat, eo ipso quo mutuat, transfert à se in mutuatarium & vsum & dominium illius rei, ideo enim dicitur mutuum, quasi ex meotuum, ergo ratione illius rei nihil potest percipere vltra redditionem æquiualentis, in quo consistit mutuum.

Respondent [redacted] & Caballinus, huic argum. pro eo quod tuum est simpliciter & omnino, non possum ego a te aliquid recipere, at pro eo quod tuum est, sed à me acceptum & mihi debitum, possum aliquid recipere. Vt quando vẽdidi tibi agrum, nec illud statim persoluis, ratione illius debiti possum recipere aliquid: vt fit in censibus, qui constituuntur ratione debiti, quos vocamus debitoria. Et ita cum vsus pecuniẹ quã tibi mutuaui esset meus, sicut & pecunia illa, ac mihi debitus, ratione illius non simpliciter & omnino tui, sed vt mei ac mihi vere debiti, possum aliquid percipere.

Hæc tamen euasio rudicula est, quia pecunia tradita mutuatario est quidem debita ipsa in eadem quantitate mutuanti, sed iã nullo modo est ipsius sed secundum omne dominium & vsum translata in mutuatariũ Quo fit, vt sicut in mutuo mutuãs nõ tradit seorsum pecuniam, & seorsum vsum, sed vtrumque simul, ita mutuatarius non maneat obligatus restituere seorsum pecuniã, & seorsum vsum, sed vtrumq; simul, quod facit restituens æquiualentem pecuniam, nec ad aliud tenetur quam suo tempore cõstituere mutuantem in dominio & vsu suẹ pecuniæ, quod satis præstat restituendo integram sortem. Nec valet exemplum quod adducitur de censibus constitutis in debitis: nam hi census (vt videbimus) tantum constituuntur in debitis contractis ex re fructifera, persoluiturq; hic census quandiu non soluitur pretium illius rei, quia nõ est æquum, vt emptor percipiat fructus nõ soluto non pretio, prior vero Dominus careat & pretio & fructibus. Et confirm. ista secunda ratio optime à Ioanne Teutonico in cap. Si feneraueris. 14. q. 3. Gloss. 1. Quia cum pecunia mutuata statim fit sub periculo mutuatarij non est ille amplius grauandus, quam nuda illius restitutione.

Tetio, contra naturam est percipere fructũ, ex re quæ natura sua infructifera est, & omnino sterilis; pecunia autẽ natura sua sterilis est, & infructifera, vnde illud commune proloquium omnium DD. Et Philosophorum, *Pecunia non parit pecuniam* vocaturque à Græcis, vt refert Arist. *atbocos* id est expers partus: quod si aliquando exposita mercaturæ fructiferat hoc non est tribuendum pecuniæ, sed industriæ mercatoris, vsurarius autem vult lucrum ex pecunia, ergo vult fructum ex re infructifera, quod repugnat naturẹ. Hoc argumento damnat plurimum Arist. vsurã Primo Polit. cap. 6. & 7. vbi ait *obolisticam esse odiosam*, id est mutuationem vsurariam. Et D. Ambrosius serm. 81. in illam parabolam Luc. 12. *Hominis cuiusdam diuitis fructus vberes ager tulit, &c.* Et habetur Dist. 47. Can. Sicut hi. inquit. *Interdum vsuræ arte nequissima ex ipso auro aurum nascitur*, Quasi dicat agros fructus parere hoc naturale est, & artis agriculturæ, ex auro vero aurum nasci, ex pecunia pecuniam, hoc contra naturam est.

Quarto, vendere alicui tempus contra ius naturæ est, quia tempus solem & aerem omnibus ex æquo Deus & natura concesserunt, nec ab aliquo vendi possunt: at vsurarius reuera vendit tempus, quia cum centum aurei non plus valeant quam centum aurei: ratione mutui exigere lucrum est reuera velle pretium ratione illius temporis, quo mutuatarius apud se detinuit pecuniam, & per consequens velle pretium temporis. Hac ratione vtitur B. Chrys. Homil. 38: in Matth. & habetur. Dist. 38. Cano. Eiiciens. *Super omnes mercatores* (inquit) *maledictus plus est vsurarius, ipse nãq; rem datam a Deo vendit, id est tempus, non comparatam, vt mercator.*

Quinto illud censendum est contra ius naturale, ex quo multa damna & incommoda sequuntur Reip. sed ita accidit in vsura: ergo ab effectu & á posteriori colligitur vsuram esse iuræ naturæ prohibitam, vt intrinsece malam: Maior certa est, nam ex his quæ sunt à iure naturæ: cuius author est Deus, bonum potius sequitur Reip. humanæ, quam malum. Et confirmatur: quia hac ratione omnium DD. iudicio fornicatio simplex, & concubitus solutæ cum soluta est malus iure naturæ, quia cedit in dãnum graue Reip. quia si filij non habeant

certos

certos parentes male educabuntur. Minor vero patet experiētia. Experimur enim per vsuras exspoliari domos ditissimas, & vsurarios illarum substantias deuorasse, videmusque pauperes ab vsurariis oppressos. Quæ ratio non solū procedit de vsuris immoderatis, verumetiam & de illis moderatis quas videntur permittere iura ciuilia. Nam cum omnem finitum per ablationem partium tandem consumatur, etiam si vsuras moderatas quis per soluat, consumetur ipsius substātia. Ita refert Titus Liuius lib. 7. ab vrbe condita apud Romanos fuisse semper vsuras in odio, ortamq; esse magnam discordiam Romę inter Patres Conscriptos ex oppresione plebis per vsuras. Denique præstantissimi philosophi vel solo lumine rectæ rationis deprehenderunt quam iniquæ sint vsuræ; quorum authoritas in hac parte est magni momenti Arist. locis citatis damnat vsuras vt maxime nociuas Reip. & contra naturam, Et 4. Polit. c. 1. appellat vsuram turpe lucrum, & fæneratores facit similes latronibus, lenonibus, depopulatoribus & tyrannis. Marcus Cato principio libri de re rustica ait: *Maiores nostri sic habuerunt, & ita in legibus posuerunt, furem dupli condemnari, fæneratorem quadrupli; quanto peiorem ciuem existimauerunt fæneratorem, quam furem hinc licet existimare.* Plutarchus in Luculo plurimum eas damnat, adeo vt ediderit peculiarem tractatum contra vsuras. Cicero 2. officio. in fine ait: *Dare sub vsuris esse hominem occidere.* Suidas ex Aristophane in Nubibus sic ait, *vsuram esse quandam feram belluam, quæ per menses & dies argentum gignit serpente tempore.* Apianus Alexandrinus lib. 1. de Bello ciuili refert fuisse olim apud Romanos grauem curam pretoribus de tollendo fenore, & Asellium prætorem, qui id suadebat occisum fuisse á pretoribus.

Sed offert se hic statim dubitatio.

In quo gradu habendum sit vsuram esse iure naturæ prohibitam.

Dico non esse hanc conclusionem aperte de fide, ita vt oppositum sit heresis, esse tamen proximam fidei, & oppositum errorem vel proximum errori. Esse proximā fidei ostēdo primo, quia Pontifices & Concilia quę docent vsuram esse prohibitam non docēt illud vt aliquod preceptum nouum, sed tāquam antiquum ex testimoniis veteris legis vt ex illo Psal. 14. Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram: At ex veteri lege ea nunc tantū manent quę sunt moralia & iuris naturę: cum ceremonalia & iudicialia omnia cessauerint in Christi passione. Vnde vsura iuxta Pontifices & Concilia iure naturæ est prohibita, alioquin non posset nūc testimoniis veter. Testam. dānari: quod est negare doctrinam Pontificum & Conciliorum.

Secundo. Si negetur vsura esse iure naturæ prohibita, sequetur modo in lege Euangelica non extare præceptum aliquod diuinum prohibens vsuras, consequens est hæreticum ergo & antecedens erit etiam error vel saltim errori proximum. Quod sequatur ostendo: Primo si hoc præceptum non est iuris naturalis, non potest colligi modo ex Vet. Test. quia erit tantum iudiciale aut ceremoniale, quæ iam cessarunt vt docet D. Pau. Heb. 7. *Translato Sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat,* In nouo etiā nō habetur exprese, quia locus ille Luc 6. *mutuum date nihil inde sperantes,* qui ab omnibus adducitur ad damnandam vsuram, à viris doctissimis, vt M. Soto & Iansenio explicatur in alio sensu, nempe de non collocanda spe in retributione hominū, quibus mutuo aliquid datur, sed in Deo qui gratiam illam, quę per mutuum exercetur, cœlesti prēmio donabit. Vnde D. Thom. non adducit hunc locum contra vsuram hic.

Tertio: in lege Euangelica præter præcepta fidei & sacramentorum nullum continetur præceptum quod non sit morale & iuris naturalis, est autem in lege Euangelica preceptum prohibens vsuram, vt docent etiam Pontif. & Concilia, asserentes vsurā prohiberi pagina vtriusq; Testam. huiusmodi autem preceptum nec pertinet ad fidem, nec ad sacramenta, sed ad mores, erit; ergo necessario concedendum esse iuris naturalis.

Quarto, nullus est qui non iudicet falsum & erroneum, asserere infideles posse inter se dare ad vsuram, at si vsura non sit prohibita iure naturæ, liceret infidelibus illis, qui nunquam fidem susceperunt, ita dare, cum illi solam legem naturę teneantur obseruare, quandiu sunt in illo statu paganismi. Ergo prohibetur iure naturæ.

Denique Iudæi cum veniunt ad baptismum præcipiuntur à Sede Apostolica omnia relinquere, quia quæcunque habēt sunt per vsuras acquisita, atsi vsura non esset iure naturæ prohibita, non tenerentur omnia illa restituere, probo. Isti non tenentur iam lege veteri, cum illa sit iam omnino abolita: neque lege Euangelica cum ad illam

iam non teneantur ante suam cōuersionem & susceptionem baptismi; Ergo quæ acqui sierunt per vsuram potuerunt recte acquirere, nec tenentur restituere. Quod si dixeris; Non potuerunt illa acquirere quia ante suā conuersionem iudicarunt legem suam adhuc retinere suam vim, & illa falsa ac erronea conscientia prohibebantur: Contra illa falsa & erronea conscientiā effecisset quidem vt illi peccarent accipiendo vsuras tanquam agentes contra conscienciā, non tamen effecisset quin illæ vsuræ vere sint ipsorum, si iure naturę nō sunt prohibitæ, cū lex illa iam cessauerit, & ad nouam non teneantur donec baptizātur: Secundo nō tenerentur restituere lucra accepta ab alienis cum id lex illa ipsis permitteret, at omnia precipiuntur restituere tam accepta à suis quam ab alienis.

His argumentis patet quam proximum sit fidei, vsuras iure naturæ esse prohibitas: non tamē est aperte de fide, nec oppositum aperte & euidenter hæreticum.

Ad 1. Enim ex propositis argumētis possumus respondere, Pontifices & Concilia adducere præceptum illud vt antiquum, nō quidem vt antiquum iure naturæ; sed vt antiquum in lege veteri, à qua sæpe sumunt testimonia, non tanquam vrgentia & efficaciter concludentia; sed vt accōmodata.

Ad 2. Dico, non sequi illud incommodum, quia licet Mag. Soto. & nōnulli existiment, non colligi efficaciter prohibitionem vsuræ ex illo Luc 6. *mutuū date, &c.* Communis tamen expositio Sanctorum, & DD. (vt videbimus) oppositum docet, imo dicemus ex isto loco efficaciter & improprio sensu litterali deduci.

Ad 3. Dico, esse quidem cōmune axioma, & receptum inter Theologos, in lege Euangelica præter præcepta fidei, & sacramentorum, sola præcepta iuris naturæ reperiri: non tamen est axima (licet verissimum) aperte de fide, ita vt oppositū sit manifeste hæreticū. Quo nomine excusamus ab hæresi Durā. in 4. Dist. 34. q. 2. Et Martinū de Magist. q. 2. de Tēperantia, asserentes simplicem fornicationem non esse prohibitam iure naturæ, sed solum lege diuina & Euangelica, quia non est hæresis negare quæcunque continentur in Euāgélio præter præcepta fidei, & sacramentorū esse iuris naturæ, quāuis sit maxime affine errori.

Ad vltimum dico isto argumento maxime conuinci vsuram esse iure naturæ illicitam, cæterum ista ratio non conuincit id tan quam de fide, ita vt oppositum sit hæreticum, quia id tantum iudicandum est aperte hæreticum cuius oppositum est definitum ab Ecclesia, vel habetur aperte in sacra Scriptura aut ex ea deducitur in aperta & euidenti consequentia. Vsuram autem esse iuræ naturę prohibitam nec adhuc Ecclesia aperte definiuit, nec est expressum in sacris litteris, nec ex ipsis in euidenti cōsequentia deduci potest.

Tertia cōclus. *Vsura iure diuino vtriusq; Testam. prohibita est.*

Quod spectat ad vet. Testam. res est aperta Exod. 22. *Si pecuniā tuā mutuo dederis populo meo pauperi, &c. non vrgebis eum quasi exactor nec vsuris opprimes.* Leuit. 25. *Non accipies a fratre tuo vsuras, nec amplius quam dedisti.* Et paulo post. *Pecuniā tuam non dabis ei ad vsuram, & frugum superabundantiā non exiges.* Deuth. 23. *Non fænerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, &c.* Psal. 14. *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, &c.* Neemiæ 5. reprehenduntur acriter Iudei, qui pauperibus mutuauerāt ad vsuram. Ezech. 18. recensentur conditiones viri iusti hę. *Qui fecerit iudicium & iustitiam, qui occulos suos ad idola non leuauerit, qui vxorem proximi sui non violauerit, qui pignus debitori reddiderit, qui per vim nihil rapuerit, qui panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento: qui ad vsuram nō commodauerit, nec aliquid amplius acceperit, sed ab iniquitate auerterit manum suam, &c.* Et consequenter vbi recensentur paulo post conditiones viri iniqui, & peccatoris, collocatur inter eas. *Qui accommodauerit ad vsuram, & amplius accepit.* Sūt & alij innumeri loci in vet. Testam. sed hi sufficiunt:

In nouo autem Testam. an sit prohibita speciali & peculiari precepto, res est difficilior: Quia in nouo Testam. nullus est locus in quo videatur prohibita, nisi ille solum Luc 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes* ex quo communiter colligunt DD. prohibitam esse vsuram in lege Euang. Carolus autem Molin. vbi supra nu. 9. & 10. & ex Catholicis M. Soto loc. cit. & Cornel. Ians. in commento istius loci cap. 4. suę Cōcor. volunt in eo loco, iuxta proprium ipsius sensum non prohiberi vsuram: sed hoc tātum, ne ex beneficiis quæ proximis nostris impendimus, humanam compensationem speremus, sed solam diuinam mercedem & retributionem.

Probat Soto: Primo, quia D. Tho. occulatissimus perspector sensuum scripturæ non

non argumentatur ex hoc loco ad damnandam vsuram, ex quo proculdubio fuisset argumentatus si in eo prohiberetur vsura. Secundo, Ex eodem D. Thom. qui hic in solutione quarti hunc sensum vltimo loco, vt omnium præstantissimum proponit, dicens: *loquitur ibi Christus non de spe vsurarij lucri, sed de spe quæ ponitur in homine. Non enim debemus mutuum dare, vel quodcunque bonum facere, propter spem hominis, sed propter spem Dei.* Tertio, patet inquit ex ipso contextu, habet enim textus: *Si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fenerantur, vt recipiant æqualia.* Vnde sic argumentatur: Si loqueretur hic Christus de lucro vsurario, non dixisset, vt recipiāt æqualia, non enim est, in more vt lucrū vsurariū sorti & capitali æquetur: ergo loquitur de simili retributione, vt qui mutuat, speret ab illo cum indiguerit mutuo quoq; accipere, aut alia beneficia quæ solent homines grati suis benefactoribus retribuere: Quæ recōpensatio licet sit licita, non ex debito sed ex gratitudine, vult nihilominus Christus neque ob hanc spem esse mutuandum, sed sola spe diuinæ retributionis: quia si ob illam spem mutuaremus, certe pauperibus qui nostris mutuis communiter magis egent non mutuaremus, cum hi non possint parem gratiam referre nisi rarissime. Et confir. cum subiungat Christus: *Veruntamen diligite inimicos vestros, benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes: Et erit merces vestra multa, & eritis filij altissimi.* Vbi aperte loquitur de dilectione inimicorum, & beneficiis quibus ex charitate afficiendi sunt nō propter aliquam gratiā ab eis recipiendam, sed sola spe diuinę mercedis q. d. diligete inimicos vestros, bene facite illis: mutuo date ea quibus indigent, etsi inimici sint: hæc enim præstanda sunt non sperantes premia humana, sed diuina & celestia, Et cum hac spe præstanda sint, quid refert quod sint inimici: imo eo ipso quo inimici sunt, & perfectior vestra charitas erit, & merces vestra maior.

Quod si quæras ab his, vbi ergo continetur in Euangelio prohibitio vsuræ? respondent contineri directè in illo precepto: *Non furaberis*, quia illo prohibetur quęuis iniqua acceptio rei alienę, qualem esse vsuram satis constat ex supra dictis. In loco autem isto. *Mutuum date*, secundum quandā illationē à minori ad maius, Quia si Christus prohibet ne ob mutuum speretur aliqua gratia humana, quod certe licet via gratitudinis vt dicemus, quanto magis prohibebit aliquod lucrum debitum ex mutuo velut pretium mutui, in quo cōsistit vsura? Vnde iuxta hos DD. non erit probibita vsura aliquo speciali & peculiari præcepto: sed tantum illo generali & communi. *Non furtum facies.* Et in hoc sensu erunt intelligendi Pontifices & Concilia quę adduximus, quando dicūt vsuram prohibitam esse vtriusque Testam. pagina.

Hęc sententia à paucissimis recipitur, imo communiter reiicitur in Scholis à DD. Theologis: non tanquam hæretica vel erronea, cum illam viri adeo eruditi & pij vt Soto & Iansenius sequantur, iudicatur tamen falsa, periculosa, & nociua. Primo quia est contra communem sentētiam DD. qui in illis verbis *Mutuū date: &c.* perpetuo intellexerunt prohiberi vsuram peculiari pręcepto Euangelico. Ita D. Tho. hic ad 4. asserens vnum ex sensibus istius loci, esse, vt dare mutuum sit Concilium, nihil autem accipere, vel sperare ex mutuo esse pręceptum in istis verbis contentum: Conrad. De contrac. q. 22. Conclu. 3. Ioan. Medin. in quest. illa de vsura. Nauar. in illo c. 1. 14. q. 3. à num. 7. vsq; ad 10. Couarru. lib. 3. Varia. Resolut. Cap. 1. num. 6. Guillel. Peraldus Episcopus Lugdun. in sua Summa vitio. & virt. tom. 2. Tract. de Auaritia. c. 1. & omnes fere recentiores.

Secundo Vrban. 3. in c. Consuluit. De vsuris. Alexan. 3. in illo cap. Super eo. Et cap. Cum tu. Cap. Quia in omnibus. eodem tit. Et Concilium Lateran. aperte affirmant vsuram prohibitam vtriusque Test. pagina, at nisi sit prohibita in isto loco Luc. 6. nullus est alius locus in toto Euangelio vbi prohibeatur. Nec valet solutio M. Soto prohiberi in illo pręcepto. *Non furaberis*, quia verba Pontificum. Et Conciliorum quando dicunt prohiberi vsuram vtroq; Test. expressam & specialē prohibitionem volunt significare non communem tātum & genericam. Sunt enim illa intelligenda iuxta communem modum & vsum loquendi, in Euangelio autem id dicimus communiter, præcipi, vel prohiberi, quod speciali præcepto pręcipitur, vel prohibetur. Aliter si ad generica & communia esset recurrendum, multa sunt de iure humano, quę possent dici de iure dino, & pręcepta in Euangelio. (V. g.) Ieiuninium quadrā-

dragesimale, communicare in Paschate, &c. cum hæc præcipiat Ecclesia: & Christus dixerit in Euangelio. *Qui vos audit, me audit, &c.* consequenter essent præcepta ista à Christo in illa generica propositione. Qui nos audit me audit, & de iure diuino, quod nullus dicet. Et confir. quia Pontif. & Cōcilia æqualiter docent prohiberi vsuram vtriusque Testam. pagina: Vnde sicut prohibetur in Veteri expresse in locis adductis, dicenda quoque est expresse prohiberi in Nouo, nullus autem locus est, vbi expresse in nouo prohibeatur, nisi iste Luc. 6.

Tertio, in Concilio Lateranen. 3. sub Leone 10. & in Bulla eiusdem Leonis circa approbationem montis pietatis adducitur iste locus Luc. 6. ad probandum vsuram non solum in Vet. Testam. verum etiam in Nouo esse omnino prohibitam: At Concilia & Summi Pontif. in dogmatibus fidei, & morum non argumentatur ex aliquo loco Sacræ Scripturæ, nisi in vero & genuino illius loci sensu. Nec valet quod ait Soto, Papam citatem aliquem locum in aliquo sensu, non eo ipso statuere tanquam de fide, aut canonizare illum esse litteralem sensum illius loci, sed statuere quidem dogma quod docet, locum vero adducere iuxta Doctorum sensum & opinionem: Hæc solutio vel recursus Soti loqui Pontif. nō vt Pontif. sed vt Doctorem, nec statuendo, sed sequēdo communem & probabiliorem DD. opinionem & expositionem potest habere locum, quando aliquid est in oppositū, quod maxime vigeat, nec aliter solui queat: in hoc vero casu non redigimur ad has angustias. Quæ enim vtilitas est in fauorem fidei, vel morum, negare vsuram esse prohibitā illo loco Luc. 6? aut quæ necessitas recedendi à cōmuni intelligētia DD. & quærendi nouas expositiones verborum Conciliorum, & Pontif. cum ipsi adeo aperte loquantur? Hoc certe est nodum in scyrpo quærere.

Ego in hac parte communem sequar sententiam, in his verbis *Mutuum date*: expresse iuxta germanum, & litteralem ipsorum sensum prohibere Christum vsuram: cum in hoc sensu accipiatur locus iste à Summis Pontif. & Conciliis, Simulque iudico sensum istum quem afferunt Soto & Iansenius eidem loco etiam conuenire; nihil enim prohibet si D. August. credimus, quod in Scholis adeo receptum est, eundem locum sacræ Scripturæ plures sensus litterales germanos, & proprios habere. Fauet nobis D. Tho. qui hic ad quartum vtrumque recenset tanquam optimum, & congruentem. Vnde non recte colligit Soto, sensum illū quem communiter sequuntur DD. reiiciēdum esse, quasi is solus quem ipse accepit á Carolo Molineo sit legitimus, cum possint esse (vt hic admonemus) plures sensus litterales eiusdem loci.

Et confirmatur. Quando damus pauperibus mutuo nihil inde restituendum sperātes, quia ita egent, vt nec habeāt vnde sortem ipsam restituant, sed solus Deus futurus est pro eis retributor, talis donatio non est mutuum, sed mera eleemosyna, quæ à mutuo maxime differt, & quā docet Christus Luc. 14. dicens vt ad cœnas, & prandia nostra non vocemus cognatos, vel amicos, aut diuites, qui simile valeant retribuere, sed pauperes à quibus nullam in hoc seculo speremus retributionem, sed à solo Deo: At Luc. 6. iuxta commune Doctorum intelligentiam non loquitur Christus de eleemosyna, sed de mutuo.

Et confirmatur, quia cum Christus apertissime, & expresse, ac in particulari reprehenderet vitia quæ inter Iudæos magis vigebant, essent autem illi ad vsuras propensissimi, certissimum est, illas in particulari & explicite in Euangelio prohibuisse, nullus vero alius locus est, in quo expresse, ac sub proprio nomine mutui, à Christo Domino in toto Euangelio prohibeantur, nisi iste Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes.*

Ad argumenta igitur ipsius Respon. Ad primum, quod maxime friuolum est, cum vsura prohibita sit vtriusque Testamenl. pagina, liberum fuisse D. Thom. sumere argum. in contrar. ex Vet. vel Nouo Testam. sumpsit vero illud consulto ex Veter. vbi minus videbatur prohibita, cum multorum iudicio censeatur permissa Iudæis. Quia si vbi minus videbatur permissa ostenditur prohibita, quanto magis in lege Euang. vbi nullo modo permittitur.

Secundum solutum manet ex dictis, D. enim Tho. non proponit solum illum vltimum sensum de nō ponenda spe in homine, & illius gratitudine, sed in solo Deo, quem sequitur Soto: sed proponit etiam quem DD. communiter habent tanquam primum, & potissimum, confirmatque illum cum addit. *Verbum illud nihil inde sperantes esse concilium iuxta dicta Phariseorum*, Vbi cum dicat iuxta dicta Phariseorum, aperte indicat, iuxta verum sensum, & a parte rei esse preceptum non sperare aliquod lucrum

crum ex mutuo.

Ad tertium dico, probari illo argumēto illum sensum Soti, non tamen excludi cōmunem: Primo quia fænus proprie est vsura, vnde cum dicat Christus peccatores. ii gentiles peccatoribus fenerantur, aperte loquitur de lucro vsurario. Secundo potuit ita res habere tempore Christi, vt lucrum vsurarium æquaretur sorti progressu alicuius temporis, cum reuera tempore Iustiniani, vsura vltra centesimam, quæ maxime erat in vsu, & quam ipse prohibuit, intra certum tempus non solum æquaret, verum etiam excederet sortem: imo & nostris temporibus (vt ostendemus) sub nomine cambij exercentur vsuræ, intra tres vel quatuor annos excedentes sortem: quid ergo prohibet, vt Gentiles tēpore Christi, quos ibi vocat peccatores, reciperēt intra aliquod tempus lucrum vsurarium ęquale sorti, imo & excedens, quod insinuans Christus dixit, vt recipiant æqualia.

Quæ deinde affert in confirmationem suæ sententiæ Soto non repugnant nobis, sed fauent vtriq; sensui, vt admoneat Christus mutuum dare, neque ob lucrum vsurarium, neque vt simile beneficium recipiatur, sed gratis, & ex charitate sperantes diuinam retributionem, quę lucrum est omnium præstantissimum. Quia aliter pauperi nemo mutuaret.

Quarta conclusi. *Omni iure humano, tā Ecclesiastico, quam ciuili, & priuatis regnorum legibus prohibita est vsura.*

De iure Ecclesiastico constat satis ex testimoniis Conciliorum, & Pontif. quæ adduximus in prima conclus. qui plura desiderat legat 14. q. 3. & 4. & Dist. 46. & 47. varia capita: Et tam in decretalibus quā in 6. & Clemētinis tit. De vsuris: vbi præter decreta Pontif. habentur etiam Varia testimonia Sanctorum Patrum: D. August. ad Macedonium & habetur: 14. q. 4. Can. Quid dicam ait: *An crudelior est, qui subtrahit diuiti aliquid, vel eripit, quam qui trucidat pauperē fænore?* D. Amb. in lib. de Bono mortis & habetur eodem loco Can. Siquis: *Si quis* inquit *vsuram accipit, rapinam facit, vita non viuet.* Vbi etiam adducit illud Cicero. 2. officio. *fænerari est hominem occidere*: D. Bernar. in lib. de cura rei familia. quem referunt Calderin. in repetitio. Cap. Nauiganti. oppositio. 5. De vsuris. & Salicetus in Autētica Ad hæc. eod. tit. q. 24. Habet Vsura Legalis latro est prædicēs quod intendit, scilicet rapere, Et paulo post vsura similis est morsui Aspidis. quo tropo, vt supra vidimus vsus etiam est B. Chrys.

De iure ciuili communi controuersum est quomodo vsuras illud prohibeat, sed explicabitur hic à nobis in solutione vltimi argum. Interim constat, vsuram vsurarum, quæ vocatur improbum fænus, esse prohibitam l. placuit. ff. De vsuris. l. Si non sortem: ff. de Condit. indeb. l. At nullo modo. Cod. De vsuris l. Improbum fænus. Cod. Quibus causis infamia irrogatur. Et vsura vltra centesimam l. Eos. Cod. De vsuris & aliis duabus sequentibus legibus. & l. 1. Cod. de Nautico fæn. Priuatis vero legibus Regnorum vbique etiam prohibita est, vt in singulis Regnis est videre. In Regno Castellæ prohibetur omnino sub grauibus pœnis lib. 8. Ordinat. Regal. tit. 2. l. 1. & vlt. & potissime prima vbi dicitur *vsura omni iure prohibita.* Et intelligit omni iure id est tam naturali, quam diuino vtriusq; Testam. reuocanturque ibidem omnia priuilegia concessa Iudæis ad excercendas vsuras. Et in noua recopil. legum Castellæ p. 2. lib. 8. tit. 2. habetur similia: In hoc nostro Regno Valentiæ extant innumeræ leges municipales prohibētes vsuras sub pœna infamiæ & aliis grauissimis pœnis quas longum esset recensere.

Ex his perspicuum fit, omne genus vsuræ, in qua ratione mutui aliquid recipitur vltra sortem, in quacunq; quantitate illud conferatur, omni iure prohiberi: falsoque & hæretice docuisse Molineum, & Caballinum, qui reuera illi in hac parte subscribūt, vsuras illas quæ non excedunt centessimam, sed iure ciuili permittuntur, licitas esse. Vnde exemplum illud siue hypothesis illa Molinei quam affert Caballinus, de eo qui mercatori negotium lucratiuum facturo pecuniam mutuaret, ita vt stipuletur partem lucri reddendā sibi esse vltra sortē à mercatore mutuatario, illudque maxime decere humanam Christianamque charitatem, reiicienda omnino est tanquam apertissimus error. Nam esto recte ac iuste à mercatore illo posset quis recipere partē lucri, vbi pecunia illa data esset in contractum societatis, in quo qui illam confert, similiter & ex æquo seipsum exponit damno, & cōmodo: at ex vi sola mutui, qua ratione loquitur semper ibi Caballinus, sicut & Molineus, vsura esset & fænus, eiusdem omnino rationis cum eo, quod omnia iura damnant.

Vnde contra eum sic argumentor, Aut Mercator iste reddit ei qui sibi mutuauit pecuniam, cum qua ipse lucratus est, partem, illius

illius lucri, & vi mutui, aut ratione lucri, aut ratione vsus & commoditatis illius pecuniæ sibi mutuatę, aut denique propter beneficium quod recipit à mutuante sibi illã pecuniam, quæ est potissima ratio Molinei.

Primum non licet, quia in eo consistit tota, & propria ratio, ac iniquitas vsuræ, vt ipsimet Molineus, & Caballinus fatentur.

Nec est dicendum secundum, quia etsi pecunia illa fuerit mercatori illi conditio sine qua non fuisset lucratus (in quo plurimum est allucinatus Caballinus) lucrum tamẽ illud nõ est ex pecunia, sed ex industria mercatoris, cum pecunia secundum se & natura sua non sit fructifera: quo circa solius mercatoris qui ea industria vsus est, esse debet. Et confirmatur, in mutuo numerare pecuniam, illam conferre, sunt etiam conditiones sine quibus nõ potest esse mutuũ, at ratione istarum actionum non potest aliquid accipi extra sortem; ergo neque ex pecunia mutuata mercatori licebit aliquid accipere, quamuis sine illa pecunia mercator non fuisset negotium illud executus, & in eo lucratus.

Nec est dicendum tertium. Quia cum in mutuo vt constat omne dominium pecuniæ mutuatæ transferatur in mutuatariũ, cum solo debito restituendi tantundem: in pecunia vero vsus & dñium nõ distinguantur, consequenter sicut in mutuo transfertur omnino & absolute in mutuatarium dominium pecuniæ cum solo debito restituẽdi eandem pecuniam, ita quoque transfertur simul in illum quicunque vsus, & quęcunque commoditas, quam ex illa mutuatarius sua industria recipere potest, cum solo similiter debito restituendi eadem pecuniam.

Denique, neque propter beneficiũ quod recepit à mutuãte sibi pecuniam illam, cum qua lucratus est, debebit mutuatarius aliquid illi reddere vltra sortẽ. Probatur. Beneficium quod recipit mutuatarius nihil aliud est quam commoditas illa, & vsus, siue vtilitas quam reportat ex vsu pecuniæ, pro commoditate vero illa & vsu vltra capitale nihil debet, vt modo ostendimus: cum illa commoditas & vsus non distinguatur ab ipsa pecunia, & illius dominio, ergo neque pro illo beneficio. Loquor de debito ex pacto & iustitia, nam ex gratitudine debet illi esse gratus & beneuolus vt benefactori suo. Secundo, in mutuo duo sunt, pecunia exhibita mutuatario, & beneficium per illam sibi collatum ex amicitia, pecunia non habet aliud pretium aut maius quia aliam pecuniam in eadem quantitate, beneficium vero illud ex amicitia collatum gratitudinẽ animi; ergo mutuans nihil aliud debet exigere, aut sperare à suo mutuatario, quam æqualem pecuniam pro pecunia, & animũ illius sibi gratum & beneuolum pro beneficio, Et si quid aliud exigat, aut speret, iniquum est, & contra propriam naturam mutui.

Et hoc profecto est, quod ait Dominus, *mutuum date nihil inde sperantes*, Id est nullã retributionẽ temporalem propter mutuũ. Etenim cum sperare vt reddatur tibi quod tibi debitum est, iustum sit, adeo, vt qui tibi illud non redderet, inique ageret, & peccaret: sperare etiam eum cui benefecisti grato ac beneuolo animo in te postea futurũ, æquum sit & honestum, nihil horũ in his verbis Christus prohibet, sed id tantum, ne quid temporale vltra sortem qui mutuat, intendat recipere. Damnat ergo verbis illis *nihil inde sperantes*, quodcunque genus lucri temporalis ex mutuo, quacunque ratione illud speretur: siue ex pecunia mutuata, siue ex lucro acquisito pecunia illa, siue propter cõmoditatem illius, siue propter beneficium. Quacumque enim ratione istarum intendat mutuans accipere temporale aliquid, & pretio æstimabile à mutuatario, & in quacunque quantitate, siue pecuniam, siue munuscula, siue fauorem, siue beneficia Ecclesiastica, dat mutuo aliquid sperans ex mutuo; quod omnino in verbis istis prohibet Christus. Nullus ergo est titulus, aut ratio, propter quam mutuans aliquid vltra sortem accipere possit: nisi gratis, & libere omnino mutuatarius illud redderet ex sola gratitudine, minime vero ex aliquo pacto, vel stipulatione tacita, vel expressa.

Præterea pecunia quam Ioannes mutuat Petro, cum primum illi mutuata est, est Petri omnino & absolute, ita vt possit illa pro libito vti, vel negotiãdo cũ illa, vel proiiciẽdo vt dicunt si voluerit illã in mare, hoc.n. significat vox mutuum id est ex meo tuum, vt ait Vlpianus, l. 1. §. Apellata. ff. De rebus credit. Quod ergo cum illa negotietur & sua industria ac fœlici sorte ex negotio illo aliquid lucretur, nihil habet commune cum Ioanne, sed solius Petri totum illud est. Probo consequentiam, In omni contractu, vt seruetur æqualitas, quam omnia iura adeo in contractibus exiguunt, debet esse par & æqualis vtriusq; contrahentis

tis conditio, at si petrus pecuniam mutuo acceptam à Ioanne ludo, aut inertia sua amisisset, totum illud damnum deberet esse solius Petri, ergo quod solicitudine sua & industria tradiderit illam negotio, & cū ea lucratus sit, totum istud lucrū ipsi quoq; soli tribuendum est, nec debet aliquid Ioanni, qui in eo negotio nihil omnino habuit, Et cōfirmin isto negotio duo tantū sunt pecunia & industria, industria solius Petri fuit, pecunia quoq; tempore negotij solius Pe-Petri, quia cum primū illam Ioannes Petro mutuatus est trāstulit in Petrū omne dominium, & vsum illius. Cum ergo quidquid in negotio illo lucratiuo extitit Petri fuerit, omne lucrum ex eo subsequūtum solius quoque Petri esse debet, nullamq; in eo partem dicendus est habere Ioannes.

Cofirmatur amplius. Omnium consensu, iure naturæ omnis res quemadmodum si perit Domino suo perit, ita quoq; si quod lucrum afferat domino suo illud affert, vnde illud commune proloquium vnaquæq; res Domino suo fructificat, at pecunia in mutuo transit in absolutum & plenum dominium mutuatarij, vt cōstat satis ex dictis, ergo quemadmodum si periret, solus ipse pateretur damnum illud & iacturam, eadem ratione si quod lucrum per illam habeatur, solius mutuatarij illud esse debet, alienumq; sibi postularet mutuans, qui partem aliquam illius lucri, vel exiguam ex pacto vellet sibi vltra sortem exhiberi.

Tertio, confirmantur hæc omnia ex his quæ docet & recte idem Caballinus nu. 17. Vbi expendens acuratè quæ reperiātur propriè in mutuo, ait reperiri hæc quatuor. Primum, quod pecunia fiat accipientis, vnde si postea perit, accipienti perit non mutuāti. Secundum, quod gratis mutuetur, nam si cum aliquo debito & obligatione, iam non est mutuum, sed venditio illius pecuniæ, quæ tamen omnino inuendibilis est. Tertium, vt detur mutuatario ius vtēdi illa aliquo tempore, nam si tale ius non habeat non est mutuum, sed quid ridiculū: Quartum, vt accipiens obligetur cum effectu ad idem genus, siue ad tantundem in eodem genere restituendum, idq; adeò precisè, vt nullo interitu, vel iactura rei illius mutuo acceptæ liberetur mutuatarius à debito restituendi rem acceptam, vt habetur l. 2. in princip. ff. de Rebus credit. Ex quibus sequitur aperte rem mutuatam ita esse mutuatarij absolutè, & omnino, tam quo ad dominium, quam quo ad vsum, vt omne damnum vel commodum quod illam subsequitur, postquam semel mutuo accepta est, ipsius mutuatarij sit, non mutuantis, Neq; mutuans habeat aliud ius, quam recipere à mutuatario præfixo tempore eandem pecuniam, & sortem, quam mutuatus est.

Quarto, fatentur Molineus & Caballinus vsuram esse intrinsecè, & natura sua malam, ac prohibitam, quia in ea pecunia parit pecuniam, quod iuxta Arist. 1. Polit. cap. 7. est aperte contra naturam ipsius nūmi, qui non est lege inductus, vt per eum nūmus comparetur, sed aliæ res venales, quibus indigemus. Cuius verba sunt: Duplex est ars acquirendi: alia numularia, alia ad disciplinam rei familiaris, quarum hæc laudabilis & necessaria est, illa vero translatitia & merito improbanda, quia non secundum naturam sed ab hominibus acquirit, & ideo rationabiliter hominibus odiosa: Quoniam à numo ipso facit acquisitionem, & non ad quod ipse inductus est, commutationis enim causa nūmus inductus est, fænus autem ipsum maius facit, vnde & nomen habet, quoniam illa quæ pariuntur gignētibus similia sunt, in fænore autem nūmus numum parit: quare maxime præter naturam est hic acquirendi modus. Hæc ille. At in quacunque quantitate, & quacunq; ratione recipiatur vsura, pareret in ea pecunia pecuniam, in quacunque ergo quantite est intrinsece mala, & iure naturæ prohibita.

Denique, Si reciperet mutuans maximā partem illius lucri acquisiti à mutuatario, fatentur Molineus & Caballinus committi vsuram iniquā, & prohibitam, cuius rei nulla alia ratio esse potest, nisi quia confertur illud vltra sortem ex mutuo, siue nomine mutui intelligas ipsam pecuniam mutuatā, siue vsum & commoditatem illius, siue beneficium collatum mutuatario, hæc enim omnia includit mutuum. Sed etiam si conferatur exigua pars lucri, in quacunque quantite, & in quacunque re illa conferatur, recipitur illa vltra sortem, & ex mutuo, non enim alio nomine confertur, nec daretur, nisi quia ille mutuo dedit, Ergo in quacunque re conferatur cōmittitur vsura prohibita & iniqua, *Nam vbi eadem existit ratio, idem quoque debet esse ius.* Potest quidem id quod mutuanti exhibetur vltra sortem adeo exiguum esse, vt propter leuitatem materiæ, quod ex suo genere erat mortale, efficiatur veniale: sicut accidit in furto, quæcunque acceptio rei alienæ inuito dño est furtum,

furtum, quamtumuis exigua illa sit, licet non sit mortale propter materiæ leuitatem, ita in vsura quæcunq; acceptio alicuius rei temporalis pretio æstimabilis vltra sortem, & ex pacto est vsura iniqua, & prohibita, ac pec. morta. ex suo genere, licet propter tenuitatē rei quæ confertur extra sortem, efficiatur venia. Maiora enim & minora, plura & pauciora, vt habet commune Philosophorum Axioma, non mutant naturam rei.

Ex his efficitur diuisionem illam vsuræ, in quandam quæ repugnet charitati, & aliā quæ sit secundum charitatem proximi, quam tradit Molineus, nullo modo esse admittendam. Primo quia æquitas vel iniquitas contractus non est sumenda ex legibus charitatis, sed ex propria natura ipsius contractus, iuxta leges iustitiæ commutatiuæ, cui subiiciuntur huiusmodi contractus: leges autem iustitiæ commutatiuæ hoc præscribunt, vt si seruetur in contractu æqualitas, ita vt ibi non habeat alter plusquam debet habere, nec alter minus, contractus ille censeatur iustus, sin minus iniustus, & iniquus. Vnde esto charitatis sit mutuare indigenti, repuguat tamen legibus iustitiæ, vt mutuanti, propter mutuum vel aliquid eorum quæ in mutuo includuntur, aliquid red datur vltra sortem: haberet enim plusquā deberet habere: cum ex mutuo solum debeatur illi æquale cum eo quod muto dedit restituendū tempore statuo, sicut exigit propria natura & ratio mutui.

Secundo, esto legibus etiam charitatis huiusmodi cōtractus subiicerentur, at cū charitas & iustitia virtutes sint adeo inter se connexæ, non est secundum charitatem, quod pugnat cum iustitia, & lege Dei, recipere vero aliquid vltra sortem ex mutuo, vt constat, repugnat iustitiæ in quacunque quantitate & in quacunque re illud recipiatur, & expresso precepto Christi Luc. 6. *Mutuum date nihil inde sperantes.* i. nullum lucrum, nec magnum nec paruum, nequit ergo aliqua vsura cum charitate Christiana conuenire, imo illi omnino sicut & iustitiæ debet etiam aduersari.

Tertio, sic mutuans exponit quidem se lucro, cum aliquam partem sit recepturus, si mutuatarius pecunia illa negotio tradita aliquid lucretur, nulli autem exponit se damno, vel periculo, cum integra sors ei restituenda sit, quidquid accidat mutuatario in negotio cui illam tradiderit, siue in eo lucretur, siue totius sortis iacturam patiatur, Est autem contractus omnino iniquus, & maximam continens inæqualitatem, cum alter est in tuto, alter vero solus in periculo: Quid ergo magis repugnans rectę rationi, & eo ipso charitati? quam vsura quam putant Molineus & Caballinus secundum charitatem esse? Etenim si charitatis est vt ait Molineus & subscribit Caballinus, quod dixit Christus Matth. 7. *Omnia quæcunque volueritis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Quis ita vnquam contrahere voluit, vt ipse solus omni damno & periculo maneret expositus, alter vero ab omni periculo & damno liber, & immunis?

Denique si negotiatori diuiti & habenti pecuniarum copiam Petrus vltro suam pecuniam mutuo daret, vt exposita negotiis per annum, illo expleto cum aliquo lucro ipsi restituatur, vel saltim integra sors, ac sine vlla diminutione, vbi nullum ex negotio cui fuit exposita, acquisitum est lucrum, omnium iudicio à quo in hac parte Molineus & Caballinus non recedunt, contractus iste est vsurarius, & omnino iniquus, ac prohibitus, vt repugnas omnino charitati & iustitiæ: Sed quod mercator, aut negotiator cui datur à diuite, & potente mutuo pecunia ad exercenda negotia, cum isto pacto exhibēdi aliquam partem lucri si cum pecunia illa mutuatarius aliquid lucretur, sit pauper & egens, non mutat naturam contractus, nec leges æquitatis & iustitiæ; ergo similiter est censendus vsurarius, & iniquus, ac prohibitus. Iustitia enim non respicit pauperem vel diuitem, sed æqualitatem solum & rectitudinem, iuxta naturam & rationē contractus. Imo si charitas in contractu huiusmodi seruanda sit, cum is qui mutuum quærit, egeat potius quam abundet, gratis omnino ac sine vlla spe alicuius lucri, vel superabundantię vltra sortem mutuum exercendum est, quam cum conuentione ista quam probat Molineus: pietatem & charitatem vocans quæstum iniquum, & vsurarium, Et præceptum Christi, quod legibus charitatis & iustitiæ adeo nititur. *Mutuum date, nihil inde sperantes*, charitati iudicans aduersum & contrarium. Sed quid mirum vt impius arrogansque hæreticus obsuratum habens cor, tenebras dicat lucem, & lucem tenebras?

Nunc ad argumenta in oppositum. Ad 1. Alexan. Alens. 3. p. q. 66. Grab. in 4. d. 15. q. 11. Conrad. de Contract. q. 42. conclus. 3. Molineus in consuetud. Parisien. §. 1. Gloss. 9. nu. 11. iudicarunt locum illū

non

non esse B. Ambros. sed alicuius hæretici approbantis vsuras. Falluntur tamen hi cũ habeatur aperte in operibus B. Ambros. receptis ab omnibus fidelibus in lib. de Thobia cap. 15.

Glossa in illud cap. quam probat M. Soto explicat locum istum Amb. *Ab illo exige vsuras cui nocere desideras*, in contrario sensu, q. d. sicut non licet tibi desiderare alicui nocere, ita nec licet tibi exigere vsuras ab aliquo. Probant hunc sensum ex sequentibus, subiungit enim, *Cui iure inferuntur arma, huic legitime auferuntur vsuræ:* Et paulo post: *sine ferro dimicat, qui vsuras flagitat.* q. d. Sicut nulli licet armis vti ad se vindicandum ex inimicis, ita nec vsuras flagitare: est enim exigere vsuras quoddam genus nocendi, & interimendi alium sine armis: loquitur enim ibi D. Ambros. non cum regibus, sed cum quibusuis fidelibus & priuatis hominibus, quibus non concedit vt possint dare ad vsuram, hoc enim non est de beato Ambros. censendum, sed admonet vt sicut nulli licet de hoste armis se vlcisci, ita nec vsuris illum affligere, & opprimere.

Est quidẽ optimus hic census, Non tamẽ probatur recentioribus, cum D. Amb. loquatur per verba affirmantia quibus aliquid videtur reuera concedere: apparetque ex illis verbis: *cui iuste inferuntur arma, & iure exiguuntur vsuræ*: vbi aperte videtur docere ab illis exigi posse vsuras, contra quos licet gerere iustum bellum: vnde sicut aliquando potest inferri bellum iustum, ita & aliquando licebit iuxta hæc verba B. Amb. exigere ab aliquo vsuras.

Qua de caussa: aliqui Iurisperiti & DD. quos refert Couarru. lib. 3. Varia. Resolut. c. 1. num. 7. existimarunt, hostibus possidentibus terras & Regna nostra, quos possumus iusto bello impetere, posse quoque nos dare ad vsuram: Et hunc esse sensum istorum verborum B. Ambros. Sed hic sensus reiicitur plurimum à DD. Primo, quia ibi non loquitur D. Amb. cum solis regibus: sed cum omnibus fidelibus, at infideles loca nostra occupantes soli Principes possunt bello impetere: Secundo, quia licet inito iam iusto bello, liceat hostes depredari, & capta in bello sibi accipere, at antequam bellum iniatur, non licet mihi bona quæ hostis possidet surripere, nec contractum aliquem iniquũ cum illo exercere; maxime, quia eo ipso quo celebro cũ illo contractum aliquẽ ciuilem, vt emptionis, vel mutui, iam non ago cum ipso tanquam cum hoste, sed velut cum conciue, teneorque vt supra diximus cum illo leges iustitiæ & æquitatis obseruare, non minus quam cum aliis conciuibus.

Vnde vt verum sensum eruamus, distinguendũ est de hostibus: Quidam enim sunt qui terras nostras possident, vt infideles, qui etsi in communi non habeant verum ius & dominium illorum Regnorum, vt Saraceni, habent tamen verum ius & dominium in sua priuata bona, & diuitias, nec minus est furtum illa ipsis inuitis accipere, quam ab aliis fidelibus: Sunt alij hostes qui nobis aut in bello iniusto aut extra bellum nocuerunt, & nostra propria & priuata bona à nobis per vim, & iniquitatem rapuerunt, & detinent, qui reuera nobis tenentur in conscientia damna illata, & bona à nobis sublata nobis reficere: habemusque nos ius ad illa recuperanda: adeò vt si extra scandalum possemus illa vi & armis ab eis auferre, & recuperare, id quidem nobis liceret. Illis prioribus non licet dare ad vsuram, quia nec illis nocere possumus, nec bellum & arma inferre propria authoritate, hoc enim est proprium Principium: Posterioribus vero possumus dare ad vsuram, quantum illi nobis sunt debitores, citra scandalum semper. Quod perspicuum est, quia à retinente bona mea iniquè possum illa surripere, possum & per vim auferre citra scandalum, potero ergo & per vsuras. Eo modo qua supra dicebamus, licere mihi dare Petro mutuo 100. cum obligatione vt restituat mihi illa 100. & alia quę reuera debebat, nec mihi volebat persoluere: In quo casu talis vsura non est vsura proprie & formaliter, cum non accipiatur lucrum vi mutui, sed materialiter & in specie, quia solum recupero quod mihi vere debitũ erat: Quemadmodum cum dicimus in extrema necessitate existentem furari posse: illud proprie reuera non est furtum, sed in specie tantum. In hoc igitur sensu dixit B. Amb. posse nos ab hostibus accipere vsuras. Ait enim *cui iure inferuntur arma, huic legitime auferuntur vsuræ id est*, cui iure inferre possumus vim, & per arma recuperare propria bona nostra, quæ iniquè apud se detinet, ab eodem iure quoq; posse exigi vsuras, quibus illa vere debita & propria recuperemus: Hunc sensum sequuntur D. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 7. §. 2. Ioan. Maior. in 4. d. 15. q. 29. Conrad. de con-

tract. q. 42. conclus. 2. Medina in Tract. de adquisitis per vsuram §. Ad tertium argum. Couarru. loc. cit. & omnes ferre recentiores.

Ad 2. Resp. opera & actiones gratuitas, quas aliis in ipsorum vtilitatē præstare possumus, duplices esse, quædam enim sunt, in quibus ad commodum & vtilitatem alterius parum facit ipsa actio, sed id tantum est vtile quod ex illa actione resultat, & per eam confertur: vt in venditione, actio ipsa vendendi parum aut nihil reuera facit ad vtilitatem ementis, vel vendentis, tota vtilitas consistit ex parte ementis in re empta sibi vtili, ex parte vero vendentis in pretio quod recipit sibi quoq; vtili. Aliæ vero sunt actiones, in quibus ipsamet actio est quę cedit in vtilitatem alterius, vt actio qua procurator mea bona mihi recuperat, lites, & causas meas agit, & ab illo labore me liberat. In actionibus primi generis non licet aliquid accipere pro ipsa actione, sed solum pro re quæ illa actione alteri confertur iuxta iustum valorem talis rei: quia, vt vidimus, quæst. præceden. pro re inutili non licet aliquod pretium accipere, actio autē primi generis de qua hic agimus, inutilis est secundum se, cum tota vtilitas consistat in sola re, quę per illam confertur. (V. g.) in venditione non licet accipere vnum pretium pro re vendita, & aliud pro actione illa vendēdi, aut pro libera & grata voluntate qua vendita est, quia ista actio nullam hebet vtilitatem per se & seorsum, sed tota consistit in re vendita, illi vero grate voluntati venditoris satisfacit abunde emptor, habens illi gratias quod vendiderit sibi, quod alteri forsan non vendidisset. In actionibus autem secundi generis; cum ipsamet actio sit quæ alteri est vtilis, licet pro ea pretiū accipere: Mutuatio est actio primi generis, in qua ex ipsa actione mutuatarius nullum recipit commodum, sed solum ex re mutuata, vt ex pecunia: quo fit, vt pro illa actione non possit mutuās pretium aliquod accipere, sed solum iustum valorem rei, nempe æqualem pecuniam, aut similem & æqualem rem: Quantum ad gratias vero qua vsus est mutuans cum mutuatario, libere illi mutuans, ad quod non tenebatur, manet in mutuatario debitum agendi illi gratias, non tamen aliquid soluendi, quia gratia, gratia compensanda est, non pecuniis: aliter non fuisset gratia, sed venditio pecuniæ quę illicita est omnino.

Ad 3. Resp. mutuantē per aliquod tēpus bifariam posse se habere, aut ita, vt ratione illius expectatæ solutionis damnū aliquod recipiat, aut ita vt nullū. Si priori modo potest deducere in pactum damnū illud, & cōpensam illius accipere, vt infra videbimus. At si nulli incōmodo se exponat, licet maneat obligatus ad non petēdum per aliquod tempus, non tamen potest aliquid vltra sortem recipere, quia expectatio illa cū sit intrinseca mutuationi, & ex natura rei illam commitetur, non est computanda tanquam quid distinctū à re mutuata, nec pretio ęstimabilis. Qui enim rē mihi concederet nullo tempore apud me mansuram, hic nec mutuaret, nec aliquid ageret. Vnde sicut pro labore corporali intrinsece annexo rebus spiritualibus non potest accipi pretiū, sine vitio symoniæ, quia talis labor non est seorsum computandus ab illa re spirituali, similiter, nec pro illa obligatione expectandi mutuatarium per aliquod tempus potest aliquid accipi, quia cum sit intrinseca mutuo, & ex eius natura, non est obligatio illa seorsum computanda á re mutuata, hoc enim est rem esse mutuatam.

Et confir. quia in simplici donatione manet maior obligatio ad non recuperandum, nec propterea vllus vnquam docuit, posse donantem pro illa obligatione aliquid accipere. Nec manet illa obligatio mutuantis sine aliquo pretio & retributione, manet enim ex altera parte in accipiente obligatio restituendi rem illam præfixo tempore, ac vt videbimus, similiter mutuandi, non ex debito iustitię, sed ex gratitudine. Addit D. Thom. hic ad 5. (quod etiam facit ad solutionem huius argumenti) quod licet non teneatur quis mutuare, si tamen mutuat, non possit accipere pretium distinctum pro illa expectatione, sed sicut gratis mutuat, ita gratis debet expectare: sicut qui vendit equum, vel triticum, licet non teneatur vendere, si tamen vendit, non potest recipere priuatum aliquod pretium pro illa venditione distinctum à pretio rei, sed solum iustum pretium illius equi, vel tritici.

Eodem modo soluitur confirmatio illa: quia pactum illud, & conuentio non repetendi, mutuum intra aliquod tempus, quo mutuatarius re illa vtatur, intrinsecum est mutuo: quod autem sit per breue tempus vel longius, illud per accidens est; & ex libero consensu mutuantis.

Ad 4. Resp. in casu istius argumenti, emen-

ementem pagam acerbam vt 100. pretio 90. non accipere deinde adueniente maturitate pagę, & solutione debiti illa 100. ratione pecuniæ anticipatæ, aut expectatæ solutionis, hoc enim esset vsura: sed quia in isto contractu verè & realiter interuenit ratio emptionis, & venditionis. Potuit enim creditor vendere illud debitum, vt rem pretio æstimabilem, & alter emere, sicut potest vendi, & emi ius quod aliquis habet in hæreditatem aliquam, vel bona quæ nondum actu possidet. Cum ergo sit vera venditio, sicut in quacunque alia venditione licet cōsiderare vitia, & defectus rei venditæ, & ratione illorum minuere pretium, eodem modo in venditione debiti licet considerare damna, pericula, labores, & expensas, quæ sese offerent in illius recuperatione, & ratione illorum minuere pretium, & debitum vt 100. emere pecunia præsenti vt 90. Quam enim certum est in recuperandis debitis futuris ista incommoda sese offerre? Quo fit, vt emēs huiusmodi debita non lucretur aliquid ratione pecuniæ datæ, sed solum emat rem vendibilem, & pretio iusto pro tempore quo emit: tunc enim non valet maius pretium. An autem vbi solutio certissima est, & libera ab omni periculo, & damno, liceat istas pagas minoris emere, quam valent, expendemus inferius; vbi explicabimus sensum legitimū illius regulæ DD. & mercatorum. *Pecunia præsens amplius valet quam absens.*

Ad 5. Neganda est minor: Etenim cū dicimus vsum pecuniæ esse comsumptionem ipsius, non significamus illam per vsum omnino absumi, & desinere esse, sicut per vsum consummitur panis, & desinit omnino esse: sed intelligimus desinere respectu mutuantis, aut alterius qui illam expendit. His enim, quam primum ea vtuntur, perinde desinit, & consumitur, sicut panis comedenti illum: etsi pecunia in se ipsa nō absumatur. Qua de causa in mutuo transfertur vna cū pecunia, & vsus & dominium, & quidquid illius est, nec aliquid manet pœnes mutuātem: qui modus loquendi desumptus est ex Arist. ita dicente 4. Ethi. cap. 1. *Vsus pecuniæ est ipsius consumptio, detentio vero illius possessio.* Sufficitq; hic modus consumendi pecuniam, & trāsferendi in mutuatarium & vsum & dominium illius, vt nullum lucrum, aut pretium, ratione illius vsus accipi possit. Quod autem mutuatario pecunia sit vtilis, & proficua, aut per eam aliquid lucretur, hoc non est pretio æstimabile respectu mutuantis, non enim potest mutuans accipere pretium ratione vtilitatis, quā percipit mutuatarius ex re illa, quia hæc vtilitas tenet se (vt dicūt) ex parte mutuatarij; nec est iā aliquid ipsius mutuantis. Sicut vēditor non potest accipere pretiū ratione vtilitatis quam emptor percipit ex re empta, quia illa iam non est aliquid venditoris, sed solius emptoris: & eodem modo, nec potest mutuans aliquid recipere ex luctis quæ mumutuatarius sua industria cum illa pecunia valebit acquirere, quia lucra illa industrię ipsius, minime vero pecuniæ illi debentur.

Nec est simile de pecunia & agro. Primo, quia pecunia se sola non est fructifera: etenim vt docet Arist. loc. citat. inuenta solum est, vt pretium rerum, non vt ipsa sit merx, sic enim ait 1. Polit. cap. 7. *Duplex est ars acquirendi, alia numularia, alia ad disciplinam rei familiaris, & hæc (inquit) laudabilis & necessaria, illa vero translatitia, & merito improbanda, quia non secundum naturam sed ab hominibus acquirit, & ideo rationabiliter hominibus odiosa: quoniam a numo ipsa facit acquisitionem, & non ad quod ipse inductus est: commutationis enim causa numus inductus est, fœnus autem se ipsum maius facit, vnde & nomen habet, quia illa quæ pariuntur gignentibus similia sunt, in fœnore autem numus numum parit. Quare maxime præter naturam est hic acquirendi modus.* Hæc ibi Aristo. Quo fit, vt omnes fructus ipsius industriæ mutuatarij sunt tribuendi. Ager verò, etsi indigeat etiam industria agricolæ, tanquam causa sine qua non, est nihilominus res ex se fructifera, & ita fructus eius deductis expensis, & laboribus, tribuendi sunt domino ipsius. Secundo, quia dominium agri manet apud commodantem illum, solusq; vsus est apud commodatariū: vnde potest pro illo vsu accipere pretium, cū vsus qui distinguitur à dominio sit seorsum prætio æstimabilis, in mutuo vero, cū tam dominium quam vsus pecunię transferantur in mutuatarium, non potest mutuās accipere aliquid pro illo vsu: repugnat enim, vt pro ea re, quæ iam est alterius, pretium aliquis accipiat.

Ad 6. Dico cum D. Tho. hic ad 6. pecuniam habere duplicem vsum, vnum primarium, qui est illius distractio in reddendis pretiis rerum: & alium secūdarium, vt cum datur ad ostentationem, vel in pignus, Quæ duo ita se habent, vt quādo vtimur pecunia illo priori modo, distrahendo

 illam,

illam, vel in emptione, vel in mutuo, quia in huiusmodi contractibus transfertur in alium, tam vsus quam dominium illius pecunię, non potest tunc pro vsu illius aliquid accipi: quando vero vtimur pecunia secundario usu accommodando illam, vel locãdo ad ostentationẽ, sicut locaretur vestis, aut aliud quodcunq; vas; tunc transfertur quidem vsus illius in alium, retinet vero Dominus pecuniæ apud se dominium illius, propter quod non sufficit tunc restituere illi ęqualem pecuniã, sed tenetur qui illam ita accepit, eandem omnino numero restituere, qui vero illam dedit potest vna cum illa recipere pretium pro vsu illius, sicut & pro vsu cuiuscunq; alterius rei quam alicui locasset.

Obseruat hic Caiet. pecuniam posse dupliciter considerari, vno modo quatenus est pretium rerum, alio modo quatenus ipsa secundum se res quędam vendibilis est, vt aurum argentum, & aliæ res venales: quem modum cõuenire etiam pecunię patet, quia quemadmodum aliarum rerum venaliũ augetur vel minuitur pretium ex abundantia, vel defectu earum, ita quoque apud mercatores, pro occurentia temporis secundum abundantiam vel defectum pecunię. in tali loco, augetur vel minuitur: in quo fundatur ars campsoria, & negotiatio cambiorũ, vt infra videbimus. Cum ergo pecunia habeat hos duos modos, iuxta hunc secundũ potest vendi, locari; & pro vsu illius aliquid accipi, vt hic explicat D. Tho. Nec vrget, quod obiicitur in isto argumento, posse deduci in pactum, vt si pecunia illa pereat, pereat accommodatario quacunque ratione pereat: hoc enim est per accidens, cum de vera ratione commodati sit, vt quia dominium rei accommodatę manet apud accõmodantem, si res illa sine vlla culpa accommodatarij perit, pereat domino, & non accommodatario: at in mutuo quacunq; ratione pereat, perit mutuatario, quia tã vsus quam dominium illius rei in ipsum translatum est. Et ita pro vsu rei accommodatę potest aliquid accipi, cum maneat dominium illius apud accommodantem, pro vsu vero rei mutuatę non licet, cum tam dominium, quam vsus illius sit apud mutuatarium.

Ad 7. Respondeo, mutuatarium non dare lucrum illud vsurario libere, & voluntarie, ipse enim gratis vellet accipere: sed quia necessitate suam cogitur leuare, & ex hominum auaritia & iniquitate non occurrit, quĩ illi gratis mutuet, sua necessitate compulsus accipit ad vsurã, consentitque lucrum illud reddere, sicut tempestate cõpulsus proiicit nauta merces in mare, quod est voluntariũ mistum. Qua ratione consentiens patitur etiam iniuriam, vt copiose exposuimus tom. 1. q. 59. art. 2. explicantes verum sensum illius regulę: *Scienti & consentienti non fit iniuria.* Dico præterea, accipere ad vsuram, etsi videatur accipienti vtile supposita hominũ cupiditate, qui nolunt gratis mutuare, ne ille res suas & propriam suppellectilem vilius, ac cum graui iactura vendere teneatur, hoc tamen esse per accidens ex hominum malitia, simpliciter enim illi inutile est & nociuum, quia cogitur, idem bis persoluere, aut saltim reddere pretium pro re, quæ nullam habet: nociuum quoq; maxime Reip. vt vidimus.

Ad 8. Respondeo ex vsura nullam vtilitatem sequi Reip. imo magna incõmoda, vt vidimus. Sequitur quidem ciuibus maxima vtilitas ex contractu mutui, quod vere est mutuum, mutuũ tamen gratis datur, non cũ vsura & lucro, eo enim ipso, quo desinit gratis fieri, iam non est mutuum, sed vsura & iniquitas.

Dices paucissimi sunt, aut fere nulli, qui velint gratis mutuare, cũ ad id non teneantur aliquo præcepto, sunt autem multi qui egent pecunia mutuata, quam inueniunt cũ vsuris: cedet ergo in damnum commune tollere vsuras.

Dico primo, huiusmodi damnum non accidere ex natura mutui, quia debeat illud esse cum vsuris, sed ex hominum cupiditate, & auaritia, ac defectu charitatis, quod habet se tanquã per accidens ad contractũ mutui, quo certe indigent ciues inter se, propter ea vero, quæ per accidẽs sunt, non sunt mutanda quæ exiguntur necessario in contractu ex natura rei.

Dico 2. Esto cederet in bonum temporale Reip. recipere pecuniã cum vsuris eos qui illa egent, hæc ratio solum faceret ad illas permittendas, sicut permittuntur lupanaria & alia mala, ad vitanda alia maiora, nõ tamen faceret vsuram licitam, cum ex se & intrinsece iniqua sit, & illicita.

Dico tertio, Vbi tanta fuerit necessitas, vt cedat in bonum commune accipere mutuo, teneri diuites & potentes ad mutuandum sine vsuris, vbi vero non fuerit tanta necessitas minus esse illas necessarias. Quo fit vt nunquam debeant habere locum vsuræ propter necessitatem, & commune bonum Reipub. Deniq;

dico,

dico ex eo quod multi pecunia mutuata egeant, paucissimique reperiantur qui illam gratis mutuent, recte quidem colligi, licere accipere cum vsura, ab eo qui paratus est ita mutuare, minime vero licere dare cum vsura, cum hoc sit intrinsece malum. Ad confirmationem Respondeo, plurimum differre vsum numi & vsuram; nam vsus numi non est malus, sed maxime vtilis Reipub. nec continet in se aliquam inæqualitatem, cum tantum valeat in genere & ratione pretij, quantum valet in genere numismatis ex præscripto legis, vel Principis, vsura vero est intrinsece mala, & nociua mutuatario, qui per eam cogitur idem bis soluere, vel reddere pretium pro re quæ nullum habet pretium, & consequenter maximam continens in se inæqualitatem, & iniquitatem.

Ad 9. Respondeo, In sacris litteris sæpè mala adduci non quasi licita & efficienda, sed vt per ea inducamur ad bona: quo casu non sumuntur ibi mala, iuxta malitiam quam in hominum moribus habent; sed vt per ea ad bona spiritualia inuitemur. Hac ratione Luc. 16. proponit Christus, & laudauit villicum iniquitatis, qui debita Domino suo in maxima parte remittebat debitoribus, vt ea via pararet sibi amicos, à quibus cum indigeret iuuaretur: non vt doceat hoc licere, non enim ex alieno & rapina fratribus subuenire licet, sed vt ea ratione ostenderet, quanta sit eleemosynæ ex propriis factæ vtilitas, & necessitas. Similiter in locis istius argumenti, cum duplex sit vsura, quædam pecuniaria & iniqua, alia spiritualis bonorum operum, ex culpabili & iniqua ducit nos ad bonam & spiritualem: hortaturque vt sicut negotiatores propter lucrum temporale non dimittunt pecuniam suam otiosam, sed illam fœnerantur, ita nos propter lucrum æternum ne ociosi simus, sed in bonis operibus semper exerceamur, Ita explicant loca ista Sancti Patres.

Decimum argumentum exigit quæstionem illam An fructus pignoris sint computandi in sortem. Vbi peculiariter examinandi sunt casus illi, De accipiente in pignus agrum aliquem ratione expectatæ solutionis, vel expectatæ dotis. De quibus agitur in illo cap. Cōquestus. Et cap. Salubriter. Patebitque ibi explicatio copiosa istius argumenti.

Vltimū argum. postulat videamus duo, quę hic solent a DD. pertractari. Prius est.

Controuersia II.

AN IVDAEIS FVERINT *permissæ vsuræ cum extraneis, tanquam minus malum ad vitandum maius, vel fuerint illis potius licitæ, & honestæ ex diuina dispensatione.*

ABulensis cuius sententiam præcedenti controuer. in hunc locum distulimus p. 7. in cap. 25. D. Matthæi a quæst. 171. vsq; ad quæst. 175. habet multa tam circa præcedentem quam circa presentem controuersiam. Constituit enim inprimis, ea quę sunt iuris naturę in duplici esse differentia, ita vt quędam sint, quę directè & simpliciter ordinant hominem in suum finem, & sine quibus finis naturalis hominis nullo modo haberi potest; quali sunt prima illa principia iuris naturalis: *Quod tibi vis fieri, &c. Et quod tibi non vis fieri, &c.* & quę ex his proximè & immediatè inferuntur necessario, vt precepta Decalogi. Alia vero quę non sunt ita absolute & omnino necessaria ad finem, efficiunt tamen faciliorē peruentionem in illū, & tollūt ea, quę illius consecutionē reddebant difficilē, cuiusmodi sunt omnia honesta, quę recta ratio docet conducere plurimum ad consecutionem virtutis & boni alicuius.

Constituit secundo, cum ratio mediorū sumēda sit ex fine, prima illa principia iuris naturæ, vt pręcepta Decalogi, & quæcunq; simpliciter & omnino sunt necessaria ad aliquod bonū naturale, quę vocat ipse primas determinationes naturæ, ita esse iure naturę obseruanda, vt sint omnibus vbiq; & semper præcepta, etiamsi nulla sit lex positiua, quę ad illa obliget; & contraria esse intrinsecè mala; ac iure naturę omnino prohibita, etiam si nulla existat lex positiua, quę illa vetet. Et huiusmodi esse illud ius naturę, de quo dicimus communiter obligare omnes, & semper obligasse, & in quo nulla potest cadere dispensatio, aut prescriptio, Et de quo dixit B. Pau. Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, &c.* Alia vero quę non sunt absolutè & omnino necessaria ad aliquē finem naturalē, sed conducūt solū & iuuant ad illum facilius obtinendū, esse quoq; a iure na-

 turę

turę quatenus honesta sunt, & recta ratio illa docet, nō tamen ita vt habeant vim coactiuam ad obligandum, quasi præcepta iuris naturalis quorum transgresio sit intrinsece mala, & secundum se omnino prohibita, donec à lege aliqua positiua diuina, vel humana, aut obseruata consuetudine precipiantur, vel prohibeantur. Quia cum ista non sint absolute & omnino necessaria ad finem, non obligat ad illa ius naturæ, nec habent vim nisi illam accipiant ab aliqua alia lege positiua, vel consuetudine.

Exemplo eorum quæ conueniunt matrimonio rem illustrat. Eteni m cum finis matrimonij à natura & eius autore institutus sit prolis procreatio, & nutritio: quia adhunc finem sunt simpliciter & omnino necessarię fides inter coniuges, indissolubilitas matrimonij, vnitas viri, cum sine his nullomodo posit proles esse certa, aut recte educari & nutriri, propterea hæc sunt omnino de iure naturæ, & contraria vt adulterium, dissolui matrimonium, plures viros habere eandem vxorem, fuerunt semper & vbique iure naturæ prohibita, & intrinsece mala, neque vlli potuerunt vnquam concedi, aut in eis dispensari. Similiter, quia vnitas vxoris, perpetu a cohabitatio cum illa, & inseparabilitas thori, nō sunt absolute & omnino necessaria ad finem illum matrimonij, licet conducant ea plurimum ad prolem rectè nutriendam, & æducandam: licet sint etiam iuris naturæ, tanquam honesta & conducentia plurimum ad illum finem naturalem matrimonij, non tamen sunt præcepta iuris naturalis, nec contraria sunt prohibita iuræ naturæ, aut intrinsece mala, quia non sunt tanquam primę determinationes naturæ, nec habebant ex se vim ad obligandum, donec lege aliqua positiua preciperentur, aut prohiberentur. qua de caussa ante omnem legem datam Iudęis vel Christianis licebat habere plures vxores, sicut videmus Sanctos illos Patriarchas in statu legis naturæ habuisse, licebat etiam ex iusta caussa vxori illud merenti dare libellum repudij, & eam à domo sua repellere, ac separare, licet non dissolueretur vinculum matrimonij: Qua ratione postulabat Sarra & recte repudiari à viro suo ancillam, idem enim valebant verba illa Sarre: *Eiice ancillam, &c.* ac si diceret, da illi libellum repudij. Idemque licebat (ait) omnibus gentibus, Christianis vero non licet, quia lege positiua Euangelij lata à Christo præcipitur vnitas vxoris, & sublatus est omnino libellus ille repudij.

Infert ex his mala duplicia esse, quædā, quę nullo modo possunt esse bona, vel licita, sed sunt contra primas determinationes iuris naturalis, & huiusmodi mala neque post legem, neque in Veteri, neque in Nouo Testamento permittuntur, alia vero sunt mala, quæ aliquo modo sunt contra rationem, sed non sunt determinate contra illam, id est, quorum contraria docet recta ratio optima esse, & honesta, non tamen præcipit, & ideo non est illicitū illa agere, quo vsque aliquo modo aliqua scilicet lege positiua vel consuetudine sint vetita. Ex quibus in Veteri (inquit) Testamēto prohibebantur quidem priora illa, quę sunt contra primas determinationes naturę, in Nouo autem quod perfectior lex est, & iustis perfectioribus tradita, prohibentur tam illa priora mala, quam posteriora.

His positis docet Abulensis quęst. 167. Vsuram malam esse, & prohibitam secundum se, quia venditur in ea quod non habet pretium, nempe vsus pecunię, vel rei mutuatę, qui secundum se nullum habet pretium, nec potest seorsum computari pretio distincto à valore rei mutuatę, cum reuera non distinguatur ab illa, nec ab illius substantia, & dominio. Deinde vero quæst. 170. vbi quærit, An conuersi ad Iudaismum posent eo tempore dare cum vsura aliis conuersis, vel gentibus, affirmat potuisse licite ac iuste, Rationemque reddit. Quia conuersi ad Iudaismum non tenebantur lege Iudæorum, quæ prohibebat ne Iudæi darent fratribus suis cum vsura, quia illud solis Iudęis descendentibus ex progenie Iacob prohibebatur, aliis vero qui non erant ex stirpe Iacob neque lex Moysi, neque ius naturale prohibebat quin posent mutuare cum vsura, quia vsura sicut pluralitas vxorum, & libellus repudij, licet dictet recta ratio non esse secundum charitatē, neq; esse honesta, non tamen dictat esse omnino iniqua, vel contra primas illas determinationes iuris naturalis, quæ obligant sub præcepto, & quarum contraria sunt omnino & intrinsece mala.

Vnde iuxta Abulensem vsura mala quidē est, non tamen ex eorum genere quę nullo modo posunt esse bona, & licita, sed ex eorū genere quæ licet aliquo modo sint cōtra rectā rationē, non tamē determinate, nec est

est illicitum illa agere donec aliqua lege positiua, vel consuetudine prohibeantur. Qua ratione modo iam non potest illa exerceri, quia lege Euãgelica est omnino interdicta: Idem docet quæst. 171. ad tertium in secunda solutione illius argum. affirmans dare ad vsuram non esse malum, quasi secundum se sit malum, & peccaret quicunq; illud cõmitteret, sed erat malum, inquit, id est aliqualiter contra rationem, & tale non est malum nisi cũ prohibetur. Et paulo post ad quartum ait, Christum in nouo Testamẽto non solum prohibuisse malum, verum etiã & id quod est occasio mali, quo modo vetuit iurare, non quia sit malum; sed quia est occasio multorum malorum, iuxta illud Ecclesiast. 23. *Vir multum iurans replebitur iniquitate*, Et Pau. prohibet vinum, in quo est luxuria, non quia sit secundum se malũ, sed quia est occasio mali. i. luxuriæ: ita quoque prohiberi in Euangelio vsuram, non quia sit secundum se & intrinsece mala, sed quia est occasio multorum malorum in mutuis.

Ita constat Abulensem sensisse vsuram malam, non tamen intrinsece & secundũ se, sed aliquo tantum modo, id est, aliquo modo esse alienam à ratione quæ dicta honestestum esse, & bonũ, mutuare fratribus & quibusuis proximis gratis, & sine vllo lucro vsurario, non tamẽ esse determinate & omnino contra rationem, quasi prohibitã iure naturali, sicunt prohibentur homicidiũ, furtum, adulteriũ, & alia mala, quæ sunt cõtra primas determinationes iuris naturalis: in quo sensu diximus controuer. proxime prçcedenti sensisse Abulensem vsuram non prohiberi iure nturæ.

Quod vero pertinet ad præsentem controuersiam, Qua ratione fuerint prohibitæ vel permissæ Iudæis in veteri lege vsuræ, docet aperte, fratribus suis filiis Iacob cuiuscũq; tribus essent nõ potuisse ipsos dare mutuo cum vsura; aliis vero gentibus potuisse licite, & tuta conscientia, ac sine vllo peccato vel iniquitate: Adeo vt reuera lex illa Deuth. 23. quam statim subiiciemus iuxta quam poterant fœnerari exteris, & alienis, minime vero frattribus suis, non fuerit dispensatio; sed quo ad exteros & alienos concessio, seu explicatio rei, quæ illis non erat prohibita iure naturæ & secũdũ se, quo ad fratres vero suos id est alios Iudeos non solum fide & religione verum etiam sanguine & genere fuerit restrictio, & prohibitio iuris communis, quo poterant quibusuis licite dare cũ vsuram.

Ad quam legem, & sententiam suam explicandã constituit Abulensis etsi diuerso ordine hæc tria.

Imprimis nomine fratrum non intelligi in lege quoscunq; obseruatores legis Moysaysæ, sed solos Iudæos ex stirpe Iacob, eos scilicet qui genere & sanguine ducebant ortum ex aliqua tribu Israelis, vnde gentiles & aduenæ etsi ad cultum veri Dei & Iudaismum conuerterentur, non vocabantur fratres, nec intelligebantur nomine fratrũ; colligitque illud ex cõtextu Sacræ Script. Leuit. enim 25. dicitur. *Seruus, & ancilla sint vobis, de nationibus quæ in circuitu vestro sunt, & de aduenis qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra, hos habebitis famulos, & hæreditario iure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum, fratres autem vestros filios Israel ne opprimatis per potentiam*. Deuther. etiam 15. vbi agitur de septimo anno, in quo debita remittebantur dicitur: *Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo, ac fratre suo repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini: A peregrino & aduena exiges, ciues & propinquum repetendi non habebis potestatestatem.* Et infra. *Cum venditus fuerit frater tuus, Hæbreus, vel Hebbræa, &c.* In quibus locis & similibus soli Iudæi genere & sanguine dicuntur aliorum Iudçorum fratres.

Constituit secundo, duobus modis posse intelligi legem illam Deuthero. 23. *Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno: fratri autem tuo absque vsura id quo indiget, commodabis, vt benedicat tibi Dominus Deus in omni opere tuo, &c.* Vel ita vt fuerit dispensatio, qua Deus sua lege concesserit illis fœnerari alienis, quod sublata ea concessione nullo modo licuisset, vel ita vt fuerit restrictio facultatis qua licebat eis omnibus, & quibusuis hominibus dare cum vsura. Ita vt cum sublata ea lege possent licite quibusuis dare cum vsura tam exteris, quam suis, hanc facultatẽ Deus restrinxerit & arctauerit, precipiens vt ea possent quidem vti cum exteris & alienis, minime vero cum suis. Quia Deus eligens sibi Iudæos in populum suum, volensque illum perfectiorem esse aliis gentibus, voluit simul quo maiori charitate ac largite inter se vterentur, quam aliæ gentes inter se solo iuræ naturæ ductæ, ne à fratribus

suis vsuram acciperent, relinquens illis facultatem quam habebant dandi cum vsura circa alias tantum gentes.

Constituit tertio, ad dispensationem duo requiri, primo, relaxationem alicuius iuris, diffinitur enim dispensatio communis iuris relaxatio, quo fit, vt non habeat locum dispensatio, nisi præcedat & existat aliquod ius, circa quod illa fiat. Secundo vt actus qui accedente dispensatione licite ac bene fit, nisi illa extitisset, ac præcessisset, fuisset malus & illicitus. Vnde quando absolute, & omnino aliquid erat iure vel lege aliqua prohibitũ, concessio superioris tribuentis facultatẽ ad illud licite præstandum, dicetur absolutè & propriè dispensatio, quia est propriè relaxatio iuris actum illum prohibentis, ita vt tali relaxatione sublata fuisset actus ille malus, & illicitus. Quando autem recta ratio aliquid suadet faciendum, sed ita vt contrarium non sit absolutè & omnino prohibitum tanquam malum, & illicitũ lege aliqua, concessio illius nõ est propriè nec vere dispensatio, cum illud nullo iure determinatè & omnino prohiberetur, nec actus ille, esto non existeret talis consessio, esset malus: dicetur autem dispensatio impropriè & quodammodo, quatenus conceditur rectè ac licitè fieri cõtrariũ eius quod recta ratio suadebat tanquã melius, & perfectius.

His positis duo docet Abulensis circa præsentem controuersiam, ad quæ multaq; copiosæ habet in illis quæstionibus citatis possumus reuocare.

Prius est, *Iudæis sine vllo peccato licuisse mutuare cum vsura omnibus gentibus, etiam conuersis ad Iudaismum, minime vero aliis Iudæis fratribus suis descendentibus ex progenie & stirpe Iacob.*

Quod omnibus gentibus potuerint licite dare cum vsura, ita vt nec fuerit dispensatio iuris naturalis illud prohibentis, nec permisio minoris mali ad vitandũ maius, probat multis argumẽtis quorum potiora sunt hæc. Primo. Si dare ad vsuram esset simpliciter malum, & iniquum, ita vt illud non licuisset secundum se sumptũ, nisi ex dispensatione tantum; quacunq; ratione dare ad vsuram, & quibusuis hominibus esset malum, & illicitum, quod enim natura sua & secundum se tale est, quacunque ratione sumatur tale esse debet. Vnde similiter & æqualiter esset malum & iniquum dare cum vsura siue gentibus, siue Iudæis, absurdumque maximum contineret lex illa Dei, quæ eandem rem similiter & æqualiter malam, & iniquam quam prohiberet fieri cum Iudeis, concederet exerceri ac fieri cum gentibus. In diuina autem lege sancta, & iusta tale absurdum non est admittendum; ergo licebat simpliciter & absolute stãdo in iuræ naturæ dare ad vsuram quibusuis hominibus, Et ita licite dabãt paganis & alienis, fratribus vero suis Iudæis nequaquam Deo illud prohibente.

Secundo. Lex humana quæ solum respiscit pacatum ac ciuilem Reip. statum, concedit quidem nonnulla secundum se mala, & prohibita, quia ita expedit paci & bono communi temporali illius; At lex diuina de qua scriptum est, *Lex Domini immaculata, cõuertens animas, &c.* Cuius finis est bonum spirituale, & æternum animarum, nullum malum vel peccatum permittit, vel concedit, sed ea tantum quæ secundum se sunt licita & honesta: concedebat aut lex diuina locis citatis Iudæis, vt exteris possent dare cum vsura; ergo illud secundum se licitum, erat & honestum.

Tertio. Si dare alienis esset malũ, & iniquum secundum se, cum illud Deus sua lege prohiberet circa alios Iudæos, concederet vero circa exteros, lex diuina esset Iudæis in laqueum, & caussa ruinæ. Probo consequentiam, Quia Iudæus sciens mala Deo displicere omnino, & lege eius prohiberi, videns lege diuina solum prohiberi vsuram cum fratribus suis, concedi vero illis cum alienis, illam tantum iudicaret iniquam & prohibitam, hanc vero cum exteris licitam & iustam: Et sic iudicans occasione à lege ipsa accepta, daret ad vsuram exteris, quod secundum se erat iniquum, peccaretque deceptus à lege ipsa diuina: Quod nullo modo est dicendum.

Quarto sequetur legem illam Dei inutilem esse ad salutem. Patet. Salus spiritualis vel vno solo peccato morta. & iniquitate destruitur Iacob. 2. *Qui in vno offenderit, factus est omnium reus,* At si vsura & cũ alienis esset iniqua & mala, cum eam lex diuina tunc non prohiberet, esto prohiberet cetera mala præceptis negatiuis Decalogi, nõ consuluisset lex diuina saluti, sed maneret adhuc hominibus aperta via ad interitum per vsuram cum exteris, quam illis lex illa concedebat. Denique nemo meretur, vel benedicitur à Deo, propter id quod iniquũ est & peccat. mortale, at qui dabat ad vsuram alieno, & non Iudæo benedicebatur à Deo, vt constat ex loco illo Deuther. 23. iã addu-

adducto, vbi dicitur: *Non fœnerabis fratri tuo pecuniam, &c. sed alieno, &c.* Et subiungit statim, *Vt benedicat tibi Dominus Deus in omni opere tuo, &c.* Quod autem solis Iudæis ex genere & stirpe Iacob non possent fœnerari, ceteris vero omnibus possent, etiam conuersis ex gentibus ad cultum veri Dei & Iudaismum patet ex primo fundamẽto constituto ab Abulensi. Vbi constat ex eadem scriptura, in lege veteri nomine fratrum intelligi tãtum Iudeos sanguine, & genere Israelitas, saltim ex parte patris: vnde cũ solis fratribus suis prohiberẽtur dare cum vsura, cæteris omnibus gẽtilibus siue cõuersis ad fidem, siue manentibus in pagãnismo poterant fœnerari.

Et confirmatur: Quia si Iudæis non licuit dare cum vsura gentibus conuersis ad Iudaismum, cum esset ipsis parua aut fere nulla communicatio cum aliis gentibus manentibus in sua infidelitate, & paganismo, imo prohibita & interdicta, vt patet Exod. 34. Deuther. 7. & 17. nullis possent dare cum vsura, nihilque concederetur illis in ea lege, quod non est dicendum.

Ait: secundo legem istam prohibentem Iudæis ne fratribus suis Iudæis vllo modo darent cum vsura, non fuisse dispensationẽ, sed restrictionem iuris communis, & facultatis illius, quam absolute & simpliciter habebant ad fœnerandum licite, & sine vlla iniquitate, aut iniustitia quibusuis hominibus. Ita vt Deus eligens filios Israel in populum sibi peculiarem, simul voluerit maiori charitate inter se affectos esse, quam sint homines inter se soli iuri naturæ stantes: Sublata nãq; lege (inquit) licet cuiuis dare ad vsuram, siue eiusdem fidei & religionis sit, siue alterius, segregatis vero Israelitis in populum Dei, voluit vt quo ad alios maneret illis communis illa facultas, quam habent omnes homines dandi cuiuis cũ vsura, inter se tamen nequaquã ea vterentur, sed illã restrinxit præcipiens vt aliis Iudæis fratribus suis gratis, ac sine vlla vsura mutuarent, quotiescunque indigerent.

Hanc partem ostendit quæst. 172. & 173. his potissime, in quibus licet inuertam ordinem eius, eligam tamen potiora. Sic ergo arguit: Ad dispensationẽ propriẽ, qua ratione hic loquimur, duo requiruntur ex vltimo fundamento hic posito, nempe, vt sit relaxatio alicuius iuris, quod antea obligabat; & secundo, vt actus ille sublata tali dispensatione sit malus, & illicitus: Sed ante legem Moysi nullũ erat ius, vel lex quæ obligaret homines ne darent alicui cum vsura, neq; actus iste secundum se erat malus, & illicitus, cum nulla lege prohiberetur, ergo concessio ista facta Iudæis dandi cũ vsura alienis, non fuit dispensatio, sed explicatio iuris communis, & eius quod absolutẽ & simpliciter poterãt, Et ex consequẽti prohibitio illa ne fratribus suis possent dare ad vsuram, fuit profecto restrictio istius facultatis, & iuris communis: Minorem probat quia ante legem Moysi nulla erat lex positiua, neque diuina neq; humana alicui genti, vel populo lata, prohibens vsuras, sed sola naturali homines gubernabantur, naturalis vero non prohibet vsuram; Quia naturalis iuxta hunc autorem vt diximus, solum obligat ad prima principia, primasque determinationes iuris naturalis, solumq; prohibet tanquam intrinsece mala, quæ illis primis determinationibus contrariantur directẽ, & determinatẽ, quibus tamen non ita opponitur vsura. Vnde cum nullo iure esset prohibita tanquam iniqua, & illicita, illius cõcessio non fuit dispensatio in aliquo iure, illius vero prohibitio fuit restrictio iuris cõmunis.

Secundo. Si concessio ista facta Iudæis vt possent dare alienis ad vsuram, fuisset dispensatio in lege quæ prohibebat nulli dare cum vsura, certe Iudæi cum quibus non dispensabat Deus vt possent ita mutuare suis, sine lege vlla tenerentur iam ad illud cum fratribus suis obseruandum. Quod si iam ad id tenebantur, non est quod ad illud Deus in lege sua quasi rogando induceret, vel pro eo aliquid de nouo illis promitteret, Etenim vt quis præstet ea, ad quæ iam alias tenetur, non est rogandus, aut noua promissione alliciendus: Videmus autem in locis adductis Deum quasi rogando inducere Iudæos ad mutuandum gratis ac sine vsura fratribus suis, & noua promissione illos allicere. *Fratri (inquit) tuo absque vsura id quo indiget commodabis, vt benedicat tibi Dominus omni tempore, &c.*

Tertio. Si esset lex ista dispensatio, non extenderetur nisi ad eos tantum quibus datur, nempe ad solos Iudæos, vnde aliæ gentes non possent dare neque Iudæis, neq; aliis hominibus ad vsuram, quod constat esse falsum, cum aliæ gentes solo iure naturæ gubernentur, quod tamen non prohibet vsuram, cum illa vt videmus nõ repugnet primis principiis, primis ve determinationibus iuris naturalis. Et confirmatur. Quia cũ lex dicatur à ligando, Iudæi quibus data

erat lex, debebant magis abstinere ab vsura, vt magis ligati lege, non solum naturali verum etiam diuina positiua, quam gentes quæ sola lege naturali ducebantur, carebantq; omni positiua: At si ista lex Deuth. 23. fuisset dispensatio facta cum eis, & non cum gentibus, ipsi essent minus ligati in hac parte.

Denique Lex Dei non est censenda ponere obstaculum volentibus cõuerti ad cultum veri Dei, veramq; fidem, at si gentes quando conuertebantur ad Iudaismum, viderent Iudæos posse sibi fœnerari, ipsos vero minime posse fœnerari Iudæis, quia cũ Iudæis fuisset dispensatum, minime vero cum ipsis, certe hac inæqualitate retraherentur à conuersione sua ad legem illam, & cultum veri Dei Israelis.

Ex his colligit Abulensis tria Primum est, quod docet quæst. 175. Gentiles ante legem Moysi & illa durante potuisse dare cum vsura, quia lege ac iure naturæ illa nõ prohibebatur, & ad legem Moysi non tenebantur. Adueniente autem lege Christi & promulgato Euangelio nullo modo posse dare cum vsura. Quia licet secundæ illæ determinationes rectæ rationis, inter quas continetur gratis mutuare quasi maxime consonum rectę rationi, secundum se, & per se, ac solæ sumptæ non obligent, at cũ primum lege aliqua positiua pręcipiuntur, vel prohibentur, obligant determinate & sub mortali. Quo fit vt dictamen illud rectæ rationis admonens homines vt fratribus suis gratis mutuent illis necessaria, confirmatum & præceptum lege illa Christi Lucæ 6. *Mutuum date nihil inde sperantes*, obliget etiam omnes homines sub morta. ad non fœnerandum, sed mutuandum gratis quibuscunque hominibus.

Colligit secundo quæst. 176. Neque licere iudæis post legem Christi dare gentibus ad vsuram, quod sequitur ex eodem fundamento: quia lex eorum iam est omnino abolita in passione Christi, & naturalis quę se sola non prohibebat vsuras, cum non pertineret ad primas determinationes iuris naturalis, postquam lege Christi confirmata est & præcepta, obligat iã omnino quosunque homines, tam iudæos, quam Gentiles, quam Christianos. Qua de caussa in Cap. Post miserabilẽ datur actio, & conceditur repetere vsuras datas iudæis, quod certe non concederetur, si liceret eis recipere modo vsuras ab exteris: nam quod iuste recipitur iuste potest retineri, etiam si turpiter accipiatur, vt quod datur meretrici.

Ex eodem fundamento colligit tertium quæst. 177. Nec licere Iudæis dare modo ad vsuram aliis iudæis fratribus suis, non quia lex Moysi illud prohibet, cum ea iam cessauerit omnino, sed quia ius naturale quod se solo non sufficiebat ad illas prohibendas, propter rationem toties hic redditam, adueniente præcepto Christi illas omnino prohibet. Vnde prohibentur Iudæi modo dare suis iure naturali confirmato lege Christi simpliciter & omnino, lege vero Moysi non prohibentur modo simpliciter, sed ex sua solum conscientia erronea, putantes legem Moysi adhuc retinere suam vim, quod est per accidẽs ex ipsorũ cæcitate

In hac opinione Abulens. quod pertinet ad quęst. illam pręcedentis contro. in qua sentit vt constat vsuram non esse iure naturæ prohibitam, (cuius sententiam in hac parte hoc loco retulimus propter affinitatem quam illa habet cum præsenti cõtrouersia apud ipsum,) satis manet confutata tum ex dictis in præcedenti contro. Quamuis enim adducat ipse quæst. illa 171. nonnulla argumenta contra sententiam quam ibi docuimus, affirmantes iure etiam nature esse prohibitam, & illa diluat, argumẽta vero D. Tho. quæ ab ipso quoque afferuntur quæst. 167. Vbi illam docet esse malã, non diluit, & quæ nos adiecimus in quæstiuncula illa apposita post secundam conclusionẽ eiusdem controuersiæ, In quo scilicet gradu habendum sit, vsuram iure naturæ esse prohibitam, nec proponit, nec diluit, nec credo à Catholico bene sentiente dilui posse. Quod vero pertinet ad ea quæ docet circa præsentem controuer. De Iudæis statim explicabitur á nobis quid veritatis habeat.

Cõrad. q. 24. De cõtract. quę sequuntur Medina q. 1. De vsuris ad 3. & Couarru. lib. 3. Varia. Resolu. cap. 1. num. 7. volunt fuisse vsuras Iudæis licitas cum exteris, tanquam cum hostibus bona illorum inique detinentibus, & á quibus per mutuum sub specie & similitudine vsurę poterant illa recuperare, eo modo quo exposuimus verba illa B. Ambros. 14. q. 4. Can. fina. Ab illo exige vsurã, cui nocere desideras, &c. Ad quam setentiã tria statuunt. Primũ est: Vsuram dupliciter accipi posse, primo formaliter & proprie, pro acceptione lucri vi mutui, & ex vsu rei mutuatæ, quomodo est intrinsece mala, & prohibita iure naturæ, vt vidimus, Secundo materialiter, & secun-

secundum quandam similitudinem, & speciem, vt cum accipitur aliquid à mutuatario præter sortem, non tamen vi mutui, nec tanquam lucrum rei mutuatæ, sed aliquo alio titulo iusto & honesta causa, vt ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, vel quia illud iam erat alias verè debitum à mutuatario. De qua vsura exposuimus controuer. præceden. ad. 1. illa verba B. Ambros. Ab illo exige vsuras, &c.

Statuunt secundo. Concessionem diuinam dupliciter intelligi posse, aut ita vt cōcesserit Deus Iudæis exercere vsuras cum extraneis tanquam licitas, ita vt vi illius cōcessionis tuta conscientia ac sine vllo peccato vel iniquitate illas exercerent, quam concessionem vocat Conradus dispensatiuam, aut ita, vt concesserit quidem ipsis illas exercere, non tamen tanquam licitas in foro conscientiæ, sed solum vt impune permissas in foro exteriori, & tanquam minus malum ad vitandum maius, ne scilicet fratres suos vsuris consumerent sicut conceduntur in Repub. Lupanaria ad vitāda adulteria & stupra, quam concessionem vocat Conradus permissionem simplicis tollerantiæ.

Statuunt tertio, Quod nonnulli affirmant, Dispensatum fuisse cum Iudæis vt possent mutuare cum vsura exteris, dupliciter intelligi posse. Primo sumēdo proprie nomen dispensationis, ita vt cōcesserit Deus Iudæis licite exercere vsuras cum alienis, esto illę secundum se iure naturæ prohibitæ sint: Alio modo sumendo nomen dispensationis impropria & communi quandam ratione, quatenus dicitur dispensatum, quod conceditur alicui tanquā licitum, cum reuera non esset illicitum: quo modo dicitur, sed improprie Deus dispensasse cum Iudæis, vt acciperent vasa Aegiptiorum, quia ea illis concesit: quod certe non erat illicitum, tum, quia vt Dominus omnium rerum potuit illa concedere quibus voluit, tum, quiá vt verus supremusque Iudex potuit illa iustè Hebræis adiudicare in stipendium laborum, quibus Aegyptiis inseruierant nulla ab eis mercede accepta: Et eodem modo dicatur Deus dispensasse cum Iudæis vt darent cum vsura exteris, vt hac via sub specie mutui & vsuræ recuperarent bona sua, quę ab illis exteris iniquè occupabantur, cum essent á Deo Iudæis data & concessa.

His positis proponunt hi Doctores suam sententiam sub duplici conclusione. Prior est. Vsura formaliter & propriè sumpta nullo modo fuit concessa Iudæis neque cum suis neque cum extraneis. Probant primo. Quia lex vetus tradita Iudæis à Moyse fuit intelligenda ab ipsis & obseruanda eo modo quo explicabatur illis á Prophetis, quemadmodum nunc Euangelium traditum Christianis intelligēdum est & obseruandum à nobis, sicut explicatur á Pontificibus, Conciliis, & S. Patribus, Sed Prophetæ quando reprehendebant vsuras illicitas, & iniquas, quales sunt formales vsuræ Iudęorum, reprehendebāt illas in vniuersum, respectu cuiuscunq; hominis, nec distinguebant inter vsuras acceptas ab aliis Iudæis, vel acceptas á Gentilibus. Ergo vsura formaliter & proprie sumpta non fuit eis licita, neque cum suis neque cum exteris. Maior certissima est: Minor patet, nam Dauid, & Ezechiel qui potissime reprehendebant vsuras Iudęorum, in vniuersum, & sine vlla distinctione inter hos, vel illos homines eas damnant: Psal. 14. *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram*: Vbi non ait, non dedit fratribus suis Iudęis; sed in vniuersum, *non dedit*, id est, nulli hominum dedit. Ezechiel. 18. in vniuersum quoque & sine vlla distinctione inter Iudęos, vel exteros dicitur de quocunq; dante cū vsura, & cuiq; daret, *Vita non viuet*.

Secundo in lege veteri collocatur vsura inter peccata quæ iure naturæ prohibita sunt, At ius naturæ obligat etiam absolute & simpliciter Iudęos, & in vniuersum cū omnibus hominibus, nec lex Moysi derrogauit iuri naturæ; ergo non licebat eis neque cum suis neque cum exteris vsuras formaliter & proprie exercere. Minor cū consequentia certissima est, Maior constat ex Psal. 54. vbi agens Dauid de ciuitate Ceila, ad quam se receperat fugiens à Saule, cū ciues Ceilę non seruarent illi fidem, sed niterentur tradere eum Sauli, ait: *Vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate die ac nocte, circundabit eam super muros eius iniquitas, & labor in medio eius & iniustitia, & non defecit ad plateis eius vsura, & dolus.* Vbi cetera omnia delicta inter quę collocatur ibi vsura sunt prohibita iurę naturæ: Simile est videre locis citatis Psal. 14. & Ezech. 18. in vtroq; enim loco quę connumerantur à Dauide & Ezechiele cum vsura, sunt peccata iure naturę prohibita.

Posterior conclusio horum DD. est. Vsura, materialiter sumpta, qua recuperarent Iudęi ab exteris, qui bona sibi à Deo concessa

cessa inique possidebant, quæ reuera non erat vsura nisi secundum quandam speciem tantum & similitudinem, fuit eis licita, & concessa concessione dispensatiua, & non permissa tantum permissione simplicius tollerantiæ.

Probant hanc partem Primo. Prudens Legislator actus destabiles, & sibi odiosos dissimulat quidem aliquando facto, non puniendo illos de facto ob aliquod bonum commune, at, verbo & lege non affirmat se velle eos permittere: Deus prudentissimus legislator verbo & lege sua affirmauit, se libere permittere Iudæis vsuras cum exteris, vsuræ autem formaliter & proprie sunt destetabiles & Deo odiosissimæ, quas ipse prohibet in illo præcepto. *Non furtum facies*, ergo vsuras quas illis permisit, fuerūt vsuræ istæ materiales, quibus recuperarent sua bona ab exteris inique detenta, quæ cū licitę sint, vt constat ex B. Ambros. & ex dictis contro. proxime præcedenti in solutione ad 1. fuerunt illis verè concessæ & licitę, & non permissæ tantum vt minus malum ad vitandum maius.

Secundo, verba illa Deuth. 23. *Non fœnerabis proximo tuo, sed alieno*: non permissionē tantum sed concessionem positiuam aperte significant. Probo, quia si aliquibus verbis voluisset Deus indicare talem vsuram ipsis concessam esse, & licitam, & non permissam tantum, non potuisset apertioribus: Et confir. argumentis similibus rationibus Abulensis. Quod enim proponitur in premium virtutis non est aliquid secundum se malum, & permissum tantum, sed quid reuera licitum, & honestum, at Deuth. 28. promittitur Iudæis, si studiose agant in premium virtutis: *Fœnerabis multis gentibus, tu autem a nemine fœnus accipies*. In pœnam vero suorum delictorum dicitur ibidem. *Aduena fœnerabit tibi, tu autem non fœnerabis eis*.

Tertio, si vsura non fuit eis concessa vt licita, sed solum permissa, fuit profecto oblata populo illi rudi á lege diuina occasio maxima peccandi, quod non est dicendum de Sacra Scriptura, nec diuina lege. Cōsequentia vero patet. Quia scriptura habet duo simul, Fratri tuo non fœnerabis, alieno autem fœnerabis. Ex quo loco sic posset rudis ille & simplex populus colligere Lex Dei sicut prohibet mala ita concedit honesta; prohibet vsuram cum fratre; hęc ergo est mala, concedit autem illam cum alieno: hæc ergo est licita: Quia si vtraque esset iniqua, vtrāque simul prohibuisset, cum sit Deus noster de quo dicitur: *Quia non Deus volens iniquitatem tu es*.

Quarto. Prælatus & speculator tenetur ex officio populo sibi commisso indicare viam salutis, & viam mortis, vt illam capiat alteram fugiat, iuxta illud Ezechiel. 18. *Speculatorem dedi te domus Israel, &c.* Moyses fuit Pastor & speculator illius populi, si vsuræ quæ ibi conceduntur cum exteris fuissent illę formales, & iure naturę iniquę, debuisset profecto in lege quam eis proponebat, non solum non vti illis verbis quæ apertam continent concessionem vsurę, verum etiam apertissimo sermone indicare illis esse iniquam & illicitam, & viam damnationis, quod cum non fecerit, sed illam concedat, loquitur aperte de vsura materiali quę illis concessa fuit vt licita. Et conf. quia sicut in Sacra Scriptura, vt D. August. ad B. Hiero. & habetur Dist. 9. Cano. *Si ad scripturas admittatur vel minimum mendacium, nihil certum esset in scriptura*. In quouis enim loco posset dicere aduersarius cōtineri mendacium. Similiter si in isto loco Deuth. dicatur permissa tantum vsura & non concessa, nihil certum esset in concessionibus Veteris Legis, De omnibus enim liceret dubiū manere animum, sint ne cōcessiones, an permissiones tantum minoris mali.

Denique, sicut concessit Deus Iudæis in egressu Aegypti vasa Aegyptiorum, similiter dedit eis totam terram promissionis, & hæreditates, ac bona quæ pagani in ea agentes retinebant. Psal. 104. *Et dedit illis regionem gentiū, et labores eorum possederunt, &c.* sed Iudæi egredientes Aegyptum, non peccauerunt petentes mutuo ab Aegyptiis vasa aurea, & argentea, & ea secum deferentes, quia retinuerunt sua ex diuina donatione, & ipsis debita ob suos labores; ergo similiter dantes deinde mutuo gentibus, vt sub specie lucri & fœnoris reciperent, ac recuperarent bona sua, quæ gentes inique detinebant, nec peccabant, nec alienum inique accipiebant; sed suum: nec committebat vsuram formalem, sed materialem tantum, & similitudinariam. Hæc autem est, quæ ipsis ibi conceditur, fuitque reuera concessio illa dispēsatiua vt rei licitæ, & non permissio tantum.

Et hoc nomine (inquit Conradus) putāt modo Iudæi agentes Italiæ, & aliis locis, posse se licete accipere vsuras á Christianis, maxime

maxime Romanis & subiectis Imperio Romano: quia cum Principes Romani destruxerint locum eorum & gentem, ac bona eorum, hac via recuperant ipsi quæ possunt aliqua ex parte: Nec intelligũt miseri, Regnum eorum, & gentem destructa esse iusto Dei iudicio, quia suum verũ Regem & Mesiam crucifixerunt. Hanc sententiam amplectitur quoque Michael de Palatio in suo opere de Contractibus lib. 4. cap. 11.

Alexander Alen. 3. p. q. 66. mem. 4. D. Tho. hic in solu. & Liranus in verba illa Deuth. 23. & omnes discipuli D. Tho. volunt vsuram, quæ ibi conceditur Iudæis cum alienis, esse vsuram proprie & formaliter, concedique illis non vt licitam, sed permissiue tantum, tanquam minus malum, ad vitandum maius, sicut supra exposuimus in 4. conclusione D. Tho.

Eandem sententiam habet Magister Soto lib. 6. de Iust. q. 1. art. ad 2. inuehiturq; plurimum contra Conradum, & Medinam, reprehendens eos in duobus. Primo, quia istam concessionem vocant dispensatiuam, seu dispensationem: Secundo, quia iudicant ibi non esse sermonem de vsura formali & propria, sed materiali tantum, qua vterentur Iudæi cum gentibus ad recuperanda sua bona, sibi à Deo concessa, illa via sub specie vsuræ.

Prius illud ita docet Soto, Vsura, vt vidimus, prohibita est iure naturæ, vt intrinsece & omnino mala, præcepta autem Iuris naturalis, vt vidimus tom. 1. q. 57. art. 3. non sunt dispensabilia: ergo in præcepto vsuræ nulla potuit cadere dispensatio. Et confir. præcepta Decalogi omnia sunt indispensabilia, vt ibidem docuimus, & D. Tho. ex professo. 1. 2. q. 100. art. 8. At vsura est prohibita illo 7. præcepto. *Nõ furtum facies*: cum ibi prohibeatur omnis iniqua & fraudulenta acceptio alieni, ergo in ea non habuit locum dispensatio aliqua.

Posterius vero probat. Primo ex ipso textu: Ibi enim cum simul prohibeat Deus & eadem oratione vsuras accipere à fratribus, concedat vero accipere illas ab alienis, perspicuum est easdem omnino vsuras, quas prohibet accipere à fratribus, concedere illis, vt acciperent ab exteris, neque in tam breui & vicino contextu verborum, dicendum est mutasse Deum sensum orationis, & significationem eiusdem nominis, fuisseque vsum æquiuocatione: Sed vsuræ quas prohibet cum fratribus, sunt illæ formales, ergo eædem sunt quas cõcedit cum exteris: illæ vero quas prohibet cum fratribus nullomodo fuerunt licitæ, ergo illa concessio cum exteris non fuit absoluta, vt rei licitæ, sed permissiua tantum, vt minoris mali.

Secundo. Terra concessa Iudæis tantum continebat à littore maris Galileæ vsq; ad Ripam Iordanis, quæ terra tantum habebat 160. milliaria longitudinis, & 60. latitudinis: in qua pauci erant gentiles: gentiles vero & alieni quibus ipsi dabant ad vsuram, vi istius loci Deuth. 23. non solum erant illi pauci, qui terram illam Iudæorũ incolebant, verum & alij quicunque agebant per totam Palestinam, vel in quibuscunque orbis Prouinciis, quantumuis remotissimis. Et conf. quia eodem cap. Deuther. 23. dictum fuit eis, vt non abominarentur Aegyptium, & Idumęum, quibus tamen poterant impune dare ad vsuram.

Tertio, quemadmodũ Iudæi erant domini ex diuina concessione terræ promissionis, & bonorum illius Prouinciæ, ita modo Christiani, de iure quamuis non de facto, sumus veri Domini Regnorum, quæ in Asia, vel Africa, occupantur ab infidelibus, quod ius tribuit quidem Principibus, vt iusto bello possint illos aggredi, ad recuperandas suas terras: non tamen concedit priuatis, vt sub specie mutui, & his technis priuata infidelium bona accipiamus; ergo similiter licet potuerint Reges Israelis Gentes ab illa terra expellere, & omnes partes illius Regni acquirere iusto bello, attamen priuatis Iudæis non licebat specie vsuræ, & mutui priuata bona gentium vsurpare.

Quarto. Prophetæ reprehendebant grauiter (vt ex dictis constat) vsuras Iudæorum, & inter alia quæ Christus & Mesias promittebatur præstaturus, hoc vnũ erat tollere iniquum vsum dandi ad vsuram. Psal. 41. *Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum.* At vsuræ quas Iudęi, vt ex historiis constat, (quod & hodie vbi habitare permittũtur, maxime obseruant) excercebant, non erant cum suis, in hoc enim erant & sunt religiosissimi, sed cum exteris & paganis; ergo erant illis quoque prohibitæ à parte rei, nec illa concessio Deuth. fuit aliud quam quędam permissio.

Ex his tribus opinionibus, Primã illam Abulensis ex preceden. controuer. constat falsam esse, & reiiciendam, cum nitatur illi fundamento, vsuram non esse omnino prohibitam iure naturæ, quod ibi abunde con-

confutatum est, & ostensum esse erroneum.

Secũda vero Conradi, & Medinæ non est adeo falsa, vt existimat Soto, imo satis probabilis, & quæ defendi posset: Est nihilominus hæc posterior D. Tho. & Alensis multo probabilior, & tenenda.

Opinionem illam Conradi, & Medinæ non esse omnino improbabilem sentio. Nã primum illud quod in eá reprehẽdit Soto, falso asserere hos DD. fuisse in Deuth. dispensatum cum Iudæis in vsura, quia vsura est iure naturæ & intrinsece mala, & cõsequenter omnino indispensabilis, parum habet virium. Constat enim ex his quæ cõstituimus ad sententiam Medinæ explicandam, & ex prima conclusione ipsorum, Conradum & Medinam non vti nomine dispensationis i propria significatione, qua si Deus vsuram quæ intrinsece iniqua est, qualis est formalis, concesserit illis licitè, & tuta conscientia exercere: sed in illa secuncunda ampla & impropria significatione qua concesit illis aperte, quod licitũ erat, sed obscure. Etenim cũ dedisset eis terram illam, & diuitias illius, concesit eis vt sub speciæ vsuræ possent illas recuperare à gẽtibus, & paganis, qui bona illa iniquę possidebant: sicut sub specie mutui dedit eis vasa Aegypti illis reuera debita ob suos labores. Ex quo etiam patet, opinionem istorum Doctorum secũdum se sumptam, omissa nunc quæstione de nomine dispensationis, defendi posse: cum vsura materialis licita sit, eo modo quo expossumus verba illa D. Ambros. & iuxta hos DD. hæc solum ibi illis concederetur, non illa formalis. Potestque confirmari ex his quæ diximus, Iudæos modo agentes Romę, & Italię hoc nomine existimare se posse dare gentibus ad vsuram, quia gentes subiectæ Romano Imperio destruxerunt locum, & regnum eorum, grauissimaq; damna illis intulerunt.

Est tamen nihilominus probabilior multo opinio D. Tho. Ad quam magis percipiendam obseruemus: Has duas potestates spiritualem, & ciuilem, licet in vtroq; Testamento secũdum se fuerint semper distinctę, sicut & fines earum, quorum alter spiritualis est, nempe bonum spirituale in ordine ad eternam beatitudinem, alter vero ciuilis, nempe peccatus Reip. status, & fœlicitas humana: aliter tamẽ se habuisse has duas potestates in Vet. Lege, quam in Noua: In Noua enim sunt omnino distinctæ reipsa & fine, & subiecto: Reges enim modo ita habent ciuilem, vt qua Reges nullomodo habeant spiritualem: Sacerdotes similiter ita habent spiritualem, vt nullomodo habeant, qua Sacerdotes sunt, ciuilem. In Veteri aut Lege saltim in prima institutione illius populi Hebræi, licent essent quoque distinctę re ipsa & fine, subiecto tamen erant coniunctæ. Summus enim Pontifex illius populi erat simul supremus Princeps, & Gubernator, ac Iudex illius populi, & ad eum vt supremum Principem causæ grauiores deferebantur, & appellabatur ab aliis iudicibus inferioribus, vt constat Deuth. 17. Et ita quando voluerunt, mutari hanc primam institutionem postulantes Regem diuersum à Samuele, dixit illi Deus: *Non te abiecerunt, sed me*, id est, meam institutionem.

Ex hoc discrimine ortum est aliud, vt in Euangelio Christus docuerit tantum suos Apostolos, quæ pertinent ad spiritualem gubernationem, & salutem animarum in foro animæ, & in foro exteriori quatenus dicunt ordinem ad salutem animę. nullas autem leges proposuit eis pertinentes ad gubernationem ciuilem, aut statum Reipub. Christianę, quatenus temporalis est. In Veteri autem testamento & in lege illa Moysi, non solum proposuit Deus leges pertinentes ad salutem animæ, & hominem interiorem, ac spiritualem, verum etiam pertinentes ad gubernationem Polyticam, & exteriorem illius Reip. vt temporalis quædam Resp. erat. Ita videmus illi populo præter præcepta moralia iuris naturæ, & cæremonalia, quę erant illis velut præcepta fidei, & sacramentorum, cum omnes illæ ceremoniæ profiterentur Christum venturum, data quo esse alia præcepta, quæ vocamus iuditialia, pertinentia ad temporalem & Polyticam illius populi gubernationem. Veluti, quomodo contrahẽda essent matrimonia, punienda delicta, iudicandæ caussæ & lites, celebrandi contractus in foro exteriori & ciuili. Nobis autem in lege Euangelica præter præcepta fidei, ad quæ reducuntur pręcepta sacramentorum, solum proposuit Christus præcepta moralia iuris naturalis, nulla autem proposuit iudicialia & ciuilia.

Ex his sequitur, vt sicut Principes seculares condunt leges permittentes in sua Rep. aliqua mala, quia ita expedit ad paccatum Reip. statum, & vitanda alia maiora, quæ paci ciuili suæ Reip. nocerent, quo modo concedunt lupanaria, & concedebãt aliti-

antiquitus duella, & vsuras: quæ leges etsi Principium & Superiorum, & optimæ in ordine ad bonum commune Reip. ciuilis, non tamen sunt concessiones istorum delictorum, sed solum permissiones quædam ex iusta caussa. Neque in hoc lex aliquem decipit, aut occasionem aliquam peccandi offert: Primo, quia conscientia ipsa admonet illud secundum se iniquum esse. Secundo, quia iam omnibus perspicuum est, leges ciuiles solum curare temporalem, & ciuilem Reip. statum, minime vero quę ad salutem animæ spectant. Tertio, quia semper existunt in Ecclesia Dei DD. Theologi & Concionatores, qui populum admoneant leges istas non concedere talia vt licita, sed permittere tantum illa impune fieri vt minora mala ad vitanda maiora. Ita quoque Deus in Veteri lege præter leges pertinentes ad salutem ipsorum, secundum quas erat eis vsura omnino prohibita, tam cum suis quam cum alienis, vt docuimus, tradidit eis leges ciuiles, quibus Resp. illa Hebræa paccatum tueretur suum statum, & inter eas nonnullas quibus permittebantur eis aliqua mala ad vitanda alia maiora. Sic permisit eis libellum repudij ex quacunq; causa, cum illud malum esset, ob duritiam cordis eorum, ne cumprimum vxor eis displicere, occideretur ab ipsis: Sic sacrificium illud Zelotypiæ quo miseram infamabant vxorem, & ducebant in iudicium, esto res esset occultissima, ne ex leui suspitione illam interimierent.

Et eodem modo concessit eis vsuras formales, quas acciperent ab extraneis: Quæ concessio non fuit verè & propriè concessio tanquam rei licitæ, sed solum permissio minoris mali ad vitandum maius. Etenim cum essent maxime propensi ad auaritiam, & lucrum, fratres suos pauperes destruxissent vsuris, quod ne facerent, permisit eis vt impune possent illas exercere cum gentibus. Neque in hoc lex Diuina eos decipiebat, aut aliqua occasio peccandi illis offerebatur, habebant enim Sacerdotes, & Prophetas, qui eis satis abunde explicabant vsuras tantum esse in foro exteriori ipsis permissas cum gentibus, id est, vt impune eas exercerent, in foro autem interiori reuera esse iniquas, & illicitas, etiam cum gentibus: Quod significauit Abraham quando sicut refert Christus Luc 16.) dixit diuiti Epuloni, fratrem eius & alios Israelitas habere Moysen & Prophetas, qui illos docerent ea, quæ saluti animarum ipsorum necessaria essent.

Hæc sententia sic explicata probatur efficaciter illis argumentis Magistri Soto.

Et confirmatur primo. Vsura quæ cōcedebatur Iudæis cū gentibus, eadem omnino prohibebatur illis cū suis fratribus, & e conuerso, eadem quæ prohibebatur ipsis cū suis fratribus, concedebatur eis cum gentibus: vsura autem quæ prohibebatur illis cum suis fratribus non erat illa materialis, quia illa secundum se semper fuit moraliter bona, & quæ semper licuit, cum moralia eadē sint apud illos quæ apud nos, sed fuit reuera formalis quæ illis prohibebatur cum suis fratribus; ergo similiter quæ concedebatur Iudæis cum exteris, non erat illa vsura materialis, sed formalis & propria: Hæc autem erat omnino prohibita, & indispensabilis; ergo non fuit reuera illa concessa, sed permissa tantum.

Secundo, vsura materialis iam erat iure naturæ concessa Iudęis cum gentibus, & cū quibusuis hominibus, sicut & modo concedit illam Christianis tanquam licitam, & sua natura bonā, & honestā: semper enim vsura materialis ad recupeaanda propria bona, quæ iusta est & licita, iuræ naturæ fuit concessa: concedebatur autem eis in illo loco Deuth. quod antea non licebat sine tali concessione; ergo ibi non est sermo de vsura materiali, sed de formali.

Tertio, vsura ex doctrina Conciliorum, & Summorum Pōtificum est prohibita similiter, pagina vtriusque testamenti, Vbi eandem prohibitionem constituunt Pontifices fuisse in vtroque testamento: Sed quæ prohibetur in Nouo, vt constat, non est vsura materialis, hęc enim licita est (vt docuimus cum D. Ambrosio) sed illa formalis intrinsece iniqua, & mala; ergo eadem est quæ prohibeatur in Veteri. Vnde illa verba Deuth. *alieno fænerabis* permissiue, tantum sunt accipienda.

Confirmatur denique hæc doctrina grauissimorum authorum testimoniis: Eusebij Cæsarien. (quem D. Hiero. de Ecclesiasticis scriptoribus vocat, clauem Sacræ Scripturæ) lib. 7. de praeparat. Euang. c. 2. vbi proponens præcepta legis Moysi, præceptum vsuræ sic proponit in vniuersum. *Non tolles quod nō deposuisti, nō tangas alienū, non mutues cū fænore.* Vbi non distinguit inter hos, vel illos; sed erga omnes ex æquo homines proponit ibi prohibitam vsuram Iosephus lib. 4. Antiquitatum, similiter in vniuersum, nec distinguens inter hos vel illos, ait:

Nulli

Nulli vero Hebræorum licebat fœnerari, neq; cibum, neque potum, Exodi 22. in illa verba: *Si pecuniam mutuam dederis populo meo paupe ri, &c.* habet Rabbi Selomon: *Dicens populo meo pauperi, non excludit gentilem, sed hoc tantum, vt multo minus dent fratribus suis pauperibus cum vsura, quam gentilibus.* Refert Nicol. de Lyra in cap. 24. Deuther. fuisse inter Hebræos librum magnæ authoritatis vocatum Machatos, vbi recensetur Psalmus ille 14. & in eo libro cum perueniretur ad versiculum, *Qui pecuniam suam nõ dedit ad vsuram*, haberi *etiam gentili*, id est, qui nulli dedit. Vbi aperte omnibus erat interdicta. Locus autẽ iste Deuth. 23. in quo solum legitur ista concessio, loquitur permissiue.

Nunc argumenta aliarum opinionũ suo ordine diluamus. Et inprimis illa, quibus Abulen. probat licuisse Iudæis absque vlla dispensatione mutuare gentilibus iustè, & rectè.

Ad primum Respondeo, Malum quidẽ, & iniquum fuisse quouis tempore, & in quocunq; statu mutuare alicui cum vsura, siue Iudeo, siue Gentili, sed nec propterea fuisse absurdum permitti in Lege Veteri Iudeis, vt possent impune Gentilibus fœnerari, imo fuisse prudentissimi ac sapientissimi Legislatoris permisisse illud ipsis cum alienis, ne fratres suos pauperes vsuris consumerent, tanquam minus malum ad vitandum maius. Sicut diximus sapientissimos Legislatores permittere ciuibus quædã minora mala, ne in maiora prorumpant. Sequeretur quidem absurdum illud, si vsuram quam Deus prohibuit Iudæis cum suis tanquam iniquam, concessisset illis cum alienis tamquam licitam, & alienam ab omni iniquitate: at cum illam prohibeat cũ suis vt vere iniquam, cum alienis vero non cõcedat vt licitam, sed permittat tantum impunè fieri tanquam minus malum, vt expositum est, nullum profecto inde sequitur absurdum.

Ad 2. Constat ex obseruatione à nobis posita, legem illam veterem non solum respexisse spiritualem illius Populi Hebrei salutem, sicut lex Euangelica illam tãtum respicit, verum etiam & ciuilem, ac temporalem illius statum, & gubernationem: qua de caussa, non solum contulit illis precepta moralia, & ceremonalia ad mores, & fidem illius populi spectantia, verũ etiam & iudicialia, quibus ciuiliter gubernaretur: Inter quæ, sicut in aliis legibus ciuilibus accidit, permittebat illis Deus libellum repudij, & vsurã cum exteris, tanquam minora mala aduitanda alia maiora.

Ad 3. Constat etiam ex dictis, habuisse Iudæos Prophetas, Sacerdotes, & Doctores qui illos admonerent, qua ratione lex ista vsurarum esset permissio tantum minoris mali, minime vero concessio alicuius boni & liciti: Sicut modo concionatores, & confessatij explicant fidelibus, meretricium, & similia, etsi lege ciuili permittantur impune fieri, grauissima nihilominus esse peccata. Vnde si qui eorum deciperentur, culpa & iniquitate sua deciperentur, minime vero occasione data illis á lege, satis illis à Prophetis & aliis explicata.

Eodem modo soluitur. Quartum, Lex enim Dei prohibebat vsuram aperte quo ad salutem animæ præcepto illo morali, *Non furtum facies*: permittebat vero illam in foro tantum exteriori impune exerceri cum exteris præcepto iudiciali, quod ciuilem tantum illius populi statum respisciebat, tanquam minus malum. Vnde vtrique fini abunde consulebat lex Diuina, & saluti spirituali per præcepta moralia, & ciuili statui illius populi per iudicialia. Nec repugnantia aliqua erat in hac parte in verbis legis, cum à Prophetis, & Doctoribus satis illis explicaretur verus sensus illius, & qua ratione permitteretur illis vsura.

Ad vltimum dico, Benedictionem illam non promitti Iudęis eo quod gentibus mutuarent cum vsura, neque ex ea parte, sed in premium tantum misericordię qua vterentur cum suis fratribus concedentes illis mutuo gratis, ac sine spe alicuius lucri ea quibus indigerent: Sic enim mutuare actus erat misericordię, & premio dignus, maximè cum iuxta illam legem, si mutuatarius pauper ante annum septimum non valuisset debitum illud mutuanti restituere, adueniente anno septimo manebat liber ab omni debito: Sic enim precipiebatur illis Deuther. 15. *Caue ne forte subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo: Appropinquat septimus annus remissionis, & auertas oculos a paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare: ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum. Sed dabis, &c.*

Iam posteriora, quibus nititur docere partem illam legis, de qua hic agimus, qua præcepit Deus Iudæis, ne fratribus suis mutuarent cum vsura, sed gratis & liberè, restrictionem fuisse iuris communis, & illius

illius generalis facultatis, qua poterant licite omnibus mutuare, dissoluamus.

Ad primum, Ex proximè præced. controuer. constat satis minorem illius argu. falsam esse: Etenim cum vsura sit iure naturæ prohibita, vt intrinsece mala, ante legem Moysi erat iam prohibita, & interdicta omnibus hominibus, ex quo sequitur, partem istius legis *Fratri tuo non fænerabis*, non esse restrictionem aliquam iuris communis, quin potius illius explicationem & renouationem: partem vero alteram *Fænerabis alieno*, esse permissionem tantum minoris mali.

Neq; secundum habet aliquam vim. Sumit enim falsum, nempe Deũ non inducere homines, nec allicere eos suis pollicitationibus ad præstanda, & obseruanda ea, ad quæ iam alias tenebantur iure naturali: nihil enim frequentius in Sacris litteris occurrit, quã ea ratione Deum hortari homines, non solum ad concilia, verum etiam ad præcepta: Veluti ad cultum ipsius met Dei, ad obedientiam & honorem parentum, ad largiendam eleemosynam grauiter indigentibus, ad fidem proximis seruandã, & similia, quibus abundat Scriptura, Ad quæ licet iam teneamur iure naturę, quo prõptius tamen & facilius illa exquamur, varia à Deo nobis promittuntur præmia. Lege quæ habentur Deuth. 28. videbis quot proponat Deus pręmia seruãtib9 præcepta Decalogi, & multa alia quæ iure naturæ continentur.

Ad tertium, constat legem istam neque dispensationem fuisse quo ad exteros, neq; restrictionem quo ad suos; sed explicationem iuris naturalis quo ad suos: permissionem vero tantum minoris mali quo ad alienos, Omnibusq; gentibus interdictam esse vsuram iure naturæ cũ quibusuis hominibus, cuiuscunque nationis vel religionis.

Ad confirmationem vero dico, absolute & simpliciter debuisse Iudeos, quibus Deus maiora contulerat beneficia, & quibus iudicia sua magis manifestauerat, magis obseruare legem naturalem, & magis abstinere ab omni iniquitate, quam cæteras gẽtes: Attamen cum Deus aliis gentibus tunc legem positiuam non tradiderit, reliquit eas quo ad moralia in sola lege naturæ, & ita nulli poterant omnino dare cum vsura in foro animæ, in foro autem exteriori debebant stare, quo ad illas impune vel secus exercendas, legibus ciuilibus sui Principis, vel Reipub. Iudæi vero, quibus Deus in sua lege præcepta contulit iuxta vtrunq; forum, in foro animæ nulli poterant mutuare cum vsura, nec Fratri suo nec alieno, lege naturæ illud prohibente, quam lex positiua Dei nec abstulit, nec reuocauit, neq; in ea dispẽsauit: in foro vero exteriori permittebatur eis tantum vt alienis fœnerari possent, ne suos per vsuras destruerent, quę inter se (vt dictum est) non pugnabant, Prophetis & aliis legis Doctoribus apertissime illis explicantibus, qua ratione Deutheronomium legis intelligendum esset.

Ad vltimum resp. nullum impedimentum vel obstaculum prouenire ex lege ista vsurarum recte intellecta, & explicata, sicut à Prophetis aliisq; legis Doctoribus explicabatur, quo minus Pagani quorum Deus mentem illustraret, relicta falsa idolorum superstitione ad veram religionem & cultũ vnius veri Dei transirent.

Denique fundamentum illud Abulen. cui videntur niti omnia ista quæ ex ipso retulimus, Quæ sunt à iure naturæ tanquã prima principia & primæ determinationes illius iuris obligare absolute, & omnino quoscunq; homines, & quocunq; tempore: quæ vero sunt à iure naturæ non tanquam prima principia, vel primæ determinationes illius, sed solum vt quędam dictamina rectæ rationis admonentis illa plurimum conducere, & iuuare ad consecutionem alicuius finis, non obligare, donec aliqua lege positiua, vel consuetudine firmentur, & præcipiantur.

Hoc inquam fundamentum pace quod tãti Doctoris, & de omnibus studiosis adeò bene meriti dixerim, non recte ab eo proponitur. Primo. Quia, quęcunque sunt a iure naturę, siue vt primę determinationes illius, siue vt dictamina rectę rationis, siue quacunq; alia ratione sese habeant, aut habent se velut pręcepta, aut velut concilia solum: Si vt præcepta quocunq; tempore, & quoscunq; homines obligãt. Si vero vt concilia, nunquam obligant nisi aliqua lege positiua præcipiantur: & tunc non dicuntur esse a iure naturę, sed a iure solum illo positiuo quo pręcipiuntur.

Secundo, quod magis vrget. Iure naturę illa tantum dicimus pręcipi, vel prohiberi, quę continentur inprimis principiis iuris naturalis aut ex illis colliguntur in bona & necessaria consecutione, quę vero nec continentur in illis principiis, nec ex illis necessario colliguntur, esto dictet illa aliquo modo recta ratio, dicuntur quidem illa pertinere ad aliquam æquitatem

tatem, non tamen esse iuris naturæ, quia ius naturæ obligat, nec habet minorem vim coactiuam in foro animæ, quam quæcunque alia lex positiua aliquid omnino præcipiens, vel prohibens. Vnde si vsuram prohibet ius naturæ & est secundum se mala, absolute & omnino est mala, & iniqua, neque potuit ab aliquo vnquam licite exerceri: Quod autem ita mala sit, ostendimus satis præceden. controuer. maxime duplici illo argumento: Primo. Quia ius naturæ est, & primū principium ac prima determinatio illius, *Vt quod tibi vis alteri præstes*, quicunque vero homo prudenter ac iuxta rectam rationem vult ea quibus indiget, gratis ac sine vlla vsura sibi mutuari, Secundo, quo argumento vtitur ipsemet Abulen. quæst. 167. Quia ius naturæ omnino prohibet tanquam rem intrinsece malam, & iniquam aliquid bis vendi, aut accipere pretium pro re quæ nullum habet pretium, quæ duo (vt satis ex ibi dictis constat) committuntur in vsura.

Vnde etiam si fundamentum illud Abulen. & distinctio quam proponit eorū quæ sunt à iure naturæ, admitterentur, nihilominus vsura est omnino contra ius naturæ, & secundum se intrinsecè mala, & iniqua, nec potuit vnquam bene fieri vel in ea dispensari.

Ex quo sequitur necessario, in lege ista Deuth. 23. præcipi Iudæis erga fratres suos id ad quod iam tenebantur iure naturæ, ex præcepto, vbi frater extremè vel grauiter indigeret; ex concilio quo ad mutuum vbi non ita egeret; ex præcepto vero siue egeret siue non egeret quo ad mutuandum sine vllo lucro & vsura: Erga alienos vero non liberari ab eodē præcepto in foro animæ; sed liberari tantum in foro exteriori à punitione, & pœnis, quas Iudices ab vsurariis illo etiam tempore sumere potuissent: nisi lex diuina illud cum exteris ipsis impunè fieri permisisset.

Nunc ad argum. Conradi, & Medinæ, qua parte nituntur ostendere, Iudæis concessum fuisse diuina dispensatione, vt possent cum exteris vsuras exercere, non quidem formales & proprias, sed quas dicimus materiales.

Ad Primum, patet solutio ex dictis, Prudentes legislatores, & gubernatores Rerumpub. non solum facto dissimulare, & permittere aliqua minora mala ad vitanda maiora, verumetiam lege & verbo illud permittere. Qua ratione lege, à se lata & prudentissime, permittunt lupanaria: Et Deus ipse permittebat illi populo lege quoque à se lata libellum repudij, eodemque modo permisit eis, vt minus malum, formales & proprias vsuras cum exteris.

Ad Secundum, constat iam ex dictis, quomodo locus ille Deuth. 23. non sit accipiendus, de simplici, & affirmatiua concessione, sed de permissiua tantum. Et quamuis verba illa in cortice, ac vt sonant, videantur significare concessionem alicuius rei licitæ, ex aliis tamen locis Veteris Testamenti, & doctrinis Prophetarum constabat solam permissionem ibi contineri. Sicut & verba quibus permittebatur eis libellus repudij (qui ut docuit ipse Christus permissus eis tantum fuit, & non concessus) sumpta in cortice videbatur quidem continere positiuam concessionem. Qua ratione occurrunt multa in Sacra Scriptura, quæ cum reuera permissiones tantum sint, in cortice tamen verborum videntur positiuę affirmationes, vt Esa. 63. *Errare nos fecisti de viis tuis.* Exod. 4. & 5. *Ego indurabo cor Pharaonis.* Rom. 1. *Tradidit illos in reprobum sensum.*

Ad confirmationem dico ibi non concedi vsuram, sed promitti tantum seruantibus legem maximam abundantiam, & affluentiam bonorum temporalium. Etenim cum esset ille populus cupidissimus temporalium, Deus illi sese accommodās promittebat sæpe eis ista bona. Vt Esaiæ primo. *Si audieritis me, bona terræ comedetis, &c.* Vnde illius loci Deuth. 28. sensus est; Si seruaueritis legem meam, eritis adeo diuites, quod poteritis accōmodare, & leuare aliorum miseriam: nec indigebitis, vt ab aliquo quicquam mutuo postuletis. Ibi enim fœnus accipitur pro simplici mutuo: Sicut dicitur Prou. 22. *Qui mutuum accipit, seruus est fœnerantis.* Et Ecclesiast. 29. *Fœnerare proximo tuo in necessitate illius*: id est, accommoda, & mutua illi necessaria.

Ad Tertium, patet iam solutio ex dictis, legem illam non decepisse Iudæos, nec fuisse illis occasionem peccandi, cum abunde ex aliis locis Veteris Testamenti, & doctrinis Prophetarum admonerentur, locum illum Deuthero. permissionem tantum esse minoris mali in foro exteriori, non concessionem, in foro vero animæ & a parte rei vsuras cum quibusuis

busuis hominibus fuisse illicitas, & iniquas: Sicut modo leges Ciuiles permittentes illas in iure communi non decipiunt fideles, cum abunde a Concionatoribus admoneantur eas illicitas esse secundum se, sed solum permitti impune fieri, quia ita expedit paci & quieti Reip.

Ad quartum. Dico Moysen in proponenda lege habuisse tantum se vt narratorem, & relatorem eorum quæ Deus populo proponebat: Prophetas vero vt fideles interpretes illius legis illam sufficienter explicasse.

Ad vltimū. Dico, non eodē modo fuisse illis concessas vsuras, & vasa Aegyptiorum: hæc enim constat fuisse eis concessa vt debita, Sacra Scriptura illud testante Sap. 10. *Reddidit iustis mercedem laborum suorum, &c.* Et ita potuerunt domino concedente, ac vt supremo iudice illa ipsis adiudicante tuta conscientia illa recipere ac retinere. Bona autem priuata gentilium non poterant sub specie vsuræ: Quia licet dederit ipsis Deus terram Canaan, poterātq; Reges Israel paganos iusto bello impugnare, & expellere, bona tamē priuatorum extra bellum non tradidit eis, nec concessit vsuras vt licitas: sicut alia loca Veteris Testamenti, & Prophetarum indicant. Nec de his pro libito asserendum aliquid est, quin habeat aliquod fundamentum in Sacra Scriptura, vel doctrina Pontificum, aut Sanctorum.

Tandem in calce huius controuer. illud obseruandum esse duxi, Quod censet Caieta. licuisse Gentibus repetere à Iudæis vsuras, quas illis persoluebant explicatione indigere. Quia si loquatur Caietan. nostris temporibus, possunt quidem fideles repetere illas ab eis coram Principibus, & iudicibus Christianis, cum in illo cap. Post miserabilem præcipiat Innoc. Tertius Principibus, & Potestatibus secularibus, ne aliquas vsuras permittāt Iudæis, quin potius compellant illos ad remittendas omnes Christianis, quibus verbis etsi non videatur aperte exprimere, dādam esse actionem Christianis, ad repetendas eas, quæ iam illis fuerint exhibitæ & persolutę, nihilominus, cum idem sint in hac parte, compellere Iudæos ad remittendas, id est, non recipiendas vsuras ipsis à Christianis exhibendas ex præcedenti mutuo, & compellere eos ad restituendas acceptas, præcipiens Innocentius Principibus Secularibus vt compellant Iudæos ad nullo modo recipiendas vsuras ex mutuo, & conuentione aliqua præcedenti debitas, & reddendas, præcipit simul & eodem iure, compellant eos ad restituendas acceptas. Quo enim iure si solutio debiti ex aliquo contractu inita authoritate iudicis prohibenda est, eodem si iam solutum sit, authoritate etiam iudicis repetere licet, & acceptum restituendum est.

Si vero loquatur Caiet. De vsuris, quas recipiebāt à Gentibus eo tempore quo lex Moysi adhuc retinebat suam vim, non video qua ratione illud constare possit. Primo, quia postulabo à Caiet. apud quos Iudices repetitio illa vsurarum facienda esset, si apud proprios iudices Paganorum, cum illis Iudęi non subiicerētur, Pagani actores nihilomino obtinerent, maxime cum reus ad alienum iudicem vel forum trahendus non sit. Si vero apud iudices ipsorum Iudæorum, multo minus daretur paganis actio, tum, quia isti iudicaturi erant iuxta Legem suam Moysi, iuxta quam permittebantur eis vsuræ cum paganis, tum etiam quia Sacerdotes ipsi & iudices populi Hebræi, vt ex libris Prophetarum & Euangelijs constat, non minus erant auari, nec minus vsurarij, quam populus: qua de causa nullo modo compellerent populum ad eas restituendas. Secundo: Quia vsuras illas cum alienis permisit illis Deus, quasi locum concedens auaritiæ ipsorum, vt damna & iacturam suorum fratrum auerteret, at si pagani repetere vsuras ab illis potuissent, non obtineret lex diuina hunc finem quem instituebat, nec illorum auaritia, & cupiditas à propriis contribulis esset auersa.

Altera dubitatio quæ occasione eiusdem argumenti vltimi hic explicanda se offert, est.

Controuersia. III.

QVA RATIONE IVRE *Ciuili sint permissæ vsuræ.*

INitio huius controuer. obseruandum est, Apud Paganos priscis temporibus varias extitisse vsuras: Fuerūt enim inprimis apud eos illæ vsuræ vsuratū, de quibus diximus cōtrou. 1. huius art. col. 520. fuerūt præterea vsuræ in maxima quātitate, adeo

vt excederent centesimam: liberum enim erat cuique tantum lucrum & fœnus a mutuatario exigere, ac recipere, quantum pro sua cupiditate, & alterius necessitate, & angustia extorquere poterat. Cęterũ quia tam graues & enormes vsuræ, quales fœneratorum cupiditas introducebat, in maximum & euidens cedebant periculũ & damnum non solum priuatorum, verumetiam & totius Reip. cum ipsius status ex priuatorum bonis pendeat, prohibuerunt leges Romanorum, & aliorum Principum progressu temporum eas vsuras, quas iudicarunt immoderatas; statuentes certam quantitatem vsurarum, quas singuli a suis mutuatariis possent exigere, & recipere. Ita constituit potissime inter cæteros Iustinianus Imperator, vt vsuræ vsurarum, & vltra centesimam tollerentur omnino, tanquam fœnus adeo improbum, & iniquum, vt nullomodo esset ferendum l. Eos. Cod. De vsuris. Et l. Placuit. ff. eod. tit. Reliquæ vero, nempe centesima, vel infra centisimam permitterentur, non quidem omnibus eodum modo; sed diuersis, vt statim explicabimus.

Obseruemus secundo, vsuras in lege permissas duplices esse, Terrestres, & Nauticas. Terrestres erant menstruæ, in quibus singulo quoque mense fœnus exhibebatur, & in duodecim species secundum duodecim asses siue libræ vncias, & partes diuidebantur: ex quibus partibus iuxta quantitatem earum quas singulis mensibus mutuatarius reddere tenebatur, nomina istarum vsurarum imposita fuerunt. Hac ratione, quædam dicebatur centesima, Alia dextans, Alia Bes, Alia Semis, Alia Quincunx, Alia Triens, Alia Quadrans, Alia vncialis, Alia Semi vncialis. De quibus multa Iurisperiti, & potissime Hostien. in summa tit. de vsuris §. Pro quibus rebus & §. Qualiter petantur. Et Caballinus ex Budęo lib. 1. de asse, & Molineo in opusculo citato De vsuris num. 53. Nos quid ista sint, & quibus concedantur in Iure, paucis pro instituti nostri ratione dicemus.

Centesima non erat, vt iudicauit Acurtius, cuius authoritate fuit in hac parte deceptus Conradus vt admonebam cont. 1. huius art. col. cita. 520. lucrum quod intra annum vel paulo maiori tempore æquaretur sorti, sed iuxta communem omnium DD. expositionem desumptam ex Budęo in lib. de Asse, & Hermolao Barbaro in castigationibus ad Plinium quando quolibet mense reddebatur in lucrum, & fœnus centesima pars sortis: ita vt singulis annis redderentur pro centum (V. g.) aureis duodecim, æquabaturque fœnus sorti intra 8. annos, & quatuor menses. Hæc dicebatur grauissima, concedebaturque solum, his qui dabant pecunias traiectitias, id est, ad negotia & merces per mare deferendas, subibantque pericula, quę sorti accidere poterant. Affert Caballinus num. 57. alios casus in quibus licebat etiam centesimam vsuram per legem recipere, quorum examen non est mei muneris.

Dextans, seu decunx est vsura minor centesima duabus vnciis: vnicã vocant Iurisperiti vnciam vnitatem sortis, siue simplicem partem, quæ habeat se velut vnitas in numero totius sortis. Vnde cum centisima sit singulis mensibus reddere vnum, quæ singulo quoque anno efficiunt duodecim partes sortis, Dextans seu Decunx erat cũ intra annum reddebantur decem vnciæ, seu decem partes sortis. Ita æquabatur fœnus sorti intra 10. annos. Hæc dicebatur summa, quæ concedebatur nonnunquam negotiatoribus per terram.

Bes, est lucrum continens duas tantum partes centisimæ; ita vt singulo quoque anno redderentur in lucrũ, & fœnus 8. vnciæ siue 8. partes totius sortis; æquabaturque sorti lucrum intra 150. menses, id est duodecim annis & 6. mensibus. Vocabatur hęc vsura mediocris, & concedebatur communiter negotiatoribus per terram.

Semis est dimidia centisimæ, siue dimidium vnciæ, & vnitatis totius sortis pro singulis mensibus, ita vt si sors esset 100. redderetur in fœnus singulo quoq; anno. 6. partes, siue vnciæ illius, æquareturque lucrum sorti intra 200. menses, id est 16. annis & 8. mensibus. Et hæc concedebatur non solum mercatoribus, & exercentibus negotia, verumetiam cuicunq; è populo; vocabaturque vsura leuis.

Quincunx est minor semisse vnica vncia, seu parte, centesima vero 7. vnciis. Est enim 240. pars sortis quolibet mense, ita, vt intra annum reddantur solum in fœnus 5. partes sortis, æqueturq; totum lucrum sorti intra 240. mẽses, id est intra 20. annos.

Triens est tertia pars centesimæ, ita vt quolib. mense reddatur in fœnus 300. pars, siue vncia sortis nẽpe, singulis annis quatuor vnciæ, seu partes: æquaturq; in lucrum sorti

sorti intra 300. mēses, id est viginti & quinq; annis. Hæc vsura & præcedens dicebantur leuiores, conceduntur que etiam toti populo.

Quadrans est quarta pars centesimæ in anno, siue 400. pars sortis, in mense, nempe singulo quoque anno tres vnciæ, siue partes sortis æquaturque lucrum in ea intra 400. menses id est 33. annis & 8. mensibus.

Vncialis est duodecima pars centesimæ, id est, simplex pars & vncia totius sortis singulo quoque anno, ita vt æquetur lucrum & fœnus sorti intra 100. annos. Ex qua perspicuum est, quid sit vsura semiuncialis. Dicebantur hæ leuissimæ, & concedebantur cuiuis è populo.

Nauticæ vero vsuræ erant, quæ reddebantur cum primum nauis salua perueniret ad portum, vel cum redibat salua in locum vnde recesserat. Aliquando enim in vnam tantum nauigationem statuebatur: vt si mutuarem Petro nauigaturo in Rhodum mille aureos, statim atque eo saluus peruenisset, debebat mihi vsuram cētesimam, siue morosa fuisset illa nauigatio siue breuis: nauticum enim fœnus non computabatur mensibus, sed sola nauigatione in portum. De qua l. 1. Cod. de Nautico fœnore. siue vsura naut. In Autentic. De vsur nautica §. 1. l. Si dies ff. Quando dies legati cedit. & in l. Centesimis. ff. de Verbo. obligatio. & in aliis multis locis. Aliquando vero in duplicem statuebatur nauigationem, vt si mutuarem Petro è Mileto nauigaturo in Rhodum mille aureos, quorum tamen vsuram non deberet, nisi postquam nauis peruenisset Rhodum, & inde salua Miletum reuerteretur. De qua in l. Periculi. ff. De nautico fœno. De quibus multa Iurisperiti in istis textibus. Nobis hæc sufficiant ad intelligentiam vsurarum, quæ admittuntur in iure Ciuili.

Ex his enim constat quæ vsuræ in illo prohiberentur, quæ vero cōcederentur. De his ergo quas ius Ciuile concedebat, quærimus nunc, An essent iustæ, & licitæ in foro animæ, sicut censuit Molinęus, constat enim satis ex prima controu. huius art. vsuram omnem in quacunq; quantitate esse prohibitam omni iure, & sententiam illam Molinei falsam omnino esse & hæreticam, sed solum quærimus, qua ratione permittantur in iure?

Existūt in hac contro. maxime pugnantes DD. sententiæ: Statuunt enim omnes ex Conrado de Contract. q. 22. vsuras per missas esse, tribus modis accipi posse. Primo ita vt impune possint exerceri, eo modo quo diximus permissas esse Iudæis tanquam minus malum ad vitandum maius. Secundo vt permittantur etiam in iudicio, quomodo permittitur iniusta venditio intra dimidium iusti pretij, ita, vt sicut non datur actio decepto ad repetendum in iudicio, eodem modo nec mutuatario detur actio in iudicio ad repetendas vsuras. Tertio modo vt permittantur authoritate iuris, ita vt præcipiantur solui in iudicio: debeatque Iudex compellere mutuatarium ad illas persoluendas vsurario.

In iure Ciuili permissas esse non solum primo modo istorum trium, verum etiam secundo & tertio volunt Panor. in cap. Cum sit. nu. 18. de foro compet. Conrad. q. 22. conclus. 8. Couar. lib. 3. varia Resol. c. 1. nu. 6. & Michael de Palatio lib. 4. de contract. c. 3. Vnde colligunt esse permissas Iure Ciuili tanquam licitas, sed Ius illud Ciuile correctum esse, & emendatum per ius Canonicum in locis adductis in 1. controu. huius art. concl. 1. & 4.

Primo modo permitti, nempe ita, vt impune possint exerceri constat aperte ex illa l. Placuit. ff. De vsuris. ex l. Eos. Cod. eod. tit. Vbi tantum reprobantur vsurę illę quæ dicuntur, vsuræ vsurarum, & quæ dicuntur improbum fœnus, siue vltra centesimam, reliquæ vero omnes permittuntur istis legibus.

Quod autem & secundo modo, patet ex l. 3. Cod. De vsuris. Vbi dicitur de vsuris solutis ex pacto inito inter mutuantem & mutuatarium: *Ex pacti conuentione solutæ vsuræ neque vt indebitæ repetantur, neque in sortem accepto ferendæ sunt.* Vbi aperte negatur mutuatario actio ad repetendum lucrum quod dedit vsurario. Et conf. Non datur repetitio decepto infra dimidium iusti pretij, quia esset maxima occasio litium, si talis repetitio daretur: at similiter etiam esset maxima occasio litiū, si daretur actio ad repetendum vsuras in iuditio, multa enim cambia, & contractus, in quibus vt docebimus, recipitur aliquid vltra sortem iusto titulo, ducerentur in iudicium, exorirenturq; innumeræ & frequentissimæ lites; ergo ad eas impediendas iuste in his legibus denegatur actio ad repetendū vsuras.

Iā quod permittātur etiā tertio modo cō cedēdo vsurario actionē ad illas exigēdas in

iudicio á mutuatario, ostendunt ex illa l. Eos. Cod. De vsuris. Vbi dicitur: *Si interrogatione præcedente promissio vsurarum recte facta probetur, iure debentur.* Cum ergo iudex teneatur vnumquemque compellere ad ea persoluenda, quæ iure debet, aperte in ista l. datur vsurario actio in iudicio contra mutuatarium.

Oppositum docent Glossa in Can. Quia in omnibus. Et Cano. Quid dicā 14. q. 4. Abbas in illud cap. Cum sit. De foro compet. Fortuni. Illatione 5. de Vltimo fine iuris. Et ex Theologis Sanctissimus & Doctissimus vir Gerardus de Scenis Ordinis nostri quondam Generalis in opere de contract. Cap. de vsuris. D. Bernardi in opere etiam suo de contract. D. Thom. hic ad 2. Soto lib. 3. de Iustitia q. 1. art. 1. ad 3. & omnes recentiores: vsuras illas permissas esse in iure Ciuili primo tantummodo, vt impune scilicet exerceantur tanquam minus malum ad vitandum maius. Quemadmodum enim quia homines post naturam lapsam ita sunt procliues ad libidinem, vt paucissimi sint qui contineant, permittit Ius meretricē, & simplices fornicationem ad vitanda adulteria, strupa, & alia maiora mala, quæ Remp. perturbarent: ita quia similiter post naturam lapsam manēt homines ita procliues ad auaritiam, vt vix reperiatur qui non studeat cupiditati: Hiere. 6. *A minori vsque ad maiorem, a Sacerdote vsq; ad Prophetam omnes auaritiæ studēt.* Esa. 56. *Omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisq; ad auaritiam suam, a summo vsque ad nouissimum.* Qua etiam de causa pauperes non inueniunt, qui illis gratis mutuent, propterea necessario & prudenter Leges Ciuiles permittunt impune exerceri aliquas vsuras, ad vitanda in diuitibus maiora delicta & peiores fraudes, ne si illas omnino prohiberent, facta lege excogitaret humana cupiditas nouas & peiores vias. Ad vitanda ergo grauiora pauperum incōmoda, qui vel ad soluenda debita, vel ad alias necessitates leuandas non inueniētes mutuum nisi sub aliquo fœnore, tenerentur propria bona, & suppellectilem cum magno damno, & iactura iusti valoris diuendere, permisit Ius Ciuile aliquas vsuras.

Cui sententiæ nos subscribimus per has conclusiones sit Prima. *Vsura permissa quidem est in iure Ciuili vt minus malum, non tamen vt licita, & honesta.*

Prior pars constat ex dictis: Afferunt enim vsuræ vtilitates istas quas diximus. Sed libet hic animaduertere, cum quanto moderamine vsuræ tunc permitterentur, vt intelligantur nostrorum temporum malitiæ. Nam inprimis nullomodo permittebātur vsuræ vsurarum, nec quæ excederent centesimam, sed solæ centesimæ vel infra centisimam, vt Semis, seu dimidium centesimę, Triens seu tertia pars centesimę, Bes seu duæ tertiæ, & cęterę quas retulimus. Secundo illud etiam addebatur à lege, vt cum primum intra 100. menses vel plures vsuræ æquarent sortem, non persoluerentur amplius vsurę: sed mutuatarius maneret omnino liber à solutione alicuius lucri, soliusque sortis debitor: Confer igitur nunc has vsuras cum cambiis, quę modo exercentur, & deprehendes mercatorum iniquitatem & technas. Tunc ęquata sorte iam nullę persoluebātur vsurę, sed sola sors manebat persoluenda, modo protrahuntur cambia & mutua in æterna tempora. Tunc permittebatur centesima, id est 12. singulis annis, & his solū qui dabant, pecunias traiecticias, id est, (vt diximus) ad negotia quę per mare excercebantur, subibantque sortis periculum. Besis id est 8. pro 100. aliis negotiatoribus; illustribus autem & nobilibus solum Triens, id est 4. pro 100. cęteris de vulgo Semis seu dimidium, id est 6. pro 100. Modo autem á nostris mercatoribus, quando nullo iam modo permittuntur vsuræ priuatis & municipalibus legibus Regnorum, saltum in Hispania, censeturque hereticus, qui illas iudicaret licitas, recipiuntur plusquam 20. pro 100. quia sub titulo cambij recipiunt à mutuantibus singulis nundinis ad minus 6. vel 7. quandoque plura: & cum celebrentur istę nundinę ter, vel quater in anno, recipiunt 20. & aliquoties plura intra annum pro 100.

Probatur iam altera pars conclusionis, non fuisse permissas vt licitas, Primo, quia nullomodo est credendum Iustinianum Principem sapientissimum, & Christianissimum scientem legem naturalem, & Euangelium Christi, iudicasse vsuras licitas, qua enim parte prudentissimus & sapientissimus fuit, intellexit esse contra ius naturale, diuinum, & Ecclesiasticum: qua parte, Christianissimus, non est censendus iudicasse licitum, quod videbat omni iure prohibitū tanquā iniquum, & illicitum: aliter enim habuisset errorem, essetque suspectus in fide in hac parte,

parte, quod absit de tanto & tam Catholico Imperatore asserere.

Secundo, quia l. Cunctos populos. Cod. de Summa Trinit. præcepit Iustinianus ab omnibus teneri fidem, quam Beatissimi Petrus & Paulus Romanos docuerunt, Tum etiam vidit, & approbauit Concilium Nicenũ, præcepitq; ab omnibus recipi, & obseruari sicut vnum ex quatuor Euãgelijs: constat autem vsuras perpetuo in Ecclesiã iudicatas esse illicitas, & iniquas, non modo ex doctrina Apostolorum, verumetiam ex doctrina Christi, & peculiari præcepto Noui Testamenti, vt definitum est à Põtificibus, Concilium quoque Nicenum (vt vidimus) vsuras omnino damnat. Quis ergo credat Imperatorem qui adeo recepit, & coluit doctrinam Apostolorum, & Concilij Niceni iudicâsse vel concessisse aliquas vsuras, vt licitas?

Scio respondere huic argumento, quod efficacissimum est, nonnullos Iuristas, præcepisse Iustinianum, vt omnes obseruarent doctrinam Apostolorum, & Concilij Niceni quo ad fidem Sanctę Trinitatis, non tamen quo ad alia. Sed ridicula profecto hæc responsio est, & indigna tantis viris. Primo, quia indefinitè & indirectè præcepit Iustinianus Conciliũ illud & doctrinam illius recipi, & obseruari sicut vnum ex Euãgelijs: propositio autem vel præceptum indefinitum, maxime in rebus moralibus æquipollet vniuersali. Secundo, quia præcepit illã doctrinã, vt saluti suorum subditorum necessariam, at non modo fides Sanctę Trinitatis, verum etiam omnia quę illud Concilium habet, & inter ea prohibitio vsurę ad salutẽ animę sunt quoq; maxime necessaria

Secunda conclusio. *Iniqua esset lex Ciuilis, quæ concederet vsuras secundo modo, ita vt mutuatarius non posset repetere, quæ vsurario dedit vltra sortem.*

Patet. Lex Ciuilis quæ repugnauerit Ecclesiasticę iniqua est; at si quæ lex Ciuilis negaret mutuatario repetionẽ vsurarum, repugnaret legi Ecclesiasticę, cum precipiatur in Clementina. Ex graui. De vsuris, ne quis impediat repetitionem vsurarum, excommunicanturq; ibi illam impediẽtes; ergo lex Ciuilis quæ negaret repetitionẽ vsurarum iniqua esset. Minor cum consequentia perspicua est, maiorem probat optime Abulensis loco supra citato q. 180. Primo, Quia cum par in parem non habeat potestatem, Cap. Innotuit. Extra. De electione, multo minus habebit potestatem inferior in superiorem Cano. Inferior Dist. 21. Est autem potestas ciuilis inferior potestate Ecclesiastica, nequit ergo potestas Ciuilis condere legem, quæ Ecclesiasticę repugnet: aliter iniqua erit.

Secundo, fatentur ipsimet Imperatores quod Sacrę Leges non dedignantur Sacros Canones imitari, & specialiter in matrimonio, & vsuris. Cap. Intelleximus. Extra de noui operis nunciatio. Et aliis in locis: cum ergo Sacri Canones adeo vsuras damnent vt iniquas, non potest lex Ciuilis prohibere quin illę repetantur.

Denique profitetur Imperator se amplecti quatuor Concilia vniuersalia, adeo vt per ea suis legibus derogetur: cum ergo in Concilio Niceno (vt vidimus) reprobẽtur omnino vsuræ, non potest lex aliqua Ciuilis illas admittere, licet possit eas permittere impune fieri, non tamen ita vt denegetur actio ad repetendum illas, cum iniustè accipiantur: Neque illud sonant legũ verba rectè intellecta, nec aliqua ratio est propter quam ita sint explicanda.

Sed obiicies, In aliis legibus permissiuis, si quid permittitur, denegatur actio in cõtrarium. (V. g.) permittitur deceptio infra dimidium iusti pretij, & denegatur simul decepto actio ad repetendum illum excessum: permittitur viro occisio vxoris deprehensæ in adulterio, & denegatur cuiuis actio contra talem virum: ergo similiter hic, si permittitur vsura, deneganda est actio & repetitio ipsius.

Dico non esse simile. Primo in excessu iusti pretij infra dimidium, quia cum talis excessus difficile cõmuniter probetur, propterea si concederetur illius repetitio existerent maximę lites, sicque expedit Reip. ne in eo detur talis actio: at iniquitas vsuræ aperta est, facileq; à iudice deprehendi potest sine occasione multarũ litiũ, & ita merito in ea datur actio, ceditq; in bonũ Reip. ne ita facile vsurę exerceãtur. In occasione vero vxoris, cũi dẽ sit permittere, quod non punire illum occissorẽ adulterę, cõsequenter idẽ sunt permittere, talem occisionem quod negare omnẽ actionem contra illũ virũ. In vsuris vero permittere, tantũ est posse illas impune exercere ex parte iudicis, non tamen posse illas ita exercere, quin læsus possit damni accepti recompẽsam apud iudicẽ postulare. Adde in huiusmodi excẽplis de excessu iusti pretij, nullã esse legẽ Ecclesię, quę repetitionẽ cõcedat & actionẽ sicut in vsuris, vt constat ex ista Clementina.

Sunt qui hoc loco existimēt, vt Palatio lib. 4. de Contract. cap. 11. Non posse cōdi legem quæ simpliciter & in perpetuum neget actionē in iudicio contra vsurarium, bene tamen posse condi legem quæ ad breue tempus illam neget: Vt si Resp. gereret aliquod bellum iustum & vrgens, vel esset oppressa ab hostibus, vel paterentur ciues aliquam grauem necessitatem, quibus non possent alia commodiori via occurrere quā accipiendo sub vsura. Tunc dicunt, ob bonum cōmune quod cuiuis priuato præstat, quia in tali euentu adeo indigerent vsuris, ne illis cessantibus bonum commune graue aliquod damnum vel iacturā pateretur, posse condi legē quæ durante illa necessitate negaret actionem contra vsurarium: Sicut posset Resp. quando ipsi ita expediret, suspendere lites per aliquod tempus. Sed cum Clementina illa loquatur absolute & omnino, nec distinguat inter breue tempus vel multum, & vbi lex non distinguit neq; nos distinguere debeamus, crederem legē istam tali necessitate oblata vtilē esse, & ferri posse, quia permittere vsuras non est intrinsece malum; sed consulendum Summū Pontificem, nec sine eius authoritate posse licite illam condi.

Ex his sequitur multo iniquiorem esse Legem, quæ concederet vsurario actionem ad petendum lucrum vsurarium in iudicio: quia talis lex faueret vsuris & iniquitati cū damno Reip. & ciuium, ad quæ damna restituenda tenetur profecto superior fauens vsuris quas ex officio prohibere potius debet. Tum etiam quia si ipse teneretur eas restituere non solum in foro animæ, verum etiam in exteriori, & in iudicio: pugnant hec, vt possit quis repetere in iudicio, quod in eodem iudicio, si recepisset, esset à iudice compellendus restituere.

Ad argumenta in oppositum. Ad Primum quo probatur illo secundo modo in iure permitti vsuras, Respondeo, duobus modis posse interuenire pactum, aut ita vt sit vsurarium & iniquum, veluti cum ex vi mutui obligatur mutuatarius dare aliquid vltra sortem, quod pactū reperitur in vsura formali, aut ita vt pactum non sit vsurarium & iniquum, sed licitum, vt cum ratione alicuius damni, vel expensarum quas facit mutuans, mutuatarius promittit vltra sortem compensare illud damnum, vel expensas: Et de huiusmodi secundo pacto loquitur illa lex: vsuras solutas ex pacto, & conuentione rationabili, & honesta non esse repetendas. Vtiturq; nomine vsuræ materialiter.

Secundum, iam solutum est: Lex enim illa tertia ex qua videtur probari vsuras, tertio etiam modo permissas esse, eodem modo explicanda est quo præcedens, de vsuris materialiter, quæ ratione alicuius damni oblati soluuntur: Sic enim habet lex: *Si promissio recte facta probetur*: certum autem est in vsura formali & iniqua non recte fieri promissionem, quod potest etiam colligi ex l. 3. quæ paulo post sequitur, vbi dicitur: *Quamuis vsuræ fœnebris pecuniæ circa vinculum stipulationis peti non possint*: vsuræ autem fœnebris pecuniæ sunt illæ propriæ & formales: vnde hæ solæ dicuntur non posse peti in iudicio.

Ex quo sequitur inter Ius Canonicum & ciuile in hac parte nullam esse pugnantiā, vt nonnulli existimant. Non enim præcipitur iure Canonico Principibꝰ ne permittāt vsuras, aut vt puniant vsurarios; sed id tātum, ne vsuras iudicent licitas aut eas probent, nec compellant mutuatarios ad eas persoluendas, nec denegent actionem ad illas repetendas, si solutæ fuerint: quibus vt exposuimus leges ciuiles in nullo repugnant.

Solent hîc nonnulli disputare ad quem Iudicem directè & proprie pertineāt caussæ vsurarum, sed illud commodius explicabitur à nobis in fine art. 3.

ARTICVLO II.

LICEAT NE PRO PECVNIA *mutuata aliquam commoditatem expectare?*

VIDETVR hic artic. Si titulū eius respicias, parum aut nihil differre à præcedenti, cum in illo quæsierit D. Thom. An pro pecunia mutuata possit accipi pecunia In hoc vero quærat: possit ne accipi aliqua commoditas, & vtilitas, quæ certe si pecunia æstimari potest, nihil ab ea differt. Nihilominus consulto hunc art. addit Doctor Sanctus. Primo, quia commoditas absolute sumpta, vt hic proponitur, est quid cōmunius quam pecunia: Est enim quædam commoditas, vt statim dicemus, quæ pecunia æstimari potest: alia vero quæ non mēsuratur pecuniis.

Secundo, quia licet commoditas quę pecunia

cunia

cunia æstimari potest, & pecunia moraliter loquendo parum aut nihil differant, reuera tamen differunt, cum pecunia sit instituta in pretia rerum: quo fit, vt cum datur pecunia pro pecunia aperte appareat dari pretium pecuniæ, & committi vsura, commoditas vero (etsi pretio æstimabilis) cum [illegible] instituta in pretium rerum, quando pro pecunia mutua redditur, non ita apparet tanquam pretium illius reddi, nec committi vsura. Qua de caussa merito de huiusmodi commoditatibus, & vsuris occultis priuatim disserit in hoc art. Quamuis enim perito, & accuto, ac diligenter hæc consideranti facile occurreret, quãdo committatur vsura expectata commoditate ex mutuo, ex his quæ diximus, at cum non idem ingenij acumen, & diligens rerum indagatio, & peritia omnibus contingat, consulto priuatim nunc illud explicatur: innumeris difficultatibus, quæ circa conscientiam accidere possunt ex istis commoditatibus, quæ ratione pecuniæ mutuatæ percipiuntur, ita exigentibus.

Tertio, quia istas commoditates ex mutuo expectare pertinent maxime ad vsuram mentalem, de qua cum nihil art. præcedenti egerit, sed solum de reali & externa, cõmode nunc de illa agit præsenti art. qua de caussa vtitur voce illa, *An liceat expetere seu desiderare*: quæ vox actum mentis proprie significat.

Denique quia ex art. præcedenti constat quidem, in quo consistat iniquitas vsuræ, & quomodo sit probibita, non tamen qua ratione priuatim in cõtractibus & commerciis hominum exerceatur, oportuit illud in hoc art. explicare. In summa quia vsuræ in commerciis humanis non exercentur aperte postulato lucro vsurario in pecuniis, sed in aliquibus aliis commoditatibus, quæ pecunia æstimari possunt, de his nunc merito disserit, cum priori art. expositum sit. An liceat pro pecunia mutuata pecuniam accipere.

Ad diluendam quæstionem huius art. nonnulla constituit D. Tho. tam in corpore art. quam in solutionibus: quæ omnia explicanda sunt.

Statuit primo, commoditates quas ab aliis accipere possumus duplices esse, alias quæ pecunia æstimari possunt, vt munera, obsequia, obligationes aliquæ temporales & ciuiles: alias vero, quæ non mensurãtur pecuniis, sed nobiliores sunt, quam vt pecunia æstimentur, vt amicitia, gratia, & beneuolentia honesti amici.

Statuit secundo dupliciter posse nos aliquid accipere ab alio; vel interueniente aliquo pacto, tacito, vel expresso, propter quod pactum, qui ita illud reddit, non reddit gratis, & libere; sed ex debito, & obligatione: vel nullo interueniente pacto, sed ex libera & voluntaria donatione alterius qui illud exhibet, vt quoddam gratuitum donum.

Statuit tertio, mutuantem posse aliquando, propterea quod mutuet, damnum aliquod recipere: Idq; duobus modis, vel positiue, vel priuatiue: Positiue, vt quando ex eo quod mutuat actu & reuera nocumẽtum aliquod in bonis suis recipit. (V. g.) habebam paratam pecuniam ad reficiẽdam domum meam, quæ minatur ruinam, quia illam tibi mutuo, non valeo domum meam reficere, sed ruit: hoc damnum positiue recipitur, vocaturq; damnum emergens. Priuatiue vero, quando actu & reuera nullum nocumentum recipitur in bonis, priuatur tamen ille qui mutuat aliqua vtilitate, & commodo, quod percepisset ex illa pecunia, nisi illam mutuasset, vt mercator qui desinit lucrari quod fuisset lucratus, nisi mutuasset, hoc secundum genus damni vocatur à DD. lucrum cessans.

Statuit vltimo cum venditio sit actualis traditio rei, quæ venditur; quia per venditionem transfertur omnino dominium rei venditæ in emptorem, & pretij in venditorem, anticipatam vel expectatam solutionem esse reuera quoddam genus mutui: Anticipata enim solutio, etsi vocatur solutio, à parte tamen rei nihil aliud est quam emen tem mutuare pecuniam venditori, vsque ad tempus quo fiet actu emptio, & tradetur illi res vendita. Similiter expectata solutio, etsi appellatur solutio, reuera tamen perinde omnino se habet, ac si venditor sicut actu tradit rem emptori, ita quoque accepisset actu pretium illius, & pretium illud actu à se receptum simul mutuasset emptori, vsque ad tempus in quo illud persoluat.

His positis respondet D. Thom. per varias conclusiones tam in corpore art. quam in solutionibus.

Sit prima, *Recipere aliquam commoditatem quæ pecunia æstimari potest ex pacto tacito vel expresso ui mutui, est reuera vsura.*

Patet: Accipere pecuniam ex pacto tacito, vel expresso pro pecunia mutuata ex art. præcedenti est vsura, sed accipere rem

& commoditatem pecunia ęstimabilem, est in genere moris idem omnino quod accipere pecuniam, quia pecunia est ex Arist. 4. Ethi. quidquid pecunia ęstimari potest, Ergo.

Secunda conclusio. *Recipere aliquam commoditatem etiam pecunia æstimabilem, non ex aliqua obligatione & pacto tacito, vel expresso, sed ex libera voluntate conferentis gratis illud donum non est vsura: imo licet omnino illud ita accipere.*

Probatur. Qui ita recipit, poterat illud recipere, (cum liberę & gratuitæ donationes licitę sint inter homines) etiam si nullam pecuniam alteri mutuasset, ex eo autem quod mutuauerit non redditur neque efficitur peioris conditionis; ergo licite illud recipit.

Secundo, vsura non cōmittitur nisi quādo accipitur aliquid vi mutui, & ex pacto, in hoc casu nihil omnino accipitur vi mutui aut ex aliquo pacto; sed sola libera & gratuita voluntate donantis: ergo.

Tertia conclusio. *Commoditates quæ pecunia non mensurantur, vt beneuolentia, & amicitia viri honesti, & similia, licet pro mutuo expetere & exigere sine vlla vsura.*

Patet: quia vsura tantum consistit in lucro temporali ęstimabili pecunia, huiusmodi vero commoditates, quamuis temporales sint, non sunt tamen ęstimabiles pecunia: ergo licet eas expetere.

Dixi temporales, quia de his habetur hic sermo, ad excludendā spiritualia: quę quamuis non mensurentur, nec æstimentur pecunia, non tamen possunt propterea expeti, aut exigi pro mutuo, quia spiritualia non sunt res ciuiles & temporales, quę hominū dispositioni subiacent; sed sunt altioris ordinis, quę nec pecunia ęstimantur, nec aliter conferendę aut recipiendę sunt quā omnino gratis, sicut gratis illa contulit, qui illorum Dominus est & institutor, nempe Deus.

Quarta conclus. In solutione ad primum.

Mutuanti licet aliquid accipere vltra sortem ratione damni emergentis, & deducere illud damnum ac illius valorem in pactum: Non autem ratione lucri cessantis.

Probatur prior pars: Quamuis non liceat vendere vsum pecunię, quia non est (vt diximus) seorsum æstimabilis pretio distincto à pecunia, licet tamen vnicuique iure naturę seruare se indemnem, & propria damna vitare, ac illorum quādo propter vtilitatem alterius ea recipit, compensam exigere, nemo enim debet cum suo damno alteri prodesse: Sed in hoc casu, quando ratione mutui existit damnū emergens, mutuans deducēs illud in pactum non vendit reuera vsum pecunię, sed tantum nititur proprium damnum vitare, & cum illud in alterius vtilitatem recipiat, illius recompensam, quam alter iure naturę debet exigere; ergo licet.

Probatur altera pars: Nemo potest vendere rem quam nondum habet, & quę potest multis viis impediri, lucrum cessans & futurum per pecuniam nondum habetur à mutuante, sed potest multipliciter impediri; ergo illud vendere non potest, nec ratione eius aliquid vltra sortem exigere, aut recipere.

Vltima conclusio. In solutione vltimi.

Nec propter anticipatam solutionem potest emi res minus quam valet, nec propter expectatam carius vendi, aliter agens committit reuera vsuram.

Probatur. Anticipare solutionem idem est quod mutuare pecuniam venditori, expectare solutionem idem etiā est quod mutuare illam emptori: quod detrahitur á iusto pretio, vel additur est pretio æstimabile, non autem licet pro pecunia mutuata ex pacto aliquid recipere quod pecunia ęstimabile sit; ergo nec licet minoris emere ob solutionem anticipatam, nec carius vendere ob illam expectatam.

Circa huius articuli doctrinam multa oportet explicare, quibus propositę conclusiones offerunt occasionem.

Primum igitur cum expetere aliquam vtilitatem ex mutuo bifariam accidere possit, aut interueniente aliquo pacto tacito, vel expresso inter mutuantem & mutuatarium, aut interius & sola animi intentione, ita vt mutuans sine vllo pacto tacito vel expresso mutuet, sed cum spe tantum solo animo cnncepta aliquid recipiendi, alias non mutuaturus: Primum omnium vt à vitiis interioribus exordiamur, videamus oportet.

Controuersia. I.

AN SPES ACCIPIENDI *aliquid vltra sortem, interius tantum & sola mente concepta efficiat mutuantem vsurarium.*

HAEC

HAEC quæſtio difficilima eſt, & plurimum faciens ad conſciẽtias fidelium: Fuit propoſita Vrbano 3. reſpondetque illi in Cap. Conſuluit. De vſuris. Sed ita obſcurè, vt adhuc inter Doctores ſit maxime cõtrou.

Caballinus ſeu potius [redacted]. cum vſura definiatur ab ipſis, iuxta ea quæ tradit Philip. Beroa, in ſua Epitome Philoſophiæ moralis. *Lucrum ſupra ſortem exactum, propter officium tantum mutuationis*: qua voce *exactum* ſignificatur pactum tam expreſſum, quam tacitum, colligunt ex iſta definitione, ceſſante omnino pacto, nullam exiſtere vſuram: Et ex conſequenti, mutuantem cum ſpe quidem recipiendi aliquod lucrum, ita vt ea ſola ſpe & principaliter fuerit ab initio motus ad mutuandum, ceſſante tamen omni pacto, non eſſe vſurarium, neque acceptionem lucri quod mutuatarius libere & gratis illi exhibebit, eſſe vſuram. Quia cum mutuatarius ſine vllo pacto illud exibeat, gratis omnino & ex ſola liberalitate, eſt mera & libera donatio, quam vitioſa intentio mutuantis non viciat: Eſto mutans in illa intentione peccauerit, teneaturque de illa apud Deum pœnitere: ſed ita vt non maneat deuinctus ad reſtituendum: neque ipſi mutuatario qui gratis dedit, potuitque ſic dare; nec pauperibus, cum verus Dominus illud gratis cõferens tranſtulerit vere dominium illius lucri in mutuantem.

Probat illud ex Cap. finali. De ſymonia. Vbi Gregorius Nonus conferentem rem ſpiritualem cum ſpe recipiendi aliquid tẽporale, ita vt conferens neque ex pacto illud conferat, neque in pretium rei ſpiritualis, ſed ex ſola beneuolentia & liberalitate, docet, peccaſſe quidem illum qui rem ſpiritualem cum ſpe rei temporalis contulit, ad nullam tamen reſtitutionem teneri, ſed ad ſolam contritionem peccati quod commiſſit per illam deprauatam ſpem, & intentionẽ: Verba textus ſunt: *In quo caſu delinquentibus ſufficit per ſolam pœnitẽtiam ſuo ſatisfacere creatori.* Vnde colligit, ſimiliter iudicandum eſſe de mutuante, qui ſola ſpe lucri mutuauit, aliter non mutuaturus, cùm à mutatario aliquid ipſi confertur gratis, & libere, ac ſine vllo pacto tacito vel expreſſo, affertque in eandem ſententiam Paul. Laza. in Clement. 1. De vſuris Butri. in Concil. 17. Card. florẽt. in cap. Conſuluit. Eod. tit. licet idem Cardina. aſſerat oppoſitam eſſe tutiorem. Conceditq; ibi Moline. oppoſitam eſſe communem inter Theologos, & Iuriſperitos, quos ſtatim referemus.

Syluest. vſura c. 1. q. 1. conſtituit duplicem intentionem, ſeu ſpem in mutuante, aliam quam vocat principalem & primariam, & aliam minus principalem & ſecundariam. Principalis (inquit) eſt, quando quis mutuat & ſpe lucri, & aliis etiam de cauſis, vt ex amicitia, ſed ita adducitur ſpe lucri, vt niſi illud ſperaret, non mutuaret, etiam ſi aliæ cauſæ adeſſent. Minus principalis vero, quando mutuat ſpe quidem lucri, & ex amicitia, ſed ita, vt etiam ſi lucrum illud non ſperaret, mutuaret nihilominus propter ſolam amicitiam.

Hoc poſito qui mutuat (inquit) ita ſperãs lucrũ, vt illa ſpe & intentione moueatur ad mutuandum, alias non mutuaturus, eſt reuera vſurarius, teneturque ſi quid a mutuario deinde recipiat, etiam ſi nullum pactum exterius tacitum vel expreſſum interueniret, illud reſtituere. Cõfirmat hanc partem Primo ex cap. 1. & cap. Conſuluit. De vſuris, vbi Ioannem Andrea. Archidiaconum & communiter DD. affirmat idem ſentire. Secundo ex Canone. Si fœneraueris 14. q. 3. qui Canon. ſumptus eſt ex B. Auguſtino in Pſal. 36. vbi ait: *Si fœneraueris homini, id eſt, ſi mutuo dederis pecuniam tuam, a quo pluſquam dediſti expectes: non pecuniam ſolam, ſed aliquid plus, quam dediſti, ſiue illud triticum ſit, ſiue vinum, ſiue oleum, ſiue quodlibet aliud: ſi pluſquam dediſti expectes accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus.*

Quod ſi mutuet ſpe quidem lucri, ſed ſpe minus principali & ſecundaria, ita vt etiam ſi nullum inde lucrum ſperaret, nihilominus mutuaret ex amicitia, vel charitate, non eſt cenſendus vſurarius, nec tenetur ad reſtituendum ſi quid a mutuario libere ipſi conferatur. Eandem ſententiam tenuerunt (inquit) ex Theologis Ricar. in 4. d. 15. ex Iuriſtis, Hoſtien. Panor. Archid. in Cap. Conſuluit. Et Ioannes Andreas in Regula Peccatum in 6. Ratio illorum eſt. Quemadmodum ſe habet ſymonia in ſpiritualibus, ita & vſura in temporalibus: ſed qui ſeruit Epiſcopo, vel mutuat, aut aliquod aliud obſequium, vel beneficium illi præſtat, vt conferat ei beneficium, ſi hæc facit præcipuè & primario ob beneficium, eſt vere ſymonia, at ſi primario & pręcipuè id faciat ex amicitia, & beneuolentia qua illum proſequitur, & ſecunda-

rio ac minus præcipue ob beneficium, non est simonia : ergo similiter quando quis mutuat spe lucri intẽtione principali & primaria, committet vsuram quando vero minus principali & secundaria nequaquam. Maior certa est, Minor vero colligitur aperte à DD. ex Cano. Si officia. Dist. 59. Et Cano. Quid proderit. Dist. 61. adiunctis ibi Glossis : quod etiam docet D. Tho. in quodlib. & Glossa singularis & recepta in c. 1. de Clericis non residen in 6.

Secundo licet Clerico, interesse diuino officio intentione secundaria, & minus principali, vt distributiones ordinarias recipiat, cum intentione principali & primaria id faciat propter Deum : ergo licebit similiter in mutuo. Et confirmatur, Quia ipsummet Deum licet diligere, & colere intuitu bonorum temporalium intentione minus principali, vt Psal. 118. cum prius dixisset : *Hæreditate acquisiui testimonia tua in æternũ, quia exultatio cordis mei sunt* : subiecit de intentione secundaria : *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Quod adeo verum est, vt Concil. Trid. Sess. 6. Cano. 31. oppositum definierit esse hæreticum.

Denique cum quis mutuat, scire potest debitorem obligari sibi ad antidota, id est, ad similiter mutuandum, iniquum enim esset & contra rectam rationem, vt sicut ego mutuo tibi cum eges, non debeas tu mihi similiter mutuare cum indiguero, possumq; ego illud sperare. Ita habetur cap. Cum in officiis. De testament. & l. Si lege §. consuluit. ff. de petitio. hæred. Hæc autem spes non efficit mutuantem cum illa vsurarium, nec obligat ad restitutionem aliquam si quid gratis accipiat à mutuatario, vt docent communiter DD. in dicto cap. Consuluit; ergo quando quis mutuat cum spe recipiendi aliquid, secundaria tamen & minus principali intentione, nec est vsurarius, nec tenebitur ad aliquid, restituendum. Eadem sententia est communis inter Canonistas : videturque illam amplecti D. Nauar. in commento c. primi 14. q. 4. nu. 19. & 20. Vbi eandem tribuit Glossæ : & Innocen. quarto in illo cap. Consuluit : Quamuis, vt postea videbimus, in explicatione intentionis principalis & minus principalis videatur differre à Syluest.

Caiet. in comm. art. præced. & in opusculo de vsura q. 2. Soto lib. 6. de Iustitia q. 1. art. 2. & Recentiores Thomistæ. Non ex intentione mutuantis, sed ex obiecto proprio vsuræ, quod est lucrum ex mutuo, volunt colligendum esse, *An mutuans cum spe aliquid accipiendi sit censendus Vsurarius?*

Statuit ergo Caiet. Mutuantem posse sperare aliquid vltra sortem bifariam : vno modo, ex sola beneuolentia & amicabili do [redacted] ro modo, ex mutuatione: Qui secu [redacted] est, nam aut sperat aliquid ex mutuo principaliter & per se, aut secundario : Principaliter speratur aliquid ex mutuo iuxta Caiet. quando mutuans illud sperat, vt sibi debitum ex iustitia, & obligatione ciuili vi illius mutui, & quasi lucrum vel pretium illius mutui, quod nonnulli dicunt tanquam interesse pecuniæ : Secundario vero & minus principaliter, quando sperat commoditates aliquas, & vtilitates recipere ab illo mutuatario, non tanquam lucrum mutui, vel sibi debitum ex obligatione propter pecuniam mutuatam, sed cum mutuans contulerit alteri beneficium mutuando, & cuius beneficio debeatur gratitudo, & beneuolentia, soleantque homines grati his, à quibus beneficia acceperunt, parem gratiam referre, & aliqua obsequia, & commoda præstare, quando occasio se offert, quæ non præstantur, vt debita ex obligatione ciuili, sed vt quidam effectus & signa animi grati, quæ possumus vocare debita ex honestate & gratitudine, hoc modo, ex tali scilicet honestate & gratitudine aliquid sperare à mutuatario, vocat Caietanus sperare minus principaliter, & secundario.

Quam distinctionem Caietani in pauca reducentes, dicamus mutuantem duobus modis posse aliquid sperare à mutuatario: vno modo, quasi gratuitum donum, & sine vlla obligatione præstandũ : alio vero modo, quasi ex obligatione : idque dupliciter, aut ex obligatione ciuili & debito iustitiæ, aut ex naturali tantum gratitudine, qua mutuatarius debet esse gratus mutuanti, sicut quicunque recipiens beneficium ab alio debet esse gratus suo benefactori.

Quo posito habet Caiet. hæc tria.

Primum est, Sperare aliquid a mutuatario ex sola beneuolentia, tanquam donum omnino gratuitum, nullam esse vsuram, vel peccatum. Quod habet aperte (vt vidimus) secunda conclusio D. Tho. hic posita. Et Probatur, mutuans non est deterioris conditionis, propterea quod mutuauerit : at si non mutuasset, licuisset illi accipere ab amico dona gratuita, quæ ex sola be-

la beneuolentia amicus ille ipsi conferret; ergo propterea quod mutuauerit, cum non sit effectus nec redditus deterioris conditionis, quam antea esset, non impeditur quominus posit recipere à mutuatario, quæ illi contulerit ex sola beneuolentia, & tanquam dona verè & omnino gratuita. Et in hac parte nulla est controuersia.

[illegible] sperare aliquid principaliter & per se ex mutuo esse vsuram interiorem, & mentalem, & spem ita conceptã esse vsurariam: ex quo sequitur, vt cum actus exterior sumat speciem sicut bonitatem vel malitiã ab interiori, mutuationem quæ tali spe fit esse vsurariam. Probat illud primo, ex illis Verbis Christi, *Mutuum date, nihil inde sperantes*: vbi non solum prohibet aliquid accipere vi mutui, sed etiam prohibet & tollit omnem spem accipiendi aliquid ex mutuo: delictum autem quod in his verbis Christus prohibet est vsura: ergo ista spes vsuraria est, & mutuatio cum tali spe peccatum vsuræ. Et confirmatur ex cap. Consuluit. Vbi Vrbanus Tertius, ex istis verbis Christi colligit mutuare aliquid, cum spe recipiendi aliquod lucrum ex illo mutuo, esse vsuram. Nec Christus, aut Papa distinguunt speret ne illud mutuans primaria intentione, vel secundaria, id est speret ne ita, vt alias non esset mutuaturus, vel secus: sed Christus absolutè & in vniuersum prohibet aliquid sperare ex mutuo, quomodocunque illud mutuans speret: & Vrbanus Papa declarat esse vsuram sperare aliquid ex mutuo, vi mutui, quacunque etiam ratione ille speret.

Secundo. Quicunque pro aliquo labore, vel obsequio temporali speraret beneficium spirituale tanquã debitum, vel in stipendium illius obsequij temporalis, reuera esset simoniacus, quacunque ratione id speraret; ergo similiter in vsura, sperans aliquod lucrum ex ipso mutuo, quacunq; ratione illud speret, est vsurarius. Vnde non ex intentione primaria aut secundaria, sed ex obiecto proprio vsuræ quod est lucrum ex mutuo, iudicãdum est, quis sit vsurarius.

Docet tertio Caiet. mutuantem sub spe alicuius vtilitatis recipiẽdæ non ex mutuo, neque vt lucrum mutui, sed ex gratitudine sola mutuatarij, & tanquam effectus animi grati; quia sperat, mutuatarium agnoscentem beneficium, quod ab ipso recepit, non futurum illi ingratum, sed prestaturum quæcunque homines honesti, & grati suis benefactoribus præstare solent, non esse vsurarium: Esto ita affectus sit, vt nisi illud speraret, nullomodo daret alteri mutuo.

Probat Caiet. hanc partẽ. Primo, Quia communi hominum consensu non censetur vsurarius, sed excusatur ab omni culpa, qui mutuat ei quem nouit gratum esse beneficiis quæ illi conferuntur, minime vero illi quem nouit esse ingratum.

Secũdo cui licet desiderare radicem (qua similitudine vtitur etiam Conradus q. 29. conclusione secunda) licet etiam desiderare fructus inde producendos, sed licet mutuanti sperare beneuolentiam & gratitudinem á mutuatario; ergo licet etiam sperare ab illo commoditates aliquas non ex debito, neque vi mutui, sed ex illa mera beneuolentia & gratitudine referendas, & tanquam fructus, & effectus illius amicitiæ, & gratitudinis.

Tertio, sicut mutuans duo præstitit mutuatario, & pecuniam, & beneficium, ita mutuatarius duo debet mutuanti, & pecuniam pro pecunia, & gratitudinem pro beneficio: licet autem ab vno quoque sperare id quod debet; ergo licet mutuanti expectare & pecuniam æqualem pro ea quam mutuauit, & gratitudinẽ pro beneficio: Cui autem licet expectare gratitudinem, licet etiam expectare effectus gratitudinis, non vt debitos ex iustitia vel obligatione aliqua ciuili, sed vt debitos ex honestate gratitudinis.

Quarto, ex D. Tho. quodlib. 8. art. 11. Clericus ingrediens Chorũ pręcipue propter Deum, & secundario, propter distributiones, ita vt nisi illæ essent ipsi conferendæ, non intraret chorum, non est simoniacus, quando vt docet ibidem D. Tho. non expetit illas distributiones vt pretium officij diuini, in quo consistit Simonia; sed vt honestum stipendium sibi taxatum ad suam sustentationem, quia spes ista secundaria distributionum est honesta, & adire chorum uoluntarium: voluntaria autem & libera possumus dimittere deficiente cõditione honesta; Ergo similiter in proposito, mutuans præcipue gratis, & ex amicitia, & non ob aliquod lucrum ex mutuo, sperans tamen mutuatarium futurum sibi gratum, & præstaturum quæcunq; decent virum gratum, alias non mutuaturus, non est vsurarius, cum non habeat spem illicitam, quia expectare effectus animi grati conditio honesta est, mutuare vero liberum, voluntaria autem & libera vt modo diceba-

dicebamus, licet dimittere deficiente conditione honesta:

Obseruat autem D. Thom. loco citato, Ne spes distributionum sit causa præcipua intrandi chorũ, sed velut conditio quędam determinans quare hodie, & non alio die intret chorum, causa vero præcipua sit cultus Dei. Similiter spes lucri, aut beneficij alicuius ex gratitudine, quam habet mutuans non sit causa & ratio mutuandi, nam ita iam haberet obiectum vsuræ, sed conditio quædam determinans cur huic grato mutuet, & non alteri.

Vnde, estque vltimum argumentum Caiet. sic componendum: Quod licet alicui præstare alio dimisso, licet & illi seorsum ac simpliciter præstare, etiam si nullus alius dimittatur, vt patet in eleemosyna, & quacunque alia donatione; quod possum dare Petro, dimisso Ioanne licebit & soli Petro dare, imo multo liberius: Sed duobus a me petentibus mutuum, quorum vnum noui futurum mihi gratum, alium vero futurum ingratum, licet mihi dimisso ingrato mutuare grato ex hac spe quia spero illum futurum gratum, aliter nec illi mutuaturus; sicut non mutuo ingrato: ergo licet simpliciter & absolute mutuare ei quẽ spero futurum gratum, & ex gratitudine facturum pro me, que solent viri grati præstare suis benefactoribus, aliter non mutuaturus.

Vltimo probatur ex secunda conclusione D. Thom. hic posita hac ratione. Licet sperare quod licet recipere, at licet recipere a mutuatario aliquam commoditatem, & pecunia æstimabilem, non ex vi mutui, neque ex pacto, sed ex libera eius donatione, ac vt donum gratuitum, licet ergo similiter sperare gratitudinem, & effectus gratitudinis.

Medina Cod. De vsuris, quæstio. 1. §. *Tertium inquirendum est*, refert opinionem Conrad. qui in lib. de contract. Tract. 4. quæst. 20. conclus. 5. reprehendit sententiam illam Syluestri, quam hic retulimus. Primo, quia potest Petrus mutuare Ioanni primo & præcipue propter amicitiam, & sperans secundario, acquisita illius amicitia, habere aliquod lucrum, ita vt nisi illud speraret, non mutuaret, in quo casu spes illa lucri est causa quidem sine qua nõ, Petrus tamen non committit vsuram. Secundo qui ingreditur chorũ primario propter Dei cultum, secũdario vero propter distributiones, ita vt nisi speraret illas recipere non ingrederetur chorum, non est Simoniacus; ergo neque est censendus vsurarius, qui ita sperat lucrum, vt nisi illud speraret non mutuaret.

Cæterum licet Medinæ nõ placeat opinio illa Syluestri: Nec placet ei, quod in isto loco docet Conrad. imo reprehendit illum, propterea quod habet loc. cita. Petrum mutuantem Ioan[illegible]cipue propter amicitiam, secundario vero & minus præcipue, propter lucrum intentum non committere vsuram: offendit enim Medinã vox illa *lucrum intentum*, iudicans idem esse quod lucrum vi mutui expectatum. Vnde inuehitur cõtra illum, Primo, Quia mutuare cum tali spe lucri intenti a mutuante, est aperte contra illud Christi. *Nihil inde sperantes.* Secundo quia, eo ipso quo intenditur lucrum ex mutuo, est vere & formaliter vsura. Tertio, quia si liceret ita sperare ac intendere lucrum secundario, liceret etiam mutuanti ita pacisci cum mutuatario, mutuo tibi primario vt tuam ineam amicitiam, sed secundario, vt mihi lucrum exhibeas cum sorte: sicut licet Clerico, qui potest sperare secundario distributiones, ita pacisci: ingredior chorum primario propter Dei cultum, secundario vero propter distributiones, ita vt nisi mihi exhibeantur non ingrediar chorum: At nullus est qui asserat, mutuãtem ita posse pacisci cum mutuatario.

Quibus argumẽtis excludit Medina sententiam Conradi censetque probabiliorem esse istam Caietani quam hic retulimus, affertque simul illius argumenta.

Ad propriam vero sententiã explicandã cõstituit ibi Medina hæc tria: Primo, aliud esse mutuationem esse vsurariam, aliud vero lucrum esse vsurarium: quandoq; enim potest vtrumque eorum esse vsurarium, quandoque vero neutrum, quandoq; vero alterum tantum. (V. g.) mutuat Petrus Ioanni 100. aureos sperans lucrum ex vi illius mutui, redditque Ioannes Petro vna cum illis 100. alia 10. vi etiam illius mutui, aliter nihil vltra sortem reddi turus, vtrunque in hoc casu est vsurarium, & mutuatio, & lucrum. Accidit vero vt Petrus mutuet Ioanni ex sola amicitia, sine vllo pacto, vel spe alicuius lucri, Ioannes similiter illa recicipiat: Deinde vero exhibeat illi vna cum sorte munus aliquod pretio æstimabile ex sola beneuolentia, & omnino gratis, in hoc casu, nec mutuatio fuit vsuraria, nec lucrum illud. Accidere etiam

etiam potest, vt mutuans gratis omnino mutuet, ac sine vlla spe lucri, mutuatarius vero falso credens alium non aliter sibi mutuasse nisi propter lucrum, reddat illi aliquod lucrum, vel è conuerso.

Constituit secundo, lucrum in mutuo variis modis posse se habere: Aliquando enim est totalis & præcipua causa mutui, vt cum quis propter illud tantum mutuat, sperans illud ex mutuo: aliquando vero non est totalis causa, sed (vt ille loquitur) con causa, id est, causa simul cum alia; vt cum Ioannes mutuat quidem Petro ex amicitia, non tamen ex ea sola; sed quia sperat simul aliquod lucrum ex illo mutuo recipere: aliquando vero nulla interuenit spes lucri in mutuo; sed ex sola amicitia mutuauit Ioannes Petro, nihil cogitans de lucro. In qua distinctione lucri, certum est quando in mutuo lucrum est causa totalis, & præcipua, vt quis mutuet, committi apertam vsuram: similiter vbi quis mutuat sine vlla spe lucri ex sola amicitia, nullam reperiri vsuram. Tota ergo quæstio est, quando lucrum est concausa, & spes illius miscetur mutuationi, quæ ex amicitia fit.

Ad quod explicandum constituit tertio, Vbi lucrum & amicitia sunt simul causæ mutu[illegible], variis etiam modis posse se habere: Vel ita, vt ambæ sint causæ illius præcipuæ & finales, quia mutuātis affectus ex æquo in vtrumque tendit; & in amicitiam, & in lucrum: vel ita, vt amicitiam quam intendit, referat in lucrum, intendens per mutuum illud comparare sibi amicitiam mutuatarij, amicitiam vero, vt ex ea habeat lucrum; ita vt non intendat amicitiā illius propter se, sed propter lucrum, & tanquam medium ad illud habendum. Vel tertio, ita vt non ordinet amicitiam illius in lucrum, sed expetat illam propter se, speret vero illum amicum ex beneuolentia, & gratitudine præstaturum sibi, quæ solent amici amicis, & qui aliqua receperunt beneficia suis benefactoribus præstare.

Addit Medina, Quando mutuans intendit amicitiam propter lucrum, tunc spes illius lucri est causa finalis mutui, & lucrum sic expectatum est simul intentum & speratum, esto mutuans non esset mutuaturus nisi illud speret. Quando vero mutuans non mutuat propter lucrum, sed vt amicitiam & beneuolentiam mutuatarij sibi cōparet, sperat tamen illum vt virum, & amicum honestum, & gratum, præstaturum sibi eas commoditates, & vtilitates quas amici suis amicis, & benefactoribus præstare solent ex beneuolentia, & gratitudine, alias non mutuaturus, nisi hanc spem de illo conciperet, lucrum non esse intentum sed speratum tantum, & similiter non esse causam finalem illius mutuationis, sed impulsiuam solum & mouentem animum mutuantis ad mutuandum. Differunt enim inquit plurimum, esse aliquid intentum, vel speratum solum: intentio enim fertur in finem, & in ea quæ directè & per se expetimus, & inquirimus, speramus vero multa ex nostris operationibus euentura, quæ tamen nec intendimus, nec vellemus. Qua ratione D. Thom. 1. 2. q. 12. & communiter tam Philosophi quam Theologi dicūt intentionem semper esse de fine, spem vero de rebus etiam minus præcipuè & impulsiue concupitis. Quo fit, vt lucrum intentū ex mutuo sit causa finalis mutui ipsius, & mutuantis, lucrum vero solū speratum possit quidem esse causa motiua, siue impulsiua, & sine qua non, non tamen finalis: quia potest illud, quando tantum speratum est, sperare mutuans ex amicitia & gratitudine mutuatarij, minime vero ex mutuo, quando vero est intentum sperat illud ex mutuo & vi illius.

His positis asserit Medina circa propositam quæstionem tria.

Prima Assertio illius est: Non licet intendere lucrum immediate ex mutuo, neq; ipsum solum, ita vt sit totalis causa mutui, neque vna cum amicitia, ita vt sit concausa illius. Ita vt tam lucrum quam amicitia terminent voluntatem, moueantq; illam tanquam causæ finales mutuantis, & mutui. Hanc primam assertionem relinquit tanquā certam, & perspicuam: quia qui ita speraret, & intenderet lucrum, speraret illud ex mutuo, & vi mutui, quæ spes est aperte vsuraria & animi vsurarij: Et cum actus exterior debeat sumere bonitatem vel malitiam ab interiori, mutuatio facta cum tali spe, sicut antea dicebamus cum Caietano, erit etiam vsuraria.

Secunda assertio illius est, Quando lucrum & amicitia non sunt causæ ex æquo, sed ita vt amicitia ordinetur & referatur in lucrum, veluti quando mutuans intendit quidem amicitiam mutuarij, non tamē propter seipsam, (hoc enim omnium consensu licet,) sed propter lucrum, referens illam in lucrum tanquam in finem à se intentum, talis

talis spes vsuraria etiam est, & similiter mutuatio tali spe & animo facta. Probatur: Quando in mutuatione lucrũ est intentum & finis mutui, mutuans cum tali intentione & spe est vsurarius, sed cum mutuans intendit amicitiam mutuatarij, non tamen propter seipsam, sed propter lucrum, lucrum est in eo casu potissime intentum, & finis in illo mutuo, vi illius principij Arist. *Propter quod vnum quodque tale, & illud magis tale*; ergo qui intendit amicitiam propter lucrum, spem habet vsurariam, & mutuum exercet vsurarium. Quemadmodum qui furatur, vt fornicetur, magis est fornicarius quam fur, esto sit vtrunque.

Tertia Assertio Medinę, Quamuis in mutuo non liceat intendere amicitiam propter lucrum, quia tunc esset lucrum vere intentum & finis mutui, licet tamen intendere amicitiam, & ex ea lucrum sperare. Probatur. Quia in hoc casu lucrum non est intentum vi mutui, nec causa finalis illius, sed solum causa impulsiua, mouens animum mutuantis, qui sperat mutuatarium præstaturum quę illum decent ex amicitia, & gratitudine. Et confirmatur: quia mutuans qui non mutuaret nisi speraret eas commoditates, & vtilitates, quas decet mutuatarios honestos & gratos compensare ex amicitia, & gratitudine suis benefactoribus, non ita se gerit, quia speret lucrum ex mutuo, cum neque illud intendat, neq; propter illud mutuet, sed in detestationem ingratitudinis illius mutuatarij: vnde sola spe gratitudinis mouetur ad mutuandum, solaq; detestatione ingratitudinis similiter mouetur ad non mutuandum. Ita fit lucrum posse esse causam sine qua non, & impulsiuam mutuationis, minime vero finalem, & præcipuam.

Ex his colligit Medina tria consectaria.

Primum est. Quicunque concedit hanc, Licet sperare lucrum ex gratitudine mutuatarij, debet etiam concedere hanc, licet mutuanti sperare lucrum ex mutuo. Rationem reddit, quia hæc particula *ex* dicit causam mutui: Quasi dicat: Ex mutuo spero gratitudinem & ex gratitudine lucrum: ergo a primo ad vltimum ex mutuo spero lucrum. Vnde infert, quod videtur repugnare tertiæ assertioni eiusdem modo positæ, sperare lucrum ex gratitudine esse vsuram, sicut sperare ex mutuo.

Colligit secundo differre plurimũ (quod iam antea dixerat contra Conrad.) Clericum ingredientem chorum propter distributiones, & mutuantẽ sperantẽ lucrum: quia Clericus sperat quod sibi debitum est in stipendium suæ sustentationis, at mutuans non potest sperare lucrum vt debitum, vel stipendium.

Colligit tertio, solam spem lucri efficere vsuram, ita vt lucrum sit intentum, & causa finalis, propter quam mutuat; quia si sit impulsiua tantum, non [redacted] tuum. De priore enim illa intelligendum est dictum Christi, *Mutuum date, nihil inde sperantes*, & Cap. Consuluit. De vsuris, & definitio illa vsuræ quæ communiter traditur a DD. vt sit. *Lucrum ex mutuo intentum.* Et confirmatur ex communi illo DD. proloquio & dicto: Aliud esse mutuare cum spe, id est impulsiua & aliud propter spem, id est vt causam finalem, quod est vsurarium: Qui modus loquendi, & distinctio spei colligitur ex Glossa Interlineali 1. Corinth. 9. vbi dicitur: *Aliud est arare in spe, aliud vero propter spem.*

Ex his opinionibus omnium verior & teneda est illa Caiet. a qua non recedit (vt statim dicemus) Conrad. nec est reprehendendus sicut reprehenditur a Medina, quin & opinio Medinæ conuenit etiam plurimum cum illa Caiet. quam dicimus amplectendam.

Primum igitur opinio illa [redacted] qua docet mutuantem præcipue propter spem quam habet recipiendi lucrum ex mutuo, eo ipso quo nullum interuenit pactum, nõ esse vsurarium, nec teneri ad restituendum, eo quod licet ipse spe illa adductus mutuet, mutuatarius vero libere & gratis donat, reiicitur ab omnibus DD. tanquam falsa, & erronea, Et merito.

Primo. Quia rectitudo mutuatarij ignorans deprauatum mutuantis animum, & conferentis ei bona fide lucrum illud, non tanquam pretium mutui, sed ex sola amicitia & gratitudine, non liberat mutuãtem cum illa spe secum concepta recipiendi lucrum ex mutuo, a sua interiori iniquitate vsuraria: Sicut rectitudo Clerici ignorantis deprauatum animum patroni beneficij sibi collati, & conferentis ei bona fide aliquod donum ex mera & nuda beneuolentia, non liberat patronum qui propter spem illius doni contulit beneficium, a sua interiori prauitate Simoniaca.

Secundo. Quia hæc spes est proprie vsura mentalis in mutuante, ad vsuram enim mentalem (vt supra diximus) non requiritur pactum: hac enim ratione distinguimus

mus realem á mentali, quod in illa interueniat pactum aliquod tacitũ, vel expressum, in mentali vero nullũ existat, sed sola spes recipiendi lucrum ex mutuo, vnde negare spem istam esse vsurariam, & mutuationem ex tali spe factam esse vsuram mẽtalem, est negare veram & propriã rationem & iniquitatem vsuræ mentalis contra cõmunem omnium DD. sentẽtiam, quod non modo est falsum, & temerariũ, verumetiam erroneũ.

Opinio quoq; illa Syluestri & Canonistarum constare non potest. Non enim consistit vitium vsuræ in eo, vt detur mutuũ cum spe lucri, quod aliter non daretur, vt recte ostẽdit Conrad. q. illa 21. citatus à Medina, & relatus hic á nobis. Et confirmat. Quia causa sine qua non nõ est causa præcipua, nec finalis, nec tamẽ sine illa potest esse effectus: vt in naturalibus causa remouens prohibens, & aliæ similes sunt reuera causæ sine quibus non sequentur effectus, nec tamen sunt causæ præcipuæ. Vnde male docet Syluester tunc lucrum esse causam præcipuam mutui, quando nisi illud mutuans speraret, non mutuaret, Sed est dicẽda causa præcipua in omni actione, quæ per se appetitur, & propter quã alia appetuntur, qua ratione finis in actionibus humanis est causa præcipua, cũ ipse propter se ipsum appetatur, cætera vero propter ipsum, adeo vt in præsenti disputatione pro eodẽ sint habende causa præcipua & finalis: causa vero minus præcipua est quæ propter aliud appetitur, etiam si sit causa sine qua nõ, quod adhuc magis statim explicabitur.

Opinio Conradi etsi reprehẽdatur à Medina vt vidimus, reuera tamẽ non est digna tanta animaduersione: quæstione enim 29. vbi ex professo disputat Cõrad. An liceat mutuare propter beneuolentiam, & recipere deinde aliquid, ex illa beneuolentia oblatum? habet hanc 2. conclusionem: Licet mutuare propter beneuolentiam, ita vt ibi sistatur; non autem si ibi non sistatur, sed beneuolentia vlterius ad temporalia ordinetur. Vbi aperte docet nõ licere sperare vel intendere lucrum, vt finem mutui, & tanquam ex mutuo. Quia si ex Conrado non licet intendere beneuolentiam, vt ex ea habeatur lucrũ temporale absque vsura, vt habet ista conclusio, multominus licebit sperare aut intendere lucrũ immediate ex mutuo, quod esset apertior vsura.

Et confirmatur ex tertia cõclusione, vbi duos tantũ constituit casus, in quibus licet ex beneuolentia aliquid accipere. Primo, quando mutuatarius illud confert, vt d gratuitum, & mutuans nouit ea ratione sibi dari, & non propter mutuũ, & sub ea illud recipit. Secundo, quando mutuatarius dat ob mutuũ, mutuans vero credit probabiliter sibi gratis omnino dari Addit.q; deinde: licet prior ille nõ teneatur ad restituendum, posterior vero, cum primũ nouit animum mutuatarij, debet restituere. Vbi nullo modo vult Conrad. mutuantẽ posse sperare lucrum, nec solũ, nec vna cum amicitia ex mutuo. Quod vero dixit q. 21. cõclu. 5. sic accipiendũ est, vt non sumat intentum sicut Medina tanquã causam præcipuã, & finalem, sed pro eodem quod speratũ ex amicitia vel gratitudine, Quo circa conuenire mihi maxime videtur Cõradus cum Caiet. si recte quæ habet in illa q. 29. expendãtur.

Similiter crederem iudicandum de sententia Medinæ, maxima saltim ex parte. Nam inprimis quæ constituit tanquã fundamẽta suæ sententiæ, suarũq; assertionum, etsi diuerso sermone ab eo proponantur, continent tamen tres illos modos sperandi lucrũ, quos proponit Caiet. nempe vel tanquam donũ omnino gratuitum, vel tanquã effectum & finẽ mutui, & ex vi mutui, vel tanquam effectũ amicitiæ & gratitudinis, qua mutuatarius debet esse affectus erga mutuãtem benefactorem suũ: Assertiones quoq; illius incidunt in idem, quod Caiet. habet, maxime prima in qua docet sperare lucrum ex mutuo esse vsuram. Et tertia in qua docet sperare lucrum ex beneuolentia & gratitudine qua esse debet mutuatarius in mutuantem, non esse vsuram.

Quæ vero habet in illis corolariis, quę ex istis assertionibus colligit, aliqua indigent correctione. Primum enim Corolarium illius, vt quicunq; asserit licere sperare lucrũ ex gratitudine, asserat simul licere sperare lucrũ ex mutuo admittendũ non est: Quia iuxta eundem Medinam qui sperat lucrum ex gratitudine non est vsurarius, cum in tali spe lucrum non sit intentum, nec causa finalis, sed effectus tantum liber & voluntarius solius gratitudinis. Qui vero speraret lucrum ex mutuo, vel vi mutui, quæ idem sunt, mouetur ab illa spe vt causa præcipua & finali, & ab illo lucro, non solum vt sperato, verumetiam vt intento, quæ maxime differre idem Medina docet, vt constat.

Secundo, In spe lucri ex gratitudine, lucrum non concurrit effectiue ad mutuum, sed sola gratitudo & amicitia, quam licet intendere in mutuo, & propter eam vt causam finalem mutuare, at cum quis sperat lucrum ex mutuo, concurrit tunc lu-

crum ad mutuũ illud effectiue, vt intentum, & causa finalis. Nec obstat quod habet ibi Medina, vsurarium quoque non sperare lucrum effectiue ex mutuo, sed ex voluntate mutuatarij, voluntas enim est principium potissime efficiens omnium actionum humanarum: Hoc iniquam non obstat, quia cum vsurã dicimus esse mutuum ex lucro, non tollimus, voluntatis actum, sed solum significamus vnde voluntas inclinetur ad lucrum illud exhibendum, num ex mutuo, & propter illud proprie, an propter aliquam aliam causam licitam, & honestam: Quia si inclinatur solum ex mutuo, & vi illius, vsurarium est lucrum quod ita confertur, vel recipitur: si vero ex aliqua alia causa licita, & honesta, non est vsurarium. Veluti cum ex beneuolentia & gratitudine mouetur mutuatarius ad illud cõferendum, & ex eadem sperat mutuans illud recipere, vnde vere dicimus in spe lucri ex gratitudine, lucrum non concurrere effectiue ad mutuum, in spe vero lucri ex mutuo, effectiue illud concurrere, & committi vsuram.

Neq; in secundo Corolario impugnat recte Conradum, vel Caietanum qui in hac quæstione vtuntur similitudine illa sumpta à Clerico qui ingreditur chorum propter distributiones, aliter illum non ingressurus: quia esto differat Clericus iste à mutuante, sicut habet ibi Medina, quia Clericus potest illud pacisci, & expressæ postulare in stipendium suę sustentationis, quod nõ potest mutuans, attamen conueniũt in eo, vt sicut Clericus non est Simoniacus, ex eo quod nisi speraret recipere illas distributiones, non ingrederetur chorum, ita nec mutuans est vsurarius ex eo quod non mutuaret, nisi speraret vtilitatem aliquam ex gratitudine mutuatarij. Et sub hac ratione & similitudine vtuntur DD. isto exemplo accommodatissime, vt doceant contra Syluestrum lucrũ expectatum ex gratitudine, & beneuolentia, etiam si moueat mutuantem tanquã causa sine quanõ mutuaret, non esse vsurarium, nec vitiare mutuationem illam.

Tertium vero corolarium eius verissimũ est, habet enim (vt iam admonui) idẽ quod docet Caiet. cũ affirmet vbi lucrum intentum est, & causa finalis mutui, committi vsuram: vbi vero speratum tantum ex gratitudine & liberalitate, non esse vsuram: quod perinde est ac si dicat. Vbi mutuans sperat lucrum à mutuatario quasi ex obligatione ciuili, & debito iustitiæ, committi vsuram, minime vero vbi illud sperat ex gratitudine, quæ dicitur obligatio secundum honestatẽ: quę est opinio & doctrina Caiet.

Noui hanc diuisionem lucri qua vtitur Medina in lucrum intentũm, vel speratum displicere nonnullis peritis, vt Michaeli à Palatios lib. 4. de Contract. cap. 3. & F. Petro Aragonio, eo quod si propria vis & significatio istarum vocum expendatur, idem sunt reuera intendere & sperare: Quicunq; enim aliquid sperant, intendunt illud assequi, ac obtinere, ita vt vtrũq; respiciãt spes & intentio & finem & mediam; Fidelis enim per spem Theologicam quam habet, sperat gloriã ex gratia & meritis, & intendit illam similiter obtinere ex gratia & meritis. Desiderium quidem siue appetitus potest respicere multa, quæ nec speramus, nec intendimus, nam & voluntatem seu appetitũ dicit Arist. esse impossibilium, impossibilia vero nec speramus, nec intendimus: at quæcunq; speramus intendimus, & ẽ conconuerso: vnde nõ recte distinguit ista Medina, imo si licet sperare lucrum ex gratitudine, licebit etiã illud similiter intendere ex gratitudine, si vero nõ liceat intẽdere illud ex gratitudine, neq; licebit illud sperare ex gratitudine. Reprehendunt etiam aliam distinctionem eiusdem Medinæ in causam finalem, & impulsiuam: Quia eadem causa quæ est finalis est impulsiua, adeo vt fini proprie ac potissime conueniat mouere ac impellere agentem ad quærendam media, quibus ipsum obtineat.

Cæterũ licet iuxta proprietatem vocum, distinctio illa lucri in intẽtum & speratum, non sit satis accommodata, vt recte ostendit Palatius, nihilominus in ea significatione in qua accipiuntur à Medina optima est, & suo instituto & menti satis cõsona, nam per lucrum intentum significat Medina lucrum ex obligatione ciuili, & ex mutuo recipiendum, propter quod vocat illud causam finalem mutui, ita vt in illud directe tendat mutuum, quod est proprium animi vsurarij: per lucrum vero speratum significauit, lucrum sine obligatione ciuili, sed speratum ex sola gratitudine, & beneuolentia, ita vt licet mutuantis animus ea spe impellatur ad mutuandum, quia sperat mutuatarium fore sibi gratum, non tamen sperat illud vt sibi conferendum ex debito, qua de causa huiusmodi lucrum vocat speratum, & spem illius impulsiuam.

Quo fit, voces istas in ea significatione qua sumuntur à Medina, & sicut explicantur à nobis, verum continere. Eodẽ modo distinctio illa causæ in finalẽ, & impulsiuam optima est, quia vbi lucrum intenditur vt finis

finis mutui, & spes illius est causa finalis, certe vsura est, vbi vero causa finalis est amicitia vel aliquid aliud optimum & honestũ, vtilitas vero, quę illã amicitiam honestẽ etiam comitatur, non respicitur vt causa finalis, sed vt quid concomitans illam amicitiam, quamuis moueat illa ad mutuãdum non tamen est causa finalis, sed impulsiua tantum, & quam potest mutuans respicere sine vlla vsura.

Sententia Caiet. (vt dixi) est in hac parte omnium probabilior, & verior, & ab omnibus fere recentioribus recepta, ac merito.

Ad quã magis intelligendũ. Obseruemus Primo Caiet. Soto, Nauarrũ, & alios nõ solum in sententia, verum etiam in modo loquendi differre plurimũ ab opinione Syluestri, & Canonistarum. Quod hoc loco explicandum á nobis necessario est, ne diuersi isti loquendi modi apud huiusmodi doctores reperti, aliquam pariant perturbationẽ.

Syluester igitur & Iurisperiti (vt vidimus) vocant intentionem primariã, quando mutuans sperat lucrum aliter non mutuaturus: secundariã vero, quando sperat quidẽ illud, sed nihilominus mutuaret: Soto vero, cum mutuans varia intendere simul posit, & lucrum, & leuare necesitatem mutuatarij, & illum sibi conciliare amicum, &c. Quando primo & per se intendit lucrũ, & alia postmodum, vult, tunc sperare lucrum primaria intentione: Quando autem intẽdit primo & per se leuare necesitatem fratris, vel amicitiam illius, secundario vero lucrum, vult tunc adduci illum mutuantem spe lucri secundaria intentione.

Alij ex recentioribus quibus Nauarrus loco citato videtur assentiri, ita hæc explicãt. In mutuo (inquiunt) interueniunt iustitia, & amicitia: sed magis præcipue iustitia quã amicitia: quia licet ab amicitia moueatur quis ad mutuandũ antecedenter, posito tamen velle illum mutuare, mutuum est iam quidam contractus, in quo seruanda est necessario equitas & iustitia: qua de causa qui sperat lucrum ex amicitia & gratitudine dicendus est sperare illud minus principaliter, id est ex eo quod minus præcipue concurrit in mutuo; qui vero sperat lucrum tanquam ex debito & iustitia, sperat illud principaliter, id est tanquam ex eo, quod in mutuo præcipuum est. Qui tertius modus dicendi conuenit profecto cũ eo quod habet Caiet. lucrum in mutuo duobus modis sperari posse, aut principaliter, id est ex obligatione ciuili, aut minus principaliter & secundario, id est ex amicitia.

Eãdem distinctionem alij ex recentioribus, vt Palatios loco citato ita proponunt, vt qui mutuat cũ spe lucri, vel habeat spem & intentionem efficacem & certã, aut inefficacem & dubiam, siue opinatiuam tantũ & probabilem. Spes siue intentio efficax & certa inquiunt est, quando interuenit in mutuatione pactũ aliquod tacitum vel expressum, aut post mutuationem exigit mutuans lucrum aliquod tanquã sibi debitum ex mutuo: talis enim exactio signum est illum efficaciter voluisse lucrũ, & propter illud mutuasse: Inefficax vero & incerta intentio vel spes est, quando nullũ pactum tale interuenit tempore mutuationis, nec post mutuationẽ aliquid exigitur à mutuatario, sed relinquitur omnino liberalitati & gratitudini illius. Quam distinctionẽ (sub his vocibus) ita probant: Ille dicitur efficaciter intendere, & velle aliquem finẽ, qui adhibet media ad illum obtinendum necessaria, qui vero illa non adhibet, etsi illum appetat, non tamẽ efficaciter: quomodo fideles peccatores dicendi sunt inefficaciter velle beatitudinem, cũ in comparandis meritis, quæ ad illam obtinendam necessaria sunt, adeo desides se exhibeant. Media ad lucrũ in mutuo sunt pactum & conuentio inter mutuantẽ & mutuatarium tempore mutui, vel postulatio lucri post mutuum; qui ergo illa adhibet, dicendus est habuisse spẽ & intentionem efficacem lucri in mutuo, Qui vero non adhibet, non est dicendus habuisse spem efficacẽ, sed inefficacẽ, & incertam, innitentemq; solũ liberalitati & beneuolẽtiæ mutuatarij.

Hic dicendi modus, quatenus per intẽtionem efficacem & certam videtur significare spem lucri tanquam ex obligatione ciuili, per spem vero & intentionem incertam & inefficacem spem lucri ex sola gratitudine, satis conuenit cum doctrina Caietani. Attamen cum pactum interueniens mutuo, siue tacitũ siue expressum illud sit, constituat, vt vidimus, vsuram realem, hic vero sermo sit de ea quæ vere mentalis est, quã constituit spes sola lucri ex mutuo mente concepta, sine vllo pacto vel conuentione, neq; tacita neq; expressa, non potest ista distinctio, vel explicatio spei quam isti afferunt, huic loco accõmodari, aut cum doctrina Caietani, quam author iste in conclusionibus quas ibi apponit, amplectitur, conuenire.

Vnde dimissis istis distinctionibus & vocibus, spes lucri de qua hic agimus, duplex tantũ cum Caietano constituẽda est: altera, qua mutuans sperat lucrum, vt donum omnino liberum, & gratuitum, altera vero,

quā sperat illud tanquā ex obligatione:idq; duobus modis, vel ciuili & debita, vel ex honestate & gratitudine.

Cæterum cum is qui sperat lucrum quocunq; modo illud speret, siue ex vi mutui, & debito, ac obligatione ciuili, siue secundario ex amicitia & gratitudine, potest adhuc illud sperare primaria intentione vel secundaria, aut in eo sensu, quo Syluest. & Canonistæ istas voces accipiunt, aut in eo quo accipiunt illas Soto, & qui illum sequuntur; In vtroque sensu in his quæ subiiciemus illis vtemur, quia ad præsens institutum, & diiudicandū, quis sit vsurarius mentalis propter spem lucri, parū refert qua ratione illas accipiamus, siue vt à Syluestro, siue vt à Soto accipiuntur.

Obseruemus secūdo. Actus humanos tā studiosos & honestos, quā turpes & malos sumere speciem, & denominationē ab omnibus obiectis, quæ exercens illos vere & actu intendit ac respicit, siue primaria intentione illos intēdat & respiciat, siue secundaria. (V. g.) debeo tibi 100. aureos, quos non teneor persoluere nisi post annū, quia tamen video te ægestate premi, ad leuandā tuam inopiam decerno illos statim persoluere, Primo vt tibi subueniam, secundo vt reddam tibi debitum: hic actus est vere iustitię, quia respicit proprium & formale obiectū iustitiæ, quamuis secundaria intentione sit misericordiæ. Similiter furatur quis vt fornicetur, vbi primo & per se intendit fornicari, sed quia id nō potest sine pecuniis nec illas habet, furatur, desinit ne hic actus esse vere actus furti, quia primaria intentio eius est mechari? minime quidem. Quicūq; enim respicit diuersa obiecta mala, etsi diuersis intentionibus, cōmittit simul vere & formaliter diuersa peccata, etiam si vnum ex illis obiectis respiciat primaria intētione & aliud secundaria: quia ad vtrunq; fertur volūtas illius, etsi in vnū præcipue & tanquam in finem, in aliud vero minus præcipue. Ita docet D. Tho. 1. 2. q. 7. art. 4. Cum actus humani sint, (id est virtutes vel vitia) quia sunt voluntarij, voluntatis autem proprium obiectum & motiuum sit finis, in actu humano primariū obiectum, & primaria intentione concupitum esse illud quod habet se vt finis, secūdarium vero & secundaria intentione concupitum, quod quæritur in ordine ad illum finem: sed vtrunque reuera volitum.

Obseruemus tertio, in his etiam quæ nec pretio æstimantur, nec pretio facienda sunt, sunt tamen nobis libera & volūtaria, & quę possumus agere & non agere, duo licēre nobis in conscientia, Inprimis, possumus recipere in eis aliquam vtilitatem tēporalem duplici conditione seruata. Prima vt illa acceptio sit secundum se honesta. Secunda vt non vitietur aliqua circunstantia ex parte dantis, vel accipientis, maxime circunstantia finis, sed eo fine accipiatur propter quem talis acceptio est instituta. Exēplum est D. Tho. quod. 8. art. 11. Clericus ingrediens chorum vt Horis Canonicis assistat, præcipue ob cultum Dei, & secundario ob distributiones, tuta conscientia potest illas accipere: quia hæc acceptio secundum se honesta est, cum sit instituta ab Ecclesia ad sustentationē Clericorum, iuxta illud Christi *Dignus est operarius mercede sua*, accipiat que illas Clericus in eum finem, nempe, nō vt pretium officij diuini, quod non est pretio æstimabile, sed vt stipendiū sibi ab Ecclesia taxatum suæ sustentationis. Et hoc primum est certissimum, & consensus totius Ecclesiæ.

Secundo. Cum hæ actiones vt supponimus liberæ sint & voluntariæ, & quas exercere possumus & non exercere, & acceptio illius vtilitatis temporalis secundum se honesta sit, & cum debito fine accipientis, possumus etiam tuta conscientia illam vtilitatem ita expetere, vt parati simus ea interueniente actiones illas præstare, ea vero deficiente omittere: nec propterea talis vtilitas ita à nobis expetita, & expectata est causa præcipua efficiens, vel obiectū nostrę actionis, sed velut causa determinans, & sine qua non.

(V. g.) possum ducere hanc in vxorē & possum nō ducere: quia accipere dotem ad leuanda onera matrimonij est acceptio honesta, & instituta iure gentium in hunc finem: possum tuta conscientia ita expetere dotem, vt deliberē, si mihi hęc dos exhibeatur, ducam illam, sin minus nō ducam: Quia ego nō expeto dotem, vt pretium matrimonij, vel mei consensus, neque illa est causa præcipua, qua moueat ad nubendū, sed conditio determinans, & causa sine qua non, quæ cum honesta sit, possum illam apponere actioni liberæ nubendi, vel non nubendi, & respiciendo finem in quem dos instituta est, nempe ad leuanda onera matrimonij. In actionibus enim liberis posse adhiberi conditionem honestam tanquam causam sine qua non, constat satis. De conditionibus appositis per varia capita.

Similiter quia in ingressu Monialium liberum est conuentui recipere hāc puellam in mo-

in monialem vel non, cũ ad sustentationem eius sit necessaria aliqua dos, honestum est illam exigere, & accipere, non pro ingressu religionis, sed ad illius sustentationem, & consequenter potest apponi hæc conditio, tanquam honesta, suscipiam illam si tradideris hanc dotem.

Similiter cum sit liberum Clerico adire chorum, vel domi suæ recitare officium diuinum, accipere vero distribuitiones ad propriam sustentationẽ sit actio honesta, licet illi ita expetere istas distributiones, vt nisi ipsi essent conferendæ non iret in chorum: quia ipse non expetit illas vt pretium officij diuini, neq; in officio habet ipsas pro fine & causa precipua, quin potius Dei cultum & gloriam, sed sunt sicut causa determinans cur officium illud quod domi suæ recitare poterat, recitet in choro. vnde est velut conditio apposita liberæ actioni, quę cum honesta sit modo explicato, apponi potuit; Conditiones enim honestas possumus liberis actionibus ita apponere, ac ita illas intendere, vt eis sublatis tales actiones non exerceremus. Ita videmus Ecclesiã ipsam orationes, processiones, ieiunia, & similia opera pia iniungere sæpe fidelibus propter aliquã necessitatem temporalem, & intuitu rei tẽporalis pluuiæ, victoriæ, salutis, &c. ita vt nisi illo bono tẽporali ægeret nihil tale tũc prestaret. Quod propterea licet, qui orationes istæ, & præces sunt liberæ, illasq; refert in Dei cultum vt præcipuum finem, exoptat vero illa temporalia tanquam causam sine qua non, & conditionem determinantẽ; quia cum velle victoriã, salutem, &c. honesta sint; honestam conditionem actioni liberæ potuit apponere, non vt finẽ & causam præcipuam, sed velut causam sine qua non.

Obseruemus vltimo, intendere, vel sperare lucrũ secundum se non esse malum, nisi illud vitietur ex circũstantia, vel modo, quo intendatur haberi: sicut famulum Episcopi intẽdere beneficium, secundũ se non est malum, nisi vitietur ex modo quo intẽdat illud obtinere. Qua de causa sicut famulus Episcopi intẽdens beneficium tanquã mercedem, & stipendium suorũ laborum est Simoniacus, intendens autem illud ex beneuolentia Episcopi agnoscentis illius merita immunis est ab omni prauitate simoniæ: ita mutuãs intendens lucrum vt mercedem mutui, & propter ipsum mutuum est vere vsurarius, intẽdens vero illud ex sola & libera gratitudine mutuatarij, cognoscẽtis beneficiũ quod à mutuante recipit, immunis etiã est ab omni labe vsuræ. Vnde aliud est intendere vel quærere lucrum in mutuo, aliud vero quærere lucrum ex mutuo: Nã quærens lucrum in mutuo, potest illud querere via honesta, nempe ex amicitia, & beneuolentia mutuatarij: quærens vero lucrum ex mutuo, quærit illud vi mutui & per mutuum, quæ via aperte est vsuraria.

His positis sit prima conclusio.

Mutuans cum spe aliquid recipiendi extra sortem vi mutui, & tanquam sibi debitum ex obligatione ciuili propter mutuum, est reuera vsurarius mentalis, siue primaria intentione, siue secundaria ita speret lucrum illud.

Hæc conclusio est Caiet. in opusculo illo de vsura q. c. Conradi, & Medinæ locis citatis pro vt à nobis dum illorum opiniones recensebamus mẽs ipsorum explicata est, Soti lib. 6. de Iustitia q. 1. art. 2. Et si in primo varius videatur, & omnium recẽsiorum. Habet ergo hæc prima conclusio, quotiescunq; mutuans sperat lucrũ ex vi mutui, siue mutuaret habens talem spem, siue non, siue ex sola illa spe moueatur ad mutuandũ siue vnà cũ illa spe adducatur etiam ex amicitia, quacunq; ratione sese habeat, modo speret lucrum ex mutuo vt certum & sibi debitum ex obligatione ciuili, illum esse vsurarium mentalem.

Et præter argumenta illa quibus probatur Secundũ dictum Caiet. probatur etiam apertissime. Primo, Actus humani tã studiosi, quam mali non sumunt speciem, & denominationẽ ex intentione primaria, vel secũdaria, sed ex suo proprio & formali obiecto quod respiscit & intendit agens, obiectum proprium & formale vsuræ est lucrũ ex mutuo & vi mutui: Ergo sperans & intendens illud ex mutuo, quacunq; ratione sese habeat, est vere vsurarius.

Secundo, qui exterius accipit pecuniam, aut aliquã commoditatem vi mutui, est vsurarius realis, ergo qui mutuat cũ spe lucri interius cõcepta ex mutuo, & vi mutui, est vsurarius mentalis. Probo consequẽtiam, quia sicut se habet actus exterior ad denominationem realem & externam, ita actus interior ad interiorem & mentalem, quidquid sit de primaria vel secundaria intentione. Et cõfirmatur a definitione vsuræ, Vsura est lucrum ex mutuo, & vi mutui: ergo quicunq; intendit lucrum ex mutuo & vi mutui est vsurarius, non realis & exterior, cum non interueniat pactum aliquod, quod (vt constat) desideratur ad vsurã realem, ergo mentalis & interior.

Tertio, Omnium consensu, sicut in spiri-

tualibus committitur simonia, vbi beneficium vel aliquid spirituale, quod cõfertur, non confertur gratis, ita in mutuo committitur vsura, vbi mutuum non confertur gratis; sed qui mutuat intendit lucrum extra sortem ex mutuo, tanquam ex obligatione ciuili, etiam si vna cum tali spe & intentione adducatur quoq; ex amicitia, non mutuat gratis, sed propter illud lucrum; ergo exercet vsuram, non realem quia deest pactum, ergo mentalem.

Quarto, sicut voluntas peccandi est peccatum interius, eiusdem speciei cum peccato externo, quod respicit illa voluntas, vt voluntas occidẽdi est homicidium interius, & mentale, ita voluntas accipiendi aliquid ex mutuo, & vi mutui, & tanquam ex obligatione ciuili est proprie & vere vsura mẽtalis; sed qui mutuat habens spẽ recipiendi lucrum ex mutuo, vel vi mutui, quacũq; intentione habeat hanc spem, reuera habet illam voluntatem recipiendi lucrum ex mutuo, ergo est reuera vsurarius mentalis.

Quinto, qui furatur vt fornicetur, licet primo & per se intendat fornicari, & secũdario furari, nihilominus vtrumq; committit, & furtũ & fornicationem: Et similiter qui misertus pauperis confert illi eleemosynam, vt primo & per se satisfaciat per illam pro peccatis suis, & secundario vt illius indigentiæ subueniat, vtrumque actũ exercet, & iustitiæ, & misericordiæ; ergo similiter qui mutuat amico primo & per se ex amicitia, sed vna cum hac beneuolentia intendens lucrum ex illo mutuo, etsi secundario intendat lucrum, eo tamen ipso quo intendit illud ex mutuo, cõmittit vsuram.

Denique Christus seruator noster dicens: *Mutuum date nihil inde sperantes*, idem omnino est, (si verba ista recte considerentur) ac si diceret, *Mutuũ date nihil ex mutuo sperantes*, hoc enim est mutuum dare, & inde aliquid sperare, sperare Ex mutuo: in istis autem verbis vt art. præced. vidimus damnat Christus omnem vsuram; ergo sperare aliquid ex mutuo quacunq; intentione speret illud mutuans, siue primaria, siue secundaria, siue interueniente pacto aliquo, siue secus, continet iniquitatem vsurę. Et in hoc sensu adducit Vrbanus Tertius ista verba Christi in illo Cap. Consuluit. De vsuris. Definitq; vsurarium esse illum. *Qui eo proposito mutuam pecuniam credit, vt licet omni conuentione cessante, plus tamen sorte recipiat.* Quasi dicat: *Illum, qui, vt recipiat aliquid vltra sortem, mutuat,* particula enim illa, vt, dicit causam finalem, & intentionem principalem lucrandi ex mutuo.

Secunda conclus. *Mutuans sub spe alicuius lucri, vel vtilitatis recipiendæ: non ex vi mutui, nec tanquam ex obligatione ciuili, sed ex sola gratitudine, non est vsurarius.*

Hanc probant argumenta quibus confirmatur tertium illud dictum Caiet. Et probatur præterea sequentibus.

Primo, Ex diffinitione ipsius vsuræ: Vsura enim est lucrum ratione mutui ex debito ciuili, & cum obligatione tanquam ex iustitia; at in hoc casu mutuans neque sperat, neq; expetit lucrum aliquod ex aliqua obligatione, sed ex sola honestate gratitudinis: Ergo.

Secundo, Vsura est peccatum contra iustitiam; at sperare gratitudinẽ, & effectus eius nulla est iniustitia: quia vbi nulla est ratio debiti aut obligationis iniquæ, nulla est iniustitia. Et confirmatur quia qui ita sperat ex sola gratitudine, sperat illud omnino voluntarie & libere, vbi autem tale voluntarium interuenit nulla est (vt vidimus) iniuria, aut iniustitia, iuxta illud cõmune proloquium & axioma omnium Philosophorum, & Theologorum: *Nullus patitur iniustum volens.*

Tertio. Si sublato omni mutuo speret Petrus à Ioanne amico suo illas commoditates & bona, quæ veri amici ex honesta beneuolentia amicis suis præstare solent, nullum peccatum vel iniquitatem censeretur Petrus ex tali spe incurrere, at ex eo quod mutuet Ioanni ea quibus eget gratis, & amice, non redditur per tale beneficium peioris conditionis, ergo quod mutuet illi cum tali spe, recipiendi ab eo ex sola beneuolentia, & gratitudine, quæ verè amici amicis suis præstare solẽt, non est censendus iniquitatem vel vsuram incurrere.

Et confirmatur. Quemadmodum se habet acceptio lucri in opere, ita spes lucri in animo; sed qui actu recipit lucrum aliquod á mutuatario amico, non ex mutuo, sed ex mera liberalitate donantis, non est vsurarius realis, & exterior: ergo neq; spes recipiendi aliquid, non ex mutuo, sed ex sola gratitudine & liberalitate mutuatarij, gratis ac omnino libere illud collaturi, erit vsura mentalis.

Quarto. Cum mutuans sperat lucrũ ex mutuo tanquã ex obligatione ciuili, propterea committit peccatum vsuræ; quia non mutuat gratis, at vbi speret lucrum ex sola liberalitate, & gratitudine, sine vlla obligatione ciuili, mutuat gratis: ergo ibi nulla est vsura.

Quinto.

Quinto. Mutuatarius, vt dicunt Canonistæ, à quibus illud etiam accipiunt Theologi, naturaliter obligatur ad Antidota, id est, ad referendam gratiam benefactori: Quod si ad id obligatur, cur non licebit mutuāti sperare id, ad quod alter naturaliter obligatur? ac ita vt nisi illud speraret, non mutuaret.

Sexto. Si Petrus debeat Ioanni 10. quę ab illo non potest cōmode recuperare, potest mutuare Ioanni sub ea cōditione, vt restituat illi simul & quæ tunc mutuat, & illa 10. quæ iam antea debebat, vbi nulla est vsura, quia nō postulat in hoc casu Petrus à Ioanne vltra sortem ei mutuatam illa 10. ex vi mutui, sed quia iam ipsi erat vere debita: sed mutuatarius debet ex gratitudine mutuanti benefactori suo, quæ amici amicis sibi benefacientibus ex gratitudine præstare solent, ergo potest illa ex amicitia, & gratitudine, absque vlla vsura sperare.

Septimo. Fingamus postulare mutuo à Petro duos vicinos illius Ioannem scilicet & Paulum 100. aureos, Petrum vero mutuare illos Ioanni, quia nouit futurum sibi gratum, minime vero Paulo, quia nouit illum ingratum. In hoc casu nullus est qui damnet Petrum alicuius iniquitatis, vel vsuræ; imo commendet plurimū illius prudentiam & æquitatem, adeo vt oppositum repugnaret profecto rectę rationi: ergo licebit mutuare cum ista spe.

Denique licet vnicuiq; sperare solutionem debiti sui, secundum rationem & naturam illius debiti, ita vt si debeatur illi aliquid ex iustitia, speret illud recipere ex iustitia, & obligatione, qua ratione sperat operarius & recte stipendium & mercedem laboris sui tanquam ex debito, & obligatione ciuili, quia debetur illi ex iustitia: Quod si non debeatur ex iustitia, sed ex honestate sola & gratitudine, licet illud ea quoq; ratione sperare, ex honestate scilicet & gratitudine: Sed mutuatarius pro accepto beneficio à mutuāte debet illi beneuolentiam, & gratitudinem, & ea obsequia quę viri honesti & grati solent suis benefactoribus reddere; ergo licite, & iuste, & absq; vlla labe vsuræ poterit mutuans hanc gratitudinem, & illius effectus à suo mutuatario sperare.

Hæc est aperta sententia D. Thom. in quæstionibus de Malo q. 13. art. vlt. ad 13. vbi docet licere mutuanti sperare aliquid ex gratitudine recipiendum. Et in hoc art. conclusione secunda, vbi affirmat licere recipere donum gratuitum, quod si licet recipere, licet quoq; illud sperare, ac expetere, vt cum Caiet. argumentati sumus. Ex conclus. etiam tertia idem licet colligere, habet enim illa, licere mutuare sub spe assequendæ amicitiæ, & gratiæ alterius. Vnde sic argumentor, sperare amicitiam, & beneuolentiā & sperare effectus amicitię, vt gratuita, & amicabilia bona, sunt eiusdem omnino rationis, cum non sit amicus, qui non præstet opera amici; ergo sicut licet sperare amicitiam & gratitudinem, ita & remunerationem gratam & beneuolam. Eandem sententiā videntur etiam aperte habere Almayn. in 4. Dist. 15. q. 2. & Gabriel Ead. Dist. q. 11.

Addo hæc ita expectari posse, vt liceat etiam mutuanti ita sub ea spe mutuare, vt alias non esset mutuaturus: Quia vt docuimus, In actionibus liberis licet apponere cōditionem honestam, ita vt ea deficiente, non fieret neque exerceretur talis actio, mutuare est actio libera, expectare aliquod lucrum ex gratitudine est conditio honesta, licet ergo ita mutuare sub hac spe, vt ea deficiente non mutuaret.

Tertia conclus. *Non solum licet mutuantē intendere lucrum ex beneuolentia, & amicitia, tanquam effectum eius, & quid illam consequens, verumetiam vt finem præcipuum ipsius amicitiæ, & propter quem illam curauerit mutuans, acquirere.*

Hæc conclusio est contra Conradum, & Medinam, qui quamuis conueniant nobiscum & cum Caiet. in præcedentibus conclusionibus, affirmantes (vt vidimus) mutuantem cum spe lucri ex ipso mutuo & vt lucri sperati & intenti esse vsurariū, mutuantem vero cum spe lucri ex beneuolentia tantum & gratitudine sola recipiendi aliquid non esse vsurarium.

Addit tamen Medina, vbi mutuans amicitiam & beneuolentiam mutuatarij, quam per mutuationem illam sibi conciliare nititur, refert vt medium in lucrum tanquam præcipuum finem: tunc lucrum esse intentum & sic mutuantem, esse vsurarium: Adductus ratione illa, Quia cum ex Aristot. *Propter quod vnum quodque tale, & illud magis tale,* consequenter qui mutuat propter amicitiam, amicitiam vero intendit propter lucrum, à primo ad vltimum mutuat reuera propter lucrum & ita est vsurarius, cum vsuræ propria definitio & ratio sit, mutuare propter lucrum.

Similiter Cōrad. in q. illa 29. conclus. 2.

 vsura-

vsurarium iudicat eum, qui ita mutuat propter beneuolentiam, vt non sistat in illa, sed illam referat ad temporalia tanquam in finem, vt ea mediantem lucretur. Quod probat. Primo, quia sic mutuans reuera mutuat cum intentione recipiendi temporale bonum extra sortem, & ex consequenti illud temporale à se intentū & speratum est causa finalis, & præcipua illius mutuationis, in quo consistit iniquitas & ratio vsurę.

Secundo, cum triplex sit amicitia, vtilis, delectabilis, & honesta, honesta virtus est, & nullo pretio æstimabilis, vtilis vero non est virtus, sed quid pretio æstimabile sicut quæuis alia humana vtilitas: Vnde qui mutuat propter amicitiam referens illam in lucrum, vt finem illius, mutuat profecto propter rem pretio æstimabilem & intendit reuera rem pretio æstimabilem ex illo mutuo: at qui mutuat propter rem pretio æstimabilem, intendens illam ex mutuo, est vsurarius: ergo qui ita intendit amicitiam ex mutuo, vt non sistat in ea, sed vlterius referat eam in lucra temporalia, censendus est vsurarius.

His tamen non obstantibus conclusio posita est vera, quotiescunq; mutuans non intendit lucrum, quod sperat ex ipso mutuo, & tamquam ex obligatione ciuili natā ex mutuo, sed solum ex amicitia illa & gratitudine, ad quā tenetur mutuatarius propter seipsam, sed propter cōmoditates quas ex illa sperat, non committi vsuram.

Quod vt magis intelligatur, obserua amorem ab omnibus tam Philosophis quam Theologis duplicem constitui, beneuolentiæ, & concupiscentiæ, priori amamus proximum propter se ipsum, optantes illi bona, qui amor est vere amicitia, quam vocat Conrad. honestam: posterior vero est, cum amamus fratrem propter nos ipsos, referentes illius amicitiam ad proprias commoditates, qui amor dicitur & recte à Conrado amicitia vtilis, Qui duo amores & amicitiæ, licet sic inter se distinguātur, vt prior illa sit virtus, & honesta, posterior vero nō sit virtus, sed concupiscentia quædam humana, non tamen propterea desinit qui alium amat amore cōcupiscentiæ, amicitiam illius expetens in propria commoda, vtilitates, quas ex illius amicitia quęrit, sperare & intendere ex amicitia (V. g.) nititur Petrus conciliare sibi Ioānem in amicum, non propter ipsum, eo quod vir honestus sit, & dignus qui ab omnibus diligatur, sed vt recipiat ab eo vtilitates, quas solet ille amicis suis afferre, adeo vt in eas referat omnē illam amicitiam, nec illam curaret nisi propter illas commoditates: amor hic Petri erga Ioannem non est vere amicitia, sed concupiscentia, at nihilominus commoditates istas non expectat Petrus nisi ex amicitia & beneuolentia Ioannis.

Quo posito probatur proposita conclusio eisdem fere argumentis quibus proxime præcedens. Primo, cum vsura sit formaliter & intrinsece iniustitia, vbi nulla interuenit iniustitia, neque potest reperiri vsura; sed mutuans vt comparet sibi amicitiam alterius, cum hac intentione, vt ex amicitia illius recipiat lucrum, ordinans amicitiam illam in lucrum, sed ita vt non speret illud ex mutuo, sed ex ipsa amicitia, nullam committit iniustitiam, ergo neque vsuram. Probatur minor: Qui vult mutuum ex amicitia mutuatarij, nulla ad tale lucrum habēdum vtitur vi aut dolo, sed cū ex amicitia illius lucrum illud speret, libere & voluntarie sperat illud accipere, vbi vero sine vlla vi & dolo recipitur aliquid, vel creditur recipiendum ab alio libere & voluntarie illud conferente, nulla interuenit iniustitia, vt constat ex illo principio: *Scienti & cōsentienti sine vlla vi, aut dolo nulla fit iniuria*; ergo mutuās in casu huius tertiæ conclusionis nulla vtitur iniustitia.

Secundo, qui sperat ex beneuolentia lucrum, non vt finem, sed vt effectum honestum gratitudinis, vt habet secunda conclusio, in qua conueniunt etiam (vt diximus) Conrad. & Medina, propterea non est vsurarius, quia non sperat illud ex mutuo, neque tamquam ex obligatione ciuili, sed ex ipsa amicitia & gratitudine: at quod Petrus mutuet Ioanni intendens amicitiam eius, non propter se, sed propter commoditates, vt finem illius amicitiæ, non propterea desinit sperare illas ex amicitia, & non ex mutuo, vt supponimus & constat ex obseruatione posita: ergo hic non est vsurarius.

Et confirmatur: Quia licet mutuans de quo secunda conclusio & mutuans de quo hæc tertia, in eo differant, quod prior ille intendit amicitiam mutuatarij propter se, lucrum vero non vt finem, sed vt quid illam consequens ex mera liberalitate & gratitudine mutuatarij, mutuans vero de quo hæc tertia conclusio nō intendat amicitiam propter se ipsam, sed propter lucrum, quod sperat illa mediante recipere, nihilominus neuter eorum sperat lucrum vel intendit lucrum

crum ex mutuo, sed ex amicitia illa, vnde neuter eorum est censendus vsurarius.

Denique qui recipit mutuum tenetur gratitudinem mutuanti exhibere, vt habet hic D. Thom. in corp. art. & in solutione ad 5. & infra q. 106. art. 1. ergo qui mutuat, poterit similiter sperare illam gratitudinem, ac vtilitates ex illa recipiendas intendere primo & per se, non tanquam ex mutuo, sed tanquam ex ipsa gratitudine & ea mediante.

Eandem sententiã censendus est habere Nauar. cap. 17. num. 209. quia ibi solum damnat de vsura intentionem principalem, & primariam accipiendi lucrum ex mutuo: In casu vero huius tertiæ conclusionis, qui ita intendit lucrum, intendit quidem illud in mutuo, non tamen ex mutuo, vel vi mutui, sed ex amicitia, quæ vt vltima obseruatione admonuimus maxime differunt. Verba enim Nauarri sunt: *Cum communi asserimus, quod tam principaliter quam secundario possumus sperare lucrum amicitiæ, & lucrum ex amicitia.* Et in commento illius cap. primi 14. q. 4. quamuis num. 19. videatur declinare in illam opinionem Syluestri, deinde tamen num. 25. quæ sit intentio principalis, & quæ minus principalis explicat longe aliter quam Syluester: asserens principalem esse, cum sperat quis lucrum ex mutuo, minus principalem cum sperat illud ex amicitia, è quibus sentit non esse vsurarium sperantem lucrum in mutuo intentione minus principali, id est ex amicitia.

Sunt qui existimẽt opinionem illam Syluestri & Canonistarum cõciliari etiam posse cum sententia Caiet. & Theologorum, hac ratione, vt dicamus: Syluestrum per intentionem primariam intelligere quoq; lucrum ex mutuo, per secundariam lucrum ex amicitia: qua ratione intellectus Syluest. certe non differt à Caietano, quomodo videtur Nauar. velle illos conciliare num. 21. Sed reuera Syluester primariã intẽtionem vocat, cum quis mutuat sub spe lucri, aliter non mutuaturus, secundariam vero cum ita mutuat sub ea spe, vt ea deficiente nihilominus mutuaret: sicut initio huius conc. exposuimus.

Sed quidquid sit de vocibus istis, sententia Caiet. & communis Theologorum verior multo est, sicut ex conclusionibus hîc positis abunde constat.

Argum. vero illud Medinæ nullam habet vim, quia esto mutuans ad comparandam amicitiam, referat illam in lucrum tanquam in finem, & ea mediante intendat lucrum, non tamen intendit illud ex mutuo, in quo tota ratio & iniquitas vsuræ consistit, sed ex amicitia, quod rectè licet.

Eodem modo soluuntur argumenta Cõradi. Ad Primum enim dico, mutuantem propter lucrum mediante amicitia, esto lucrũ habeat vt causam finalẽ & præcipuam, nihilominus cum illud non speret ex ipso mutuo, sed ex amicitia non esse vsurarium.

Ad Secundũ similiter respondeo, mutuãtem propter amicitiam vtilem non appetere illam vt lucrum temporale recipiendum ab ipso, ex mutuo, neque tanquam ex aliquo debito, vel obligatione, sed ex illa amicitia, liberè & voluntariè à mutuatario sibi conferendum.

Quarta conclusio. *Mutuans absque vlla labe vel iniquitate vsuræ potest ita mutuare sub spe recipiendi lucrum ex amicitia, & gratitudine, vt nisi illud speraret non esset mutuaturus.*

Hæc est contra Syluest. & Canonistas quos ille sequitur. Et Probatur. Ex tertia obseruatione posita, In actionibus liberis, ita licet apponere conditionem honestam, vt ea deficiente non fieret neque exerceretur talis actio; mutuatio est actio libera, expectare aliquod lucrum ex gratitudine est conditio honesta; licet ergo ita mutuare sub hac spe, vt ea deficiente mutuum illud non exhiberetur.

Secundo, quod est vsura in mutuo, est simonia in beneficiis & rebus spiritualibus, at si famulus Episcopi sic esset affectus, vt non seruiret illi, nisi expectaret ab eo beneficium, non in mercedem vel stipẽdium sui seruitij & obsequij, sed ex beneuolentia & gratitudine, non esset Simoniacus; ergo similiter qui ita mutuaret sub spe lucri, non ex mutuo sed ex amicitia, vt aliter non mutuaret, non esset censendus vsurarius.

Dixi in primo argumento mutuum esse actionem liberam absolute & simpliciter, quia accidere potest, vt ex circunstantia, nempe indigentia, extrema vel graui postulantis mutuum, sit debita ex charitate, quo casu, qui potest, tenetur illi mutuare, non quidem ex iustitia vel debito ciuili, sed ex charitate. Quamuis tamen propter extremam illam indigentiam fratris teneatur illi ex charitate mutuare, cum tamẽ mutuum quacunq; ratione fiat, sit beneficium, cui debetur naturaliter gratitudo, potest mutuãs expectare eas commoditates ab illo recipere, quas æquum est virum honestum suo

benefactori exhibere.

Ex hac conclusione sequitur, non recte expli asse Syluestrum quæ sit in mutuo primaria seu principalis intentio, quæ vero secundaria & minus principalis. Constat enim aliter voces istas accipiendas esse, quam ab ipso, vt initio huius controuer. retulimus, explicantur.

Argumenta vero illius facile ex dictis soluuntur. Constat enim iam ad primum, seruientem Episcopo sub spe recipiendi ab illo beneficium aliquod, si quidem speret illud recipere in stipendium & mercedem sui seruitij, tanquam ex debito & obligatione ciuili Simoniacū esse: quia hic perinde se habet, ac si niteretur suo obsequio beneficium illud emere: quod si non speret illud recipere ex debito, sed ex gratitudine & beneuolentia, qua debet Episcopus in illum affectum esse, quod maxime licet, nullam committere simoniam, etiam si illi non inseruiret nisi talem spem de eo concepisset. Eodem modo non est Simoniacus, Clericus qui non expetit distributiones, vt pretium officij diuini, sed tanquam stipendium ab Ecclesia institutū ad ipsius sustentationem, aliter non aditurus chorū. Nec qui ita celebrat, vt non celebraret nisi speraret stipendium: quia non suscipit nec expectat illud, vt pretium sacrificij Missæ, sed vt stipendium victui suo necessarium. Quia cum conditio hæc honesta sit, apponere illam potest actioni quam libere exercet, ita vt ea deficiente talem actionem non exerceret, nec aliud docent textus illi qui à Syluestro afferuntur.

Huic controuersiæ hæc alia proxima est, & affinis.

Controuersia. II.

AN LICEAT MVTVANTI *explicare mutuatario se sperare illum sibi futurum gratum, & præstaturum opera, & effectus gratitudinis.*

HAEC quæstio difficilis est & anceps, continetque multa capita: Etenim cum effectus gratitudinis varii sint, quidam eorum qui consistunt in sola voluntate, & affectu interiori animi, vt beneuolentia & amicitia, alij uero in effectu & opere externo, vt cōferre alicui dignitatem aliquam, vel beneficium, orare pro illo apud Principem, vel potentem, esse illi aduocatum in aliqua causa, cessare a lite, quæ cum eo habetur, remittere illi aliquam iniuriam, vel damnum acceptum, & pœnam vel compensam illi debitam, mutuare vel accommodare illi pecuniam aut ea quibus indiget, & similia. Hæc varietas effectuum gratitudinis occasionem obtulit DD. varia sentiendi.

Ioan. Cald. vt refert Angelus verb. vsura primo. num. 2. docet in cap. Final. de Vsur. licere mutuare ad obtinendos effectus internos gratitudinis, nēpe ad captandam beneuolentiam & amorem mutuatarij, & consequenter licere hoc exprimere, vt sæpe fit mutuante dicente: Gaudeo hanc mihi oblatam esse occasionem, vt me posthac habeas tibi amicum, & ego te vicissim: Ita vt intentio mutuantis non progrediatur vlterius, sed in hoc tantum effectu sistat, qui est captare amicitiam & amorem mutuatarij. Quod si vlterius se extendat esse illicitum tale mutuum, vnde dicit: Mutuare non solum ad captandam amicitiam, verū etiam vt illam consequutus, recipiat deinde ab illo mutuatario beneficium aliquod vel dignitatem, aut vtilitatem aliquam temporalem esse vsuram, & ex consequenti exprimere illud. Quia si iuxta Calderinū non potest haberi alia spes quam captandæ amicitię, ita vt in ea sit omnino sistendum, non licet mutuanti indicare exterius se habere spem recipiendi aliquos effectus externos gratitudinis. Ratio huius opinionis est, Vsura est velle vltra sortem aliquid pretio æstimabile: qui per mutuum solam amicitiam intendit acquirere, cum amicitia non sit res pecunia æstimabilis, cōsequenter non vult vltra sortem aliquid æstimabile, & sic non exercet vsuram: qui vero per mutuum intendit alios effectus gratitudinis, nempe externos, vult vltra sortem aliquid pretio æstimabile, cum effectus illi externi, quos recensuimus pecunia æstimabiles sint, propter illos igitur mutuans vsurarius est, maxime si illud exprimat.

Angelus eodem loco. num. 4. quem sequuntur Adria. in 4. tractatu De vsura in solutione 4. & Carol. Moline. De cōtract. Tract. De vsura num. 27. recedit ab ista sententia Calderini, dimissaque parte illa, quę pertinet ad effectus internos, vt amicitiam & beneuolentiam, in qua omnes DD. cōueniunt, posse illam expeti & postulari extra omnem labem vsuræ: Circa externos effectus sic distinguūt: Hæc inquit beneficia quæ mutuatarius ex gratitudine debet præstare

præstare mutuanti, bifariam potest illi præstare, aut simpliciter quotiescunque ille postulauerit, siue multum illis indigeat siue non, tumetiam siue mutuatarius illa commode præstare possit siue non: Aut secundo modo, non quotiescunque mutuans illa postulabit, sed quando eo tempore & occasione, vt mutuatarius etiam si nullum beneficium ab illo mutuante accepisset, iure naturæ & ex charitate teneretur illa præstare, eo quod mutuans grauiter vel extreme tunc illis indigeat, & mutuatarius facile, & commode, ac sine vllo damno suo illa tunc præstare potest, quod genus beneficiorum, quibus vnus extreme indiget, alter vero commode præstare potest, vocant DD. Anthidota, sumpta metaphora à medicamentis, quæ dicuntur Anthidota quasi remedia contra damna infirmantium.

Hac ergo distinctione proposita dicunt Angelus & Andria. Mutuantem qui significat exterius mutuatario se expectare ab eo effectus istos gratitudinis, veluti quod illi remutuabit, quod pro ipso orabit apud Regem, & similia, simpliciter & absolute, quotiescunque ipse postulabit, ita vt hæc ducat in pactum esse vsurarium: Mutuantem vero, qui illa exprimit quidem & ducit in pactum, sed cum illis conditionibus, quando ipse grauiter vel extreme indiguerit, & mutuatarius commode præstare poterit, non esse vsurarium. Citatq; Angel. in suam sententiã Glossam in Cano. Si fœneraueris. Et Panor. in Cap. significasti. De Electio.

Ratio horum est. Vsura est, quando extra sortem exigitur aliqua noua obligatio pecunia æstimabilis; quando mutuans exigit & ducit in pactum, vt teneatur mutuatarius præstare illi ista beneficia & effectus gratitudinis simpliciter, & absolute, ac sine illis conditionibus, imponit illi nouam obligationem, ad quã ille non tenebatur, quæ obligatio est pecunia æstimabilis: Quando vero mutuans solum exigit & ducit in pactum, vt teneatur mutuatarius ad istos effectus & beneficia, cum illis conditionibus, veluti quando ipse extreme vel grauiter indiguerit, mutuatarius vero illa commode ac sine damno suo exhibere poterit, nullam imponit illi nouam obligationem, sed solum declarat ei obligationem, ad quã iam ipse omni iure tenetur: ergo in priori casu committit vsuram; in posteriori vero nequaquam. Maior certa est: Minor patet, quia nemo tenetur in quouis euentu, & quotiescunque frater postulauerit, ista beneficia ei præstare, sed quando existit ingraui, vel extrema extrema necessitate, & alter commode potest: Vnde obligare illum in quocunq; euentu, & sine tali necessitate, est nouam obligationem illi imponere, obligare vero illum quando mutuans extreme indigebit, & ipse commode poterit, non est imponere illi aliquam nouam obligationem, sed indicare solum illam, ad quam iam tenetur iure naturæ & ex charitate, & quæ non est pretio æstimabilis.

Eandem sententiam amplectuntur Hostien. in summa. Verbo. Vsura. §. fina. Cardin. & Ioan. de Anania. in Cap. Cõsuluit. De vsuris, & nonnulli alij. Confirmatq; illam Iacobus Vngarellus Angeli Scholiastes loco citato; Quia vsura solum committitur, quando mutuans aliquid sperat, vel exigit tanquam ex debito vel obligatione ciuili, at quando mutuans solum exigit a mutuatario Anthidota, id est beneficia illa cum illis conditionibus appositis, vbi ipse grauiter indiguerit, & mutuatarius commodo de illa præstare poterit, non exigit aliquid tanquam ex debito vel obligatione ciuili, sed solum tanquam ex obligatione naturali & debito charitatis: ergo non est vsura exigere ab aliquo ea, ad quæ iure naturali & ex charitate tenetur.

Secundo, potest mutuans accipere a mutuatario dona gratuita ex mera liberalitate illius, rationemq; reddimus, quia potest illa accipere etiam si non mutuasset, nec per mutuũ redditus est mutuans deterioris conditionis: sed potest Petrus sine vllo mutuo exigere a Ioanne, vt cum in extrema necessitate constitutus fuerit, conferat in eũ beneficia quibus tunc indiguerit, & quæ Ioannes illi commode præstare poterit: ergo cum per mutuum non sit redditus deterioris conditionis, poterit etiam vbi mutuat, eadem ab illo sub istis conditionibus exigere.

Deniq; commune proloquium est, & tanquam axioma inter antiquos Iurisperitos receptum, mutuantem posse exigere a mutuatario Anthidota, maxime cum illis conditionibus explicatis.

Caiet. iuxta nonnullos censetur in hac parte aliquomodo varius, nam in commento huius art. constituit duas regulas quas colligit ex D. Tho. Prima est.

Expetere propter mutuum aliquid pecunia æstimabile, vt debitum ex obligatione, seu pacto tacito, vel expresso, est vsura.

Altera

Altera est.

Expetere, vel exigere propter mutuum beneuolentiam, & quodcunque vt ex beneuolentia debitum, non est peccatum, sed licitum.

Has regulas non probat Caiet. sed vt certissimas proponit ex doctrina D. Thom. Quia si vsura iuxta D. Thomam est expetere, vel exigere aliquid temporale, & æstimabile pretio ex vi mutui, & debito ciuili, vsura vero non est, quando, nihil tale exigitur vt ex debito ciuili, sed ex honestate sola gratitudinis, consequenter iuxta ipsum verissimæ censendæ sunt istæ regulæ.

Quibus positis colligit ex eis Caiet. vsurarium esse illum, qui ita mutuat vt exprimat mutuatario beneficia quæ ab illo expectat se recipere, & ducat illa in pactũ, quia eo ipso, quo ita illud exprimit, & ducit in pactum, expetit & exigit illa ex debito & obligatione ciuili, in quo consistit iniquitas vsuræ. Vnde qui mutuat principi, ducẽs in pactum vt conferat ei aliquod officium, vel munus, aut vt liberet eum à tributis, est vsurarius. Qui mutuat alteri ducens in pactum, vt pro ipso intercedat apud Regem vel Principem. Vel quod illi remutuabit, Aut cessabit a lite, quam habet cum ipso, & similia, est vsurarius. In art. autem præcedenti docet idem Caiet. licere mutuanti manifestare spem quam habet gratitudinis ipsius, & effectuum illius gratitudinis sine vllo pacto, quo alter obligetur, sed indicando semper se ita illa expetere, vt ex sola gratitudine vellit illa sibi præstari, non ex aliqua obligatione ciuili. Ratio est, quia tota iniquitas vsuræ consistit in eo quod est expetere, vel exigere aliquid pretio æstimabile, ex obligatione & debito ciuili: qui autem indicat mutuatario suam spem, exprimendo simul se illa expetere, non aliter quam ex gratitudine & beneuolentia, eo ipso excludit omnem obligationem & debitum ciuile, & ita nulla est ibi iniquitas vsuræ. Quod si apud graues DD. legatur non esse ista exprimenda, habent (inquit Caiet.) ita, non quia hoc sit illicitum, sed vt cautius loquantur. Etenim quia seculares & negotiatores cupidissimi, facile sua cupiditate execati, sub titulo se expectare lucrum ex amicitia & gratitudine, exercerent vsuras, & illam gratitudinem conuerterent in pactum & debitum ciuile, propterea merito DD. negare, posse istam spem exterius exprimi, & significari mutuatario. Sed revera hæc non pugnant inter se, cum hoc loco solum constituat vsuram, exprimere mutuantem spem suam ducendo illam in pactum, art. vero præcedenti affirmet licere illam exprimere sine vllo pacto, significando simul mutuatario se sperare beneficia illa ex sola tantum ipsius gratitudine, & beneuolentia.

Soto loco supra citato videtur subscribere huic sententiæ & doctrinæ Caietani, recedit tamen in aliquo ab ea. Cõstituit enim inprimis hanc regulam: Procurare per mutuum amicitiã, non solum propter amicitiã, verumetiam ita progrediendo, vt postquam mutuatarij amicitiam mihi cõciliauero, ille ex amicitia conferat mihi aliquid pretio æstimabile nullo constituto pacto nõ est vsura: Deducere vero in pactum quæ à mutuatario expectamus, si illa pretio æstimabilia sunt, vsura est. Nec distinguit Soto, inter eum, qui ita ducit in pactum spem quã habet, vt per pactum illud constituat mutuatarium deuinctum & debitorem illius promissionis tanquam ex obligatione ciuili, & eum, qui ita proponit pactum & conditionem illam, vt simul aperte exprimat se illa sperare ex sola gratitudine, & libero cõsensu mutuatarij, qua distinctione vtitur Caiet. sed in vniuersum, & in genere affirmat vsurarium esse, ducere in pactum ea quæ speramus recipere a mutuatario. Vnde iuxta Sotum vbi mutuans exprimit, & ducit in pactum beneficia quæ sperat recipere a mutuatario, siue speret illa ex obligatione, siue ex sola amicitia, committitur vsura: quia iuxta ipsum, eo ipso quo interuenit pactum, interuenit etiam obligatio, & vbi obligatio est, vsura existit.

Vtitur hoc exemplo: Mutuet quis muliercul æ, vt eius amicitiam ineat, expectans se cum illa peccaturum vbi illius amicitiam sibi conciliauerit, nullo tamẽ interueniente pacto aut obligatione, non est vsura: quia licet, quod ab illa expectat accipere pretio æstimabile sit, nempe copia corporis illius, non tamen expetit illud vi mutui, sed ex amicitia: quod si mutuet inito pacto, cum ex pacto oriatur obligatio quæ pretio æstimabilis est, esse vsuram.

Ex hac regula colligit multa Soto. Primo vsuram esse, si quis mutuet Regi, ducendo in pactum, vt conferat illi Magistratum, vel liberet eum a tributis, quia si hęc ducantur in pactum manet iam regi obligatio ciuilis, quæ pretio æstimabilis est, manetq; illi ex vi mutui, in quo consistit vsura. Secundo. Eodem modo erit vsura mutuare triticum quod habeo in loco remoto, ducen

ducēdo in pactum, vt mutuatarius illud mihi restituat domi meæ teneaturq; ad illius vecturam. Similiter mutuare pecunias ducendo in pactum, vt teneatur mutuatarius illas vel partem illarum recuperare à debitoribus, Quia istę obligationes quas sic mutuans imponit mutuario sunt pretio æstimabiles, & eo ipso quo interuenit pactum, exiguntur ex vi mutui & debito ciuili. Tertio vsura est eadem ratione, mutuare cum pacto, vt mutuatarius pro me apud Regem oret, in mea causa mihi sit aduocatus, coram me canat, vel saltat, quia omnes istę obligationes sunt pretio æstimabiles. Quarto, vsura etiam est mutuare ducendo in pactum, vt mutuatarius teneatur mihi, remutuare, aut aliqua obsequia mihi præstare, veluti accidere ad meum fornacem, ducere suum triticum ad meas molas, metere meas segetes, & similia: quia omnes istæ obligationes sunt pretio æstimabiles; & illas exigere cū pacto non est exigere ex sola gratitudine, (cum id quod gratis fit, libere fiat & sine pacto) sed ex debito ciuili, & vi mutui.

Secundo habet Soto. Exigere ex vi mutui, & ducere in pactum id quod est redimere propriam vexationem licet, nec est vsura, nisi materialis tantum & similitudinaria. (V. g.) Mouet quis aduersum me litem iniquam, postulat quod non debeo, possum mutuare illi ducendo in pactū, vt cesset ab illa lite: quia licet hæc obligatio cessandi à lite sit pretio ęstimabilis, & ego vtar mutuo ad illud obtinendum, non tamen illud expeto vi mutui, sed quia iam ad illud tenetur ille ex iustitia & debito, nec alia via possum meam vexationem redimere. Qua ratione quando alter postulat quod vere illi debeo, & iuste litigat, non possum ducere in pactum, vt cesset à lite, quia tūc obligationem istam iam non exigerem ab illo vt simpliciter mihi debitam, sed vi mutui. Similiter si quem iniuria vel damno aliquo affeci, propter quæ postulat á iudice recompēsam & satisfactionem sibi á me fieri aliqua pœna pecuniaria mihi imposita, si quidem per Iudicem sim iam condemnatus ad illam compensam & pœnam soluendam, non posse me illi mutuare ducendo in pactum, vt pœnam illam remittat, quia illa pœna est pecunia æstimabilis, & in pecunia exsoluenda, vnde ex pacto remissionem illam exigere, est reuera exigere pecuniam vltra sortem vi mutui. Quod si nōdum sim per iudicem condemnatus, posse me per mutuum remissionem illius pœnæ exigere ex gratitudine, & deducere illā in pactum: quia ante condemnationem iudicis talis remissio non est (inquit) quid temporale, sed quoddam fœdus, & nexus, siue cōfirmatio amicitiæ, & sicut licet amicitiam ducere in pactum, & exigere illam per mutuum, ita & confirmationem ac nexum amicitiæ.

Et confirm. Remissio illius iniuriæ solet fieri gratis natura sua, & ex beneuolentia, quamuis ergo petatur ex pacto, illud pactum non pertinet ad debitum ciuile, sed ad beneuolentiam & amicitiam. Adducit in hanc sententiam Soto Syluestrum verb. Vsura. primo. §. 11. vbi docet Syluest. iuxta Archidiaconum, Cum læsus vindicando se peccet, remittēdo vero iniuriam & damnum acceptum seruet pręceptum charitatis, & misericordiæ Euangelicæ, mutuantem illi sub ea conditione & pacto, vt remittat illi iniuriam, & damnum acceptum, obligare tantum illum ad ea, ad quæ iam tenebatur, & ita non expetere, neque exigere proprie lucrum ex mutuo, sed solum redimere suam vexationem, quod vnicuique licet ex Cap. Dilectus. De Simonia. Similiter licere per mutuum exigere á mutuatario, & cum pacto signa illa amicitiæ, quæ pertinent ad vrbanitatem, (V. g.) vt ille cui mutuo ex gratitudine mihi assurgat, caput aperiat, & similia præstet.

Ex his opinionibus verior, & probabilior multo est illa Caiet. Ad cuius maiorem explicationem sit prima conclusio.

Effectus gratitudinis, qui consistunt in interiori affectu, & voluntate, possunt expeti, & exterius exigi sine vlla vsura.

Primo, quia isti effectus vt amicitia, & beneuolentia non sunt pretio æstimabiles, nec res venales, vel quæ pertineant ad lucrum temporale, quod est proprium vsurę.

Secundo, Quia vsura includit obligationem ciuilem, & tanquā ex iustitia debitam, amicitia autem & beneuolentia ita sunt effectus animi liberi, & voluntarij, vt nullo modo cadant sub debito, vel obligatione ciuili: debitum enim ciuile obligat, & cogit vel nolentem, voluntas autem non patitur coactionem, nec potest aliquis dici habere amicitiam vel beneuolentiam nolēs, sed libere & spontaneè volens. Nec obstat amicitiam esse rem nobiliorem his, quę pretio ęstimantur, hęc enim nobilitas non facit exigentem amicitirm vsurarium, quia proprium obiectum vsuræ est lucrum temporale, & pretio æstimabile ex mutuo: vbi vero proprium & formale obiectum alicuius virtutis

virtutis vel vitij non reperitur, neq; virtus illa aut vitium reperiri potest.

Expectare & exigere per mutuum non solum amicitiam, verumetiam beneficia, quæ amici amicis præstare solent, ita vt non ducatur illud in pactum vel obligationem aliquam, sed ex sola amicitia & gratitudine, non est vsura per se, & simpliciter, ac speculatiue sumptum: Practice tamen loquendo est maxime periculosum, & consequenter nullo modo consulendum, vel indicandum secularibus negotiatoribus, & lucra captantibus.

Hæc est Caiet. in hoc art. Soto aliqua ex parte, & cõmunis modo inter Thomistas. Probatur prior pars. Actus interior & exterior eiusdem sunt bonitatis, & malitiæ, imò ex bonitatẽ vel malitia vnius licet colligere bonitatẽ vel malitiam alterius, ex bonitate enim vel malitia interioris colligimus rectè bonitatem, vel malitiã exterioris, tanquã ex fonte & radice, & iuxta illud Christi Matthæ. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, &c.* Et è conuerso ex bonitate vel malitia exterioris, bonitatem etiã vel malitiam interioris, tanquam ex obiecto & fine, sed actus interior, qui est sperare per mutuum, nõ solum amicitiam, verumetiam effectus amicitiæ, non ex debito sed ex gratitudine, est actus licitus, & honestus; ergo exterior quo aliquis huiusmodi effectus ita exiget, nempe non ex debito, sed ex gratitudine, non est actus iniquus neq; vsurarius.

Secundo, Obiectum proprium & forma le vsuræ est lucrum temporale ex mutuo, & vi mutui, ac cum pacto & debito ciuili, in hoc autẽ exteriori actu quo mutuãs expetit beneficia ista & effectus, nõ expetit illa vi mutui, neq; cum pacto, aut debito: Ergo.

Adiecta autem est secunda pars, per se & speculatiue loquendo, nam practicè periculosissimum est: Primo, quia explicare talem spem, & exigere in mutuo tales cõmoditates, etiam si dicat mutuans se illas exigere vt effectus gratitudinis, moraliter loquendo est velut quoddam pactum tacitum, implicite continens obligationem ciuilem: Nam & DD. cũ distinguũt pactum vsurarium, vt præcedenti articulo vidimus, in tacitũ & expressum, constituunt in exemplũ taciti & impliciti huiusmodi loquutiones mutuantium: Eus ego tibi libere mutuo, quia scio te futurum mihi beneuolum, & gratum, ne quæso sis mihi ingratus, &c.

Secundo, Quia mutuatarius audiens mutuantem sub illa spe mutuare, vidensque illã ita sibi exprimi, vt exterius exigat gratitudinem istam, vt plurimum & frequẽter arbitratur, ac iudicat sub colore illorum verborum sperare & exigere mutuãtem illa beneficia, non solum ex gratitudine, verumetiam, vt illi debita ex mutuo: Et ad redimendam suam necessitatem, sub colore etiam grati animi promittit illam gratitudinem, & remunerationem, intendens se obligari, quod est vsura, quamuis palliata.

Vnde & DD. ipsi, qui hanc secundam conclusionem amplectuntur admonent simul. Primo, ne hæc secularibus proponantur, Secundo vt mutuans abstineat maxime ab huiusmodi externis spei & animi sui manifestationibus: quod si aliquando animum suum alteri reuelauerit, & aliquid ab eo acceperit, diligenter inquirat quo animo mutuatarius illud ipsi exhibuerit, num ex sola gratitudine & amicitia intelligens nullo modo se fuisse obligatum, vel tanquam ex debito & obligatione: quia si priori modo poterit illud tuta conscientia retinere, si vero posteriori tenetur illud, vt inferius dicemus, restituere: & oppositum asserere fuit error Molinei, de quo supra. Ex quo sequitur tertium, sic mutuantes regulariter non esse absoluendos, nisi certissimo constet, ipsos ex mera gratitudine & non ex mutuo beneficia illa, quæ à mutuatario receperunt, exegisse, & recepisse, & mutuatarium simili ratione ex sola etiam gratitudine illa contulisse. Confirmatur hoc, quia in foro exteriori sic exprimẽs animum suum, & aliquid accipiens iudicaretur vsurarius, & præciperetur restituere acceptum, nec audiretur etiam si assereret se ex gratitudine illud exegisse, & accepisse: Et merito, quia experientia teste, & prudentum iudicio, qui sola cupiditate, & spe lucri ex mutuo ducuntur ad mutuandũ, & non ex amicitia, aut liberalitate, vtuntur huiusmodi modo & forma mutuandi.

Tertia conclusio contra Angelum, Adria. & alios.

Expetere, vel exterius exigere effectus gratitudinis interueniente pacto, & tanquam ex debito ciuili, etiam si ista beneficia exigantur tanquam Antbidota, & cum illis duabus conditionibus quas constituit Angelus, est vsura.

Hæc conclusio est D. Tho. hic ad 3. Vbi aperte docet, exigere recompensationem mutui quasi per obligationem alicuius pacti taciti, vel expressi, esse vsuram. Probatur: Ex eodem Angelo, & omnibus DD. vbi interuenit noua obligatio, quam antea mutuatarius non habebat, illa est pretio æstima-

æstimabilis, etsi exigatur per mutuum est vsura, quia iam exigitur aliquid pretio æstimabile vltra sortem ex mutuo: Sed in hoc casu, quando scilicet mutuans exigit ex pacto vt mutuatarius teneatur ad remutuandum illi, vel ad alia beneficia, etiam cum illis conditionibus, interuenit noua obligatio pretio æstimabilis, distincta ab ea quam antea mutuatarius ille habebat: ergo sic obligare etiam cum illis conditionibus est vsura. Probatur minor: Mutuatarius positis his conditionibus, tenebatur quidem iure naturali ex charitate, non tamen ex iustitia & debito ciuili, at interueniente pacto, tenetur iam ex debito ciuili, & tanquã ex iustitia: ergo tenetur noua obligatione, quã antea non habebat, & pretio æstimabili; cum omnis obligatio ex debito ciuili sit pretio æstimabilis, possitque pretio vendi, & reddimi. Et cõfirmatur eadem minor, nempe, quod sit noua obligatio, distincta omnino ab illa naturali ex charitate quam antea habebat; quia iste mutuatarius sublato isto pacto & obligatione ciuili quæ ex illo nascitur, si quidem mutuanti extreme indigenti non succurrat mutuando, cũ commode posset, peccaret quidem contra charitatem, non tamen contra iustitiam, at si pactum interueniat & obligatio ciuilis, nõ solum peccabit contra charitatem, verumetiã contra iustitiam.

Quarta conclusio contra Magistrum Soto.

Vsura est propter mutuum exigere a mutuatario signa amicitiæ, & vrbanitatis, vel remissionem iniuriæ interueniente pacto.

Patet, Ex doctrina ipsius & communi omnium DD. vsura est exigere per mutuũ aliquid pretio æstimabile ex pacto, sed in hoc casu quamuis ista signa amicitiæ, & remissio iniuriæ secundum se sint eiusdem rationis cum ipsa amicia, & actus nobiles qui pecunia non mensurantur, at obligatio ciuilis præstandi illos quæ nascitur ex pacto, est pretio æstimabilis: ergo obligare mutuatarium ad ista vsura est.

Secundo, Ex eodem Soto mutuare exigendo à mutuatario, si est Sacerdos, vt teneatur pro me certis diebus celebrare dato illi suo stipendio, vel exigendo si est diues vt teneatur facere eleemosynam indigentibus, est vsura: quia licet dare eleemosynam sit actus nobilis qui non mensuratur pecunia, at obligatio illa quæ nascitur ex pacto est pretio æstimabilis, sed similiter licet signa amicitiæ, & remissio iniuriæ sint actus nobiles, & secundum se non mensurentur pecunia, at obligatio quæ nascitur ex pacto ad illos præstandos, pretio æstimabilis est, Et confirmatur aperte de remissione iniuriæ, quia teste experientia, ante omnem sententiam iudicis, qui potest in iudicio proclamare de aliqua iniuria, vel damno accepto, cedit quandoq; illi iuri, & iniuriam illam remittit accepto aliquo pretio: & qui periclitatur subire aliquam pœnam ob iniuriam fratri illatam, nititur eximere se ab illo periculo, oblata pecunia, ei cui iniuriam intulit.

Denique ista signa amicitiæ, & remissio iniuriæ, & similia si res exactè cõsiderentur interueniẽte pacto iam habent aliã naturã, & rationem quã ipsa amicitia, quia amicitia non recipit obligationem & debitum, sed est maxime libera & spontanea; sicut gratitudo siue gratia non admittit in se debibitum, & obligationem: at actus isti externi, etiam si soleant præstari ex amicitia, quam primum tamen interuenit pactum, & debitum ciuile quod ex illo nascitur, iam non sunt liberi, & spontanei, sed necessarij, & debiti.

Ex his facile soluuntur argumenta aliarum opinionum.

Fundamentum imprimis illius primæ opinionis Calderini, vsuram esse cum expetitur vel exigitur aliquid pretio ęstimabile, ac propterea expetentem solam amicitiam ex mutuo, & ibi sistentem non esse vsurarium, quia amicitia non est pretio æstimabilis, progredientem vero vlterius, & expetentem amicitiam vt illa conciliata recipiat aliqua beneficia pretio æstimabilia, esse vsurarium, quia iam exigit aliquid pretio æstimabile, falsum est, nisi addatur ex pacto, & cum debito ciuili: quia ad vsuram non sufficit expetere lucrum in mutuo, sed exigitur præterea vt interueniat pactũ, & debitum ciuile ex mutuo, vt hic docet D. Tho. Quo fit, vt ista expetens vel exigens ex sola gratitudine, nullo apposito pacto non sit vsurarius: vt constat.

Ad opinionem & arg. Angeli, & Adriani, iam constat, eo ipso quo interuenit pactum, etiã si ista beneficia vt remutuare, & alia quæ proposuimus, exigantur cum illis duabus conditionibus quas constituit Angelus, interuenire præter illam obligationem naturalem ex charitate, aliam nouam ab illa distinctam ex iustitia, & debito ciuili, quæ nascitur ex pacto.

Similique ratione soluitur: Primum argum.

gum. Vngarelli. Nam esto benefacere indigenti cum commode possis, non sit obligatio ciuilis, sed naturalis tantum, & ex charitate: at si cum pacto & conuentione illud offeras iam existit obligatio ciuilis, & debitum ex iustitia, quod pretio estimari potest: vnde illud exigere in mutuo non potest liberari ab vsura.

Ad Secundum. Explicanda est minor, quamuis enim possit Petrus extra mutuum exigere à Ioanne, hoc est deprecari & obsecrare Ioannem, vt offerat illi, cum indiguerit præstare beneficia, quibus ipsi subueniatur, sine suo damno, in actu tamen mutuationis illud exigere periculosum est, vt in secunda conclusione diximus: Quia extra mutuum sicut qui illud postulat, non compellit alium, sed deprecatur tantum, ita qui illud offert, aperte non aliter illud offert quam ex liberalitate, vel misericordia: at quando interuenit mutuum, qui illud exigit, certe videtur potissime exigere vi illius mutui, & qui promittit, non tam libere promittit, quam compulsus necessitate mutui quo eget, esto ex sola amicitia illud exigi possit, & ex sola etiam amicitia præstãdum promitti, sed difficilimum est in contractibus pecuniariis cum hominum cupiditate hæc cohærere, ac vt recte dicebat Magister victoria talia exigentes in mutuis, non bibunt aquam mundam.

In opinione Syluestri, & Soto duo priora quæ opinio illa habet, verissima sunt. Vltimum reiecimus, vt constat ex quarta conclusione nostra. Nec valet ratio eius, ista signa amicitiæ, & vrbanitates, & remissionem iniuriæ non esse mensurabiles pecunia: Primo, quia esto viri honesti & nobiles gratis soleant ista præstare, alij vero, vt diximus, accepta pecunia, nec propterea censentur iniuste agere. Secundo, quia etiam si huiusmodi remissiones apud Christianos secundum se gratis præstari debeat, at quam primum interuenit pactum, obligatio quę ex illo nascitur est pretio æstimabilis, interuenitq; illa in mutuo. Qua ratione soluitur etiam argum. Syluest.

In summa ex doctrina huius controuersiæ, constat verissimum esse quod in commento huius art. constituit Caiet. iuxta ea quæ D. Tho. in eo docet.

Nempe mutuatem non posse exigere a mutuatario, nec cum pacto & conuentione obligare illum ad præstandum aliquid temporale, quando prudentum iudicio obligatio illa ciuilis est, & pretio æstimabilis.

Quia licet possit sperare illud ex amicitia & beneuolentia sibi præstandum, tanquam á viro honesto & grato, nihilominus cum primum exterius exprimitur & ducitur in pactum, consurgit ex illo pacto obligatio ciuilis pretio æstimabilis, & expetit illã tanquam lucrum temporale ex mutuo, in quo consistit propria ratio & iniquitas vsuræ.

Quo fit, verissima quoq; esse omnia illa consectaria, quæ hîc retulimus ipsum colligere ex illis duabus regulis, quas constituit in commento huius art.

Ita vt reuera sit vsurarius, qui mutuat Principi cum pacto, vt cõferat illi aliquod munus, vel officium, vel efficiat nobilem, & liberum à tributis.

Qui mutuat amico Principis cum pacto, vt pro eo apud Principem intercedat, vel curam eius habeat.

Qui mutuat alteri cum pacto, vt cesset à lite iusta, vel dubia, quam cum illo habet. Dixi, vt recte admonet Soto, iusta vel dubia, quia si mutuans certo videat litem illam iniquam esse, & postulari sibi quod reuera non debet, tunc recte potest mutuare ducendo in pactum, vt mutuatarius ab illa lite cesset, quia tale pactum exigens nihil aliud præstat, quam redimere suam vexationem, quod vnicuique licet.

Est etiam vsurarius qui mutuat cum pacto, vt mutuatarius ei patrocinetur, vel causam eius apud iudicem agat.

Qui mutuat triticum cum pacto, vt ex loco remoto ducat illud in eum locum, in quo mutuans agit.

Vel cum pacto, vt teneatur illi cum ipse postulauerit similiter mutuare.

Vel cum pacto, vt panes suos ad fornacem eius deferat, vel frumentum ad suas molas frumentarias ducat.

Vel cum pacto, vt agros eius colat, vel segetes metat.

Deniq; quicunq; mutuat cum aliquo pacto, ex quo nascitur in mutuatario aliqua obligatio ciuilis.

Et quamuis ex his, quæ in his duabus cõtrouersiis hactenus explicata sunt, & tot exemplis, quæ nunc subiecimus illustrata, quiuis deprehendere facile posset, quando mutuum cum spe alicuius commoditatis temporalis, vel ea sola mente concepta, vel exterius significata, & in pactum ducta, sit vsurarium. Descendendum nihilominus nunc est ad aliquos particulares casus, similes his, quos modo proposuimus: partim

partim quia continent suas priuatas difficultates, partim vero quia in eis decidendis DD. non omnino conueniunt. Ac primum omnium videamus.

Controuersia. III.

SIT NE VSVRA POSTVLA *re a mutuatario ipso tempore mutui vt aliam rem similiter mutuatam vißim conferat.*

Constat ex præcedenti controu. Mutuantem qui exigit cum pacto a mutuatario, vt teneatur cū ipse indiguerit similiter ei remutuare, esse vsurarium. Est ergo difficultas, *An quando mutuans nihil tale exigit in futurum, sed ipso tempore mutui; ita vt vicißim & mutuo alter alteri rem quam postulat concedat, sit vsura?* Vt si Petrus postulet à Ioanne mutuo aliquot mensuras tritici, dicat autem Ioannes mutuabo tibi triticū istud, sed hac lege, vt sicut ego mutuo tibi triticum quo indiges, ita, tu quoque mutues mihi oleum quo ego indigeo, aliter nolo tibi mutuare triticum quod postulas.

De hac questione variæ sunt DD. opiniones. Magister Victoria in lectura huius art. docebat maxime probabile esse, hunc contractum non esse vsurarium, sed licere mutuanti ita exigere, & pacisci cum mutuatario. Soto loco citato extendit hanc sentētiam sui Magistri Victoriæ, asserens absolute ita licere: Idem docent multi ex recentioribus. Et probatur hæc sententia. Sicut se habet simonia in spiritualibus, ita & vsura in temporalibus, at si Clericus postulet à me vt hodie celebrem pro intētione ipsius, possum sine vlla simonia ducere in pactum, faciam quidem, si tu pariter etiam celebres iuxta meam quoque intentionem. Similiter si Sacerdos postulet à me vt audiam confessionem ipsius, possum dicere illi, faciam, modo tu audias confessionem meam deinde, sine vlla etiam simonia, vt docent omnes DD. ergo licet similiter citra omnem vsuram cum Petro postulante à me triticum constituere hoc pactum, mutuabo tibi triticum, si tu mutues mihi oleum, & non aliter.

Secundo sicut se habet vendēs ad ementem, mutuans ad mutuatarium; sed si Petrus roget me vt vendam illi triticum, possum ita cum illo pacisci vendam tibi triticum, si vendas mihi oleum, & non aliter; ergo similiter si postulet à me mutuo quis triticum, possum exigere ab illo, & cum pacto, vt mutuet mihi oleum.

Tertio confirmatur. Ex D. Tho. hic ad 4. vbi habet, quod licet non possit mutuans obligare mutuatarium ad remutuandum in futurum, licet tamen illi aliquod aliud mutuum statim ab eo accipere.

Oppositum docent nonnulli ex recentioribus, asserentes neque ipso tempore mutuationis licere obligare mutuatarium ad remutuandum: quod ita docent. Quotiescunque in mutuo interuenit obligatio ex pacto est vsura; sed qui mutuat hac ratione, etiam si exigat illud mutuum in præsenti, obligat mutuatarium, & ex pacto.

Secundo; si liceret obligare mutuatarium ad remutuandum in præsenti, liceret quoque in futurum, at hoc non licet vt constat; ergo neque illud. Maior patet, quia licet obligare in futurum videatur maior obligatio, & magis onerosa, quam obligare illum in præsenti, at vtraque est vere obligatio & pretio æstimabilis.

Tertio, si liceret obligare ad remutuandum in præsenti ipsum mutuatarium, liceret quoque obligare eundem ad aliquid vendendum mutuanti in præsenti, at hoc non licet, ergo neque illud. Consequentia aperta est, probatur minor: Quia cum omnis obligatio ciuilis sit pretio æstimabilis obligare ementem ad aliud vendendum, est exigere ab eo præter iustum rei pretium aliquid aliud pretio æstimabile, quod est iniquum, & iniustum. Cum autem obiicitur his DD. locus D. Thom. hic ad 4. Dicunt D. Thom. ipsis potius fauere: non enim dixit licere mutuanti obligare mutuatarium ad aliud mutuandum de præsenti, sed solum dixit, *licere accipere*, vbi consulto vsus tantum est hac voce *accipere*, quia quamuis liceat accipere, nam tamen licet obligare.

Ex his duabus opinionibus prior illa verior est, & magis recepta inter discipulos D. Tho. cui etiam subscribendum duximus. Sed ad maiorem intelligentiam obseruemus, Mutuantem, qui exigit à mutuatario vt simul & vicißim aliquid ipsi mutuet, bifariam posse se habere, aut ita, vt vellit obligare quidem illum, ipse vero manere liber ad præstandum quod ipsi libuerit: vel ita, vt sicut obligat mutuatariū ad

ad mutuandum sit, ita quoque se ipsum simul etiam obliget ad cōferendum mutuo quod alter postulat. Rursum res quam postulat à mutuatario, aut talis est, quę restituetur illi omnino æquiualens, & sine vlla diminutione, vt quando mutuum est pecunia, vel triticum, aut restituetur illi necessario cum aliqua diminutione, vt vestis.

His positis. Sit prima conclusio.

Obligare mutuatarium ad simul & eodem tempore aliud mutuandum, mutuante ipso manente libero, nec subeunte similem obligationem, vsura est: Obligare autem mutuatarium, mutuante se ipsum similiter obligante, ita vt sit mutua & reciproca illa obligatio, non est contractus vsurarius, sed licitus & honestus.

Priorem partem probant argumenta secundæ opinionis, & in illo sensu recte concludunt: quia sic mutuans recipit vltra sortē aliquid pretio æstimabile vi mutui, nempe illam obligationem remutuandi.

Posteriorem vero partem probant argu. Primæ opinionis. Et confirmatur. In vsura seruatur inæqualitas, quia mutuans solum confert vnum, nempe sortem, mutuatarius autem reddit duo, nempe & sortem & lucrum, vel aliquid aliud pretio æstimabile vltra sortē, sed quando est mutua & reciproca obligatio ex parte vtriusque, nulla est inæqualitas, cum tantum recipiat mutuans quantum contulit mutuatario, & nihil amplius: ergo non est vsura. Maior certa est, & minor patet: quia si mutuatarius cōfert duo nempe & rem mutuatam quam restituit, & obligationem illam mutuandi, mutuans totidem similiter illi exhibet, nempe & rem quam mutuat, & obligationem qua vicissim illi se obligat.

Secundo, vsura est pretium rei mutuatæ, in hoc autem casu mutuans nullū pretium exigit rei mutuatæ: ergo non est vsura. Probatur Minor, quia si quid exigeret certe illam obligationem qua teneatur mutuatarius illi remutuare, in hoc autem casu illa obligatio non est pretium rei mutuatæ, sed pretiū similis obligationis cui se pariter quodammodo obligat ipse mutuans.

Tertio, si vterque vicissim se obligaret in futurum nō esset vsura, quia esset æqua obligatio, & grauamen, ac æquale periculum damni vel commodi: ergo neque quando vterque simul obliget in præsenti, aliqua erit vsura: cum in hoc contractu æqua similiter sit obligatio, & grauamen. Quemadmodum si dicam audiam quidem confessionem tuam, sed ita vt audias tu meam, nulla est symonia, propterea quod est par & equa ibi obligatio, & obligatio vnius non est velut pretium confessionis, sed est velut pretium obligationis alterius. Et hac ratione conciliantur recte opiniones illæ, & argumenta earum.

Secunda conclusio. *Quando res mutuata diminutionem aliquam patitur ex mutuo, potest similiter mutuans exigere sibi à mutuatario aliam, quæ similem patiatur diminutionem.*

Res est aperta ex dictis. Quia tunc non exigitur illud mutuum vt pretium rei mutuatæ, sed tanquā iusta compensatio damni, quod recipit mutuans in re sua, quæ alteri mutuata diminuetur: vbi autem nulla interuenit per mutuum rei diminutio, seruanda est prima conclusio hic posita.

Tertia conclusio quæ sequitur ex præcedentibus.

Mutuans rem, cui ex mutuo nullum incommodum imminet, etiam si obliget se ipsum ad illam mutuandam, non potest obligare mutuatarium ad remutuandum sibi rem, quæ ex mutuo aliquo damno vel incommodo exponatur.

(V. g.) Existit abundantia tritici & penuria olei, non possum dicere alteri, mutuabo tibi triticum, vel eque adhuc teneri, sed ea lege vt tenearis tu similiter ad mutuandum mihi oleum. Quia in hoc casu etsi obligatio sit reciproca ex parte mutuationis, non tamen est æqualis ex parte rei mutuatæ, propterea quod ego mutuo tibi triticum, quod propter abundantiam præsentem non valet nisi vt 6. neque deinde minoris valebit; sed fortasse pluris: oleum autem quod à te exigo, ob præsentem penuriam valet nunc vt 10. tempore vero quo illum restituam, forsan non valebit nisi vt 8. vel vt 6. Propter hanc igitur inæqualitatem ex parte rei mutuatæ hic contractus est illicitus, & vsurarius: quia exhibens rem cuius est abundantia, cum obligatione accipiendi ab alio rem cuius est penuria, accipit aliquid maius pretio æstimabile, quam sit id quod ipse alteri confert, recipitque illud ex vi mutui.

Duplex hic statim sese offert difficultas. Prior est.

AN LICEAT VENDERE

Sunt

SVnt Mercatores aliqui ditissimi maxime in curiis Regum, qui pretio accepto obligãt se ad mutuandũ Principibus & Magnatibus, Estne hic cõtractus licitus? Res est facilis ex dictis, Nã cũ ista obligatio ex pacto inducta sit pretio æstimabilis, & consequenter vendibilis, licebit profecto illam vendere, & pretio accepto ad illud se obligare.

Seruandæ tamen sunt duæ conditiones, sine quibus talis contractus iniquus est, & illicitus. Prior est, vt isteMercator obliget se ad mutuandum non quando ei libuerit, vel ipse commode poterit, sed quotiescũq; alter qui obligationem illam dato pretio ab ipso emit, postulauerit. Ratio est aperta: quia hæc obligatio ideo est pretio æstimabilis, ac vendibilis, quia mercator ipse, priuat se sua libertate, & exponit se periculo alicuius damni, si quidem solum obliget se ad mutuandum quando ei libuerit, vel commode poterit, nulli damno se exponit, nullamq; amittit libertatẽ, imo alter qui pecuniam suam dedit pro illa obligatione incurret periculum, putabit enim se adueniente necessitate habere in promptu amicum, à quo mutuũ recipiat, & frustrabitur illa spe. Obligans vero se ad mutuandum quotiescunq; mutuatarius postulabit, exponit se periculo damni: quia poterit mutuatarius eo forsan tẽpore postulare, quo alter non habebit in promptu pecunias, sed tenebitur illas propriis expensis & damnis quærere.

Altera conditio est, vt non vendatur ista obligatio pretio adeo rigido, quale mercatores exigere solent, sed moderato, accommodato, & honesto, arbitrio prudẽtum qui in huiusmodi negotiis experti sunt, & timentes Deum.

Altera difficultas est.

Controuer. IIII.

CVM OBLIGATIO CIuilis, *pretio æstimabilis sit, & vendibilis, licebit ne accipere pretium pro obligatione soluendi debitum alterius, ipso debitore non soluente, quam vocamus fideiussionem.*

VSus obtinuit, vt exigantur plerũq; fideiussores in contractibus humanis. Exiguntur enim nonnunquam ab eo cui aliquid venditur ad creditum, nonnunquam vero ab eo cui depositum seruandum traditur, vel officium aliquod & munus committitur, tum etiam à tutoribus pupillorum, & aliis multis, de quibus inferius agemus in peculiari disputatione de contractu fideiussionis. Quærimus ergo An qui pro alienis debitis fidem suam offert, vel vt dicunt intercedit, qui à DD. vocatur fideiussor, possit absq; vsura pretium aliquod exigere, vel mutuum, ab eo, pro cuius debitis fidem suam offert? Similis huic est quæstio illa. An vbi Petrus fidẽiussit pro Ioanne, possit Paulus ita cum Petro conuenire, exhibe mihi pretiũ aliquod, aut mutua mihi hanc vel illam pecuniam, & liberabo te á fideiussione quã pro Ioanne præstitisti, illamq; in me suscipiam. Quia si pro fideiussione licet pretium aliquod á debitore accipere, licebit quoq; vt alter ab illo vinculo & obligatione liberetur.

D. Anton. 2. p. tit. 1. c. 7. §. 45. dubius est in hac quæstione: Et tandem concludit tutius esse abstinere se à tali contractu.

Caballinus siue Molineus iudicant illicitum, & plusquam vsuram accipere aliquid pro fideiussione, ita habet in suo opere de contract. q. 31. num. 251. Quod nititur probare argumentis quę deinde subiiciemus.

Couarru. lib. 3. varia. Resol. c. 2. nu. 7. ita distinguit vt si inspecta qualitate & bonis debitoris, nullum immineat periculum fideiussori, nec vendi nec pretio æstimari illa fideiussio possit, ita vt aliquid tũc accipere esset fraudulenta & vsuraria venditio: quia venderetur res, quæ nullum habet pretium. Probatur hæc pars: Talis obligatio ex eo est vendibilis, quia per illam exponit se fideiussor alicui periculo vel damno, ergo si inspecta qualitate & bonis crediditoris nullũ sit periculũ, tunc illa nec pretio æstimabilis est, nec vendibilis, & ex consequenti nõ potest fideiussor pretiũ aliquod vel mutuum exigere ab eo, pro quo ita fidem suam iubet, esset enim exigere, ab illo pretium rei, quæ nullum habet pretium. Quod si inspecta qualitate bonis debitoris fideiussor exponat se reuera periculo soluendi debita illius, posse tunc pro illa fideiussione pretium aliquod exigere, vel mutuum: quia cum obligatio & periculum cui tunc se ipsum fideiussor subiicit, pretio æstimari possit, nulla est vsura aut iniquitas, pretium quod prudentum iudicio illi obligationi & periculo deberi censeretur, pro illa exigere, vel loco pretij mutuum alicuius pecuniæ per aliquod tempus.

Communis vero sententia & recepta

inter discipulos D. Thom. est, quam habet hic Caiet. in solu. 4. Fideiussorem accipere posse, pro obligatione illa ciuili quam includit fideiusio aliquod pretiũ, vel exigere aliquod mutuum. Quia obligat se ad soluenda debita illius pro quo fidem suam iubet illo non soluente, quæ obligatio cũ maximis incommodis experientia teste exponat frequenter fideiussorem; ex consequenti est pretio æstimabilis.

Quæ sententia tenenda est vt verior. Et confirmatur. Quando non accipitur aliquid pro mutuo, sed pro re pretio æstimabili non est vsura, fideiussor nõ accipit pretium, nec obligat debitorem ad mutuũ sibi conferendum, ratione aut vi alicuius mutui, sed ratione rei pretio æstimabilis: ergo Probatur. Minor: fideiussor non mutuat pecuniam debitori qua ipse soluat, & quam deinde restituat ipsi fideiussori, quamuis enim adueniente casu quo fideiussor soluat pro debitore, maneat illi actio ad repetendum à debitore quod soluit, attamen per fideiusionem illam non mutuat, sed obligat tantum se ipsum ad soluendum pro debitore, siue ille ipsi restituat siue non: hæc autẽ obligatio est pretio æstimabilis, ergo fideiussor non exigit pretium vel mutuum ex vi alicuius mutui, sed pro re pretio æstimabili. Et confirmatur. Quando fideiussor postulat pretium vel mutuum pro hac obligatione, vendit reuera obligationem illam debitori, & interuenit contractus emptionis & venditionis, in quo accipitur iustum & honestum pretium pro obligatione pretio æstimabili, contractus autem in quo accipitur iustum pretium pro re pretio æstimabili non est vsurarius, sed iustus, & licitus: ergo exigens pretium vel mutuũ pro fideiusione, & obligatione quam per illam sibi imponit, nullã committit vsuram, vel iniquitatem.

Secundo potest (quod omnes concedũt, & Molineus ipse loc cit. q. 34. num. 257.) fideiussor à creditore cui se obligauit soluere, non soluente principali debitore, potest (inquam) pretio dato emere remisionem illius fideiusionis, & illam redimere, & creditor ipse potest quoq; pretiũ illud pro illa remisione accipere: at quidquid pretio redimi potest, pretio similiter æstimabile est, & vendibile, cuicunque vendatur.

Eandem sententiam habent Angelus verbo. Fideiussor. num. 20. Syluester Fideiusio. §. vltimo. Soto art. 2. q. 1. lib. 6. de Iust. Nauar. in commen. de cambiis. nu. 7. Vbi obseruant & optime, vt nulla interueniat fraus inter fideiussorem & venditorem. (V. g.) Paratus est Petrus vendere, mutuare, vel locare Ionni aliquid sine fideiussore, conuenio Ego Petrum, & obtineo ab illo ne vendat, mutuet, vel locet Ioanni nisi me obtulerit in fideiussorem, vt ille hac necesitate compulsus reddat mihi pretium aliquod vel mutuum pro illa fideiusione: cũ in hoc casu existant dolus & fraus, quæ nemini debent patrocinari, non posũ ab eo aliquod pretiũ accipere, quia fraudulenter illud accipere, & iniquè. Similiter indiget Petrus aliquo mutuo: Do ego secreto Ioãni, pecunias quas mutuet Petro, hac conditione, vt offerat me in fideiussorem, quo Ioannes necesitate sua adductus emat à me sub aliquo pretio illã fideiusionem: hic contractus fraudulẽtus etiam est, & iniquus, & in quo nullum pretiũ accipi potest. Seclusa tamen omni fraude licet hanc obligationem pretio honesto vendere.

Sed contra nostram sententiam obiicit Molineus: Qui mutuat non potest accipere pretium pro mutuo: sed fideiussor ad nihil aliud se obligat quam ad mutandum: ergo neq; potest accipere pretiũ pro fideiusione. Probatur minor: qui fidem iubet, aut soluit pro principali, aut non: si non soluat, nihil præstat illi, si soluat, cũ id quod soluit alter teneatur restituere in æquiualenti, idem omnino est quod mutuare ei illam pecuniam.

Secundo, minus officij præstat fideiussor debitori quam præstat mutuans suo mutuatario, sed mutuans nihil potest pretij accipere pro mutuo: ergo neque ille pro fideiusione. Maior patet: quia mutuans confert mutuatario actu & de præsenti pecuniam, qua se ipsum priuat, fideiussor vero tantum confert verba, & suam fidem.

Ad Primum horũ Resp. vt quemadmodum ille qui mutuat ratione mutui, nihil potest accipere a mutuatario, at si obliget se ad mutuandũ ex pacto, pro illa obligatione ciuili potest accipere aliquid, quia illa obligatio est pretio æstimabilis, cum per illam exponat se alicui dãno; ita quoq; fideiussor si soluat pro principali nõ potest aliquid accipere pro illa solutione: quia illa virtualis quædam mutuatio est, potest tamen pro obligatione illa, qua deuinxit se ad soluendum, cum per illam exposuerit se magno periculo, & incõmodo, veluti ad soluendum pro eo a quo forsan nihil recuperabit, vt pasim accidit. Vnde vt bene hic

hic obseruat Magister Soto & in primo argum. quo probamus sententiam Caiet. diximus, fideiiusio non est mutuũ, nec species mutui, sed vere obligatio soluendi pro alio, quæ experientia teste periculosissima est.

Ad Secundum dico, maius beneficium præstare quandoq; mutuantem, quandoq; vero fideiussorem, & similiter maiori periculo se exponere quandoq; obligantem se ad mutuandum, quandoq; vero fideiussorem quæ ex circunstantiis personæ & quantitatis bonorum prudẽter inspicienda sunt, & pro ratione periculi & dãni imminentis statuenda sunt in his prudenter pretia.

Ad illud vero quod habet Couarru. aliquando in fideiiusione nullum esse periculum. Dico in his loqui nos moraliter, & secundum ea quæ experientia teste communiter accidunt, videmus autem cum diuitiæ & bona temporalia potentissimorum hominum tot mutuationibus subiaceant, semper in fideiiusione esse periculum, aut post aliquod tempus viuente ipso fideiussore, aut post longa tempora viuentibus hæredibus. Quod si res adeo secura esset, & libera ab omni periculo, vt nulla ratione aliquod immineret neque in longissima tempora, tunc profecto non esset pretio æstimabilis talis fideiiusio, Sed hic euẽtus (vt dicunt) casus Metaphysicus est, cum nulla sint bona adeo secura, quæ non sint re uera bona fortunæ, id est fortunæ & aleæ exposita. Secundo, quia quando tanta est securitas, vt nullũ sit periculum, tunc non postulantur fideiussores, imo iniq; exigerentur, esset enim quædam iniqua vexatio.

Controuersia. V.

AN PER MVTVVM LICEAT *obligare mutuatarium ad aliquas operas, iusto pretio illi exhibito, vel ad aliquid præstandum in vtilitatem mutuantis, sine vllo damno ipsius mutuatarij.*

Constat satis ex dictis mutuãtem non posse à mutuatario aliquam obligationem exigere prætio æstimabilem vi mutui, & interueniente pacto, sunt tamen (vt antea admonebamus) multi casus, quos & hominũ cupiditas & variæ DD. opiniones difficiles reddiderũt, quos hic recensent Caiet. & Soto, quos oportet nunc examinemus: Huiusmodi vero sunt. Liceat ne domino vineæ mutuare agricole, obligando illum ad colendã suam vineam, sicut laboraturus est in alia, reddito ipsi iusto pretio. Similiter liceatne mutuare alicui ea lege & pacto, vt teneatur ducere triticum ad molas mutuantis, vel panem coquendum ad fornacem ipsius, aut emere merces ex ipsius officina, supposito hunc mutuatarium idem omnino commodum recepturum in molis, vel fornace, aut officina sibi mutuantis, quod ab aliis poterat recipere, nec mutuantem maius pretium ab eo accepturum, quam quod ab aliis reciperetur, nec minori labore, aut expensis illa ducenda esse ad molas, vel fornacem cuiusuis alterius: sed omnia esse paria.

His ita constitutis. D. Anto. 2. p. tit. 1. cap. 7. §. 10. vbi refert supplementum ex Rosella Angelus verbo vsura cap. 1. num. 5. vbi refert in eãdem sententiam Grego. Ariminen. in quæstio. de Monte. Et sententiam Calderini in cap. fina. De vsuris. Ioã. Andre. in Mercuria. super Regu. Peccatum & Laurent. de Rodo. Florent. 2. p. contractuum, interpretatur quando mutuatarij grauantur propter mutuum, vel nõ bene illis satisfit à mutuantibus. Adria. in materia de Restitut. fol. 57. col. 3. vbi agit de vsura. §. Iuxta prædicta disquirendum est, volunt licitum esse mutuum istud, & contractum siue pactum, modo seruentur in eo omnes istæ conditiones hic positæ. Quod ita probant. Vsura tantum committitur, quando vel mutuans aliquod recipit lucrum ex mutuo, vel mutuatarius aliquod damnum; at vbi dominus vineæ mutuat agricolæ sub illa conditione, ipse nihil recipit lucri, quia si mutuat 100. eadem 100. est tantum recepturus: agricola similiter nihil recipit damni, cum in vinea mutuantis non sit laboraturus pro mutuo, sed pro iusto pretio, & eodem omnino, quod a quouis alio recepisset, nec maiorem laborem passurus in illa vinea, quam in vinea cuiusuis alterius; ergo in hoc casu nulla est vsura.

Secundo possum conducere agricolã ad laborãdum in agro meo tempore messis, & mercedem tunc illi soluendam anticipare, qua ipsi reddita maneat iam deuinctus ad metendas segetes meas; ergo possum similiter mutuare illi, cum pacto vt teneatur laborare iusto pretio in vinea mea. Antecedens ab omnibus recipitur, & cõmuni vsu omnium nationum constat; consequentiam vero probo, quia idem est mutuare agricolæ

læ sub conditione, vt teneatur laborare iusto pretio in mea vinea, quod anticipata solutione illum conducere. Quod si agricolæ mutuare possum, cum pacto, vt teneatur in mea vinea, vel agro laborare, potero similiter mutuare alicui sub ea conditione, vt teneatur triticum suum ad meas molas deferre; vel ex mea officina merces quibus indiguerit emere.

Vnde fatentur hi DD, casu quo iste agricola minus lucraretur stipendij apud hunc mutuantem, quam apud alios, vel maiori labori se exponeret, vel mutuatarius maiori labore vel expensis indigeret ad ducendum triticum ad molas mutuantis, quam ad molas alterius, &c. esse quidem vsuram, quando vero omnia paria sunt, tam cum illo mutuante, quam cum aliis quibusuis, vt cōstituimus, nullam esse vsuram.

Oppositum docent Caiet. hic & in summa verbo vsura. §. 2. Medina q. 4. de vsura, Gabri. in 4. Dist. 15. q. 11. art. 3. dubio 1. Soto lib. 6. de Iustit. q. 1. art. 2. Nauar. in Manu. c. 17. num. 220. cum Panormit. in Cap. Fina. De vsuris. Calderin. Ioan. Andrea & alii paulo ante citati ab Angelo. Affertur quoq; á multis Syluester in eādem sententiam, sed ille vt in fine huius controuer. dicemus partim cum his conuenit, partim vero ab illis dissidet. Hi ergo DD. & omnes feré recentiores Thomistæ hoc genus mutui, eo ipso, quo interuenit talis obligatio ex pacto, iudicant esse vsurarium. Probantque. Quando per mutuum recipit mutuans aliquid pretio æstimabile vltra sortē vi mutui, & ex pacto, vsura est. In hoc casu, etsi mutuans 100. non sit recepturus nisi 100. & mutuatarius pro suo labore sit recepturus suum iustū stipēdium, & idem omnino quod à quocunq; alio, nihilominus, recipit mutuans vltra sortem illam obligationem, quæ pretio æstimabilis est: ergo est vsura. Minor huius argum. scilicet obligationem istam pretio æstimabilem esse, quamuis iam constet ex supra dictis, probatur rursum apertissime. Obligatio ciuilis ex duplici capite est pretio æstimabilis, vel quia per eam, qui se obligat, priuatur aliqua libertate, vel quia exponit se alicui periculo, & damno: Etenim cum libertas pretio æstimabilis sit, quodcunque etiam periculum alicuius damni temporalis pretio æstimari possit, efficitur, vt obligatio omnis per quam aliquis vel sua libertate priuatur, vel alicui damno se exponit, sit quoq; pretio æstimabilis. Sed in hoc casu agricola obligans se, etiamsi cum omnibus illis conditionibus quas, initio constituimus cum Adriano, priuatur sua libertate, & exponit se consequenter huic damno, vt non possit toto illo intermedio tēpore suas operas, & labores locare alteri, qui forsan occurreret illi, sub maiori stipendio ipsum conducens, ergo hæc obligatio pretio æstimabilis est, & ita deducere illam in pactum est vsura.

Hoc argumento constat verissimam esse hanc sententiam Caiet. Et eodem diluitur primum illud argumentum Adriani, per tale enim mutuum recipit mutuatarius damnum pretio æstimabile: cū priuetur sua libertate, & facultate percipiēdi forsan ab alio maius stipendium. Idem dicendum est de aliis casibus propositis cum in illis omnibus mutuatarius priuetur sua libertate, quæ pretio æstimabilis est.

Vbi, vt optime obseruat Caiet. in summa, duo hic consideranda sunt: Alterū est, hunc ducere suum triticum ad molas alterius, & ex hac parte dominus illarum molarum recte potest accipere ab illo mutuatario idē quod accipit ab aliis, Alterum vero est, mutuum quod dominus molarum prēstat, & ex hac parte, id est ratione huius mutui nihil potest accipere ab illo pretio æstimabile, & cum illa obligatio ducendi triticum ad molas mutuantis sit pretio æstimabilis, mutuare ducēdo illam in pactum est vsura. Quod si mutuans ita conueniret cum mutuatario, do tibi 100. ex quibus non restitues nisi 90. hac lege, vt tenearis ducere tuum triticum ad meas molas, volo enim illa 10. tibi tribuere in pretium huius obligationis, tunc non esset vsura, cum illa obligatio sit pretio æstimabilis, & vendibilis. Poterit quidē esse iniqua venditio ex defectu iusti pretij, & æquiualentis, quod arbitrio prudentū relinquendum est, vitiū tamen vsuræ ibi non interuenit, cū iam non recipiatur obligatio illa ex mutuo, sed ratione illius pretij.

Secundum argum. postulat explicemus.

LICEATNE OPERAS, ET *labores agricolæ, vel mercenarij, anticipata solutione conducere.*

OBseruemus, huiusmodi cōtractus mutuandis pecunias agricolæ cū pacto, vt teneatur colere fundū meum, bifariam constitui posse, aut sub ratione mutui, aut sub ratione cōductionis, & locationis. Sub ratione quidē mutui, quādo mutuās recepturus est seorsū pecuniā quā dedit, redditurusq; deinde illi agricolæ

colę quando actu in vinea ipsius laborabit alius pecuniis suum stipendiũ, & mercedem: Sub ratione vero locationis & cõductionis, quando is qui pecuniam dedit, nõ est illam recepturus, sed conueniunt inter se dominus fundi & agricola de operibus, & stipendio iusto, conferturque illi à principio pecunia illa, vt stipendium, & solutio anticipata laborum ad quos iam illum conduxit. Priori modo nempe vi mutui, iam constat satis non posse mutuatarium obligari. Posteriori vero modo, nempe via locationis, ita vt pecuniam illam non accipiat tanquam mutuatam, sed tanquam sibi datam in stipendiũ laboris futuri, cõtrouersum est an liceat.

Soto loco citato arbitratur in hoc etiam contractu esse occultam vsuram. Ratio eius est. Anticipata solutio ex D. Thom. in hoc art. est quædã mutuatio pecuniæ exsoluendæ, & restituendæ mutuanti per operas istius agricolæ, ergo in hac mutuatione sub nomine anticipatę solutionis interuenit pactum, & obligatio, qua se ipsum deuincit agricola iste ad operandum in vinea huius mutuantis, vbi autem interuenit obligatio ciuilis, & ex pacto in mutuo est vsura; Ergo & in hoc casu.

Recentiores Thomistæ in hac parte distinguũt eadem ratione, qua dicemus distinguendum esse, quando agemus de emptione alicuius mercis anticipata solutione, Vt qui confert pecuniam illi agricolæ, vel conferat illam in stipendium operarum, vt illum habeat certum, non tamen designato certo pretio, sed eo quod tempore messis, & quando actu laborabit, reddetur cõmuniter similiter laborantibus, aut designato illi vna cum collatione illius pecuniæ certo pretio, sed minori quam sit iustum pretium, quod operæ illę, eo tempore quo præstantur, solent valere.

Si quidem pecunia detur illi (licet via conductionis) hoc secundo modo, est contractus iniquus, quia vt videbimus & docet hic D. Tho. ratione pecuniæ vel solutionis anticipatæ, non licet minuere de iusto pretio: qui enim sic minueret perinde se haberet, ac si id quod minuit, exigeret in pretium & lucrũ pecunię, quã alteri mutuo contulit, quod est quoddam genus vsuræ.

Priori vero modo anticipare solutionẽ operarum illius agricolæ, reddito illi eo pretio quod aliis similiter operantibus suo tempore reddetur, nullo modo iudicant esse vsuram. Probant. Vsura est pretium rei mutuatæ, sed in hoc casu, qui dat illam pecuniam rustico, nõ recipit illas operas rustici, neque illam obligationem pro vsu pecunię, neque pro pecunia tanquam mutuata, sed pecuniam illam confert, vt pretiũ illarum operarum, & illius obligationis, quæ pecunia vendi, & æstimari possunt: ergo ibi non est vsura.

Secundo, licet conducere famulum obligando illũ, vt seruiat mihi iusto pretio per annum, simulque licet à principio anni exhibere illi suum stipendium & mercedem, in quo nulla est vsura: ergo possum similiter conducere colonum, qui anno sequenti colat agrum meũ iusto pretio, & a principio reddere illi suam mercedem sine vlla vsura. Et confirmatur, iste agricola potest ex nunc conducere iusto pretio operas, quas exercebit in æstate, & ego simul possum illas admittere promisso illi iusto pretio, hic autem contractus nõ vitiatur, propterea quod pretium ipsi soluendũ quando actu fuerit operatus, nunc ipsi reddã: ergo licet dare illi pecuniam ista via locationis. Maior certa est, & iure omnium gentium recepta, aliter innumera comercia, imo fere omnia quæ inter dominos & famulos omnium DD. cõsensu probata, passim exercentur, condemnaremus. Minor vero probatur: Quia si hic contractus vitiaretur per anticipatam solutionem, id certe esset, vel quia ratione istius anticipatæ solutionis minueretur illi iustum pretium, vel quia iste exponeretur alicui damno: at neutrum horum accidit, cum statuamus illum locari iusto pretio, & libere se ipsum conducere.

Deniq; in hoc contractu seruatur æqualitas ex vtraq; parte, quia sicut mutuatarius accipiens pecuniam illam obligat se ipsum ad laborandum iusta mercede, ita conferens illam obligat quoq; se ipsum ad non repetendam amplius illam, nec recipiẽdam alia via, quam per operas illius agricolæ.

Ad argum. Mag. Soto dico, in hoc contractu non esse mutuum, sed veram locationem mercenarij anticipata solutione, in qua nulla existit vsura, quia nec detrahitur quicquam a iusto pretio, neque accipitur quicquam ratione illius pecuniæ.

Ex his perspicua iam est solutio illius secundi argum.

Differunt enim plurimũ conducere agricolam vel mercenariũ anticipata solutione, vel mutuare alteri pecuniã cum pacto, vt teneatur ad meas molas triticũ suum deferre, nam prior ille emit operas alterius iusto pretio, ab eo, qui potest illas vendere quocũq;

tempore, & quotiescunque ipsi libuerit sine vlla fraude, vel dolo, posterior vero nullas operas cõducit vel emit, quin potius per illud mutuum obligat accipientem ad emẽdas suas operas, vel merces, vbi nullo modo intelligi potest interuenire ibi contractum locationis, aut anticipatæ solutionis, sed esse meram vsuram. Primo, quia in hoc posteriori contractu, cum dans pecuniam eandem sit accepturus est vere mutuum, quod non est in conducente agricolã. Secundo in hoc contractu dans pecuniam nõ emit operas accipientis illam, quin potius cogit & obligat accipientem pecuniam vi illius mutui, vt teneatur emere operas ipsius mutuantis, quod non est conducere mutuarium, sed obligare illum vi mutui.

Ex his facile quoq; erit explicare, an recte fiat quod est in vsu apud aliquos agricolas. Habet Petrus agrum conducendum, mutuatque agricolæ pecuniam hac lege, vt conducat agrum ipsius, nihil aliud ab illo exigens, quam vt restituat deinde ipsi suam pecuniam, & iustum pretiũ agri. Dubium est, sit ne hic cõtractus licitus, an vsurarius?

Sed solutio patet ex dictis. Etenim si ratione illius mutui compellatur agricola conducere agrum illum, carius quam valeat apertè est vsura, cum recipiatur ille excessus pretij tanquam lucrum mutui, Carius (inquam) vel simpliciter, quia arbitrio prudẽtum, & vsu præcedentium conductorũ non tantum valeat, vel carius ratione defectus & penuriæ conductorum, quia vt quæst. præced. diximus paucitas emptorum & similiter conductorum minuit pretia rerum, & mercium. Similiter, etiam si non compellatur conducere illum carius, sed iusto pretio, si tamen compellatur ex pacto illum conducere ratione mutui, vsura quoq; est, cum illa obligatio ducta in pactum sit pretio æstimabilis, & recipiatur vltra sortem. Priuatur enim hac via mutuatarius libertate conducendi agrum alterius, & forsan viliori pretio. Vnde quãdo hæc duo iunguntur, & obligatio conducendi agrum mutuantis, & maius pretium, committitur duplex iniquitas: altera ratione iniusti pretij: altera vsuræ. Quando vero non excedit à iusto pretio, committitur ad minus vsura ratione illius obligationis exactæ ex mutuo.

Potest autem hic contractus licite fieri his tribus modis. Primo, si seruato iusto pretio nulla interuenit obligatio vel pactũ, sed reuera dominus agri, cum multi se offerant illius conductores, huic, inter illos qui sese offerunt, quem videt maiori vtilitate sua illum conducere, ex beneuolentia inquam ducitur illo beneficio, mutuat illi pecuniam, vel vicissim mutuatarius, videns beneficium quod illi præstat Dominus agri mutuando, cum potuisset alterius agrum conducere, vult hunc & non alium ex beneuolentia quoq; & gratitudine cõducere. Secundo si obligatio sit reciproca, ita vt dicat mutuatarius, ego conducam tuũ agrum iusto pretio, sed ita vt tenearis quoque tu mutuare mihi pecuniam, vel tuos boues, aut quid simile: quia tunc pretium quod accipit dominus agri á mutuatario non est ratione mutui, sed ratione agri, & pecunia quam accipit mutuatarius á domino agri non est pro locatione agri, sed pro simili reddenda, & obligatio vnius pro obligatione alterius, imo tunc non est proprie mutuũ sed acceptatio pacti, & negotionis quã alter obtulit. Tertio, potest etiam obligari mutuatarius ad conducendum agrum mutuantis sine mutua & reciproca obligatione alterius, si mutuans ratione illius obligationis minuat de iusto pretio agri: tũc enim obligationem illam non recipit mutuans ratione mutui, sed ratione illius diminutionis iusti pretij, quæ diminutio non minus est pretio æstimabilis quam illa obligatio. Videamus nunc.

Controuersia. VI.

LICEATNE ITA MVTVARE, *vt teneatur mutuatarius recipere mutuum illud, vel partem illius in mercibus.*

Accidit frequenter indigẽtem pecunia postulare illam mutuo a mercatore aliquo varias merces habente, qui, si postulentur ab eo 100. ea tantum lege vult illa mutuare, vt accipiat mutuatarius 50. in pecunia numerata, & 50. in mercibus, vel forsan totam sortem nempe 100. in mercibus, quibus alter non indiget. Qui contractus duobus modis exerceri potest, vel sub ratione mutui, obligando mutuatariũ ad recipiendas illas merces in valore pecunię, quam ab ipso mutuo exigit, aut sub ratione venditionis: vt si dicat mercator (sicut solẽt) non possum meam pecuniam tibi mutuare, quia vtor illa ad mea negotia & lucra, vendam tamen tibi merces valentes 100. quibus tibi subuenias.

Sit prima conclusio. *Hic contractus sub ratione mutui, obligando mutuatarium vt pecuniam quam postulat, accipiat in mercibus, iniquus est & vsurarius.*

Patet ex variis damnis, quæ in eo, mutuatario inferuntur. Imprimis vt ait Caiet. Hic mutuatarius compellitur emere propter mutuum; quæ obligatio est manifesta vsura. Secundo cum accipiat merces quibus non indiget, sed pecunia, compellitur illas statim vendere multo vilius, quam acceperit. Tertio vt ait Soto, communiter mercatores hi carius multo vendunt, quam res valeant, confictis quibusdam rationibus & titulis. (V. g.) titulo expectatæ solutionis, & lucri cessantis, cum ibi reuera, vt dicimus non sit lucrum cessans. Secũdo titulo abundantiæ emptorũ, & penuriæ mercium, nam vel eo solo quod miser ille mutuatarius accedit ad ipsos, fingunt abundare iam emptores, & deficere merces, cum ille nihil minus instituat quam recipere merces.

Poterit autẽ hic contractus recte fieri, si mutuans seruato iusto pretio illarum mercium, bona fide, & citra omnem fraudem vsurariam dicat mutuatario. Postulas à me 100. in pecunia, mutuabo quidem tibi 50. in pecunia, alia vero 50. si vis in mercibus, dabo illas etiam tibi, sint minus dimitte, liberum tibi est, accipere solum illa 50. in pecunia. Hic cõtractus non est vsurarius, quia in eo mutuans nihil accipit pro mutuo, nec obligat alium ad aliquid ratione mutui; sed 50. illa quæ mutuat in pecunia, vult sibi restitui, quod est iustum; alia vero 50. quæ offert in mercibus, in libera optione mutuatarij relinquit, ita vt sub iusto pretio libere illas accipiat, vel dimittat.

Secunda conclusio. *Contractus hic secundo modo celebratus, sub forma venditionis, & seruato iusto pretio, nullam habet iniquitatem, vel vsuram.*

Probatur. Contractus hic emptio reuera est & vẽditio illarum mercium, in qua nec expresse nec tacite interuenit mutuum, cum mercator (vt supponimus) aperte dicat, ego nolo mutuare pecuniam, accipe tamen si tibi illud libet merces æquiualentes, quibus tibi subuenias: seruatur quoq; in eo iustum pretium, vt constituimus; ergo in eo nulla est vsura.

Secundo, si peterem ab amico mutuum, ille vero bona fide cum nullam habeat pecuniam, venderet mihi merces, quibus mihi subueniam, esset contractus licitus, ergo similiter quando mercator non vult mutuare, sed tradere solum merces suas seruato iusto pretio, si alter libere voluerit eas emere, ac ita recipere, contractus est licitus. Probo consequentiam, quia ad rationem iustitiæ vel iniustitiæ parum facit mutuantem esse amicum, vel mercatorem, habere pecunias, vel non habere.

Tertio, si à principio iste mutuatarius nõ postulasset mutuum, sed accepisset tantum vt emptor, postulans merces illas sibi vendi expectata solutione, instituens easdem cito vendere, mercator huic vendens iusto pretio, nec illud augens ob expectatam solutionem à nemine condemnaretur: ergo similiter dicendum est, quando à principio mutuum postulauerit, mercator vero dicat se nolle mutuare, sed vendere tantum, si ei placuerit emere. Patet consequentia: quia ad iustitiam, vel iniustitiam in contractu emptionis, vel vẽditionis tantum exigitur, vt q. 77. art. 1. vidimus, vt pretium sit iustum, & res quæ venditur sana & integra: parumque aut nihil potius refert, petierit ne emptor ille prius mutuum, vel non petierit. Eandem conclusionem & sententiã habuit Salmanticæ eruditissimus ille P. Ioannes à Peña.

Sed dices forsan huiusmodi contractum iniustũ esse, quia in eo emptor iste easdem merces sit statim multo vilius venditurus, nouitq; illud mercator, qui prius vendidit. Hoc tamen incommendum non reddit contractum illum iniquum, vel iniustum; quia licet peccauerit forsan mercator iste contra charitatem, cum potuerit mutuare illi fratri, & liberare eum à damno, quod patietur vendendo vilius, quæ prius carius emerat, contractus tamen ille non est iniquus, vel vsurarius.

Addo præterea, posse citra omnem iniustitiam mercatoris emptorem illum vilius vendere, quam prius emerit. Primo, quia potuit emere pretio rigido, & deinde vendere pretio infimo, intra latitudinem iusti pretij, quæ pretia, vt constat, omnia sunt iusta. Secundo ex modo vendendi, qui vt diximus variat pretia, in hoc enim casu cum mercator rogatus ab emptore vendiderit, potuit carius vẽdere quam emptor ille, qui deinde rogat alios emptores, vi illius regulæ. *Merces vltroneæ vilescunt.* Sed in his omnibus desideratur maxime diuinus timor, ne mercator iste, quia rogatus vendit, excedat iustum pretium vel titulo lucri cessãtis, vel titulo expectatæ solutionis, vel titulo periculorum quæ in recuperãdo illo debito sese

possunt offerre: sed vendat bona fide iuxta pretium fori.

Ex his perspicuum est, Imprimis, quid sentiendum sit de quibusdã ditissimis mercatoribus, à quibus Reges grauissimis bellorum expensis compulsi mutuatas pecunias postulare solent, ipsi vero asserentes se tantam pecuniarum copiam non habere in promptu, quanta ad sumptus belli sæpe exigitur, conueniunt cũ ipsis Regibus, vt mutuum quod postulant, in mercibus quas apud se habent accipiant, quibus vel diuenditis vel eisdem militibus traditis stipendia illis debita persoluant. De huiusmodi genere mutui dubitatũ est, D. Nauarro & multis aliis illum probantibus, aliis vero illum damnantibus.

Circa quod tamen tria ex dictis affirmanda sunt. Primum est, Mercatores istos si quidem aperte exprimant se merces illas Regi tradere, non sub contractu mutui, sed sub contractu uenditionis, nullam iniquitatem committere, modo sanas & iusto pretio illas tradant: Constat hoc satis ex dictis. Secundũ est, Si vero tradant illas sub ratione mutui, quomodo, si diligenter hic cõtractus consideretur, reuera illas tradunt, iniquus est & vsurarius. Quia in eo sub intuitu mutui multæ iniquitates inuoluũtur. Nam imprimis liberant se ipsos á cura vendendi merces illas, & illi oneri ac curæ subiiciunt Regem & illius ministros. Secundo, quia tradant illas Regi in magna copia, eodem pretio quo aliis minutim & diuisim traditas venderent, cum omnes fere merces minutim venditę maiori pretio vendi soleant, quam coniunctim & in magna copia traditæ. Tertio, quia cum Rex sub eodem pretio illas militibus tradat, quo ipse à mercatoribus accepit, milites vero vt sibi pecuniã cõparent easdem vilius vendant, redundat iniquitas illa mercatorum in magnũ militum detrimentum; quæ omnia contractũ istum arguunt profecto apertissimæ iniquitatis. Tertio dico, Mercatores qui alicui Principi vel Reip. obligant se ipsos ad mutuandas pecunias, vel merces quibus indiguerint, quotiescunque illas postulabunt, posse pro illa obligatione tuta conscientia pretium aliquod accipere, quod pro ratione illius obligationis, & periculi, cui per illam se exponũt, prudentum & peritorum arbitrio iustum sit, & vtrique parti accommodatum. Res est perspicua, quia obligatio illa, sicut & fideiussio pretio æstimabilis est, quidquid autem pretio æstimabile est, pretio similiter iusto vendi potest.

Perspicuum etiam est quæ docet Syluester verbo Vsura. primo q. 7. & 8. correctione aliqua ex parte egere. Habet enim mutuantem cum pacto illo, vt teneatur mutuatarius ad molas, vel fornacẽ, aut officinam ipsius accedere, vsuram quidem esse iuxta doctrinam D. Tho. Minime vero si dominus agri mutuet colono, ea lege, vt teneatur colonus ille sub iusto pretio, & mercede in agro illius laborare. Rationemque reddit, quia mutuatio hæc cum tali pacto & obligatione non fit (inquit) ad recipiendum lucrum, sed ad vitandum damnum, id est defectum culturæ. Nam prius illud quod ex D. Tho. colligit, verissimum est. Posterius vero quod ait de colono falsum, Constat enim ex præsenti cont. nulla ratio ne licere cum tali obligatione colono mutuare, quia cũ obligatio ista, vt diximus, pretio æstimabilis sit, reciperet dominus illius fundi aliquid pretio æstimabile vltra sortẽ. Nec ratio ipsius vllam habet vim: Etenim cum vitare damnum lucrum quoddam sit, idem est mutuare colono ad vitandum proprium damnum, quod mutuare illi ad recipiendum aliquod lucrum ex tali mutuo.

Ex traditis in hac controuersia aditus patet ad explicandas alias duas illi omnino similes. Quarum prior est:

LICEATNE MVTVARE

sub ea conditione, vt teneatur mutuatarius restituere pecuniam mutuo acceptam in mercibus.

Respõsio ex dictis est in promptu. Distinguendum necessario esse, sicut distinximus de mutuante pecuniam alicui mercenario, vel agricolæ: ita vt qui pecuniã alteri exhibet vel conferat eam sub ratione mutui, vel sub ratione anticipatæ solutionis illarum mercium, quas postulat sibi a mutuatario exhiberi, quod facile intelligitur ex qualitate & statu mutuatarij. Nam si mutuatarius ille solitus sit merces illas paratas habere, & venales cuicunq; volenti illas emere, collatio illa pecuniæ etsi sub nomine mutui postulata sit, reuera mutuatio non est, sed emptio & solutio illarum mercium. Quod si mutuatarius ille non habeat tales merces, nec solitus sit illas vendere, sed tempore restitutionis mutui illas aliunde quęsiturus sit, collatio illa pecuniæ á mutuante non fuit emptio aliqua cum anticipata solutione

illarum mercium, sed reuera mutuum.

Quo posito dico primo. Si mutuans alteri pecuniam, conferat illam sub ratione reuera mutui, iniquum esse, & vsurarium mutuare illi cũ tali pacto, vt teneatur mutuum illud restituere in mercibus: Patet ex dictis, Mutuare cum pacto, ex quo sequitur mutuatario obligatio aliqua ciuilis, & pretio æstimabilis, vsura est, hæc autẽ obligatio vt teneatur mutuatarius restituere pecuniam acceptam in mercibus, quas non habet paratas, nec solitus est vendere, sed est aliunde illas quæsiturus, est illi onerosa, & grauamen pretio æstimabile, ergo vsura.

Dico 2. mutuantem alteri pecuniam nõ sub ratione mutui, sed reuera sub ratione emptionis, & anticipatæ solutionis illarum mercium, modo seruetur in tali contractu iustũ pretiũ, nullã committere vsurã, vel iniquitatem, imò conferre beneficium indigenti illa pecunia. Probatur. Hic contractus, etsi postulans pecuniã vsus sit nomine mutui, reuera tamen à parte rei est emptio illarum mercium cum anticipata solutione, emptio autẽ cum anticipata solutione, in qua seruatur omnino iustum rei pretium, nullã habet iniquitatem, vt videbimus inferius in Controuersia de emptione lanarum cum anticipata solutione, ergo hic contractus nullam habet iniquitatem vel vsuram. Et conf. quia in contractibus, vt de illorũ iustitia, & æquitate feratur iuditium, nõ tam habendá est ratio nominum, quæ illis quandoq; ex errore à contrahentibus imponuntur, quam propriæ naturæ illorum, hic autẽ contractus, in quo exhibens pecuniam confert reuera illam tamquam pretium mercis à se recipiendæ, etsi dominus illarum mercium vsus sit nomine mutui, & sub tali nomine pecuniam postulauerit, reuera tamen emptio est. Cum ergo seruetur in ea iustum pretium, quod exigitur ad iustã emptionẽ, nulla existit in eo iniquitas vel vsura.

Dices, cum ex D. Thom. vt initio huius artic. admonuimus, anticipata solutio sit quoddam genus mutui tacitum & implicitum, in quo mutuans obligat mutuatarium ad reddendum sibi mutuum, in illa merce, pro qua solutio illa anticipata fit, cõsequẽter recipiens illam anticipatam solutionem obligatur reuera ad duo ex mutuo; primo ad restituẽdũ æquale sorti, & secũdo ad restituendum illud in mercibus, quæ obligatio secunda pretio æstimabilis est, & accidit sorti, erit ergo vsura.

Respondeo, Quando propter anticipatam solutionem minuitur de iusto pretio mercis, tunc reuera esse quoddam mutuũ implicitum cum lucro, vt recte considerauit D. Tho. & in cõtrou. illa abũde explicabimus; at quando conferens pecuniam admonet, & explicat aperte se nolle mutuare, sed emere tantum has vel illas merces eo tẽpore, & eodẽ pretio iusto, quo easdẽ aliis solitus est vendere, & actu vendit, si ipsi ita placuerit, & sub ea conditione pecuniam suam illi exhibet in pretium illarum mercium, quod propriè est anticipare solutionem in vtilitatẽ illius venditoris, hoc reuera non est mutuum, ex quo pecuniam illam conferens aliquid recipiat lucri, sed emptio tantum cũ anticipata solutione, quam licitè ac iustè fieri posse seruato iusto pretio certissimum est: fitque passim à viris timoratis volentibus parare annonam domui, & familię suæ, exhibentibus pecuniam anticipatam in pretium frumenti recipiendum ab ipsis tempore messis, eo pretio quod tali tempore censebitur iustum.

Dixi, conferentem pecunias exprimere aperte recipienti illas, se nolle mutuare, sed emere solum merces quas aliis venditurus est, & eodem pretio iusto quo aliis. Primo quia exigit illud contractus venditionis, vt venditor intelligat, pecuniam quam accipit pretium esse non mutuum. Secundo ne venditor falso credat ratione mutui obligationem illam sibi esse impositam restituendi mutuum in mercibus, & mutuantem, qui verè emptor fuit & non mutuans, iudicet vsurarium.

Altera quæstio, occasione eorum quæ in hac controuersia dicta sunt explicanda, est.

Controuersia. VI.

SITNE IVSTVS CONTRActus, *in quo rem carius venditam ad creditum idem mercator, vel alius vilius statim emit in pecunia numerata: qui contractus dicitur apud nos* Mohatra *vel* Barata.

ACcidit, & frequentius certe quã oporteret, vt indigens pecunia quo vitet cambia, vel alios contractus quos sibi noxios iudicat, accedat ad mercatoris officinam, postuletq; ab eo merces aliquas ad creditum, vt eisdem in numerato statim venditis facilius & breuius habeat pecuniam, quam desiderat.

Quem contractum hominum iniquitas parte

& auaritia variis modis fieri posse excogitauit, potissime tamen, iuxta ea quæ in hac parte mercatorum & proxenetarũ vsus habet, exercetur tribus modis. Primo, vt merces istæ, eidem mercatori à quo carius emptæ sunt propter expectatã solutionem, vilius statim vendantur pecunia præsenti; & hic est qui proprie dicitur à nostris *Mohatra* à Latinis seu potius Italis. (Qua voce vtuntur Syluester & alij summistæ) *Stocola.*

Secundo, quando non eidem mercatori, sed aliis emptoribus illæ venduntur, qui contractus dicitur à nostris *Barata* ab Italis *Baracolla.*

Tertio modo, qui est omnium iniquior, quando proxeneta ipse nomine proprio merces illas carius à mercatore emit, ea legẽ vt cum primũ illi mercatori obtulerit virũ, qui sit soluendo, & qui obliget se soluturum, maneat proxeneta ipse à debito illo omnino liber. Quo facto vẽdit statim easdẽ merces, & sub eodem pretio homini indigenti pecuniis, cui iam obtulerat merces seu pecunias potius hac via quærere, offertq; illum (sicut constituerat) mercatori primo venditori, quo promittente solutionem illius debiti, manet iam liber proxeneta. His ita habitis, emit rursum idem proxeneta viliori pretio easdem merces, ab eodem cui ipsemet illas prius vẽdiderat & misero illo pecuniis indigente, sub fide præsentis solutionis, quam vt illi cito exhibeat (huc enim tendunt omnes istæ artes & industriæ) vendit rursum alteri easdem merces vel iusto pretio, vel saltim sibi accõmodato, & cum aliquo lucro, vt habeat in prõptu pecuniam quam statim reddat misero illi. Qua ratione miser ille, vt præsentem pecuniam habeat, cum graui vsura, & suorum bonorum iactura adueniente solutionis tempore primo venditori restituendam, toties ab iniquo illo proxeneta decipitur, & impius iste tantæ iniquitatis minister varia sibi comparat lucra. Quia imprimis tam à mercatore illo primo venditore, quam à misero ipso emptore stipendia sui muneris exigit, deinde vbi merces misero isti carius venditas, & ab eodem vilius reemptas alteri commodo pretio vendit, in eo pretio rursum lucratur.

In his omnibus modis imprimis emptorem istum hac via pecunias quærentem, vt proprie subueniat indigentiæ, certum est nullam committere iniquitatem: cum vnicuiq; liberum sit citra omnem iniustitiam bona sua distrahere, quin & pro libito prodigere, ita vt si iusta necessitate compulsus per huiusmodi contractus illi occurrere nitatur, nullum committat peccatum, si vero ad ludos, meretrices, vel alios turpes, aut vanitatis plenos fines, ita pecuniã quærat, prodigalitatis quidem vel alterius culpæ sit arguendus, nunquam tamen iniquitatis vel iniustitiæ: cum sibi tantum miser ille in his contractibus noceat. Vnde tota difficultas sicut & iniustitia circa mercatores istos, & proxenetas tantæ iniquitatis ministros, & socios versatur. De singulis suo ordine dicamus.

Circa primũ modum ex istis tribus quem summistæ *Stocolam* Hispani *Mohatram* vocant, Nauar. in suo Manu. c. 23. num. 91. cui videtur subscribere Palat. lib. 4. c. 12. sentit, contractum istum non esse iniquum, nec damnandum, si duplex in eo reperiatur conditio. Prior est, vt seruetur semper iustum pretium, nam cum merces huiusmodi certum pretium à lege illis impositum communiter non habeant, sed iustum illarum pretium sit, quo venduntur communi vsu fori, quod vt vidimus q. 77. art. 1. habet latitudinem, si mercator neq; cũ carius vẽdit latitudinem illam excedat, neq; cum vilius emit ab eadem latitudine deficiat, seruat priorem conditionem in hoc contractu debitam. Altera est, (quia huiusmodi contractus habet speciem mali, maleq; communiter apud homines audit) vt tollatur omne scandalum, & iniquitatis suspicio, vt mercator hic vel non statim merces illas emat, quin prius aliis quoque venales proponantur, tuncque illas emat, tanquam vnus ex illis, & eodem pretio, quod ab aliis offertur. Vel saltim adhibeat viros honestos, qui contractui illi vt testes assistant, videantq; mercatorem illum nulla vti iniquitate, quin potius misericordia, cum nec pretium rigidum in quo vendit, excedat latitudinem iusti pretij, nec ab illa deficiat pretium infimum in quo emit.

Quod autem his conditionibus seruatis contractus hic licitus sit & iustus, probatr Quia mercatori isti licet emere quod aliis liceret, nullo enim iure prohibetur, nec redditur deterioris cõditionis propterea quod res illas prius ipse vendiderit, aliis autem licebit ergo & mercatori illi; quod enim ipsemet prius illas vẽdiderit, nihil facit ad iustitiam secundi contractus, cum in eo seruetur iustum pretium & vitetur scandalum.

Thomas Mercatus in suo tractat. de contract. lib. 2. cap. 21. illum omnino dãnat, non solum ratione scandali & suspitionis iniqui-

iniquitatis, quam secum huiusmudi contractus affert, verumetiã ex natura rei. Primo quia omnes prudentes eo audito illum, statim condemnant, & mercatorem ita vendentem, ac reementem iniquum iudicant, nec tale iudicium temerarium censent.

Secundo, quia hic contractus recte consideratus mutuum reuera est, & cum vsura. Quid enim aliud est Petrum mercatorem vendere Ioanni merces pretio vt 100. soluendas in fine anni, & statim easdem emere pecunia numerata pretio vt 90. quam dedisse illi mutuo 90. recipienda in fine anni cum lucro vt 10. qui contractus reuera est mutuum, & cum vsura.

Tertio, quia legibus Castellæ prohibetur omnino, & sub grauissimis pœnis contractus iste. In lib. enim ordina. Regal. lib. 5. tit. 11. leg. 22. de huiusmodi mercatoribus in quorum officinis variæ merces venduntur, dicitur. *Mandamus, ne prædicti mercatores, neque per se neque interpositam personã, neq; directe neq; indirecte rursum reemãt, vel recipiant, quæ alicui ad creditum vendiderunt: sub pœna perditionis officiorũ, & 5000. dipondiorum, &c.*

Syluester ver. vsura. Secundo q. 4. ita distinguit, vt si mercator iste præscius indigentiæ & necessitatis, quam emptor ille patitur, intelligensque merces illas statim ab illo vendendas, eo fine & animo vendit, vt viliori pretio easdem cito recipiat, contractus hic sit iniquus, & vsurarius, quia re ipsa in eo sub nomine venditionis & emptionis confertur mutuum cum vsura, cui argumento nititur opinio Mercati, & in quo sensu illius sententia verissima iudicatur ab omnibus, ac tenenda. Si vero mercator iste, bona fide, sanaque mente emptori ad officinam suam venienti merces suas vẽdat ad creditum, sub pretio quamuis rigido iusto tamen, nesciens illius indigẽtiam, existimansque ipsum merces illas in suam vel suorum vtilitatem emere; postea vero videns emptorem illum quærere alios earũdem mercium emptores, iusto pretio illas emat, sicut posset quiuis alius, hanc secundam emptionem à primo venditore ea ratione factam nec vsurariam esse, nec iniquam, nec aliquo modo damnandam esse.

Quia mercator iste hoc secundo modo vendẽs, & reemens nec mutuum exercuit, sed veram & realem venditionẽ & emptionem, nec vlla fraude, vel dolo, aut iniquitate vtitur, sed præstat quod cuiuis alteri liceret, cum bona fide vendiderit iusto pretio, & bona etiã fide, ac sine scandalo iusto quoq; pretio merces illas reemat, vidẽs publice proponi venales cuicũq; volenti illas emere. Cui argumento nititur opinio Nauarri, & in quo sensu iudicatur etiam a recentioribus vera.

Nobis hæc sententia Syluestri ita probatur, vt nõ iudicemus alias reiiciendas. Dicã igitur circa hanc partẽ tria. Primo, si mercator iste huiusmodi emptori interueniente pacto vendat, ita vt obligetur ille easdem merces eidem mercatori statim vendere, esse manifestam vsurã. Ratio est aperta, quia in isto contractu præter pretium rei, accipit illam obligationem emptoris, quæ pretio æstimabilis est. Secundo, quia perinde se habet mercator iste in hoc contractu, ac si mutuasset emptori pretium illarum mercium, quas ab ipso reemit in numerato, recipiendum cum lucro adueniente præfixo tempore solutionis.

Dico secundo, etiam si non interueniat pactum, quo emptor iste teneatur merces illas eidem mercatori reuendere, intelligat tamen mercator iste, emptorem illum eas necessario statim venditurum vilius, nec alium existere præter ipsum, qui possit illas emere, & eo animo ac intentione vẽdat, esse vsuram mentalẽ. Quia sic vendens, mutuum potius exercet, quam venditionem, & expectat lucrum ex mutuo. Quod si nec pactum aliquod cum emptore illo constituat, nec vendat animo, & intentione recipiendi statim easdem merces viliori pretio, sed bona fide, vt emptor commodiori via qua poterit, ex illis mercibus sibi subueniat, deinde vero rogatus ab emptore illas emat, iusto etiam pretio, quamuis viliori, contractus est licitus, & nullo modo vsurius. Ratio est aperta, Quia sic emens nulla illum afficit iniuria, nec quidquam accipit ex mutuo, sed vtraque fuit vera & realis emptio, & venditio, & iusto pretio.

Dico tertio, nihilominus contractum huiusmodi maxime suspectum esse, quia communiter non habet eas conditiones quas proposuimus: Quin potius mercatores isti, vt plurimum vendunt communiter cũ mala intentione, & malafide intẽdentes eadem vilius statim reemere, & quasi certitudine morali scientes emptores illos nulli alteri esse vendituros quam ipsis, imo frequentissime per suos exploratores, quos vocant *corredores de Mohatras* quando vendunt, iam secreto acceperunt eo fine illos emere, vt res emptas eisdem mercatoribus statim

statim vendat. Secundo, vendunt etiã communiter carius, quam sit iustum pretium, nec emens, cum necessitate ad quam redimendam emit opprimatur, altercat de pretio, quantumuis iniusto & excessiuo: quæ omnia in magnam Reip. perniciem cedunt, propter quod sanctè & iuste huiusmodi Mohatræ in Castella legibus Regni sunt omnino prohibitæ & interdictæ. In nostro Regno non existunt leges aliquę municipales, quæ huiusmodi contractum prohibeât, sed prudentiæ, & rectitudini iudicum relinquitur, vt si quam iniquitatem, vel fraudem in pretiis mercium, quæ ita venduntur, & & reuenduntur, deprehenderint, ad æquitatem & iustitiam illam fideliter reducant, & mercatores huiusmodi & illorum ministros vt Reipub. pestes iuxta eorum delicta acriter puniant.

DE CONTRACTV QVI *dicitur Barata.*

Circa secundum contractũ quem dicimus *Barata* res est facilior. Etenim cum in hoc contractu diuersi ac distincti sint, tam a primo emptore, quam a primo venditore qui merces illas secundo emunt, non habet locum aliqua ratione contractus mutui: sed tam prima emptio, qua indigens pecunia ab illo primo mercatore merces emit, quam secunda, qua alij ab ipso easdem secundum emunt, sint reuera emptio, & venditio, seruatis legibus iustæ venditionis & emptionis, nempe vt res illa sana sit & integra, vendaturque intra latitudinem iusti pretij citra omnem fraudem, & dolũ, nulla existit iniquitas, aut iniustitia. Hæc namq; tũc solum in hoc contractu reperiri posset, si vel primus ille venditor propter expectatam solutionem excederet a iusto pretio, vel secundi emptores propter necessitatem & indigentiam primi, res illas ad comparandam pecuniam vendentis, a iusto pretio vellent detrahere: quibus cessantibus (vt constituimus) contractus iste iustus est, & licitus.

In tertio præ ceteris perspicua est illius contractus seu technæ potius iniquitas, & versutia, cum tot in eo fraudes & doli interueniant, tam ex parte venditoris, quam ex parte potissimæ proxenetæ. Quo circa ab omnibus Doctoribus, merito damnatur, & grauissime reprehenditur, barbaricaq; & piratica depredatio recte a Molineo dicitur, nisi hæreticus iste, Theologis, in illo tractatu De vsuris. num. 14. falso imponeret, eos huiusmodi contractum tanquam mercantiæ cursum & fortunam probare. Constat enim hoc & similia deceptionis, & fraudulentiæ genera Theologos non modo non probare, verumetiam damnare, & grauissime reprehendere.

Ex his quæ, huc vsque dicta sunt, satis explicatæ manent dubitationes, quæ circa ea quæ habet D. Thom. in corp. art. oriri poterant, Nunc ad controuersias, quæ circa solutiones argumentorum, quæ ab eodem proponuntur, sese offerunt, conuertamus sermonem.

In solutione primi, ex qua deduximus quartam conclusionem initio huius art. propositam, agit D. Tho. de illis duobus titulis, quibus mutuantes maxime mercatores nituntur tuta conscientia aliquid accipere in mutuo vltra sortem, nempe ratione *Damni emergentis* vel *Lucri cessantis.*

Circa quos titulos constituit ibi D. Thom. vt recte obseruat hic Caiet. duas regulas.

Prior est, Licet mutuãti expetere a mutuatario & exigere damnum illi emergens ex tali mutuo, Quia ex beneficio quod alteri præstat per illud mutuum, non debet ipse damnum incurrere.

Posterior est. Non licet mutuanti expetere aut exigere à mutuatario lucrum, quod illi cessat & forsan obtinuisset ex pecunia illa mutuata: quia nemini licet vendere id quod non habet, sed potest multis modis adhuc impediri: Quas regulas, licet in conclusione quarta, quam initio huius art. proposuimus, probauerimus, nunc tamen ex professo discutiamus oportet.

Primum igitur videamus.

Controuersia. VIII.

AN RATIONE DAMNI *emergentis ex mutuo liceat mutuanti exigere, & recipere aliquid vltra sortem?*

Dominicus Soto, & nonnulli ex nostris, & multi ex Iurisperitis cum in hãc incidũt quæstionem, disputãt simul de lucro cessante, & dãno emergente, quasi eadem sit vtriusq; ratio, idemque debeat esse de vtraque iudicium, cum magna tamen inter hæc existat differentia, vt constat aperte ex Regulis, quas modo proposuimus ex D. Tho. hic in solutio

solutione primi: cui vt progressu huius disputationis videbimus, subscribunt non solum omnes discipuli ipsius, verum etiam Scotus. Duran. & plerique ex præstantioribus Theologis. Quin ex multi ex Iurisperitis magnum inter ista reperiri discrimen confitentur, ita Bartho. in l. Omnes popul. post num. 55. ff. de Iusti: & iure, Alexan. in Consi. 101. num. 15. & 17. volu. 3. vbi opinionem istam receptam, & communiter aprobatam affirmat, Et idem Concil. 111. num. 3. volum. 7. In l. Prospexit. ff. Qui & à quibus. notant pleriq; eorum magnam & indistincte esse differentiam, certet ne quis de lucro non assequendo, seu de eo amittendo, an vero de damno sustinendo, aut euitando. Sed quid leges ipse in hac parte habeant, audiamus L. Qui autem. Et l. Si fraudatur. in princ. ff. Quæ in fraudem credit. habetur, ignorantiam solum excusare ad damnum vitadum, non ad lucrum captandum. L. si is cui. 9. eius rei. ff. de furtis. dicitur: Interesse autem eius videtur qui damnum passurus esset, non eius cui lucrum facturus esset, & in l. Iuris ignorantia. ff. de Iuris & facti ignorantia, præcipitur: vt diuersa habeatur ratio eius qui lucrum quærit, & illius qui damnum euitare contendit, millioremq; esse huius conditionem & ius, quam illius. Deniq; ne Iurisperitum agere videar in tot legibus referendis, muneris que Theologici oblitus, l. quamuis & l. fina. Cod. de iuris & facti ignorantia. l. sciendum. ff. Ex quibus causis maior. &c. conceditur restitutio in integrum ad damnum vitandum, non tamen ad lucrum captandum. Ex quibus perspicuum fit, inter ista plurimum interesse, nec similiter iudicandum esse tam in venditionibus vt q. 77. art. 1. vidimus, quam in mutuis, & vsuris, de quibus hic agimus, quam in aliis contractibus de lucro cessante, & damno emergente, sed diuisim ista esse explicanda, tanquam diuersa, & in quibus diuersa quoque necessario debent esse ratio, ius, & meritum.

Disputat igitur hic plurimum de damno emergente, licet initio huius art. quid illud sit dixerimus, nunc rursus exactius multo explicandum est. Dicitur ergo quatenus hic locus postulat, *Damnum emergens* nocumentum illud, quod mutuans directe & per se ratione mutuationis patitur. (V. g.) habebat Petrus paratam pecuniam ad reficiendam domum suam, quæ minabatur ruinam, vel ad comparandam annonam mense Augusti: postulat illam Ioannes ab ipso mutuo, propter quod nec domum suam reficere, nec annonam tempore commodo sibi parare valet, si domus illius deinde ruat, vel frumentum carius vendatur, huiusmodi nocumenta quæ Petrus reuera non fuisset passus, nisi Ioanni pecuniam suam mutuasset, dicuntur damnum emergens. Similiter damnum emergens est, si mutuatarius non restituat pecuniam, vel rem quam mutuo accepit præfixo tempore, sed sit in mora, propter quod mutuans, vel ad debita sua tunc soluenda, vel ad alias necessitates leuandas, teneatur cum cambio, vel vsura, aut alia quacunque via sibi nociua pecunias quærere. Vnde differunt plurimum damnum possibile, siue contingens, & damnum emergens possibile enim dicitur, quod accidere potest, siue illud reuera accidat, siue non, siue casu & fortuito, siue ex propria ratione mutui: emergens vero dicitur, quod reuera & actu imminet, & ex defectu illius pecuniæ mutuatæ.

Obseruemus secundo, bifariam posse aliquem alteri mutuare, aut libere, & voluntarie, nullaq; ipsi illata vi, vt cũ amicus amicum rogat vt sibi mutuet, aut interueniente aliqua vi & coactione, vt cum propter metum sibi incussum mortis, infamiæ, aut alicuius alterius damni, quis alteri mutuat. Ad quod etiam genus reducitur cum Dominus postulat mutuum à suo subdito, vel Princeps, à suo ciue, notumq; ipsi certo, variis molestiis se afficiendos nisi illis mutuent. Tum etiam vbi Princeps, quamuis necessitate communi cõpulsus iuste eos compellat ad sibi mutuandum, est quoddam genus coactionis, & inuoluntarij. Quamuis enim possit Princeps bonis suorum ciuium in communi necessitate vti, ea tamen lege, vt colligat ex omnibus, nullo prætermisso, iuxta cuiusque facultates, quæ illa necessitas postulauerit, sicut diximus agendo de vectigalibus nisi iudicet se habere in promptu vnde mutuum illud restituat, ne nouis collectis suos subditos grauet: poterit quidem tunc compellere aliquos ex ditioribus subditis suis ad sibi mutuandum: at quamuis in eo casu illud possit, erit nihilominus tale mutuum coactum etiam, & inuoluntarium.

Vnde duo genera mutui coacti, & inuoluntarij possumus hic constituere, Alterum, quod fit iniqua & iniusta coactione, veluti per vim aliquam, vel metum inique incussum. Alterum vero, quod fit iusta interue-

teruenienteco actione, vt cum Rex bono communi illud exigente, compellit aliquos ex ditioribus subditis suis, vt sibi mutuēt.

His positis certa prius ab incertis separemus.

Illud imprimis apud omnes certum est, vbi mutuum mutuāte inique coacto & inuito fit, teneri mutuatarium simpliciter, & absolute, siue ducatur à principio in pactū, siue non, ad persoluendum mutuanti nō solum damnum quod ex deffectu pecuniæ, quam ita coactus mutuauit, deinde patitur, verumetiam & lucrum quod illi cessauit, & actu ac reuera lucratus fuisset, quando coactio illa est per vim & metum incussum. Quæ pars aperta est, quia mutuatarius sic accipiens, cum mutuans vim patiatur, & iniuriam, exercet aperte, quoddam genus rapinæ, quicunq; autem bona alterius furatur, vel rapit, tenetur ad restituendam non solum sortem & capitale quod rapuit, verum etiam omnia damna inde subsequuta, & lu cra vere cessantia.

Secundo, potest quicunq; illius damni quod ab alio iniuste patitur, compensationem exigere, sed ille cui inuito, & reclamāti, vel damnum emergit, vel lucrum aliquod actu & vere cessat, patitur damnum illud iniuste: ergo iustè poterit exigere compensationem illius damni, imo etiam si illam non exigat, debetur illi in conscientia iuxta illam regulam iuris. *Si tua culpa damnum da tum est, iure super his te satisfacere oportet.* Estq; communis sententia DD. quæ colligitur recte ex L. Cum quidem. ff. de Vsuris, & L. vsuras. Cod. eod. tit. vbi emptor qui fuerit in mora soluendi, cogitur reficere venditori vsuras quas patietur, neque ob aliam rationē, nisi quia patitur damnū illud inuitus. Et conf. ex cap. Peruenit, & cap. Constitutus: extra de fideiussoribus. Vbi diffinitur: vt si fideiussor persoluit debitū illius pro quo fidem iussit, & ex deffectu pecuniæ quam pro alterius debito persoluit, damnum aliquod accepit, vel dispendium fecit, teneatur debitor nō solum soluere sortem & pecuniam, quam redidit fideiussor pro illius debito, verumetiam reficere omne damnum & dispendium, quod ea sibi deficiente, passus est. Ex quo sic argumentor, hic fideiussor etsi tempore quo soluit debita sui principalis, compulsus á iudice persoluat, at à principio libere voluit esse fideiussor, & nihilominus sunt illi reficienda omnia dāna & dispendia, ergo potiori iure illi qui mutuauit coactus, & inuitus, nec libere vnquam suam pecuniam tradidit mutuatario.

Similiter quando Rex communi necessitate exigente postulat mutuum à mercatoribus, compellens eos, etsi propter bonum commune illud posit, & ipsi teneantur mutuare in tali casu, non tamen suo damno & dispendio. Nō enim potest Rex ad bonum commune priuatim hos grauare aliis omissis, ex regula illa iuris, quæ est velut quædā vox naturæ: *Quod omnes tangit, &c.* Qua de causa tenetur similiter, vbi cōpellit eos ad mutuandum, omnia damna emergentia, & lucra vere illis cessantia cōpensare. Quia cum hi non libere nec sponte mutuauerint, sed coacti & compulsi, nullomodo nec tacite nec expresse cōsenserunt in illa damna, vel dispēdia. Nec obstat, quod iuste à Rege in tali casu compellantur, nam iustè etiam compellitur fideiussor, vt modo dicebamus, & ex obligatione in quam ipse à principio consensit, nihilominus reficienda sunt ei omnia damna, & dispēdia; similiq; ratione mercatoribus istis, etsi iustè ipsi à Rege compellantur, reficienda nihilominus illa damna sunt, cum nunquam in illa nec in tale mutuum libere consenserint.

Hoc vero inter est inter Principem iustè compellentem subditos diuites ad sibi mutuandum, & alios qui iniquè per vim, & metum alios cogunt: quod Princeps tenetur quidem, vt dicimus ad reficiēda damna emergentia, & lucra vere illis cessantia, eo modo quo exponemus lucrum vere cessare ex mutuo, nihil tamen tenetur illis reficere ratione illius compulsionis, quia iustè id potuit, neq; aliquam ipsis in eo intulit iniuriā, cum iustè ageret: at priuatus vel quiuis alius qui iniustè cogit, & per vim quam non poterat inferre, tenetur reficere præter damna emergentia, & lucra vere cessantia, aliquid aliud ratione illius iniurię ad arbitrium prudentis. Etenim vt vidimus quæst. 62. art. 2. quæuis iniuria illata proximo, pretio æstimabilis, pretio similiter compēsanda est ad arbitrium prudentis. Docet illud consuetudo iudicum, qui vbi alicui damnum aliquod illatum est cum vi, & iniuria, non solum damnum illud, verumetiam & iniuriam illam pretio compensari pręcipiunt, pro qualitate personarum, & circunstantiarum.

Hæc omnia certa sunt apud omnes.

Tota ergo quæstio est.

AN VBI

AN VBI QVIS GRATIS ET

ex beneuolentia alteri mutuat, possit deducere in pactum, damnum quod prudenter timet ex illo mutuo sibi imminere.

Scotus in 4. Dist. 15. quæst. 2. art. 4. habet: vt si quis ex charitate & misericordia moueatur ad mutuandum amico, ita vt ex illo mutuo debeat incurrere damnum, aut non mutuet, aut si mutuat, non vitiet illam misericordiam, (ita ille loquitur.) Vnde iuxta Scotum bifariam potest quis alteri voluntarie mutuare, aut ex sola amicitia humana, etiam si mutuatarius non multum indigeat, aut ex misericordia & charitate, quia frater grauiter & plurimum indiget: Si priori modo, iudicat posse deduci in pactum damnum emergēs quia sola amicitia non obligat ad mutuandum cum damno proprio: Si vero ex charitate, & misericordia, non posse damnum illud duci in pactum, quasi postulet misericordia etiam cum damno proprio indigenti mutuare ita vt & aliter vitietur.

Ioā. Andre(vt refert Adria. in 4. De restitutione.)in cap. Nauigāti De vsuris. Et idē (vt refert Panorm.) In cap. final. De vsuris. Cald. in eod. cap. quæst. 3. Anton. de Brutio in Cap. Salubriter. eodem titulo. Lauren. De Rodulfis in Tract. De vsuris & in Cap. Consuluit. eod. titu. par. 2. quos videtur etiam sequi idem Adrian. loco cit. Et Glossa 14. quæst. 4. Cano. Quoniam multi. Volunt mutuatarium bifariam posse se habere, aut ita vt adueniente tempore solutionis statim restituat mutuum, neque sit in mora, aut ita vt differat sitque in mora: Si non sit in mora, negant posse deduci in pactum damnum emergens, quia iste gratis & libere mutuauit, & gratis ac libere voluit per totum tempus præfixum illa pecunia carere, & consequenter consensit in damna, quæ ex defectu illius pecuniæ poterant sibi euenire. Si vero sit in mora, teneri ad reficienda omnia damna, quæ post illam moram mutuans patietur, quia tunc iam retinet pecuniam mutuante inuito, cum ipse solum consenserit vsque ad tempus præfixum.

Confirmatur hæc opinio ex l. cum quidam §. Si pupillo. ff. De vsuris. Vbi habetur: *vsuræ non propter lucrum petentium, sed propter moram non soluentium infliguntur.* Et l. vsuras. Cod. De vsuris. emptor ratione moræ cogitur soluere vsuras venditori, vbi non est intelligenda vsura formalis, sed materialis, id est illud interesse & damnum quod alter recipit ex mora.

Communis vero sententia tam inter Theologos, quam Iurisperitos habet, licere mutuanti non solum vbi mutuatarius fuerit in mora, verumetiam a principio contractus pacisci cum illo, de reficiendo omni damno vere ex tali mutuo ipsi emergente. Ita D. Thom. hic in solutione primi, vt constat ex Regulis hic positis. Durand. in 4. Dist. 15. quæst. 3. Gabri. ibidem. D. Anton. 2. p. cap. 12. §. 15. Conrad. De contract. quæst. 30. conclusione 1. & 2. licet omnes ille 7. condiciones quas ibi exigit Conrad. ad damnum emergens, non sint omnino necessariæ. Adria. in suo 4. tract. De vsur. Cap. quod incipit: Quia tactum est de interesse. Medina complu. Cod. De Restit. Tract. De vsuris fol. 137. Syluester. verb. vsura. Primo quæst. 19. Caiet. in commento huius arti. Et omnes discipuli D. Tho. Ex Iurisperitis Hostien. in Cap. Salubriter. De vsuris. Et ibidem Panorm. num. 3. Anania. in Cap. Conquæstus num. 16. Eod. tit. Archid. in cap. vsura. 14. quæst. 3. Alexand. in Concilio 121. Quod incipit Super titulum quæstionis, Vola. 2. Philip. Decius in Cap. Cum venerabilis num. 14. De exceptio. Ioan. Lupi. a Palacios Rubios in repetione cap. Per vestras notab. 6. num. 5. De donatione inter verum & vxorem. Et fere omnes; adeo vt sit hæc vere communis omnium DD. Theologorum, Canonistarum, & Iuristarum, vt recte admonent Couar. lib. 3. varia resol. cap. 4. num. 5. & Vir eruditus Hieron. a Curiel De vsuris. Tract. 3. quæst. 3. par. 1. Eandem sequitur Soto lib. 6. De iustitia art. 3. Conclu. 3. Probatque eodem argumento quo D. Tho. sentit tamen illam non esse omnino certam, neque incertitudinis illius aliquam reddit causam, suspicari tamen licet hac forsan adductum esse ratione. Quia mutuans eo ipso quo voluntarie mutuat per aliquod tempus, voluntarie consentit in ea damna, quæ illi possunt accidere ex defectu illius pecuniæ per totum illud tempus. Potestque sic confirmari Mutuum habet ex sua natura vt fiat gratis, ita vt nihil possit mutuās expectare ex iustitia & pacto, sed mutuū, propter damnum emergens non

desinit esse vere mutuum; ergo debet fieri adeo gratis & liberaliter, vt nihil in eo exigatur ex iustitia, & pacto vltra sortem, atsi damnum illud emergens deducatur in pactum, exigeretur iam aliquid tanquam ex iustitia vltra sortem. Vnde non est omnino securus talis contractus.

In hac quæstione obseruemus. Primo, nonnunquam mutuatarium in restituendo mutuo non differre tempus præfixum solutioni, nec esse in aliqua mora, aliquando vero differre solutionem, & esse in mora. Rursus mutuantem aliquando á principio contractus & tempore mutuationis ducere in pactum damnum illud emergens, si vere accidat sibi compensandum esse, aliquando vero simpliciter, & absolute mutuare, sine tali conuentione, vel pacto.

Obseruemus secundo, celebrantes aliquem contractum, eo ipso quo in illum consentiunt, consentire simul, nisi aliud exprimant, in illa omnia quæ sunt intrinseca tali contractui, & sine quibus nullo modo talis contractus celebrari, aut fieri potest, non tamen in ea quæ sunt externa & aduentitia, & quæ tali contractui accidere possunt, & non accidere. Vt in matrimonio, in venditione, & similibus, eo namque ipso quo aliquis vendit, vel contrahit, consentit in ea quæ sunt intrinseca venditioni, vel matrimonio, vt reddere debitum, educare prolem, transferre dominium, minime vero in alia quæ accidere possunt, & non accidere, maxime in ea quæ sunt in damnum contrahentis.

Obseruemus vltimo. In mutuo, sicut quando præfigitur tempus, si adueniente illo mutuatarius non soluat, est in mora, & detinet pecuniam illam apud se velut inuito domino, cum mutuans tantum consenserit vsque ad illud præfinitum & constitutum tempus: Ita quoque, quando non præfigitur tempus, sed conueniunt vt teneatur mutuatarius acceptā reddere, quotiescunque mutuans postulauerit, si quamprimum postulat non reddiderit, dicendus similiter est in mora, cum ita conuenerint, vt in arbitrio mutuantis relictum fuerit tempus, & terminus mutui: Quod si relictum sit in arbitrio mutuatarij, tunc arbitrio prudentis iuxta facultates vtriusque, & loci consuetudinem, iudicandum est de mora: non enim ex eo quod mutuans ita illi commiserit, & amicè se gesserit, vt tempus alterius arbitrio reliquerit, differenda est solutio in perpetuum.

Sit Prima conclusio. *Licet mutuanti deducere in pactum damnum emergens ex mutuo à principio mutuationis, & ante omnem moram mutuatarij, siue illi ex amicitia mutuet, siue ex charitate & misericordia.*

Probatur efficacissime argumento D. Thom. Sicut in mutuo non est accipiendum aliquid ex vi mutui vltra sortem, ita neq; in venditione absolute & simpliciter potest aliquid accipi vi venditionis vltra instum rei valorem, & pretium, at si ex venditione venditor damnum recipiat, potest illud in pactum deducere vltra iustum rei pretium, quia illud vt vidimus, non recipit vt pretium rei, sed vt recompensam sui damni, a quo omni iure potest quicunque cum alio contrahit se ipsum seruare in demnem, vi illius principij quod est ab omnibus receptum, tanquam vox quædam naturæ: *Nullus tenetur alteri prodesse cum proprio dāno, & iactura;* Similiter ergo licet mutuanti, si ex mutuo damnum recipiat, deducere illud a principio in pactum: quia similiter huiusmodi pactum non est accipere aliquid ex vi mutui, aut pro pecunia mutuata, sed in recompensam illius damni.

Secundo, Neque ex iustitia neque ex charitate tenetur aliquis alteri beneficium præstare cum damno suo, & pro bono opere pati detrimentum. Can. Præcarie. El primero. 10. quæst. 2. dicitur: *Neminem teneri contra vtilitatem de proprio facere beneficium*; sed qui mutuat confert alteri beneficium; ergo neque ex iustitia neque ex charitate tenetur præstare illud alteri cum damno suo: ergo potest illud deducere a principio in pactum, quacunque ratione moueatur ad mutuandum.

Tertio, Potest fideiussor a principio deducere in pactum omnia damna, quæ sibi accident ex illa fideiussione, imo videmus experientia teste, plerosque fideiussores iustè ac prudenter exigere chirographum, vel scripturam quam vocant indemnitatis; ergo multo potius licebit illud, mutuanti, qui gratis accommodat, & statim se ipsum expoliat sua pecunia. Et confirm. ex illo Cap. Perue nit. extra de fideiusso. Etenim si vt ibi definit Pontifex, potest fideiussor exigere a debitore cuius loco soluit, non solum pecuniam & sortem quam pro illo persoluit, verumetiam omnia damna quæ ex defectu illius pecuniæ passus est, poterit similiter

similiter mutuans deducere in pactum vltra sortem damna quæ ex defectu pecuniæ patietur. Consequentia perspicua est ex paritate rationis, quia iure naturæ qui alteri benefacit seruādus est indemnis Quę ratio non minus habet locum in mutuo, quam in fideiussione, siue mutuum illud fiat ex amicitia sola, siue ex charitate, cum neque charitas obliget vt meo damno alteri subueniam.

Secunda conclusio. *Quando mutuans a principio non deducit in pactum damna emergentia, sed libere omnino & gratis mutuat, nulla apposita condicione, esto deinde ex defectu pecuniæ mutuatæ patiatur reuera aliqua damna antequam mutuatarius sit in mora, non tenetur mutuatarius illa compensare, nisi aliter vellit ex honestate gratitudinis.*

In hac omnes conueniunt. Probatur: in omni contractu, celebrantes illum tenentur quidem ad ea quæ tali contractui intrinseca sunt, quia consentientes in illum simul consentiunt in omnia illi intrinsece annexa, minime vero tenentur ad externa, vel aduentitia, nisi ita inter se aperte & expresse conuenerint: sed quod ex defectu pecuniæ mutuatæ aliquod damnum eueniat mutuanti, est extrinsecum ipsi mutuo secundum propria naturam & rationem mutui, ergo quęmadmodum mutuans non tenetur consentire tali damno quia mutuat; sed potest illud deducere in pactum: ita quoq; qui mutuo accepit, nec tenetur illi damno, nec mutuantem seruare in demnem, nisi ita conuenerint inter se ducendo illud in pactum a principio.

Secundo, etsi venditor possit deducecere in pactum damnum quod recipit, priuans se ea re quam vendit; at nisi tempore venditionis ducat illud in pactum, non potest deinde illud exigere, neque alter tenetur illud reddere, quia absolute fuit celebrata venditio sub tali pretio iusto, essetque emptor, si quid præterea ab eo exigeretur rationabiliter inuitus, cum in illud forsan non concensisset si quidem fuisset sibi a principio indicatum. Sed similiter mutuatarius cui gratis alter mutuauit, nulla facta mentione damni, si fuisset sibi expositum tempore mutui, compensandum esse aliquid ab ipso vltra sortem, forsan non accepisset illud mutuum cum eo grauamine; ergo si deinde ab eo exigatur est rationabiliter inuitus; nec tenetur.

Sed dices cum nemo teneatur suo damno alteri benefacere, debebit mutuantem seruare in demnem, etiam si a principio non fuerit cum illo constitutum. Secundo fideiussori soluenti, vt habetur in illo cap. Peruenit. sunt compensanda damna, etiam si nihil tale duxerit in pactum, ergo & mutuanti. Antecedēs patet: Quia in isto Cap. Peruenit, nulla fit mentio pacti alicuius inter fideiussorem & Clericos illos.

Ad Primum dico, verum quidem esse neminem teneri ad benefaciendum alteri suo damno, & ideo posse damnum illud in pactum dedūcere: ceterum, neque tenetur aliquis ad ea damna, quibus alter libere, ac sine vlla fraude, vel vi se ipsum offert, nisi inter se conueniant de illorum compensa: quia cum actio sit libera, qui beneficium recipit forsan noluisset illud (vt modo dicebam) cum tali grauamine, quo fit vt si ab illo exigatur, sit rationabiliter inuoluntarius.

Ad secundū dico, plurimum differre solutionem quā præstat fideiussor a mutuo, quia cum mutuans gratis & libere mutuet, habet natura sua hic contractus, vt si ducantur in pactum propria damna, mutuatario pactum illud admittente, sint illi persoluenda, quod si non deducantur, nec mutuatarius sit in mora, eo ipso quo non deducuntur in pactum, cum actio mutui sit omnino grata & libera, censeatur mutuans tacite & implicite illis consentire: Fideiussor vero etsi a principio libere fidem suam iubeat, non tamen libere deinde soluit, sed coactus a iudice ex mora, & culpa creditoris, qui autem culpa ac mora sua alteri damna infert, tenetur omnia illa, etiam si nullum interueniat pactum, compensare: Quod non est in hoc casu mutui de quo ista secūda conclusio: in quo nec interuenit pactum, nec aliqua culpa, & mora mutuatarij: sed damnum illud sine culpa ipsius accidit.

Tertia conclusio. *Si mutuatarius sit in mora, in qua non consentit mutuans, & ratione illius moræ patiatur aliqua damna, tenetur mutuatarius illa reficere, potestq; mutuans illa exigere, etiam si a principio non fuerint deducta in pactum.*

Patet hæc conclusio ex argumentis quibus Ioan. Andreas, Calderinus, & alij quorum opinionem secundo loco retulimus

mus, probant secundam partem suæ opinionis. Et confirmatur, ex illo Cap. Peruenit. Ideo namque iubetur debitor fideiussori omnia damna reficere, quia sua mora intulit illa fideiussori; ergo tenebitur similiter mutuatarius reficere mutuanti omnia damna, & nocumenta, quæ ex mora ipsius illi contingerint. Et est ratio aperta. Qui alteri reuera nocet, & cum iniuria, tenetur omnia nocumenta illi reficere: Ex illa Reg. *Si tua culpa damnum datum est, iure super his te restituere oportet.* De iniuriis & damno dato. At quando mutuatarius est in mora, propter quam mutuans patitur damna, inferuntur reuera ipsi talia damna à mutuatario, & cum iniuria ipso scilicet inuito; ergo tenetur mutuatarius illa reficere. Secundo. Fur tenetur non solum ad capitale, verumetiam ad damna inde subsequuta; detinere alienum domino inuito est quoddã furti genus; ergo mutuatarius qui est in mora sine consensu mutuantis, cum detineat alienum inuito domino, tenebitur velut committens furtum, non solum ad capitale, verumetiam ad damna.

Confirmantur hæc abunde ex iure. Nam l. penult. §. fina. Cod. De erogat. milit. Qui tenetur soluere stipendia stipẽdariis, si culpa sua, veluti habens pecuniam, illud facere negligat, tenetur ipsis ad omnia damna, & vsuras, quas persoluerint pro cõparanda sibi pecunia. Et l. At qui natura. §. Notandum. ff. De negot. gest. & l. Ob negotium. Cod. eod. tit. obseruant Paulus de Castro, & alij viri eruditi haberi, vt negotiorum gestor, accipiẽs pecuniam sub vsuris, possit iure illas à domino repetere; ergo similiter mutuatarius qui fuerit in mora, tenebitur iure ad omnia damna, quæ mutuanti propter illam moram aduenerint.

In hac conclusione conueniunt, omnes iuris Doctores. Immola in cap. pri. De vsuris num. 2. Bald. in l. vsuras. Cod. eod. tit. Ludoui. Roman. in Concil. 101. vbi habent ad verbum: *Si mihi teneris ad diem certum soluere, & quia mihi non soluisti, mutuam pecuniam sub vsuris recepi, teneris mihi resarcire vsuras illas, & cambia soluta.* Idem habent Glossa in cap. Conquæstus. De vsuris vbi Panorm. & idem cum Decio, Felino, & aliis multis in Cap. Cum venerab. De exceptio. Quibus quasi vno ore subscribũt etiam in hac parte Theologi. D. Thom. vt vidimus 1. tom. quæst. 62. art. 2. Caiet. in commento huius art. Ioann. Maior in 4. Dist. 15. quæst. 30. Gabri. ead. Dist. quæst. 11. artic. 1. notab. 2. Conrad. de Contract. Tractat. 2. quæst. 30. Syluester Vsura primo q. 19. Angelus Vsura primo. quæst. 16. D. Anton. part. 2. tit. 1. cap. 7. §. 19. Turrecremata Cano. Si res 14. quæst. 6. versi. Ad tertium, & alij innumeri. Ex hac conclusione sequitur, posse mutuantem, si consentiat in moram mutuatarij, tunc de nouo deducere in pactum damna emergentia. Ratio est aperta, quia tunc incipit velut secũda mutuatio eiusdem pecuniæ: Vnde sicut poterat in priori á principio, illud exigere, ita & in posteriori, cum vtriusque eadem sit ratio.

Argumenta initio posita facile ex dictis diluuntur. Ad illud Ioannis Andreæ, & aliorum Canonistarum. Respõdeo mutuantem, gratis quidem mutuare, & libere cõsentire in mutuum, non tamen consentire in damna ex illo sibi emergentia, cum illa non sint intrinseca, sed accidentaria mutuo: ipse vero deducendo illa in pactum aperte exprimat, se in illa non consentire; sed dissentire potius. Neque oppositum docent leges illæ allatæ tantũ enim docent, debitorem qui est in mora posse cõpelli à iudice in pœnam suæ moræ, ad soluenda damna creditori prouenientia, quam pœnam non solum iudex potest imponere, verumetiam ipsimet contrahentes possunt inter se tempore contractus constituere: veluti si dicat mutuans; si non solueris debitum, vel non restitueris mutuum tempore præfixo, in pœnam moræ tenearis hanc vel illam pœnam reddere. Ex hoc autem non sequitur, quin á principio liceat deducere in pactum damnum emergens, cum nemo teneatur alteri prodesse damno suo. Inualida enim est illatio ista: Præcipitur debitor soluere in pœnam moræ; ergo non licet deducere in pactum damna emergentia ante moram, quia hæc non exiguntur vt pœna, sed in compensam damni verè accepti, vel imminentis.

Argumenta vero, quibus diximus forsan opinionem illam Soti inniti posse, facile quoq; soluuntur. Prius dilutum est, cum mutuans, etsi gratis mutuet, non tamen propterea consentiat in damnũ emergens, cum aperte illud deducat in pactũ. Ad secundũ respondeo, Mutuum & fieri gratis, & vbi damna emergunt verum quoq; mutuũ esse, nihi-

nihilominus damnum illud posse deduci in pactum, quia propter istud pactum nihil accipitur ratione mutui, vel ob vsum pecuniæ, sed sola recompensa nocumenti accepti, quæ iuste exigi potest, vi illius principij naturalis cui hæc doctrina nititur. *Nullum teneri suo damno alteri prodesse.*

Nunc circa conclusiones propositas non nulla adhuc explicanda sunt imprimis.

QVAE CONDICIONES SERVANDÆ *sint a mutuante, vt possit exigere ultra sortem damnum sibi emergens ex vi mutui.*

Afferuntur à DD. nonnullæ condiciones seruandæ á mutuante, vt licite possit deducere in pactũ damnum emergens.

Prima est, quæ iam constat ex secunda conclusione, Vt initio contractus, & ipso tempore mutui conueniat cum mutuatario de recompensa damni, vt vel libere in illam consentiat, & sub ea condicione mutuũ accipiat, vel dimittat si noluerit in eã consentire, aliter esset rationabiliter inuitus, cum viderit tempore mutui gratis, & cum sola obligatione restituendi capitale sibi esse mutuatum, deinde vero postulari ab eo recompensam damni, de qua nec forsan cogitarat.

Secunda est vt damnum illud actu & reipsa eueniat, propterea non dicimus teneri mutuatarium ad soluendum damnum *possibile*, quod scilicet poterat euenire nec tamen re ipsa euenit, *sed emergens*, nempe quod actu euenit, vel imminebat hoc enim significat proprie vox ista *emergens*, sumpta metaphora à rebus quæ cum in aliquo loco veluti sub aqua absconditæ existerent, & laterent, deinde emergunt, & apparent. Estque ratio aperta, quia quod accipitur vltra sortem hoc titulo, & nomine damni emergentis, non accipitur, vt cõstat, ratione mutui, aut tanquam pretium rei mutuatæ, sed in solam recompensam damni ex mutuo accepti, recompensa autem damni nec facienda est, nec exigenda, nisi damno illo actu & re uera subsequuto.

An autem possint inter se mutuans & mutuatarius, de illo damno quod pruden ter timetur euenturũ, conuenire à principio in aliquo pretio, siue illud accidat siue non res est inter DD. controuersa.

Existimantibus nonnullis posse illud fieri, Quia cum periculum cuiuscunque damni imminentis pretio æstimabile sit, vt videbimus agentes infra de contractu assecurationis, licebit profecto vbi mutuans viderit aliquod periculum sibi ex mutuo imminere, exigere pretium aliquod periculi illius à mutuatario, & de eo ita inter se conuenire, vt etiam si damnum maius fuerit, mutuatarius nihil vltra ratione illius conferre teneatur, sed pretio illo a principio constituto sit mutuans contentus, & similiter etiam si nullum accidat, mutuans illud iuste recipiat, cum exposuerit se huic fortunæ vt acceptis (v.g.) 10. incurreret forsan damnum vt 50. Et confirmatur contractus assecurationis ideò est licitus & iustus, quia in eo vterque fortunæ se exponit, assecurans soluendi totum damnum, is vero qui assecurationem persoluit, reddendi pretium illud sine vllo damno: Similiter autem accidit si mutuans conueniret initio contractus de damno sibi ex mutuo illo imminenti cum mutuatario, quia mutuans exponit se huic fortunæ, vt acceptis tantum 10. patiatur forsan damnum vt 50. mutuatarius quoque huic aleæ, vt reddat illa 10. sine vllo damno.

Conrado vero Caietano & aliis oppositum videtur, nulla scilicet ratione licere aliquid certum constituere, vel accipere à principio, & ipso tempore mutui tanquam pretium periculi illius damni futuri propter rationem factam: Quia quidquid in mutuo vltra sortem exigitur, non exigitur in recompensam damni possibilis, sed solum in recompensam damni emergentis, id est actu subsequuti & accepti, à principio vero per solum periculum non recipitur actu damnum aliquod.

Secundo emergere, vel non emergere damna ex mutuo extrinsecum, & aduentitium est contractui mutui, donec actu & reipsa aduenіant, ad extrinseca vero & aduentitia contractui (vt vidimus) nemo tenetur, nisi exprimantur, & ducantur in pactum soluenda, vel efficienda, vbi illa actu fuerint subsequuta, non ergo licebit ducere in pactum damnum emergens persoluendum, nisi sub hác condicione, quando fuerit actu subsequutum.

Tertio, mutuet Petrus Ioanni (v.g.) 100.

aureos, conueniatque cum illo a principio, vt pro periculo damni quod ipsi accidere potest ex defectu illius pecuniæ, persoluat statim 10. in hoc contractu, reuera non mutuat Petrus Ioanni nisi 90. est ergo fictio potius & simulatio mutui vt 100. quam vera mutuatio 100. aureorum.

Prior tamen sententia probabilior multo est, & magis recepta, tam inter DD. quam in Scholis: quam recte & efficaciter probant argumenta in eius fauorem adducta.

Et confirmatur: Primo. Quia esto damnum emergens non sit actu damnum, donec actu eueniat, at periculum incurrendi illud non exigit actualem euentum illius, sed sumitur ex natura rei, quæ iuxta circunstantias, quæ illam comitantur, periculum illud vere potest subire; huiusmodi autem periculum cum verum sit, & non fictitium, vel imaginarium, pretio æstimabile est, & vendibile a principio contractus, cum a principio etsi damnum non existat, periculum tamen illius vere existat.

Secundo, potiori iure potest omnium consensu exigi damnum emergens, quam lucrum cessans, sed ad ducendum in pactum initio contractus lucrum cessans non exigitur, vt controuer. proxime sequenti videbimus, vt ex progressu temporis appareat quod lucrum illud reuera cessaset, sed sufficit, vt potuerit lucrum illud probabiliter obtineri, & probabiliter iudicetur cessare; ergo similiter, vt damnum emergens posit a principio duci in pactum, non est necesse sit actu subsequutum, sed sufficit vt arbitrio prudentum illud immineat ex tali mutuo.

Demum quod est proxima potentia lucrandi respectu lucri cessantis, id ipsum est periculum damni imminentis respectu damni emergentis; sed potest a principio mutui æstimari pretio, & exigi potentia illa proxima lucrandi; ergo similiter periculum vere imminens & probabile damni recipiendi ex mutuo.

Ex his soluuntur facile argumenta in oppositum ad primum dico, Non posse aliquid recipi in recompensam damni posibilis in remota solum posibilitate, posse tamen recipi in recompensam damni probabiliter imminentis, vel potius incompentam periculi illius cum tale periculum sit pretio æstimabile.

Ad secundum dico, emergere, vel non emergere actu damnum ex mutuo, id quidem esse illi extrinsecum, imminere vero periculum, hoc esse illi intrinsecum, & ita posse exigi, & duci in pactum.

Ad tertium, constabit controuer. proxime sequenti, pretiũ quod prudens & peritus iudicauerit valere damnum emergens, vel lucrum cessans non esse recipiendum initio contractus, licet posit initio mutui æstimari, & constitui, ac duci in pactum, recipiendum deinde cum sorte ipsa, & capitali.

Tertia conditio est, vt præter sortem, nihil aliud acipiat quam solum damnum illud, nihil vlterius addens, vt si mutuauit (v. g.) centum, damnum vero quod ex defectu huius pecuniæ alteri mutuatæ ipsi emerxerit, sint sola 10. nihil vlterius accipiat a mutuatario, quam sola centum & decem. Ratio est aperta: Quia damnum emergens de quo cum illo ab initio conuenit, sunt sola 10. & ad ea tantum persoluenda ille se obligauit.

Quarta condicio est, Vt damnum illud sequatur præcise, & reuera & non fictè, ex defectu illius pecuniæ mutuatæ: quia si aliunde proueniat, vel fingatur prouenire ex mutuo, cum reuera non proueniat ex illo, non tenetur ad illud mutuatarius, nec potest deduci in pactum. Ratio est: Quia mutuans ideo potest deducere in pactum damna emergentia, quia patitur illa in vtilitatem mutuatarij, nec debet aliquis alteri prodesse suo damno, sed potest omni iure exigere ab illo, cui vtilis est, vt seruet ipsum indemnem: at quando damnum aliunde prouenit, quam ex defectu pecuniæ mutuatæ, non patitur illud mutuans propter bonum, & vtilitatem mutuatarij: ergo nec tenebitur in eo casu mutuatarius illum seruare indemnem.

Ex hac condicione sequitur, quod optime docet Conrad. de contract. q. 30. quotiescunque mutuans non mutuat in vtilitatem mutuatarij; sed in suam, & quia ita illi expedit eligit potius pecuniã ilam apud mutuatarium manere, quam apud se retinere, quia forsan apud illũ securior existit, vel ex alia causa, tunc non posse ducere in pactũ damna emergentia: Tum, quia tale genus mutui potius esset depositũ, quam mutuũ, in deposito autẽ non tenetur depositarius ad damna emergentia, sed solũ ad capitale seruandũ, & restituendũ integrũ: Tum etiam, quia potisima ratio, propter quam potest in mutuo duci in pactum damnum emergens

emergens, est ea quam toties hic attulimus vt fundamentum huius doctrinæ, quia mutuans nō debet alteri vtilis esse damno suo: In hoc autem casu sic mutuans non prospicit vtilitati mutuatarij, sed sui ipsius.

Sequitur secundo, quod recte admonet Syluest. in sua Rosa aurea, casu. 16. Vt dānum illud emergens nō potuerit commode ab ipso mutuante vitari, quia si illud commode potuit & noluit, tunc profecto culpa sua potius damnum illud patitur, quam ex defectu pecuniæ mutuatæ. (V. g.) Mutuat Petrus Ioanni mille aureos, deducens in pactū tempore mutui damna emergētia, accidit post mutuum indigere Petrū mille aureis, sed ita, vt possit illos commode & in promptu habere vel ex aliis pecuniis suis, quas licet nō habeat domi, habet tamen alibi eas depositas, vel ex debitis, quæ debitores parati sunt citra vllam moram illi persoluere, aut ex amicis qui intelligentes egere ipsum illis mille aureis, vltro illos ipsi offerunt, ipse vero nulla via ex his vult illos habere, sed accipit ab alio mercatore vel campsore sub vsuris, postulaturus illas á Ioanne, vi illius pacti tempore mutui inter ipsos initi de damnis emergentibus. In hoc casu, nec tenetur Ioannes in foro animæ ad vsuras illas, nec in exteriori esset à Iudice rei veritate comperta compellēdus: quia Petro damnum istud non accidit reuera ex defectu pecuniæ mutuatæ Ioanni, sed culpa sua, qui commode potuit illas, tot viis in prōptu habere, sed voluit potius Ioanni nocere, quam sibi sine vllo dāno commode prodesse: debet enim seruare principium illud iuris naturalis, *Quod mihi prodest, & tibi non nocet, prohibere non debes.*

Apponūt aliqui quintam condicionem, vt mutuas sit rogatus a mutuatario, sed hæc condicio non est necessaria, quamuis enim communiter ita fiat, vt nemo fere mutuet nisi rogatus, accidere tamen potest, vt amicus intelligens necessitatem amici sui præueniat illum, offeratque illi mutuum, imo & inuitet, explicans simul se ex defectu illius pecuniæ posse aliqua damna subire, & ea lege velle illi mutuatuare, vt si actu euenerint, teneatur quoque præter sortem illa sibi compensare. Quia iustitia huius contractus in his duobus tantum consistit, vt nihil recipiatur vltra sortem vi mutui, quod si quid recipiatur, non recipiatur illud alio nomine, quam in recompensam damni vere subsequuti: ad quæ parum vel nihil refert mutuantem rogari, vel non rogari, cum solum intendat per mutuum vtilitatem mutuatari, & non suam.

Apponit & hanc aliam Conrad. loco citato, vt mutuans ex concilio vel beneuolentia mutuet, non ex præcepto charitatis, Sed a nullo alio Doctore hæc affertur; & merito, quia neque vbi quis ex charitate debet alteri mutuare, tenetur illi subuenire suo damno. Nam vel is qui indiget est vere pauper, & simpliciter, & absolute, ac omnino indigens, aut secundum quid, id est habens quidem in alio loco vel tempore, quamuis hic & nunc egeat: Si absolute, & omnino sit pauper, non est illi subueniendum per mutuum, & ea lege vt teneatur restituere si venerit ad pinguiorem fortunam, vt in disputatione de eleemosyna docent communiter DD. contra Adrianum, & discipuli D. Thom. superius in hac 2. 2. quæst. 33. art. 6. sed simpliciter & absolute est illi subueniendum per veram eleemosynam: quod si non egeat simpliciter & absolute, sed secundum quid, id est hic & nunc, alio tamen loco vel tempore habens, tenemur illi mutuare, sed ita vt ipse se ipsum obliget ad restituendum mutuum quando poterit, & ex consequenti sicut potest obligari ad principale, quia non est simpliciter pauper, ita ad damna emergentia.

Ex hac doctrina facilis est decisio multorum casuum qui in hac materia sese offerunt: Iuxta illam enim licet mutuanti habenti pecuniam paratam ad reficiendam suam domum, vel soluenda debita, aut emendum triticum, deducere in pactum cum mutuatario seruatis conditionibus positis damna, quæ ex defectu illius pecuniæ illi prouenient. (V. g.) si refecissem domum meam 20 aureis, ex defectu vero illius pecuniæ non refeci, sed ruit, indigeoque tunc expensis vt 50. tenetur mutuatarius ille præter sortem restituere mihi illa 30. quæ amplius expendo. Secundo, si ex defectu pecuniæ mutuatæ non soluo debita, & vocatus in iudicium fiunt mihi expensæ, aut cogor accipere cum vsuris, tenetur illas mutuatarius vltra sortem mihi reddere. Tetio si ex pecunia tibi mutuata emissem triticum tempore messis pretio vt 30, deinde vero emam illud pretio vt 40. excessum istum licet mihi deducere in pactum, & recipere: Quarto si pecuniam à me mutuo exigas, ego vero non habeā, sed

vt tibi mutuem bona mea minoris quam valent vendam, vel cum vsuris accipiam à campsore, possum ducere in pactum defectum illum iusti pretij, quo bona mea vendidi, vel vsuras illas quas in vtilitatem tuam persolui.

Afferuntur á DD. alij multi casus particulares maxime à Tabiēse verb. vsura. cap. 1. in quibus licet accipere vltra sortem damnum emergens, sed ex hic propositis & doctrina tradita facile est de omnibus qui sese offerre possunt, ferre iudicium.

Circa tertiam conclusionem de mutuatario qui est in mora, duo explicanda sunt. Primo.

AN QVI EST IN MORA *soluendi mutuum, vel debitum, teneatur ad damna quæ statim post illam moram mutuanti, vel creditori contingerint.*

FAcilis est responsio. Vel mutuās conuenit à principio cum mutuatario de damnis illis emergentibus, vel absolute & simpliciter mutuauit sine tali pacto, & conuentione. Siquidem priori modo, perspicuum est ex dictis, teneri ad omnia damna ex illo mutuo subsequuta, tam ante moram quam post eam, vi illius conuentionis ab initio contractus inter eos initæ. Quod si mutuauerit posteriori modo, sine vllo pacto vel conuentione de damno emergēte, ante moram nullo modo tenetur ad aliqua damna mutuanti reficienda, quia vt constat ex dictis eo ipso quo mutuans illud non expressit, tacitè & implicitè voluit per mutuum illud se ipsum illis exponere sine dāno mutuatarij: Nec tenebitur post moram, nisi á mutuāte fuerit de eo admonitus, ita vt protestur ille se nolle vltro dilationem concedere, nisi damna ex illa dilatione sibi occurrentia compensentur. Nam cum nulli liceat pecuniam alienam inuito domino retinere, mutuante exigente rem suam sibi restitui, nec velle concedere dilationem nisi cum illo pacto, debet necessario mutuarius aut statim restituere, aut conditionem illam suscipere: aliter, per inde se habet, ac si per vim & iniquitatem rem illam apud se haberet, accipiens vero vel retinens alienum iniquê, eo ipso quo iniquitate illa vtitur, tenetur vt diximus ad compensanda omnia damna, quæ ex defectu illius rei vero ipsius domino acciderint: ex illa regula iuris, potius naturalis quam positiui. *Si tua culpa damnum datum est, iure super his te satisfacere oportet.*;

Fauet his l. Si ex legati causa. ff. de Verbo. oblig. vbi habetur: *Vbi dies non fuerit apposita obligationi, requiri admonitionem:* Vnde quasi a simili, vel exemplo, quando a principio contractus non fuit positum pactum, nec adueniente mora fuerit mutuatarius admonitus, mutuante protestante de damnis ex dilatione solutionis subsequutis, non tenebitur mutuatarius ad illa compensanda, mutuante vero illum admonente, & protestante tenebitur. Et ita videtur sentire Panorm. in cap. Licet Heli. De simon. & cap. 2. de Accusation.

Vnde Iurisperiti, vt late Iason in l. Vinum. ff. Si certum petat. licet doceant committi moram citra litis contestationem, volunt tamen duo requiri ad illam, nempe, & tempus vere dici lapsum, & congruam interpellationem extraiuditialem. Vbi etiam illud diligenter obseruandum est, sufficere ad huiusmodi moram, saltim in foro animæ vel signa exhibita debitori à creditore, quibus indicent se non consentire amplius in moram solutionis, vel egestatem eiusdem & indigentiam debitori notam, vel indicatam: quibus addunt & metum reuerētialem, quo creditor erga debitorem afficiatur. Vbi enim creditor sic debitorem reueretur, in mora est cum primum solutionis tempore adueniente non soluit. Nec exigitur, vt illum admoneat, quia ex metu illo reuerentiali censendus est illum non admonere, esto optet, & vellit quæ sibi debentur persolui. Ita docent ex Theologis, Ricardus in 4. Dist. 35. ar. 1. q. 2. Angelus verbo Mora. §. 1. Et ex Iuristis Bartho. & Alexan. l. Si quis mihi bona. §. sed quid si mandauit. ff. de acquiren. hæredi. Iason in illa l. vinum. ff. si certū petatur, & ibidem Decius num. 12. & Molineus tract. De vsuris num. 32.

Est & alia dubitatio.

TENEATVR NE MVTVAtarius *ad compensanda damna emergentia, quando non est in mora vitio suo, & culpa, sed ex necessitate, & egestate quam patitur.*

REfert Adrianus in quarto agens de Restitut. Bernardinum de Bustis sermo. 42. asserentem debitorem qui non est in mora culpa

culpa sua, sed egestate cogente, ad solam sortem teneri, minime vero ad aliquod aliud interesse, vel damnum, siue casu, siue infirmitate coreptus non potuerit officio suo fungi, vnde pararet pecunias ad soluendum. Quam opinionem Adrianus prius reiicit hac ratione adductus. Potior debet esse conditio eius qui beneficium præstitit, quam eius qui illud recipit, mutuans præstitit beneficium quod recipit mutuatarius, quando ergo pecunia illa similiter eget mutuans, & ex defectu illius aliqua damna patitur, tenebitur profecto potius ad reficienda illa mutuatarius, quam ad ea patiēda mutuans, alioquin potior esset conditio recipientis beneficium & gratiam, quam conferentis. Addit tamen deinde Adrianus, Quod si mutuatarius in eam inciderit egestatem, vt ratione illius teneretur mutuans ex præcepto charitatis illi subuenire, in eo casu non teneretur ad reficienda mutuanti damna emergentia: quia si tenetur iure diuino mutuans tūc gratis illi mutuare, multo potius nullum interesse ab eo accipere. Quo fit iuxta Adrian. vt vbi mutuatarius grauiter indigebit, & sua egestate constituetur in mora, ita esse de mutuante distinguēdū, vt vel in simili ipse versetur egestate, vel mutuatarius quidē egeat, mutuans vero nequaquam: Si quidem vterq; parem vel fere similem patiatur necessitatem, teneatur mutuatarius cum facultas illi contigerit reficere mutuanti & sortem, & damna: Quia vbi par est vtriusque necessitas, potior debet esse conditio illius qui beneficium & gratiam præstitit, quam alterius qui recepit: Vbi vero mutuatarius egestate compulsus fuit in mora, mutuans vero non patitur similem necessitatem, cum teneatur tunc illi gratis mutuare, tenebitur etiam sola sorte esse contentus, & damna illa aliunde supplere, non ex bonis mutuatarij, qui sine vlla culpa sua fuit in mora.

Palatius & alij nonnulli lib. 4. De contract. cap. 4. recedunt ab his hac ratione, Vel mutuatarius tēpore solutionis ita eget, vt teneatur tunc qui antea mutuauit, gratis & ex præcepto charitatis illi subuenire, & sortem illam ei donare, quod non est mutuare, nec differre solutionem, sed donare, vel potest ab eo recipere sortē: Si quidem tenetur illi donare, & per eleemosynam simplicemque donationē illi subuenire, quo iure miser ille mutuatarius in tanta egestate constitutus est; liber a solutione sortis, manebit etiam omnino liber a solutione cuiuscunque interesse, vel damni emergentis: Quod si non sit ad tantam necessitatem redactus, quin possit vel tunc vel postea sortē restituere, quo iure debet sortem debebit & damna illa mutuāti subsequuta, cum aderit illi facultas.

Afferuntq; in suam sententiā Syluestrum verb. vsura Primo q. 28. Ceterum Syluester eo loco solum agit de pœna conuentionali debita ex mora culpabili, quæ pœna non innititur soli moræ, sed moræ, & pacto, ac conuentioni illi ab initio constitutæ: hic autem agimus de sola mora, An mutuatarius qui non restituit rem mutuatam tempore præfixo, sed est in mora, vel eo solo quod est in mora, teneatur ad reficiēda damna ex illa mora in qua est egestate sua compulsus, sequuta cū facultas illis aderit.

Dicamus igitur sic esse de huiusmodi mutuatario distinguendum. Vt vel tempore quo quæsiuit mutuum esset omnino pauper, extreme, aut saltim grauiter indigens, vel eo tempore licet mutuo quidem illo indigeret, nō tamen esset omnino pauper, sed potens restituere statuto tempore quæ mutuo accipiebat, deinde vero aduenıēte tempore quo mutuum a se acceptum debebat restituere, effectus est pauper, vel saltim impotens ad illud restituendum, quo fit vt sine vlla culpa sua sed egestate illa opressus compellatur esse in mora. Rursum si ipso tempore mutui iam erat pauper & indigēs, vel erat omnino & absolute indigens, ita vt neq; in eo tēpore & loco, neq; in alio haberet vnde sibi subuenire posset, vel licet indigeret quidem eo tempore vel loco, habebat tamen certam expectationem bonorum temporalium alio tempore vel loco sibi contingētem, vt hi quibus certa aliqua hæreditas & successio constituta est, & hæreditario iure deesse non potest, vel qui naufragium facientes indigent quidem in eo loco quo miseri & nudi apulerunt, in alio vero domum & bona habentes.

His positis: Dico Primo, Mutuatario qui omnino, & absolute grauiter, vel extreme indiget, ita vt neq; in loco & tempore quo mutuum quærit, neq; in vllo alio habeat, vnde sibi subueniat, diuitem & potentem debere illi subuenire, teneriq; ad illud ex precepto charitatis non per contractum mutui, sed per simplicem & absolutam donationem, & eleemosynam, iuxta ea quæ DD. & D. Thom. supra q. 33. agens de eleemosyna docent, vnde ad huiusmodi paupere nec sortem, nec interesse, vel dam-

na aliqua potest diues illi subueniens, vt præceptum charitatis, & æleemosynæ quo tunc obligatur adimpleat, exigere: solus enim Deus huiusmodi operũ & pecuniarũ futurus est remunerator, & cœlestis restitutor. Quod si mutuatarius iste, indigeat quidem tempore vel loco in quo mutuũ quærit, habeat tamen in alio loco, vel habiturus certo est alio tempore, vnde mutuum illud, & damna ex illo emergentia restituat, non tenetur mutuans ad subueniendum illi per eleemosynam, aut absolutam donationem, sed sufficit mutuet illi pecuniam qua eget, & cum pacto compensandi damna sibi emergentia, ea lege & conditione, vt tã sortem quam damna restituat, cum primũ commode poterit, aut prefixo eo tempore in quo mutuatarius probabiliter credit se posse illa restituere, aut constituto solum termino in genere cum primum commode poterit.

Dico secundo. Si mutuatarius quando mutuum accepit potens quidem erat ad restituendam sortem adueniente tempore solutioni præfixo, deinde vero morbo, infortunio, vel alio quocunq; casu ad eam egestatem redigatur, qua compellatur esse in mora, non teneri ad damna quæ ex illa mora mutuanti cõtigerint, nisi a principio cõtractus ita conuenerint. Ratio est aperta, quia mutuatarius dupplici tantum via potest teneri ad reficienda damna ex mutuo emergentia, vel ex conuentione & pacto ipso tempore mutui constituto, vel ratione moræ. In hoc casu de quo nunc agimus, nullum est pactum initio positum, vt suponimus, mora vero in qua est accidit sine culpa eius, cũ ergo ea solũ dãna teneatur mutuatarius reficere quæ culpa ipsius eueniãt mutuanti, ex regula illa toties repetita. *Si tua culpa, &c.* mutuatarius hic solum tenebitur ad restituendam sortem, minime vero dãna post moram sine culpa eius subsequuta.

Quod autem si a principio promisit dãna quoq; reficere, siue absolute illud promisserit, siue vbi adueniẽte termino solutionis fuerit in mora, teneatur cum facultas ei suppetet, ad vtrumq;, & ad sortem, & ad damna: patet quia licet non teneatur ratione moræ in qua est sine culpa sua, tenetur tamen ratione illius promissionis initio factæ, quam omni iure, cum primum potuerit, tenetur adimplere. Similiter iudicandũ est de priori illo mutuatario, qui indigebat quidem in eo loco, & tempore in quo mutuum quæsiuit, habebat tamẽ bona in alio, promisitq; & sortem & damna mutuanti reficere, cum primum posset, vbi fuerit in mora.

Offert se hic brebis quædam dubitatio.

QVANDO IN MVTVO EST *prefixum tempus solutioni illius, sed ante quã, illud adueniat, mutuans repetat suam pecuniam, aliter damnum aliquod passurus, tenebitur ne mutuarius ad illam restituendam.*

SVNT qui dicant teneri vbi id commode possit, aliter adeo inique agere, vt teneatur etiã ad cõpensanda damna, quę ex detentione illius pecuniæ mutuanti prouenient. Ratio horum est. Quia iam detinet pecuniam illam inuito domino, nec dominus illius cõ sentit in illa damna. Quod si cõmode illud non possit, nec teneri ad illam restituẽdam, nec ad damna, quia tunc sine vlla culpa sua illã detinet. Quam opinionem tribuũt sed falso Conrrado de Cõtrac. q. 30. & Ioan. Nider. in eodem tractat. cap. 3 habent tamen illam Turrecremata in summa. q. 13. & Rebuffus in L. vnica. Cod. de senten. quę pro eo quod inter est profertur. nu. 24.

Nobis vero sub hac distinctione videtur respondendum, vt si a principio mutuans deduxit in pactum damna emergentia, teneatur mutuatarius ratione illius pacti, & conuentionis siue commode possit, siue nõ ad illa reficienda, quia in illud consensit, & se ipsum deuinxit pacto illo tempore mutui inito. Quod si nullum fuit pactum inter eos, si possit cõmode illam restituere, peccabit quidem contra charitatem & gratitudinem, non tamen contra iustitiam, vnde non tenetur ad refficienda illa damna. Peccabit quidem contra charitatem, qua tenetur vnusquisque fratrem suum ab omni dãno liberare quando cõmode potest, & contra gratitudinem, cum non rependat beneficium quod ab altero accepit, cum commode possit: non tamen contra iustitiam, quia eo ipso quo alter illi mutuauit ea lege vt non teneretur acceptum restituere nisi ad festum (v. g.) Beati Ioannis, habet hic ius ad detinendam apud se pecuniam illã vsq; ad festum. Beati Ioannis, nec tenetur ex iustitia illam restituere nisi adueniente illo termino libero vtriusq; consensu præfixo, qui vero vtitur iure suo nemini facit iniuriam vel iniustitiam.

Nec

Nec valet ratio illorum, in hoc casu, dominum illius pecuniæ inuitum esse, nec cõsentire in illam detentionem, quia est irrationabiliter inuitus, cum a principio libere consenserit, pecuniam illam sic mutuatam, vsque ad illud tempus apud alterum manere. Quod si non possit commode illam restituere, nec peccat contra charitatem, cum non possit commode, nec charitas obliget illum alteri prodesse suo incommodo, nec contra iustitiam cum vtatur iure suo.

Denique disputari etiam a nonnullis hoc loco solet.

IN QVA COTA DAMNVM *emergens soluendum sit, & quo tempore.*

QVi existimant posse initio contractus conuenire mutuantem cum mutuatario de periculo damni imminentis sub certo pretio & illud recipere, siue damnum illud actu & re eueniat siue non, siue magnum siue paruum, ita distingunt: vt si conueniant de damno reficiẽdo vbi illud re ipsa acciderit, tantum persoluatur, quantum reuera fuerit damnum, & eo tempore, quo iam illud accidit, & mutuans re ipsa illud passus est, ita vt adueniente termino solutionis, vna cum sorte restituat simul mutuatarius damna illa mutuanti subsequuta. Si vero conuenerint de periculo; ita vt mutuans vtrumque officium præstet & mutuantis & assecuratoris, tantum mutuanti mutuatarius exhibeat quantum prudens omnibus circũstantiis diligenter ac maturè pensatis iudicaret, Sic enim ex D. Thom. & Doctoribus æstimantur res venales, quæ nondum actu sunt sed in potentia tantum. Qui vero docent in nudo & mero contractu mutui non licere ducere in pactum periculum damni futuri siue illud accidat siue non, sed solum damnum vere emergens, id est vere subsequutum, reiiciunt distinctionem istam, voluntque damna emergentia, in ea quantitate esse persoluẽda, in qua re ipsa mutuans ex defectu illius pecuniæ mutuatæ vere & realiter passus fuerit, & eo tempore esse illi compensanda, quo vel inter se de damnis illis reficiendis constituerint, vel cum adueniente termino mutui (quod frequentius est) fuerit sors ipsi restituenda. Sed prior opinio verior est, vt constat ex his quæ paulo ante docuimus, explicantes secundam condicionem earum quæ ad exigendum iustè damnum emergens desiderantur.

Explicatis his quæ ad damnum emergẽs ex mutuo pertinent, explicanda iam sese offert altera pars, vt pote.

Controuersia. IX.

LICEAT NE SIMILITER *mutuanti ducere in pactum lucra cessantia.*

IN hac quæstione (quę vna est ex grauioribus, & difficilioribus earum, quæ in hac disputatione de vsuris occurrere possunt,) explicanda est initio ex professo propria vis, & significatio huius vocis *Lucrum cessans*: quãuis iam aliqua ex parte de ea initio huius art. dixerimus. Ad propriam vero vim huius vocis indagandam notandum est, duobus modis posse lucrum alicui cessare: vel cum non lucratur dominus pecuniæ, quod potuisset lucrari cum illa exposita negotiationi, quia renuit negotiari, eligens potius illam in theca sua habere asseruatã, quam periculis negotiorum expositam: vel quando desinit lucrari, eo quod pecuniam quam intendebat negotiis, in quibus lucraretur, exponere, vt subueniat amico illa indigenti, & per mutuum postulanti, à negotiis illis amouet.

Ex quibus duobus modis prior illa cessatio à lucro impropriè dicitur cessatio: posterior vero propriè & verè est cessatio à lucro. Quia cum cessatio á lucro sit quædam priuatio lucri, quod ex pecunia poterat haberi, quemadmodum in naturalibus non constituitur, priuatio nisi in subiecto apto, & nato habere oppositum habitum, vt cæcitas in animali, ita quoque cessatio lucri proprie non conuenit alicui, nisi in ea pecunia, quæ erat in via, & vera ac reali habitudine, & dispositione ad lucrum, qualis est ea quæ est exposita negotiationi, & cum qua dominus illius actu, & reuera intendebat exercere aliquod negotium sibi vtile, & lucra afferens. In ea vero pecunia quam quis domi asseruat, nec habet negotiis expositam, vel traditam, non dicitur cessare illi lucrum, propterea quod ex illa sic recondita, & asseruata nullum recipiet lucrũ, quia huiusmodi pecunia sic asseruata non est apta afferendis lucris secundum se sumpta, imo ex tali pecunia mutuata quærere lucrum, esset verè quærere lucrum ex mutuo, quod est aperta vsura.

motus

Explicatur idem à DD. & hoc accommodato exemplo, vt quemadmodũ quies quia motus priuatio est, qui nõ fuit motus, vel non instituit statim moueri, nõ dicitur quiescere, ita qui non habet pecuniã expositam lucro, vel non habet paratam, vt statim alicui certo negotio lucratiuo exponatur, non est dicendus cessare à lucro. Ita fit, vt lucrum cessans in mutuo sit, quando ea pecunia mutuo traditur, quæ actu erat parata ad negotia lucratiua, desinitq; mutuãs, habere lucra, quę ex illis negotiis habuisset, & quæ censebantur probabiliter iam esse velut in actu, aut saltim in maxime proxima potentia.

Ex his sequitur, differre plurimum in hac materia damnum emergens, & lucrum cessans, licet vulgus vtrumq; appellet damnũ; quia lucrum cessans non est de bonis iã possessis, vel acquisitis, sed de acquirendis, & habendis ex negotio, vel fructibus agri, aut vineæ, vel ex locatione, vel cẽsu, Damnum vero est nocumentum in bonis iam acquisitis, & possessis, vt cum ex deffectu pecuniæ tibi mutuatæ, cogor ad soluenda mea debita aliam accipere cum vsuris, vsuras illas ex meis bonis & actu á me possessis persoluo, Quo fit, vt cum damnum illud mihi compẽsas, non recipiam aliquid vltra sortem, sed quidquid recipio est meum, & mihi verè vt propria bona debitum. Ita Arist. 5. Ethic. c. 4. vocat damnum, quando aliquis contrahentium ex opera alterius contrahentis minus habet in bonis suis, quam debet habere: lucrum vero cessans, quando non lucratur, quod debuisset lucrari. Quæ duo nõ habere aliquem in bonis suis quod debet habere, vel nõ lucrari quod debuisset lucrari, aperte differunt, nam prius illud dicit priuationem proprii boni acquisiti, & possessi, posterius vero priuationem boni non dum acquisiti, sed acquirendi, & habendi.

Tum etiam damnum emergens consistit in passione aliqua, cũ patiendo aliquod detrimentum damno afficiamur, lucrum vero cessans consistit in actione, non enim aliter lucramur quam aliquas actiones, vel negotia exercentes.

Vtrumq; autem horum quamuis ita differant, appellant DD. maxime Iurisperiti & Summistæ interesse. Ita Iurisconsultus in L. Si comissa. in illa clausula, *In quantum mea interfuit* rem ratam habere, Quę clausula idem est quod si diceret, *Quantum mihi deest, quantumq; lucrarer*. Et in L. 3. in fine. ff. de eo quod certo loco. Et L. vnica in fine. C. De sententia quæ pro eo quod interest. Quamuis autem vtrumq; dicatur interesse, maiorem tamen in his habendam esse rationem damni emergentis quam lucri cessantis, volunt Bald. & communiter omnes Iurisperiti in L. Etiam. Colla. 2. ff. de executione rei iudicatæ. & L. fina. Cod. De iure deliberan. & in illa L. Proculus in fine. Quia damnum receptum exigit (vt dicebamus) ęqualem conpensationem secundum iustitiam commutatiuam, vt quantum nocumenti mutuans recipit, tantum deinde illi á mutuatario reficiatur: lucrum vero cessans (vt docebamus) non exigit æqualem compẽsam, sed ad arbitrum vel iudicis, vel prudentis reficiendum est.

His positis tres sunt potissime circa presentem quæstionem DD. opiniones, nam quarta Molinei, quam vltimo loco referemus, non est dicenda opinio, sed error potius, & manifesta hæresis.

Est igitur prima opinio Innocentii, & Ioan. Andre. in cap. Nauiganti. de vsuris. Antonii de Brutio in cap. Salubriter. eodẽ. tit. & nonnullorum Canonistarum, qui sicut dixerunt damnum emergens non posse exigi, donec mutuatarius, vel debitor fuerit in mora, eodem modo docent, nec posse exigi lucrum cessans, nisi quando mutuans, vel creditor propter moram mutuatarii, vel debitoris in soluenda sorte, & capitali priuatur inuitus lucris, quæ illa sorte & pecunia obtinuisset. Probant hanc sententiam eisdem omnino argumentis, quibus docere nitebantur damnum emergens non posse exigi, nisi ab eo qui est in mora. Argumentur igitur. Primo ex illis verbis Iurisconsulti in L. Cum quidem. ff. De vsuris. *Vsuræ non propter lucrum petentium, sed propter moram non soluentiũ infliguntur* vbi cum nomine vsuræ nõ significentur vsurę iniquæ, quę exiguntur vi mutui, sed lucra quę dominus pecuniæ recipere potest ex vsu pecuniæ traditæ negotiis, aperte docet Iurisconsultus non licere exigere lucrum cessans à debitore, nisi cum fuerit in mora. Et confirm. Id tantum licet in conscientia, & foro animæ, quod rectus iudx perspecta rei veritate iudicaret secũdum leges, sed iuxta legem istã Cum quidẽ. nõ potest iudex damnare mutuatarium, vel debitorem ad lucra cessantia, nisi vbi fuerit in mora, ergo neq; licet priuatim & extra iuditium illa exigere, nisi vbi fuerit ille in mora.

Secundo. Mutuans ex propria natura contractus mutui debet gratis mutuare, aut

certe non mutuet, repugnat autem mutuo gratis & libere concesso, aliquid exigere à mutuatario; ergo non licet exigere interesse istud lucri cessantis à mutuatario, donec fuerit in mora, quia tunc iam cessat consensus mutuantis, cum ille solum mutuauerit, & concenserit vsque ad terminum. Probo cōsequentiam, mutuatarius vel debitor propterea tenetur ad lucra cessantia cū primū fuerit in mora, quia tunc iam retinet pecuniam illam inuito domino, & est quasi fur, sed ante moram nō retinet illam pecuniam inuito domino, imo illo libere consentiente, ergo ante moram iniquum est tale lucrum ab eo exigere.

Secunda opinio est aliorum, qui absolute & simpliciter docent, non licere exigere à mutuatario lucrum mutuanti cessans. Ita videtur docere D. Tho. hic ad primum, vt Quarta Conclusio quam ex ipso initio huius art. proposuimus, satis insinuat. Idem docent aperte Duran. in 3. Dist. 17. q. 2. & pleriq; ex antiquis, adeo vt dicat Adrianus oppositam sententiam quam ipse sequi quitur esse modernorum. In eadem constituunt etiam plerique Scotum, sed quid ille vere in hac parte senserit, statim dicemus. Eandē habet Abulen. in cap. 25. D. Matth. q. 184. Ad primum, quamuis satis obscure, cum dicat: *damnum quod consistit in eo quod quis lucrari potest, non posse recompensari neq; aliquid pro illo in pactum duci vltra sortem, neque peti sine pacto.* Vbi prius negat posse duci in pactum, deinde vero videtur concedere posse peti cum pacto, cum dicat *sine eo peti non posse*. Ex recentioribus Dominicus Soto lib. 6. De iustitia q. 1. art. 3. etsi oppositam appellet probabilem, hāc tamen multo probabiliorem, quam etiam tribuit ibi Innocentio & Ioanni, Andreę, sed illi si attente legantur, eam habent quam primo loco cōstituimus. In eadem sententia sunt ex Iurisperitis Calderinus q. 2. & Ioan. de Ligna. in illo cap. Fina. De vsuris. Salicet. in Authen. Ad hæc col. 5. Cod. De vsuris. Lauren. De Rodol. tractatu De vsuris p. 2. q. 2. & nonnulli alij.

Scotus (vt modo dicebā) affertur quoq; a multis in eandem sententiam, & recte: quamuis enim non habeat illā aperte, idem tamen docet, si verba eius recte intelligantur, habet enim in 4. Dist. 15. art. 2. Tripliciter posse aliquid recipi vltra sortem: Aut ex pœna conuētionali imposita mutuatario ex eiusdem consensu, nisi soluat ad terminum, modo non fiat in fraudem vsurarum, Aut secundo propter interesse creditoris, quia debitor, ex cuius non solutione (sic ille loquitur) creditor notabiliter damnificatur, tenetur in foro animæ, quamuis sine pacto, suo creditori damnum satisfacere. Vel tertio quando capitale, & accesio ponuntur in incerto. Ex cap. Nauiganti. Hæc Scotus vbi nihil habet de lucro cessante. Nam in primo modo quem constituit, qui est pœna conuentionalis, perspicuum est non contineri lucrum cessans, neq; in secundo qui proprie continet damnum emergens ex mora, hoc enim significat vox illa Scoti, *non solutio*: Ante morā namque debitor non dicitur non soluere, sed cum accedit tempus debitum, solutionis. Nisi dixeris sub nomine damni intelligi etiam lucrum cessans, quia quoddam damnum est non lucrari quod potuisses, qua ratione D. Tho. hic ad secundum vocat etiam damnum, quod consideratur in eo, quod mutuans de pecunia sua non lucratur, quod potuisset lucrari. Cęterum etiam si sub nomine damni intelligatur lucrum cessans, cum tamen dicat Scotus deberi illud ex non solutione, per quam vt constat intelligit moram, mens eius non erit posse absolute & simpliciter exigi lucrum cessans in mutuo; sed solum vbi creditor fuerit in mora, propter quam creditor desinat lucrari, quæ fuisset lucratus, restituta illa sua pecunia, & exposita negotiationi. Neque continetur in tertio modo, quia in eo sicut in Cap. Nauiganti. quod ibi Scotus citat, agit de mutuante qui susciperet in se periculum rei mutuatæ per contractum assecurationis, minime vero de lucro cessante ex muto. Vnde reuera Scotus nō admittit titulum istum lucri cessantis, vel saltim illum non proponit. Sed quidquid ille senserit.

Probatur hæc secunda opinio à suis authoribus pluribus rationibus, quarum potiores sunt hæ: In quibus si cui prolixus videor, obsecro ne illud mihi vitio vertat: quia cum institutum meum in his commentariis sit, nihil prætermittere corū, quæ circa disputationes quas explicandas suscipio, aliquam habent difficultatem, postulat quod instituo, omnia argumenta quæ illam habent, etsi plura sese offerant attingere, vt eorum solutiones maiorem afferant legenti, & intelligere cupienti lucem.

Primum igitur probant illud authoritate D. Tho. Qui hic absolute, & simpliciter negat posse deduci in pactum, vel exigi lucrum cessans, nec distinguit inter pecuniam

niam simpliciter & secundum se, vel pecuniam expositam negotiationi, quam distinctionem certe non ignorabat D. Thom.

Secundo, argumento eiusdem, quod procedit etiam in pecunia exposita mercaturæ, hac ratione: Non licet exigere vltra sortem quod incertum est, & potest multis viis impediri, sed lucrum ex pecunia etiam exposita negotiationi, & mercaturæ, est incertum, & quod multis viis potest impediri, ergo neque lucrum talis pecuniæ potest deduci in pactum: Maior est D. Tho. Minor constat experientia. Et confirmatur: quia hoc est propriũ mercaturæ, & quod talem artem inter alia reddit licitam, esse lucra illius incerta, & exposita mille periculis.

Tertio, tam Iure Ciuili, quam Canonico, vbi agitur copiose de hac materia vsurarum, explicantur tituli quibus licet aliquid accipere vltra sortem, vt inferius videbimus, maxime vbi explicabimus illos textus Cap. Conquæstus. & Cap. Nauiganti. De vsuris. At neque in iure Canonico, neque in ciuili, cum variis in locis proponatur titulus ille damni emergentis, fit aliqua mentio huius tituli lucri cessantis, quod maximo est argumento non esse licitum.

Quarto, tunc dicitur omnium consensu lucrum cessans, quando mutuans cohibetur vel prohibetur a lucro, quod alias habuisset; sed quando quis mutuat solis precibus mutuatarij inductus seclusa omni vi, metu, fraude, & ignorantia vt præsupponimus, nec cohibetur, nec prohibetur sic mutuans a lucro; ergo quando quis solis precibus adductus mutuat, reuera non patitur lucrũ cessans, nec potest illud in pactum deducere. Probatur Minor: Quia tunc ex Aristo. dicitur aliquis cohiberi, vel prohiberi ab aliquo opere, quando inuoluntarie cessat ab illo, inuoluntarium autem tantum efficiunt ex eodem Arist. vis, metus, fraus, & ignorantia, communes vero amicorum preces, vel beneuolentia, aut pietas non efficiunt inuoluntarium ex D. Tho. 1. 2. q. 6. art. 6.

Et confir. Damnum emergẽs ideo potest deduci in pactum, quia mutuatarius est velut quædam causa moralis illius, cum propter ipsum mutuans illud patiatur, sed mutuatarius non est causa lucri cessantis, ergo, non potest illud exigi. Consequentia patet quia ille tantum tenetur compensare damnum alteri, qui illius causa est, ex illa regula: *Si tua culpa, &c.* De iniuriis & damno dato. Minorem probo, quia iste mercator gratis, & voluntarie mutuat, sciens, & volens, ac intelligens illud lucrum sibi cessare: Quod si dixeris, (Quod videtur Caiet. hic innuere) illum mutuantem quodammodo esse inuoluntarium, & compelli partim a necessitate & amicitia mutuatarij, partim a propria charitate & misericordia, hæc, vt modo dicebamus ex D. Tho. & Arist. non efficiunt inuoluntarium.

Quinto, Qui voluntarie & rogatus mutuat, debet mutuare seruata propria natura contractus mutui, hæc autem est natura & lex mutui, vt nihil exigatur vltra sortem, sed gratis omnino fiat; ergo non potest mutuans exigere a mutuatario aliquod lucrum extra sortem, quocunq; titulo vtatur, maxime ante moram.

Sexto, Lucrũ cessans non potest exigi, nec pecunia est lucratiua ex eo solũ quod sit exposita negotiationi, sed quia coniungitur illi actualis industria & diligentia mercatoris, hæc autem diligentia & industria separatur ab illa pecunia, quã primum illam mutuat, extrahit enim illã sciens & volens à negotiatione, neque aliquam industriam aut operam circa illam tunc exercet; ergo quam primum illam mutuat sciens, & volens, iam non est lucratiua, nec habet alium valorem quam valorem communem pecuniæ, nec potest ex consequenti exigi ex tali pecunia aliquod lucrum cessans.

Septimo, Si lucrum cessans posset exigi quia pecunia erat lucratiua, possent mercatores quærere mutuatarios, qui illorum pecuniam acciperent, cum pacto reddendi vltra sortem tale lucrũ. Probo sequi, quia pecunia mercatorum eo ipso quo est pecunia mercatorum, vt docent Caiet. & authores alterius opinionis, est lucratiua, & pluris æstimabilis quam pecunia existens apud alios, qui non exercent negotia, licet autem vnicuique quærere emptores rei suæ eo pretio quo æstimari potest, Vnde si concedamus hac via posse accipi aliquid vltra sortem, titulo nempe lucri cessantis, aperitur profecto latissima via nunquam mutuandi sine lucro, & vsura: quotquot enim mutuant possent affirmare se illa pecunia aliquid posse lucrari, & accipere aliquid non ratione mutui, sed ratione lucri cessantis.

Octauo, Si liceret ratione lucri cessantis accipere aliquid, liceret etiam pro illa obligatione qua mutuans obligat se ad non repetẽdum mutuum intra tempus præfixum, quia sicut lucrum cessans est pretio æstimabile,

bile, ita & ista obligatio; at sicut vidimus, hoc non licet, quia non repetere pecuniam toto tempore mutui est illi intrinsecum, ergo neq; illud licebit.

9. Ex omnium consensu, siquis mutuet liberè, intendens tamen suam vtilitatem & commodum, non potest deducere in pactũ lucrum cessans, quia ita reciperet duo lucra, nempe & commodum illud proprium ob quod mutuat, & lucrum cessans: ergo neq; si mutuet ob commodum mutuatarii potest aliquid accipere vt lucrum cessans. Probo consequentiam. Primo, quia ad rationẽ mutui parum facit, quod cõmodum intendat mutuans, num proprium, an alterius, cũ ratio mutui solum consistat in eo quod est gratis dare vt simile post tempus recipiatur. Secũdo, quia recipere aliquid eo quod mutuum sit in vtilitatem mutuatarii, esset vendere illi rem suam, quod non licet. Tertio, quia causa mutuandi nõ potest nec debet mutare naturam mutui, natura autem mutui propria & intima illi est, vt fiat gratis, ergo siue moueatur iste ad mutuandum à proprio commodo, siue à commodo alterius, gratis debet mutuare, nec potest ducere in pactum lucrum cessans. Minor cum consequentia prespicua est. Maior vero probatur, quia contractus mutui, est contractus iustitię cõmutatiuæ, qui debet consistere in æqualitate rei ad rem, quę non variatur ex causa, sed ex rebus ipsis.

Vltimo. Aut id quod exigitur vel potest exigi pro lucro cessante, secundum se iustum est, aut iniustum, si iniustũ secundũ se, ergo non licet illud exigere, eo quod adductus precibus mutuatarii pecunia illa amoueatur à negotiis lucratiuis, cum iustitia consistat in æqualitate, quæ ex natura rei summenda est, non ex precibus mutuatarii, vel ex deffectu earum. Si vero secundũ se iustum est, non efficietur iniustum vt pleriq; sentiunt, eo quod mercator propria sponte, & sine alicuius pręcibus pecuniam illam vltro à negotiis abstraxerit, & mutuaverit.

Tertia opinio est, quam cõmuniter pleriq; DD. tã ex Thæologis, quam ex Summistis, & Iurisperitis amplectuntur. Licere mutuanti, qui pecunias suas habet expositas negotiis, & lucris, deducere in pactum lucrum sibi cessans: seruatis quibusdã conditionibus, quas, deinde subiiciemus.

Ita docent Gabri. in 4. dist. 15. q. 11. art. 1. notab. 2. Ioannes Maioris ęadem dist. q. 30. Angel. verbo vsura. primo nu. 15. 16. & 17. Syluester ęodem verbo. primo. nu. 19. Tabiensis ęod. verb. 2. nu. 1. Armilla. ęod. verb. quæst. 3. Conrradus de cõtract. q. 30. conclu. 4. Adrianus in suo 4. de vsura. fol. 54. col. 3. in quæstione quæ incipit. Quoniam tractatum est de interesse. vbi licet dicat priorem istam Durand. Scoti, & aliorũ habere illustres authores, hãc vero esse modernorum, hanc tamen sequitur. D. Bernardinus de Euangelio æterno serm. 36. cap. 2. Medina Cod. de Restit. Tract. de vsuris. q. 3. Caiet. in cõmento huius art. & in summa verb. vsura. §. 2. casu 5. Victoria in lectura huius art. D. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 7. §. 15. Thomas Mercatus de Contract. lib. 5. c. 10. Antoni. Cordub. de casibus conscientiæ, quæst. 105. & omnes fere recentiores Thomistæ.

Ex Iurisperitis Panor. in cap. Conquęstus. De vsuris. Ioann. Andre. etsi in cap. Nauiganti. sequatur illam primam opinionem, at in cap. Salubriter. de vsuris habet hãc tertiam. Hostiensis eodem cap. Salubriter. Archidiaco. 14. q. 3. Cano. Vsura. & Turrecremata 14. q. 6. cano. Si res. Alexã. in Concil. 228. lib. seu volum. 2. Felinus in cap. 1. §. eundem filium. ff. De officio delegati. Et in cap. Cum venerabilis. De exceptio. Iason Instituta. de Actiõ. §. Fuerat. Ioan Lupin. De palatios Ruuios in Repetitio. cap. Per vestias. De donatio. inter virũ & vxorem, notab. 6. Nauarrus in suo Manuali cap. 17, nu. 212. & in commento cap. primi 14. q. 3. nu. 42. & sequen. vbi citat Ioan. de Lignano, quem vocat ibi grauissimum Doctorem. Lauren. de Rodulf. in dic. cap. Salubriter. Couarru. lib. 3. varia Resolu. cap. 4. nu. 1. vbi affert plures alios vtriusq; iuris interpretes in eandem sententiam.

Qui omnes docent. Vbi pecunia mutuata non fuerit exposita negotiis, sed in potẽtia tantum remota, quod dicunt in quadam tantum possibilitate, non posse duci in pactum, neq; exigi aliquod lucrum cessans. Si vero negotiationi exposita sit, & in potentia proxima, ac dispositione ad lucrum, quod dicunt ipsi esse quasi iam in actu lucrãdi, huiusmodi negotiatorem dum mutuat alii, posse ducere in pactum & exigere ab illo in cuius beneficium separat illam à negotiis lucratiuis, quibus intendebat illam tradere, lucra sibi cessantia.

Probatur hæc opinio à suis authoribus variis quoque argumentis.

Primo. Si mutuatarius sit in mora, tenetur

tur omnium consensu non solum ad damna emergentia, verumetiam ad lucra cessantia: cuius asserti potissima ratio est, quia propter illam moram desinit mutuans lucrari, quæ sua pecunia sibi restituta, & negotiis tradita obtinuisset, sed cum primum negotiator mutuat suam pecuniam, quam instituebat negotiis tradere, desinit lucrari, quæ cum illa negotiis tradita fuisset lucratus, ergo cum primũ mutuat, qui negotia exercet, potest ducere in pactum, & exigere lucra sibi cessantia.

Et confirm. Pecunia in manu mercatoris actu & reuera exercentis negotia eiusdem vtilitatis est ante moram, cuius est post moram, similiterq; est causa illius damni, & cessationis lucri mutuatarius qui illam recipit, ante moram, sicut & post moram, at tenetur soluere lucrum cessans post moram, quia ipse est in causa cur mercator ille priuetur tali lucro, ergo tenebitur etiam à principio, & ante omnem moram: cum eo ipso quo pecuniam illam accipit à mercatore, & ante omnem moram sit in causa, vt priuetur ille lucro suæ pecuniæ.

Dices tamen cũ Soto, eiusdẽ quidẽ vtilitatis esse mercatori pecuniã ante moram & post moram, attamen ante moram non impediri, nec cohiberi mercatorem ab illo lucro á mutuatario, quia is solũ dicitur impediri, aut prohiberi ab aliquo lucro, qui per vim, aut dolum, vel aliquam aliam iniquitatem impeditur ab illo, mercator verò iste libere mutuauit, sine vlla vi, aut dolo, Post moram vero vere impediri, quia mutuatarius vel debitor qui est in mora, sine creditoris consensu tanquam ipso inuito, & reclamante retinet apud se illius pecuniã, qua de causa quando est in mora debet illi lucra cessantia, cum inique detineat pecuniam illius, ante moram verò nihil tale debet.

Sed hæc responsio non tollit vim argumenti, Quia esto libere, ac sine vi, & dolo mutuauerit, hoc tamen non efficit, quin pecunia illa mercatori vere lucratiua sit, & quin perinde impediatur dominus eius à lucro ante moram, sicut post moram, & quin perinde vere cesset illi lucrum quod per illam poterat obtinere ante moram, sicut & post moram, in quo consistit iustitia & vis exigendi interesse á mutuatario. Differũt quidem ista in eo, quod post moram impeditur mercator quasi inuitus, & reclamans, ante moram vero consentiens: non tamen consentit simpliciter, sed sub ea cõditione, vt compensentur lucra sibi cessantia, quod aperte exprimit, cũ ducat illa in pactum, & exigat à mutuatario.

Secundo qui mutuat alicui instrumenta suæ artis mutuo illa postulanti, potest ducere in pactum lucrum quo priuatur ex eorum deffectu, & quod reuera obtinuisset nisi talia instrumenta illi mutuasset, sed pecunia exposita negotiationi non minus est mercatori instrumentum ad lucrandum in sua arte mercaturæ, quam sint cuiq; artifici instrumenta suæ artis, ergo licebit mercatori suam pecuniam mutuanti ducere in pactum, lucrum illud quod ipsi ex illo mutuo cessat.

Respondet etiam huic argumento Soto: Instrumenta artis natura sua locari posse, & similiter operas artificis, pecuniam vero non esse locabilem, cum vsu consumatur, & ideo posse artificẽ ducere in pactum lucrum cessans suarum operarum, quo priuatur mutuatis alteri instrumentis suæ artis, minime vero posse deduci in pactum lucrũ cessans ex pecunia mutuata. Sed hoc non obstat, quia licet pecunia secundum se sumpta, vt pecunia est, non sit locabilis aut lucratiua, at in manu (vt dicunt) mercatoris, & exposita negotiationi vere lucratiua est: Tum etiam, sicut pecunia non est lucratiua nisi adhibita industria mercatoris, ita nec instrumenta sunt lucratiua nisi adhibito labore, & industria artificis: vnde par est vtriusq; ratio. Quo fit, vt sicut accipiens mutuo instrumenta artis impedit artificem á lucro, quod per illa instrumenta operando poterat acquirere, ita qui accipit mutuo à negotiatore pecuniã, impedit reuera illũ à lucro, quod negotiando cum illa pecunia poterat habere, & consequenter quo iure potest vnus deducere in pactum lucrum sibi cessans, potest & alter.

Tertio. Qui vendit rem fructiferam, quando est in via ad fructus, potest pro illa exigere non modo pretium quod res illa secundum se valet, verumetiam quod arbitrio prudentis valet quatenus est in via, & dispositione ad tales fructus. V. g. triticũ in herba duo habet, vt sit herba quædam, ac vt sit herba in via, & dispositione adferendum triticum, propter quod potest vendens talem herbam, non solum exigere pretium illius, vt quædam herba est, verumetiam vt est herba in via ad triticũ. Sed similiter pecunia, quamuis simpliciter & secundum se sit res sterilis, at in manu mercatoris & exposita negotiis fructifera est, & in via, & dispositione

sitione, ac potentia proxima ad lucrum, ergo potest mercator talem pecuniam mutuans, exigere ad arbitrium prudentis lucrũ sibi cessans.

Huic etiam rationi respõdet Soto: plurimum interesse inter rem fructiferam & pecuniam: quia res fructifera natura sua pretio est æstimabilis & consequenter vendibilis & sic potest vẽdi hoc vel illo pretio pro ratione fructus. Ad pecuniã quę exibetur mutuatario, siue summatur vt pecunia, siue vt mutuata non est fructifera nam ex se & qua pecunia non habet aliud pretium quã quod communiter ex se valet vt pecunia, vt 100. nihil amplius valet quam 100. similiter quatenus mutuata amico nullum habet maius pretium, quia mutuum gratis fieri debet, & non pro pretio, quia esset vsura Qua de causa in re fructifera potest illa potentia ad fructus deduci in pactum, non autem in pecunia mutuata. Sed hæc solutio non tollit vim argumenti, quia licet pecunia secundum se sumpta non habeat alium valorem quam receptum in vsu, at exposita negotiationi aliquid amplius valet non vt pecunia neque vt mutuata, sed quatenus est in proxima potentia ad lucrandum fit pecunia, mercatori vt habet commune proloquium omnium gentium id ipsum quod fundus & ager agricolæ.

Caballinus, seu potius Carolus Molineus in suo tractatu de vsuris, q. 74. nu. 502. propositis quasi extremis duabus DD. opinionibus. Altera, eorum, qui sentiunt posse duci in pactum, & exigi lucrum cessans, cum quibusdam conditionibus quas inferius apponemus: Altera verò, in qua omnes Catholici conueniunt, nullam vsurã in quancũq; quantitate licitam esse: quæ duo reuerà non sibi pugnant, vt omnes DD. à vero tramite declinasse ostendat, nititur docere nullomodo licere mutuanti accipere aliquid vltra sortem ratione lucri ipsi vere cessantis, sed solum ex cõcessione Legum Ciuilium, quæ negotiatoribus quasdam vsuras. iuxta ea quæ art. præced. cont. 3. retulimus, cõcedunt. Arbitratur enim Molineus Leges Ciuiles vsuras illas nõ permittere quasi minus malum ad maiores iniquitates, & fraudes negotiatorum vitandas, sicut eo loco exposuimus, & probauimus: sed tamquã licitas, & honestas. Quo errore deceptus irridet Catholicam doctrinam negantium, esse genus vsuræ mutuantem aliquid recipere posse vltra sortem ratione lucri sibi cessantis. Imo vult iniustum esse & vsurarium eo nomine aliquid exigere, vel recipere. Quã partem sic potissime probat.

Primo. Lucrũ cessans quod à Theologis conceditur aut exigitur, & ducitur in pactum tanquam interesse casuale, vel tamquam in pœnã moræ, in qua est mutuatarius, non soluens in termino præfixo, vel tamquam interusurium, siue vsura illius rei mutuatæ, sed neutro istorum modorum potest illud exigi, ergo sola concessione legum. Probatur minor: Imprimis nõ potest illud exigi tanquam interesse casuale, vel nocumentum mutuãtis, quia Leges Ciuiles iustæ recte prohibent tale interesse casuale, & momentaneum. Neq; in pœnam, quia pœna conuentionalis (vt nos infra dicebimus) vel non est admitenda, vel saltim maxime moderata, vt habetur L. vnica Cod. de sententia quæ pro eo quod interest, at quæ exiguntur ratione lucri cessantis, excedunt plurimum istas pœnas, Nec ratione vsuræ; quia vsuræ, quas per leges recipere licet moderatissimæ etiam sunt, vt vidimus in illa cont. 3. art. præced. & quas communiter excedit maxime interesse lucri cessantis, quod solet á mercatoribus exigi à mutuatariis.

Secundo minus interesse debet exigere mutuans, cum de ratione mutui sit, vt gratis fiat, quam vendens ad creditum, cum vendat pro prætio, & cui & res, & pretium, & vtriusq; commoditas absunt: sed vendenti ad creditum, nec ex dilatione data, neç sub nomine pœnæ si ad diem solutum non sit, non licet exigere aliquod interesse, nisi quod per leges conceditur sub nomine vsurarum, ergo nec mutuanti. Minor patet ex L. Iulianus. §. Idem Papil. ff. de actio & emptio. Quod autem quidam dicunt, quod in casu istius legis non constabat de aliquo interesse vẽditoris, sed solum de pœna quadam lucratiua, quæ commensuranda est vsuræ lucratiuæ concessæ in legibus: Hoc inquit nihil facit, quia lex ista Iulianus. absolute loquitur de omni venditione, Et quod magis vrget, in Lege Finali ff. De periculo & cõmodo rei venditæ. quæ probat dictum §. Idem Papili agitur de venditore, seu negotiatore, cuius interesse ex venditione ad creditum excedebat vsuras, habetq; ista L. vt nõ possit aliquid exigere vltra legitimum modum vsurarum.

Tertio, mercatori licet ex sua negotia-

tione congruum quæstum facere, sed siue mutuet pecuniam, siue cũ illa negotietur, siue res suas vendat ad creditum, hęc omnia reuocanda sunt ad congruum quæstum negotiatoris, cum hoc solo titulo possit lucrum cessans exigere, nempe quia probabiliter illud negotiando habuisset: sed quæstus congruus, & concessus mercatori, & negotiatori est illa tantum vsura quæ dicitur Bes, vt in illa tertia controuer. vidimus, & habetur in illa l. Eos. ff. De vsuris: ergo nec ratione lucri cessãtis possunt aliud recipere, quam vsuram illam, quæ lege ciuili illis cõceditur: aliter frustra lex ista esset posita. Quo argumento putat corruere omnino sententiam istam Caiet. & aliorum, & exemplum, quod in illa explicanda adduximus ex Hostiensi.

Quarto. Cum ad lucrum exigatur industria mercatoris, vbi vero illam alteri mutuat, ipse ociosus maneat, nec vllam cum illa pecunia industriam vel operam adhibeat, nullum illi vere cessat lucrum; ergo non potest illud sub isto titulo exigere, vel erit dicendum lucrum illud partim deberi pecuniæ, & partim industriæ, qua ratione non poterit iam totũ lucrum recipere, sed solum dimidium illius ratione pecuniæ mutuatæ: ratione autẽ pecuniæ mutuatæ illud accipere vere vsura est; Ergo si recte (inquit) res consideretur, quod Hostiensis & alij dicunt recipere mutuantem ratione lucri cessantis, reipsa non recipit nisi vt vsuram suæ pecuniæ alteri mutuatæ. Ratione autem pecuniæ mutuatæ id quod accipiunt iniquum est, quia vsura quæ in iure conceditur moderatissima est, quæ vero à Theologis conceduntur ratione lucri cessantis excedũt & superãt plurimũ. Secundo, quia in iure non conceduntur istæ vsuræ moderatæ nisi solis negotiatoribus, qui vere exercent mercaturam, Theologi vero concedunt lucrum cessans cuicunque habenti pecunias.

Denique ex doctrina ista Thæologorum sequuntur (inquit Molineus) maxima incõmoda in Rep. quæ non sequuntur ex vsuris legalibus. Nam Primo sub titulo lucri cessantis exercẽt homines grauissimas & inextricabiles vsuras.

Secundo redditur difficilius & carius cõmercium pecuniæ, & æris alieni, quod oportet in Repub. esse facile, & cõmodũ: nam egens 100. aureis facile illos inueniet apud vsurarium reddita vsura Bessis, id est 8. pro anno, sub ratione autem lucri cessantis debet quærere, ac rogare mutuatarium, ac reddere forsan 20. affirmante illo tanti vel pluris lucri sibi cessare ex illo mutuo.

Tertio, per illas vsuras legales solis mercatoribus vere negotiantibus liceret fœnerari, sub titulo autem lucri cessantis fœnerantur alij, quicunque pecunias habent, cuiusque ordinis sint vel status, quod iam suo seculo conquærebatur Beatus Cyprianus, & nostro Alciat. in l. vsura. in fine. ff. De verb. signific.

Quarto (quod maxime nocet) hac via alliciuntur mercatores ad negligendam & intermittendam mercaturam honestam, & solitam mercium negotiationẽ adeo Reip. vtilem, & necessariam, & turpia lucra sectanda: cum hac via citra omnem laborem, & periculum, maiora forsan & certiora habeant lucra.

Affertque ibi varia exempla horum damnorum apud mercatores Lugdunenses, & Parisienses. Et huiusmodi lucra seu vsuras potius colligit esse contra legẽ Dei, contra sacras leges, decreta sacri Concilij Niceni, grauiterque peccare Magistratus illa tolerantes: Sed vtinam sicut ad suum institutum sacri Concilij Niceni affert Molineus authoritatem, ita sacri Concilij Niceni & aliorum sacrorum Conciliorum, quæ omnes fideles adeo venerantur, Doctrinis & Decretis pareret: abstinuisset enim miser hæreticus cum suis sociis ab hoc errore probandi vsuras, & aliis innumeris, in quem amisso lumine fidei obcæcatus adeo turpiter prolapsus fuit.

Vt in hac quæstione adeo difficili recte progrediamur hæc omnia necessario prius obseruanda sunt.

Primo nullomodo negari posse quod habet hîc Caietanus, in pecunia duplicem esse potentiam ad lucrum, vnam veluti illi naturalem, sed remotã, quæ consequitur primã institutionem & naturã pecuniæ, quatenus pecunia vbicunq; sit, & apud quẽcunq; potest esse instrumentum ad emendum, negotiandum, lucrandum: aliã vero, velut artificialem & proximam, quam habet pecunia non ex natura sua, sed mediante industria mercatoris, quæ potentia nõ semper illi cõuenit, neq; vbicunq;, sed quando est exposita negotiationi, aut est in proxima dispositione vt exponatur, quod pendet ex intentione, & animo habentis illam. Quo circa debet

debet in hac parte mutuans suam conscientiam exacte consulere, an haberet iam deliberatum animum & intentionem exponendi illam pecuniam alicui negotio, vel non: quia pecunia non dicitur exposita, aut proxime exponenda, ex eo tantum quod dñs illius soleat negotiari, sed ex animo quo iã firmiter decreuerat actu cum illa negotiari, aut certũ & peculiare negotiũ, aut saltim in communi quod se illi cõmodius offerret.

Affert Caiet. elegans & accommodatum exemplum huius duplicis potentiæ in tritico: Granum (inquit) tritici duplicem habet potentiam ad fructificandum, vnam naturalem & remotam, quæ cõuenit omni tritico, siue sit in horreo, siue in foro vt vendatur, siue quando ducitur ad molas cõuertendum in farinam: eo namque ipso quo triticum est, habet talem potentiam, & aptitudinem. Præter hanc vero remotã & communem habet aliam proximam & particularẽ, quando scilicet, aut est iam seminatum & cõmissum terræ, aut purgatũ & paratum iam ab agricola vt in proximo seminetur.

Obseruemus secundo, sicut supra dicebamus de damno emergente ita modo lucrum pecuniæ cessare posse, & extrahi à negotiatione duobus modis, aut contra voluntatem mercatoris, Idq; vel inique siue in cusso illi iniusto metu siue pecunia eius furto vel rapina accepta, aut sine vlla iniquitate, vt cum à Principe compellitur mercator diues propter bonum commune vt sibi mutuet, vel cum Iudex ex iusta causa mercatorem parantem viam in nundinas vbi negotiaretur cum lucro, coniicit in carcerem, vbi impeditur à lucro quod ibi acquisisset. Alio vero modo ex voluntate & consensu mercatoris, ipso libere & spontanee alicui amico mutuante: quod potest etiam dupliciter adhuc accidere, nam aut extrahit illam & mutuat in suum proprium commodum, quia eo tẽpore & occasione vtilius potius ipsi est mutuare, quam negotiari: aut extrahit illam vt consulat vtilitati mutuãtis, quo illi per mutuũ illud subueniat. Vbi parum aut nihil fere refert, efficiat ne illud rogatus vel non rogatus, ex eo namque nec mutatur nec varietur natura mutui. Potest enim mercator ita diligere amicum, cuius indigentiam nouit, vt ex mera beneuolentia vltro se illi offerat, ac dicat, ne quæso vendas bona tua ad leuandam indigentiam quã pateris, cum nequeas hac via illam leuare sine magna iactura & damno tuo, habebam quidem hãc pecuniam paratam huic negotio, quo poteram lucrari vt 30, compensabis mihi si vis ad arbitrium prudentis hoc lucrum, quo tua causa priuabor, & mutuabo illa tibi. Si quidẽ liceat exigere lucrum cessans, quando mutuans non intendit propriam vtilitatem, sed mutuatarij, certe quod illum ita præueniat, & ex amicitia vel pietate illi sese offerat, non mutat rationem & naturam mutui.

Obseruemus tertio D. Tho. sup. q. 62. art. 4. vbi quærit, an aliquis teneatur restituere quod nõ accepit, neq; abstulit, docere ac constituere hæc duo. Primo inferẽtem aliquod damnum, etiam si ex illo dãno proximi nihil ipse recipiat, teneri ad restituendum, quia per illud damnum proximus habet minus quam debet habere: quicunque autem est in causa quod frater habeat minus quã debet habere, vt seruetur æqualitas debet illud reficere. Secundo duobus modis posse aliquẽ alteri nocere, vel auferendo ab eo quod iã actu habet, quo casu facienda est illi restitutio in integrum, secundum æqualitatem rei ad rem, quia abstulit quod ille actu habebat, & possidebat vt suum, vt si diruat Ioannes domum Petri valentem 100. tenetur reficere illa 100. quia si habet Petrus domum quæ valebat 100. Ioannes diruens illam, exspoliauit eum inique illis 100. quæ actu erant Petri: Secundo modo potest (inquit) aliquis alteri nocere, non auferendo quod actu habet, sed impediendo illum ne habeat ea, ad quæ est in via & proxima potentia. Quo casu, tenetur etiam qui ita nocuit, cõpensare, & restituere hoc damnum fratri quem ita impediuit, non secundum æqualitatem rei ad rem, quia res non tantum valet in sola potentia & dispositione, quantum vbi est in actu, sed erit arbitrio prudentis æstimandus valor illius rei pensatis omnibus circunstantiis illius, & potentiæ in qua est. Additq; ibi Doc. Sanctus in solutionibus argumentorum tãquam exempla. Teneri impedientem ne semen fructificet, aut ne pecunia proximi lucretur, ad reficiendum illud bonum quod impedit, non secundum æqualitatem, cum nondũ messis illius seminis, aut lucrũ illius pecuniæ esset in actu, sed in via tantũ quæ poterat multis modis impediri, sed ad arbitrium prudẽtis.

Ex qua doctrina D. Tho. aperte sequũtur duo quæ optime colligit Conradus. Primo non solum esse damnum, vbi quis priuatur rẽ quam habet, verumetiam quando impeditur à bono, & lucro ad quod erat in via, & proxima potentia. Alterum quod sequitur

sequitur est, huic priori consequens, non solum teneri ad recompensandum nocumentum, eum qui alteri nocet in re quam actu habet, quod est damnum emergens, verum & eum qui nocet alteri impediendo illum à re quam poterat habere, & ad quam est in via, quod est lucrum cessans: quamuis sit aliter (vt constat) satisfaciendum damnum emergens, & aliter lucrum cessans. Confirmaturq; recte hoc exemplo ex eodem D. Tho. desumpto supra. q. 77. art. 1. Habet artifex domũ, in qua vẽdit optime & cũ lucro suas merces, & operas suę artis, quod in alia domo non ita obtinebit, postulo vt illam domum mihi vendat, potest ipse ducere in pactum, & exigere vt præter iustum valorem & pretium domus, persoluam quoque illi commoditatem illam melius vendendi res suas, & compensem illi lucrum, quod res suas in in domo illa commode vendens recipit, qua commoditate & lucris ex illa ipsi prouenientibus in aliam recedẽs priuatur, quia impediri à lucro quod in illa potest habere, est reuera ipsi dammun.

Obseruemus quarto. Vt quemadmodum quando mercator vendit alicui merces valentes (v. g.) 100. transferendas per mare, sed ita vt postulet emptor ab ipso vtrunq; simul, & merces, & illarum securitatem, potest mercator vendere illas pretio vt 120. nec in eo aliquam cõmittit iniquitatem, (modo non compellat emptorem ad vtrunq; simul contractum cum ipso celebrandum, nempe & venditionis, & assecurationis, (vt constabit inferius ex Cap. Nauiganti) quia in hoc casu mercator iste, non solum vendit, sed exercet re ipsa duos contractus distinctos, & separabiles, alterum venditionis, tradens merces illas pretio iusto vt 100. & alterum assecurationis, exigens tanquam pretium etiam iustum periculi quod in se suscipit illa 20. Ita mercator mutuans pecuniã quam habet expositam negotio lucratiuo, exigẽs, ducensque in pactum lucrum sibi cessans, licet prima fronte vnicum tantum videatur exercere contractum, solumque mutuare, reuera tamen non solum mutuat, sed exercet re ipsa duos contractus distinctos, & separabiles: alterum mutui, alterum vero venditionis illius lucri, quod sibi per illud mutuum cessat, nam cum pecunia negotiis exposita habeat illam proximam potẽtiam ad lucrum, quam prima obseruatione diximus, habet simul & ipse spem maxime probabilem percipiendi lucrũ ex illa.

Quo fit, vt lucrum illud mercatori non sit possibile tantum, sicut aliis qui non negotiantur; sed maxime probabile, & in via, ac in actu, non quidem perfecto & absolute, sed imperfecto & inchoato: qua ratione Arist. 3. Physic. vocat motum actum, non quidem perfectum, sed imperfectum & inchoactum definiens illum. *Actum entis in potentia, quatenus est in potentia.* Quia motus est actus imperfectus, & via proxima ad actum perfectum, & ipsum fieri rei. Cum ergo pecunia in manu mercatoris actu negotiis exposita sit in ea potentia, & via adeo proxima ad lucrum, & spes quam habet mercator conceptã lucrandi per illam sic expositam non sit quid fictitium, & imaginariũ, sed vera spes lucri maxime probabilis: sicut periculum cui se subiicit assecurans est pretio æstimabile, & quod vendi potest, pari ratione spes ista mercatoris, qui vere nisi pecuniam illam mutuasset, fuisset cum ea negotiatus ad parandum aliquod lucrum, est pretio æstimabilis, & quæ vendi potest. Qua de causa quatenus sortem illam alteri tradit post certum tempus secundum æqualitatem sibi restituendam exercet contractum mutui, quatenus vero exigit ab eo ad arbitrium prudentis valorem lucri, quod ex illa negotiis quæ exercere intẽdebat, tradita sperabat obtinere, exercet contractum venditionis, diuersum re ipsa ab illo contractu mutui, sicut in venditore assecurante merces emptori cuius exemplo hic vtimur, venditio illarum mercium & earundem assecuratio quam in se suscipit, sunt reuera cõtractus diuersi. Cõfirmariq; potest, quia per mutuum confertur pecunia ipsa quæ non est in fieri sed in facto esse, habẽs actũ perfectum, per pactum vero illud compensandi lucrum cessans, venditur lucrum illud quod erat in fieri, & in proxima potentia, & cuius probabilis vere habebatur spes, tanquam rei iam in actu, non quidem perfecto sed imperfecto.

Quod autẽ vendi possit quod non est in actu perfecto, sed solum in fieri, & in via, omnibus compertum est, multisq; exẽplis familiaribus illustrari potest. Iactus enim retis pretio æstimabilis est, & venditur passim, cum tamen piscium captura non sit in actu perfecto, sed in via tantum, & quæ variis modis impediri potest, quando iactus ille venditur: Triticum quod habet agricola purgatum, (quod est exemplum D. Thom. & Caiet.) & deputatum seminationi, si quis illud furetur non satisfaciet recte reddito tantum eo pretio,

quod

quod simile triticum valet in foro, nisi compensaretur etiam illi ad arbitrum prudentis damnum, quod passus est non seminādo illud, quod damnū nihil aliud est quā lucrum quod illi cessat. Quo fit, vt damnū istud siue lucrū cessans pretio æstimabile sit, nā aliter nō teneretur talis tritici fur illud cōpensare, quod si pretio æstimabile est, esto non dum sit in actu perfecto, sed solū in via & in fieri, consequenter vēdi potest quod adhuc est in via, & in actu imperfecto.

Similiter igitur, quando Petrus mutuat Ioanni 100. aureos, exigens ab illo lucrū cessans, poterit ipsi vendere cessationem illā lucri quā ex tali mutuo patitur, cum lucrum illud ex tali pecunia sic exposita sit in via, & actu quodam imperfecto. Et confir. quia casu quo Petrus non mutuaret Ioāni aliquam pecuniam, sed postularet tantum Ioannes ab ipso, vt cessaret ab eo negotio, quod vult exercere, posset iuste exigere aliquid ab illo pro ea cessatione, Tum quia est illi nociua, tum quia ista obligatio omittendi negotia, & lucra quæ ex illis haberi possunt, est pretio æstimabilis; quemadmodum si agricola rogatus ab aliquo scindat arborem fructiferam, aut desinat seminare agrum suum, vel cesset á suo labore & agricultura, potest exigere ab illo pretium aliquod pro lucro quod ipsi ita cessat, cū omnium consensu ꝙ est ager agricolæ sit pecunia negotiatori.

Ex quo sequitur confirmaturque optime quod paulo ante dicebamus in obseruatione secunda, ut quemadmodum in venditione parū aut nihil omnino refert, vendat ne quis rogatus, vel vltro & a nemine rogatus, modo seruetur iustum pretium, & rem tradat sanam, in quibus consistit æquitas & iustitia venditionis, ita in mutuo ad exigendum lucrum cessans, parum aut fere nihil refert, mutuet ne rogatus à mutuatario, vel non rogatus sed propria sponte & vltro, modo exigat solum ratione lucri cessantis quod prudens, & peritus in eo genere negotiorum indicauerit. Quia cum pactum hoc lucri cessantis sit vere venditio illius lucri, pro vt est in proxima potētia & in fieri, positis duobus, vt sit vere in tali potentia, & probabile arbitrio prudentis, quod perinde est ac rem esse sanam, & pretium iustum, seruatur in tali contractu, & vēditione istius lucri in potētia debita æqualitas, & iustitia.

Obseruemus quinto, plurimū deceptos esse varios Iurisperitos, qui ad nudam paucarum legum litteram respicientes, magis quam verum illarum sensum, & rationem naturalem sequuti, quæ diximus de damno emergente, & dicemus statim de lucro cessante, ad solas pecunias mutuatas putarūt restringendum: & similiter quæ habentur in L. Nummis. ff. De in lite Iuran. Et l. 3. §. penult. ff. de eo quod certo loco, occasione eorum quæ habentur in l. Si sterilis. §. cum per venditorem. ff. De actione empto. vbi pecunia secundum se sterilis dicitur. Qua de causa, vt doceant quomodo in aliis etiam rebus quæ cadunt sub mutuo, posit locum habere interesse damni emergentis, vel lucri cessantis, excogitarunt seu confixerunt potius distinctionem quādam interesse intrinseci, & extrinseci, quæ cum non habeātur in iure vt recte docet Alciat. in suo tract. Eius quod interest. Sed sint mera figmentia, non est quod illa explicemus, sed reiiciamꝰ potius, Affirmātes huiusmodi interesse, tā damni emergentis, iuxta ea quæ præced. cōtrou. docuimus; quā lucri cessantis, iuxta ea quæ in præsenti statim docebimus eadem omnino ratione habere locū in vino, oleo, tritico, & cæteris rebus, & cōtractibus, in quibus ratione mutui aut venditionis, qui res huiusmodi alteri vendit vel mutuat, aut vere damnum aliquod patitur, aut ab aliquo lucro & commodo impeditur. Ratioque est apertissima, quia si in mutuo pecuniæ licet exigere damnum emergens vel lucrum cessans, id certe non licet ratione pecuniæ, sed ratione ipsius dāni accepti, vel lucri cessantis, vi illius principij quod sæpe diximus esse quandam vocem naturæ. *Neminem debere præstare alteri beneficium suo damno, vel incommodo:* Cum ergo non ratione pecuniæ damnum istud vel lucrum exigere liceat, sed ex natura rei vt dicunt, & ex propria ratione ipsius damni vel lucri prohibiti, siue ex mutuo siue ex mora illud accidat, vbicunq; idem occurret, nēpe vel damnū aliquod recipi, vel cessare lucrum ex mutuo vel mora solutionis, in quocūq; genere contractus ista accidant, siue in vino, siue in frumento, siue in oleo, siue in vestibus, siue in quacunq; alia re earum, circa quas contractus mutui & venditionis vel alios his similes celebrari contigerit, eodem iure æquitatis licebit ducere in pactam & exigere damnum illud vere ab altero contrahente passum, vel lucrum vere illi cessans in beneficium & vtilitatē alterius contrahentis. Non enim ex eo quod in contractu materiale est, iustitia & æquitas contractus perpenditur, sed ex eo quod in illo formale est, illique in ratione

 & ge-

& genere talis contractus intimum, & intrinsecum. Vnde sicut parum facit vendas ne triticum, an oleum, vt debeas iusto pretio vendere & rem sanam: Similiter mutues ne triticum, oleum, vestes vel pecuniam, vt pacisci possis de damno emergente, vel lucro cessante. Sed quemadmodũ mutuanti pecuniam ista licent, licere etiam censenda sunt, vbi eadem fuerit ratio, mutuanti vinum, vel oleum. Cum ex Regulis iuris non tam positiui quam naturalis: Vbi eadem est ratio eadem quoq; debeat esse iuris dispositio.

Obseruemus vltimo, cum in contractu cui apponitur aliqua honesta conditio, voluntas contrahentis non simpliciter consentiat, sed sub illa condicione, non minus dicendum esse inuoluntarium, & dissentientem; quando non seruatur illa conditio, quam si aperte & expresse affirmaret se dissentire: contractumque illum perinde esse inualidum deficiente illa condicione, ac si aperte contrahens in illum nullomodo consensisset. Ratio est aperta, quia eo ipso quo apponitur condicio, maxime honesta, exprimit contrahens se non aliter consentire nisi illa seruata. Hæc obseruatio comperitsima est ex vtroque iure. De condicionibus appositis. Et ex condicionibus honestis, quæ apponuntur in matrimoniis.

His positis, vt omnia quæ ad præsentem faciunt controuersiam complectamur, varias subiiciemus conclusiones.

Sit Prima. *Quando pecunia tantum est in potẽtia illa naturali & remota ad lucrum, non potest mutuans aliquid exigere, vel accipere ratione lucri cessantis, siue propria voluntate & sponte mutuet, siue coactus.*

In hac omnes conueniunt. Et Probatur. Pecunia secundum istam remotam & naturalem potentiam considerata sterilis est, nulloq; modo fructifera, aut lucratiua; Ergo ex illa isto modo sumpta nullum potest exigi lucrum. Antecedens constat ex prima obseruatione: Consequentiam vero ita probo. Lucrum siue fructus cessans non potest exigi, vel recipi nisi ex re fructifera, & nata parere lucrum, quia in huiusmodi tantum re dicitur illud cessare, pecunia secundum istam potentiam sumpta nec fructifera est, nec lucratiua; ergo in ea isto modo sumpta nullus cessat fructus, aut lucrũ, nec potest ex ea mutuata illud exigi, vel recipi.

Secundo, Cum huiusmodi potentia intrinseca sit & connaturalis omni pecuniæ, non est æstimabilis pretio distincto à proprio pretio & valore ipsiusmet pecuniæ, neque ratione istius potentiæ aliquid amplius illa valet, quã se sola: ergo non potest pro ista potentia aliquid exigi, vel recipi: aliter, vel idem bis venderetur, vel certe venderetur, quod nullum habet pretium: acciperetur autem aliquid, si quidem ratione talis potentiæ exigeretur lucrum cessans.

Tertio, Confirmatur optimis accommodatisque exemplis. Primo mutuans non potest aliquid accipere ratione expectationis pecuniæ mutuatæ ad aliquod tempus, quia hæc expectatio est intrinseca mutuo: ergo similiter cum potentia ista remota consequatur naturam pecuniæ tanquam proprietas illi intrinseca, non potest aliquid pro illa accipi.

Secundo, Qui triticum, quamuis purgatum & iam paratum ad seminandum, duceret in forum, & sponte sua constitueret illud venale, non posset pro illa potentia tritici remota & cõnaturali aliquid amplius accipere, quam valeat triticum illud secundum se sumptum, vt triticum quoddam est, communi vsu fori iuxta naturalem ipsius bonitatem: Sic enim habet omnium hominum vsus & consensus: ergo neq; pro ista potentia remota pecuniæ licebit aliquid extra proprium illius valorem accipere. Patet consequentia, quia pecunia secũdum se multo minus fructifera est quam triticum.

Quarto, Si pro ista potentia liceret aliquid recipere, cum nunquam detur mutuo pecunia aliqua, quæ non habeat talem potentiam, quia est illa omni pecuniæ connaturalis, non daretur mutuum in quo non liceret exigere lucrum cessans ratione istius potentiæ, & consequenter in omni mutuo liceret accipere aliquid vltra sortem, essentque licitæ vsuræ: Quod est error.

Denique hæc conclusio habetur in iure in illa L. Si sterilis. §. cum per venditorem. ff. De actione empto.

Ex hac prima cõclusione sequuntur tria Primo nobiles, magnates, & similes qui non habent pecunias suas expositas negotiis, non posse aliquid exigere, cum mutuant ratione lucri cessantis. Quia huiusmodi pecuniæ tantum sunt in potentia ista remota ad lucrum.

Secundo, nec posse eosdem, etiam si mutuatarius sit in mora, aliquid exigere ab illo, aut recipere, quia ratione moræ illi solum licet aliquid accipere, cui ex tali mora verè lucrum cessat, iis vero qui nõ habent pecu-

pecuniam suam negotiis expositam, etiam mutuatarius sit in mora; reuera nullum lucrum cessat ex sua pecunia. Tertio, eadem ratione, neque qui aliquam pecuniam ab huiusmodi hominibus furatur, tenetur aliquid ipsis restituere vltra sortem, cum nullum reuera illis lucrum cesset.

Sequitur quarto, male & inique agere quosdam mercatores, qui multas pecunias in nundinas defferentes, vbi iam emerunt merces quas ibi emere decreuerãt, reliquas pecunias aliis mutuant, exigentes ab eis aliquid vltra sortem titulo lucri sibi cessantis, & quod ex illis, si alias merces voluissent emere, habuissent. Quia huiusmodi mercatoribus nullum reuera cessat lucrum ex illis pecuniis aliis mutuatis, cum iam emerint merces quas instituebant, & quibus emptis non fuit illis in animo alias emere. Etenim vt initio huius controuer. docuimus, lucrum quod potest a negotiatore exigi, non sufficit vt fuerit possibile, & in potentia remota, sed vere aut saltim probabiliter cessans, & in potentia proxima, habenda ex negotio quod vere & actu exercere intendebat.

Secunda conclusio. *Si quis sua sponte propriam vtilitatem & commodum intendens extrahat pecuniam a negotiis, & illã mutuet, non potest deducere in pactum lucrum cessans.*

In hac omnes conueniunt. Et probatur. Pecunia non est in potentia proxima ad lucrum, nisi ex voluntate mercatoris habentis illam vere expositam, & paratam ad negotia; sed in hoc casu, ex voluntate ipsius mercatoris extrahentis illam a negotiatione desinit iam pecunia ista esse exposita, & parata negotiis; ergo in hoc casu cessat iam in huiusmodi pecunia potentia illa proxima ad lucrum, manetque illi sola illa remota, & ipsi naturalis, pro ista vero potentia remota nihil accipi potest, neque deduci in pactum aliquod lucrum cessans, vt constat ex prima conclusione; ergo neque pro pecunia ista sic separata a negotiis licebit aliquod lucrum exigere.

Secundo, vt dicebamus in præcedent. Conclu. si quis triticũ quod habet purgatum ad seminandum, sua voluntate ducat ad forum, exponatque illud venale, non potest ratione potentiæ proximæ quã antea habebat ad ferendum fructum, aliquid accipere, quia eo ipso quo duxit illud in forum, reduxit illud a potentia illa propinqua & proxima, ad remotam, & naturalem, omni tritico communem; erit ergo similiter iudicandum de pecunia quam ipsemet negotiator extrahit a negotiis.

Tertio, Qui propria spote nec rogatus ab emptore vendit rem sibi vtilem, vt præced. quæst. dicebamus, non potest illam maiori pretio vendere quam valeat secundum se; ergo similiter in mutuo.

Denique lucrum cessans si quidem exigi potest, tunc solum exigi potest, quando cessat illud ratione mutui, sed in hoc casu non cessat huic mercatori ratione mutui, sed aliunde, ex sola scilicet voluntate ipsius consulentis suæ propriæ vtilitati.

Vnde tota ratio & fundamentum huius conclusionis est, mutuatarium in hoc casu nullomodo esse causam nec efficientem, nec moralem quod lucrum cesset ipsi mutuanti, sed meam liberamque voluntatem mutuantis, qua ratione cessans non cessat profecto propter mutuum, etsi pecuniã illam alteri mutuet.

Ex hac conclusione sequitur primo, Contractus istos qui vocantur *Asientos*, quos ditissimi quidam mercatores maxime Ianuenses celebrant cum nostro Rege, offerentes illi plurimam pecuniam, ea lege vt recipiant 20. aut 25. pro centum sub titulo lucri cessantis, esse vsurarios, & merito a Grego. 13. & Pio 5. damnatos, deobligatumq; Regem a solutione omnis lucri & interesse. Quia hi propria sponte, proprioq; commodo intendentes extrahũt pecunias suas à negotiatione, & offerunt illas Regi, expectantes maius lucrum se hac via percepturos, sicut reuera hac via plus lucrantur in vno anno, quã lucrarentur exercentes negotia duobus forsan vel tribus.

Secundo, sequitur ex eadem conclusione, vsurarios quoque vt plurimum esse mercatores exigentes lucrum cessans à Magnatibus qui sunt in mora soluendi merces aureas, & sericas magni pretij, quas hispane dicimus *brocados y tapiceria* & similia, Quod vt afferam duplici adducor ratione. Prior est, quia cum huiusmodi merces non emantur nisi à Magnatibus, qui non soluunt statim pecunia numerata, sed cum mora, mercatores isti præuidentes iam moram illam, & sic vendentes & in eam tacite consentire, consulentesque proprio cõmodo sponte illis cum huiusmodi periculo vendunt vnde ex vna parte in eam consentiunt vt si-

bi vtilem & necessariã, quia aliter non venderent, ex alia vero parte volunt ratione istius more, quã suæ vtilitati consulũt, exigere lucrum cessans. Altera vero est, quia præuidentes iam hãc moram & periculum, carius vendunt merces quam valeant, sicq; duo exigunt lucra, alterum per accresionem pretij ipso tempore venditionis, alterum vero tanquam lucrum cessans illis ex solutionis mora, quæ omnia iniqua sunt, & vsuraria. Quamuis liceret istis mercatoribus, vbi à principio iusto pretio vendunt, & ex mora solutionis sequitur illis aliquod notabile damnum, exigere tunc illud non vt lucrum cessans, sed tanquam damnum emergens, iuxta ea quæ proxime præced. controuer. dicta sunt de damno emergente.

Tertia conclusio. *Quando mutuans coactus & inuoluntarius extrahit pecuniam a negotiatione, vt det illam mutuo, potest exigere & recipere lucrum cessans. Quin etiam tenetur mutuatarius ipse in tali casu, & ante iudicis sententiam restituere mutuanti pecuniam illam cum lucro cessante.*

Conueniunt etiam in hac omnes DD. non solum Theologi, verumetiam Iurisperiti sumpto argumento à L. 1. & 2. Cod. Si quis aliquem testamen. prohibet. Et l. fina. ff. de hæred. institu. Imo habetur aperte Cano. Precariæ 10. q. 2. vbi dicitur. *Neminem inuitum, contra vtilitatem & rationem cogi de proprio facere beneficium, &c.*

Prior pars probatur aperte. Ex D. Tho. sup. q. 62. art. 4. ad 2. qui impeditur ne consequatur quod erat in via habendi, recipit reuera damnum, teneturque ad illud compensandum, qui boni illius consequutionem impediuit, sed in hoc casu iste mutuans cum haberet pecuniam expositam negotiationi, erat iam in via habendi aliquod lucrum ex illa, impeditur autem à cõsequutione istius lucri, & contra suam voluntatẽ ab eo à quo compellitur extrahere pecuniã illam à negotiis, & mutuare, patitur ergo damnum in illo lucro, tenebiturque qui illum ita impediuit cõpensare ei lucrum illud cessans.

Secundo, In hoc casu sic mutuans habet reuera minus quam debet habere, patiturque damnum emergens contra suam rationabilem voluntatem; ergo qui est causa huius inæqualitatis & damni, tenetur ad restitutionem ex Cap. Fina. de Iniuriis & damno dato. Et confirmatur: Qui conculcat segetes tenetur illas restituere, non solum secundum valorem quem habent quando illas conculcat, verumetiam secundum valorem quem cẽdendæ sunt habere, quatenus sunt in via ferendi fructum, ad arbitrium prudẽtis, sicut diximus tom. 1. q. 62. ar. 4. ergo similiter qui compellit aliquem ad extrahendas pecunias á negotiatione, & inuitus mutuare illas.

Tertio, Qui accipit ab aliquo instrumenta suæ artis, propter quod impeditur artifex ille á lucro, quod laborans cum illis instrumentis sibi comparasset, tenetur omnino non solum instrumenta, verum & lucrũ quod illi cessauit, ipsi restituere: sed pecunia exposita negotiis est mercatori instrumentum suæ artis ad lucra; ergo qui per vim, vel fraudem impedit illum ne negotietur, & lucretur, tenetur compensare illi & pecuniam ab illo acceptam, & lucrum quod ex illa habuisset.

Denique qui per vim, vel fraudem detinet irrigum, ne per arbores, aut vineas alterius defluat, tenetur in conscientia compensare agricolæ defectum illorum fructuum, quem ex defectu illius irrigui culpa ipsius patitur, huiusmodi autem defectus nihil aliud est quam lucrum cessans: ergo tenetur qui cogit mercatorem cessare à negotiis lucratiuis, quibus suam pecuniam committere instituebat, lucrum illi cessans satisfacere.

Vult Carol. Molin. q. 74. De vsuris: huiusmodi defectum fructuum ad damnum potius emergens quã ad lucrum cessans pertinere, quia defectus iste ex terræ, vel arborum sterilitate proprie & immediat nascitur, quæ actuale damnum ipsarum est, non lucrum cessans. Cæterum cum ad sterilitatem istam leuandam author naturæ aquas irriguas contulerit, qui prohibet illarum decursum, & irriguum, propterea dicitur nocere, quia prohibet vtilitatẽ, & fructus quos agricola ex illis arboribus, & vineis si aqua per ea loca defluxisset, percepisset, & ex consequenti cum illa damna persoluit lucra cessantia vere dicitur compensare.

Altera pars, mutuatarium in casu huius tertiæ conclusionis teneri in conscientia ad restituendum lucrum cessans, etiam si mutuans illud non petat, & ante iudicis sententiam, eisdem argumentis constat: Quia ex illa regula *Si tua culpa, &c.* Qui damnum alteri infert, simpliciter & à parte rei tenetur illud compensare, etiam si nec læsus illud petat, nec iudex compellat, in hoc autem casu mutuatarius qui sic coegit mutuãtem vere illi nocuit, fuitque in causa istius damni

damni, & cessationis lucri culpa sua.

Ex hac doctrina sequitur. Primo mutuatarium qui est in mora soluẽdi sine consensu mutuantis, etiamsi mutuans a principio propria sponte & voluntarie illi mutuauerit siue potius opposita, eo tamẽ ipso quo mutuatarius est in mora sine consensu mutuantis, teneri ad soluendum illi, si mercator sit, & qui suis pecuniis negotia exercet, lucrum illi cessans a tempore moræ ad arbitrium prudẽtis. Quia eoipso quo est in mora sine illius cõsensu, retinet pecuniam eius contra ipsius voluntatem, habetque illam mutuans separatã a negotiis & a via lucrandi inuolũtarius, & velut coactus. Hoc consectarium habetur expresse in l. Socium. ff. Pro Socio. & l. Cũ quidem. ff. De vsuris. & in l. Vsuras. Cod. eod. tit. Affert ad idem institutum Nauar. comment. in illo Can. Si fœneraueris. nu. 42. Glossam celebrem in Cap. Conquæstus. De vsuris per cap. Dilecti. De foro competen. Cap. Peruenit & Cap. Constitutus. De fideiuss. L. 1. in fine Cod. De sentent. quæ pro eo quod inter est & l. 3. §. fina. De eo quod certo loco. Similiter qui pecunia emit a mercatore merces aliquas, quamuis non teneatur de lucro cessante dum non est in mora soluendi, tenetur tamen a tẽpore moræ, quia pecunia mercatoris semper cẽsetur sicut modo dicebam exposita negotiis, nisi iam mercator tempore venditionis præuidit istam moram & illam sciens voluit vendere, quia sic ipsi expediebat, sicut exposuimus in secundo consectario proxime præced. conc.

Sequitur tertio, si Rex ingruente Bello indigeat pecuniis & compellat mercatores vt illas a negotiis segregatas ipsi mutuent, posse mercatores qui ita compulsi & coacti mutuant, ac desinũt negotiari, exigere a Rege lucrum cessans, quia coactio illa efficit in mercatoribus inuoluntarium sufficiens vt teneatur Rex ad lucrum illud compẽsandum. Dixi compulsos & coactos, propter illos, qui voluntarie suas pecunias a negotiis separant, Regique offerunt suæ potius vtilitati quam regiæ necessitati volentes consulere, de quibus in primo corrolario cõclusionis proxime præcedentis diximus.

Recolenda etiam sunt ad maiorem intelligẽtiam huius tertię concl. quæ diximus primo tom. q. 62. art. 4. de modo restituendi bonũ, a quo aliquis alium impediuit, similiter enim satisfaciendum est lucrum cessans ad arbitrium boni & prudentis viri.

Obseruandũ tamen hic est, iudicem iuste impediente aliquem a lucro, vt si mercatorem paratum ire ad nundinas, vbi lucraretur, propter illius delicta recludat in carcere, ad nullam teneri satisfactionem vel compensam lucri illi mercatori cessantis: quia cessatio ista culpis eiusdem mercatoris, propter quas fuit missus in carcerem, tribuenda est non culpe iudicis qui suo munere iuste & recte functus est. In his cõclusionibus hactenus positis conueniunt omnes. Tota vero difficultas est, quando mutuans pecunia cum qua intẽdebat negotiari, & lucrari, intelligens amici sui indigentiam, vel rogatus ab eo, vel propria sponte offert se illi mutuare volens illius necessitati & vtilitati consulere, Nũ qui ita mutuat possit ab illo lucrum sibi cessans exigere.

De quo sit quarta conclusio.

Qui rogatus ab alio vel communibus tantum precibus extrahit pecuniam suam a negotiatione, cui habebat illam expositam, mutuat vero illam non propriam intendens vtilitatem, sed mutuatarij, potest deducere in pactum, & exigere, ac recipere ab illo lucrum cessans.

Probatur hæc ab authoribus tertiæ opinionis quibus hic subscribimus, variis argumentis. Nam D. Nauar. inter alios loco citato affert 14. rationes. Conradus quoque & alij alias multas, quarum potiores sunt hæ.

Primo, quo argumento vtitur Caiet. Sicut res quæ est in proxima potentia ad lucrum, pluris æstimatur, quam quæ est in remota, vt triticum iam purgatum & paratum ad seminandum vsu omnium agricolarum pluris æstimatur, quam quod non est ita paratum, sed in foro vt vendatur cuicunq; volenti illud emere, ita pecunia exposita negotiationi pluris valet ipsi negotiatori, quam ea quæ non est exposita, neque in tali proxima potentia: quod etiam est definitum a Sceuola. ff. De eo quod certo loco. l. 3. §. fina. ergo pro huiusmodi pecunia, licet exigere quod valet plusquam alia simplex, & non exposita negotiis: hoc autem est lucrum cessans; ergo licet illud exigere.

Et confirmatur, quia si valet plusquam alia, nec exigatur illud a mutuario, habebit mutuans minus quam debet habere, quod est iniquum & iniustum.

Huic argumento vt respõdeat Soto, non audet, nec potest negare illud antecedens, pecuniam expositam & in proxima potentia ad lucrum plus valere: negat tamen consequentiam, dicens mutuãtem, eo ipso quo voluntarie, & non coactus, nec per fraudem

aut dolum extrahit pecuniam suam a nego tiis, & mutuat illam, voluntariè quoque & liberè cedere isti lucro.

Sed hæc solutio non tollit vim argumẽti. Primo, quia vt diximus in vltima obseruatione posita, cum consensus contrahentis pendeat à libera voluntate ipsius, ita dicitur vnusquisq; consentire, sicut explicat suam voluntatem, quo fit, vt qui apponit conditionem aliquam, ita consentiat stante illa conditione, vt ea deficiente nõ consentiat, sed sit omninò inuoluntarius. Vnde mutuãs, eo ipso quo á principio mutui ducit in pactum lucrum cessans, non cedit illi lucro, nec extrahit pecuniam suam á negotiis simpliciter, sed ea tantum lege, vt lucrũ illud sibi compensetur.

Secundo. Quod aliquis liberè & sponte mutuet, hoc tantum pręstat, vt non mutuet cum iniuria, nec cesset ei lucrum cum iniuria, quam fuisset passus, si per vim, vel dolum, fuisset compulsus ad mutuandum, non tamen tollit, quin reuera cesset illi lucrum, vel quod pecunia illa quę reuera erat exposita negotiationi, non haberet maiorem valorem, quam alia non exposita, in quo fundatur ratio Caietani. Et confirmatur. Si latro accipiat pecuniam expositam negotio, vt diximus in consectariis primæ conclusionis, tenetur restituere, & peccuniam, & lucrum cessans, si vero accipiat non expositam, tenetur quidem restituere sortem raptam, non tamen lucrum cessans, ergo obligatio illa restituendi illud lucrum cessans non nascitur ex acceptione violenta, cum vtramq; pecuniam latro iste violenter acceperit, sed ex eo quod vna esset exposita negotiis, & in proxima potentia ad lucra, alia vero non.

Tertio. Si mutuat quis contra suam voluntatem, vt constat ex præced. conclusione, & concedit Soto, potest ducere in pactum lucrum cessans, ergo etiam si propria voluntate & sponte. Probo consequentiã. Lucrum cessans non deducitur in pactum propter vim, vel dolum, quem patitur mutuans in mutuatione, sed propter valorem, & vtilitatem pecuniæ, qua priuatur (vt diximus) qui compellitur illam mutuare, sed pecunia exposita negotiis, & in proxima potentia ad illa non minus est vtilis illi qui voluntarie mutuat, quã ei qui mutuat coacte, ergo. Et confirmatur quia si mutuanti per vim, & coacte nullum cessaret lucrum, nec posset illud exigere, nec recipere, vnde ratio & causa propter quam potest illud recipere non est illa vis & coactio, sed cessatio lucri.

Quarto. Si propterea quod quis sponte, & liberè mutuet, & non coacte, non potest ducere in pactum lucrum cessans, quia eo ipso quo sponte mutuat videtur cedere lucro illi, similiter qui sponte mutuat non posset ducere in pactum damnũ emergẽs, quia pari ratione eo ipso quo spõte mutuat cẽsendus est quoque cedere illi damno: aut cur dicendus est cedere lucro, & non damno? vel quæ potior ratio est vnius, quam alterius?

Nec valet ratio Soti, damnum pati sine industria mercatoris, lucrum vere obtineri industria ipsius. Quamuis enim quo ad receptionem damni, vel lucri vera sit ista differentia, attamen quod mutuãs dicatur cedere lucro, quia sponte mutuat, & non damno, nulla est ratio, sed si valet in vno debet valere in alio, cum in vtroq; sponte mutuet. Fauetq; nobis D. Thom. qui in illa quæst. citata 62. artic. 4. ad 1. lucrum cessans quod est in proxima potentia, vocat damnum.

Quinto, & est ratio efficacissima. Si non liceret deducere in pactum lucrum cessans, id certe esset, quia exigere tale lucrum esset exigere pretium pro vsu rei mutuatæ, non enim potest hic contractus aliter damnari, quam hoc solo nomine, sed in nostro casu nihil tale accidit, ergo licet illud exigere. Maior certa est, probatur minor: In hoc contractu (vt constat ex 4. obseruatione posita) reperiuntur reuera hi duo contractus distincti, & separabiles, nempe mutuatio pecuniæ pro qua nihil exigitur vltra sortem, & cessatio à receptione lucri, ad quod erat mutuans in proxima potentia, pro qua exigitur aliquod pretium ad arbitrium prudentis, huiusmodi autem cessationem lucri (vt ex eadem obseruatione constat) licet vendere, cum sit illa nociua, & prætio æstimabilis, neq; hoc secundum vitiat illud primum, cum sit per accidens ista duo coniungi, imo secundũ se sunt ita distincta, vt vnũ non tollat naturã alterius, cũ ergo mutuum nõ tollat quin lucrum cessans sit pretio æstimabile, & vendibile, potest illud exigi, & duci in pactum.

Ex qua etiam ratione intelligitur, cur lucrum huiusmodi recte exigi possit, nequeat vero exigi aliquid pro obligatione quam habet mutuans, non repetendi rẽ mutuatam intra aliquod tempus. Ratio est aperta, quia illa cessatio à lucro est quid distinctum

ctum à mutuo, & illi extrinsecum, pretio æstimabile sine vitio mutui, obligatio vero non repetendi rem mutuatam vsque ad terminum est ita coniuncta, & intrinseca mutuo, vt sine illa neque fieri, neq; mente percipi posit contractus mutui, quo fit, vt sicut pro mutuo non posit accipi pretiũ, ita neque pro illa obligatione.

Sexto. Seruaturus merces suas in tempus quo erant plus valituræ, etiam si gratis & libere vendat, nec coactus, potest illas vendere maiori pretio, illo scilicet quod valebunt tempore, quo decreuerat illas vẽdere, in quo omnes conueniunt: Ergo & qui habebat pecuniã expositam mercaturæ, si in beneficium alterius illam extrahat à negotio, poterit exigere quod prudenter fuisset lucratus in tali negotio. Antecedens constabit inferius, interim sufficiat ita esse definitum à Gregorio 9. Cap. Nauiganti. De vsuris: Consequẽtia vero patet: Quia tota ratio propter quã, qui instituit vẽdere merces suas futuro tempore, potest illas carius vendere, nempe pretio quo valebunt tempore illo, in quod eas seruabat, est, quia nisi accipiat pretium illius temporis in quo instituit illas vendere, non habet quod iuste potuisset habere, sed expoliatur commodo ad quod ex sua intentione erat in proxima potentia. Simile autem omnino accidit in eo qui pecuniam, quam habebat expositam lucris, & negotiis, extrahit ab illis, vt ex dictis constat; ergo debebitur huic lucrum ipsi cessans, quemadmodum & illi.

Septimo, licet vendere iactum retis, & partum futurum, propter fructum inde speratum, quod tamen nondum habetur actu, sed tantum est in potẽtia, estq; lucrum reuera incertum, & quod multis viis impediri potest, vt piscatores ipsi testantur, & constat ex Euangelio Apostolis confitentibus. *Domine per totã noctẽ laborãtes nihil cepimus, &c.* ergo licet etiam mercatori negotiaturo cum pecunia quam mutuat, vendere lucrum cessans, & exigere illud. Consequentia patet ex paritate rationis, vi illius regulæ iuris traditæ ab Innoc. *Vbi eadem est ratio eadem quoque debet esse iuris dispositio.* Antecedẽs vero est in vsu, & quo ad iactum retis habetur L. Si iactum. ff. De emptio. & vendit: quo ad partum vero futurum habetur l. Nec emptio. ff. De contra. emptio.

Octauo. Ex D. Thom. vt constat ex q. 62. art. 4. ad 2. lucrum cessans quod erat in via & proxima potentia, est reuera damnum, etsi non æstimandum tanto pretio, quãto cum res actu possessa inique tollitur, sed licet deducere in pactum damnũ emergens, vt constat: ergo & lucrum cessans, quando erat pecunia in proxima potentia ad illud, licet minori pretio ad arbitrium prudentis.

Et confirmatur ex eodem D. Thom. eodem loco, Qui efficacẽ causam dat ne quis assequatur bonum illud, quod erat assequuturus, tenetur ad illius restitutionẽ, vt constat ex variis exemplis in præced. conclusionibus adductis: veluti qui agricolam, vel artificem detinet á suis lucris, aut debitor qui sua mora impedimento est ne creditor lucretur. At is qui mutuã accipit pecuniam quã mutuans reuera fuisset negotiatus, & lucratus, est causa efficax ne mutuans illa lucra sibi comparet, etiam si citra omnem vim, vel dolum mutuet, sed liberè & sponte; ergo tenetur ad illud satisfaciẽdum: Et quo iure tenetur mutuatarius huiusmodi lucra satisfacere, eodem potest mutuans, esto libere mutuet, exigere, ac in pactum ducere.

Nec valet responsio Soti sicut in primo argumento diximus, mutuantem libere & sponte propria in illud damnum consentire, Aliud enim est in damnum consentire, & in carentiam vel priuationem rei suæ, aliud vero illam remittere. Qui enim rem suam vendit, consentit se illa priuari, & carere, non tamen remittit, sed vult iusto pretio illam sibi compensari: Pari ratione, mercator habens pecuniam paratam expositam negotiis lucratiuis, volensque illam mutuare, consentit quidem in cessationem illius lucri, quod ex ea negotiando obtinuisset, non tamen remittit illam, sed vult eam sibi compensari, cum sit illa, vt constat, pretio æstimabilis: quod satis ostendit exigens & ducens in pactum lucrum sibi cessans, nec aliter mutuans, quam sub tali pacto & conditione. Quemadmodum qui concedit amico instrumenta artis suę, definitque propter ea operari cum illis & lucrari, eo ipso quo mutuat illa exigens, & ducens in pactum lucrum sibi ex illis cessans, consentit quidem in carentiam illorum, non tamen remittit compensam sibi debitam lucri, quo priuatur non potens operari cum illis.

Nono virtus non est minus digna fauore quam vitium, sed cum quis mutuat: rogatus & ex beneuolentia, vt liberet amicum à sua necesitate, exercet actum virtutis, quem non exercet mutuans coactus, & per vim

vim, ergo si mutuans per vim potest accipẽ re lucrum cessans, multo magis qui ex charitate mutuat, & beneuolentia, intendens vtilitatem mutuatarii.

Vltimo in illo cap. Peruenit. De fideiussoribus, (vt vidimus) vult Sum. Pon. de omni damno & interesse satisfaciendum esse fideiussori, si ex fideiussione vt ait ibi Glossa illud incurrat: rationem addit textus, *Vt fideiussor seruetur indemnis, quia non est iustũ, vt patiatur dispẽdium, vnde mereretur premiũ.* At mutuans, cui ex mutuo, lucra quæ sibi comparasset, cessant, nisi illa posset à mutuatario in cuius vtilitatem mutuat, exigere, pateretur profecto dispendiũ ex beneficio, quod alteri impendit, vnde mereretur premium.

Affert in confirmationẽ eiusdem Conclusionis Medina Clementinam Religiosi. De Priuilegiis. Vbi Religiosi retrahentes quẽpiam à faciendo aliquo legato compelluntur satisfacere læso, quia dãt causam, vt qui per legatum illud erat aliquod lucrum habiturus, eo priuetur. Vnde sic à fortiori argumentatur Medina, & recte. Religiosi impedientes lucrum alterius habendum ex legato, cui conueniunt hæc duo, nẽpe vt sit maxime incertũ, cum volũtas testatoris sit maxime incerta, & deambulatoria, & quæ facile mutatur, ac vt fit ex pecunia aliena, tenetur nihilominus illud compensare, ergo multo potius mutuatarius tenebitur illud reficere, si à mutuante exigatur, & ducatur in pactum, cũ sit illi certius, & ex sua tãtum voluntate, & pecunia propria pendens.

Fauent deniq; huic conclusioni quæ habentur in L. At qui natura. §. Non tantum. ff. De negot. gestis. & in L. fina. ff. De eo quod certo loco. Et in c. Nauigãti. De vsuris. In quibus locis interesse mutuantis, & negotiantis satis aperte dicitur illi compensandum, ac sine labe vsuræ posse illud recipi. Quid vero senserit D. Thom. in hac parte dubitant discipuli illius, explicabimus statim cum diluemus argumenta Soti quæ huic quartæ conclusioni aduersantur.

Cæterum quamuis hæc conclusio verissima sit, & communis modo inter Theologos, sunt tamen obseruandæ diligenter conditiones quædam, quas statim subiiciemus, quæ exiguntur omnino, vt lucrum cessans possit deduci in pactũ.

Sed antequam illas proponamus, optimum erit argumenta aliarum opinionum quæ sententiæ Caietani, & communi quam sequimur, aduersantur, diluere.

Imprimis argumenta illa Iurisperitorũ quibus prima opinio nititur, facile diluũtur ex his quæ superius diximus agentes de dãno emergente, vbi eadem ab ipsis afferebãtur. Ad primum omisis variis expositionĩbus, quibus ab illis explicãtur verba illa Iurisconsulti, respondeo, illa nulla ratione nobis aduersari, non enim negat ibi Iurisconsultus, quin ab initio mutui, vel contractus possint contrahentes interse pacisci, & conuenire de interesse damni emergentis, vel lucri cessantis, sed illud tantum, vbi debitor fuerit in mora, propter quam creditor patitur aliquas vsuras, id est aliquod interesse vel damni emergẽtis, vel lucri cessantis (huiusmodi enim nocumenta vocat ibi vsuras) debere iudicem debitorem illum morosum ad vsuras illas, idest nocumenta illa compensanda compellere: Quod dum præstat, non præcipit illud, vt creditor ille ex sola mora alterius ditescat, lucrumq; reportet, quod esset vsurariũ, sed vt, qui mora & culpa sua alteri nocuit, nocumenta illa compẽset, cuius oppositum nos minime docemus: Non enim dicimus debere mutuatariũ, quacunq; ratione cum mutuante contraxerit, persolue re illi lucra cessantia, sed vbi illud à principio cõtractus fuerit ductum in pactum, hęc enim est vna ex conditionibus, quæ vt statim videbimus, exigitur necessario, vt possit illud exigi, ac recipi, de qua posse tempore mutui contrahentes pacisci, & conuenire, nullum est ius, nulla vè lex quæ illud prohibeat.

Ad secundum respondeo: Cum dicimus mutuum iuxta suam propriam rationem, & naturam illud exigere, vt gratis fiat, id tantum significare, vt in mutuo nihil accipiatur vltra sortem propter ipsum mutuum, & ratione illius: in eo enim consistit iniquitas vsurę: Minime vero negamus, licere mutuãti se ipsum seruare indemnem, cum iure naturæ nulius debeat alteri prodesse cum proprio damno, quodcunq; illud sit, siue in bonis iam possesis, & acquisitis, siue in proxime acquirendis. Et hoc præstat mutuans cũ ducit in pactum lucra quæ sibi vere cessabunt ex illo mutuo, non enim exigit aliquid vltra sortem vi mutui, sed nocumentũ illud quod patietur carens lucris quæ certo vel maxime probabiliter habuisset, & quibus priuatur in vtilitatem eius cui mutuat, sibi compensari, in quæ non consentit, nec tenetur consentire, etsi gratis & libere consentiat in mutuum: Quod satis ostendit exigẽs illa, & ducens in pactum ipso tempote mutui,

tui, explicans se nolle aliter mutuare quam sub ea conditione.

Ad argumenta secundæ opinionis.

Ad primum respondet Syluest. verb. Restitutio. Tertio q. 9. in fine & verb. vsura. primo. quæst. 19. sequutus quendam Nicolaum de Ausmo. loqui D. Tho. De lucro incerto, non de probabili & verisimili de quo nos loquimur, quod probat, quia loquitur D. Thom. De lucro non vendibili & quod mutuans nondum habet, lucrum autem probabile iam habetur in proxima potentia & ea ratione vendi potest. Caietan. vero respondet D. Thom. loqui regulariter & communiter: ita vt regulariter liceat ducere in pactum damnum emergens, sed non ita communiter lucrum cessans, maxime cum exigantur tot condiciones quot dicemus, quę vix reperiantur simul in tali cōtractu ad illum honestandum, maxime tempore D. Thom. in quo non erat tanta copia negotiorum, & mercatorum, & ex consequenti neque tot pecuniæ negotiis expositæ. Sed reuera D. Tho. non negat, si recte intelligatur, posse exigi lucrum cessans quando pecunia est in proxima potentia ad lucrum, cum illud aperte doceat q. 62. art. 4. vt admonuimus in tertia obseruatione posita: Sed constituit solum hic discrimen quemadmodū & in illo art. 4. inter damnum emergens & lucrum cessans, Ita vt damnū emergens possit exigi in integrum, quia expoliatur illud patiens, re quam actu habebat: lucrum vero cessans non possit ita exigi, id est in integrum, quia esto sit in proxima potentia, incertum tamen est & quod potest variis modis impediri.

Nec repugnat his, quod D. Tho. hic ad Primum videatur asserere, recompensationem damni quod quis patitur, ex eo quod pecunia eius non lucretur, non posse in pactum deduci. Quia apud D. Tho. & alios DD. hæ duæ voces restitutio, & recompensatio ita differunt, vt restiturio sit satisfactio debiti, siue in totum & ad æqualitatem, siue in partem, recompensatio vero fit in integrum & æqualiter. Vt qui debet 100. nec valet restituere nisi 50, hic vere restituit & satisfacit, non tamen compensat, cū non persoluat integra 100. quæ debebat. Ita D. Thom. accuratè & propriè vtens hoc loco hac voce recompensare idē omnino docet, quod q. 62. art. 4. Ibi enim vbi vtebatur voce restitutionis proprie, dixit damnum receptum in re rē actu habita esse restituendū in integrum, damnum vero in re, ad quam tantum erat in potentia, esse restituendum ab arbitrium prudentis, hic vero vbi vtitur nomine recompensæ, quæ proprie sumpta est satisfactio in integrum, habet & recto damni emergentis ex mutuo posse deduci in pactum recompensationem, id est satisfactionem in integrum, lucri vero cessantis ex mutuo non posse recompensationem duci in pactum, id est in integrum. Vbi licet loquatur sub alio tenore verborū, eandem tamen habet omnino sententiā. Vnde nō sequitur ex hoc loco sensisse D. Tho. nō posse lucrum cessans duci in pactum ad arbitrium prudentis viri. Et cōfirmatur quia cum D. Tho. in vniuersum dicat hoc loco, non esse recompensandum lucrum cessans, nec distinguat inter mutuantem voluntarie vel coacte, si quidem verba eius pro vt à Soto & aliis intelliguntur, accipiēda essent, profecto iuxta D. Thom. mutuans coacte non posset exigere lucra sibi ita cessantia, cum tamen coacte mutuantem posse illa exigere nulla sit controuersia. Vnde necessario est intelligendus modo à nobis explicato.

Ad secundum dico, incertitudinem istam hæc duæ tantum efficere, primo ne possit lucrum cessans duci in pactum in integrum sicut damnum emergens, non tamen ne possit aliqua ratione duci in pactum ad arbitrium prudentis: Sicut iactus retis licet incertus sit, est nihilominus restituendum lucrum quod ex illo haberi potest, ab eo qui illum impediret. Secundo, quia damnum emergens semper potest duci in pactum, lucrum vero cessans non ita: Cuius rei ratio est, quia in damno emergente non potest ita misceri simulata aliqua vsura, sicut in lucro cessante propter eius incertitudinem.

Ad tertium dico primo, argumentum ab authoritate negatiue nullam habere vim, Dico secūdo nostram sententiam haberi in vtroque iure: In Canonico Cap. Nauiganti. De vsuris. vt videbimus quādo inferius explicabitur illud á nobis. In iure ciuili. ff. de eo quod certo loco. L. 3. §. fina. Et ff. De negotiis Gestis. l. Atqui natura. §. non tamē. Cod. de sentent. quæ pro eo quod interest. l. 5. In his omnibus locis in quibus agitur de damno emergēte, agitur simul de lucro cessante, propter paritatem rationis, maxime in illa L. 3. De eo quod certo loco. Et ita Iudices in foro exteriori non solum præcipiunt solui damnū emergens, verumetiam & lucrum cessans.

Qua vero ratione cessatio huiusmodi lucri

cri ex mutuo, vel debito probranda sit in foro iudiciali, vt recte iudex mutuatarium, vel debitorem ad lucrum illud compensandum condemnet, non est mei muneris, qui Theologice scribo, explicare, illud Iurisperitorum est. Legat nihilominus, qui illud nosse optat Alexand. in Conci. 141. lib. 5. Decium in Cap. Cum venerabilis. num. 14. De Exceptio. in 6. Et in Conci. 39. num. 5. Paris in dic. Cap. Cum venerabilis. nu. 32. Iasonem post Castr. in illa l. 3. §. vltimo. ff. De eo quod certo loco dari oportet. Afflic. Decisione 20. Decij super l. Quatenus. in fine. ff. de Regul. iuris. Et in Concil. 322. num. 5. Denique Ioannem Lupum Geminianum, in suo tractatu de comerciis illicitis. 1. commenta. §. 6. in l. Curabit. num. 321. & seq. Ex his enim, & aliis qui ab his citantur potest optime ac facile intelligere iudex, quæ seruanda sint, vt iuste ac recte damnare aliquem possit de lucro cessante.

Ad quartũ respondeo. Bifariam posse aliquẽ cohiberi, vno modo stricte & proprie, vt qui per vim, vel fraudem cohibetur, alio modo ampliori significatione, vt qui cohibetur communibus precibus, & sine vlla vi, vel dolo: Communiter autem inter homines si animus erat lucrari, & precibus amici illum dimitam, dicor ab illo amico esse prohibitus. Vnde non est necesse vt dicatur aliquis prohibere lucrum alterius, vt illum per vim vel dolum cohibeat, sat est vt cum esset ille paratus ad lucrandum, in vtilitatem ipsius abstinuerit à negotio, quod intendebat exercere, vt per illud pararet sibi lucrũ. Dico 2. iustitiã recipiendi lucrũ cessans non sumi, vt admonuimus, ex eo quod quis cesset à negotio voluntarius vel cohibitus, sed ex eo ꝙ verè cesset illi lucrum ad ꝙ erat in proxima potentia, ac vt cesset illud ratione mutui, & in cõmodũ alterius: nititur. n. hæc iustitia, vt sæpe diximus huic principio naturali. *Neminem debere alteri prodesse suo incomodo.* Deniq; eodem modo posset affirmari, nec per soluendum esse damnũ emergens, quia mutuãs sine vlla vi, aut dolo, sed omnino libere, & voluntarie in illud videtur consentire: constat autem damnũ istud quacunq; ratione quis mutuet iustissime deduci in pactum.

Ad confirmationem patet ex dictis, mutuatarium in cuius vtilitatem separat mutuans pecuniam suam à negotiis, in quibus probabiliter lucrari poterat, & quibus illam tradere reuera instituebat, esse causam moralem cessationis lucri, quod mutuans ille habere poterat, & instituebat. Quemadmodum si ex illo mutuo damnum aliquod mutuanti accideret, diceretur mutuatarius causa moralis illius, nam cum vtrumq; accidat ex eo quod mutuans pecuniam suam à negotiis abstrahat in vtilitatem mutuatarii, nõ est potior ratio cur mutuatarius dicatur causa moralis damni emergentis, vbi illud accidit, quã lucri cessantis vbi illud vere cessare potest, cum esset in proxima potentia.

Ad quintum dico. Eum qui vult mutuare, velle simul seruare naturam contractus mutui, & ea quæ huic contractui intrinseca sunt & coniuncta, quo fit vt sicut vult mutuare, ita vellit gratis mutuare, quod est de ratione mutui, & expectare gratis solutionem, & pro vsu pecuniæ mutuatæ nihil accipere, at ea quæ sunt extrinseca non tenetur velle gratis, cuiusmodi est cessatio à lucro, sicut & damnum emergẽs: Potest enim cessatio ista vt docuimus fieri sine vllo mutuo, & mutuum similiter sine vlla cessatione alicuius lucri: quo circa in illam non tenetur ex natura mutui consentire, sed potest illam vendere, & in pactum ducere, vt rem pretio æstimabilem.

Ad sextũ respondeo, pecuniam, eo ipso quo erat ex intentione mercatoris exposita negotiis, esse lucratiuam, etiam si indigeat simul industria & opera mercatoris, sicut ager res fructifera est vna cũ industria agricolæ. Vnde sicut ager non seminatus ad preces alterius, vel in vtilitatem alterius, desinit esse res fructifera causa illius, tenetur q; qui illud impediuit ad lucrum cessans, etiã si nulla adsit industria agricolæ, ita quoque, vbi pecunia quæ erat exposita negotiis, separatur ab illis in vtilitatem alterius, licet separata non sit actu lucratiua, eo tamen ipso quo in vtilitatẽ alterius separata est, causa illius desinit esse lucratiua: propter quod tuta conscientia potest, ab ipso qui talis causa est, lucrum illud exigi: Nec obstat quod voluntarie separet pecuniam suam à negotiis vt illam mutuet, nam voluntarie etiam mutuat qui patitur damnum emergens, voluntarie vendit qui vendit, at sicut inuoluntarius est qui mutuat ad damnum, & inuolũtarius qui vendit ad moram solutionis, similiter quamuis voluntarie mutuet, inuoluntarius tamẽ est ad lucrum sibi cessans, quod aperte exprimit, cum à principio ducat illud in pactum, & affirmet se sub ista conditione mutuare.

Ad septimum dico. Condemnandos esse negotiatores (sicut iam docuimus) inquirentes

tes mutuatarios, quia eo ipso quo illos quærunt, & propria sponte desinunt negotiari vt mutuent, est argumento certissimo, ipsos ita agere, propriam vtilitatem quærentes, minime vero illorum quibus mutuare optant: quo fit, vt quãdo mutuãs ita quærit, non sit tunc mutuatarius causa moralis cessationis lucri. Quod si propria sponte quærat, & se ipsum offerat ex pietate & misericordia, vt leuet fratris necessitatem, cum illud charitatis sit & amicitiæ, vt docuimus, quia cessaret tunc lucrum in vtilitatem mutuatarii, potest ab illo in eo casu iuste exigi. Incõmodum vero quod ibi adducitur, seruatis conditionibus quas proponemus, nõ sequetur: non enim quocunq; titulo, nec quacunque ratione potest exigi lucrum cessans, sed cum illis conditionibus, quibus seruatis nullus erit locus vsuris.

Ad octauũ patet solutio ex dictis. Illa enim obligatio est intrinsece, & omnino coniuncta contractui mutui, & ita pro ea nihil licet accipere, sicut neque pro mutuo, lucrũ autẽ cessans est quid extrinsecum, & distinctũ à mutuo, vt cõstat, ac pretio æstimabile, & ita potest vendi, & in pactũ duci.

Ad nonũ Resp. maxime differre mutuare in propriam vtilitatem, vel mutuare in vtilitatem accipientis pecuniam: nam quando mutuat quis hoc secundo modo, est mutuatarius causa moralis illius lucri cessantis, & propterea potest ab ipso exigi, cũ nemo teneatur alteri prodesse suo incommodo: Quãdo vero mutuat priori modo, tunc mutuatarius, etiam si mutuum illud ipsi vtile sit, reuera tamen non est causa illius cessationis lucri, sed ipsemet mutuans, qui suæ volens consulere vtilitati extraxit pecuniã illam à negotiis, & mutuo dedit, ac propterea non potest lucrum aliquod, quamuis illi cesset, tunc exigere.

Ad primam probationem consequentiæ concedo parum quidem facere ad rationem mutui, mutuare ob propriam vtilitatem vel alienam, plurimum tamen facere (vt ex modo dictis constat) sit ne mutuatarius causa moralis lucri cessantis, vel non, quia si illius causa sit iuste ab ipso exigitur, sin minus iniuste exigeretur, est autem causa moralis illius, quãdo in eius vtilitatem desinit mutuans negotiari, sicut instituebat.

Ad secundam dico, in hoc casu mutuantem non vendere mutuatario commodum illius, sed lucrum sibi cessans, quod pretio æstimabile est, & vendibile, eo modo quo diximus.

Ad tertiam Resp. causam mutuandi, quæ est consulere vtilitati mutuatarij, non mutare propriam naturam mutui, quæ consistit in eo vt fiat gratis, nulla re pretio æstimabili vltra sortem accepta ex vi mutui; non tamen tollere, quin effectus illius mutui, qui in nocumentum mutuantis ex ipso mutuo cedunt, aut cedere possunt, cuiusmodi sunt damna emergentia, vel lucra cessantia possit mutuans velle sibi cõpensari: cum iure naturæ, cui principio tota hæc doctrina innititur. *Nemo debeat alteri prodesse, aut beneficiũ præstare, cũ proprio nocumẽto & iactura.*

Ad vltimum Respondeo, id quod exigitur pro lucro cessante ex natura rei & secundum se iustum esse, seruatis debitis condicionibus quas apponemus: Quarũ vna est, vt mutuans rogatus mutuet, non ita vt semper oporteat mutuatariũ ipsum deprecari, cum possit mutuans ex charitate & misericordia illi vltro se offerre, sed rogatus, idest vt non in suam vtilitatem & commodum, sed in vtilitatem mutuarij mutuet: Qua ratione mutuare, ex natura rei tantum refert, vt si in propriam vtilitatem quis alteri mutuet, nihil possit ab eo exigere, si vero in vtilitatem accipientis mutuum illud, possit. Quia fundamentum huius doctrinæ toties repetitum, & necessario, est, *neminẽ debere prodesse alteri cum suo incommodo.* Quod principium solum habet locum, vbi mutuans nõ suæ sed mutuantis consulit vtilitati per mutuum illud: Quemadmodum in venditione, in qua seruanda etiam est iustitia & æqualitas rei ad rem, refert plurimum num vendens damnum aliquod patiatur ex illa in vtilitatem ementis.

Iam ad argumenta quibus Molineus nititur ostendere lucrum cessans non posse duci in pactum, posse vero recipi vsuras in iure ciuili permissas. Vbi prius deploranda est huius hæretici cæcitas quod vsuras omni iure prohibitas licitas censeat, exigere vero nocumenta damni emergentis, vel lucri cessantis in beneficium & vtilitatem mutuatarij, quod omnia iura probãt, & natura ipsa homines docuit, cuius vox est principiũ illud. *Neminem debere alteri prodesse cũ damno suo*, damnet tanquam iniquum, & illicitum, *dicens malum bonum, & bonum malum.*

Ad primũ igitur illius argumentum Respondeo, lucrũ cessans quando à principio contractus ducitur in pactum, seruatis conditionibus quas proponemus, neque exigi tanquam lucrum illud casuale, & momentaneum

neum, quod omnia iura damnant, neq; in pœnam moræ, neq; interusurium vel vsura, sed quod nomē ipsum sonat, vt lucrum, ad quod mutuans erat in proxima potētia, & quasi in actu, cessat vero illi & priuatur illo in beneficium mutuatarii, quod lucrum in tali potentia & spe, vt docuimus aliquo pretio ęstimari potest, & vendi.

Ad secundū respondeo. Legē istam Iulianus nullo modo nostræ sententiæ aduersari: illa namq; hoc tantum docet, quotiescunq, debitor pretii crediti per aliquod certum & prefixum tempus fuerit in mora cū aliquo nocumēto creditoris, ad nullas alias vsuras idest interesse persoluendum, esse compellendum á iudice, præter quā ad eas & secundum eum modum quem iura concedunt, quod pertinet ad forum exterius. In quo ad quod & quantum interesse debeāt iudices compellere debitorem qui est in mora, non est mei muneris explicare, curent illud Iurisperiti, & iudices ipsi quibus hæc cura & munus incumbit. Nobis illud sufficiat, in foro conscientiæ, neq; legibus istis, neq; vllis aliis prohiberi, quin potius concedi quod iuri naturæ adeo consonum est, vt mutuans qui pecuniam suam separat à negotiis, in quibus fuisset aliquid lucratus, vt mutuet illam amico in vtilitatem ipsius, cōpensationem aliquam huius damni recipiat. Nisi dicat Molineus nullum esse damnum, priuari negotiatorē lucris ad quæ vere erat in proxima potentia, & talem potentiam & spem non esse pretio aliquo æstimabilē, quia si hoc damnum non est, neq; damnum erit impediri agricolam ne semina sua terræ commendet, cum posit, aut prohiberi piscatorem precibus amici ne rete proiciat in mare sicut instituebat, aut detinere artificē ne artem suam exerceat, quę omnia vel barbarus quisq; damna esse, & prætio æstimabilia iudicabit.

Tertium argumentū nullam habet vim. Duplex enim est quæstus mercatoris, alter iure naturæ illi concessus, qui non clauditur nec continetur certa aliqua mensura, vel numero, sed qualem ipsius industria & temporis occasio tulerit, qua ratione aliquādo multum, aliquando parum, aliquando nihil fere lucrantur, iuxta diuersos temporum euētus: Alter vero est quem ius ciuile illi concedebat ex pecunia mutuata data cū vsuris, sub illis differentiis quas contou. 3. articuli præcedenti retulimus: Ita vt mutuanti pecunias traiectitias concederetur centesima, mutuātibus ad negotia terrestria Bes, & sic de aliis. Qui quæstus cum sit vere vsura illa formalis ex mutuo, nullo modo est licitus, sed omni iure naturali, diuino, & pontificio prohibitus, neq; iuxta hunc compensanda sunt, vel cōmensuranda lucra cessantia inter Christianos, sed iuxta illum primum modū, qui iuxta dictamen rectæ rationis, & ipsum ius naturæ æquissimum est, vt omnibus circunstantiis negotii cui mutuans pecuniam suam exponere instituebat, recte ac mature pensatis, lucrum illi cessans ad arbitrium prudentis & periti compensetur. Vnde vellet Molineus, quod istud argumentum tertium satis insinuat, vt relicto quæstu licito negotiatores fideles illicitum quærerent, & exigerent.

Ad quartum constat ex dictis, pecuniam in manu mercatoris habere eam potentiam & spem lucrandi, quam apud alios non habet, vnde quemadmodū ager, etsi indigeat industria agricolæ, nihilominus quia res fructifera est, possunt propterea fructus alicuius causa in illo cessantes quatenus erant in potentia ab illo exigi ita & pecunia mercatoris etsi exigatur illius industria vt actu per illam lucretur, quatenus tamen est exposita negotiationi est fructifera, & in potentia ad lucra, & ita possunt á mercatore qui in alterius vtilitatem desinit cum illa negotiari, iuste exigi, non in integrum, sed quatenus sunt in potentia tali loco & tempore, & in tali negotio ad arbitrium prudentis. Vnde ad argumentū dico, lucrum istud neque exigi ratione industriæ, quam qui mutuat non adhibet, neque ratione pecuniæ mutuatæ quod esset vsura, sed ratione illius proximæ potentiæ in qua erat ad lucra exposita negotiis, quæ potētia vt diximus & spes lucrandi est pretio ęstimabilis, sicut in cæteris rebus quæ vna cum hominum industria possunt parere vtilitates aliquas temporales pretio æstimabiles.

Ad vltimum respondeo, incōmoda illa quæ affert Molineus non ex eo sequi, quod mutuans seruatis conditionibus quas proponemus, exigat lucra quę prudenter iudicabuntur illi cessare, sed ex hominum iniquitate & malitia, qui sub colore & prætextu lucri cessantis vsuras exercere, & alia damna Reip. proximisq; suis afferre moliuntur: propter quę nō sūt omittēda, quæ iuste ac recte effici possunt. Si iniquatū enim quas homines rebus honestis miscere solent, & sub illarum specie simulata perpetrare habēda esset ratio, innumera quæ honestissima sunt, & saluti animarum maxime

vtilia

vtilia essent ommitenda.

Nunc oportet iam, vt conditiones illas, quas dicimus desiderari omnino, vt possit mutuans lucrum sibi cessans exigere, & in pactum ducere, explicemus.

QVAE CONDITIONES EXIgantur, vt possit in mutuo lucrum cessans duci in pactum?

Afferuntur à DD. maxime à Corrado, à quo illud alii acceperunt, variæ conditiones, sed potissime sunt hę: In quibus Thæologum tanto attentum esse, & solertem, quanto filii huius seculi prudentiores sunt in generatione sua, filiis lucis, ad captanda lucra temporalia.

Prima conditio ad lucrum cessans.

Prima est, vt mutuanti siue pecuniam, siue aliquid aliud ex eorum genere quę cadunt sub mutuo, lucrum vere & realiter cesset, non fictè, nec simulatè.

Et ratio est apertissima, Mutuanti non conceditur lucrum cessans vt locupletetur, & efficiatur ditior ex mutuo, sed dumtaxat vt seipsum seruet indemnem, quia *nemo debet cum damno suo alteri prodesse, vel præstare beneficium*: qua de causa multi ex DD. lucrum cessans reducunt quoque ad damnum emergens, & D. Tho. in illa q. 62, art. 4. ad 1. impedire aliquem à bonis vel lucris, ad quæ est in via, & proxima potentia vocauit damnum, At vbi lucrum nõ cessaret vere & realiter mutuanti, sed fingeret ille sibi cessare quod non vere cessat, tũc iã non reciperet lucrum illud, aut quidquid exigeret titulo & colore talis lucri sibi cessantis, vt seruaret se indemnem, sed vt ditaretur ex illo mutuo, quod est vsurarium, & iniquum.

Vtuntur etiam hac ratione & recte nonnulli Iurisperiti maxime. Philip. Decius in L. Quatenus. in fine. ff. De Regu. iuris, & in cap. Cum venerabilis. col. 2. De exceptionibus, affirmantes vbi pactum siue conuentio de lucro cessante non fundaretur in causis veris, efficacibus, & propinquis, sed in fictis, simulatis, & remotis (sic illi loquuntur) tunc non recipi lucrum vt mutuans se ipsum seruet indemnem, sed vt ditetur ex mutuo. Idem Glosa & communiter Doctores in cap. Conquæstus. De vsuris.

Secundo, damnum emergens nisi verum sit, & realiter imminens non potest exigi, nec duci in pactum, ergo multo minus lucrum cessans quod à mutuante fingeretur. Patet consequentia, quia maiori ac potiori iure potest exigi damnum emergens omnium consensu, quam lucrum cessans.

Potest autem huiusmodi lucrum fictum esse & non verum duobus potissime modis. Primo, quando mutuans reuera non intendebat cum pecunia illa negotiari, fingit tamen se illud intendere quando mutuo ab ipso postulatur, vt sub colore lucri sibi cessantis aliquid recipiat vltra sortem, quo casu committit apertam vsuram. Secundo, si decreuit quidem negotiari, negotium tamen quod exercere instituebat tale est, vt ex eo lucrum alicuius momenti, nec certo, nec probabiliter prudens negotiator speraret. Exigitur enim vt in 4. cõditione videbimus, lucrum vt vere cessare dicatur, aut certum esse, aut saltim probabile, & verisimile, etiam si progressu temporis appareat illud tale esse, vt vel merciũ, vel temporis, vel loci causa nullum ex eo prouenisset lucrum. Etenim vt videbimus ad iustum & rectum pactum de lucro cessante, sufficit vt tempore mutui certo vel saltim probabiliter crederetur tale lucrum ex negotio illo fore recipiendum.

Nec differt ab hac prima conditione, quin potius ad illam reducitur alia quæ à nonnullis recentioribus apponitur, vt pote, ne mutuanti loco lucri quod sibi cessat pecunia illa mutuata, aliquod aliud beneficium, vel vtilitas eo quod mutuauerit, succedat lucro illi æquiualens. (V. g.) Mutuat Petrus Ioanni mille aureos, cum quibus fuisset lucratus 100. in compensam tamen huius beneficii quo Petrus ipsum affecit, cõfert illi Ioannes officium aliquod, vel munus, quo lucratu r etiam 100. inique in hoc casu exigeret Petrus à Ioanne mutuatario aliquod lucrum cessans, Etenim cum in gratiam illius mutui collatum sit ipsi munus, quo lucratur tantundem quãtum ex pecunia illa negotio exposita lucratus fuisset, non cessat illi vere lucrum ex tali mutuo. Quemadmodum si instituebat Paulus mercator merces suas deferre Florentiam, vbi fuisset lucratus 100. in gratiã vero Põtificis defert illas Romã, vbi tan-

tandem lucratur, nulla illi compensa debetur á Summ. Pontifice cum idem lucrum recipiat Romę, quod obtinuisset Florentiæ.

Secunda conditio lucri cessantis.

SEcunda conditio est: vt lucrum verè cesset ratione mutui, & non aliunde. Quo circa exigitur vt mutuans non habeat aliam pecuniam quam posſit mutuare, vel negotiationi exponere: quia si aliam habet quam posſit mutuare, tunc reuera vt optime docent Medina, & Caiet. locis citatis, non cessabit lucrum ratione mutui, sed propria voluntate mutuantis, qui vel noluit mutuare nisi eam quam habet ad negotia, vel non vult negotiari cum alia quam habet otiosam. Quemadmodum si agricola habens frumentum ad seminandum paratum, & aliud eiusdem omnino vtilitatis & generis in horreo, rogatusque ab amico qui frumento indiget ad victum suæ familiæ, vendat illi quod habet paratum ad seminandum, non potest accipere maius pretium, quam valeat illud secundum se, quia neq; cessat illi facultas seminandi, neq; vtilitas quam ex illa percipere potest ratione illius venditionis, cum habeat in promptu aliud triticum eiusdem omnino rationis, nec minus aptum & commodum ad seminandum, quam illud quod vendit, culpa vero sua non ratione venditionis desinat illud seminare.

Et vtor ratione. Tunc dicitur verè lucrũ cessans ex mutuo, quãdo negotiator propter mutuũ impeditur ne valeat negotiari, & lucrari, sed quãdo habet aliã pecuniã otiosam, non desinit negotiari propter mutuũ, sed quia non vult illam aliam exponere, cum non sit minus apta vna pecunia quam alia, ergo tunc non cessat illi lucrum ex mutuo. Et confirmatur eadem ratione qua præcedens conditio; quia mutuanti solum conceditur lucrum cessans, vt seipsum seruet indemnem, atsi lucrum non cessaret illi precise & realiter ex mutuo, sed aliũde tunc reuera non reciperet lucrum illud quasi se ipsum indemnem seruans, sed vi mutui quod est vsurarium.

Qua ratione apparet quam impiè & hęretice Molineus De vsuris q. 74. nu. 501. doceat, recipientes huiusmodi lucra non recipere illa titulo lucri cessantis, vt communiter volunt DD. omnes, & Theologi, & Iurisperiti, sed quando fuerint huiusmodi lucra vsuræ illę moderatę in iure cõcessæ: Vbi repugnat etiam sibi ipsi cũ prius nu. 28. docuerit, huiusmodi lucra, sicut modo argumentabamur, non recipi à mutuante vt locupletetur, sed ea solum ratione, vt se ipsum seruet indemnem.

Eadem ratione apparet Michaelem Palatios virum alioqui eruditum non rectè reprehendere lib. 4. c. 4. Caietanum, & Medinam, affirmantes Mutuantem propterea iuste exigere lucrum cessans, quia impeditur à mutuatario ne lucrũ illud sibi cõparet.

Quod enim obiicit Palatius mutuatariũ non esse causam efficientem, ne mutuans lucretur, sed solum causam finalem, in cuius gratiam, & vtilitatem mutuans desinit negotiari, & lucrari, maxime vbi mutuans, pecuniam quam habebat paratam alicui negotio, vltro & propria sponte offert amico mutuatam, vt ille suam leuet indigentiam, non repugnat huic tertiæ conditioni quam exigimus. Nam Caietanus, Medina, & cæteri qui illam proponunt, cum dicunt mutuantem debere impediri à lucro ratione mutui, & mutuatariũ esse causam efficientem cessationis illius lucri, non significant ita esse causam efficientem, & impedire, vt alter vel nolens cesset ab illo lucro, quomodo cessat, qui per vim cogitur separare pecuniam suam à negotiis, & mutuare, sed significant idipsum quod docet Palatios nempe in vtilitatem alterius non in suã cessasse mutuantem ab illo negotio, & lucro. Sic enim habet iam comunis hominum sermo, vt amicum propter quem ab aliquã voluptate, vel vtilitate cessamus, dicamus fuisse nobis impedimento, & dedisse causam, vel effecisse, ne voluptate vel vtilitate illa potiremur: esto libentissime, & ex beneuolentia qua erga illũ afficimur, à voluptate illa, vel emolumentis abstineamus.

Dixi autem initio huius tertiæ conditionis quando habet aliam pecuniam otiosam, quia vt optime obseruat. Nauarr. in comẽto citati Can. Si feneraueris. num. 54. cui subscribunt omnes recentiores, si alia quam habet sit illi necessaria ad persoluenda debitã, vel ad necesſitates domesticas, & imminentes, quibus vt occurrat habet aliam seorsum seruatã, neq; alicui negotio expositã, quod est viri prudentis, perinde se habet, ac si nullam aliam haberet: Tum, quia pecunia ad propriam familiam & statum necessaria nõ est otiosa censenda: Tũ, quia si ex ea mutuum daret, deberet necessario

quantum

quantum mutuaret ex illa parata ad necessitates domesticas, tantum similiter extrahere ab ea quam haberet in negotiatione constitutam, qua ratione parum refert num ex hac vel illa mutuet, ex quacunque enim earum mutuatario conferat, oportebit ipsum cessare à negotiis, & lucris propter illud mutuum.

Reducitur etiam ad hanc secundam conditionem quarta quam exigit Conrradus, tam in damno emergente, quam in lucro cessante q. 30. conclus. 1. nempe ne lucrũ mutuanti cesset ratione propriæ negligentiæ, vel incuriæ illius: Quia eo ipso quo dicimus debere illud cessare ratione mutui, omnem aliam causam vel culpã ex parte mutuantis reiicimus.

Tertia condicio lucri cessantis.

TErtia conditio est sine qua prima hactenus exposita nõ existeret, imo est quasi fundamentum & neruus huius tituli lucri cessantis, vt mutuans verè & re ipsa haberet in animo exercere cum illa pecunia negotia lucratiua. Ratio est aperta ex propria natura & difinitione lucri cessantis. Lucrum enim cessans (vt constat) non est illud, quod solum est possibile per potentiam illam naturalem, & remotam, quę omni pecuniæ conuenit, eo ipso quo pecunia est, apud quemcunq; existat, sed dicitur lucrum cessans quod est in proxima potentia, seu via, & iam in actu lucrandi, quamuis imperfecto, in huiusmodi autem potentia adeo proxima & actu non est, nisi vbi vel actu & re ipsa negotiatur mercator cũ illa, vel re ipsa & verè instituit, ac decreuit negotiari, & lucrari. Exigitur ergo omnino ad lucrum cessans ducendum in pactum hac tertia conditio.

In hac conueniunt omnes tam Theologi quã Iurisperiti. Est enim velut Axioma in hac materia, ad luctum cessans duo requiri, nempe, vt mercator cum pecunia quam mutuat possit, & vellit lucrari, vt verè dicatur lucrum cessare illi ex mutuo. Vt possit, debet negotium cui illam tradere instituebat tale esse, vt in eo lucrum, vel moraliter certum sit, vel saltim probabile, vt in quinta conditione statim dicemus; vt vellit, debet verè habere in animo exercere ex illa pecunia lucratiua negotia.

Iurisperiti huic conditioni aliam adiungunt, nempe vt lucrum cessans in his tantum habeat locum, qui soliti sunt negotiari, & mercaturam exercere. Colligũt illud, quia hi sunt qui verè & realiter habent in animo pecunias suas negotiis comendare, nec patiũtur illas otiossas existere. Ita Bart. in L. 3. In fine. ff. De eo quod certo loco. & in L. vnica. in fine. Cod. De sentẽt. quę pro eo quod interest. quem sequuntur. Cardin. in Clementina Vnica. §. Sane. q. 4. De vsuris. Alexan. in L. Diuortio. in principi. col. 7. Et L. In insulam, §. Vsuras. ff. Soluto matrimonio. Decius in cap. Cum venerabilis. col. 5. De exceptio. Ludouicus Gomesius Institut. De actio. §. Actionum. nu. 7. & alii nonnulli: Sed reuera talis conditio, necessaria non est, neque Conrradus qui in his adeo copiossus est, neq; vllus Theologus illam exigit: potentia enim proxima pecuniæ ad lucra habenda, ratione cuius licet exigere lucrum cessans, non sumitur ex eo quod mutuans soleat, vel non soleat negotiari, sed ex eo, quod pecunia illa mutuanda sit exposita negotiis, quod vero ita exposita sit, ex sola deliberatione & animo mutuantis pendet, quicumq; ille sit. Et ita docent non solum Theologi, verumetiam & alii Iurisperiti, maxime Petrus de Ancarano in Clementina. Ex graui. De vsuris. vbi ait. *Credo quod non solum damnum emergens, sed etiam lucrum cessans potest accipere, si ille erat mercator qui cum pecuniis consueuit negotiari, & idem videtur dicendum etiam si nõ esset mercator, sed intendebat omnino illam pecuniam exponere negotiationibus licitis: secus autem esset, si persona esset talis, quod ipsam pecuniam retinuisset in arca.* Simile habet Canone. Si quis de Clericis. 12. q. 2. & in cap. Con quæstus. De vsuris.

Crederem certè in foro iuditiali plurimum facere, mutuantem solitum esse negotiari, vt iuste censeatur exigere lucrum sibi cessans, quod non ita censeretur de alio qui non exercet negotia, qua ratione dixit Alexand. debere illud articulari & probari: at in foro conscientiæ, sufficit vt verè mutuãs intenderet cum pecunia ille negotiari, & lucrari, etiam si non sit talia solitus.

Ad hanc conditionem pertinet, vt toto tempore mutui duret mercatori animus ille & voluntas negotiandi, nam cum ex animo eius pendeat pecuniam suam esse in proxima potentia ad lucrum, ex animo eiusdem similiter pendet lucrum illud cessare. (V. g.) mutuat Petrus Ioani per biennium, aut triennium pecuniam, quam

primo tantum anno instituebat negotiis exponere non licet in hoc casu Petro exigere à Ioanne lucrum cessans, nisi ratione tantum illius anni, minime vero ratione secundi, vel tertii: quia eo ipso quo solo primo anno instituebat negotiari, in eo tantum cessauit illi lucrum ex mutuo: in secundo vero, & tertio, sicut in eis non instituebat negotiari, ita neq; aliquod lucrū in eis illi cessauit. Eadem ratione, si instituebat toto illo biēnio, vel triēnio negotiari, medio autem tempore mutauit animum, cum primum illud mutauit nullum illi iam lucrum cessat, neq; potest exigere, vel recipere aliquid vltra sortem ex illo mutuo, ab eo tempore quo sic mutauit animum, & intentionem, quam habebat: quia in his, eo tantum tempore determinatè ac præcissè censendū est lucrum negotiatoris cessare, quo tempore instituebat negotiari, & non in alio. Ratio est aperta: Mercator propterea potest ex pecunia mutuata lucrum sibi cessans exigere, quia pecunia illa erat in proxima potentia, & quasi in actu imperfecto lucrandi; quod autem in huiusmodi potentia, & actu sit, non habet á se ipsa, neq; aliunde quam ex sola intentione, & animo mutuātis illā, ergo cum primum cessat talis intentio & animus in mutuāte, desinit simul pecunia illa esse in tali potentia, & consequenter desinit simul habere locum in illa aliquod lucrum cessans.

Quarta conditio lucri cessantis.

QVarta conditio est, vt sit moraliter certum aut probabile saltim, multumq; verisimile tempore mutuationis, pecuniam illam traditam negotio parituram lucrum, cessare verò illud ratione illius mutui. Primo, quia tota ratio propter quam licet exigere lucrum cessans est potētia illa proxima, in qua censetur esse pecunia mercatoris ad parāda lucra, ergo si talis certitudo, aut saltim probabilitas non habetur illius lucri, non est dicēdum cessare lucrum, vnde nisi talis certitudo habeatur, cessatio eius nos est aliquo pretio æstimabilis, nec potest illa duci in pactum, vel recipi.

Secundo potior est ratio, & ius (vt vidimus) damni emergentis quam lucri cessantis, damnum vero emergēs non potest exigi, nec duci in pactum, nisi certò vel saltim probabiliter constet illud incurrendum esse á mutuante, quod nō solū docent Theologi verum & Iurisperiti, vt Bald. L. Etiā. col. 2. ff. De executio. rei iudicatæ. Ioann. Lupin. in repetitio. cap. Per vestias. §. Sexto infertur. De donatio. inter virum & vxorem. Ergo neq; lucrum cessans poterit exigi, vel duci in pactum, quin illud moraliter certum sit, vel saltim maxime probabile.

Conueniunt etiam in hac quarta conditione omnes DD. & Thæologi, & Iurisperiti, qui sentiunt posse duci in pactum lucrum cessans, adeo vt duplicem illam potentiam proximam, & remotam quam constituit Caiet. in pecunia. constituerint iam ante ipsum ex nostris Gabri. in 4. dist. 15. q. 2. Syluester vsura. primo. q. 19. ex Iurisperitis Paul. in L. 3. §. fina. ff. De eo quod certo loco. vbi ait: *Non sufficit lucrū fuisse in potentia incerta & remota, sed opportet fuisse in actu, vel in potentia certa & propinqua.*

An autem si lucrum cessans ductum á principio in pactum, deinde vero re ipsa non cesset debeat persolui, statim explicabimus.

Obseruandum verò hic est, conditionē hanc, mutuantem certo, vel saltim probabiliter lucrari posse, intelligendam esse de negotiis & lucris iustis, & quæ tuta conscientia haberi possunt: nam quia in moralibus id tantum possumus, quod iure possumus, quæ contra ius & equitatem fuerint, nō sumus dicendi posse. Vnde esto lucrum aliquod mihi certum esset ex cōtractu aliquo, si tamen ille iniquus sit, aut vsurarius, sicut lucrum illud quod per talem contractum obtinere intendebam, iure recipere non possem, ita neq; exigere illud à mutuatario, cui conferrem pecuniam iniquo illi negotio, & lucro exponendam. Ita habetur in L. Itaq; fullo. ff. De furtis. in qua dicitur, actionem furti ad interesse recipiendum nō dari possessori malefidei, quia ille reuera de suo nihil amisit, et ex consequenti nullum verum interesse ex furto illo passus est.

Quinta condicio lucri cessantis.

QVinta cūditio est, vt sicut dicebamus de damno emergente, ita quoque admoneatur statim à principio mutuatarius de lucro cessante, vt sic admonitus videat quid sibi expediat, & sciens & prudens, libere si vellit admittat mutuū sub illat conditione, & pacto. Etenim si absolute & simpliciter illi mutues, nihil tale

tale exprimens, deinde vero illud postules; iuste conquæretur tamquam de fraude & iniuria sibi illata, vereq; affirmabit se deceptũ esse, & rationabiliter inuoluntariũ; quia si á principio fuisset de tali condicione admonitus, quæsisset amicum a quo sine tali onere & debito accepisset mutuum illud.

In quo omnes etiam conueniunt. Et Probatur: Iustius exigitur damnum emergẽs quam lucrum cessans, sed de damno emergenti est admonendus mutuatarius; Ergo. Probatur etiam à quibusdam argumento à l. illud. ff. ad l. Aquiliam. Secundo, vt supra dicebamus, ad ea quæ intima sunt & intrinseca alicui contractui, tenetur quicunq; in illum contractum consentit simpliciter & absolute, eo ipso quo in illum consentit, ad ea vero quæ extrinseca sunt & accidentaria non tenetur, nisi illud exprimatur, & in ea explicite consentiat, quod ex mutuo cesset mutuanti lucrum aliquod non est intrinsecum contractui mutui, sed externum & per accidens, sicut per accidens est quãtum ad propriam naturam & rationem mutui, vt mutuans sit negotiator vel secus; ergo ad compensandum lucrum cessans non tenebitur mutuatarius, nisi illud tempore contractus illi exprimatur, libereque in illud consentiat. Et confirmatur, quia cum propria natura mutui sit vt gratis fiat, ac vt dicunt sine vllo interesse, non potest aliquid exigi siue dãni emergentis, siue lucri cessantis, nisi vi alicuius pacti, & condicionis initio ex mutuo contrahentium consensu appositæ.

Sexta condicio lucri cessantis.

Sexta condicio est, Ne mutuans exigat totum & integrum lucrum sibi cessans ex pecunia quam mutuat, sed aliquam coram arbitrio prudentis, & periti in tali arte iustam, & moderatam: minus enim valet res quæ in spe tantum est, & in fieri, & potentia, esto sit in proxima, quam ea quæ iam est in facto esse, & quæ iam actu habetur, & possidetur: Quemadmodum sicut supra diximus, si mutuet quis triticũ quod habebat paratum ad seminandum, non potest ratione lucri cessantis tantum exigere, quantum colligeret ex grano iam seminato, vel perducto iam ad spicam & fructum. Et confirmatur, quia siquis furaretur pecunias illas dum erant negotiationi expositæ, non teneretur restituere quãtum mercator cum illis erat lucraturus, quia lucrum illius nondum erat in actu, sed solum in potentia vt omnes docent; ergo similiter accipiens illas mutuo, non tenebitur ad omne lucrum, cùm eadem sit ratio. Et hoc est quod docet hic D. Tho. ad primum & nos ex ipso constituimus in quarta conclusione initio huius articuli. Non enim negat (vt diximus) posse exigi lucrum cessans, quando pecunia est in proxima potentia ad lucrum, cum illud aperte doceat q. 62. art. 4. vt admonuimus in tertia obseruatione posita, sed solum constituit hic discrimen quemadmodũ & in illo ar. 4. inter damnũ emergens & lucrum cessans, ita vt damnum emergens possit exigi in integrum, quia exspoliatur illud patiens re quam actu habebat: lucrum vero cessans non potest ita exigi, id est in integrum, quia esto sit in proxima potentia, est tamen incertum, & quod potest variis modis impediri. Ex quo sequitur, non esse necessariam illam condicionem quam nonnulli adhibẽt, vt pote, ne lucrũ cessans quod mutuans duceret in pactum excedat, & superet interesse, quod, si pecunia illa negotio tradita fuisset, sibi comparasset: quia si non est exigendum (vt ex modo dictis constat) totum, & integrum lucrum, quod ex illo negotio peritus in mercatura censeret acquirendum, à fortiori nec erit exigendum quod illud superet, vel exceda[t].

Hæc sexta condicio intelligenda est, quãdo ita ducitur in pactum lucrum cessans, vt simul à principio taxetur illius pretium: Nam vt optime docẽt communiter DD. potest mutuans ducere in pactum lucrum sibi cessans tribus potissime modis.

Primo ita, vt à principio taxetur pro lucro cessante, quantum prudens iudicauerit illam proximam potentiam pecuniæ tali negotio, tali loco, & tempore tradendæ valere, qui modus constituendi pretium lucro cessanti habet locum in rebus, in quibus illud fuerit incertum.

Videtur hunc primum modum taxandi lucrum cessans Conrad. non admittere, sed expectandum esse successum alterius mercatoris, qui simili negotio, & eodem loco, ac tempore similem pecuniam exposuerit: idem docet Ioann. Lupus Geminia. De vsuris commenta. primo. §. 6. num. 121. tum quia videtur talis taxatio lucri cessantis sapere vsuram, tum quia videtur prohibita Decretali Pij V. edita anno 1571. circa cambia. Sed quidquid illi sentiãt, licet ad arbitrium prudẽtis initio contractus, & ipso tempore mutui lucrum ex illo mercatori mutuanti cessans taxare

vt optime docet Couarru. lib. 3. varia Resolut. cap. 4 nu. 5.

Primo quia exigere lucrum cessans nihil aliud est vt constat, quam vendere illam proximam potentiam, in qua erat pecunia, quæ cum esset negotio exponenda extrahitur ab illo, vt conferatur alteri mutuo, sed hæc potentia ipso tempore mutui iam est in pecunia illa actu & reuera, ad eo vt nisi actu & re ipsa iam inesset pecuniæ illi, nullo modo posset duci in pactum aliquod lucrum cessans, neque taxatum neque non taxatum: est autem huiusmodi potentia pretio æstimabilis; ergo potest à principio contractus, & ipso tempore mutui taxari á perito, & prudente sub certo valore, & pretio, omnibus circunstantiis negotij, cui pecunia illa exponenda erat, maturè pensatis.

Secundo Gener (vt dicemus) cui non statim confertur dos, quam ipse alicui negotio exposuisset, potest statim cum socero conuenire de fructibus illius dotis sibi debitis, in certa aliqua quantitate, etiam si fructus illius dotis, vel lucrum quod ex illa dote actu recepta, & negotio exposita, sint incerta & dubia: ergo similiter in mutuo pecuniæ, quæ verè alicui negotio erat tradenda á mutuante.

Tertio, potest Petrus ita conuenire cum Ioanne negotiaturo. Vende mihi lucrum quod ex isto negotio tibi potest contingere, & simul conuenire cum illo in aliqua taxa, & valore illius lucri ad arbitrium periti, & prudentis, licebit ergo & mutuanti, cum eadem sit ratio. Iam concedit Lupus Geminia. posse taxari post moram ergo & ante moram: quia si ante moram esset iniustū certe & post illam, quamuis enim liceat exigere post moram pœnam, quam non licet ante moram, at contractum quem licet celebrare post moram licet & ante moram: iustitia enim contractus, qui non est pœna, non variatur ex eo quod sit ante morā vel post eam.

Denique in Cap. In ciuitate & in Cap. Nauiganti. De vsuris. vt videbimus inferius, approbantur quidam contractus, in quibus lucra futura dubia & incerta venduntur sub certa aliqua taxa; & pretio moderato à principio contractus, vt qui merces longius deferendas, maiori pretio credebatur ibi illas venditurus, definitur posse illas vendere in loco in quo est, pluris quam ibi vendantur, & excessum illum pretij quem in alio loco sperabat se habere, posse ad arbitrium prudentis statim probabiliter & moderate taxari. Vnde licebit illud ipsum in mutuo, in quo eadem est omnino ratio mutuantis pecuniam, cum qua intendebat negotiari, & vendentis merces, quas alio erat delaturus, vbi maiori pretio credebantur vendendæ.

Nec repugnant his constitutio illa Pij V. in qua præcipit, ne interesse quod cāpsori persoluendum est ratione cambij, taxetur á principio, quia constitutio hæc ad sola cambia pertinet non ad contractum mutui, vt optime docet Nauar. in illo commento nu. 54. & in Manua cap. 17. nu. 211. quia interesse cambij pendet omnino ex euentu temporis, & nundinarum, nec potest vlla ratione tempore contractus æstimari, nec probabiliter; lucrum autem quod potest haberi ex pecunia alicui negotio tredēda, potest à peritis probabiliter diiudicari ex circūstantiis.

Potest 2. ita taxari, vt decernatur à principio certus ac determinatus valor illius lucri; qui modus solum potest habere locū, quando lucrum ipsum secundum se sumptum certum etiam est, ac determinatum: nec potest impediri, vt in stipendiis mercenariorum: solent enim huiusmodi stipendia certa esse, & propterea certa quoq; esse lucra, quæ illis, si a suis operibus impediantur, vere cessant. Et huiusmodi lucra, quia adeo certa sunt possunt exigi & recipi in integrum. Similiter si quis mutuaret alteri pecuniam ad emendum in promptu censum potest exigere integram pēsionem totius tēporis illius mutui, quia lucrum cessans adeo certum perinde se habet ac damnum emergēs propter suam certitudinem: D. enim Thom. q. illa 62. art. 4. eo nōmine dixit bonum quod adhuc est in via nō esse compensandum in integrum, quia est incertū & potest adhuc multis viis impediri.

Tertio, vt relinquatur successui temporis ita vt tantum reficiat mutuatarius ratione lucri cessantis, quantum progressu temporis apparebit alium mercatorem, in simili negotio, & cum eadem pecunia, ac eodem loco, & tempore fuisse lucratū. Quia in hoc casu æqualiter se exponit lucro & damno: cum nihil recepturus sit alio nihil lucrante. Sicut a conculcāte meses potest exigi lucrū cessans, vel taxatum ipso tempore conculcationis iuxta spem quā illæ segetes præsefere bant ad arbitriū prudētis agricolę, vel expectato euentu anni, ita vt tantū soluat, quantū vicini agri similes segetes habētes eodē anno

anno tulerint fructus, deductis expensis.

Hic tertius modus videtur etiam habere nonnihil difficultatis, quia mercator ille qui exercet simile negotium eodem tempore, exponit se damno & commodo, non solum in lucro, verum etiam in capitali, cum possit minui quoque capitale quod exposuit illi negotio, mutuans vero exponit quidem se damno, vel commodo in lucro, pro vt alteri simile negotium habenti acciderit, non tamen quo ad capitale, sed habet illud securum, recipiendumque integrum à mutuatario. Propterea vt hic contractus exigēdi lucrum cessans relicta taxatione illius successiui temporis; ita vt quantū alter mercator fuerit lucratus in simili negotio, tantum recipiat mutuans, sit iustus & licitus, sentiunt aliqui oportere ita fieri, vt mutuās exponat etiam absolute suam pecuniam apud mutuatarium, ita vt si mercator simile exercens negotium lucratur, mutuatarius restituat cum sorte simile lucrum: Si nihil lucretur, sed retineat integrum capitale, mutuatarius quoque solum reddat capitale, si vero minuatur illi capitale, mutuatarius quoq; tantundē minuat sortis mutuo acceptē: aliter rem hanc periculosam iudicant.

Sed qui ita dubitant, nondum profecto in syrpo quærunt: quia aliud est mutuare pecunia cum qua negotiari poteras, aliud vero exercere negotiari actu cum illa qui actu negotiatur, exponit se periculo non solum in lucro, verum etiam in capitali, & propterea totum integrumque lucrum illius facit suum: quia sua industria, suoque periculo illud obtinuit: qui vero mutuat pecuniam cum qua lucrari poterat, duo præstat, nam & mutuat, & priuat se in alterius vtilitatem lucris, quæ ex illa pecunia negotio tradita obtinuisset. Vnde duo illi competunt iura, Ratione mutui ius recipiendi totum quod mutuauit, quia hoc est de intima ratione mutui, ratione vero illius cessationis à lucris ad quæ erat in proxima potentia, quod visum fuerit prudentibus & peritis æquum & iustum: nā totum, integrumque lucrum non debet, nec potest exigere, neque à principio, neque etiam si illud succesui temporis relinquat. Quia, esto alius in simili negotio, eodem loco, & tempore lucratus sit 100. hic forsan non fuisset lucratus totidem ex aliqua circunstantia.

Debet etiam ducens in pactum lucrū sibi ex mutuo cessans, maxime vbi pretium illius successui temporis committit, detrahere expēsas quas ipse fecisset in suo negotio, vel alter facit in simili, sicut docent communiter Theologi, de eo qui teneretur agricolæ satisfacere lucrū cessans ex segete, quam in agro illius cōculcauit. Probatur vero deducendas esse expensas, quia si ad lucranda 100. exigantur expensæ 50. reuera lucrum illud solum est censendum esse 50. Ita Conrad. Syluest. Medina locis citatis, & omnes qui sentiunt cōpensandum esse mutuanti lucrum cessans.

De laboribus vero quos in illo comparando, vbi pecuniam suam non mutuasset, sed negotio actu tradidisset, non omnes conueniunt.

Nam Conrad. in illa q. 30. Cōc. 4. condicione 8. solum meminit expensarum, similiter Nauar. in illo comm. nu. 54. in fin.

Palatius lib. 4. de Contract. Cap. 4. sequutus Syluest. vsura. primo q. 19. similiter iudicat de laboribus & expensis, vt tam illi quam expensæ deducendæ sint: quod probat sicut Syluest. ex l. 1. Cod. De fruct. & lit. expen. & l. Fruct. ff. soluto matrim.

Aliis ex recentioribus visum est non esse deducendos labores quibus, & Caiet. videtur fauere. Primo, quia labores quibus vtitur negotiator in acquirendo lucro, frequenter æquantur ipsi lucro, vnde si illorum valor & pretium esset deducendum, nullum maneret lucrum de quo deberet, vel posset cum mutuatario pacisci. Secundo, Quia, cum in labore & industria mercatoris consistat totus illius quæstus, & lucrum, si valor laboris esset detrahendus, nullū maneret lucrū, quod vere diceretur illi cessare.

Oppositum tamen quod docet Palatius suadet recta ratio. Quia, vt ex progressu huius disputationis constat, perinde potest mutuans exigere lucrum sibi cessans ex mutuo, sicut agricola potest triticum paratum ad seminandum carius vendere, quām aliud cōmune reconditum in horreo. At in taxando pretio, potentiæ quam triticum illud seminationi paratum habet ad fructum, detrahendē sunt expēsæ, labores, & pericula quibus oportet agricolā expositum esse, donec triticum seminatum perueniat ad messem: ergo similiter in negotiatore mutuante pecuniam detrahendæ sunt á pretio lucri sibi cessantis, non solum expensæ, verumetiam labores & pericula.

Adde quia nisi detrahantur, duo reportaret mutuans lucra, alterum ratione lucri sibi cessantis, & alterum ex mutuo. Hoc posterius ostendo: quia nisi mutuasset, sed negotiū exercuisset, oportuisset illū labores

istos & pericula subire, quibus carere pretio æstimabile est, reciperetque illud ex mutuo, quod est vsurarium. Vnde ne illud cōmittat, detrahendi necessario etiam sunt labores illius.

Demum h[illegible]nti merces in alium locum vel tempus seruatas concedunt quidē DD. vt posit illas carius vendere, quam vendantur in eo loco, & tempore, in quo emptor illas postulat & recipit; sed ita vt deducat à pretio labores, & pericula, & expēsas quas facturus erat in illis conseruandis vsque ad tempus illud, vel deferēdis ad illum locum; ergo similiter vt negotiator tuta conscientia posit exigere lucrū sibi cessans, debebit deducere ab illius valore, non solum expensas, verum & labores, quos in acquirendo illo lucro oportebat ipsum pati.

Quidam vt hæc omnia concilient ita distingunt, vt labores quos negotiatorē oportet subire ad comparandum lucrum quod instituebat, dupplices sint, quidam intrinseci, sine quibus negotium nullomodo exerceri posit, vt emere, vendere, contrahere cum aliis, & his similes: alij vero extrinseci, sine quibus possunt etiam exerceri negotia, vt proficisci in nūdinas, longa itinera peragere, & similia. Priores illos dicunt nō esse deducēdos à valore lucri cesātis, quia cum sine illis negotium exerceri nequeat, valor illorum est ipsum lucrū negotii, & quæstus mercatorum, vnde illos detrahere esset tollere ipsum lucrum ex negotio, & in hoc sensu volunt accipienda esse, quæ docent Caiet. & alij: posteriores vero esse deducendos, vbi ad lucra quæ mercator ille acquirere instituebat, non iudicarentur omnino necessarij.

Sed distinctio hæc & cōciliatio opinionū admittenda profecto non est, quia lucra & quæstus mercatorum potisime consistunt in huiusmodi laboribus, quos vocant autores isti extrinsecos. Secundo, quia inter DD. non controuertitur, nec ambigitur an labores non necessarij, & sine quibus exerceri negotia, & obtineri lucra cōmode possunt, sint deducendi à pretio, & æstimatione lucri cessantis, nullus enim affirmauit, vel docuit vnquam non necessarios esse detrahēdos; sed tota quęstio est de necessariis, & qui arbitrio peritorum ad tale negotium, & lucrum omnino exiguntur.

Vnde dicamus, quod docebat circa hanc doctriuam Magister victoria, vt à viris eruditis accepimus, non esse detrahendos labores & operas quos mercatorē in negotio illo adhibere oportebat, cū rigore, (sic ille loquebatur & recte) sed in aliqua cota iusta, & moderata, ad arbitriū periti & prudentis in arte mercaturæ, vt optime & efficaciter ostendunt argumenta vltimo loco proposita, qua ratione non tollitur lucrum cessans negotiatori mutuanti, quæ est potisima ratio contra sententium: Nā & ipsimet mercatores in suis negotiis, & mercaturis illud tantum iudicant sibi prouenire lucri, quod deducto capitali & valore suorū laborum, & operarum, lucrantur.

Septima condicio lucri cessantis.

Septima coditio est, vt mutuans non recipiat actu statim à principio lucrū cesās; Ratio est aperta, quia si mutuanti mihi 100. ego statim conferam ratione lucri cessantis 20. reuera tunc non mutuat mihi 100. sed 80. tantum, quæ non valent lucrum vt 20. cum ista viginti sicut hic constituimus sint pretium lucri cessantis ex 100, non autem lucri cessantis ex 80. vnde pluris iusto venderet illud lucrum cessans. De hac conditione Medina & alij dubitant plurimū, sed inferius explicabitur.

Adhibentur à Conrado, Syluest. & aliis nonnullæ aliæ aliæ condiciones præter has, vt lucrum cesans recte exigatur, quæ vel necesarię profecto non sunt, vel continentur in his quas proposuimus.

Afferunt enim imprimis præter istas septem à nobis adductas hanc octauam: Vt mutuans non extrahat pecunias suas á negotio propria sponte, sed rogatus. Vbi si nomine rogati intelligant oportere, vt actu & re ipsa mutuatarius roget, & deprecetur mutuantem, per propriam vero spontem intelligant non licere mutuāti cognita necessitate amici, ex beneuolentia, vel charitate se ipsum vltro illi offerre ad mutuandum, non recte docent: quia potest mutuans ex beneuolentia vel charitate vltro se illi offerre: cum enim minus sensenda sit valere ad mutuum beneuolentia, vel charitas, quam communis deprecatio amici.

Vnde si quando DD. dicunt, mutuātem oportere rogari à mutuatario, ita vt nō propria sponte pecuniā suā á negot is & lucris abstrahat, sic intelligendi sunt vt mutuans non cesauerit iam negotiari propria sponte, & pecunias suas otiosas habere, vel ne propter vtilitatem propriam á negotiis separatas mutuo conferat. Nam si vtilitatem solam & commodum mutuatarij respiciens, illas à negotiis separet, & vltro offerat

rat, perinde se habet ac si rogatus à mutuatario illud præstiterit: vtuntur autem hac voce *rogatus* frequenter DD. quia communiter, mutuatarij sunt, qui cum pecuniis indigeant, illas quærunt, & rogant eos à quibus credunt sibi fore mutuandas. Ita fit vt condicio hęc, ad illam secundam quam proposuimus, reducatur: quã diximus, debere lucrum cessare verè ex mutuo, ita vt in vtilitatem mutuatarij illud cesset. Quia iustitia huius contractus qui est vendere lucrum cessans, id est illam proximam potentiam ad lucrum, non sumitur ex eo quod aliquis rogatus, vel propria sponte mutuet; sed ex eo, quod vere mutuanti lucrum cesset ratione mutui in alterius commodum exhibiti: cum tota iustitia huius contractus nitatur illi principio, & iuri naturali. *Neminem debere suo incommodo alteri prodesse.*

Confirmantur hæc, quia (sicut supra diximus) cum exigere lucrum cessans sit quedam venditio illius proximę potentię, quã habet pecunia in manu negotiatoris ad lucrandum, quemadmodum parum refert ad iustitiam venditionis, vendat ne aliquis rem suam rogatus, vel propria sponte, modo pretio iusto rem sanam vendat, ita quoque parũ refert rogatus ne vel propria sponte quis mutuet pecuniam, modo vere illam à negotio lucratiuo, cui dicatam habebat, separet, & lucro illo se ipsum priuet in vtilitatem alterius. Denique, si actus virtutis vt dicebamus non tollit, nec destruit iustitiam contractus: cum simpliciter & & absolute liceat exigere lucrum verè cessans ex mutuo, ab eo in cuius vtilitatem & commodum mutuum illud fit, Christianæ verò charitatis & honestè amicitiæ sit, amico, quem nosti necessitate aliqua opprimi, pecuniam quam negotio alicui exponere instituebas mutuandã offerre, vt ab ea necessitate liberetur, nõ debet hic actus charitatis, vel honestę amicitiæ prohibere, quin possis lucrum illud, quod tibi propter commodum ipsius cessabit, ab eo exigere.

Obseruandum hic est D. Nauar. loco citato num. 54. condicio. 8. habere, vt causa præcipua mutuandi sit subsidium necessitatis vitæ, salutis, honoris, aut bonorum proximi: vnde aliqui inferunt ex ipso, mutuantem scientem pecunias suas non esse expendendas in vsuos honestos, non posse exigere lucrum cessans, quia tales vsus non sunt vtiles mutuatario. Sed communis DD. consensus docet licere illud exigere, quia licet in isto casu mutuans agat contra charitatem, mutuando ei, quem scit illa pecunia abusurum, non tamen agit contra iustitiam, cum illi suam pecuniam mutuet. & sibi vere lucrum illius cesset, mutuatariusq; etsi male expendat pecuniam illam, vtilem tamen sibi tunc illa iudicet. Nec Nauar. docet ibi oppositum, cum subiũgat statim, istam condicionem, honestam quidem esse, non tamen necessariam.

Nona, condicio apponitur etiam à Syluestro, vt mutuans vellit potius alia via lucrari quam mutuando. Quam inferius discutiemus.

Decima, vt contractus iste, tam mutui, quam recipiendi lucrum ex illo cessans, non fiat in perpetuum; sed ad tempus.

Vndecima, ne mutuatarius in ea necessitate existat, vt teneatur mutuans ex præcepto charitatis per eleemosynam, vel mutuũ illi subuenire. Sed cõdiciones istę vt statim videbimus ad iustitiam huiusmodi contractus non sunt necessariæ.

Affertur ab aliis & hæc quæ sit in ordinẽ duodecima, vt mutuans non sit assuetus dandis vsuris, quia si captare vsuras solitus sit, censendum est illum per mutuum non tam exigere lucrum sibi cessans, quam sub illius nomine vsuram quam affectat. Sed vt recte docet Nauar. in illo commento num. 54. condicione 4. hęc conditio non desideratur in foro conscientiæ; in quo non tam suspicio quę propter consuetudinem mutuãtis generari potest respicienda est, quantum ad iustitiam contractus, quam veritas facti, sicut & in aliis cõtractibus, vt habetur in Cap. Tua. De sponsalibus. Vnde etsi mutuans solitus sit captare vsuras, si lucrum tamen vere illi ex mutuo cesset in vtilitatem mutuatarij, iuxta superius explicata, non prohibetur, quin illud exigere possit, & ducere in pactum. Praua enim consuetudo illius qua assuetus est dare cum vsuris, non mutat naturam & vim contractus secũdum se, & suam propriam rationẽ iusti, & liciti.

Ex quo sequitur, aliam condicionem quę à Conrado & aliis adducitur, ne mutuans exigẽdo lucrum cessans incurrat infamiam vsurarij, vel scandalum offerat, non esse necessariam ad iustitiam huius contractus, quamuis enim. *Omnis species mali fugiẽda sit*, ex B. Pau. 1. Thessalo. 5. & in Cap. Cum ab omni. De vita & honestitate Cleric. hoc tamen non est proprium & peculiare huius contractus, ita vt illius iustitiam vitiet, sed omnibus actionibus humanis debet conuenire. Quo fit, vt si mutuans exigendo lucrũ

cessans infamiam vsurarii incurreret, vel scādalum generaret, peccaret quidem contra charitatem, qua tenetur vnusquisq; propriũ honorem & famam tueri, & omnia scādala vitare, non tamen contra iustitiam, seruatis illis septem conditionibus propositis.

Ex conditionibus propositis, circa septē priores nulla est controuersia, omnibus DD. affirmantibus illas desiderari ad exigendum lucrum cessans, in aliis vero non omnes conueniunt. De quibus priuatim videamus præter ea quæ dicta sunt, quid sentiendum sit. Ac primo.

AN AD EXIGENDVM LVcrum cessans oporteat, vt mercator mallet negotiari, quam mutuare?

HANC conditionem constituimus ex Syluestro in ordine decimam, vt mercator ad exigendum lucrum cessans ita habeat pecuniam suam negotiis, & lucris dicatã, & expositã, vt mallet (nisi necessitate mutuatarii, aut importunis precibus illius compelleretur) negotiari cum illa, quam mutuare. Cuius rei rationem assignat, quia eo ipso quo oportet ad exigēdum lucrum cessans, vt habeat pecuniam dicatam negotiis, nec mutuet illam sua propria sponte adductus, sed solum in gratiam & vtilitatē amici, consequenter oportet, vt mallet sibi relictus negotiari, quam mutuare. Idē sentit Contrad. in illa q.30. conc.4. cōdit.3. Quia mercator qui mallet mutuare, & per mutuum lucrum quærere, quam negotiari, eo ipso ostendit se potius ex mutuo captare lucra illa (quod est vsurarium) quam ex cessatione illa exigere, cũ ille lucrandi modus ex mutuo magis ipsi placeat, quam per negotia.

Nauarrus in commento illo nu.53. condit.5. cui subscribunt in hac parte omnes fere recentiores, sentit conditionem istam nõ esse necessarium, & merito. Primo, quia nulla lege vel ratione constat, vt aliquis lucrandi modus qui secundum se est iustus, reddatur iniustus, propterea quod volũtas lucrãtis magis feratur in illum, quam in alterum. Secundo, quia iustitia istius contractus exigendi lucrum cessans in eo tantũ consistit, vt mutuans vere, & realiter haberet pecuniam illam dicatam negotio probabiliter lucratiuo, ac vt ab ista spe, & proxima potentia lucrandi pecuniam suam separet, seq; ipsum priuet in vtilitatem mutuatarii: quæ duo si verè existant, Quod hoc vel illud mallet per accidens est, & extrinsecum, vnde nec mutabit, nec vitiabit iustitiã contractus. Explicatur ab illo hoc exēplo. Habebat Petrus mille aureos dicatos, & deliberatè paratos ad negotium, in quo probabiliter lucraretur 50. intelligens Ioannem grauem suorum bonorum passurum iacturam ex deffectu mille aureorum, ex magna beneuolentia qua illũ prosequitur, vel pietate, offert illos Ioanni sub pacto compēsationis lucri cessantis, ac vt liberetur Ioannes á tanta iactura, & damno, quantum illi imminet, mallet tunc Ioanni cum ea compensatione mutuare, quã negotiari: Hæc volũtas Petri ex beneuolentia, vel pietate orta non mutat, nec vitiat naturam & iustitiam contractus, nec priuat illum facultate ad exigendam compensam lucri sibi cesantis, sed habet illam, non minus quam si maluisset negotiari, & compulsus precibus Ioannis pecuniam suam a negotio separatam illi mutuo conferat cum eadem condicione.

Argumenta in oppositũ imbecillia sunt. Ad illud enim Syluestri neganda est consequentia, non enim pugnant hæc inter se, vt habeat Petrus pecuniam suam dicatam et expositam negotiis, ac vt simul optet fauere amico illa indigenti per mutuum, sub ea conditione vt compenset lucra illi cessantia, cum nemo debeat prodesse alteri cum incommodo suo. Neq; hoc est voluntarie separare peccuniam à negotio, sed cum vtrumq; velles, & negotiari, & subuenire amico per mutuum, optas magis subuentionem amici quam negotiari, saluo tuo jure lucri cessantis, vt in exemplo proposito.

Ad argumentũ Conradi respondeo, mercatorem istum, qui cum reuera vellet negotiari, cognita tamen necessitate amici mallet illi mutuare sine suo incommodo, non captare ea via lucra ex mutuo (quod nullo modo licet) sed solum quærere lucrũ quod ex pecuia sua habere poterat, optans tamē magis subuenire amico saluo suo lucro, quã negotiari. Vnde voluntas eius non fertur ad lucrum ex mutuo, sed ad subuentionē amici potius quam ad negotium, vult tamen, quia non debet ex beneficio pati dispēdiũ, subuenire illi, compensato lucro quod sibi in vtilitatem illius cessat, tamquam conditionem sine qua non.

Maior vero dubitatio est,

Con-

Controuersia. X.

AN VALOREM, ET PRETIUM *lucri cessantis possit statim a principio cōtractus, & ipso tempore mutui recipere mutuans a mutuatario.*

EX his quæ diximus in illa conditione 6. à nobis posita, constat tribus modis posse mutuantem conuenire cū mutuatario de valore lucri sibi cessantis ex mutuo. Quorum primus est, vt in rebus, in quibus incertum est, quantum, & quale futurum sit lucrum ex negotio, quod mutuans exercere instituebat, possit illud à principio contractus arbitrio prudentum iuxta qualitatem negotij. & quantitatem pecuniæ illi exponendam, aliasque circunstantias diligenter, ac mature pensandas, constitui: sicut constituitur pretium iactui retis, partui futuro, & aliis rebus quæ sunt in potentia proxima, & verisimili. Quo posito disputant DD.

An sicut initio contractus, & ipso tempore mutui licet lucri, quod probabiliter creditur obtinendum, pretium constituere; ita quoque liceat mutuanti, initio contractus & ipso tempore mutui illud actu recipere à mutuatario?

Palatius lib. 4. De contractibus cap. 4. & nonnulli ex recentioribus iudicant illud licere, quod ita probant. Primo si Mercenarium laboraturū in vinea mea per quatuor dies sub stipendio 12. argentorum vellit Petrus in alia re occupare, & ab illo stipendio & lucro remouere, potest hic mercenarius statim à princio ita cum Petro conuenire, dimittam stipendiū illud & lucrum, si statim & in promptu exhibeas mihi hanc, vel illam pecuniam, at idem iuditium est de negotiatore separante pecuniā suam a negotio, vt illam mutuet; ergo licebit illi quoque lucrum cessans, pro vt a prudente fuerit taxatum, statim in ipsa mutuatione recipere.

Secundo, lucrum cessans ideo potest exigi, quia est lucrū in potentia proxima pretio æstimabili, at quęcunque possunt in aliquo pretio taxari & æstimari, possunt vendi accepto statim illo pretio, vt qui vendit iactum retis, qui vendit triticum in herba, vel fructus vineæ in vere, habetque hoc communis vsus fidelium citra vllum scrupulum conscientiæ; ergo licet negotiatori, qui ex pecunia quam mutuit potest exigere lucrum sibi cessans, recipere illud in numerato ipso tempore mutuationis.

Tertio, si non liceret accipere statim lucrum istud, id certe esset, vel quia in ipso tempore mutui nondum patitur actu mutuans cessationem illam lucri, vel quia mutuatarius nondum teneatur ad illud interesse compensandum, vel quia sumens illud a principio videatur recipere illud, nō tam ratione lucri cessantis, quam ratione pecuniæ mutuatæ. At nihil horum prohibet, quin illud possit a principio recipere; Ergo. Probatur minor. Inprimis non prohibetur mutuans illud recipere; quia tempore mutui nondum patiatur actu cessationem lucri, quia vt ex supradictis constat, mutuans non recipit illud pro cessatione lucri iam actu subsequuta, sed pro illa spe & potentia proxima in qua est pecunia negotio tradenda ad habendum lucrum: hæc autem spes & potentia quæ pretio æstimabilis est, a principio mutui conuenit pecuniæ illi, & tali spe ac potentia exspoliatur mutuans in gratiam mutuatarij ipso tempore mutui. Et confirmatur: Nā qui vendit carius merces quas seruabat in aliud tempus, nondum patitur actu defectum illius maioris pretij quo erant deinde vendendæ, recipit tamen nihilominus iuste compensam illius ipso tempore quo vendit; quia cumprimum vendit, expoliat se in vtilitatem emptoris iure illo & potentia, in qua verisimiliter erant merces illæ ad habendum maius pretium tempore illo, in quod seruabantur, vendēdæ. Nec prohibetur mutuās statim recipere lucrum sibi cessans, eo quod mutuatarius nondum teneatur, quia quo iure potest mutuans illam compensam exigere, eodem manet mutuatarius debitor illius, potest autem mutuans (vt constat) exigere illam, & ducere in pactum, & taxare arbitrio prudentis a principio; ergo manet a principio mutuatarius debitor illius. Quod si a principio est mutuatarius illius debitor, quid prohibet quod a mutuante a principio etiam recipiatur. Tum etiam, quando mutuatarius non soluit compensam lucri a principio, sed deinde vna cum sorte aduenientetermino, non soluit illam, propter aliquam obligationem quæ illi tunc adueniat; sed propter obligationem cui se deuinxit a principio; quando lucrum illud fuit ipso tēpore mutui ductum in pactum, & taxatū; vnde a principio tenetur ad illud, recipere vero mutuātem a principio mutui id ad quod mutuatarius ab eodem principio mutui tenetur illi reddere, quæ iniquitas

tas esse potest? Nec prohibetur propter tertium, nam cum ipso tempore mutui conueniant inter se de compensando illo lucro, & in illa quantitate quam prudens taxauit, temere & male iudicaretur mutuantem nō recipere illud ratione lucri sibi cessantis, sed ratione pecuniæ mutuatæ, cum opositū potius ex pacto, & cōuentione illa, & taxa lucri cessantis, quiuis prudens iudicare debeat.

Quarto (cui rationi maxime nititur Palatius) Quando in mutuo exigitur lucrum cessans, celebrantur (vt vidimus) duo contractus distincti, & separabiles, alter mutui, ratione cuius nihil omnino exigitur, alter vero venditionis, quo mutuans potentiam illam proximam in qua erat sua pecunia ad lucrum, & ius quod ipse habebat ad illud ratione illius potētiæ, quę duo pretio ęstimabilia sunt, vendit mutuatario, quia potest vt vidimus illa statim vendere ducēdo illa in pactum. Sed rei quæ potest vendi, potest similiter pretiū accipi in numerato, ergo sicut potest valorem, & compensam lucri cessantis statim, atque quis pecuniam suam mutuat, vendere, poterit similiter & pretium illius in numerato statim ipso tempore mutui a mutuatario accipere.

Oppositum docēt Conrrad. in q. illa 30. toties citata cōcl. 7. Medina q. 3. De vsuris. dum septimam conditionem Conrradi expendit, quos sequuntur omnes fere recentiores, asserentes quamuis liceat ducere in pactum ipso tempore mutui lucrum cessans, & illud arbitrio prudētis taxare, nulla tamen ratione licere pretium illud quod sic taxatum fuerit, in numerato statim à principio contractus recipere.

Probaturq; efficacissime, imprimis ratione ipsius Medinę. Quia si illud liceret, sequeretur, vt rebus eodem omnino modo manētibus, & in nullo mutatis cogeretur aliquis ratione minoris mutui eandem cōpensam facere, quam ratione maioris mutui, quod certe cum apertam habeat inęqualitatem, apertam etiā continet iniustitiam. Quod autem sequatur patet re ad exemplum familiare redacta. Mutuet Petrus Ioanni (v.g.) 50. aureos, quorum lucrum cessans iuxta negotiū cui Petrus illos expositos habebat, censeatur à perito & prudēte esse 10. si quidem Ioannes statim illos Petro exhibeat ipso tempore mutui, reuera nō mutuat nisi 40. tantum, quia detrahuntur statim illa 10. retinetq; illa apud se Petrus: cum ergo Ioānes vere non recipiat nisi 40. & soluat 10. quæ sunt lucrum illorum 50. tantam compensam faciet Petro mutuanti pro illis 40. quantam iudicatus est à perito mercatore debere facere pro 50. quod est aperte inæqualitas, apertaq; iniustitia.

Sequeretur 2. vt teneretur Ioannes restituere Petro in fine mutui maiorem sortem, quam acceperat. Patet, quia cū mutuū quod Ioannes à Petro postulauit, & quod Petrus dixit illi se exhibere sint 50. tenebitur illi restituere adueniente tempore solutionis 50. vere autem & realiter vt constat non accepit ab illo nisi 40. tenebitur, ergo ad restituendum illi maiorem sortem, quam acceperat.

Respondent huic argumento, qui oppositum docent, casu quo Petrus mutuaret Ioanni 50. aureos, simulq; acciperet ab illo ratione lucri sibi cessantis 10. non accipere illa quasi detracta à 50. Sed quia illa 50. quę Petrus negotiator mutuat Ioani ratione illius proximæ potentiæ quā habent in manu Petri exposita negotiis, censentur valere 60. nempe 50. in pecuniis, & 10. ratione lucri, quæ simul sumpta efficiūt 60. & ideo nullā inæqualitatē vel iniustitiā cōmittere Petrum, eo quod ipso tempore mutui conueniat cum Ioanne de lucro cessante, & cota illius statim persoluenda.

Sed hæc responsio nullam habet vim. Nam esto illa 50. vt exposita negotiis sint in potentia ad lucrū vt 10. lucrū tamē istud non sunt statim habitura, sed post consumatum negotium: Quo circa cum ista postulet mutuans non simpliciter, nec ratione pecuniæ quam tunc mutuat, sed ratione lucri habendi ex negotio, consequenter non debet illa recipere ipso tempore mutui, sed quando adueniente tempore solutionis recipiet sortem, quemadmodum si pecunia illa fuisset actu tradita negotio, non obtinuisset lucrum, nisi in fine illius vna cum sorte. Tum etiam: quia licet, illa 50. vt lucratiua in manu mercatoris, vna cum lucro ex illis verisimili, censeantur tamquam 60. vere tamē & realiter si mutuatarius 50. postulatis debeat statim exhibere 10. ratione lucri cessantis, actu & reuera non recipit nisi 40. nec dicendus est Petrus mutuare illi, nisi sola 40. quæ illi actu confert, cum ea tātum pecunia verè dicēda sit mutuata quam realiter accipit mutuatarius, & apud se habet toto tempore mutui ad proprios vsus.

Argumentatur præterea, & recte Medina. Si mutuans posset ipso tempore mutua-

tionis

tionis exigere, & recipere compensam lucri sibi cessantis. Sequeretur tertio, vt nonnũquam mutuatarius nihil acciperet per mutuum, quod in ipsius cederet vtilitatẽ. Probo: postulet Petrus mutuo à Ioanne 30. censeatq; prudens & peritus mercator, negotium cui Ioannes illa 30. tradere instituebat tale esse, vt lucraretur ex eo alia 30. sunt enim quędam negotia experientia teste, in quibus mercatores comparant sibi quandoq; lucrum æquale sorti, quin & quandoque excedens illam: In hoc casu si posset mutuans exigere, & recipere statim lucrum sibi cessans, teneretur Petrus integrã sortem illorum 30. quæ ab ipso accipit statim illi restituere, in compẽsam lucri quod ex illo negotio iudicauit prudens obtineri posse, qua ratione solueret lucrũ alteri cessans nulla pecunia mutuata apud ipsum manẽte, nullaq; vtilitate ex illa accepta: quod est maxima inæqualitas & iniustitia.

Huic argumento respondent quoq; alii, non esse credendum eò iniquitatis, & impudentię mutuantem aliquem peruenturũ, vt quantum est sors mutuãda, tantum vellit statim recipere à mutuatario titulo lucri cessantis, quia ita nihil mutuaret. Hæc tamẽ solutio non tollit vim argumenti, nam esto non sit credendum aliquem mutuantẽ tantæ iniquitatis & impudentię futurũ, attamẽ sequitur necessario incommodum istud ex illa sentẽtia, Vnde ratio hæc tãtò efficatior est, quanto incommodum quod recte infert, maius est, & ab æquitate & recta ratione magis alienum.

Quarto. Si Petrus mutuet Ioanni 50. quorum lucrum cessans iudicatur 10. & illa statim Petrus recipiat, Cum illis 10. possit statim Petrus negotiari, ita, vt si non negotietur culpa ipsius maneant illa 10. otiosa, lucrum cessans Petro ex illo mutuo reuera, non sunt 10. sed multo pauciora, & ex consequenti committit apertam iniustitiã, exigens quoquẽ lucrum cessans ex illis 10. ex quibus ipsi vere nullum lucrum cessat, sed solum ex illis 40. quæ actu & vere recipit ab eo Ioannes, apud ipsum mansura.

Deniq; cum in mutuo transferatur dominium totius rei mutuatæ in mutuatariũ, (ideo enim dicitur mutuum vt supra retulimus ex Iuriscõsulto, quasi ex meo tuum) efficitur vt mutuatarius nec totam sortem, nec partem eius teneatur mutuanti reddere vsq; ad terminum: at si Petro mutuãti 50. refunderet Ioannes mutuatarius statim 10. non transferret Petrus in Ioannem dominium integrum illorum 50. sed solum 40. nec vere mutuaret illi 50. sed solum 40. aut compelleretur Ioãnes partem rei mutuatę, statim mutuanti restituere; nullo tempore illa apud ipsum manente, quod est omnino contra naturam mutui.

Huiusmodi rationes Frater Petrus Aragonius & nonnulli non tanti faciunt, eo quod videantur illis argumenta potius ad incommodum ducentia, quam ostendẽtia, & probantia rei veritatem. Sed pace eorum efficacissimæ sunt. Quia in hac disputatione de iustitia contractuum, eo ipso quo ostenditur in contractũ de quo agitur reperiri inæqualitatem, conuincitur simul tamquam à priori esse illum iniustum, & iniquũ. Quemadmodum enim quia propria essentia & ratio formalis hominis est esse rationis participem, qui colligit Petrum esse hominem quia est rationis particeps, lapidẽ vero non esse hominem, quia caret ratione, argumentatur & recte à priori, & argumento rem probante per causam, ita queq; cũ propria essentia, & ratio formalis iustitiæ commutatiuæ, ad quam pertinet secundum suam propriam vim & naturam huiusmodi contractus, consistat in æqualitate rei ad rẽ, argumenta proposita, eo ipso quo ostendunt reperiri inęqualitatem in exactione lucri cessantis, si ipso tempore mutui illud actu recipiatur, ostendunt non solum ducẽdo ad incommodum, verumetiam tamquã à priori, & per causam illud non licere.

Adde quod ratio quam isti addunt tamquam ostensiuam, & à priori, licet optima sit, ad incommodum etiam ducit. Constituunt autem ad illam imprimis, mutuatarium quærentem. (v.g.) 50. & accipientem illa cum pacto soluendi interesse propter illa, propterea illa quærere, ac cum tali pacto recipere, quia illis omnino indiget, quod certe negari non potest, nam qui nõ ita illis indigeret, profecto nõ reciperet illa cum tali pacto & debito; ex quo sequitur vt si quærens 50. quibus reuera indiget, debeat statim lucrum illorum nempe (v.g.) 10. persoluere mutuanti, & anticipare illi solutionem lucri, non habeat omnem pecuniam qua indiget, sed desit illi, bona illius pars, propter anticipatã illã solutionẽ lucri cessantis, quod perspicuũ est cedere plurimũ in ipsius mutuatarii iacturã & damnũ. Quo posito sic argumentantur: Si Petrus qui accipit mutuo à Ioanne 50. anticipet illi solutionem vt 10. cum anticipata solutio sit ex D. Tho. quoddam etiam genus mutui;

tui, profecto, sicut Ioannes dicitur mutuare Petro 50. cum lucro cessante: ita Petrus est dicendus per anticipatam solutionem illius lucri cessantis, remutuare simul Ioāni illa 10. cum damno sibi emergente. Nūc sic: Quicunq; mutuans potest exigere ab alio damnum sibi emergens, sicut & lucrum cessans, & cum hoc discrimine, vt damnum emergens possit exigi in integrum, & ad æqualitatem, quantum recipitur: lucrum vero cessans ad arbitrium prudentis: At si Ioāni mutuanti Petro 50. Petrus statim refundat 10. sicut lucrum quod cessat Ioanni ex illo mutuo est 10. ita damnum quod emergit Petro ex anticipata solutione est similiter 10. ergo sicut debebit in isto casu Petrus Ioanni 10. ratione lucri cessantis: similiter si statim illa ipsi reddantur, debebit Ioānes Petro alia 10. ratione damni illi ex anticipata ista solutione emergentis, & ex consequenti non plus debet in eo casu Petrus Ioanni, quam debeat Ioannes Petro; vbi vero debita æqualia sunt, par quoque & æqualis est inter illa compensatio, ergo nō licet lucrum cessans statim à principio recipere, sed illud expectandum est vsq; ad terminvm soluendæ sortis, quia aliter tantum damni reciperet mutuatarius compensandū sibi necessario à mutuante, quantum mutuanti cessabit lucri ex illo mutuo. Quæ ratio etsi optima quidem sit & acuta, nihilominus ad incommodum etiam ducit. Sed quidquid sit de modo probandi sententiam Conrad. & Medinę quam sequimur, illud interim certum est illam veram esse, & tenendam.

Ad argumenta in oppositum: ad primū respondeo. Mercenarium illum posse stipēdia & lucra sibi cessantia exigere, ac recipere statim, quia ex eo nulla sequitur inæqualitas, imo maxima ęqualitas, vt quantū illi detrahitur, tantum compensetur, in mutuo vero quod fit per pecuniam, vel quid simile, si recipiatur statim interesse & lucrū cessans, cum tantum debeat detrahi necessario à mutuo, quantum reciperetur ratione lucri cessantis, esset maxima inæqualitas, imo & plures inæqualitates, vt ex argumentis constat. Secundo, quia neq; mercenario, neq; impedienti illum, aliquod sequitur damnum per illam anticipatam solutionem, mercenarius enim recipit quod vere potuisset lucrari, & impediens illum soluit illi iustum pretium operarum à quibus illū impediuit: at in mutuo si anticipetur solutio, & compensa lucri cessantis statim in principio contractus, sequitur maximum damnum mutuatario, præter dicta in argumentis, nempe vt deficiat illi bona pars pecuniæ qua indiget, & propter suam indigētiam quæsiuit per mutuum cum debito soluendi interesse: qui deffectus est contra naturam mutui, cum illud quæratur, & recipiatur à mutuatario, & sub isto pacto, vt suæ indigentiæ sufficienter subueniat. Nisi dicas, vt indigens 50. recipiat mutuo 60. vel plura, vt habeat & 50. quibus indiget, & alia 10. vel 15. vnde statim compenset mutuanti lucrum illi cessans, quod esset miserū mutuatarium vexare, & in maiorem necessitatem conijcere, quod etiam est contra naturam mutui instituti ad leuandas fratrū necessitates, & illorum subuentionem.

Ad secundum respondeo. Res vel fructus emi posse anticipata solutione in principio contractus, quia per illam anticipatā solutionem nihil detrahitur à re ipsa quæ emitur, sed manet semper æqualitas inter rem & pretium, atsi lucrum cessans statim persoluatur ipso tempore mutui, detrahitur plurimū à re ipsa quæ emitur, tolliturq; æqualitas inter rem & pretium vt ex illo exemplo in primo argumēto adducto apertissime constat. Nam mutuans 50. quorum lucrum. (v. g.) valet vt 10. si illa statim recipiat, non mutuat actu & re ipsa. nisi 40. quorum lucrum non valet 10. sed 8. tantū, vel pautiora, vnde detrahit reuera à re quā vendit, recipitq; maius pretium quam illa valeat, committitq; inæqualitatem.

Ad tertium dico, Mutuatarium qui recipit mutuum cum conuentione, & pacto persoluendi lucrum cessans, debere quidem illud á principio contractus ratione illius conuentionis, non tamen debere statim illud persoluere: quemadmodum cum primum accipit mutuum est debitor sortis, nō tamen tenetur illam statim reddere, nam ita non esset mutuum, sed aduenięte termino. Ratio est: quia per pactum illud mutuatarius solum tenetur ad compensam lucri cessantis, ex cuius solutione nulla sequatur inæqualitas, sequerētur autem omnes illæ, quas inter argumentandum ostendimus, si statim solueret lucrum cessans.

Ad vltimum respondeo, sicut ad primum, posse quidem vendi potentiam illam proximam, quam habet pecunia negotiatoris ad lucrum, contractu distincto & diuerso à mutuo, nam & propterea potest à principio duci in pactum lucrum cessans, sed esse vendēdam seruata ęqualitate, & iustitia, quam

quam exigit propria natura & ratio mutui, quæ tamen non seruarentur, vt ex dictis constat, si statim à principio persolueretur mutuanti valor & compensa lucri sibi cessantis: redderetur enim pro minori lucro idem pretium quod pro maiori. & pateretur mutuatarius statim graue damnū, quod est contra naturam mutui ad illius subuentionem instituti.

Ex dictis constat, vbi à principio exigitur lucrum cessans, & arbitrio prudentum taxatur in aliqua moderata quantitate, mutuatarium debere illud compensare mutuāti adueniente tempore quo illi sors restituēda est, etiam si successu temporis acciderit vt nullum ex illa pecunia mutuans lucrum habuisset, si negotio quod exercere instituebat tradidisset. Quia vt vidimus, ad exigendum lucrum cessans, & arbitrio prudētum à principio taxandum, sufficit vt prudenter, & probabiliter censeretur futurum, & cum sub tali probabilitate de illo mutuatarius conuenerit cum mutuante, quidquid de inde accidat, manet mutuatarius illius debitor vi illius pacti & cōuentionis. Et recte: Quia sicut mutuatarius in eo pacto exposuit se huic fortunæ, vt teneatur soluere lucrum illud á principio taxatum, etiam si progressu temporis, & negotii reuera non cessauerit, ita quoque mutuans exposuit se simili fortunæ, vt si lucrum ex negotio cui pecuniam suam cōmittere decreuerat, multo maius deinde esset, quam quod fuerat à principio taxatum, illud tantum recipiat, et si minus.

Deniq; videamus.

AN MVTVANS QVI TENEbatur gratis mutuare, possit exigere lucrum cessans?

Conrradus in illa q. 30. conclu. 1. Sylu. Verb. vsura. q. 19. & nonnulli, vt possit mutuans exigere lucrum cessans hanc quoque exigunt conditionem, ne mutuatarius in ea existat necessitate, quæ obligaret mutuantem ex precepto charitatis ad mutuandum illi: Quia sicut qui tenetur præstare aliquod officium, non potest recipere pretium pro executione illius, vt testis, qui tenetur in causa aliqua testimonium ferre, non potest pretium recipere eo quod illud ferat, vt docet D. Augustinus Cano. Non sane 14. q. 5. Ita quoque mutuans vbi tenebitur gratis mutuare propter indigentiam mutuantis, non poterit lucrum sibi ex illo mutuō cessans exigere.

Nauar. in commento illius canonis. Si fœneraueris. num. 54. condit. 6. Palat. De contract. lib. 4. c. 4. & pleriq; recentiorū censent conditionem hanc non esse necessariam, quia aut mutuatarius extreme indiget, aut non, si quidem extreme indigeat non potest diues mutuare illi, sed tenetur donare, & per eleemosynam illi subuenire: quod si non ita indigeat, sicut poterit mutuare sub pacto recipiendi sortem, ita & cum pacto recipiendi lucrū sibi ex illo mutuo cessans. Quod etiam confirmant simulq; aliorum rationem diluunt: Quia inter opera charitatis, qualia sunt subuenire egenti, proximo patrocinari, &c. & opera iustitiæ, vt ferre testimonium, hoc interest, vt ad opera charitatis nō teneamur nisi extrema fratris necessitas illud exigat, & ita, vt ea occurrente teneamur quidē, sed sine damno ac dispendio nostro, quia neq; charitas postulat vt alteri ego prosim cū meo damno, ad opera vero iustitię tenemur etiā si frater non indigeat extreme, sed vel eo solo quod habeat ius ad illa exigenda, vt in exemplo proposito de teste: quamuis. n. litē gerens non extreme indigeat, teneor nihilominus veritatem quam in causa illius noui, testificari, vbi illud apud iudicem ipse postulauerit: Ex qua doctrina sic argumentatur: Ad opera charitatis nō tenemur, nisi quando frater extreme indiget vel grauiter, Subuenire egenti est opus charitatis: tenebor ergo ad illud vbi frater grauiter, vel extreme indiguerit, vbi vero tāta necessitate non opprimetur, potero illi mutuare sine meo damno & dispendio, exigereq; ab illo & sortem & lucrum mihi cessans, sicut & damnum emergens: Ita colligunt testem non posse exigere pretium pro ferendo testimonio, quia quando ad illud tenetur, tenetur ex iustitia, mutuantē vero posse exigere, quotiescunq; mutuat, lucrum cessans, nec esse necessariam istam conditionem ne mutuatarius extreme indigeat, quia vbi extreme indiguerit tunc non habet locum mutuum, sed subueniendū est illi per eleemosynam, & absolutam, ac simplicem donationem.

Nobis ita quoque videtur sentiendum esse, vt ista conditio propter rationes modo adductas non sit necessaria. Habebit vero se mutuans cum mutuatario circa lucra sibi ex mutuo cessantia, iuxta ea quæ superius diximus de damno emergente, quando mutua-

mutuatarius indigentiam patitur & necessitatem.

Ex doctrina posita sequitur, primo, non licere communiter, & perse loquend. tantum pretii accipere pro minori mutuo quantum pro maiori, cum ex maiori, maius lucrũ cesset: per accidens autẽ in aliquo euentu liceret tantundem pro minori quantum pro maiori. (V. g.) Habeo 100. aureos lucraturus cum illis 10. sed ita, vt nisi fuerint integri illi 100. aurei, sed fuerint 30. aut 40. detracti, non possim hoc anno ex circunstantiis, temporis, loci, & mercium lucrari illa 10. nec aliquid aliud. In hoc casu siquis postulet á me 30. vel 40. possum recte ducere in pactum, vt soluat quantum lucraturus eram cum 100. cum reuera detractis illis 30. vel 40. perinde amitam integrum lucrum illorum 100. sicut si omnia 100. fuissem mutuatus. Sed hic casus metaphysicus forsan est, & qui nunquam accidet.

Sequitur secundo, quomodo sint intelligendæ sententiæ Iudicum, quæ præcipiũt debitoribus soluere aliquam pecuniã, quando sunt in mora. Bifariam enim possunt damnare illos ad soluendam illam pecuniam, aut tamquam in pœnam moræ, & tunc non tenetur debitor illam pecuniam soluere, nisi adueniente sententia: Aut tamquam lucrum cessans, & tunc si vere illud lucrum cessauit tenetur ille soluere, non solum lata sentẽtia á iudice, verumetiam ante omnem iudicis sententiam: Quod si re ipsa & actu non cessauit lucrum, nec ante, nec post, nõ tenetur in foro animę soluere illud, nisi forsan ad tollendum scandalum: quia sententia illa nititur falsæ presumptioni, nempe cessasse lucrum, quod reuera vt constituimus non cessauit.

Sequitur 3o. solutio dubitationis, quam disputat Conrrad. De contract. q. 41. vbi quærit. Si Petrus mutuat Ioanni 100. cum vsura vt 5. Mox vero Andreas postulet à Ioanne illa 100. liceat ne Ioanni ita paciscі cum Andrea mutuabo illa tibi, eo tamen pacto, vt persoluas Petro vsuras, quas ego illi promisseram ex isto mutuo. Sic enim dubitationi huic occurrendum est, omissis multis quæ afferuntur ibi, á Conrrado, Vt propterea quod Ioannes mutuet Andreæ illa 100. quæ mutuo acceperat à Petro, vel patitur aliquod interesse, siue alicuius damni emergentis illud sit, siue alicuius lucri sui cessantis, aut nullum patitur interesse. Si quidem aliquod interesse patiatur, poterit illud exigere ab Andręa, seruatis conditionibus illis quas diximus omnino desiderari, vt posit duci in pactum damnum emergens vel lucrum cessans. Vnde si huiusmodi interesse excedat vsuras illas, vel illis æquetur, poterit pacisci cum Andræa, vt persoluat illas Petro, non tamquam vsuras debitas Ioanni, vel Petro, sed tamquam interesse vere ab ipso debitum Ioanni. Quod si Ioannes nullum patiatur interesse, nullo modo potest exigere ab Andræa aliquid vltra sortem, nec sibi, nec Petro primo mutuanti exhibendum.

Primo, quia Andræas nihil debet Petro, cum ab illo nihil acciperit, Ioanni vero cum ex mutuo nullũ interesse patiatur, solum debet integram & nudã sortem. Secundo, si quid deberet, certe vsuras illas, cũ accipiat á Ioanne eandem pecuniam quam ipse accepit à Petro cum vsuris. At huiusmodi vsuras non debet, Tum, quia iniquitas Petri nullum ius confert Ioanni, vt ipse simili iniquitate vtatur cum Andręa. Tum etiam, quia hac ratione esset Ioannes velut medium, & cooperator cuius interuentu acciperet Petrus vsuras ab Andræa, cui iniquitati nemini licet cooperari.

Hæc accipienda sunt iuxta titulum dubitationis proposite, quando Andræas postularet mutuo à Ioanne pecunias, quas prius Ioãnes cum vsuris acceperat à Petto: Quia si Andræas absolute quæreret pecuniam mutuatam à Ioanne, Ioannes vero cum non haberet propriam vel alienã, quã illi gratis exhiberet, vt posset nihilominus illi per mutuum subuenire, acciperet a Petro cum vsuris, quia nequiuit alia via habere illam in promptu, tunc (vt paulo ante diximus) iuste exigeret ab Andræa vsuras illas, quas promisit Petro: Quia in hęc casu patitur Ioannes damnum illud, & interesse ex mutuo, in solam vtilitatem Andreę.

Demum quia ratione pœne in mutuo, & aliis contractibus apposite sensent varii DD. posse aliquid recipi vltra sortem, sine vlla labe vsuræ, hoc nunc a nobis examinandum est.

Controuersia. XI.

AN POENA IMPOSITA *mutuatario, vel debitori si fuerit in mora, quæ dicitur conuentionalis, iuste imponatur, & recipiatur?*

QVAM.

QVAMVIS potisſime hoc loco de pœna quam contrahentes ſibi ipſis imponunt, agere instituam, de cæteris quoque quæ à iudice, vel lege conſtituuntur, nonnulla dicam. Conſtituitur igitur à DD. quantum hic locus poſtulat, triplex pœna, conuentionalis, iuditialis, & legalis: de quibus multa Conrrad. De contract. quæſtione 31.

Conuentionalis eſt, quę ex conſenſu partium imponitur debitori à creditore in contractu, vt promiſſa conſiſtant, firmiusq́; obſeruentur. Mutuo tibi 100. aureos reddendos mihi certo perfixo termino, ea conditione, vt niſi in termino illa reſtitueris, in pœnam illius morę debeas mihi vnum aureum vltra ſortem, admittis conditionem, & illi pœnæ te ipſum ſubiicis: hæc pœna eſt conuentionalis, quia ex conſenſu & conuentione partium impoſita eſt huic contractui mutui.

Iudicialis eſt, quæ à iudice ſuper debito liquido vel liquidato imponitur debitori, vt debitor metu illius pœnæ ſoluat in termino ſibi à iudice aſignato, ita vt ſi adueniente termino illi præfixo fuerit in mora, pœnam illam ſoluat ratione ſuæ culpæ, & contumaciæ, cuius poenæ frequentiſſimis eſt vſus in tribunalibus.

Legalis dæmum poena eſt, quæ á lege conſtituitur debitori, ſi fuerit in mora, vel habenti officium aliquod niſi præſtiterit quæ ſui ſunt muneris, & officii. Qua ratione conſtituit lex tutori, vt niſi pecunias ſui pupilli cenſui, vel ſimili lucro tradiderit, teneatur ex propriis lucrum pupillo ceſſans perſoluere: vel cum ſtatuit lex, vt niſi debitor, qui obtulit pignus aliquod creditori, ſatisfaciat illi in certo termino, mittatur creditor in poſſeſsionem & dominium illius pignoris.

Vt de ſingulis recte diſſeramus, ſeparemus prius quæ certa ſunt apud omnes & indubitata, ab his quæ incerta ſunt & dubia.

Primum igitur, illud certum eſt, poſſe mutuantem, & quemcunq́; contrahentem imponere alteri poenam illam quam dicimus conuentionalem, vt firmius ſeruet promiſſa: Docet illud recta ratio, & communis vſus omnium gentium, & nationum, quæ illam ſequuti communiter in ſuis cõtractibus, & ſcripturis poenas huiuſmodi apponunt, vt debitor diligentius ac firmius curet ſtare promiſsis, & in termino ſoluere. Exigitur autem ad huiuſmodi poenã rectè & iuſtè imponendam à DD. hæc conditio, ne imponatur in fraudem vſurarũ. Ita Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. ar. 2. Conrrad. loco citato Conc. 3. Syluest. verb. pœna. q. 25. §. 7. Caiet. in ſumma verb. vſura. cap. 2. Nauar. in ſumma Latin. cap. 17. num. 215. & omnes recentiores. Et Canoniſtæ cum gloſa in Cano. Pleriq; 14. q. 3. Nam quę alteri imponetur, nec debetur, nec poteſt exigi, vel recipi, ſicut nec vſura. Cap. Ad noſtram. De emptio. & venditio. Et L. Iulianus. §. Idem Ioan. ff. De actio. empt. vt vendi.

Dicitur autem imponi poena in fraudẽ vſurarum, quando mutuans vel creditor huiuſmodi poenam imponit debitori, neq́; ratione lucri ſibi ceſſantis vel damni emergentis ex mora, neq́; vt debitor metu poenę diligens ſit in ſoluendo tempore præfixo, ſed vt ex mutuo illo interueniente mora lucrum recipiat. Quod ex Scoto, Conrrado, & Nauarro in tribus potiſsime caſibus accidit. Primo quando impoſitor poenę optat potius debitorem eſſe in mora, vt poenam illam incurrat, quam quod tẽpore perfixo ſoluat, vt colligitur ex cap. Suam. De poenis. Et L. Si pacto quo poenam. Cod. De pactis. Secundo, vbi poena ita imponeretur, vt per ſingulos menſes, & annos ſolueretur á debitore illo, vel mutuatario exiſtente in mora. Tertió, quando ipſo tempore mutui, & contractus in quo fuit impoſita poena, intelligebat creditor debitorem futurum impotentem ad ſoluẽdum, & neceſſario futurum in mora. Qui enim ita poenam imponeret animo exigendi illam, lucrum profecto vſurarium, ex mutuo illo, vel dilata ſolutione, ſub nomine & colore poenæ, non lucrum ſibi ceſſans, vel damnum emergẽs ex mora, nec diligẽtiã niteretur debitoris in ſoluẽdo.

Imponi poenam in fraudem vſurarum in hoc tertio caſu omnes docent. In primo verò & ſecũdo nonnulli vt Palatius lib. 4. cap. 5. dubitant, aſſerentes non eſſe neceſſarium ſignum animi vſurarii ita imponere poenam mutuatario, vt mallet mutuãs illũ incidere in poenam, quam reſtituere ſibi ſortem, vel quod imponat illam per ſingulos menſes vel annos, quia poteſt etiam optare quis poenam illam non ex mutuo, ſed ex mora, quod non eſt iniquum: cum ſic deſiderans poenam, ſolum deſideret illam vt punitionẽ morę, & culpę debitoris

bitoris, Sed non est quod in materia adeo morali hac speculatione, & apicibus iuris vtamur, cum experientia teste qui mallet debitorē esse in mora, vt per illam pœnam impositā incurreret, quam vt solueret in termino, aut per singulos menses, vel annos vellet illum teneri ad pœnam, non tam in pœnam moræ & punitionem culpę censendus est illud optare, quā vt lucrū vlta sortem ex illo mutuo: sicut iudex qui optat existere delicta, quę pœnis pecuniariis puniuntur, vt illas recipiat, non tam censendus est punitionem delictorum optare, quā lucra ex officio. Vnde esto non debeat mutuans hoc explicite habere in animo, vt mallet solui sibi debitum in termino, quam mutuatarium incurrere pœnam illam ex mora, debet tamen, ne pœna illa imponatur in fraudem vsurarum, hunc saltem animum habere, vt per pœnam illam debitor diligentior sit in soluendo mutuo. Et in hoc sensu exigitur á Doctoribus conditio posita.

Addit Conrrad. alias duas conditiones. Quarum prior est, vt ex appositione poenæ non sequatur infamia mutuantis, vel scandalum: Posterior, vt non apponatur poena quando mutuans ex pręcepto chatitatis, vel ex aliqua alia causa tenetur mutuare, sed huiusmodi conditiones necessariæ non sunt, vt ex dictis in conditionibus lucri cessantis, & damni emergentis constat. Prior enim illa omnibus contractibus omnibusq; actionibus humanis cōmunis est, cum in omnibus operibus nostris debeamus & honori proprio consulere, & ab omni specie mali abstinere, neq; illud desideretur ex propria & peculiari ratione huius, vel illius contractus, quorum iustitia (vt ibi dicebamus) non pendet ex fama mea, vel scandalo aliorum, sed ex ęqualitate rei ad rem. Quamuis negari non possit, assuetum vsuris & de tali vitio infamatum, apponentem poenam huiusmodi alicui mutuo, magnam offerre occasionem suspicandi, poenam illam apponi ab ipso in fraudē vsuram, esto recta intentione ab ipso apponeretur: Et huiusmodi hominibus consulendum esse, ne huiusmodi poenis in suis contractibus vtantur, quidquid sit de animo ipsorum: *Multa enim nobis absolute licēt, quæ tamen ex circunstantia non expediunt.* Posterior vero quam adhibet Conrrad. non est propria huius loci, sed de ea iudicandū est, juxta ea quæ diximus de indigentia & ægestate mutuatarii, agentes de lucro cessante. Iuxta iam ibi dicta, qui potest obligare mutuatarium ad reddendam sortem præfixo termino, poterit etiam apponere poenam, qui vero tenetur vel conferre illi eleemosynam, vel mutuare nullo prefixo termino, nullam poterit apponere poenam, cum huiusmodi mutuatarius ita ęgestate prematur, vt non sit culpandus de aliqua mora.

Secundo, certum etiam est apud omnes, cum poena conuentionalis tribus modis imponi possit. Primo, quasi in compensam damni emergentis, vel lucri cessantis mutuanti ex mora debitoris. Secundo, propter periculum, & metum infidelitatis illius in soluendo. Tertio, vt diligentius soluat, nec sit in mora metu poenæ apposite: poenā cōuentionalem quæ primo illo modo apponitur, nempe in compensam damni emergentis, vel lucri cessantis ex mutuo, iuste ac recte posse aponi, & exigi. Etenim cum iuste possit mutuans exigere à mutuatario (vt vidimus) lucrum cessans, vel damnum sibi emergens ex mutuo, vel mora mutatarii, poterit similiter id ipsum sub nomine poenæ, mutuo vtriusq; consensu appositæ exigere, ac recipere. Quid enim reffert hoc vel illo nomine vtaris, vbi res eadem est, & eadem ratio & causa ęquitatis. Fauet his L. Prædia. ff. De actio. empto. Oportebit tamen quando huiusmodi poena in compensam alicuius damni emergentis, vel lucri cessantis imponetur, mutuantem vel creditorem obseruare conditiones illas, quas diximus necessario desiderari ad damnum illud vel lucrum iuste exigendum: Ita vt quantitas huiusmodi poenę non excedat damnum vel lucrum creditoris, juxta doctrinam ibi positam.

Tota ergo dubitatio est circa secundum & tertium modum imponendi poenam.

Nam Scotus in 4. dist. 15. q. 2. ar. 2. sentit aperte nullo alio nomine vel ratione poenam cōuentionalem apponi posse mutuo, vel contractui, ex quo alter contrahentium maneat alterius debitor, quam in compensam alicuius interesse, nempe alicuius damni emergentis, vel lucri cessantis ex illo mutuo vel contractu. Idem docent ex Iurisperitis Glosa L. Cum poena. ff. De arbitr. Bartho. eadem L. Et cum multis aliis L. 2. §. Item si in facto. ff. De verb. oblig. Angel. in Conc. 219. Franc. Aretin. l. 4. §. Cato. col. 1. ff. eod. tit. adducti hac ratione

ratione. Quia inter mercatores, & exercentes contractus obseruanda maxime, est, & spectanda æquitas, L. Quintus. vbi Bartho. ff. Mandati. recederet vero maxime ab æquo & bono imponere pœnam debitori ex mora, nisi quando propter illam creditor incurrit aliquod damnũ, vel priuatur aliquo cõmodo & lucro. Confirmariq; potest ex illa regula Theologorum, In foro conscientię illud iustum esse, quod rectus ac prudens iudex perspecta rei veritate secundum leges iudicaret: at in tribunalibus recti iudices, si pœna exigeretur vbi nihil interest, doli vel mali, exceptio competeret reo: vt habet Glosa illa, ergo vbi mutuans nullum pateretur interesse ex mora, iniquũ est pœnam aliquam illi imponere. Minor & Glosa quæ illam habet, nituntur huic rationi, Quia Pretor habet ęquitatẽ ante oculos L. Quod si Ephesi. ff. De eo quod certo loco. repugnat autem æquitati, vt vbi creditori nihil interest, nullumq; damnũ patitur, aut cessationẽ lucri ex mora debitoris, pœnam ab illo exigat. Fauent his L. Etsi post tres. ff. Si quis causa. & l. 2. in fine. ff. Si quis in ius vocatus non ierit, ex quibus colligitur illud commune multorum dictum. *In stipulatione prætoria non exigitur pœna, si non interest.*

Molineus nu. 35. habet omnes Theologos, & Canonistas probare pactum pœnale appositum mutuo validũ esse, modo immoderatum non sit, & absit praua intentio, Legistas vero in varias sententias diuidi, sed plerosq; eorum docere, huiusmodi pœnas pręsumendas esse imponi in fraudem vsurarum: citatq; in hanc sententiam Alexãd. in L. Stipulatio ista. §. alteri. ff. De verb. obligat. & in Concil. 49. libro 4. Bald. in L. Rogasti. §. Si tibi. col. 2. ff. Si certũ petatur. Quẽ (ait) omnes sequuntur in L. Cũ allegas. Cod. De vsuris. vt scilicet stipulatio pœnæ non valeat precisse quantum ad sui taxationem, valeat tamen ad conseruandum, & æstimandum quod interest. Quibus relatis, omnesq; irridens, (vt hæreticorum arrogantia solet), subiungit. *Sed omnes valde errant, precipue ignorantia, tum vsurarum, tum eius quod interest. Ego vero simpliciter dico prædictum pactum non valere, nihilq; operari.* Cuius fundamẽtum est, quia istud pactum, siue pœna conuentionalis aut sumitur tamquam interesse momentaneum seu casuale, aut tamquam interusurium siue vsura, non tamquam interesse casuale lucri cessantis, vel damni emergentes, quod deinde omniuo reiicit num. 508. ergo tamquam interesse vsurium concessum á iure, quę vero concesśione iuris recipiuntur, non recipiuntur vt pœna ex conuẽtione cõtrahentium, ergo: Et ita reiicit omnino huiusmodi pœnas conuentionales, & quęcunq; de his tam Theologi quam iurisperiti docent, irridet hæreticus ille.

Cuius potius temeritas, & ignorantia in hac parte irridenda est: Nam quod primũ ait, omnes Theologos & Canonistas admittere absolute & simpliciter pœnas conuentionales fallitur: Cum Scotus, & alii Canonistæ quos modo retulimus, contra sentiant. Quod secundo habet cõmune esse inter Iuristas, vt non liceat apponere, vel exigere illam nisi ratione eius quod interest, cito videbimus falsum esse, & multos ex grauisśimis Iuristis contra docere. Quod demum ait, pœnam istam non posse exigi, nisi vel ratione interesse momentanei vel causalis, aut interusurii falsum etiam est, & ignorantiæ ac erroris plenum. Nam ratione interusurii satis constat ex superioribus nihil omnino recipi posse extra sortem: ratione autem poenæ propter culpabilem debitoris moram aliquid exigi posse, etiam si nullum interueniat interesse, statim docebimus.

His ergo quæ ab hoc hæretico & Caballino eo loco habentur omisśis. Conrad. quæst. illa 31. conc. 3. Syluest. verb. Poena. quęst. 25. §. 7. Caietan. in summa verb. vsura. cap. 2. Nauarr. in summa. cap. 23. num. 68. & pleriq; ex recentioribus sentiunt illo secundo modo, nempe propter solum periculum & metum infidelitatis in restituendo debito, nihil posse exigi á debitore. Tertio vero modo, in pœnam moræ culpabilis, vt metu talis pœnæ diligenter curet debitor siue mutuatarius persoluere quod debet, iustè ac rectè posse imponi talem pœnam, & exigi. Sequũtur hanc partem ex Iurisperitis Iason in dicta L. 2. §. Item si in facto. ff. De verb. obligat. vbi habet minime admittendum, quod poena quæ ex partium conuentione proficiscitur, iuxta L. final. ff. De pretori. stipula. censeatur contra æquitatem, quinimo nihil esse quod magis humanæ fidei congruat, quam pacta & conuentiones obseruare, precipue inter mercatores. vt dicit L. 1. ff. De constit. pecunia. quę lex siue statutum potisśime

respicit mercatores, quorum actiones & negotia continentur, perficiunturq; pactis, & conuentionibus inter ipsos constitutis, confirmat eandem sententiā ex L. Bonafides. ff. Deposi. subscribit Iasoni Lancel. Gala. in dicto §. Item si in facto. num. 7. vbi illius sententiam ait optime confirmari ex Glosa in cano. Fraternitatis. 12. q. 2. dicēte, Pœnas legales non deberi in foro conscientię, conuentionales tamen deberi: Citatq; ad idem Petrum Anchar. in Reg. Possessor. De regulis Iuris. in 6. vers. 3. Felinū in cap. 1. num. 62. De constitut. docentes pœnam conuentionalem imponi posse, & deberi, etiam si nihil intersit. Idem deniq; docet Benuenut Stracha De cōtract. Merca. part. 5. num. 23. confirmatq; testimonio Innoc. in cap. suam. De pœnis. & Panorm. in cap. Dilecti. col. 3. versic. sexta & vltima pœna: De arbitris. Et ratione. Quia in huiusmodi pœnis conuentionalibus non admittatur morę purgatio, iuxta Franciscū Curt. L. Si quis maior. num. 44. Decium in Concil. 138. col. penult. & fina. & alios, at si huiusmodi pœnę nihil operarentur, purgatio moræ frustra constitueretur non esse in illis admittenda.

Vt in hac quæstione quid verius sit explicemus, Obseruemus primo, non esse hic sermonem de pœna conuentionali firmata iuramēto, nam huiusmodi deberi in vtroq; foro ex vi & reuerentia iuramenti, concors est omnium DD. sententia, tam Theologorum in materia de iuramento, quam Canonistarū in illo cap. Debitores. De Iureiurā do: siue poena ista constituatur tamquam compensa alicuius interesse, siue vt poena solum, Quia si inuasori seruanda est promissio, vel pactum iuramento firmatum, vt tomo 3. Deo dante videbimus, agentes de Iuramento, quanto potius amico, & conciui, cum quo citra omnem vim & dolum cō trahitur. Vnde proposita dubitatio est de poena conuentionali, quę absolute ac simpliciter adhibetur contractui sine vllo iuramento.

Obseruemmus secundo, cum distinguūt DD. poenam conuentionalem, in eam quæ apponitur propter periculum tātum & metum, & eam quę imponitur in poenam morosæ solutionis, vt debitor diligentius curet stare promissis, nomine periculi & metus non esse intelligendum periculum tarditatis in soluendo, nam hac ratione non distingueretur poena ob periculum, & quæ imponitur in poenam morę. Ratio est aperta. Primo, quia vbi non esset periculum aut metus moræ & tarditatis, quorsum apponeretur poena? tamquam poena cuius metu debitor maiori diligentia curet solutionem in termino? Secūdo. Percontor adueniente termino, aut debitor est in mora, aut non: si non est in mora, nullam incurret pœnā, si vero est in mora incurret illam, quod si ita incurret & non aliter, ergo quę imponitur illi in poenam & punitionem suæ morę, & cuius timore diligenter soluat, & poena propter periculum tarditatis in soluendo idem sunt omnino.

Vnde per poenam illam quæ dicitur imponi propter metum, non est intelligendus metus tarditatis, cum hic sit causa cur imponatur illa vt poena, & punitio moræ sed metus infidelitatis in restituendo debito. Vt cum mutuat Petrus Ioanni, quem timet recessurum cum debito illo nec vnquam soluturum, & propter hoc periculum & metum postulat ab eo aliquid vltra sortem tempore mutui & contractus: Sunt enim qui dicant, vt quemadmodum mutuans potest à principio exigere aliquid pro damno sibi emergente, vel lucro cessante, etiam si mutuatarius non sit in mora, ita quoque vbi quis mutuat homini quem timet recessurum, aut nunquam soluturum, possit ipso tempore mutui vel contractus constituere cum illo, vt teneatur reddere aliquid propter periculum illud cui se exponit, non recipiendi ab illo pecuniam illi mutuatam, quod periculū (dicunt) est pretio æstimabile. Quo nomine vt mox vidimus, solent nonnunquam venditores carius vendere, his quibus vendunt expectata solutione.

Obseruemus tertio. Quod docent communiter DD. & nos cum illis tomo 1. quæst. 62. artic. 2. Controuersia 1. neminem teneri ad luendam poenam, nisi accedente iudicis condemnatione, de his tantum poenis esse accipiendum, quæ imponuntur à lege, minime vero de conuentionalibus. Primo, quia poenæ quæ imponuntur à lege cum sint mæræ poenæ, quorum executor sicut & legum non est priuatus aliquis, sed iudex, merito debet aduenire iudicis sententia, vt illę executioni mandentur. Secundo, quia nemo debet esse sui ipsius accusator & proditor, atsi ante iudicis sententiam essent luendæ poenæ quæ à legibus imponuntur, deberet qui vio lauit

lauit legem, cuius transgressoribus est impo sita pœna, sui ipsius esset acusator & proditor. At in poena conuentionali, licet illa, imponatur etiam in punitionem moræ culpabilis, primo tamen & perse est pactum & conuētio ex libero contrahentium consensu constituta, ad pacta verò & promissa in quibus homines libere & spontanee conuenerunt seruanda, non exigitur aliqua sentēcia Iudicis, sed iure naturæ, ex sola vi illius pacti, & conuentionis tenētur in foro conscientiæ. Tum etiam in obseruatione huiusmodi pœnę non tam agit debitor vt reus, quam vt vir fidelis, stās pacto & promissis, quibus vt stet ex sola natura pacti omni iure tenetur. Quod si nonnunquam interueniat iudicū authoritas vt homines promissa obseruent, accidit illud iniquitate hominum renuentium stare promissis, ad quod absolute & extra omne iuditium tenebantur: sicut cum debitor vocatur in iudicium vt soluat, non vocatur quasi non teneretur absolute & extra iudicium debita reddere, sed propter eius iniquitatem nolentis præstare quod simpliciter debet.

His positis sit prima conclus. *Pœnam conuentionalem imponere ob periculum solum, vel metum infidelitatis mutuatarij in restituendo debito, vel mutuo, ita vt initio contractus exigatur aliquid vltra sortem, tamquam pretium illius periculi, & metus, iniquam est, & vsurarium.*

Patet, Ratione damni, cui in contractibus aliquis contrahentium se exponit, illa compensa vel satisfactio exigenda tantum est, quæ illi damno directe ac propriè correspōdet, vt damno emergenti, vel lucro cessanti, quæ dāna pecuniaria sunt, compensæ pecuniaria. Periculo infidelitatis, cui se exponit quis mutuans viro à quo timet mutuum illud sibi non esse restituendum, compensa vel satisfactio propria, & directa non est pecunia aliqua exacta vltra sortem, nam quantumuis mutuatarius offerat se illā extra sortem redditurum, si tamen periclitatur ille recedere, nec soluere, sed infideliter se gerere cum mutuante, & creditore, non tollitur huiusmodi periculum per acceptionem illam vltra sortem: propria vero & directa compensa & satisfactio huiusmodi periculi & metus fit accepto pignore, aut fideli & securo fideiussore, vnde licebit vbi tale periculum imminet, exigere à debitore pignus, vel fideiussorem, minime vero aliquid vltra sortē, neq; nomine poenæ, neque tamquā pretium illius periculi.

Confirmabitur amplius hęc conclusio Cōtrouer. 19. vbi videbimus contra Ioann. Medin. ratione huiusmodi periculi & metus, quomodo posse carius aliquid vendi ad creditum.

Secunda conclusio. *Imponere ex libero cōtrahentium consensu pœnam debitori qui fuerit in mora solutionis, in punitionem illius moræ, vt metu illius pœnæ diligentius curet restituere acceptum, vel soluere debitum in termino, licitum est, & honestum: etiam si nullum interesse patiatur creditor ex illa mora.*

Probatur: Quemadmodum licet mutuāti obligare mutuatarium, & creditori obligare debitorem ad soluendum debitum, vel mutuum in termino prefixo, ita quoq; licet illi vti omnibus mediis licitis, & conducentibus in hunc finem, vt mutuatarius vel debitor soluat in termino: nam cum ratio mediorum sit sumenda ex fine, cui licet velle finem, licet etiam velle omnia media honesta ad illum necessaria, vel conducentia, & vtilia, vnum ex mediis quæ maxime conducunt in hunc finem, vt debitor non sit in mora est imponere illi poenam, vbi in illa fuerit: Frequenter enim qui in soluēdo fuisset morosus, ne huiusmodi poenam incurrat, diligentem se exhibet, Est etiam mediū honestum & iustum cum illo vtantur passim Iudices, & Leges vt citius debitores suis creditoribus debita persoluant, Nam in Lege Mora. §. In bonæ fidei. ff. De vsuris. dicitur: In bone fidei cōtractibus ex mora vsuræ debentur. Et L. Socium qui. ff. Pro socio. punitur mora socii in negotio. Licebit ergo huiusmodi poenas in hunc finem imponere mutuatariis, & debitoribus.

Secundo, habet illud apud omnes gētes, & prouincias receptissima consuetudo cōtrahentium, & tabellionum, vt in eorū contractibus & scripturis huiusmodi poenæ ex mutuo consensu contrahentium adhibeantur, quò pacta & promissa fidelius maiorique cura obseruentur: quam cōsuetudinem nullus vnquam Doctorum damnauit tamquam iniquam, vel iniustam: quam certe damnassent & cōtra eam scripsissent aliqui periti, & timorati, nisi illud liceret. Et cōf. Quia solent etiam huiusmodi poene multoties firmari iuramēto, quod Prælati prohibuissent pro ratione sui muneris, & officii, nisi poenæ illæ iustè imponerentur in eum quem diximus finem.

Tertio, pactum & conuentio in qua priuati interse conueniunt, est velut lex, quam

vel vterq; vicissim, vel alter alteri libero illius consensu imponit: sed licet legibus, vt diligentius obseruentur apponere pœnas, ergo & huiusmodi pactis & conuentionibus, nè à contractu illo & pacto recedatur. Et confirmatur. Non minus tenentur homines in contractibus ciuilibus, & comerciis suis stare promissis, quam in contractibus matrimonialibus, sed in his apponuntur passim poenę istæ conuentionales ex mutuo contrahentium consensu, neq; illud iudicatur ab aliquo doctore illicitum: ergo licebit similiter illas apponere in contractibus ciuilibus, & huiusmodi comerciis, in quibus alter alteri debitor manet, cum obligatione soluendi in termino aliquo certo, & prefixo.

His argumentis constat poenam huiusmodi imponi posse, etiam si ex mora debitoris nullum damnum vel incomodum accidat creditori. Quia procedunt hęc omnia de poena sub ratione tantum poenę, & punitionis moræ culpabilis in debitore, quam iustũ est puniri: Cũ reuera culpa sit, & quodam infidelitatis, & ingratitudinis genus, et á quo beneficium accepisti, per mutuũ vel debitum, ex negligentia tua non persoluere in tempore, in quo promisisti.

Eandem conclusionem probant quæ ex Iasone, & aliis DD. qui illius partes sequũtur, retulimus in cõfirmationẽ huius sententię. Ex quibus sequitur non esse accommodatam rationem, qua nonnulli conclusionẽ positam nituntur ostendere, quia nunquam debitor est in mora, quin illud cedat in aliquod damnum creditoris, in hoc saltim, vt careat ille sua pecunia inuitus & renuens. Quia huiusmodi carentia, vbi nullum ex illa domino pecuniæ damnum emergit, vel lucrum cessat, damnum dicendum non est. Etenim si hoc damnum esset, nulla esset cõtrouersia, cum tota disputatio presens in eo tantum consistat, An vbi creditor nullũ patitur damnum, vel lucrum cessans ex mora, possit poenam debitori imponere? Affirmemusq;, esto nullum patiatur interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, posse illam imponi.

Cæterum licet hæc argumenta ostendãt illam imponi posse, non tamen ex illis statim constat, An debitor qui fuerit in mora, teneatur ad illam soluendam ipsofacto, antequam á creditore in iudicio, vel extra iuditium exigatur.

Vnde sit 3. concl. *Si creditor huiusmodi pœnam nullo modo exigat a debitore, qui fuerit in mora, non tenetur huiusmodi debitor illam persoluere.*

Ita Nauarr. in suo Manu. Latin. cap. 23. num. 67. & 68. cui omnes fere recentiores subscribunt multis adducti rationibus. Primo, quia nullus quamuis timoratus & iustus illam persoluit, nisi exigatur ab illo. Secundo, quia in omnibus fere cõtractibus apponuntur huiusmodi poene, quas tamen videmus nunquam fere solui à morosis debitoribus, neq; propterea repręhẽduntur à confessariis etiam peritis, aut negatur illis absolutio. Tertio, quia viros honestos (vt ait Nauar.) non decet huiusmodi poenas exigere, aut recipere, vbi nullum patiuntur interesse. Cui fauet illud cap. Suam. de poenis. Imò eo ipso quo illas non exigunt, implicitè cedunt iuri quod in illas habent, neq; si recte concideretur tempore contractus fuit intentio imponentis illam, eo fine & animo illam imponere, vt exigeretur, aut redderetur sibi, sed vt illius timore debitor diligentius solueret. Deniq; ita habet vsus, & consuetudo omnium fere celebrantium cõtractus aliquos appositis huiusmodi poenis, quæ consuetudo adeo recepta debet esse optima huiusmodi conuentionum, & poenarum interpres, sicut foret & ipsarum legum. Ex quo sequitur, quod docet Felinus in cap. 1. De constit. nu. 43. & Decius ibibem nu. 8. teneri debitorem morosum ad soluendam ipso facto, etiam si non exigatur, intelligendum esse de poena quæ imponitur solum in compensam alicuius interesse, vt docet Petrus Ancar. in regula Peccatum. De Reg. iur. in 6. num. 10. maxime quia Felinus, & Decius citant ibi in suam sentẽtiam Ancarr. in Reg. Possessor. Quod certo argumento esse debet, in eodem sensu esse illos ibi loquutos, in quo Ancarra. nempe cum poena in compensam alicuius interesse creditoris imposita est.

Quarta concl. *Si mutuans, vel creditor a mutuatario, vel debitore qui est in mora notabili, pœnam impositam exigat, tenetur in conscientia huiusmodi morossus debitor etiam si non vocetur in iuditium, illam persoluere.*

Probatur. Iure naturali & diuino seruãda sunt pacta, & conuentiones licitę, & honestæ, pactum de huiusmodi poena impositũ, nõ in fraudẽ vsurarum, vt supponimus, sed in punitionẽ tantũ moræ, ne debitor negligenter se gerat in restituendo mutuo, vel debito, est honestũ, & licitũ, ergo creditore exigente vt seruetur sibi pactũ illud, & promissio, est in cõsciẽtia omni iureobseruãda.

Secun-

Secũdo obligatio consurgens ex cõtractu aliquo vel pacto non requirit, vt ad impleatur iudicis sententiã, sed vi illius contractus vel pacti adimplenda est, hoc enim habet pactum & contractus omnis libere, ac sine vlla fraude celebratus, vt inducat huiusmodi obligationem absolute & simpliciter obseruandam, ac sine interuentu iudicis: Sed ex pacto & cõuentione illa, tamquam vero & firmo contractu consurgit obligatio ad sortem restituendam in termino, & ad pœnam si fuerit in mora, ergo sicut ad soluendam sortem tenetur absolute sine authoritate iudicis, ita & ad pœnam. Quamuis cum hoc discrimine, quod ad sortem tenetur etiam si non exigatur à creditore, cũ primum aduenit tempus praefixum solutioni: quia illa est absolute creditoris, ad pœnam vero non tenebitur nisi exigatur ab illo, propter argumenta facta in precedenti conclus.

Tertio, quando creditor non exigit pœnam, ideo debitor non tenetur illam vltro offerre, ac soluere, quia creditor nõ exigẽs, implicitè & interpretatiuè censetur illam remittere: ergo quando illam exigit, cum aperte non remittat, persoluenda est. Et conf. Quando à principio contractus illa imponitur, aut verè ad illam se debitor obligauit si fuerit in mora, aut nullam sibi imposuit obligationem; si nullam, fuit ergo res ridicula, & figmentum, quod non est dicendum de contrahentibus prudentibus & cordatis: quod si vere ad illam se obligauit, iustè á creditore exigitur, ipsoq; illam exigẽte, tenebitur debitor illam persoluere.

Quarto. Debitor qui est in mora culpabili (nam de huiusmodi agimus) detinet alienũ inuito domino, quod est quoddã genus furti & iniquitatis, iustè igitur potuit imponi illa pœna in huius iniquitatis punitionem. Nunc sic, pœna iuste imposita si exigatur ab eo á quo exigi potest, debetur illi in foro animæ, hæc poena conuentionalis est iuste imposita in punitionem moræ culpabilis, & cum sit libere promissa creditori á debitore, vi istius promissionis & pacti potest ab eo iure exigi, ergo debetur illi absolute, & simpliciter in foro animæ, etiam si non vocetur in iuditium.

Nec obstat commune DD. dictum neminem teneri ad luendam poenam, nisi adueniente iudicis condemnatione, quia regula hæc non est intelligenda de poena conuẽtionali, sed de illa legali, vt in secunda obseruatione admonuimus. Et preter rationes ibi positas est optima ea quam asignat Palatius loco citato: Quia poena legalis cum feratur in vniuersum, & in communi, eget consideratione particularium circunstantiarum, vt executioni mandetur pro qualitate delicti, cum idem delictum iuxta varias illius circunstantias, aliter in vno puniendũ sit, quam in alio: At in contractibus, is qui propter moram poenam aliquam debet, ipsemet in particulari illam sibi imposuit, neq; maiori discutione vel examine opus est, quam euidentia illius moræ, & tarditatis in soluendo culpa sua. Habẽt hanc cõclusionem communiter Theologi. Et ex Iuristis. Felin. cap. 5. De constit. num. 43. & ibidem Decius, & Glosa in cano. Quæcũque. 25. q. 2. Que ita distinguit poenam, vt quædam sit in contumatiam, per quam non intelligit inobedientiam alicuius iudicis, sicut solet hæc vox in communi sermone sumi, sed moram debitoris: nam & contumax dicitur non soluens sortem suo tempore, aliam loco interesse in fraudem vsurarum. Subiungitq; de prima. *Si reus noluerit soluere debitum, cum possit, potest eum iudex compellere vt rem, & pœnã præstet iuxta L. 2. §. Si cum duobus. ff. De col.* Vbi aperte Glosa hæc insinuat poenam conuentionalem esse debitam ex iustitia, si á creditore exigatur, cum iudex possit compellere debitorẽ contumacem, id est non soluentem in termino prefixo, ad reddendã sortem, & præterea poenã illam cui se ex pacto obligauit.

Dixi in hac quarta conclusione, teneri ad poenam cõuentionalem debitorem qui est in notabili mora, nam si statim, atq; ille tardat á solutione per aliquot tãtum dies, sine vllo incommodo creditoris, creditor poenam illam cito exigeret, certe inique ageret. Tum quia vbi nullum creditor patitur interesse, differre per aliquot tãtum dies solutionem, apud prudentes & timoratos nõ censetur mora, quæ poena illa conuentionali punienda sit. Tum quia sic illam exigens, maximam offerret occasionem suspicandi, apposuisse illam poenam alteri in fraudem vsurarum. Et in hoc sensu crederem locutos esse Scotum & DD. alios primæ opinionis, cum dicunt non esse exigendã poenam conuentionalem, vbi nihil est quod creditori intersit.

Dixi etiã in probationibus huius quartę cõclusionis deberi huiusmodi pœnã ex mora culpabili. Nam vbi debitor sine vlla culpa sua fuerit in mora, non tenetur ad huius mod poenam, neq; in foro animæ, quod ex

cōsciētia ipsius pēdet, neq; in foro exterio ri perspecta iudici vera & inculpabili ipsius impotentia. Ratio est aperta, quia huiusmo di pœna, etsi imponatur ex pacto & conue tione, propter quod habet vim pacti neque expectat iudicis sententiam, imponitur tamen in punitionem moræ vt in veram pœnam illius, vnde debet talis mora necessario esse culpabilis. Quia hæc vt supra vidimus q. 77. art. 1. Contro. 7. & 8. sunt omnino relata culpa & pœna: Vbi ergo sine vlla culpa sua debitor fuerit in mora, non tenebitur ad talem pœnam, neq; iuste poterit cre ditor illam exigere, Et confir. ex L. Sancimus. Cod. De pœnis, ex qua colligitur vt vbi non est culpa ibi nec sit pœna. Ita docent Glosa. in cap. Mora. De Reg. iuris. D. Anton. 1. p. tit. 2. cap. 1. §. Mora. Sylu. in verb. Mora. q. 1. asserentes oportere vt ali quis dicatur esse in mora, ne illi defuerit soluendi facultas, & q. 4. addit Sylu. in his moram & culpam ęquiualere, quod accepit ex Angelo verbo Mora. num. 2. dicente Moram & culpam ęquiparari, nisi in eo quod mora sit purgabilis L. Si seruum §. Sequatur. ff. De verb. oblig. quod non cōuenit culpæ. Vnde licet nulla sit culpa quæ possit purgari á macula culpæ, aliqua tamē est mora quæ potest purgari á culpa, veluti ea de qua modo agimus, quando debitor ex inculpabili impotentia est in mora soluendi.

Censenda vero est mora inculpabilis quando debitor casu aliquo, vel infortunio, aut ex infirmitate, aut aliqua alia via quæ non sit vitio & culpę ipsius tribuenda suis facultatibus expoliatus est, & effectus impotens ad soluendum. Nam si ex ludo, vel luxu, aut imprudentia, vel negligentia ipsius redditus sit impotens, sicut talis impo tentia non est censenda inculpabilis ita nec mora illa consequens.

Quinta conc. *Pœna legalis debetur adueniente iudicis condemnatione, ante sententiam vero iudicis nullus tenetur ad illam persoluendam.*

Hanc docuimus 1. to. q. 62. contro. 1.

Sexta conclus. *Pœna iudicialis nempe imposita a iudice debetur etiam in foro animæ, quando iudex iuste ac iuridice ad illam exequēdam debitorem morossum & contumacem condemnat.*

Hęc quoque perspicua est, cum iudici iuste iudicanti obediendum sit in foro animæ, teneanturque ad illud subditi iuxta ea quæ iam docuimus. Dixi in hac conclus. quando iudex ad eam exequendam morosum ac contumacem debitorem condemnat: quia iudices prius præcipiunt debitoribus, vt intra certum terminum soluant sub hac uel illa pœna: deinde nisi illud præstiterint, declarant illum in pœnam illam vt contumacem incidisse, & ad eā luendam condemnant. Prius illud comminatio tantum est: posterius vero sententia, & condemnatio iudicis, qua adueniente & non antea tenetur reus pœnam illam persoluere.

Reliquum est vt argumenta illa primæ opinionis, quibus videbatur ostendi pœnā conuentionalem non posse iust imponi, nisi vbi creditor patitur aliquod interesse, diluamus.

Ad primum respondeo, non repugnare ęquitati, imo esse illi maxime cōsonum, vt pacta & conuentiones obseruentur, potissime inter mercatores, apud quos nisi summa in ipsorum factis, & contractibus obseruetur fides, oportebit omnia comercia cū maximo Reip. damno perire funditus.

Ad secundum, seu cōfirmationem illam dico. In pœnis legalibus, quæ exigerētur á creditore nullū interesse patiente doli mali exceptionē recte dari, & admitti, sic enim intelligenda est Glosa illa, quia in illis, vt recte obseruat Benuenut. loc. cit. ęquum est iuris rigorē à Prætore temperari, & se in illis intromittere, at in stipulationibus quę simpliciter conuentionales sunt, nō exigitur prętoris, vel iudicis authoritas, neque vt imponi possint, neq; vt impositæ, & exactæ á creditore, sint in foro animæ á debitore soluendæ, vt ex dictis constat.

In sensu dicto accipiēdę sūt leges illę quę deinde afferuntur, ex quibus colligitur illud proloquium Iuristarum. In stipulatione prętoria nō exigitur pœna, si non interest, intelligendæ enim sunt de pœna legali vel iuditiali, minime vero de conuentionali iuxta conclusiones hic positas, cum pœnę, & stipulationes huiusmodi à mera & libera contrahentium voluntate proficiscantur, conueniatq; maxime æquitati ac fidei humanæ initam conuentionem obseruari.

Ex his soluitur optime dubium illud: Liceat ne mutuanti retinere pignus, quod sibi datum est sub ea conditione, vt si mutuatarius fuerit in mora, retineat illud mutuās vt suū: Quia si pignus illud accepit sub ea conditione in fraudem vsurarum iuxta mo do dicta, conditio fuit iniqua, nec potest illud retinere: si vero loco alicuius interesse, opor

ſe, oportebit expendere, an valor pignoris excedat & ſortem, & intereſſe illud, debebitq; exceſſū debitori reſtituere, Si vero in ſolam pœnam & punitionem moræ poterit illud retinere ea lege, vt valor pignoris parum excedat ſortem debitam, quia pœnę huiſmodi debent eſſe maxime moderatæ, vt docet Sylu. Vſura. 1. §. 1. Obſeruandū etiam in his pœnis eſt, vt ſi debitor nō fuerit in mora totius debiti, ita vt partem quidem illius perſoluat, partem vero differat, qui pœnam ab illo poſtulauerit, non exigat integram, ſed pro ratione illius partis in qua ſoluenda moroſſus eſt, quia ſicut huiuſmodi debita diuiſibilia ſunt, ita & pœnæ quæ imponuntur, niſi in termino reddātur, diuiſibiles etiam ſunt, debentq; propterea huiuſmodi pœnæ debitis quibus coniunctæ ſunt commenſurari.

In ſolutione quinti argumenti docet D. Thom. qua ratione lucrum quod expectatur ex pecunia inter aliquos ſocios negotiationi expoſita, nō ſit vſura. De quo peculiariter infra agemus, quando poſt diſputationem de cambiis diſſeremus de contractu Societatis, Aſſecurationis & ſimilibus.

Controuerſia. XII.

SIT NE VSVRA ACCIPERE *fructus pignoris fructiferi, illis non computatis in ſortem.*

IN ſolutione ſexti habet D. Thom. hanc cōclſionē: Siquis accipiat in pignus pecuniæ ſibi debitæ rem aliquam vtilem & fructiferam, debet fructus illius computare in ſortem, ita vt quantum illi valuerint deducat à quantitate debiti, niſi forte res illa ea ſit cuius vſus gratis ſolet inter amicos concedi, vt liber.

De contractu impignorationis an iuſtus ſit, & quomodo, agemus inferius. Interim. Hæc doctrina D. Thom. habenda eſt vt vera & certa, habetur enim in vtroq; iure in canonico c. 1. & 2. & cap. Conquæſtus. De vſuris. & in cap. Cum contra G. & cap. Significante. De pignoribus. In Ciuili. L. 1. & 2. Cod. De pignoratitia actione. & L. ✱ De diſtrac. pignorū. Eſtq; cōmunis inter Sūmiſtas in verb. Pignus, maxime apud Syluestrum verb. vſura 3. Probaturq; apertiſsime. Primo, res fructifera debet domino ſuo fructificare, pignus illud non eſt eius cui datum eſt in pignus, ſed illius qui dedit donec ſoluat: debent ergo fructus illius pignoris illius eſſe qui dedit, & conſequenter cum accipiuntur à retinente pignus, perinde accipi debent, ac ſi debitor ipſe in numerato partē debiti illi reſtitueret.

2. Accipere aliquid prætio æſtimabile vltra ſortem eſt vſura, fructus iſtius pignoris ſunt pretio æſtimabiles, ergo non computare illos in ſortem, ſed accipere illos vltra ſortem eſt vſura.

3. pignus non datur in vtilitatē creditoris ſed ad ſecuritatem tantum debiti, ergo vtilitates & fructus illius non poterit creditor recipere, niſi computet illos in ſortem: Antecedens habetur. §. Furti: Inſtitut. De obliga. quæ ex delicto naſcun. Quia tutius eſt pignori incumbere, quam in perſonā agere Simile hēt Hoſtien. in ſum. titul. De pignoribus. Conueniunt in hac parte cum D. Thom. Grab. in 4. d. 15. q. 11. conclu. 4. Adrian. in ſuo 4. De reſtitu. cap. Sed dubiū videtur. Medina De rebus per vſuram acquiſitis. q. 2. Soto lib. 6. De iuſt. quæſtionæ 1. artic. 2. ad 2. Conrad. De contract. q. 32. conclu. 5. Syluest. verb. Pignus §. 7. & 11. Nauarr. in Manu. c. 17. nu. 217. & omnes fere Iuriſperiti in textibus allegatis.

Doctrina hæc intelligenda eſt de fructibus in quibus recipiendis nullis opus eſt laboribus vel expenſis, vt cum accipitur in pignus domus quæ ſine vllo labore & expenſis cōducitur, quod ſi ad fructus rei percipiendos laboribus & expenſis opus ſit, deducendæ ſunt illę á pretio fructuum, expenſæ quidem in integrum, labores vero ad arbitrium prudentis.

Ex hac doctrina & regula D. Tho. colligit hic Caiet. Reges & Magnates quibus ab aliis Principibus, & Magnatibus traditur in pignus alicuius pecunię illis debitæ Regnū aliquod, vel ciuitas, ſicut fertur Regem Caſtellæ tradidiſſe Regi Luſitaniæ in pignus cuiuſdam mutui Prouinciam dictā *El Algarbe*, debere computare in ſortem fructus, & redditus, quos percipiunt ex illo Regno vel ciuitate. Cæterum quamuis hoc corollarium Caiet. aperte & neceſſario inferatur ex iſta doctrina D. Thomę, & cōmuni, indiget tamē hac limitatione. Niſi is qui Regnum illud, vel ciuitatem recipit in pignus, maneat obligatus ad illam gubernādam, continendam in pace, & defendendā ab hoſtibus: quia ſi hæc oporteat illū præſtare, diſtinguendum eſt de fructibus illius Regni. Poſſunt enim eſſe duplices quidam, vt tributa, & ſeruita quæ ſubditi perſoluūt

suis Principibus in stipendia laborum quos patiuntur, & expēsarum quas faciunt, in illis gubernandis, & tuendis, alii vero sunt, velut bona patrimonialia ipsorum Pricipum, vt mineralia auri argenti, & aliorum metallorum quę tali loco nascuntur, piscationes magnæ vtilitatis quę in quibusdā litoribus illius Prouincię habentur: Fructus primi generis non tenentur computare in sortem, cum sint stipendia eorum quæ præstāt in gubernatione & deffensione illius loci. Nam tributa & alia seruitia quæ Rebus à Repub. conferuntur vt vidimus quęstio. proxime præced. ar. 2. agētes de vectigalibus non conferuntur illis gratis, sed in stipendium laborum quos patiuntur in ea tuenda & gubernanda. Quod si locus ille adeo tutus sit & munitus, vt facillimo negotio gubernetur, & conseruetur, minimoque labore, exiguisq; expensis opus sit, tūc enim non potest omnia tributa & seruitia accipere vt stipendia, sed aliquam solū eorum partem ad arbitrium prudentis, pro ratione laborum & expensarum, reliquum vero debebit computare in sortem: fructus vero secundi generis, cum non sint stipendia sed reuera bona Principis, cui mutuum dedit, & à quo accipit in pignus ciuitatem illam vel locum, debet computare in sortem.

Intelligenda vero hęc omnia sunt, Quādo huiusmodi bona vt Regnum, vel ciuitas accipiuntur in pignus veri mutui: potuit enim ita celebrari inter Principes istos vel Magnates contractus, qui non esset mutuum, sed vere & realiter emptionis, & venditionis cum pacto de retrouēdendo, id est sub ea conditione & pactō, vt liceat vendēti ciuitatem illam, oblata eadem pecunia, & pretio eandem rursum emere, teneaturq; qui illam emit priori venditori eadē rursum vendere, sicut accidit in censibus qui non sunt perpetui, sed venduntur cum isto pacto de retrouendendo, dicuntur Hispanè *con carta de gracia*, modo fiat emptio pretio iusto, attenta conditione illa retrouendendi, minuit enim hæc pretium iustū rei, quę alias absolute & sine illa venderetur. Quando igitur Regnum vel ciuitas vēditur cum isto pacto, qui illam accipit non recipit in pignus mutui, sed vt rem verè ā se emptam, & cuius verum acquisiuit dominium: quamuis restituto sibi eodem pretio, teneatur illam similiter restituere priori domino, propter pactum appositum in priori vēditione: Quo fit vt quandiu illam apud se habet, cum sit per illam veram emptionem verus illius dominus, vt fructus illius facit suos, nec teneatur computare illos in sortem.

Offert se tamen statim contra istā doctrinam D. Tho. Duplex dubitatio. Prior est.

Controuersia XIII.

AN RECIPIENS PIGNVS *fructiferum, & fæudale, debeat computare fructus illius in sortem.*

CAP. Conquæstus. De vsuris. Cū Abbas & fratres S. Laurentii haberent in pignus terram fructiferam cuiusdam Clerici per aliquot annos, Clericus conquæstus est apud Alexand. 3. Abbatem illum recepisse iam ex illa plures fructus, quam esset debitum, ratione cuius esset illa tradita illi Abbati in pignus: Præcipit verò Alexand. eo loco duo. Prius est, vt fructus illius terrę datæ in pignus computētur in sortem, ita vt si valor eorum æquetur debito, restituatur statim illa terra Clerico, tamquam vero domino nihil iam debenti, qua parte confirmat Alexand. doctrinam positam hic à D. Thom. Sed addit secundo, *Nisi terra ipsa de fæudo sit monasterii vestri*, insinuans aperte, quando pignus est fructiferum, & fæudale, fructus non esse computandos in sortem, Quę pars repugnat doctrinæ hic positæ, aut certe erit explicāda. Simile habetur cap. 1. De fæudis. vbi Innocen. 3. scribit Marien. Episcopo, vt fructus quosdam quos vocat *gageria*, quos acceperat ex hæreditate quadam, quæ erat de fæudo suę Ecclesiæ, non teneatur computare in sortem.

Hæc dubitatio varie dissoluitur à DD.

Glosa in istud cap. Conquæstus. quam nonnulli sequuntur, habet secularibus non licere accipere vltra sortem fructus pignoris, etiam feudalis, Monasteriis verò, & Ecclesiis illud concedi in huiusmodi textibus ab Alexand. & Innocen. in fauorem Ecclesiarum.

Reiicitur tamen expositio hæc ab omnibus DD. vt falsa, & merito, Primo, quia cum vsura sit intrinsice mala, & iure naturæ prohibita, Ecclesia non potest in ea dispensare, neq, in fauorem loci sacri, neq; facere de vsura non vsuram: sed accipere fructus pignoris non computando illos in sortem, non licet secularibus, quia est vsura, vt docent hic D. Tho. & cum ipso omnes DD.

ergo

ergo nec licet monasterio vel Ecclesię.

Secundo Ecclesiastici magis debent cauere ab vsuris, & ab omni specie vsurarũ quam ipsi seculares, vt habetur cap. Suam Extra. De pœnis. adeó, vt neq; vsuras illas materiales quas diximus esse licitas, & posse exigi, soleat Ecclesia exigere, sed remittere, vt habetur cano. Fraternitas 12.q.2. ergo cum secularibus non liceat accipere fructus pignoris non computando eos in sortem, multo minus licebit Ecclesiæ.

Deniq; Pontifex non potest tollere aut euertere ius naturæ neq; in fauorem Ecclesiæ, sed iure naturæ res fructifera vbicunq; fuerit, debet fructificare domino suo, ergo non potest Pontifex neq; in fauorem Ecclesiæ concedere, vt fructus pignoris non sint domini sui, & computentur in sortem. Vnde reiecta hac Glosa DD. aliter respondent.

Sed obseruandum prius est, ad intelligentiam eorum quæ ab ipsis proponuntur, inter alios contractus inueniri quendam specialem, qui dicitur contractus fœudalis, simplici nomine fæudum, de quo habetur peculiaris titulus in decretalibus de Feudis. Et quamuis hæc disputatio sit propria Iuristarum, oportet nihilominus Theologum ad explicandam iustitiam huius contractus in foro animæ, illius quoq; naturam & qualitatem intelligere, Est ergo Feudum contractus, quo dominus rei alicuius immobilis, & fructiferę suo beneplacito illam alicui tradit, ita vt illius rei proprietas, siue dominium quod vocant directum maneat apud ipsum qui dedit, vsusfructus vero seu dominium vtile apud recipientem illã. Dominus rei, qui illam dedit, vocatur dominus directus: qui vero illam recipit vocatur dominus vtilis, seu feudatarius, manetq; obligatus ad reddendum illi domino directo aliquod seruitium & obsequium.

Hic contractus videtur maxime similis primo aspectu cum emphiteusi, de qua egimus initio huius Secundi Tomi, agentes de contractibus, Cum in emphiteusi dominiũ directum rei immobilis maneat apud dominum qui illam alteri contulit, dominiũ vero vtile apud recipientem, qui dicitur emphiteuta. Differunt tamen plurimũ hi duo contractus: Primo, quia in contractu emphiteusis potest emphiteuta sine consensu domini tradere in pignus vel donare, aut mandare in testamento alteri rem acceptam per emphiteusim, feudatarius vero nullomodo potest sine consensu domini tradere in pignus, vel donare alicui rem feudalem. Secundo, quia emphiteuta tenetur reddere aliquam certam pensionem illi domino, feudatarius vero, vt feudatarius non tenetur reddere aliquam certam pensionem illi domino. Poterit quidẽ teneri per accidẽs, si contingat eundem qui est dominus feudi, esse etiam dominum emphiteusis respectu eiusdem rei, at simpliciter & formaliter loquendo, feudatarius qua talis non tenetur reddere domino feudi pensionem aliquam, sed aliquod tantum seruitium & obsequium, *vegallinas*, vel similia, quæ solent apud nos nouiter conuersi quos vocamus *Moriscos*, suis dominis reddere. Tertio, in emphiteusi tradit dominus rem immobilẽ alteri accepto aliquo pretio tempore contractus, in contractu autem feudali traditur res nullo accepto pretio, sed solum cum obligatione alicuius seruitii: quomodo pleriq; istorum nouiter cõuersorum sunt feudatarii, fundorum, & hereditatem quas habent, dominis suis: receperut enim illas sine pretio, sed cum obligatione alicuius seruitii. Vnde Feudum est proprie, dominium directum quod habent communiter domini locorum nouiter conuersorum in terras illorm: Emphiteusis vero est, quod nostri Iuristæ & publici scribæ barbaris vocibus dicunt. *Census, fatica, & laudimium.* Vltimo differunt hi duo contractus, quia res tradita per emphiteusim licet nõ possit vendi sine facultate domini directi, venditur tamen ab emphiteuta libere cui voluerit, & derelicta ab ipso non reuertitur ad priorem dominũ, sed transit ad cognatos emphiteutæ, quantumuis remotos, ab intestato, eodem omnino modo quo transiret si res illa non esset subiecta emphiteusi. At res feudalis non potest libere vendi à feudatario, nec donari cui voluerit, ac si ab ipso deseratur non transit ad cognatos remotos, sed reddit ad dominium prioris domini feudalis: ad filios quidem vel nepotes transit, quia ita dominus illam ab initio tradidit, ad alios vero non transit. Qui plura discrimina desiderat, videat Syluestrum verb. Feudum q.1. nostro instituto hæc sufficiant.

His ergo positis duobus modis explicãt DD. cap. istud Conquæstus.

Innoc quartus. in cap. 1. De fæudis. Grabriel. in 4. d. 15. q. 11. conclus. 4. casu. 2. Nauarr. in Manua. c. 17. nu. 217. & 218. Medina. Cod. De rebus per vsuram acquisitis q. 2. in respon. ad cap. Conqustus. Conrrad. De contract, q. 33. conclus. 3. Adrian. in 4. tractatu

tractatu de vsuris. §. occurrit. fol. 55. col. 4. Carol. Molin. in consuetud. Parisien. titul. 1. §. 1. Glos. 9. nu. 11. quos refert & sequitur. Couarr. lib. 3. varia resolu. cap. 1. num. 4. volunt, cum dominium directum rei feudalis maneat apud dominum qui dedit, dominium vero vtile apud feudatarium, cum obligatione alicuius seruitii pro re accepta, & vtilitate quam ex illa percipit, quando feudatarius rẽ illam feudalem tradit domino à quo illam acceperat, in pignus alicuius debiti, vel pecuniæ mutuatæ, posse dominum istum accipere fructus pignoris illius feudalis, non computando illos in sortem seruata duplici conditione. Prior est, vt feudatarius, toto tempore quo res illa manet apud dominum in pignus, cesset à solutione illius seruitii, quod exhibere solebat ratione illius rei feudalis, altera vero, vt dominus qui rem illam apud se habet, accipiat fructus non computando illos in sortem, si equentur in valore seruito à quo pro illo tempore cessat feudatarius, quod si excedãt excessum illum computet in sortem. Ita colligunt dominum directum rei feudalis, quando talis res sibi traditur in pignus, posse tuta conscientia recipere fructus illius pignoris, in ea quantitate que equetur valori seruitii ad quod feudatarius tenebatur, & à quo tunc cessat, non computando illos in sortem, quia suscipit illos non vt fructus, sed velut in compensam illius seruitii, ad quod feudatarius ille tenebatur, & á quo toto illo tempore cessat.

Hæc expositio quamuis accedat ad verum sensum, ea parte qua dicit accipere dominum directum illos fructus, ratione seruitii à quo feudarius cessat, quando rẽ feudalem tradit in pignus. Qua vero parte ait accipere illos loco seruitii, ita vt si excedãt valorem seruitii illius, ad quod feudatarius tenebatur, debeat dominus directus excessum illum restituere, vel computare in sortem, reiicitur ab aliis grauissimis DD. tamquam minus consona menti Pontif. Primo, quia tam Innoc. quam Alexand. locis citatis in vniuersum, & sine vllo discrimine definiunt dominium directum posse ex pignore feudali accipere fructus illius, & facere suos, non computando illos in sortẽ, nec distingunt Pontif. inter fructus æquiualentes, vel non æquiualentes seruitio, sed de omnibus absolute loquuntur: Vbi, autem ex eodem Innoc. & Reg. Iur, *Lex non distinguit, neq; nos distinguere debemus.*

Secundo, si fructus illos perciperet loco seruitii, quando non essent æquales in valore, seruitio ad quod tenebatur ille feudatarius, teneretur ipse persoluere deffectũ illorum, & augeretur debitum illius miseri feudatarii, quod aliquando intentarunt aliqui ex his dominis feudorum: hoc autem est iniquum, & damnatũ ab omnibus DD, asserentibus omnibus ad nullum aliud seruitium neq; in toto, neq; in parte teneri feudatarium, quandiu res feudalis manet apud dominum directum, cui est restituta, siue absolute, siue in pignus: Estq; difinitũ ab eodem Innoc. in illo cap. 1. De feudis. Consequentia vero patet, quia cum in omni contractu debeat esse æqua, & par ratio cõtrahentium, si dominus directus acciperet fructus loco seruitii, ita vt teneretur restituere excessum, aut computare illum in sortẽ, quia alias haberet plus quam debet habere, similiter vbi fructus non æquarent illi seruitio teneretur feudatarius persoluere illum deffectũ, quia alias haberet dominus ille minus quam deberet habere.

Tertio, feudatarius non habet ius in fructus rei feudalis, nisi quia impendit hoc seruitium, & custodit, ac colit rem illam feudalem, sed quando tradit illam in pignus nihil horum omnino prestat, quia neq; persoluit seruitium, neq; colit, aut custodit rẽ illam, nullus ergo manet ei titulus aut ius ad illos fructus, neq; in toto, neq; in parte, neq; ad precipuam partem, neq; ad excessum.

Propterea Conrrad. q. 32. De contract. conclus. 3. Medina. q. 2. De vsuris. in respon. ad cap. Conquæstus. Syluester verb. Feudum. §. 29. & 30. Soto lib. 6. De Iust. q. 1. ar. 2. ad 2. Et pleriq; Canonistæ, vt Hostien. Ioann. Andre. Cardinal. Abbas, & alii multi in istud cap. Conquæstus. quos refert Syluester loco citato, volunt dominum directum rei feudalis, omnes in vniuersum fructus rei illius sibi traditæ in pignus, posse percipere, non ratione mutui, quod esset vsura, nec ratione seruitii á quo feudatarius tunc cessat, sed ex natura contractus feudalis.

Quia contractus iste á principio instituitur sub hac conditione, trado tibi hanc terram, vel fundum, vt illum colas, & fructus eius recipias, illosq; tibi concedo hac conditione & lege, vt singulis anis hoc vel illud seruitium mihi impendas, ita vt quotiescũque illud non impenderis, vel terra hæc mihi in pignus contigerit, tam terra hæc quã fructus eius mei sint, & non tui. Quomodo cele-

celebrari hunc contractum experientia cõstat, ita fit, vt cum sub hac conditione tradatur res illa feudatario, desinat verò feudatarius seruare illam, cum primum tradit rem fructiferam in pignus domino directo, quia toto illo tempore non persoluit seruitium in quo conuenerãt, propterea iuste recipiat dominus ille fructus illius pignoris feudalis, vt suos, nec teneatur computare illos in sortem: consolidatur enim tunc, vt Canonistæ loquuntur, dominium vtile cum dominio directo, & vsusfructus iungitur simul cum proprietate, apud priorem & legitimũ dominum illius rei feudalis, percipitq; tunc consequenter fructus illos, non tamquam alicuius alieni fundi, sed tamquam vere sui & proprii. Quamuis teneatur dominus iste, rem illam feudalem, quã accipit in pignus, soluto sibi debito & sorte restituere feudatario: quia per pignus non amisit ille dominium vtile absolute, sed eo tantum tempore quo non soluit debitum, & res illa fructifera est penes dominum directum. Et in hoc sensu intelligendi sunt textus isti adducti, qua ratione nõ repugnat doctrinæ D. Tho. cũ ipse loquatur de pignore quod omnino & absolute est mutuatarii, Alexan. vero, & Innoc. loquãtur De pignore feudali, quod vbi datur in pignus domino directo, est toto illo tẽpore res illius, vt ex dictis constat.

Ex his sequitur primo, preter discrimina adducta inter emphiteusim, & feudũ differre etiã hac ratione, vt fructus rei feudalis oblatæ domino directo in pignus sint proprii ipsius, sicut rei suæ, vt constat, in emphiteusi vero, etiam si ratione mutui, vel alicuius debiti detur res illa emphiteutica in pignus domino directo, tenetur dominus iste, fructus illius deductis expensis computare in sortem, quia res illa quo ad dominium vtila perpetuo est ipsius emphiteutæ, ita vt nũquam redeat ad dominum directum, nisi in pœnam tantum commissi, quod est per accidens & alterius considerationis.

Sequitur secundo, non solum Ecclesiam, vel monasteriũ posse percipere fructus pignoris feudalis, vt suos, non computando illos in sortem, verumetiam quemcunq; aliũ dominum secularem, qui tradiderit alicui rem aliquam in feudum: Quia Ecclesia vt constat nõ potest fructus istos pignoris feudalis accipere ex priuilegio, vel fauore aliquo sibi concesso, sed ex natura feudi, quæ eadem est in omnibus contractibus feudalibus, á quocunq; celebrentur, siue ab Ecclesia, siue á persona seculari.

Sequitur tertio, quod recte colligit Conrad. De contract. q. citata 33. Vt siquis possessionem meam, quam iniuste & inique occupabat, mihi oblata occasione tradiderit in pignus, non debeam fructus illius computare in sortem, sed vere illos faciam meos, quia cum sim verus illius dominus, debet illa mihi fructificare: adeo, vt alter qui inique illam occupabat, teneatur potius fructus quos ex illa percepit deductis laboribus & expensis mihi restituere, cum recceperit alienum me inuito, quam ego qui sum illorum verus dominus. Hac ratione cap. I. De vsuris habetur. Vt si laycus qui iniuste detinet possessionem, vel hæreditatem alicuius Ecclesiæ, tradat illam in pignus Rectori eiusdem Ecclesiæ, licite & absq; vllo vitio vsuræ possit Rector ille fructus illius hæreditatis recipere, non computando illos in sortem. Et quod ibi dicitur de Rectore Ecclesiæ, cuius possessionem laycus iniuste detinebat, idem omnino dicendum est de layco, cuius possessionem alter laycus inique detineret, posse illius fructus recipere non deducendo illos in sortem, vbi possessio illa ipsi traderetur in pignus. Similiter in cap. Fina. De decimis. habetur: vt si miles decimam alicuius Ecclesiæ quam inique detinet, tradat in pignus Rectori eiusdem Ecclesiæ, percipiat fructus illos decimales vt suos Rector ille, nõ computando eos in sortem: Quia in his omnibus casibus percipiẽtes fructus huiusmodi pignorum, non recipiunt alienum, sed rem vere suam, ac sibi propriam.

Deniq; habet contractus hic plurimum æquitatis, vt cum habeas fructus rei meæ, quandiu impendis mihi seruitium illud de quo initio contractus cõuenimus inter nos, careas illis, cum primum illud non impendis, Tum etiam, cum fructus isti, pignoris feudalis sint aliquando maioris valoris, quã seruitium quod oportebat feudatarium impendere, aliquando verò minoris, æquissimum est, vt sicut quando fructus pignoris sunt minoris valoris quam seruitiũ, debeat dominus illis esse contentus, nec possit aliquid amplius exigere, ita quando sunt maioris, possit illos integros recipere, nec teneatur excessum illum reddere feudatario.

Alia dubitatio est.

Controuersia XIIII.

POSSIT NE GENER FRUCtus *pignoris dotalis, & fructiferi facere suos absq; vsura.*

CVM

CVM eadem doctrina D. Tho. videntur etiam pugnare, quæ habẽtur In cap. Salubriter. De vsuris. ibi namq; idem Innoc. 3. statuit generum recipientem à socero pignus aliquod fructiferum, vt vineam, hęreditatem, vel quid simile loco dotis sibi promissę nõ esse compellendum ad computandos fructus illius pignoris in sortem dotis, sed tuta conscientia facere illos suos, donec promissa illi dos actu persoluatur. Vnde licebit iam fructus pignoris aliquando à creditore rescipi absque vsura, illis non computatis in sortem.

Sed imprimis illud hoc loco certum esse debet: Socero volente soluere dotem, generum, qui illam recipere noluerit, postulãs dari sibi pignus aliquod fructiferum, cuius fructus singulis annis percipiat, non computãdo illos in sortem, esse aperte vsurarium: quia nolle recipere dotem, sed manere illam apud socerum, perinde est ac si illam socero traderet in mutuum, & ratione illius mutui perciperet fructus illos vltra sortem, quod est aperta vsura. Vnde & apertior multo erit, si acceptam iam actu dotem socero sub eodem pacto mutuet, vt quandiu illa apud socerum manet, habeat ipse pignus fructiferum, cuius fructus ita faciat suos, vt non detrahantur à sorte illa mutuata.

Dubitatio vero est: Quando socer non confert genero dotem filiæ constitutam, quam certe gener vellet recipere, sed loco dotis tradit illi in pignus rem aliquam ferentem fructus.

In explicando hoc cap. Salubriter. & diluenda proposita dubitatione, DD. adeo varii sunt, vt quot capita tot sententię.

Glosa in istud cap, cui etiam videtur Fauere Bald. in Rubrica. Cod. de vsuris. habet cõcedi illud genero in fauorẽ matrimonii. Sed refellitur explicatio hęc quemadmodum & illa alia eiusdem Glosæ in cap. Conquæstus, primo, quia si accipere fructus vltra sortem est vsura, cum vsura sit adeo intrinsece mala, sicut non potest concedi in fauorem Ecclesiæ, ita neq; in fauorem matrimonii honestari. Nec potest in ea vlla cadere dispensatio. Secundo. Quia Summ. Pontif. in ipso contextu asignat causam propter quam ex natura rei illud liceat marito, & non ex priuilegio.

Vnde est secunda expositio, & satis communis. Conrradi De contract. quæst. 35. conclu. 7. Maior. in 4. d. 15. q. 31. Richard. ead. dist. q. 5. art. 5. §. Tertio modo. Nicolai de Orbellis. ead. dist. q. 3. §. 4. Almain. ead. dist. q. 2. Adria. in suo 4. fol. 56. col. 1. Syluest. verb. vsura. tertio. q. 2. vbi affert in eã dem sententiam Abbatem, Ioan. Andreã. Anto. de Brutio, & alios in istud cap. Salubriter. Ananię in eod. cap. nu. 8. Hostien. in idem cap. & aliorum quos refert Caballin. num. 495. Pauli de Castro immolę & Alexand. in L. Insulam. §. Vsuras. ff. Soluto matrimonio. & eiusdem Alexan. in Concil. 119. nu. 4. & omnium fere iurisperitorum quos sequitur, & refert Dida. Couar. lib. 3. Varia resolut. c. 1. nu. 3. vbi adducit quoq; in eandem sententiam Ioan. Medinam, sed Medina reuera attente lectus aliã sequitur. Volunt ergo hi posse generum facere suos fructus illius pignoris dotalis, nec teneri ad computandos illos in sortem: ratione damni emergentis & lucri cessantis. Dãni emergentis inquit Couarru. vt si gener ad sustentãda onera matrimonii teneatur, ex suis propriis facultatibus, expendendo illas in his quę ex dote erat comparanda, vel quærere pecunias, propter quas debeat soluere vsuras sibi licitas, vel annuos census. Ratione lucri cessantis, vt si gener sit negotiator, & cum instituerer ex pecunia illa dotis, si quidem eam recepisset, exposita negotiationi sua diligentia, & industria acquirere lucra, amittit illa propter non solutam sibi dotem. Quamuis potissime huius capitis causam asignent damnum illud quod patitur maritus, cum non soluta dote compellatur ex propriis onera, & expensas matrimonii sustinere.

Sed hæc expositio reiicitur etiam á rectioribus: Primo, Quia vt recte argumentãtur. Nauar. in cap. 1. 14. q. 3. nu. 64. & Soto loco citato ad 2. titulus lucri cessantis & dãni emergentis est cõmunis in omni contractu, & in quocunq; euentu vt vidimus, at in isto cap. Salubriter cui consonat L. Pater. ff. De doli & metus exceptione, aliquid peculiare conceditur genero, quod non est aliis commune.

Secundo, Iuxta hanc sententiam, si nullum genero accideret damnum aut cessaret lucrum, non posset ille fructus pignoris dotalis facere suos, at Papa simpliciter & absolute concedit genero istos fructus, quidquid sit de damno vel lucro.

Tertio, sequeretur, vt si fructus istius pignoris essent adeo pingues, vt excederent dãnum emergens vel lucrum cessans genero, teneretur gener excessum istorum fructuũ vel restituere socero, vel computare in sortem

tem

tem dotis, quod Syluest. Conrrad, & nonnulli eorũ fatentur. At Papa absolute illos concedit genero ad sustentanda onera matrimonii, siue tenues sint, siue pingues, neq; obligat illum ad restitutionem alicuius excessus.

Deniq; lucrum cessans ille tantum potest exigere qui exercet negotia, vnde si gener non esset vir negotiator, nõ posset isto titulo recipere fructus pignoris dotalis. Põtifex vero illos absolute concedit cuicunq; genero, siue incumbat negotiis, siue nihil magis sit ipsi alienum: & ita habet consuetudo, quæ est optima legum interpres.

Tertia expositio est quam habent, idem Adria. loco citato. Medina q. 2. De vsuris in responsione ad cap. Salubriter. Nauar. in Manuali cap. 17. num. 213. generum posse accipere fructus istos vt suos, titulo donationis. Quia socer quando tradit rem aliquã fructiferam in pignus loco dotis, tradit illã toto illo tempore impignorationis vice dotis, vnde sicut tradens dotẽ confert & fructus qui ex dote percipi possunt, ita quoque tradens in pignus vice dotis rem fructiferam, implicite censendus est donare fructus illius, donec soluat dotem.

Sed reiicitur quoque expositio hæc á recentioribus. Primo, tamquam repugnãs textui, Pontifex enim nõ fuit interrogatus de gratuita donatione, sed de iure absolutè & simpliciter, & in hoc sensu respondet fructus esse generis iure ipso, quidquid sit de voluntate soceri. Imo si practice rem consideremus, constituentes dotem alicui fœminæ, quamuis sit filia, non solent facere aliquas donationes præter dotem, imo nituntur de capitali dotis subtrahere quantũ possunt. Secundo, quia ipsemet Pontifex non asignat in causam donationem aliquam soceri, neq; implicitam neq; explicitam, sed ad leuanda onera matrimonii: qua causa existente etiam si socer exprimeret aperte, se dare quidem rem fructiferam in pignus, non tamen fructus illius, sed eos sibi retinere, aut esse computandos in sortem, iuxta verba tamen & statutum istud Innoc. potest gener & renuẽte socero, licite recipere fructus pignoris dotalis, & eos facere suos, nec vllomodo computare in sortem, donec ei actu dos promissa soluatur.

Quarta expositio est & magis recepta inter DD. Generum posse accipere fructus pignoris dotalis vt suos ad sustentanda onera Matrimonii. Ita Grabriel. in 4. dist. 15. quæst. 11. post quartam conclusionem Caiet. hic, Soto lib. 6. De iustitia. q. 1. ar. 2. ad 2. Mercatus De contractibus lib. 5. cap. 8. hanc enim sequitur non illam quam illi falso imponit Frater Petrus Aragonius. Ex Iuristis. Panormit. in cap. isto Salubriter. Nauarr. in 1. cap. 14. q. 3. num. 65. Fortunius tract. De vltimo fine iuris illatione 6. & omnes recentiores interpretes D. Tho. Probaturq; aperte hæc expositio ex ipsomet textu: Postquã enim Innoc. definiuit generum posse accipere fructus, subiungit hanc causam, *Cum dotis fructus frequenter non sufficiant ad onera matrimonij subportanda.*

Sed contra hanc expositionem est argumentum, quo adductus Adrianus, sequutus opinionem illam quam diximus, hanc communem licet á se intellectam reiecit. In multis aliis contractibus accipitur pignus pro debito, teneturq; accipiens illud ad aliqua onera, nec propterea potest pignus illud accipiens fructus illius facere suos, ergo neq; genero licebit fructus pignoris dotalis isto nomine suos facere. Consequentia perspicua est ex paritate rationis: Antecedens ostendo, quia miles cui Rex debet stipendium, iudex similiter, vel minister Regis cui etiam debetur stipendium, tenentur sustentare familiam, & aliqua onera, & expensas in suo munere, at si Rex conferat eis in pignus debiti aliquam rem fructiferam, non possunt fructus illius facere suos, sed tenentur illos computare in sortem.

Propter hoc argumentum, authores qui sequuntur hanc vltimã expositionem sumptam ex eodem textu, in varias quoq; diuiduntur sententias.

Fortunius loco citato, quem fatetur Nauar. se fuisse aliquando in hac parte sequutum, per onera matrimonii intelligit, alimẽta vxoris, quo posito ait, cum teneatur pater iure naturæ prębere alimẽta filiæ, quod non præstat quandiu non confert illi dotẽ, potest gener accipere fructus pignoris sibi traditi loco alimentorum vxoris, ad quę tenebatur pater. Vnde colligit, posse virum accipere fructus pignoris dotalis, quando pater filiæ constituit dotem, non autẽ quando frater, vel extraneus, quia solus pater est qui tenetur filie alimenta prębere, alii vero nequaquam, vt habetur L. Vlti. Cod. De dotis promissione. Probatur vero hæc expositio, quia in isto cap. Salubriter. non conceduntur fructus pignoris dotalis cuicunq; ducenti vxorem, sed genero respectu soceri, socer autem non dicitur nisi pater

vxoris,

vxoris, nec gener, nisi ducens filiam, vnde solum est sermo de recipiente pignus ab eo qui est pater, & tenebatur alere filiam.

Sed hæc explicatio communiter non recipitur, & merito: Quia communi vsu & consuetudine omnium nationum, vir accipiens in pignus dotis rem fructiferam facit suos fructus illius, quandiu ei non persoluitur dos, á quocunq; illud accipiat, siue à patre, siue a quocunq; alio, & ita iudicatur in omnibus tribunalibus, quæ consuetudo adeò obseruata est optima legum interpres: cap. Dilectus. De consuetudine. Secundo, quicunq; dotat aliquam fæminam, assumit sibi munus paternum iure omnium gentium, & consequenter tenetur illam alere, & dare illi ad onera matrimonii, quandiu actu non exibet illi dotem, quam constituit.

Soto loco cit. quem multi ex recentioribus sequuntur, habet sustentare onera matrimonii non esse alere vxorem, filios, & familiam quacunq; ratione, sed præstare ista salua dote, cū gener quando deinde occurrit repetitio dotis, compellatur omnino ad restituendam illam integram, & in nullo diminutam, quæcunq; onera sustinuerit, propter hanc igitut causam, nempe quia tenetur sustentare onera matrimonii, & custodire simul ac cōseruare dotē integrā, merito inquit & iure conceduntur ipsi fructus pignoris, quandiu non recipit dotem: Presumitur enim generum, siquidem fuisset illi statim dos exhibita, non relicturum illā ociossam, sed empturum ex ea rem sibi fructiferam, vel expositurum negotiis, vnde salua dote onera sui matrimonii leuaret. Ex qua sententia colligunt hi, vbi fructus pignoris dotalis excedent onera matrimonii notabiliter, teneri generum ad restituendum illum excessum, vel computādum in sortē, quod si exiguus fuerit, non teneri, quia exigua non considerantur in negotiis, & contractibus. Et ita diluit argumentum Adriani: Militem non teneri ad sustentanda onera militiæ, nec iudicem ad onera sui muneris saluo stipendio, cum possint illud omnino consumere, nec ab aliquo sit ab ipsis repetendum: virū vero teneri ad ferenda onera matrimonii salua dote, & propterea iustè ipsi concedi fructus.

Sed contra hanc expositionem obiicit D. Nauarr. loco cita. num. 65. Hæc ratio Magistri Soto nititur huic fundamēto, virum teneri ad onera matrimonii salua ac custodita dote, hoc tamen fundamentum non est vniuersale in omnibus prouintiis: habet quidem verum in Hispania, at in Lusitania fallit, vbi sicut habēt leges illius Regni lib. 4. tit. 14. §. E pacto. bona viri & vxoris ita sunt communia, vt ex vtrisq; fiant expensæ quas domus & familia exigunt, recipitq; in fine matrimonii vnusquisque coniugum eā partem bonorum, quam inuenit, nec tenetur vir dotem seruare integrā vxori, at lex Innocentii, generum fructus pignoris dotalis facere suos, est vniuersalis, quæ non modo in Hispania verumetiam Lusitania, & vbiq; terrarum seruatur. Secundo. Nititur hæc ratio Soti huic præsumptioni, Generū ex dote aliquid fructiferum empturum, vel negotiaturum, vnde si nihil tale acturus reuera esset, non posset percipere fructus pignoris dotalis, at iuxta verba Innocentii simpliciter & absolute potest, siue illud facturus esset siue non, nihil enim tale insinuat Pontif. neq; distinguit. Tertio concedit ibi Soto, (quod statim videbimus) viduam defuncto viro posse percipere fructus pignoris dotalis, quando neq; viro suo, neq; ipsi fuit vnquam reddita dos, sed permansit semper pignus illud apud parēts, at vidua non tenetur alere familiam suam, & ferre onera matrimonii quę vir suus sustinebat salua dote, cū possit ipsa illam consumere, & pro libito distrahere vt rem suam, non igitur est accomodata ratio hęc & titulus quem asignat Soto.

Caiet. hic paucis, & D. Nauarr. copiosius loco cita. num. 65. & sequen. volunt naturā contractus dotalis esse hanc, vt eo ipso quo accipit maritus pignus aliquod loco dotis, possit recipere vt suos omnes fructus illius: quia contractus dotalis inter accipiētem vxorem, & patrem, vel fratrem, aut quemcūq; alium constituentem illi dotem, perinde celebratur, ac si maritus diceret, (quamuis illud non exprimat ore) cum accipiam hanc in vxorem cum debito sustentandi onera matrimonii, da mihi vnde hęc onera leuem, alter vero respondeat constituo tibi in dotē 100. vel 200. vnde ista onera feras, vnde dos non est pecunia simpliciter sed pecunia ad leuanda onera matrimonii, quidquid sit de integritate dotis, siue salua permaneat siue pereat. Ex hac ergo inquiunt DD. hi propria ratione & natura huius contractus efficitur necessario, vt si datur statim dos, illa sit ad leuanda onera matrimonii, vbi vero non datur statim, sed pignus aliquod fructiferum illud similiter sit in eūdem finem, cum toto tempore quo non

non datur dos sed pignus, substituatur illud loco dotis, habeatq; vices illius. Hac ergo ratione, sicut vir ex natura contractus dotalis recipiens dotẽ fructus illius facit suos, aliter enim inutilis esset dos ad onera matrimonii, & frustra daretur, ita quoque ex natura contractus dotalis, quando non datur statim illi dos, sed pignus aliquod fructiferum, debet fructus illius facere suos: quia aliter neq; pignus illud supleret vicem dotis, neq; esset vtile ad onera matrimonii, sed frustra quoque illi daretur.

Hanc esse veram & legitimam rationem & causam, propter quam maritus accipiens in pignus dotis vxori suæ constitutæ, & sibi promissæ rem aliquam fructiferam, fuctus illius sine vsura faciat suos, probat optime Nauarr. loco cita. num. 66. Primo Ex natura contractus dotalis modo explicata: Dos traditur in vxoris patrimoniũ, & ad sustentationem onerũ matrimonii. L. Põponius. ff. Famil. & circũstan. L. Pro honeribus. Cod. De iure dotiũ. & cap. Per vestas. de donat. inter virũ & vxorem, & cum ea intentione & lege vt illa seruetur, & custodiatur, nec consumatur L. vbi ad huc. eodẽ Cod. De iure dotium. Vbi vero non datur dos sed pignus aliquod fructiferum, datur illud loco & vice dotis, & quasi illius substitutum, ita vt quamuis illud non exprimatur, sit nihilominus ex propria ratione & natura istius contractus intelligendũ. Id autem quod substituitur & subrogatur loco alterius, debet subire naturam & cõditionem eius, cui subrogatur: L. Eum qui. §. Qui iniuriam. ff. Si quis cautio. & cap. Ecclesia. vt lite pendente nihil in noue, Ergo quemadmodũ exhibetur dos ad leuãda onera matrimonii ita & pignus fructiferũ, quando illa non statim soluitur, exhibetur similiter ad leuãda onera & sumptus matrimonii: huic autem fini non deseruiret pignus huiusmodi, nisi maritus recipiens illud, faceret suos fructus illius, ex natura igitur & propria ratione cõtractus dotalis facit illos omnino suos, propter onera matrimonii quæ sustinere tenetur, salua semper & custodita ipsa dote, non enim negamus hãc etiam causam concurrere, nõ tamen vt præcipuam, & præcissam, sicut volebat Soto.

Secũdo à simili. Qui promittit Ecclesiæ alicui 100. aureos, cũ onere celebrandi vnã missam singula quaque hebdomada, ita vt capitale illud nõ consummatur, sed maneat semper saluũ & illęsum, vulq; simul vt ab ipso tẽpore promissionis missa illa qualibet hebdomada celebretur, nisi reddat statim illos 100. aureos, tenetur iustam illorum pensionẽ & fructum Ecclesię illi exhibere, atq; ad id se obligauit contractu illo, etiam si illud non expresserit, cum vellit statim à principio contractus missam illam celebrari, iuxta regulam illam DD. *Qui promitit aliquid, simul consendus est promittere, id sine quo promissum consistere non potest.* argumẽto à L. 2. ff. De iure omni. & in cap. Præterea. De offic. Delegati. Sed qui promittit dotem, promittit bona vnde sustineantur onera matrimonii, ergo eo ipso quo illam promisit, tenetur tradere viro, vnde illa sustentet, tradit autẽ loco dotis pignus fructiferum, tradit ergo illud ad sustinẽda onera matrimonii ex fructibus eius, sicut tradens dotem tradit similiter fructus dotis.

Tertio contextus ipse illius cap. Salubriter illud aperte docet. cuius verba sunt: *Cũ frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii sustinenda*: Vbi aperte Innocentius se ipsum explicat, & decreti sui hãc reddit tamquam veram genuinamq; rationem: Quia cum teneatur maritus accepta vxore, & in propriam domum ducta grauia onera matrimonii sustinere, ad quę sustinenda fuit promissa illa dos, accipiens pignus fructiferum loco illius, debet ad eadẽ onera sustinenda fructus illius pignoris suos facere, sicut fecisset suos fructus dotis.

Præter has expositiones, quæ in scholis pręcipue versantur. Quidam recentiores illis reiectis, maxime ea quam propossuimus ex Nauarro in commẽto illius Cano. Si fœneraueris, hanc aliam excogitarunt. Vt faciat vir, pignoris sibi loco dotis traditi fructus suos, ratione moræ in qua est socer non soluens dotem, vel qui vxori suæ illam constituit, & promisit. Quia si dos fuisset statim illi soluta, ex fructibus dotis sustineret onera matrimonii, illa vero non soluta cogitur ex propriis bonis illa sustinere. Quia igitur propter illam moram non solutæ dotis, patitur vir damnum in propriis bonis, quod non est ęquũ neque rationi consonum, conceditur ei cui pignus fructiferum loco dotis exhibitur, vt tuta conscientia fructus illius faciat suos. Sed quiita docent incidunt profecto, vel in sententiam communem Iurisperitorum, generum facere suos fructus pignoris dotalis ratione damni emergentis, vel in eam quam docet Nauarr. facere illos suos tamquam necessarios ad onera matrimonii, ne ex propriis

bonis compellatur illa sustinere. Vnde nihil nouum afferunt, imo dum ab aliorũ sententiis se recedere putant; in illas incidũt. Propterea non est quod recenseamus quæ ad diluenda argumenta Nauarri proponunt, cum innutilia sint, & quę parũ aut nihil ad veram intelligentiam illius capitis faciunt.

Aliis visum est, constituentẽ & promittentem dotem mulieri, nisi illam statim cõferat, ex natura contractus dotalis debere interim viro aliquam annuam pensionem: Quod vel ex eo constat, quia non modo in iudicio obligatur constituens dotem mulieri, ad illam pensionem reddẽdã quãdiu non soluit dotem, verumetiam & extra iuditium; quicunq; dotem constituit, sentit (ex communi omniũ fere nationum vsu) se pensionem illam debere. Quia ergo promitens dotem, ex natura huiusmodi contractus debet pensionem illius, quandiu non persoluit dotem, & experientia teste vbi traditur pignus fructiferum non exhibetur illa annua pensio, asserendum esse recipientem pignus fructiferum loco dotis hoc nomine facere suos fructus illius pignoris, quia recipit illos loco illius annuæ pensionis, quæ illi exhibenda erat, quandiu non persoluebatur ipsi actu dos.

Sed hæc ratio duplici nomine reiicienda est. Primo, quia si solum reciperentur loco illius annuę pensionis, teneretur vir quando fructus pignoris sibi traditi pensionem illam excederent, vel restituere alteri excessum, vel computare illum in capitale dotis: at vt supra diximus, recipit illos integros, & sine debito restituendi aliquem excessum, vt habet communis vsus omnium nationum in hac parte, nec Papa in illa decretali distinguit, excedãt ne vel secus. Secundo, quia si facit illos suos loco pensionis annuæ illi debitæ, quandiu non recipit actu dotem, cum huiusmodi pensionem non recipiat ratione dilatæ solutionis, nec ex vi mutui, quod esset vsura, sed ad leuãda onera matrimonii, quæ leuasset ex fructibus dotis, similiter & fructus pignoris non facit suos, nisi tamquam illi debitos loco fructuũ dotis, ad ferenda onera matrimonii: quod est incidere aperte in expositionem & rationẽ quam reddunt Caietan. & Nauarr.

Carol. Molin. in tractatu de vsuris & cõmerciis nu. 495. eandem quoque reddit causam istius Decretalis, miscet tamen ibi (vt solet) errorem suũ de recipiendis vsuris legalibus. Habet enim duobus modis posse generum recipere fructus dotis ad leuanda onera matrimonii, vel in pecuniis, tamquam in annua pensione dotis, & interesse illius, aut in fructibus accepto pignore aliquo fructifero: Si quidem hoc secundo modo, vt pote in pignore fructifero, posse recipere omnes fructus illius pignoris, quicunq; illi sint, quia non recipit illos vt vsuras dotis, sed vt fructus pignoris, qui possunt quandoq; vberes esse, quandoq; tenues, vt decretalis illa habet: Si vero priori modo in pecuniis tamquam interesse & annuam pensionem, cum pensio & interesse non possit recipi nisi tamquam vsura in iure concessa, (nullo enim alio titulo vult Molineus ex pecuniis posse recipi lucrum aliquod, vel interesse, quam sola concessione Iuris concedentis vsuras, eo modo quo superius proposuimus,) consequenter nõ poterit vir recipere aliud interesse propter dotem sibi non solutam, quam vsuras illas Besses, id est 8. pro 100. cũ hę solæ cõcedatur in iure in huiusmodi contractibus.

Sed distinctio hæc Molinei falsa est, & hæretica: hæretica quidem, cum concedat genero vsuras ex dote non soluta propter concessionem legis, qua ratione concedere alicui vsuras (vt supra vidimus) hæresis est manifesta. Secundo, quia si non soluta dote potest vir fructus pignoris suos facere ad leuanda onera matrimonii, vt habet decretalis illa, & ipse concedit, cur non licebit similiter recipere etiam in pecuniis, quandiu dos soluta non fuerit, verum interesse illius, iuxta patriæ & loci leges, & consuetudinem in eundem finem, ad leuãda scilicet eadem onera? Nisi dicat aliud esse fructus dotis redditos in pecunia, aliud vero redditos in fructibus pignoris, quod esset ridiculum: tum quia fructus pignoris cum pretio æstimabiles sint, pro pecunia cẽsendi sunt, iuxta illud vulgare omniũ Philosophorũ, omniumq; nationum, *Pecunia est quidquid pecunia æstimari potest*: tum etiã, quia si ex eodem Molineo idem est recipere interesse mutui in oleo, vino, tritico, vel aliis rebus, quod recipere illud in pecuniis; idem pariter debet esse recipere fructus dotis & interesse necessarium ad onera matrimonii in pecuniis, quod recipere illud in fructibus.

His ergo dimissis, ex illis tribus explicationibus prius propositis illa tertia seu vltima Doctoris Nauarr. probabilior multo est peritorũ iuditio, & tenẽda. Ad cuius

Ad cuius maiorem explicationem obseruemus. Contractum dotalem, in quo datur pignus pro dote, tribus modis posse celebrari. Primo, vt sit emptio & venditio, cũ pacto de retrouendendo, & in hoc casu à quocũq; cõstituatur dos vxori, & cõferatur pignus, potest vir recipere fructus illius, quia recipit illos vt fructus rei verè suæ, & in quã habet verũ dominiũ per illã emptionem: pactum enim illud retrouendendi nõ tollit quin illa fuerit vera venditio, & per ipsam fuerit dominium vere translatum in alium. Secundo modo potest celebrari apposita ista cõditione explicata, vt percipiat gener fructus pignoris quandiu ipsi nõ persoluitur dos, in quo etiam casu certum est a quocunq; constituatur illi dos, vel conferatur illud pignus, posse fructus illius vt suos percipere, vi illius pacti & concessionis. Tertio, modo potest celebrari contractus iste absolute, & simpliciter, nulla apposita conditione, vt percipiat vel non percipiat fructus. Et de huiusmodi contractu est presens disputatio.

Hoc posito sit concl. *Gener, & quicunq; maritus cui datur pignus fructiferum, donec tradatur ei dos, siue sit constituta illi dos, a socebo, siue a cognato, siue ab extraneo, siue accidat damnum emergens vel lucrum cessans, siue non, siue dos illa integra seruanda sit, siue non, ex natura contractus dotalis potest fructus illius pignoris facere suos. Siue excedant onera matrimonij, siue non.*

Quemadmodum ergo diximus de domino directo recipiente pignus feudale, facere suos omnes fructus illius pignoris ex natura contractus feudalis, siue excedant seruitium ad quod feudatarius tenebatur, siue non; Quia non percipit illos nec ratione mutui, nec ratione seruitii à quo feudatarius tunc cessat, sed propterea quod ea est natura contractus feudalis: Ita in presenti quæstione, dicimus virum non recipientem vna cum vxore dotem illi constitutam, sed pignus aliquod loco dotis, ex natura contractus dotalis fructus illius facere suos, non ratione alicuius mutui, vel lucri cessantis, aut damni emergentis, vel donationis alicuius, sed ex natura contractus, nec alio nomine. Et hæc est legitima interpretatio istius capitis Salubriter.

Probatur conclus. ex dictis: Qui promittit dotem, ex natura contractus promittit simul implicite saltim fructus dotis, & lucra quæ vel mediocri diligentia adhibita cum pecunia illius dotis possent acquiri ad leuanda onera matrimonii, sed quando datur pignus dotale, datur illud loco & vice illius pecuniæ dotalis, ex cuius vtilitate & lucris erant leuanda onera matrimonii, ergo ex natura contractus dans pignus dotale implicite dat fructus illius pignoris ad leuanda onera matrimonii, quæ ex dote erant leuanda, nec possunt ex ea leuari donec persoluatur. Et confirmatur. Natura dotis est, vt sit velut patrimonium fœminæ, vnde ipsa & familia eius alatur, valeatq; proles educari & duci ad statum perfectum, sed quando datur pignus dotale datur loco & vice dotis, ergo ex natura huius contractus debet pignus istud, quandiu non exhibetur dos, esse velut patrimonium fœminę, ad ipsam & familiam alendam: hoc autem esse non potest, nisi vir accipiens pignus illud faciat suos fructus illius, ergo debet facere illos suos.

Secundo pignus huiusmodi quandiu non datur dos est tamquam dos, & ad eundem finem, ergo quemadmodum dans dotem simul dat fructus eius, siue excedant, siue non, ita & dans pignus simul dat fructus eius, siue illi excedant onera matrimonii, siue non. Neq; enim datur in cõtractu matrimoniali pignus illud, vt pignus tantum, id est in securitatẽ dotis vt in aliis impignorationibus, sed tamquam ipsa dos.

Tertio lex humana potest apponere cõditiones cõtractibus humanis, maxime eas quas propria ratio & natura illorum videbitur exigere, sicut quando ius naturæ indeterminatum est, pertinet ad ius humanũ illud determinare: hoc prẽstãt Papa in illo cap. Salubriter. & Iurisconsultus in illa L. Pater. apponunt enim hanc conditionem contractui dotali, vt si vir non acceperit actu dotem sed aliquod pignus fructiferũ loco illius, faciat suos fructus illius ad leuãda onera matrimonii, quandiu non persoluitur ipsi dos, vt aperte patet ex ipso textu in cap. Salubriter. Quæ conditio iustissime fuit apposita, propria natura ipsius cõtractus ita exigente, cũ in eo cõcurrant, (vt ex dictis cõstat) hęc omnia: Primo, vt maneat vir obligatus ad onera matrimonii. Secũdo, ad seruandã saluã dotẽ. Tertio, vt cõstituens dotem conferat illam vt patrimonium fœminę, ea lege vt non expendatur capitale, sed maneat semper integrum, & illæ sum: Quarto, vt ex fructibus eius alãtur vxor, & familia, cum ergo celebretur hic contractus & conuentio quamuis implicite & interpretatiue inter conferentem do-

tem & recipientem illam, exigit natura sua, vt quando non datur dos sed pignus aliquod loco eius, vir qui vxorem illam duxit, alat eam & familiam ex fructibus istius pignoris, sicut aleret ex fructibus dotis, & faciat suos fructus istius pignoris, sicut faceret suos fructus dotis, vt optime D. Nauarr. loco citat.

Quarto, si tempore matrimonii conueniret vir accipiẽs pignus loco dotis cum socero suo, vel constituente dotem suæ vxori, vt quandiu non daretur illi dos, faceret omnes fructus illius pignoris suos ad ferenda onera matrimonii, & socer vel dans dotem annueret, & consentiret, omnium consensu iste contractus est licitus, & vir ille omnes fructus illius pignoris faceret suas propter onera matrimonii, nec teneretur computare illos in sortem, siue excederent onera ipsa, siue non: Sed natura contractus dotalis est hęc, vt licet non fiat tale pactum expresse & explicite, implicite tamen & tacite fiat, aut saltim debeat fieri & intelligi, nisi oppositum exprimatur, ergo ex natura contractus potest, & debet vir fructus pignoris dotalis facere suos: Maior certa est cum consequentia: Minor constat ex dictis: Quia sicut dos datur ad leuanda onera, & ob eundem finem vna cũ dote fructus & lucra quæ ex illa vel medio cri diligentia adhibeta haberi possunt, ita quando non confertur dos sed pignus, datur illud quasi substitutum & vicariũ eius, & in eundem finem, nempe ad onera matri monii, ergo conferens pignus illud, confert simul fructus illius. Dixi in ista minori nisi oppositum exprimatur, quia si conferens dotem & dans pignus loco dotis exprimat aperte, se conferre quidem pignus in securitatem solam dotis, non tamen fructus illius, nisi ita vt computẽtur in sortem, & maritus admitat istam conditionem, tũc nõ potest maritus illam admitens facere fructus suos, sed tenetur eos computare in dotem: sibiq; imputetur quod tale pactum admiserit, quia sicut potuit consentire in matrimonium nulla accepta dote, ita quoque & in acceptionem dotis hoc vel illo modo, aut dilata solutione, & sine vllo pignore, vel fideiusione, aut accepto pignore non tamen fructibus illius, nihil enim magis liberum hominibus, quam celebrare contractus appositis conditionibus pro suo libito, modo turpes non sint. Deniq; iura ciuilia quæ á D. Nauarro afferuntur, etsi non loquãtur expresse & in indiuiduo in casu nostræ Conclu. cum tamen loquantur in simili materia, illam aperte cõfirmãt. Nam in illa L. Pro oneribus. Cod. De iure dotium. Dicitur. *Pro oneribus matrimonij, mariti lucro fructus totius dotis esse, quos ipse capit.* In L. Dotis. ff. De iure dotium. habetur in princip. *Dotis fructum ad maritum pertinere debere, æquitas suggerit*: Cum enim ipse onera matrimonii subeat, æquum est, vt fructus, si qui constante matrimonio percepti sunt, vt dotis non sint. Et in illa L. Pater. Dicitur: Generis non esse petere fructus dotis sibi promissæ, si ipse non alat vxorem, & familiam, sed pater vxoris. Vnde à contrario sensu si ipse illam & familiam aluerit, & onera matrimonii sustinue rit, fructus dotis sibi promissæ iure petere poterit. Ita fit, vt tam fructus dotis, quam pignoris dotalis, (cum hæc duo in eundem finem tendant, & eandem in contractu do tali debeant habere rationem), propterea maritus suos faciat iuxta iura ciuilia, non computando illos in dotem, quia sustinet onera matrimonii. Et cum ius Pontificium sacriq; Canones iure Imperatorio fulciantur, maximeq; interse conueniant, eadem quoque sit propria & legitima ratio decisionis Pontificię in isto cap. Salubriter.

Habet verum Cõclu. & doctrina hic posita seruatis quibusdam cõditionibus, quarũ. Prima est, vt gener vel maritus vere sustentet onera matrimonii, nam si hoc titulo & causa potest fructus istos percipere, cessante causa debet cessare effectus. Quo fit vt si pater generum, & filiam domi suæ aut alibi alat, vel filiam & prolem ex illo matrimonio procreatã, non posit gener fructus pignoris, si quod illi traditũ est, facere suos, sicq; definitũ est in illa L. Insulam. §. Vsuras. ff. Soluto matrimonio. Et L. Cum post diuortiũ. §. In domũ. ff. De iure dotis. & in illa L. Pater. vbi dicitur: *Si pater alat filiam, nõ potest gener percipere fructus pignoris.* Similiter si vir expellat à domo suo vxorẽ & prolem, non potest eadem de causa illos percipere, quod si vxorem solam retenta prole, poterit aliquos ad arbitrium prudentis, vel iuxta sententiã iudicis, si res ducatur ad iuditium, non tamen omnes, cum cesset causa ex parte pręcipua, quę est vxor.

Pari etiam ratione maritus recipiens fructus pignoris pro dote nõ soluta, antequã in domũ suam vxorem duceret, & ei alimenta pręstaret, tenetur fructus omnes eo tempore receptos computare in sortem: Ita habetur L. Si ante nuptias. ff. Soluto matri-

matrimonii. Et L. Videamus. La. 2. §. Ante matrimonium. ff. De vsuris. vbi dicitur: Ante matrimonium quoque fructus percepti dotis fiunt, & cum ea restituuntur. Idem habent Glosæ, & Bartho. in dictis Iuribus.

Secunda conditio est, vt promissio dotis sit simpliciter & absolute facta, etenim si fiat sub ea conditione, vt non soluatur dos vsq; ad certum tempus, tunc distinguendum est, quia si conditio illa apponatur, genero quidem consentiente, sed accipiente simul in pignus rem fructiferam, nihil exprimendo de fructibus, tunc quamuis consentiat in dilationem dotis, non tamen in id quod est non recipere ipsum fructus pignoris: Quia cum accipiat pignus fructiferum, nec pactum sit inter eos ne accipiat fructus, non est censendus cedere iuri quod habet percipiendi illos. Ita Syluester verb. vsura. Tertio q. 2. vbi citat Panormitan. in dicto cap. Salubritet. reprehenditq; & merito Angelum docentem oppositum, iuxta illam regulam DD. nemo est censendus iuri suo cedere in damnum proprium, nisi illud aperte exprimat. Si vero exprimat pater se tradere pignus illud in securitatem tantum dotis, minime vero fructus, vel si tradatur illi in pignus res sterilis, & nullomodo fructifera ipso sciente & consentiente sine vlla vi aut dolo, tunc nihil potest vltra dotem accipere: Cum ipsemet libere consenserit in dilationem illam solutionis dotis, accepto tantum pignore sine vllis fructibus ad solam securitatem dotis sibi promissæ. Conueniuntq; in hac parte omnes fere DD. citati tam Theologi quam Iurisperiti.

Licet nonnulli sed paucissimi sensiant non obstante tali consensu & renuntiatione posse virum exigere fructus. Primo, quia vt habet (inquiunt) Glosa in cap. Super hoc. De renuntiatio. Non est verisimile renuntiare aliquem iuri suo cum damno proprio. Secundo, quia sicut consentiens simpliciter in dilationem dotis, non renuntiat fructibus dotis, ita consentiens simpliciter in dilationem eius accepto pignore in securitatem, non renuntiat perceptioni fructuum & prouentum illius pignoris. Sed huiusmodi rationes nullam habent vim, Glosa enim ista intelligenda est iuxta regulam modo positam, ita vt non sit verisimile renunciare aliquem iuri suo cum damno proprio, nisi illud aperte exprimat, in hoc autem casu de quo hic loquimur apertè, & expressè, liberè, ac spontaneè renuntiat (vt constituimus) maritus fructibus pignoris quod recipit loco dotis. Secundæ rationis aperta est falsitas, vel dissimilitudo potius. Nam esto non oporteat consentiens in dilationem solutionis dotis eo ipso renunciet fructibus illius, at in casu de quo hic loquimur maritus non solum consentit in dilationem dotis accepto pignore fructifero in solam securitatem, verumetiam renunciat expresse & libere (vt cõstituimus) perceptioni fructuum, & prouentuum illius pignoris, obligatque se ipsum tali renuntiatione ad onera matrimonii ex propriis sustinenda.

Tertia conditio est, quam iam initio huius Controu. atigimus: ne solutio dotis differatur culpa generis, quia si culpa illius differtur, non potest percipere fructus, cum eo ipso quo socer est paratus, culpa vero generis differatur solutio, socer perinde se habet, ac si actu solueret. Debet ergo semper differi solutio culpa soceri, vel eius qui dotem constituit & teneretur reddere.

Apponunt Syluest. Couarru. & Soto locis citatis quartam conditionem, ne fructus excedant onera matrimonii, ita vt si excedant teneatur gener restituere illum excessum, aut computare in partem dotis: Sed iuxta dicta, hæc conditio nec necessaria est, nec habet verum. Nam cum ex natura contractus dotalis illos recipiat, habeatq; pignus toto illo tempore vicem dotis, sicut ex natura contractus dotalis si actu reciperet dotem omnes fructus illius faceret suos, siue excederent onera matrimonii, siue non, ita ex natura eiusdem contractus dotalis quando traditur viro pignus loco dotis, facit omnes fructus illius suos, siue excedant, siue non: sicut diximus de domino directo rei feudalis. Quod aperte insinuat Innocent. in illis verbis: *Cum frequenter fructus dotis non sufficiant ad onera matrimonij*, quasi dicat, cum fructus isti aliquando non sufficiant, aliquando vero vberiores sint, percipiat illos sicut perciperet fructus dotis, siue non sufficerent, siue excederent: Et ita habet vsus omnium tribunalium, & iudicum. Crediderim tamen hoc esse intelligendum, quando fructus pignoris non adeo excederent onus matrimonii, vt

nii, vt prudens quiuis iudicaret, tales & tātos fructus non esse promissos: Quia si adeo notabiliter excedant, vt non posset venire in mentem prudentis illos esse promissos, tūc crederem teneri ad excessum adeo notabilem restituendum. Tum quia decreta lis ista aperte de fructibus moderatis loquitur, cum dicat illos frequenter non sufficere: Tum quia si ita notabiliter excederent, esset grauis deceptio & euidens ex parte soceri, tales autem deceptiones neq; in iuditio forensi admituntur, quanto magis in foro animę.

Ex doctrina hic posita colligunt DD. nonnulla consectaria scitu dignissima.

Primo, contra Fortunium, non solum generum, verumetiam quemcunq; maritum cui loco dotis pignus aliquod fructiferum conceditur, donec dos vxori cōstituta actu persoluatur, facere suos fructus illius pignoris, nec debere illos computare in sortē dotis, Quia siue sit pater qui vxori dotem constituit, siue frater, siue cognatus, siue quicunq; alius, quandiu dos promissa illi mulieri non exhibetur marito, sicut nō debet maritus ex propriis onera matrimonii sustinere, & tanto grauamine inique affici, ita quoque tenetur quicunq; vxori illius dotem constituit, reddere illi vel fructus, vel pensionē vnde onera illa sustineat: quæ est ratio huius decretalis: habetq; illud omnium vsus & consuetudo, vt à quocunque recipiat maritus pignus aliquod fructiferū loco dotis, faciat suos fructus illius, donec dos illi persoluatur. *In dubio autem quælibet dispositio intelligitur facta secūdum ius & consuetudinem.* Cap. Cum dilectus. De consuetud. Cap. Causam quę. De rescrip. Cap. Cum M. De constitut. Et L. fina. Cod. De fideiussor. vbi multa ad hoc institutum Fœlinus, & alii DD. Nec ratio illa Fortunii alicuius est momenti, in decretali ista solum meminisse Pontificem soceri & generis, minime vero aliorum: nō enim propterea his vocibus vsus est Pontifex, quia solus gener cui socer dotem promisit, posit fructus pignoris facere suos, sed quia parentes sunt qui communiter ac frequentius dotem mulieribus constituunt, leges autem sicut feruntur iuxta ea quæ frequentius accidūt, ita quoque vtuntur vocibus significantibus ea quæ communiter & frequentius accidunt.

Sequitur secundo, Maritum, etiam si diues sit, habeatq; aliunde vnde viuat, & valeat leuare onera matrimonii, posse nihilominus recipere tamquam suos fructus pignoris dotalis. Ita Caiet. hic, Soto, & Nauarr. locis citat. Quia cum ex natura contractus dotalis ftuctus illi, ipsius sint: sicut essent fructus dotis, si illam actu recepisset: sicut fructus dotis faceret suos, quamuis esset diues, & haberet aliunde, ita & fructus pignoris illius. Tum etiam, quia illum esse diuitem est per accidens, leges autem non respiciunt ea quæ per accidens sunt.

Sequitur tertio, si promitens dotem non conferat statim illam, posse maritum paciscici cum illo de aliqua pecunia toto tempore quo non recipit dotem ad onera matrimonii. Quod patet eadem ratione. Ex natura contractus dotalis debet vir recipere vel dotem, vel aliquam rem vtilem loco dotis, ex cuius fructibus leuet onera matrimonii, ergo quando nec dos, nec pignus aliquod fructiferum ei datur ad illa sustinenda, iure potest exigere aliquam pecuniam, & annualem pensionem, loco fructuum quos ex dote vel pignore erat recepturus. Et confirmatur vsu omnium tribunalium & iudicū, qui obligant socerum iusta sententia, quandiu non persoluit dotem, vel tradit pignus fructiferum, reddere aliquam annualem pensionem pro ratione dotis. Deniq, fructus pignoris pretio ęstimabiles sunt, at si traderetur illi pignus fructiferum, poterat percipere fructus illius ad onera matrimonii, ergo quando nihil tale ipsi traditur poterit exigere aliquam pecuniam.

Oppositum docent D. Antoni. 2. p. tit. 1. §. 7. & 27. Ioan. Andre. Ioan. de Ligna. in dicto cap. Salubriter. Laurentius de Rodol. in suis contractibus. Alexander qui in hac parte sibi parum constat, in Conc. 27. quod incipit Viso tēmate. volu. 4. Baldus, qui similiter nec sibi in hac parte constat, in L. Rogasti. §. Si tibi. ff. Si certum petatur. Decius in Conciliis 116. & 119. & illa L. vnica Cod. De senten. quæ pro eo quod interest. in glosa vltima. nu. 34. Ioan Lupi. de Palat. Rubios in c. Per vestras. De donat. inter virum & vxorē. not. 6. & nonnulli alii hos sequuti his aducti rationibus.

Primo, quia in cap. Salubriter. solum habetur sermo de fructibus pignorum qui incerti sunt, quod significant illa verba textus, *Cum aliquando non sufficiant ad onera matrimonii sustinenda*: minime vero agitur ibi de quantitate aliqua in pecuniis persoluenda, quam oporteret esse certam.

Secundo

Secundo, quia recipere fructus ex pignore dotali nullã secum fert vsuræ suspitionem, accipere autem certam aliquam pecuniæ quantitatem ex dote non soluta, cum ibi nulla sit institutio census, quia nullam confert gener pecuniam socero qua censum emat, habet maximam suspitionem vsuræ.

Sed his non obstantibus consectarium istud à nobis constitutum verissimum est, habent illud Calderi. & Panorm. in cap. Salubriter. Idem Baldus In nouella de dote par. 7. prouileg. 3. Idem Alexand. in Cõc. 31. quod incipit. Viso themmate. col. 3. nu. 11. volum. 6. & aliis in locis, Idem Decius in cap. Cum venerabilis num. 14. propter quod dixi Doctores istos in hac parte minime sibi constare. Molineus De vsuris & comerciis q. 74. num. 523. Angelus vsura. primo q. 25. Couarru. loco supra citato: & ex Theologis Conrrad. De contract. q. 35. conclus. 2. Adrianus in 4. loco citato. Syluester Vsura. tertio q. 3. Gabri. & Maior in 4. locis supra citatis, Medina Cod. De restit. q. 38. fol. 139. Probantq; illud efficacissime argumenta adducta.

Quæ vero in oppositum ab aliis afferuntur maxime imbecillia sunt, Nam primum ducitur ab authoritate negatiue, quod argumenti genus nullam habere vim satis constat. Addo, cum Papa ibi affirmet id licere genero, nec loquatur absolute quasi illud possit gener ex concessione Papę (sicut aliqui vt statim dicemus falso voluerunt) sed reddat causam & rationem propter quam ex natura rei illud licet, nempe ad ferenda onera matrimonii, sequitur necessario, vbi nulli fructus traduntur genero in hunc finem, pecuniam vel quid simile ipsi pariter vtile, esse illi tribuendum. *Vbi enim eadem ratio existit, eadem quoque esse debet iuris dispositio.* Ad secundum dico, cum constet iusta causa, propter quam, gener, qui non recipit actu nec dotem, nec pignus fructiferum loco illius, exigat á socero quantitatem aliquam, nempe ad leuanda onera matrimonii, nullam inde sequi vsurę suspitionem, maxime cum iam illud habeat vsus omnium nationum, vt quandiu dos non exhibetur, reddatur ad onera matrimonii sustinenda vel pignus aliquod fructiferum, vel certa aliqua pecunia vnde illa sustineantur. Et quæ hic dicimus de socero, & quocunq; alio constituente dotem vxori, eadem intelligenda sunt de heredibus illorum, cum ad debita & obligationes maiorum teneantur quicunq; hereditaria successione illorum bona recipiunt.

Sequitur quarto falsum esse quod docent Panormit. Ioan. Andre. & Hostien. in dicto cap. Salubriter. asserentes absolute, hæredes viri non facere fructus pignoris dotalis traditi maiori suo, cui iure hereditario successerunt; Cum de his distinguendum necessario sit, sicut distinguit & recte Syluest. verbo vsura. 3. q. 6. Vt si relictam & familiã illius, cuius hæredes sunt, nec alere, nec aliqua ratione sustentare teneantur, verum sit quod docent Panom. & alii modo citati, si vero ad illam alendam & ferenda onera matrimonii præteriti teneãtur, faciant fructus pignoris illius suos, sicut & vir ille dum viueret faciebat suos. Ratio est apertissima, quia si trãsit ad eos ex hæreditaria successione eadem obligatio, & vinculum, quod erat in defuncto, nempe alendæ vxoris, & familiæ illius, ac sustinendi onera matrimonii precedentis, debet simul transire ad illos idem ius, quod habebat defunctus dum viuebat in dotem, & in pignus loco dotis illi traditum, & fructus illius. Nec valet ratio Panomit. tenentur hęredes ad restituendũ pignus illud & fructus eius, ergo non possunt illos percipere: Quia licet ad illud teneantur, minime vero quandiu incumbit illis onus alendæ viduæ, & familiæ defuncti, ac sustinendi onera matrimonii preteriti.

Sequitur quinto, vt si gener propter aliquod mutuum acceptum à socero, cõferat illi in pignus eandem possessionem, vel hereditatem, quæ sibi prius fuerat collata in pignus dotale, non posse socerum fructus illius facere suos, sed manere semper genero actionem, & eius ad illos recipiendos, quandiu non persoluitur illi dos. Conueniunt in hoc consectario omnes Doctores, quamuis non omnes reddant eandem causam, & rationem illius.

Nam Bald. in Rubri. Cod. De vsuris. sicut refert Syluest. verbo. vsura. primo. q. 26. cum sentiat generum facere suos fructus pignoris dotalis ex peculiari quodam priuilegio sibi concesso in dicto capite Salubriter, docet generum facere fructus pignoris dotalis suos ratione istius priuilegii, quod non amittit donec actu persoluatur illi dos, quod tamen priuilegium non conceditur socero, quamuis recipiat à genero illud idem pignus fructiferũ, quod ipse prius eidẽ genero cõtulerat. Hęc tamẽ ratio ab Angelo & aliis reiicitur, & merito.

Quia gener (vt vidimus) nō habet ius illud & dominium in fructus pignoris ex aliquo priuilegio, sed ex iustitia, quia sicut iure debentur illi fructus dotis ad leuanda onera matrimonii, ita & fructus pignoris quod illi loco dotis exhibetur in eūdem vsum, & finem. Tum secundo, quia si gener ex priuilegio fructus istos reciperet, duplex haberet priuilegium, alterum in huiusmodi fructus, & alterum in dotē, quod nullus hactenus Doctorum concesit.

Angelus cum existimet generum posse recipere fructus pignoris dotalis ratione lucri cessātis, cōsequēter sentit pignore huiusmodi tradito socero á genero suo propter mutuum aliquod, fructus manere nihilominus apud generum, nec posse recipi á socero, quia ex non soluta dote nullum cessat lucrum socero, quod tamen semper cessat genero, quandiu illi dos vxoris suæ non persoluitur. Eandem rationem reddunt cōmuniter Iurisperiti, cum ipsi (vt vidimus) ratione lucri cessantis, vel damni emergentis huiusmodi fructus tribuant genero. Cōstat autem ex contextu illius cap. Salubriter. & his quæ hactenus diximus, fructus pignoris dotalis non tribui marito ratione alicuius lucri cessantis, vel damni emergentis, sed quia ad leuanda onera matrimonij habet idem omnino ius in fructus pignoris, quod haberet in fructus dotis, si fuisset illi actu exhibita.

Vnde dicamus, casu quo gener conferret socero suo in pignus alicuius mutui vel debiti eādem possesionem, quam ipse prius accepit à socero in pignus dotis, fructus illius esse nihilominus percipiendos ab eodē genero, minime vero à socero, Quia ratio propter quam gener fructus illius pignoris facit suos, nempe ad leuanda onera matrimonii, semper existit & manet in genero habente apud se vxorem suam, & illam pro dignitate cum familia sustentante, quę tamen ratio non conuenit socero, cum ipse (vt constituimus) onera matrimonii filiæ non sustineat. Vnde est argumentum. Gener propterea facit suos fructus pignoris, quia illi non solum tribuitur in pignus & securitatem dotis, verumetiam ad onera matrimonii, & sicut dos, propter qnod sicut percepisset fructus dotis, percipit fructus pignoris illius, vbi vero illud socero confert, cōfert tantū in pignus & securitatem mutui, vel debiti, minime vero ad sustinenda aliqua onera, vel faciendos aliquos sumptus, ergo quemadmodum nō potest qui rem aliquam in pignus tantū & securitatem recipit, fructus illius recipere extra sortem mutui, vel debiti, quia alias esset vsura, ita nec socer potest pignoris fructiferi à genero accepti ad solam securitatem sui debiti, fructus percipere: quia perciperet illos vltra sortem sola ratione mutui, vel debiti, quod est aperta vsura. Maior vero difficultas est.

Controuersia. XV.

AN SOLVTO MATRIMOnio per mortem viri posit vidua percipere fructus pignoris dotalis, quo vsq; soluatur ipsi dos?

CAIET. hoc loco habet partem negantem adductus hac ratione. Fructus huiusmodi pignoris licet recipere ad onera matrimonii, sed vidua soluto matrimonio iam non habet onera matrimonii, ergo non potest illos percipere. Minor probatur: Eius quod non est, non possunt esse onera, matrimonium iam non est, ergo. Secundo, si vidua soluto matrimonio posset aduc percipere fructus pignoris dotalis: similiter vir defuncta vxore posset quoque illos percipere, consequens est falsum, nam experientia teste hæredes vxoris illa defuncta statim recuperant pignus & fructus eius: Antecedens vero patet, quia vir & vxor in hac parte debent esse pares.

Couarr. loco cit. lib. 3. varia resol. cap. 1. num. 3. refert Innocen. Panorm. Barto. Archidia. Alexand. & alios plures, quos ibi cōmemorat, adductis locis in quibus illud docent, in ea fuisse sententia, vt vidua non posit vti priuilegio istius decretalis: Salubriter. erga hæredes mariti, nec constitutionem istam accipiendam esse in fauorem vxoris soluto matrimonio, quamuis quid vere isti senserint inferius dicemus. Sententiam istorum DD. amplectuntur etiam Paul. de Castro Concil. 429. num. 4. lib. 2. Immola in L. Diuortio. num. 24. ff. Soluto matrimon. & alii quos idem Couarr. ibi recenset, in eo sensu, si habuerit illa alia bona vnde se suamq; familiam comode alat, nam si illis omnino careat, poterit fructus pignoris illius ad suam pauperiem & indigentiam leuandam recipere. Seque ipsum in hoc sensu satis explicat Alexan. in dicta L. Diuortio. num. 24. & in Concil. 63. col. 2. lib. 4. & Concil. 31. col. 2. lib. 6.

Ean-

Eādē habuit Angelus in verb. vsura. primo q.29. Neutrā tamen istarū opinionum probat eo loco Didac. Couarru. Nec censendum putat, propter inopiam & indigentiam alimentorum cōcedendos esse fructus pignoris, vel quantitatem aliquam viduæ, quę non computetur illi in sortem dotis: quia nisi alius titulus detur, qui huiusmodi fructus viduæ concedat, recipere aliquid vltra sortem suę dotis est inquit aperta vsura, quam nec Ecclesię, nec pauperibus permittunt iura. Esto Mathe. De afflic. decisione 284. referat opinionem istam comprobatā fuisse sententia quadam in Pretorio Neapolitano iuxta eam lata. Sed sicut neq; in fauorē matrimonii, vel dotis, concedendū est aliquod lucrum extra sortem, ita neq; in fauorem inopiæ vidualis.

His ergo reiectis sentit ibi Couarr. concedi viduæ huiusmodi fructus quandiu illi sua dos nō persoluitur, ratione lucri cessantis vel damni emergētis, sicut viro illius dū viuebat concedebantur. Similiter posse ipsam pacisci, vbi pignus fructiferum non habet loco dotis, dari sibi certam aliquam annuam quantitatem. Quam sententiam confirmat authoritate eiusdem Alexan. in Cōcil. 200. lib. 6. Decii in dicta L. Diuortio. col.3. Iasonis Concil. 92. lib. 1. Conrrad. De contract. q.35. conclu. 9. Mathei de Afflictis in dicta decisione. 284. & aliorū quos ibi refert. Additq; deinde) vbi alimēta iure debentur viduæ ab hæredibus mariti, posse quidem illa ad certam quantitatem deduci, veluti intra primum viduitatis annum, in quo non possunt hæredes compelli à Iudice ad solutionem dotis: At vbi iure non debentur viduę alimenta ab hæredibus mariti, nempe post illum annum viduitatis, nō posse illam percipere fructus, vel annuam quantitatem nisi ratione lucri cessantis pro ratione dotis, & iuxta illius proportionem: Quia in hæredes mariti non soluentes dotem post annum viduitatis, solum habet ipsa eam actionem, quam habet creditor in debitorem morossum, debitor vero ex mora ad nihil aliud tenetur, quam ad solum interesse lucri cessantis vel damni emergentis pro ratione debiti, nec vllus vnquam dixit deberi creditori alimenta à debitore propter moram.

Innoc. Ioan. Andre. Anto. de Brutio in illo cap. Salubriter Hostien. in summa tit. De vsuais. §. An aliquo casu col.5. Bartho. in L. Atqui natura. §. Non tantum. ff. De negotiis gestis. Syluest. verbo vsura. Tertio §. 6. sentiunt eo tempore quo Iudex non potest compellere hęredes mariti ad soluendam dotem viduæ, illam iuste facere suos fructus dotis, vel pignoris, cum primū vero potest illa dotem suam authoritate Iudicis recuperare, non posse illos facere suos, sed debere illos computare in dotem. Rationem reddunt dicentes: *Imputet sibi si dos non soluatur & pergat ad iudicem, & sic compellat hæredes*: Quam sententiam amplectitur etiam ibi idem Couarru.

Richardus in 4. dist 15. ar. 5. q. 5. concl. 9. Soto lib. 6. de Iust. quęst. 1. art. 2. Nauarro in illo comento num. 64. & omes fere recentiores sentiunt vtendum esse hac distinctione. Vt si viduæ soluto matrimonio nulla omnino maneant onera matrimonii, ita vt nec se ipsam, nec filios, nec vllam familiam alere teneatur, veluti quando reuertitur ad domum patris, vel eius qui dotē illi constituerat, & ab eo pro ratione sui status exhibentur quęcunq; ipsi suæq; familiæ censentur necessaria (quod raro accidit) tūc non possit percipere fructus pignoris dotalis: quia cessat tunc omnino causa, propter quam poterat illos percipere. Et hoc solum probat ratio Caiet. Si vero, quod communiter & regulariter accidit, maneant illi onera matrimonii, veluti se ipsam in decenti statu alere ac pro dignitate viri defuncti filios & familiam, posse tunc fructus pignoris percipere, donec soluatur ei dos, sicut poterat vir eius viuens durante matrimonio.

Probatur hęc pars. Si quæ ratio prohiberet, ne posset vidua soluto matrimonio percipere fructus pignoris, certe, quia eo soluto non manent illi onera matrimonii, quę est ratio & fundamentum Caietani, at eo soluto in hoc casu manent adhuc illi onera matrimonii ferenda, quia in hoc casu vxor succedit loco viri, debetq; se ipsam, filios, & familiam alere in statu decēti, sicut debebat vir, ergo qua ratione vir, esto alias esset diues, poterat percipere fructus pignoris, poterit & vidua. Patet consequentia, quia succedens alteri in officio aliquo & onere, succedere quoque illi debet in eodem iure, iuxta commune dictum: *Cum honoribus, & oneribus.*

Secundo, Si verè fuisset data dos, & non pignus, vidua haberet dotem illam & fructus eius penes se, sicut vir eius viuens habebat illam penes se, sed pignus dotale habet vicem dotis, traditumq; est ei tamquā dos quandiu illa non soluitur, ergo poterit vidua percipere fructus pignoris, sicut perci-

piebat illos suus vir.

Tertio, sicut dos datur fœminæ tanquã patrimonium eius, ad onera matrimonii, ita & pignus dotale quandiu non datur dos: sed fœmina habet ius in patrimonium suũ, & fructus eius ex natura contractus dotalis, ergo sicut si accepisset dotem, faceret suos fructus illius, etiam vidua, ita quoque quãdo traditũ est ei pignus loco dotis, debet facere suos fructus eius tamquam patrimonii sui, donec reddatur illi dos.

Quarto, qui promisit dotem, obligauit se ex natura contractus dotalis ad soluendos fructus illius, quo vsq; reddat dotem: quam obligationem fecit simpliciter & absolute, ergo quotiescunq; loco dotis confert pignus aliquod fructiferum, donec soluat dotem, siue viro, siue viduę relictę, fructus illius pignoris sunt viri, vel relictę viduæ. Et confirmatur, Si in contractu dotali se ipsum expresse obligasset pater puellæ, vel qui dotem illi constituit ad conferẽdos fructus pignoris, non solum viro viuẽti, verumetiam viduæ illo defuncto, posset extra omnem dubitationem vidua illos percipere: At qui promittit dotem, nec illam statim reddit, sed confert loco illius pignus aliquod fructiferum, implicite & virtute (vt ostendimus) obligauit se ad conferendos fructus illos, quandiu non persoluit dotem siue viro, siue vxori, ergo potest vidua illos percipere.

Hæc doctrina intelligenda est cum conditionibus supra positis. Primo, vt sustineat ipsa onera matrimonii, quia si fiat religiosa, vel alia via desinat illa sustinere, non potest tũc illos percipere: Quia cessante causa, &c. Secundo, ne ipsius culpa desinat dos soluta esse. Tertio, vt promissio dotis sit absolute & simpliciter facta, sicut in præcedẽt. Controu. expositum est de viro.

Ex doctrina posita sequuntur etiam nonnulla consectaria.

Primo, vt si fiat diuortium inter virum & vxorem, maritus vero quandiu non restituit illi dotem suam cõferat ei aliquod pignus fructiferum, posse ipsam toto illo tempore fructus illius pignoris facere suos. Probat optime Nauarr. loco citat. nu. 67. Quia sicut ille qui promisit dotẽ obligauit ad alimenta prestanda, quãdiu non confert actu dotem, ita & maritus recipiens dotem obligat se ad alendam vxorem, teneturq; actu illam alere quandiu non restituit illi dotem, ergo sicut maritus fructus pignoris accepti loco dotis, ab eo qui dotem promiserat, facit suos, ita & vxor debet facere suos fructus pignoris accepti á marito, à quo separata est, loco dotis. Consequentia patet, quia si intuitu mulieris reperitur hæc obligatio in promitente dotem, á fortiori debet reperiri in ipso marito. Secundo, si vir vxori separatę non tradat dotem, tenetur tradere aliquam certam & taxatam pecuniam ad alimenta, & ita iudicatur in omni tribunali, sed fructus illius pignoris habent vicem alimentorum, ergo.

Sed offert se hic dubitatio.

Si forte pecunia dotalis transeat ad hæredes mariti, possit ne vidua accipere fructus pignoris, vel pecuniam taxatam ad alimenta ab hæredibus mariti.

Hactenus enim disputatum est de constituente illi dotem, & hæredibus ipsius, qui loco illius succedunt, sed res videtur difficilior in hæredibus mariti: Quid vidua ab illis possit iuste recipere?

Couarr. loco citato, (vt ex dictis initio huius quæst. colligere licet), habet tria. Primo, posse viduam huiusmodi fructus recipere etiam ab hæredibus mariti ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. Secundo, posse viduam intra primum annum viduitatis recipere pecuniam aliquã pro alimentis, quia cum durante illo anno nõ possit compellere hęredes ad restitutionem dotis, vt constat ex iure & experientia, æquũ est accipiat interim ab illis aliquam pecuniam, vel rructus, vnde alatur. Tertio, ait expleto primo illo anno suæ viduitatis nihil posse accipere ab hæredibus mariti loco alimentorum, vel onerũ, quia potest iam repetere suam dotem apud iudicem, & iudex cõpellere hęredes ad illam soluẽdam, vnde si tunc illa careat sibi imputandum esse.

Ex his primum illud dictum iam confutatum est, cum neq; maritus, neq; vidua aliquid accipere possit vltra dotẽ ratione lucri cessantis, vel damni emergentis: sed ad onera tantum matrimonii, vt exprimit Innocen. in illo cap. Salubriter.

Secundum verum non est, ex eo quod non possit compellere, sed quia actu illam dotem non recipit, vnde onera matrimonii præteriti sustineat, neq; per ipsam stat, quo minus dotem suam recipiat, sed per hæredes.

Tertium falsum est, quia etiam si apud Iudicem elapso primo anno viduitatis possit ipsa agere, nõ propterea recuperat illa statim suam dotem, litibus per multa tẽpora sepe

ſepe durantibus. Omnium autem D.D. cõſenſu, quandiu ipſa ſine culpa ſua ſed culpa hæredum dotem non recuperat, ſiue primus annus elapſus ſit, ſiue non, tuta conſcientia poteſt percipere fructus, vel pecuniam neceſſariam ad ſe & familiam ſuam alendam pro ratione ſui ſtatus.

Vnde ſit Concluſ. In hac dubitatione.

Poteſt vidua tuta conſcientia, & poſt primũ annum ſuæ viduitatis, percipere ab hæredibus mariti fructus pignoris, ſi quod ipſi traditum ſit loco dotis, vel pecuniam quæ ſolebat dari viro.

Ita Soto loco citato, & eſt receptum inter omnes recentiores. Probatur. Poteſt vidua accipere illos fructus, vel pecuniam, quandiu non perſoluitur ipſi dos ab hæredibus dotantis, quia manent illi onera matrimonii, & neceſsitas alimentorum quæ ex illa dote erat ſuſtinenda, ſiue ſit abſolutus primus viduitatis annus, ſiue non, ſed eadẽ ratio habet locum ſi dos tranſeat ad hæredes ſui mariti, cum eadem onera viduę illi maneant, & æadem alimentorũ neceſsitas, quæ ex dote illa translata ad hęredes mariti ſuſtinenda ſunt, ergo poteſt ſimiliter ab hæredibus mariti iſta recipere. Et cõfirmatur. Quia cũ illa pecunia dotalis eiuſdẽ naturæ ſit in quemcunque tranſeat, debet, ad quemcunq; tranſeat, tranſire cum onere illi coniuncto nempe alendi vxorem & familiam cum ſit velut patrimoniũ fœminæ, ex quo hæc ſuſtinenda ſunt.

Ex his ſequitur non eſſe damnandas viduas quę recipiunt quinque vel decem pro 100. ſuę dotis ab hæredibus mariti, quod optime docet Couar. lib. 3. varia Reſolut. cap. 1. illatione 7. contra Iaſonem Inſtitu. De action. §. Fuerat. num. 19. & Socin. in Concilio 56. quod incipit: Viſo teſtamẽto. col. 1. nu. 2. volum. 3. Quia ſi poſſunt percipere fructus pignoris ab eiſdem accepti, qui fructus pretio ęſtimabiles ſunt, poterũt & iſtam pecuniam, & conuenire cum ſuis debitoribus de illa recipienda loco fructuũ ſuę dotis, vel pignoris fructiferi, quod eis tradendum eſſet.

Dixi ab heredibus mariti, nõ enim poteſt vidua tradere pecuniam dotalem mercatori hac lege, vt ſaluo capitali conferat ipſi 5. vel 10. pro 100. quidquid dicat Ioã. Maior. loco ſupra cita. Ab hęredibus enim poteſt accipere, quia ex natura contractus dotalis manent ipſi obligati ad præſtanda illi alimenta, mercator autem qui non promiſsit dotem, non habet talem obligationem. Quo etiam fit, vt ſi ſemel ſoluatur illi ab hæredibus mariti vel conſtituentis dotẽ, ſua dos, vel ſint parati illam ſoluere, nõ poſſit ipſa tradere rurſum illis ſuam dotem, ea lege vt ſaluo capitali ſingulis annis præſtẽt illi 5. vel 10. pro 100. quia hæredes ſolum tenentur alere illam quandiu non reſtituũt ipſi ſuam dotem, vel per ipſos ſtat: in hoc autem caſu iam actu reſtituunt, vel ſaltim ſunt parati reſtituere, vt cõſtituimus. Quod vero dicimus poſſe viduam, cui ſua dos reddita non eſt, recipere ad hęredibus propter dilatam ſolutionem aliquam pecuniæ quãtitatem in alimenta, ita intelligendum eſt vt quantitas illa non excedat ſortem dotis, quia vt recte admonet idem Couarru. loco cita. illa 6. neq; in fauorem dotis permituntur vſurę, vt habetur cap. Super eo. de Vſuris, nec propter inopiam viduæ niſi libere, & quaſi eleemoſynam conferentes vellint hæredes, viduæ, cui quantitas illa pecunię reddenda iuxta ſortem dotis non ſufficit, plura exhibere adleuandam illius inopiam.

Sequitur Secundo, veriſsimum eſſe quod docet Sylu. verb. vſura 3. q. 8. Multorumq; teſtimoniis confirmat, optimum eſſe ac validum ſtatutum aliquarum Prouinciarum, quo decernitur, vt viduæ quandiu non perſoluitur illi ſua dos, cõſtituatur aliqua certa pecuniæ quantitas ad alimenta illi neceſſaria, Qua etiam ratione laudandum eſt ſtatutum ſiue lex municipalis Cathaloniæ, quæ pręcipit, exhibendũ eſſe viduæ pignus aliquod fructiferum, quo ſuſtentetur, quandiu nõ redditur illi ſua dos. In hoc conſectario conueniunt vt æquiſsimo & rationi maxime conſono non ſolum Doctores illi quos refert ibi Syluester, verum & Angelus verbo Dos. q. 28. & Conradus q. 35. Conclu. 6. Nauarr. in comẽtõ illo num. 68. & in Manuali cap. 17. nu. 213. Sotus De Iuſtitia. lib. 6. quæſt. 1. artic. 2.

Quamuis Iuriſperiti quos Syluester ibi refert non recte doceant cum dicunt, viduam recipere quę à iudice ſibi fuerint taxata, vel in pœnam moræ in qua ſunt debitores dotis illius, vel ratione lucri ſibi ceſſantis: cum iura omnia, tam communia quã priuata regnorũ in quibus reperiuntur huiuſmodi ſtatuta, hanc ſemper rationẽ reddant, vt ex fructibus vel pecuniis ſibi aſsignatis tamquã fructibus dotis ſe ipſam, ſuãq; familiam vidua decenter alat.

Minus verũ eſt, quod habẽt Panormit. quem

quem refert Angel. verbo. dos. q. 28. & Paul. de Castro, Immola, & alii quos refert Couarr. loco initio huius quæstio. citato, viduam iuste ista recipere, quando non habet alia bona vnde viuat, si vero habuerit, non posse. Quia sicut vir ad alendam vxorem, & alia onera matrimonii potest iuste exigere fructus alicuius pignoris, vel pecuniam aliquam, quandiu illi dos promissa nõ redditur, etiam si habeat ipse alia bona, ita & vidua, cui dos sua ad huc reddita nõ est, eadem enim est ratio.

Sufficiebant quidem hæc huic loco sed quia nonnulli recentiores Thæologi doctrinis Iurisperitorũ plus forsam quam oportet addicti alia via in hac parte incedunt, nè quis illorum placitis impingat obseruandum hoc loco duxi, docere nonnullos Iurisperitos, in prouinciis quæ iure cõmuni gubernantur, si quidem hęredes viri deffuncti domi suæ viduam alant, donec illi sua dos restituatur, in eo statu & decentia quæ illam decet, & in qua maritus prudenter agens eam alebat, nõ posse ipsam aliquos dotis suæ fructus interim percipere, nec lucra quę propria industria per suas operas cõparauerit libere retinere, sed tam fructus dotis quam lucra illa hæredum esse, sicut fuissent viri dum viueret, cum in eius locum ipsi succedant, & illam, sicut vir ipsius faciebat, decenter alant.

Quod in foro exteriori qua ratione obseruandum sit, ipsi viderint: In foro tamẽ conscientiæ illud quidem verũ iudico, vbi dos adeo esset exigua, vt omnes fructus eius ad sola alimenta prębenda exigerẽtur, vbi vero illi alimenta ipsa excederent, lucra quæ sibi vidua industria sua acquireret, non posse retinere, nulla ratio suadet. Quamuis enim hæredes in locum viri succedant quo ad obligationem soluendæ dotis, vel alendi viduam, quandiu non reddunt illi suam dotem, non tamen succedunt in omni iure quod habebat vir in operas, & industrias vxoris: Lucra namq; vxorum non sunt viri eo tantum nomine quod illam alat, sed quia quæcunq; lucratur debent in vtilitatẽ familiæ durante matrimonio conuerti, bonorum autem familiæ administrator & dominus, iure gentium est vir, quod dominiũ non habent hæredes eius, nec alium titulũ in viduam quam alimentorum. Quo fit, vt si fructus dotis non sufficiant ad alimenta quę illi exhibentur, cum eos tantum ipsi debeant stando in iure communi, debeat ipsa in foro animæ suas operas & lucra hæredibus à quibus alitur exhibere, in deffectum valoris fructuum suæ dotis: Vbi vero fructus dotis sufficient, vel excedent, alienum est à ratione & ęquitate obligare viduam ad conferenda lucra quæ propria industria sibi comparat, hęredibus habentibus fructus dotis sufficientes ad illam alendam.

Quod si illa á domo hæredum recedat, sentiunt idem Iurisperiti ita distinguendũ esse, vt si iusta de causa recesserit necessaria alimenta illi conferre debeant: Quod si leuiter, ac sine iusta causa, non debeant. Sed qui ita docent, in foro animę audiendi non sunt, quin nec in foro iuditiali vt vult Bartho. & recte in illa L. Diuortio. num. 4. Probaturq; efficaci ratione: Quia hęredes non tenentur ad huiusmodi alimẽta, propterea quod vidua in domo ipsorũ maneat, sed quia nondum est illi sua dos ab ipsis sicut deberet, restituta, & quandiu illam non restituunt, caret ipsa fructibus illius, quos ipsi percipiunt: Hęc autem ratio eodem modo se habet, siue in domo hæredum vidua maneat, siue ab illa recesserit, vbicunq; enim illa extiterit, debentur illi alimenta modo explicato ab hæredibus mariti, donec illi sua dos restituatur. Hæc dicta sunt vt admonui stando in iurecõmuni, In priuatis enim Regnis & Prouinciis iuxta proprias illarum leges, quas iura municipalia dicimus, Hispane *Fueros*. De hac re iudicandum erit in vtroq; foro: In exteriori, quia Iudices (vt vidimus primo tomo q. 67. ar. 2.) nõ ex proprio arbitrio sed ex legum pręscripto debent de rebus & causis sibi propositis iudicare, in interiori similiter, quia leges ciuiles iustę quales hæ sunt, obligãt etiam vt vidimus in conscientia. Hac occasione non erit alienum ab hoc loco, legem municipalẽ huius nostri Regni Valentini circa dotes mulierum soluto matrimonio, quam vim in foro conscientiæ habeant, expendere.

DE LEGE, SIVE FORO REGni *Valentini circa dotes viduarum quid sentiendum sit in foro animæ.*

IACOBVS I. Princeps ob tot tantasq; res adeo clare gestas, maxime huius Regni adquisitionem immortali nomine, & gloria dignus, constituit, vt videre est lib. 5. fororum huius Regni. tit. 5. Soluto matrimonio. foro 6. vt mortuo viro, nisi illius

illius cognati & hæredes, post primum annum quem vocant luctus, statim dotem cum augmento propter virginitatem illi debito, exibuerint viduæ, donec vtrumq; illi reddant, omnium bonorum viri defuncti faciat illa fructus suos.

Quam legem anno deinde, 1363. Petrus 2. vt videre est eodem loco foro 10. legem illam Iacobi 1. ad suplicationem totius curiæ explicans constituit, vt soluto matrimonio, primo anno suę viduitatis & luctus asignentur illi debita alimenta, post illum vero annum quandiu viri defuncti hæredes non restituerint illi in integrum, & omni ex parte tam dotem, quam illius agmentum ratione virginitatis, faciat illa omniũ bonorum viri defuncti fructus suos: Ita vt si hęredes qui ad dotem illam & augmentum viduæ exhibenda iuræ tenentur, in quacunq; parte illius dotis vel augmẽti deficiãt, omnes fructus bonorũ viri sui vidua illa, absq; eo quod computentur in sortem, recipiat, nisi ipsa propria sponte & libere consenserit partem illorum fructuum sibi detrahi, pro rata & proportione, partis dotis sibi exhibitæ, quia solutio dotis iuxta huiusmodi legem integra debet esse, & indiuidua: nec potest per partes ab hæredibus fieri.

Huiusmodi lex in curiis & tribunalibus huius Regni obseruatur omnino á iudicibus, ita vt si dos viduæ & augmentũ illius sint. (v. g.) 1000. quorum vel minimam partem hæredes illi ad huc debeant, donec in integrum omnia illa 1000. recipiat, fructus bonorum viri sui cuiuscunq; quantitatis sint, adiudicentur illi, publicaq; authoritate illos retineat non computando eos in sortem.

De huiusmodi lege, in eo rigore in quo á iudicibus obseruatur, nonnulli ex nostris dubitant: quia & si iustum sit, vt hæredes morosi aliqua pœna puniantur, quandiu non restituunt dotem viduæ, iniquum tamen videtur vt si dotis vt 1000. restituta sint 990. & sola decem maneant illi persoluenda, in pœnam moræ solutionis debiti adeo exigui vt 10. priuentur ipsi fructibus quandoq; vt 1000. vel pluribus, á vidua illa toto illo tempore recepis vt suis, pœna enim quam propter moram debet vel á lege, vel á iudice debitor pati, necesse est moderatam esse, & non adeo excessiuã, ac imparem, quod omnia iura & illorum interpretes testantur.

Sed quamuis hæc ratio aliquam primo aspectu ingerat dubitationem, lex nihilominus ista iustissima est, & iustissime obseruatur, iustissimis causis animum Petri 2. ad illam constituendam mouentibus: quas etsi lex ipsa non exprimat aperte, crederem nihilominus sapientissimum illum Regem non latuisse, quin potius illis fuisse adductum ad eam legem condendam.

Primum, quia illud exigit propria natura dotis, quæ vt ex superioribus constat, est proprium & legitimum mulieris patrimonium, omni iure tuendum & cõseruandũ, ne illo disipato vel consumato, in maximum Reip. damnum honestas illarum periclitetur: cum autem huiusmodi mulierũ patrimonium in partes diuisum, & per partes restitutum facile disiparetur, & consumaretur, huic incomodo, quod certe in dãnum Reip. redundaret, occurrit sicut, debuit lex ciuilis hac via accomodatissima, vt quandiu illis integra dos non restituitur, faciant viduæ fructus omnium bonorum viri sui tot illo tempore suos, quo ex illis se ipsas alere comode posint.

Dices cum posit vidua dotem, etsi per partes illi tradatur, conseruare, propriisq; laboribus, & operibus se ipsam alere, maxime ea parte fructuũ ab ea retenta quæ parti dotis non solutæ commensuratur, cur omnes fructus, quos sæpe multos esse contingit, & in maximo excessu dotis vel partis illi debitę, ipsi concedendi sunt? Respondeo, leges non respicere casus particulares, sed ea quæ vt plurimum eueniunt: frequenter autem & communiter operę, & indastriæ mulierum non sufficiunt ad eas alendas, & habenda necessaria: & esto omnes viduæ suis laboribus & operibus aliquid lucrari possent, cum lucra ista á quibusdam maiora, ab aliis minora & exigua haberentur, non erat quod lex aliter in his aliter vero in aliis disponeret, sed quod omnibus expediret, cum communi omnium vtilitati debeat prospicere.

Secundo est etiam lex ista iustissima: quia nisi tanta pœna fuisset imposita morosis hęredibus, & debitoribus huiusmodi dotium, cum frequentissime huiusmodi hæredes erga viduas, & relictas á suis non sint ea pietate, & charitate affecti, quam Euangelium Christi, & lex ipsa naturalis postulat, niterentur ea ratione dotem illis restituere, vt ex ea nullam fere misseræ viduę perciperent vtilitatem, vel per longa tempora & minutiores partes exhibita, vel multis laboribus, & expensis in litibus, & tribu-

tribunalibus prius factis: Cui incomodo occurrens vt debuit lex Principis Christiani, non potuit comodius medium eligere, ne miserę viduæ suarũ dotiũ iacturã faciãt, aut per tribunalia cũ graui suę honestatis, & modestiæ periculo discurrant, quam imposita huiusmodi pœna hæredibus, vt quandiu non restituunt integrã perfectãq; dotem, fructus omnium bonorum viri defuncti vt suos illę recipiant.

Etenim si extãte tali lege, & viridi illius obseruantia, nihilominus tot technis & machinationibus hęredes nonnulli, diuinũ iuditium obliuioni tradentes, nituntur solutionem dotium in longa tempora differre, & aliqui iudices (vt sæpe conqueritur Sacra Scriptura) in causis viduarum adeo inertes, & vecordes, ne dicam iniquos, & infideles se exhibent, quid paterentur miseræ viduæ, quando obsecro dotes suas recuperarent, si nõ esset hęc lex constituta, & adeo iudices ad sui obseruantiã obligaret?

Audiant hoc loco obsecro vtriq; tam morosi debitores dotium viduarum, quam iudices verba hęc supremi illius Iudicis, qui etsi omnium causas iudicaturus sit, peculiariter tamen se ipsum Psalm. 67. Iudicem viduarum appellat. Exodi 22. Sic loquitur: *Viduæ & pupillo non nocebitis, si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamq; vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli*. Esaię 1. Vbi minatur Deus exitium Hyerosolimæ propter grauissima illius populi delicta, hoc inter alia commemorat: *Pupillo non iudicãt, & causa viduæ non ingreditur ad illos, Propter hoc ait dominus Deus exercituum fortis Israel, heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis:* Vbi aperte hostes, & inimicos viduarum, suos hostes & inimicos apellat. Simile habetur Hieremiæ 5. in hęc verba: *Causam viduæ non iudicauerunt, & causam pupilli non direxerunt & iuditium pauperum non iudicauerunt: Nũquid super his nõ visitabo dicit dominus? aut super gente huiuscemodi non vlciscetur anima mea?* Deniq;. Ecclesiastici 35. Habentur eficacissima illa verba, quæ in cordibus iudicum sculpta existere optarem. *Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si efundat loquellam gemitus, non ne lacrimæ viduæ ad maxillam decendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? a maxilla enim ascendunt vsq; ad cælum, & dominus exauditor delectabitur in illis?*

Ex progressu huius Controu. sequitur aperte, qua ratione cap. illud Salubriter non aduersetur doctrinæ D. Tho. Diuus enim Tho. solum docet mutuantem & creditorem non posse recipere fructus rei sibi traditæ in pignus mutui, vel debiti: à quo fructus pignoris dotalis longe distant: quia non percipiuntur ratione mutui, vel debiti cuius solutio differtur, sed ex natura cõtractus dotalis, in quo pignus illud non tãtum est pignus & traditum in securitatem, sicut in mutuo, vel debito, sed pignus habens vicem dotis, & ad eosdem effectus ac fines ad quos traditur dos, nempe ad onera matrimonii.

Eadem ratione soluitur argumentum illud quod Adriano adeo efficax visum est, Miles enim & Iudex, licet suscipiant stipẽdia ad onus suę militiæ, at quando traditur illis pignus aliquod pro stipendiis temporis præcedentis, nondum solutis, solum datur in pignus & securitatem stipendiorũ, quæ illis debentur, sicut cuicunque alteri creditori datur pignus à debitore in securitatem debiti, minime vero datur illis ad onera temporis subsequentis: quia si perseuerent in suo munere & onere, perseuerat quoque ipsis semper & crescit stipendium. (V. g.) Debetur Petro ex tribus annis elapsis stipendium vt tria datur ei pignus donec soluantur illa tria in pignus tantum, non ad onera futura: Quia si perseueret ipse alio anno, vel pluribus in illo munere & officio, recepturus est aliud stipendium pro annis sequentibus: qua de causa nõ potest percipere fructus illius pignoris: at in contractu matrimoniali, genero confertur dos ad omnia onera futura, nec augetur illi ex progressu annorum & onerũ, & propterea ex natura istius contractus quo gener obligatur ad omnia onera futura ex illa dote sibi promissa, æquissimum est, vt quandiu illam non recipit, recipiat aliquid loco eius, ex cuius fructibus onera illa sustineat. Et in hoc consistit differentia contractus dotalis ab aliis, & non in eo quod sit seruanda dos salua, & illęsa.

Offert se hic breuis dubitatio.

Num si is cui datus est in pignus ager, qui domino suo sterilis omnino erat, & infructifer, industria vero accipientis illum fert aliquos fructus, debeat ne computare illos in sortem, vel potius facere suos.

Respondeo paucis. Huiusmodi agrum datum in pignus duobus modis posse esse sterilẽ & infructiferũ, aut absolute & à se ipso,

ipso, aut ex sola negligentia vel ignorantia domini, qui nolebat illum colere, vel ignorabat illum cultum fructus posse reddere: quod quãdo tribuendum sit naturæ ipsius terrę & agri, quando vero negligentiæ vel ignorantiæ domini, arbitrio & iuditio peritorum in agricultura committendum est; & communi existimationi agricolarum. Si pignus illud sit omnino & absolute infructiferum ex natura terræ, & loci, iuxta cõmunem existimationem & iuditiũ agricolarum, industria vero eius qui illud accepit aliquos fructus ferat, non tenetur illos cõputare in sortem, sed sunt ipsius: cum in hoc casu soli industriæ ipsius fructus illi debeantur: Sicut depositarius, si quod lucrum tempore depositi sine vllo damno domini pecunię, sua industria ex illa faciat, lucrum illud ipsius est, non domini, cũ illud non pecuniæ; quę vt deposita lucratiua non est, sed soli industrię depositarii sit tribuẽdum. Quod si pignus illud sterile quidem erat ex negligentia, vel ignorantia domini, secundum se vero fructiferum communi existimatione & iudicio agricolarum, tunc non potest collẽs illud, si quos fructus ex eo colligit facere suos, sed debet computare illos in sortem, deductis laboribus & expensis, quia non solæ industriæ ipsius sed fœcunditati etiam illius pignoris illi tribuendi sunt, nec erat illud ex se sterile, sed per accidens ex negligentia scilicet vel ignorantia domini. Debet autẽ qui illo priori modo colit agrum, & fructus illius recipit, attendere, ne ex collectione fructuum quos dicimus posse ipsum facere suos, dominus agri aliquod damnum recipiat, vel ex valore agri aliquid minuatur.

In solutione septimi, & vltimi argumenti explicat D. Thom. difficilem illam disputationem.

LICEAT NE CARIVS VENdere expectata solutione, & pecunia credita, quam numerata, propter diuersum modum vendendi?

DISPVTATIO hęc vna est ex præcipuis, & difficilioribus, quæ in explicanda vsurarum, & cõtractuum iniquitate occurrere possunt, multaq; continens capita. De hac Iuristæ in Cap. Nauiganti. Et in cap. in Ciuitate. extra de vsuris. Et in cap. Ad nostram. De emptio & venditio. Theologi in 4. dist. 15. Medina Cod. De restit. q. 36. & sequent. Soto lib. 6. De iustitia q. 4. per totã. Summistæ in verbo Vsura. Et in verb. Emptio. & venditio. Contrad. De cõtract. q. 59. Nauarr. in suo Manuali. cap. 17. num. 228. Couarr. lib. 2. varia Resol. cap. 2. nu. 6. & 8.

D. Tho. statuit hic tres Conclusio, quibus diluit propositam Controu. Prima est.

Vendere rem carius quam valeat, & extra latitudinem iusti pretii propter expectatam solutionem, iniustum est, & vsura.

Dixi extra latitudinem iusti pretii, quia cum pretium vt constat ex q. preced. art. 1. sit triplex, supremũ siue rigidum, mediocre, & infimum, & quodcunq; illorum sit iustum; qui ementi in pecunia numerata venderet pretio infimo, emẽti vero ad creditum suppremo & rigido, nullam committeret iniquitatem; cum in nulla istarũ vẽditionum excedat á latitudine iusti pretii: Nec sic vendens dicendus est carius vendere propter expectatam solutionem, non enim fit propter dilationem temporis, quod sine illa fieri potest; potest autem & pretio summo vendere qui in numerato venderet: Is ergo solum erit iniquus venditor. qui propter dilatam solutionem excedet huiusmodi latitudinem.

Probatur: Vendere res plusquam valet iniquum est, sed res id tantum iuste valet, quod in presenti & ipso tẽpore venditionis valet; vt habetur L. Pretia. & L. Falcidia. ff. Ad legem Falcidiam. ergo qui propter expectatã solutionem carius vendit quam patiatur latitudo iusti pretii, inique vendit. Secundo, in huiusmodi venditione est mutuum simulatum, ratione cuius accipit, qui sic vendit, aliquid vltra sortem, ergo est vsura. Antecedens cõstat ex superius dictis: perinde enim se habet vendẽs rem valentem de presenti vt 15. recepturus propter expectatam solutionem pretium vt 20. ac si ipso tempore venditionis recepisset actu ab emptore 15. quę statim illi mutuasset vsq; ad tempus solutioni constitutum, ea lege, vt pro illo mutuo redderet ipsi 20. quod est vsura. Et ita est definitum in illo cap. Consuluit. De vsuris.

Secunda conclusio D. Thom.

Qui propter anticipatam solutionem rem aliquam vilius emit, quam illa valeat intra latitudinem iusti pretii, committit etiam iniustitiam, & vsuram.

Patet hęc conclusio iisdem omnino argumentis, quibus præcedens probata est, Nam

Nam primo emit rem vilius, quã sit quodcunq; iustum pretium ipsius. Secundo quia in illa diminutione iusti pretii propter anticipatam solutionem, perinde se habet qui dat 15. pro re valente 20. ac si mutuasset venditori illa 15. recepturus deinde ratione illius mutui eadem 15. & vltra sortem lucrum vt 5. ergo non licet.

Tertia conclusio.

Venditor qui vt recipiat pecuniam anticipatam minuit a iusto pretio, nullum peccatum committit: quin neq; emptor, si diminutio illa ex sola mera liberalitate venditoris fiat, non ex pacto aliquo, emptore scilicet ipso ita postulante: diminue pretium, & anticipabo solutionem.

Hęc conclusio perspicua est. Etenim, cũ vnusquisq; posit libere de bonis suis disponere, potest venditor non ex pacto inito ab emptore, sed ex sua mera liberalitate, nõ modo minuere, verum etiam & gratis dare.

Circa hanc tertiam conclusionem nulla est dubitatio. Contra duas vero priores insurgunt mercatores totis viribus. Videntes enim omnibus esse in comperto, iniquum esse, & vsurarium excedere á iusto pretio proprer dilatam solutionem, vel detrahere ab illo propter illam anticipatam, adducunt varias causas, & titulos, ratione quorum posint rem carius vendere pecunia credita, & vilius emere solutione anticipata.

Dicemus prius de vendentibus pecunia credita, deinde vero de ementibus solutione anticipata.

Controuersia. XVI.

AN LICEAT CARIVS VENdere ad creditum, propter maiorem æstimationem quam habet pecunia præsens quam absens.

MEDINA Cod. De restitut. q. 38. affet sex potissimas causas siue titulos, qui á mercatoribus afferuntur ad augenda rerũ pretia. Primus, ratione cuius iudicant licere sibi carius vendere pecunia credita, est diuersus modus vendendi, vel vt alii dicũt diuersa pecuniæ æstimatio: Ex quo titulo sic argumentantur. Qui carius vendit pecunia credita quam pecunia præsenti & numerata, vendit iusto pretio, ergo nõ excercet sic vendens iniustitiam, vel vsuram.

Probatur antecedens: Illud est iustum pretium alicuius rei, quod in tali modo vendendi communiter iudicatur iustum à peritis, & prudentibus in illa arte, vel est receptum communi vsu ementium & vendẽtium: Sed communi iuditio mercatorum, quibus tamquam peritis in arte emendi, vendendi, & negotiandi credendum est, quod res vendatur carius pecunia credita, non censetur iniustum, quin potius communiter æstimatur iustum propter talem modum vendendi, habetq; iam illud omnium vendentium vsus, tamquam maxime receptum: Ergo licet.

Secundo: Copia emptorum, & penuria mercium auget ac iusté pretium illarum, vt vidimus quæst. præced. art. 1. sed ad emẽdum res pecunia credita offert se magna emptororum copia, mertium vero quæ ita vendantur paucitas: pauci enim sunt qui volunt res suas ad creditum vendere: ergo iustê propter istum modum vendendi, iuxta quem abundant emptores, licebit augere pretium, & carius vendere.

Tertio: Pecunia præsens magis valet quã absens, & é conuerso absens multominus quam presens: ergo licebit carius vendere pecunia absenti & credita, quam presentĩ & numerata: Cõsequentia aperta est, quia in venditione etiam quæ fit pecunia numerata, si fiat aureis vel argenteis minoris valoris, licet plures ex illis accipere, quam si fiat aureis vel argenteis maioris valoris. Antecedens vero patet: Qui vendit pecunia vt 100. sed credita per totum annum, toto illo anno non potest vti illa pecunia, quod potuisset si fuisset illi presens, & statim soluta, valet ergo illa pecunia sic absens minus.

Quarto, Vt supra atigimus, licet emere pagas acerbas, & ius quod quis habet ad recipiendum 100. elapso anno, pro 90. statim exhibitis: quod non liceret, nisi illa 90. presentia essent iustum pretium illorũ 100. absentium, quia talis contractus est vere venditio, venditio autem non est iusta nec licita, nisi fiat iusto pretio; Sed qui vendit rem valentem 90. pro 100. recipiẽda elapso anno, perinde se habet, ac si daret de presenti 90. recepturus elapso anno 100. ergo potest rem valentem 90. si vendatur pecunia credita, vendere pretio, vt 100.

Præter hæc & similia mercatorum argumenta quidam Raphael Parnasius (vt refert Syluest. Verb. vsura 2. §. 1.) hanc cõsuetudinem mercatorum vendendi carius adcre-

ad creditum quam in numerato approbanit: & post illum vt refert Adrianus in 4. De restit. quęstione quæ incipit: *Occurrit insuper dubium*, quidam Geraldus Oldonẽsis adductus hac ratione: Si non liceret carius vendere expectata solutione, id certe esset, quia tunc venderetur tempus: hoc autem nihil prohibet carius vendi ad credi tum, ergo. Probatur minor. Tempus duobus modis sumi potest, vel vt sumitur à philosophis pro mensura primi motus secundum prius & posterius, qua ratione non est vendibile: vel sumitur pro mora alicuius rei, qua ratione sumitur in comerciis & cõtractibus humanis: & hac ratione (inquit) vendi potest, quia hac ratione idem est tẽpus quod vsus alicuius rei per aliquam durationem vel morã, qui vsus rei vtilis pretio æstimabilis est, & hoc modo vendit tẽpus, carius vendens propter dilatam solutionem, vendens scilicet vsum illius pretii manentis apud emptorem per aliquod tem pus & morã quod nõ est censendũ illicitũ.

Hęc tamen distinctio merum figmẽtum est, & nullomodo audienda, quia siue nomine temporis intelligat duratione & moram rei alicuius apud alterũ, siue vsum rei per illam durationem & moram, neutrum horum absolute & simpliciter vẽdi potest, aut pretio æstimari: quia tam duratio ipsa & mora rerum, quam vsus earum simpliciter & secundum se non sunt maioris valoris: neq; habent aliquod pretium distinctũ à rebus ipsis. Loquimur de his quæ consumuntur vsu, quale est pretiũ rerum. (V. g.) duratio & mora 100. aureorum Petri apud Ioannem, vel vsus eorum apud eundẽ Ioãnẽ, non valet plusquã 100. per se & absolute, imo hęc est radix totius iniquitatis vsurariæ, vt pro mora vel vsu pecuniæ, in qua vsus nullo modo ab ea distinguitur, vellet quis lucri aliquod, vel pretiũ. Vnde quidquid author iste nomine temporis intelligat, nullomodo potest illud pretio æstimari, aut vendi. Dixi per se, & absolute, quia vt ex superioribus constat, si ex detentione pecunię vel pretii apud alium mihi aliquod damnũ immineat, vel lucrum cesset, tunc ratione illius damni imminentis, vel lucri cessantis possum, eo modo quo statim explicabimus, aliquid vltra sortem vel pretium exigere.

Hac ergo opinione reiecta, quidquid mercatorum cupiditas in suum fauorẽ ostẽdere nitatur, hoc nomine & titulo nulla ratione licet res carius vẽdere quam sit iustum illarum pretium propter dilatam solutionẽ. Ita D. Tho. hoc loco, & q. precede. art. 1. & in opusculo 67. ad Lectorem illũ Florentinum, cuius sententiam sequuntur Scotus, Durandus, Richard. & omnes alii Theologi in 4. dist. 15. & ex recensioribus. Medina quęst. illa 38. Conradus De contract. q. 59. cõclu. 2. D. Antonin. 2. p. tit. 1. c. 2. Soto De iusti. lib. 6. q. 4. art. 1. Caiet. in commento huius art. Nauarr. in Manuali cap. 17. numer. 243. & omnes Theologi quibus similiter subscribũt quotquot sunt Iurisperiti in cap. Consuluit, & in cap. In ciuitate. De vsuris. Vbi illud vt statim videbimus definit aperte Inoc. 3.

Cuius doctrinæ ab omnibus receptę, prę ter quam ab illo tantum Raphaele Parnasio, & Gerardo Oldonensi, veritas magis appareat. Obseruemus primo, Rerum venalium, siue Mercium quasdam esse, quæ per se & absolute loquendo emuntur communiter pecunia numerata, licet vendantur etiam quandoq; pecunia credita, vt panis, vinum, oleum, carnes, vestes, & similia, quę cõmuniter ad humanos vsus necessaria sunt, maxime quando minutim venduntur; Aliæ verò sunt, quę per se & natura sua ac cõmuniter loquẽdo exigũt, & solent vẽdi pecunia credita, quãuis accidere aliquando possit sed raro, vt vẽdantur pecunia numerata. Vt merces maritimæ, velut telæ, serica, quę Hispane dicimus, *Sedas, brocados, tapiceria*, & res aliæ pretiosissimæ, quæ non sunt ita necessariæ ad vsus humanos, maxime cum venduntur cõiunctim, & in magna quantitate. Nõ est hic sermo De rebus huius secundi generis, de quibus infra priuatim disseremus, sed de illis prioribus.

Obseruemus secundo, in huiusmodi rebus quę regulariter ac cõmuniter vendũtur pecunia numerata, iustũ pretiũ illarum esse, vbi á lege taxatum non est, quo inter viros probos & timoratos venduntur communi vsu fori, reddito statim pretio ab emptore & in numerato. Ratio est aperta, ad cuius vim optime percipiendã constituendũ est, cum tribus modis, rerum quæ emuntur, possit reddi pretium: vel facta statim illius solutione, vel ea expectata per aliquod tẽpus, vel illa anticipata, (qui tres modi vẽdẽdi solẽt his quoq; vocibus à DD. exprimi: Vẽdere in numerato, Vẽdere ad diẽ, & Vẽdere anticipatè,) precipuũ & potissimum illorum esse illũ primũ, in quo res venduntur in numerato. Nam cũ propria ratio & natura cõtractus emptionis & venditionis consistat in eo, quod est transferre dominium rei venalis in ementem, & dominum

pretii in vendentē, esto in quacunq; venditione istarū fiat huiusmodi translatio, potissime tamē & omniū perfectissime in primo illo vendendi modo, vbi & res vendita actu traditur ementi, & pretiū illius actu similiter traditur vēditori: Quia esto dominiū possit separari ab actuali rei vsu & possessione, perficitur tamen maxime per illā: tuncq; rei alicuius nos perfecte & omnino dominos iudicamus, cum illam actu possidemus, & ea libere vti possumus: Experiētia verò teste, qui emit expectata solutione etsi pretii illius recipiat verum dominiū, non tamen habet possessionem & vsum, & quandoq; nunquam, debitore non soluente, sed parante fugam, vel reddito impotēte: Similiter qui emit pecunia anticipata, etsi habeat iam acquisitum dominiū & ius in rem emptam, possessionem tamen nondū habet & liberū vsum, donec illi actu exhibeatur, imo potest impediri vitio vel impotentia venditoris: at vbi res venditur in numerato, recipit vterq; non modo ius & dominium, verumetiam possessionem, liberumq; vsum, vendens pretii, emens rei venditæ, sicq; reperitur vera & perfecta translatio rei in ementē & pretii in vēdentem in isto venditionis modo. Ex quibus fit, vt hic sit inter illos precipuus & potissimus.

Quo posito, probatur efficaciter iustum rerum pretium ex isto modo vendendi pecunia presenti, & in numerato sumendum esse, hac ratione. In omnibus rebus quod est pręcipuum & potissimum in aliquo genere, est ex Aristo. & omnibus Philosophis metrum, & mensura, siue regula aliorum eiusdem generis: In mobilibus primum mobile est aliorum mensura & regula: quia est primum & potissimū: in calidis ignis, quia est potissimum ac præcipuū calidū: Sed ex illis tribus vendendi modis potissimus, & pręcipuus, quin & primus quo homines vsi sunt post inuentā pecuniā, est venditio pecunia pręsenti & in numerato, hic ergo debet esse aliorū regula, & mensura, & ab eo sumendū est necessario iustū pretium rerū, quas anticipata, vel expectata solutione emere seu vendere contigerit.

Dixi initio huius obseruationis pretium iustū esse quo res venduntur inter prudentes, & probos, ac timoratos, nam si qui parum timentes Deū carius vendant, aut sua industria, seu iniquitate potius, excogitato aliquo Monopolio vel calliditate, (de quibus suo etiam loco dicemus) pretia augeāt horum non est habenda ratio, sed eorū tantum qui probi sunt ac timorati, nulla vtentes arte vel industria ad augenda pretia, sed soli fortunæ ac tempori illa committentes: aliorum verò nequaquam, quia illorum fraudes & technæ nec debent illis patrocinari, nec aliis nocere.

Dixi etiam cōmuni vsu fori, quia quod vnus vel alter, vel necessitate propria compulsus, aut occasione alicuius itineris arripiendi, aut ex ignorantia, vel leuitate, aut quacunq; alia ratione carius vendat, vel villius, non est illud curandum ad costituēdum iustum pretium, sed ex communi vsu fori sumendum est, iuxta ea quę abundæ docuimus q. 77. art. 1. Controu. 3.

Obseruemus tertio, cū contractus sit vltro citroq; obligatio, contractum emptionis & venditionis tūc celebrari & fieri, quādo contrahentes ita conueniunt interse, vt maneat inter ipsos firmiter constituta mutua obligatio, venditori tradendi rem, & emptori tradendi pretium, siue res illa tūc actu tradatur, siue alio tempore: similiter siue tunc pretiū actu recipiatur, siue alio tēpore. Quo fit, vt cum iustū rei pretiū sumi debeat ex illo tempore certo & definito in quo actu & re ipsa celebratur emptio & vēditio, vt q. 77. vidimus art. 1. Contro. 3. consequenter non erit illud sumendum ex tēpore quo res ipsa traditur emptori, vel ex tēpore quo traditur pretiū venditori, sed ex eò, in quo manet firma, & perficitur venditio. Loquim ur hic de rebus actu existentibus, & præsentibus, Nam in his quæ solum sunt in potentia, vt fructus, lanæ, & similia quæ non existunt, sed emuntur in futurum recipienda, aut quę non sunt in loco in quo sunt contrahentes, sed recipienda sunt in alio, pretium iustum earum sumendum est (vt videbimus Controu. 23.) ex cōmuni vsu fori in eò tēpore, vel loco, in quo emptor illas recipit, quia tunc perficitur, & consumatur vt ibi docebimus venditio, & non antea.

His positis probatur iā doctrina proposita. Primo, argumento Medinę, Nulli licet aliter vēdere quā iusto pretio, iustū autē rei pretiū est illud, quod res valet cōmuni vsu fori in pecunia numerata, & pręsenti, eò tēpore quo fit venditio, & merx traditur, ergo nullo modo licet accipere aliquid propter expectatā solutionē: sed eodē omnino pretio res vendēda est, vbi venditur ad creditum vel in diem, quo venderetur in numerato intra latitudinem iusti pretii.

Secundo

Secundo, res quæ venditur, non plus valet neq; in se, neq; contrahentibus, neque vllo alio titulo, propterea quod vendatur dilata solutione, quã si venderetur solutione presenti, neq; augetur propterea vsus fori circa illam, at pretiũ rerum non est augẽdum, nisi vbi vel augetur valor illarum, vel mutatur cõmunis vsus fori inter ementes pecunia numerata, ergo ex eo solo quod differatur solutio non licet carius vendere.

Tertio, vendere pecunia credita nihil aliud addit supra venditionem quę fit pecunia presenti, quã solam expectationem pretii soluendi in futurum, propter hãc autẽ expectationẽ non licet aliquid vllo modo accipere, ergo neq; carius vendere pecunia credita. Maior certa est, probo minorem. Hęc expectatio (vt optime docet hic D. Tho.) est quædam tacita & palliata mutuatio, vel tempus ipsum expectatum, pro mutuatione verò nihil licet accipere, quia in hoc consistit iniquitas vsurę, neq; pro tempore quod expectatur, quia tẽpus nullomodo est venale ergo. Et cõfir. Quia si pro expectatione sola liceret aliquid accipere, cũ in mutuo includatur necessario aliqua expectatio recuperandę pecunię, liceret pro mutuo aliquid accipere ratione illius expectationis, quod est falsum & error.

Quarto, cum pretium iustum sit quo res venditur in numerato, si propter dilatam solutionem liceret aliquid accipere, cũ dilata solutio non sit res ipsa quæ venditur, sed pretium illius absens, & pecunia in qua illud reddẽdum est absens, reddẽda verò in aliquo tempore, consequenter augmentũ quod superadditur iusto rei pretio, esset reuera quoddam pretium illius iusti pretii & pecuniæ in qua illud reddẽdũ est vt absentis: ita vt quemadmodũ in exactione lucri cessantis ex mutuo reperiuntur (sicut diximus) duo contractus distincti, alter mutui, & alter venditionis illius lucri cessantis, sic in venditione alicuius rei ad creditũ reperiantur quoque velut duo contractus, vnus quo venditur res ipsa iusto pretio fori, & aliud quo venditur absentia istius pretii & illius expectatio, siue ipsum pretium expectatum, quæ idẽ sunt, sicut possessio pecuniarum & pecunię possessæ, At pretii, vel pecuniæ quatenus aliarum rerũ pretium est, vt recte docuit Aristo. non est pretium aliquod, pręter proprium valorẽ ipsius, imo in eo consistit iniquitas vsuræ, vt vellit quis ex pecunia ipsa quatenus pecunia est, & aliarum rerum pretium, lucrũ aliquod & pretium, contra illud commune proloquium Philosophi & omnium DD. *Pretij non est pretium, sicut nec pecunia parit pecuniam.*

Quinto, cum in venditione hæc duo tantum reperiantur, res quæ vẽditur & pretiũ illius, si liceret in diem carius vendere, certe vel ratione rei quę vẽditur, vel ratione pretii pro illa non dum redditi sed reddendi, at neutro modo, ergo. Maior perspicua est, probatur minor: Imprimis, id non licere ratione rei venditæ, constat ex 3. argumento iam proposito, quod autem nec ratione pretii ostendo, Pecunia reddenda vẽditori vt pretium rei quam vendidit, non habet alium valorem quam suum propriũ, & communem, quatenus pecunia est: at siue presens sit siue absens, redditur illi vt pretium, ergo siue presens sit, siue absens, ratione pretii ipsius, nullomodo potest carius aliquid vendi. Quod autem pecunia vt pecunia est & pretium rerum, nõ habeat alium valorem præter illum communem & sibi proprium constat ex supra dictis: Quia in pecunia solũ reperitur duplex illa potentia quam diximus, altera illi propria & velut naturalis, omni pecuniæ communis, secundum quam est pretium omnium rerum; alia verò quasi artificialis, quatenus est exposita negotiis, & in via ad lucra: quę ita (vt vidimus) differunt, vt exposita negotiis, & in via ad lucra sit fructifera, & lucratiua, & aliquid amplius valens, quam secundum se tantum sumpta, priori verò modo quatenus pecunia tantum est & pretium rerum, nullum alium valorem habeat, quam communem & sibi proprium, asignatum illi á Principe, vel Republica.

Deniq; quod recte obseruauit Soto, nulla est lex, vel Resp. bene instituta, quæ constituat aliquod maius pretiũ rebus quę venduntur in diem, quam illis quæ, emũntur pecunia presenti, at si propter dilatam solutionem deberet vel liceret pretium augeri, certe rebus quibus Respub. pretia taxauit, prescripsisset quoddam pretium vẽditis in numerato, & aliud maius venditis ad creditum: quod cum nulla Resp. fecerit, argumento est certissimo, idem omnino esse iustum rei pretium vbi venditur in diem, quod est iustum vbi venditur in numerato.

Nuc ad argumenta initio proposita.

Ad primum respõdeo, duo esse genera mercatorum, aliud eorũ qui actu negotiã-

tur, & vendunt tales res, aliud vero eorum qui aliquando vendiderunt cessarunt tamē deinde ab illo officio, constatq; iam illos nec cupiditate, neq; amore lucri esse affectos, sed timere Deum: Priores illi qui ad huc actu vendunt, possunt quidē haberi pe riti in arte negotiandi, & vendendi, nō tamen sunt prudētes nec recti iudices in hac causa: quia venditorum, maxime eorū qui ad paranda lucra susceperunt hoc offitium, adeo insaciabilis solet esse cupiditas augē di pretia, vt illa excecati iudicent iustum quod iniquū est & vsurarium: iudicāt enim in causa propria, in qua nemo est æquus & rectus iudex. Alii vero qui iam cessaurūt á negotiis, & nullo affectu ducuntur, sed timent Deum possunt haberi periti & prudē tes, & hi experientia teste, damnant omni no hoc genus vendēdi, dolentq; plurimū, ac pœnitet eos, quod aliquādo illud exer cuerint, restituūtq; quidquid hac ratione deprehendunt se defraudasse.

Quod vero spectat ad communem vsum venditorū, sumptū ex isto diuerso modo vendendi, constat ex dictis, hunc diuersum vendendi modum pecunia credita vel numerata, cum solum addat dilationem solu tionis, nullomodo posse variare pretium, quia nec tēpus nec dilatio ista aliquo modo venpi possunt: Cōmunis enim vsus fori ad discernenda iusta rerum pretia sumendus est ex publico foro & modo vendendi in pecunia numerata, ita vt illud solū pretiū censendum sit iustum, quod vel á lege taxatum est, vel seruatur in communi vsu fo ri ab ementibus in numerato, vsus autē iste mercatorum vendendi vno modo pecunia numerata, & alio modo pecunia credita, cum non sumatur ex valore rei sed ex eorū cupiditate, abusus potius est, & iniquitas quam vsus.

Ad secundum dico, abundantiam emptorum augere pretium, nō quodcunq;, sed illud tantum quod sumitur ex cōmuni vsu fori, taxatū enim á lege nō auget. Rursum cum vsus fori sumendus sit ex venditionibus quę fiunt pecunia numerata, consequē ter non quęcunq; copia emptorum auget pretium rerum, sed eorum qui emunt pecunia presenti, minime verò eorū qui emūt pecunia credita: Nam hi frequenter, modo consequantur res quas quærunt, cum non statim pretia illarum soluant, non dubitant quęcunq; ab illis exiguntur, quamuis excessiua & euidenter iniusta, venditoribus illarum rerum offerre.

Ad tertium dico, pecuniam presentem per se & absolutè non plus valere quam valeat absens, an autem ratione periculi quod potest habere absens, & quo caret presens, vel ratione commoditatis quam posset recipere ex absenti si presens esset, liceat illi carius vēdere, videbimus statim in aliis titulis quos examinabimus. Cæterum cum pecunia non sit lucratiua secundum se, nisi exposita negotiis, secundum se non est vilior absens quam presens.

Vltimum argumentum exigit quæstionē illam, quam superius solum attigimus, reiecimusq; in hunc locum copiose hic tractandam.

Controuersia. XVII.

AN LICEAT EMERE DEBITA *in futurum soluenda, quæ vocamus pagas acerbas, minori pretio?*

Pagę acerbę vocantur á DD. debita soluēda in futurū, sumpta metaphora á fructibus terrę, & arborū: Quemadmodū enim fructus arborū, ante tempus constitutū illis á natura in quo maturi sint, sunt acerbi, accedente verò tempore suę maturitatis suaues, & dulces: ita & debita, ac illorū solutiones si ante prefixū tempus exigantur acerbæ di cuntur, conqueritur enim debitor ac iuste, quod debitū illud quasi viride adhuc, & im maturū, donec tēpus solutioni præfixū adueniat, ab ipso exigatur. Quærimus igitur.

An huiusmodi debita in futurum persoluanda liceat, (sicut passim fit) anticipata solutione vilius emere.

In hac quæstione, vt quæ apud omnes DD. certa sunt á dubiis prius separemus, Obseruandum est primo. Duobus modis posse emptorē huiusmodi debitorū se habere; primo, ita, vt propter emptionē illius debiti, & deffectū pecunię quā exhibet creditori, á quo illud emit, patiatur aliquod interesse dāni emergētis, vel lucri cessantis: quod accidit, quādo rogatus á creditore illo, in eius vtilitatē emit debitū illud, reddita pecunia quā alicui negotio habebat expositam: secundo, ita vt propter emptionē illius debiti nullum interesse patiatur, veluti cum vltro & propria sponte debitū illud emit, non vt creditoris vtilitati cōsulat, sed propriæ. Quando rogatus á creditore emit, & in illius vtilitatē, reddita illi pecunia quam negotiis & lucris ex positam habebat, certum est apud omnes, posse

posse tanto vilius debitum illud emere, quantum fuerit interesse, & nocumentum quod patietur damni emergentis, vel lucri sibi cessantis ratione illius emptionis: Quia titulus iste exigendi & recipiendi compensam damni emergentis, vel lucri cessantis, cũ cõditionibus illis quas docuimus, in omni contractu habet locum, tã mutui, quam emptionis, quã in quocũq; alio, in quo vere & realiter contrahens interesse illud patietur in vtilitatem & commodum alterius. Quęstio ergo presens est vbi emptor huiusmodi debiti nullum patitur interesse.

Obseruemus secũdo, huiusmodi debita in futurum soluenda duplicia esse, quędam quorum solutio non est ita facilis, & certa: alia vero, quorum solutio adueniente termino certa est, & indubitata, & sine vllo labore ac difficultate recipienda. Priorum solutio incerta & difficilis esse potest tribus potissime modis. Primo, quando debita nõ sunt liquida, sed sub lite, vel quo ad debitum ipsum, vel quo ad illius quantitatẽ. Secundo, quando etsi debitum liquidũ sit, illius tamen solutio propter debitoris pauperiẽ, vel impotentiã, aut fraudes quibus vti solet maxime incerta. Tertio, esto nihil horũ existat in debito, potest nihilominus accidere vt nequat illud sine labore, & expensis recuperari. Huiusmodi debitorum solutiones incertæ sunt, & difficiles, & in his conueniunt omnes DD. posse illa ante terminum vilius emi, iuxta illorum difficultatem & incertitudinem arbitrio prudentis. Nam vt recte dicunt Angel. & Syluest. inferius citandi, *Nostra interest litibus & sumptibus non vexari*: vt habetur. L. Minoribus. ff. De omnibus. Et omniũ consensu, debita in futurũ recuperanda cũ istis periculis, & aliis cõditionibus affecta, minus valent.

Tota ergo questio est circa priora quę secura sunt, & quę adueniẽte termino, certò, facilè, & sine vllo labore, vel expensis recipientur, & in quibus emptor nullum patitur interesse. Nam Caiet. in summa verb. Vsura, circa finem, vbi agit de pagis montis Ianuẽsis, Summa Armilla Verb. vsura. nu. 50. & 51. Sũma Rosella, vt refert Sylu. verb. vsura. 2. q. 14. nu. 4. habet autẽ illud, Rosella verbo vsura. 2. §. 15. & Nauar. in Manu. c. 17. nu. 232. sentiũt debita in futurum soluenda, quamuis certa, & sine vlla difficultate recipienda in termino, posse nihilominus vilius emi: Vt si Petrus debeat Ioanni 100. soluenda post annũ, esto debitum hoc certum sit, & quod adueniente termino sine vlla difficultate recipietur á Petro, posse nihilominus emi illud modo á Ioanne tuta conscientia pretio vt 90.

Eandem opinionem tribuunt nonnulli Innoc. In cap. In ciuitate. De vsuris. sed falluntur cum Innoc. eo loco vt admonet Sylu. loco cita. nu. 1. solúm loquitur de actione debiti dubii, & cũ periculo: Post multa enim quæ ibi habet, concludit: potest quis conscientia bona emere actionem iam ortam tempore contractus, etiam minori pretio, quia exponit se periculo.

Probatur vero opinio Caiet. his potissime argumentis. Promo, si huiusmodi contractus esset iniquus, certe quia interueniret in eo aliqua vsura, vel iniustitia: at neutrũ istorũ in eo reperitur, ergo nõ est iniquus. Imprimis non reperiri in eo vsuram sic ostendunt. Vsura non reperitur nisi vbi interuenit mutuũ, vel aperte & explicite, vel implicite & virtute, sicut diximus de vendente ad creditum: at in contractu de quo hic loquimur, nullum interuenit mutuum, ergo neq; vsura. Probatur Minor: Quia vbi interuenit mutuum, siue formale illud sit, siue virtuale, periculũ rei mutuatæ non manet penes mutuantem, sed penes mutuatarium; ita vt si pecunia vel res illa mutuata pereat, accipiẽti pereat non ei qui dedit, & mutuauit: In hoc autem contractu de quo hic disputamus, omne periculũ manet apud eum qui confert pecuniam, & emit solutionem illam siue pagã acerbam, ita vt si debitũ illud quod emit ab altero, aliqua ratione pereat, nec recuperetur, ipsi pereat, non priori creditori qui illud vendidit. Adhæc in mutuo potest mutuans repetere rẽ á se mutuatam, saltem adueniente termino mutui, at si Petrus emat a Ioãne pagam acerbam vt 100. collatis illi 90. non potest in perpetuum illa 90. quæ dedit repetere á Ioanne, ergo hic contractus non est mutuum, sed vera ac realis emptio & venditio, in qua sicut in quacunq; vera & reali emptione & vẽditione Ioãnes trãstulit dominium illius debiti vt 100. in Petrũ pro pretio vt 90. & Petrus trãstulit omnino in Ioannem dominium illorum 90. tãquam pretium illius debiti vt 100. in futurum recipiendi.

Probatur iam altera pars, nullam iniustitiam reperiri in hoc contractu hac ratione. Emptio facta iusto pretio nullam continet iniustitiam: hic cõtractus vt constat est vera & realis emptio, 90. in presenti iustum

pretium sunt debiti vt 100. recipiendi post annum, ergo nulla ibi interuenit iniustitia. Probatur minor. Primo, quia iste nõ emit illa 100. pro 90. sed ius tantum, quod venditor ille habebat in illa 100. ius autem ad 100. post annũ recipienda non valet 100. sed 90. ergo emit pretio iusto. Quod autẽ ius ad 100. post annum recipienda non valeat 100. probant multis mediis. Primo, quia res quæ solum est in potentia & spe, non tanti æstimatur, vt constat ex dictis Contro. 9. vbi egimus de lucro cessante, quãti ea quæ est in actu: 100. verò post an nũ soluenda nunc non sunt in actu, sed in sola potentia, & spe: Secundo pecunia quę statim est vtilis, & quam statim possum cõuertere in proprios vsus, magis æstimatur, quàm ea quæ per annum vel multum tempus est mihi inutilis: at 100. recipiẽda post annum toto isto tempore sunt ementi debitum illud inutilia, 90. vero quæ recipit vẽditor sunt statim illi vtilia, debẽt ergo tanti æstimari ista 90. præsentia quãti illa 100. absentia, & haberi ista 90. pręsentia tamquam iustum pretium illorum 100. absentium, & tanto tempore inutilium.

Quod si dixeris, quãdo res venditur pecunia credita pecunia quoque illa cum sit absens, non est in actu sed in potentia sola, & subiecta periculis, nec est statim vtilis, sed post multum tempus, at nihilominus nõ potest res carius vendi, quã pecunia pręsenti. Hæc inquiunt non obstant, quia quãdo res venditur pecunia credita, interuenit mutuũ implicitũ, vt docet D. Tho. qua de causa non licet carius vendere: quia esset illud (sicut diximus) recipere aliquid vltra sortem ratione illius mutui, in hoc autem contractu (vt probatum est) nullum interuenit mutuum, sed est mera venditio & iusto pretio, vt constat.

Tertio passim fit vt habens censum redimibilẽ proprietatis vt dicũt 100. aureorũ, emat illũ 90. aureis: qui contractus non dãnatur, sed est in vsu, nec alio nomine, nisi quia solutio siue pensio illius census recipitur paulatim per singulos anos, ergo licet similiter debitũ futurum, cuius solutio absens est, vilius emere pecunia pręsenti. Et cõfirmatur. Sicut se habet fructus maturus & dulcis ad viridẽ, & acerbum, ita solutio pręsens ad futuram; sed fructus viridis & acerbus non tantum valet quantũ maturus & suauis, ergo nec solutio futura tanti ęstimanda est quanti pręsens, & ita 90. in pręsenti nõ minus censenda sunt valere quam 100. in futuro.

Quarto, emens ius in aliquod debitum soluendũ in futuro, perinde se habet, sicut qui emit triticũ in herba & in potentia, at triticum in herba tantũ existens & in potẽtia minoris ęstimatur ab omnibus, quã in tẽpore messis: ergo similiter debitum in futuro soluendum minus debet valere, quam solutum in pręsenti.

Quinto, (quo argumẽto vtitur Nauar.) Minus est habere actionem in rem aliquã, quã ipsam rem, sicut maius est habere possessionem illius, quã spem, quantũuis spes illa certa sit ac secura: vt habetur L. Minus. ff. De regulis iuris. Et Decius copiose in L. seu Reg. Qui actionem. ff. eod. tit. Sed ius in debitum, futurum vt 100. solam dicit actionem, ipsa vero 100. dicunt rem ipsam, ergo ius in debitum quod in hoc contractu vẽditur, minus debet valere quã ipsa 100. eruntq; iustum pretium illorum sola 90.

Sexto. Si pro debito futuro vt 100. redderentur statim in pecunia numerata alia 100. venditor haberet plusquã debet habere, hoc autem est iniquum, ergo pro 100. futuris non sunt reddenda in pręsenti alia 100. sed pauciora. Minor cum consequentia perspicua est, Maior vero habetur Instit. De actio. §. Placuit. vbi dicitur: *Plus soluit qui ante tempus soluit.*

Septimo, In quibusdam ciuitatibus Italiæ, vt Florentiæ, Placentiæ, & Ianuæ exercetur quidam contractus, quo emuntur debita quædam, & solutiones quędam futurę post triẽnium, certæ & securæ, quæ dicũtur pagę montis Genuensis, in quo contractu vendũtur solutiones futurę debiti vt 100. pro pecunia pręsenti vt 80. nec tamen hic cõtractus est iniquus, quin potius approbatus vt iustus, & licitus á Calixto 3. & Sixto 4. in suis bullis ęditis circa huiusmodi pagas montis Genuensis, vt refert Sylu. loco citato: licet igitur emere pagas istas acerbas, & debita futura, quamuis secura & certa minori pretio.

Oppositum docẽt Ioan. Medi. Cod. De restit. q. 38. ad finem. fol. 117. & in tractatu De censibus q. 7. Gabri. in 4. dist. 15. q. 11. dub. 4. D. Antonin. 2. p. tit. 1. c. 8. §. 3. & 4. vbi citat. in eãdem sententiã D. Tho. ad lectorẽ Florẽtinũ. Angelus verb. Vsura. primo §. 63. & 64. Sylu. loco cita. vbi in fine illius quęstionis 14. refert idem docuisse Alexan. Alen. Adrian. in 4. fol. 53. Soto lib. 6. de Iustia. q. 4. ar. 1. ad 5. cui subscribũt omnes fere recẽtiores. ex Iuristis

Ioannes

Ioannis de Anania in additio. ad Speculat. relatus ab Angelo loco citato, Barth. in L. Per diuersas, Cod. Mandati. & Bald. in L. 2. Cod. Ne lite pendente, vt colligit Sylu. loco citato. Quia cum doceant Bartho. & Bald. in istis locis, competens pretiũ actionis esse quod remanet deductis expensis, & labore pro recuperanda re factis, colligit & recte Syluest. iuxta eos non posse actionem minori pretio emi, quam sint iura ipsa, habito respectu ad laborem & expensas faciendas.

Probatur hæc opinio multis modis. Primo, Quia in hoc contractu perinde se res habet, ac si Petrus mutuasset Ioanni 90. recepturus deinde ab Andrea debitore Ioãnis 100. At recipere 100. pro 90. est recipere lucrũ ex mutuo, ergo est vsura. Probatur maior. Si dedisset Petrus Ioanni 90. recepturus ab eodem deinde 100. esset vsura, nec alio nomine, nisi quia pro 90. statim datis recipit postea 100. at quod pro 90. recipiantur centum ab eodem cui illa 90. data sunt, vel ab alio, nõ mutat naturã contractus, ergo hic contractus est vsurarius.

Secundo. Esto non esset in hoc contractu mutuum illud palliatum, nec vsura, sed esset mera emptio & venditio iuris, quod Ioannes habet in illud debitũ Andreæ, est nihilominus iniqua, & iniusta. Probo. Ius ad 100. quę certo recuperari possunt, & sine vllo periculo, vel labore, aut expẽsis, valent 100. quemadmodum hæreditas quę certo habenda est post annum, si tunc valet 100. & nunc similiter valet 100. quia dilatio receptionis illius non minuit verũ & iustum illius valorem & pretium, ergo emere ius ad 100. certa & secura pro 90. est inæqualitas inter pretium & rem.

Tertio, sequuntur ex ista sententia Caiet. varia incommoda. Nam primo si postularẽ à mercatore mutuo 100. posset ille dicere, nolo mutuare tibi 100. sed emere solũ ius ad 100. à te recipiendis post annum, pro 90. quæ nunc tibi exhibebo. Hic autẽ contractus est vsura: Quod vero sequatur probo. Idẽ omnino est habere ius recipiẽdi post annum 100. à me, quod ab alio, cũ iustitia contractus non mutetur ex personis, nec sumatur ex ipsis, sed ex natura rei & æqualitate rei ad rem: sed licet per Caiet. mercatori redditis mihi in presenti 90. emere à me ius recipiendi ab Andrea post annum 100. quę debet mihi, ergo licebit similiter eidem emere idem ius in me, ita vt redditis mihi nunc 90. habeat ius recipiendi á me post annum 100. at hoc est vsura, ergo & illud.

Secundo sequeretur, vt si Petrus conferat Ioanni 100. soluenda post annum, Ioãnes vero oblata sibi occasione pecunię soluat illa statim post mensem, non possit Petrus recipere à Ioanne integra 100. sed pauciora. Probo sequi: quia ista 100. quæ soluit statim post mensem non erat soluturus nisi post annum, ex Caiet. autem 100. soluenda post annum non valent nunc 100. sed minus.

Sequitur Tertio, ex eodem fundamento, vt liceat carius vendere pecunia credita. Patet consequentia: Quia secundum rem idem profecto sunt vendere 90. quę in presenti nõn valent nisi 90. pro 100. accipiendis anno vẽturo, quod vendere rem in presenti non valentem nisi 90. pro 100. quorum solutio expectanda est per annum.

Quarto sequitur, posse debentem quantitatem aliquam. (v. g.) 100. soluẽda post annum redimere minoris suũ debitũ, sicq; pacisci & conuenire cum suo creditore, debeo tibi 100. quæ non teneor soluere nisi post annum, reddam statim tibi 90. pro toto debito, & ero liber, quod tamen non licet, sicut respondit D. Tho. lectori illi Florentino, vt refert Sylu. loco citato nu. 3. ergo neq; licet illud quod habet Caiet. Quod autẽ sequatur probo. Primo, ex fundamento Caiet. quia ius recipiendi 100. post annum in presenti non valet 100. sed 90. Secundo, quia ex Caiet. alteri liceret ita pacisci cum illo creditore, ergo & ipsi debitori, etenim cũ iustitia contractus nõn attẽdatur penes has vel illas personas, sed penes ęqualitatem solam rei ad rẽ, per accidens est fieri huiusmodi conuentionem & pactum cum creditore illo ab eodem debitore, vel ab alio, si reddat debitor pro iure illo idem pretium, quod alius redderet.

Nauar. fatetur sequi hoc quartum ex opinione Caiet. non tamen sentit esse incõmodũ, imo licere: at Caiet. & alii negãt illud sequi, asserentes maximũ esse discrimen inter ipsummet debitorem & aliũ tertium, vt docet D. Tho. ad illum lectorem Florentinũ. Quia debitor ipse tenetur debitũ illud reddere securum, & constans creditori vi conuentionis, & contractus inter ipsos initi, ad quod non tenetur alter, & ita debitor nullomodo potest detrahere aliquid ab integra quantitate debiti, nisi aliquo legitimo titulo & causa excusetur,

qualis non est anticipare solutionem.

Ex quo sequitur primo, hoc quartũ incõmodum non habere eã vim contra opinionem Caiet. quam habent præcedentia.

Sequitur secundo. Iniquum esse vel vsurarium contractum illum quo vtuntur passim & frequenter mercatores Ianuenses, vendentes merces proprias vel aliorum sibi comissas pretio vt 100. soluẽda post annum, & conuenientes deinde cum eisdem emptoribus, vt pro illis 100. quæ debent post annum, reddant statim 90. Quia vel merces quas illis vendunt tempore contractus, valent reuera vsu fori & pretio iusto 100. aut 90. si quidem 100. vsurarii sunt emptores qui eo quod reddãt statim 90. liberantur ab illo vero & iusto debito vt 100. non alio nomine quam propter anticipatam solutionem, quæ cum sit ex D. Thom. quoddam mutuum palliatum, efficitur profecto, huiusmodi emptores ex illo mutuo recipere tanquam lucrum, quod de trahunt ab illo iusto pretio. Si vero iustum pretium mertium illarum est 90. sicut reuera est, (nam hic latet anguis) vsurarii sunt venditores, vendentes merces valentes iusto pretio sola 90. pretio vt 100. propter dilatam solutionem, quas in numerato vẽdidissent pretio illo vt 90. quod vel ex eo constat, quod cum primum illa 90. ipsis redduntur, reliquum dimittunt, ac recte se vendidisse arbitrãtur. Nisi dicãt mercatores Ianuenses se ita vendere, quia cum sint vere mercatores, & actu negotia exercentes, habent semper pecunias negotiis expositas, ac propterea nunquam se vendere ad creditum, quin patiantur reuera aliquod lucrum cessans: Attamen ex eo solo quod venditores actu negotia exerceant, non licet eis titulo lucri cessantis carius vẽdere ad creditum, nisi seruatis conditionibus quas inferius proponemus Cõtrou. 18. explicantes quando liceat ratione lucri cessantis carius vendere.

Sed redeuntes eo vnde digressi sumus, quod spectat ad presentem quæstionem de pagis acerbis, inter illas duas opiniones refertur tamquam media, ea quam docuit eruditus Pater Magister Ioannes á Peña, asserens huiusmodi contractum, antequã fiat, esse suspectum, & reiiciẽdum, post factum vero tollerari posse, nec esse compellendũ ad restitutionem, eum qui emerit aliquam pagam acerbam minori pretio, Cum Caiet. & Nauarri authoritas sufficiat, vt opinio ista probabilis sit, & possit quis illam sequi tamquam probabilem.

Ex his tamen opinionibus re diligenter & mature inspecta, ea tãtum quam secundo loco proposuimus habenda est tamquã vera, ac propterea merito inter DD. magis communis, magisq; recepta.

Hæc namq; vltima (vt ab ea exordiamur) non est rationi consona, Quia vel cõtractus iste est iustus, & licitus secundum se, nullam continens inæqualitatem, vel vsuram, aut est iniquus & iniustus, vel ratione alicuius vsuræ palliatę, vel ratione alicuius inæqualitatis & iniustitiæ in eo cõtentæ, siquidẽ iustus sit, & omnis iniustitię & inæqualitatis expers, sicut potest tollerari post factũ, ita quoq; poterit licitè permiti antequã fiat, quod si iniustus est & iniquus, sicut antequam fiat, est suspectus & reiiciendus, ita quoq; & post factum, non enim quod antequam fiat est reiiciendum vt illicitum, redditur licitum vel tolerandum eo quod fiat. Sicut enim iuxta communem regulam Iurisperitorum: *Quod a principio infirmum est, tractu temporis nõ redditur validum & firmum,* Ita quod antequã fiat admittendum non est, neq; post factũ debet tollerari. Adde quod limitationem istam Magis Ioann. á Peña crederem admitti etiã á Caiet. ita, vt huiusmodi emptiones neq; Caiet. consuleret, sed disuaderet antequam fierent, post factum vero non compelleret emptorem ad restituendum. Et Nauar. ipse loco cit. habet non esse cõsulendam, quod est argumentum illam non esse satis securam.

Ego certe non negabo illam esse probabilẽ, si dialectico more hac voce vtamur, vt probabile sit quale diffiniuit Aristo. 1. Topi. *Quod videtur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus,* cum illam habeant Caiet. Nauarr. & nõnulli alii viri eruditi & magni nominis: Nihilominus illam nec securã censeo, nec veram, nec repugnat vt simul probabilem iudicem propter authoritatem asserentium illam, & simul falsam secundũ se, cum dixerit Idem Aristo. *Multa falsa esse probabiliora multis veris.* Quod autem secura non sit, constat (vt modo dicebamus) ex ipso D. Nauar. & omnibus recentioribus, qui etsi illam probabilem vocent in sensu explicato, nulla tamẽ ratione censent consulendam, imo in praxi compellẽdum ementem huiusmodi debita, quæ certa sunt & secura, minori pretio, ad restituendum deffectum.

Quod vero & falsa sit, pręter argumenta iam

ta iã adducta cõtra Caiet. Cõfirmatur Primo, quia si aliqua ratione opinio illa Caiet. constare posset, maxime quia pagę huiusmodi non emuntur minori pretio ratione & titulo anticipatæ solutionis, sed quia illud minus prætium in presenti solutum, á peritis & prudentibus in exercendis negotiis iudicatur iustum, experimur autem oppositum, viros prudentes & peritos in negotiis 100. futura tunc tantũ minoris estimare, quando in illis recuperandis existit periculum, vel difficultas aliquas expẽsas, vel labores allatura, vbi vero nihil horum existit, sed recuperatio debiti certa est, & secura, ac sine vllo labore, vel expensis habenda, nullus est prudentum & peritorum qui censeat 100. valere minus quam 100. quin & Summa Armilla huic quoque rationi nititur, dum docet pagam acerbam posse minoris emi, quia debita futura semper afferunt secum aliquod periculum. Ex quibus sic argumentor: Centum futura, vbi debiti solutio certa est, ac secura, & sine vllo labore, vel expensis recipienda, iuditio peritorum & prudentum non valent minus quam 100. qui ergo illa emerit pro 90. presentibus, nulla alia ratione vel titulo potest illa vilius emere, quam sola ratione anticipatæ solutionis, & preuentionis temporis, hac vero sola ratione detrahere à iusto rei valore & pretio est vsura, ergo.

Confirmat illud optime Angel. loco cita. q. 64. quia quanto debitum, quod emitur, tardius erat soluendum, minori pretio emitur, quidquid sit de illius certitudine, cæteris enim omnibus paribus 100. soluenda post duos annos vilius ementur, quam si essent soluenda post annum, ab emptoribus qui iuxta Caiet. opinionem emunt huiusmodi pagas acerbas: Quo fit vt ratione anticipatæ solutionis debiti tardius recipiendi detrahatur à valore debiti, quidquid huiusmodi emptores detrahunt, quã ratione vilius aliquid emere constat inquit Angel. Vsurarium esse ex cap. Consuluit. Cap. In ciuitate. & cap. Fina. De vsuris.

Secundo, Non licet merces aliquas certo tradendas, ac sine vllo labore vel expẽsis recipiendas minoris emere, quam illæ tempore traditionis valent, vt videbimus Controu. 23. agentes de venditione lanarum; sed per Armillam, Caiet. & Authores alterius opinionis emens pagas acerbas non emit ipsas pagas, sed iura ad illas perinde omnino ac si emeret aliquas merces, ergo cum debita ista vel iura in illa sint certa, & secura, debent emi eodẽ pretio quod valebunt tempore recuperationis, ergo nõ licet ea anticipata solutione minori quantitate emere, quam sint recipienda.

Deniq́, argumentor, ex eodem fundamento Caiet. Qui emit debitum futurum vt 100. non emit illa 100. neq́; debitum illud, sed solum ius & actionem in illa 100, sed actio ad rem vbi nullum est periculũ, vel labor, sed omnis certitudo, securitas, & facilitas, non valet minus quam ipsa res ad quam est talis actio, vt recte docent Bartho. & Bald. locis cita. à Syluestro, ergo actio & ius ad 100. valet reuera 100. nec potest minoris emi, aliter esset aperta inęqualitas inter rem & pretium: Vel certe si 90. data in presenti essent iustum pretium actionis certæ & securæ in 100. anticipatio solutionis & pecuniæ daret iustum valorem, efficeretq́; vt 90. in presenti valerẽt tantum, quantum 100. futura, quantumuis certa, & secura, quod est falsum, & contra definitionem Pontif. in illis capitibus adductis, & recte, ab Angelo.

Ex his omnibus colligo opinionem istã Caiet. ab eo tantum tuta conscientia posse obseruari, qui videns á Caiet. & Nauarr. & aliis haberi, bona fide illi adhæreret, credens esse verã, & securam, & ignorans à pluribus & grauioribus Doctoribus & cõmuniter in scholis iudicari falsam: Absolute tamẽ & simpliciter illa omnino falsa est, & conscientiis fidelium maxime periculosa, & reiicienda tamquam vsuraria, vel saltim ansam prebens multis vsuris, & aditũ parans tam ad vendendum carius expectata solutione, quã ad emendum vilius illa anticipata, & multa cambia, & recambia quæ dicuntur ficta, & sica.

Argumenta vero illius facile soluuntur.

Ad primum enim respondeo, In huiusmodi emptionibus cõtineri mutuum implicitum, sicut & in anticipata solutione; cum talis emptio minori pretio nihil aliud reuera sit, vt ex argumentis adductis constat, quam quædam anticipata solutio illius debiti quod sic emitur. Ad probationem vero illam, qua nititur Caiet. ostendere non esse mutuum, sed veram & realem emptionem, dico: esto venditor non maneat obligatus ad reddendum aliquid immediate per se ipsum illi emptori, neq́; maneat emptori aliqua actio & ius recuperãdi aliquid

ab illo venditore, sufficere nihilominus, vt sit vere quoddam genus mutui, vt maneat obligatus in aliena persona, suo scilicet debitore, qui substituitur illi emptori vice & loco ipsius venditoris: Passim enim fit Petrum mutuare Ioanni 100. & quia Petrus non habet integram securitatem in Ioãne, postulare ab illo fideiussorem Andræam, manereq; Andręam deuinctum pro mutuo exhibito Ioanni, quo casu etsi Petrus noluerit recipere actionẽ & ius in Ioannem sed in Andream, quem nouit securum solutorem, nihilominus vere mutuũ illud fuit exhibitum Ioanni: Ita in hoc casu, perinde res se habet, ac si emptor pagæ acerbæ conferat mutuo venditori 90. quorum venditor sit mutuatarius substituens loco & vice sui alium sibi debentem 100. soluẽda post aliquod tempus. Vnde quemadmodum in anticipata solutione est mutuum sub colore & titulo anticipatæ solutionis, quia anticipate soluens perinde se habet, ac si pecuniam illam mutuaret venditori recipiendã ab eodẽ deinde in mercibus, ita & emens debitum futurum & pagas istas quas vocamus acerbas, perinde se habet, ac si mutuaret venditori illius pagę, pecuniam quam in presenti illi tradit, recipiendam deinde ab ipso per interpositam personam debitoris in illo debito: quo fit vt sit mutuum quoddam sub colore & titulo emptionis debiti. Nec obstat quod ait Caiet. in mutuo mutuantem habere ius in mutuatariũ, in huiusmodi autem emptionibus emptori nullum manere ius in venditorem, sed in solum debitorem illius, quia emptor suscipit in se omnem curam & periculum illius debiti. Nã & cum Petrus (vt modo diceba mus) mutuat Ioanni pauperi accepto Andrea in fideiussorem, à quo solo vult debitum illud sibi solui, Petrus nullum ius & actionem habet nisi in solũ Andreã, at nihilominus mutuum vere fuit factũ Ioanni: fuitq; vere Ioannes in tali contractu mutuatarius. Ad alteram partem eiusdem argumenti constat ex dictis, casu quo talis contractus non esset mutuum palliatum, sed vera & realis emptio & venditio, esse illam iniquam, quia ius in 100. secura, & certò recipienda sine vllo labore, & expensis valet 100. nec à peritis & prudentibus censentur minus valere.

Ad secundum respondeo, pecuniam ex se sterilem esse & infructiferam, nisi quatenus subest negotiis & industriæ mercatoriis, qua de causa si mercator volens reuera cum sua pecunia negotiari & lucrari, rogatus tamen ab alio debitum illius emat, poterit tantum à pretio illius debiti detrahere, quantum ratione lucri propter emptionem illam ipsi cessantis prudens iudicaret detrahendum: Si vero emptor huiusmodi debiti & pagæ non erat cum illa pecunia negotiaturus, neq; debitum illud litigiossum erat, vel cum aliquo labore aut expensis recuperandum, sed certum, & securum, ac facile in termino recuperandũ nulla ratione licet minoris illud emere; nec pecunia absens certa & secura est minus vtilis quam presens, preter quam viro cum illa negotiaturo vt ex dictis constat. Nec valet exemplum Caietani de terra per duos vel tres annos habẽda sine fructibus, & propterea vilius empta: nam cum terra ex se fructifera sit, emens illam sub pacto vt per aliquod tempus fructus illius non recipiat, iuste ac recte postulat tãtum pretii ab illius valore detrahi, quãtum detrahitur sibi fructuum, quos toto illo tempore sublato tali pacto recepisset: quod profecto pecuniæ secundũ se nõ conuenit, cum ex se infructifera sit.

Ad tertium dico, de huiusmodi censibus eadem omnino ratione iudicandum esse, sicut & de pagis acerbis de quibus agimus, ita vt si recuperatio annuæ pensionis illius aliquam habeat difficultatem, vel litem, aut proprietas periculum, tantum liceat à valore illius census minuere, quantũ prudẽs & peritus iudicaret ratione illius difficultatis, & litis, vel periculi: Vbi vero cẽnsus proprietas secura est, & ab omni periculo & lite aliena, & recuperatio annuę pẽsionis similiter facilis & secura, nullo modo licet cẽsum aliquẽ vilius & minoris emere, quam secundum se valeat integra illius proprietas. Et oppositum, si à quibusdam fiat, inique fit, & cum obligatione restituendi deffectum illum, & quidquid ab integra proprietate detraxerunt: nec potest introduci consuetudo in oppositum, aut si introducta sit, non est dicenda consuetudo sed corruptela: quia seruare iustum pretium in omni emptione & venditione est iuris naturalis, cui nulla consuetudo derogare potest. Qua vero ratione propter mutationem temporum mutentur pretia cẽsualiũ, & pensiones eorũ, possintq; antiqua quæ alio deinde tempore venduntur, carius vẽdi, vel vilius emi, quam fuerint à principio instituta, explicabimus inferius in peculiari tractatu de Censibus.

Ad

Ad quartum respondeo, non esse accõmodatum exemplũ illud de tritico in herba debito, de quo hic loquimur. Primo, quia triticum in herba secundum se non valet quod triticum perfectum, at 100. certa & secura semper valent 100. quamuis non sint recipienda nisi post annum. Secundo, quia triticum in herba habet incertum fructum, cum posſit multis viis impediri, ne perueniat ad messem, quod non conuenit debito, de quo hic loquimur. Tertio, quia triticũ in herba ducitur ad messẽ, vt fructus terrę fructiferę, in qua progressus tẽporis est prętio ęstimabilis, at in pecunia ratione temporis nec augetur, nec minuitur pretium, sed 90. hodie, sunt 90. post annum, & 100. certa & secura post annum sunt 100. hodie. Eodem modo respondeo ad confirmationem illius argumenti, nam fructus viridis & acerbus potest variis modis impediri, ne perueniat ad maturitatem, debetq; maturescere virtute terrę, quæ fructifera est & pretio æstimabilis, debitum autem certum & securum, etsi dicatur maturescere quo ad pręsentiam solutionis, vnde sumpta est ista similitudo & metaphora, non tamẽ dicitur maturescere quod ad augmentum vel decrementum valoris, cum pecunia quocunq; tempore sumatur siue pręsens, siue absens, siue hodie, siue post annum, vbi nullum est periculum, nec labor in illa habenda, nec cessatio alicuius lucri ex illa negotiis exposita, eundem semper habeat valorem.

Ad 5. constat iam ex dictis in argumento secundo, quo nostram sententiam probauimus, ius siue actionem in 100. certam & securam non minus valere quam 100. commune enim dictum, possessionem pręstare spei, intelligendum est, quando spes illa potest impediri, vel quando propter deffectum possesſionis patitur, qui rem illã nondum posſidet sed sperat, damnum aliquod vel cessationẽ alicuius lucri: at quãdo actio certa est, & ab omni periculo & impedimento secura, & citra omne damnum vel cessationẽ alicuius lucri certi, vel probabilis, eiusdem valoris est talis actio, quanti & res illa in quam habetur.

Sexto argumento respondent & recte Angel. & Sylu. locis citatis, proloquium istud. *Plus soluere qui ante tempus soluit*, verum esse in eo qui soluendo ante debitum tempus patitur aliquod interesse, & ideo cogentem illum ad soluendum ante debitũ tempus plus petere, vt habetur in cap. 1. De plus petent. Quod si soluens ante debitum tempus nullum patiatur interesse nec damni emergentis, nec lucri sibi cessantis, ex illa pręmatura solutione, nõ plus soluere: Quomodo res se habet in nostro casu, reddens enim nunc 90. pro debito certo ac securo vt 100. soluenda post annum, vbi nullum ex eo patitur damnum. nec amittit lucrum, non soluit plusquam 90. quo fit vt ista 90. non sint iustum nec æquale pretium illi debito vt 100.

Vltimum argumentum postulat quæstionem illam, cuius occasione pręsentem tractant potisſime Doctores.

AN PAGAS ILLAS MONtis Genuensis liceat minoris emere?

IN quibusdã ciuitatibus Italiæ vt Ianuę, Florentiæ, Placentię, & similibus habent Communitates ipsæ, & priuati quoque ciues earum quosdã redditus certos, & securos, vel in vectigalibus, vel in fructibus & prediis quorundam locorum, qui in terminis & ditionibus vel montibus huiusmodi ciuitatum existunt, quos redditus non recipiunt domini illorũ, siue sint ipsęmet Cõmunitates, & Senatus earum, siue priuati ciues, nisi per triẽnia vel quatriennia, nempe singulos eorum post tres vel quatuor annos. Accidit Senatum Ianuensem vel Ioãnem ciuem Ianuensem habere in monte Ianuensi 10. loca, ex quibus recipit tertio quoque anno 100. libras. Initio triẽnii, vel duobus annis antequam redditus huiusmodi sint ipsi persoluendi, Petrus emit ab illo huiusmodi redditus, exhibens illi statim & in numerato pro singulis quibusq; 20. solidis 15. solidos. Disputant DD.

An huiusmodi contractus sit iustus, & licitus.

Conuenit enim illi ex vna parte, vt debitum illud sit certum & securum, quia loca illa sunt obligata ad redditus illos persoluendos in termino citra omnem litem, vel moram: vnde iuxta ea quę modo diximus, videtur hic contractus iniquus & iniustus, quia est emere debitum certum & securum minoris quam valeat. Ex alia parte hic cõtractus (vt refert Sylu. loco citato) est vtilisſimus tam Reip. ipsi, & Senatui, quam priuatis, quia hac via habent ex Gabellis 15. solidos securos pro 20. qui forsan non reciperent 12. nec forte 10. vt periti ac experti in his testãtur: similiter ex fructibus:

Vbi

Vbi videtur esse quædā donatio, quia Senatus, vel ciuis conferenti sibi in presenti 15. solidos pro 20. illam superabundantiā vt 5. libere & gratis confert propter bebeneficium quod ab illo recipit.

In hac quæstione, de iustitia huius contractus non est ambigendum, cum authoritate Sedis Apostolicę maxime decreto Sixti 4. constituatur, ac definiatur esse iustus, & licitus: vbi idem Sixtus profitetur se huiusmodi cōtractus, & iustitiæ, ac ęquitatis illius habere plenam notitiam: Sed qua ratione iustus sit, oportet Theologum nosse: hoc enim est muneris Theologici omni poscenti rationē raddere: neq; enim Summi Pontif. pro libito ac temere ista decernunt, sed sapientissime, ac certissimis adducti rationibus.

Angelus loco cita. q. 64. & nonnulli alii qui precesserunt Beatissimos Patres Calixtum, & Sixtum, damnarūt huiusmodi contractus, existimantes illos nihil aliud esse quam anticipatas solutiones illorum redditaum, seu debitorum, quæ cum certa sint & secura, non possunt minoris emi, quam secundum se valeant, iuxta ea quæ docuimus in hac Controu.

Caiet. duplici nomine censet illos iustos & licitos, Primo, quia (vt vidimus) iuxta ipsum, licet emere pagas quascunq; futuras minori pretio. Secundo, & potissime, qui huiusmodi redditus non emuntur per vnum tantum vel alterum triennim, sed absolute & simpliciter in perpetuum, eo modo quo emuntur census: vnde qui emit huiusmodi pagas, perinde se habet, ac si emeret censum aliquem impositū in illis vectigalibus, siue fructibus, & prediis illorum locorum montis Genuensis. Quo fit, vt sicut emens sensum pretio cōmuni fori in tali loco iuste emit, ita emens in huiusmodi monte Genuensi 100. (V. g.) libras recipiendas in fine singuli triennii, reddēs ipse in principio eiusdem 15. solidos in numerato pro singulis quibusq; 20. iuste emat: Quia quacunq; ratione emptiones istæ huiusmodi pagarum inceperint, transierunt in naturam & vim census.

Aliqui recentiores ex nostris non recte intelligentes consuetudines Italiæ iudicarunt Ianuensibus, & Florentinis, ac similibus licere ita emere ratione lucri cessantis: quia tam Ianuenses, quam Florentini, quam similes Itali negotiantur semper, nec patiuntur vllo tempore suam pecuniam esse otiossam, & propterea ratione lucri quod habuissent ex aliis negotiis, cessat vero ipsis emendo huiusmodi pagas, posse tuta conscientia excessum illum recipere. Sed hi decipiuntur plurimum, quia esto pleriq; ciues Ianuæ, & Florentiæ negotiis incumbant, non tamen omnes, at huiusmodi pagas in vniuersum concedit Sixtus 4. ab omnibus iustè, ac licitè posse emi, ea ratione qua diximus, nec distinguit inter habentes pecunias negotiis expositas, & eos qui non habent: *Vbi autem lex non distinguit, neq; nos distinguere debemus*, iuxta regulam Innocētii, Adde quod re ipsa multi qui nulla negotia exercent, emunt istas pagas, sicut emerēt census antiquos, in quo recte dixit Caiet.

Syluest. sentit & recte Ianuā & similes Resp. quæ non recognoscūt superiorē, cū possint condere sibi ipsis leges, quia habent vt vidimus in disputatione de Vetig. art. 3. Controu. 1. plenam authoritatem ad se ipsas gubernandas, & quam olim habebat Imperator in toto orbe, condidisse hāc legem, vt huiusmodi pagarum montis Ianuensis & similium iustum pretium sint 15. solidi in presenti pro 20. recipiendis post duos, vel tres annos: quam legem potuit iuste condere, vt sibi suisq; ciuibus, vtilem sicut modo vidimus ex eodem Syluestro: virtuteq; huius legis iuste imponentis pretium illud tamquam iustum, eos qui sic emunt, esse tutos in conscientia: sicut & cęteros omnes, qui merces aliquas emunt pretio illis à lege cōstituto, diximus iuste emere q. 77. art. 1. Controu. 2.

Vnde ad argumentum illud septimū neganda est similitudo. Quia ementes pagas istas montis Genuensis minoris quam illæ sint, non emunt illas vt pagas & debita futura, sed vel tamquam cēsus quorum illud est iustum pretium communi vsu fori, vt ait Caiet. vel quia authoritate legis in quā omnes consenserunt, & confirmauit Sedes Apostolica, illarum pagarum illud est iustum pretium, siue illud sit per liberum cōsensum & donationem implicitam dominorum illarum pagarum, siue quia potest Resp. dominia bonorum ab vno transferre in alterum propter bonum commune, vt in lege Prescriptionis: & ita transfert illam superabundantiam 5. solidorum supra 15. in ementem pagas illas, quia sic expedit ipsismet ciuibus creditoribus illarum pagarū & debitorū, maxime cū fateātur ipsi creditores in illis locis huiusmodi emptiones sibi plurimum expedire. In aliis autem debitis liqui-

liquidis, certis, ac securis hoc non licet, quia emptio huiusmodi debitorum nec potest dici census, nec lege aliqua est illis cõstitutum tale pretium, neq; creditores censendi sunt partem illam quæ ipsis detrahitur ab integritate debiti, liberè donare, nisi apertè, ac liberè, & sine vlla vi vel fraude ipsimet illud exprimant.

Controuersia. XVIII.

AN LICEAT CARIVS VENdere ad creditum ratione damni emergentis, vel lucri cessantis venditori propter dilatam solutionem.

SEcundus titulus, qui afertur à mercatoribus, sumitur ex damno emergente, vel lucro cessante: Etenim cum accidat nonnũquam, pretium commune & receptum vsu fori esse adeo tenue, vt non æquetur pretio quo mercator eandem rem prius emit, & expensis quas fecit in ea afferẽda, ita vt si pecunia presenti illam vendat, ac pretio currenti, patietur grauem iacturam & damnũ: si verò pecunia credita, inueniet emptorem qui carius emens exhibeat illi pretium commodum, quo etsi non lucretur, nullum tamen patietur damnũ. *Sacara* (vt dicunt) *siquiera su caudal*, volunt propterea mercatores saltim in hoc casu posse ipsos carius vendere pecunia credita, vt valeat venditor se ipsum hac ratione seruare indemnẽ. Tũ etiã quia si venditor pecuniam statim acciperet, traderet eam negotio, ex quo aliquid lucraretur, qua tamen commoditate & lucro priuatur vendens pecunia credita; qua de causa volunt hoc etiam nomine (ratione scilicet lucri cessantis) posse carius vendi, quando expectatur solutio.

Id ita licere. Probatur primo. Mutuãs potest aliquid recipere vltra sortem ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, in venditione pecunia credita est quoddam mutuum tacitum, ergo licebit carius vendere & accipere illud vltra pretium commune fori, quando patitur venditor damnum emergens, nempe quando si venditor pecuniam statim accepisset, exposuisset illam alicui negotio & lucro, quod propter dilatam solutionem ipsi cessat.

Secundo, non minus seruit Reip. & bono communi mercator qui propria sponte merces hic inde quæsitas adducit vendendas ciuibus, quam qui conducitur à Rep. vt illas querat, adducat, ac custodiat vendendas, quando ciues indiguerint, & postulauerint: sed mercator ita conductus à Rep. potest carius vendere, quam sit commune pretium fori, & postulare valorem, & expensas, seruareq; se indemnem: ergo & qui propria sponte illas adducit, & vendit, poterit eodem equitatis iure se ipsum seruare indemnem. Hoc autem non potest, nisi vendat expectata solutione, & propterea carius: quia ementes pecunia presenti non reddent nisi pretium currens in foro, quod est vilius: ergo licebit illi hac via, hoc nomine vt se indemnem seruet, carius vendere expectata solutione.

Tertio, quo principio sepe vsi sumus in precedentibus Controuersiis, Nemo debet alteri cum proprio damno & iactura beneficium præstare, qui vero vendit ad terminum, pretii solutionem expectans, prestat emptori maximum beneficium, quod illi non debet: ergo poterit, si quod interesse patiatur vel damni emergentis, vel alicuius lucri cessantis, ad illud compensandum carius illi vendere. Et confirmatur, quia quicunq; beneficiũ ab altero recipit, tenetur benefactorem suum seruare indemnem, non seruaretur autem vendens ad creditum à damno quod patitur, vel lucro quod sibi cessat ex dilata solutione indẽnis, nisi carius venderet sic ementi, ergo licet carius illi vendere.

Hic titulus à nonnullis damnatur, eò quod D. Thom. in vniuersum & sine vllo discrimine sentit in hoc art. non posse res carius vendi ob expectatam solutionem: à nonnullis verò probatur ob rationes adductas. Caiet. Et Richard. probant illum sicut in mutuo, seruatis illis conditionibus quas diximus desiderari, vt mutuans possit recipere lucrum cessans.

Magister Soto lib. 6. de Iust. q. 4. ar. 1. damnat hunc titulum, saltim quod ad lucrum cessans, sicut damnauit illum in mutuo, adductus eadem ratione, Quia illi tãtum vere dicitur lucrum cessare ex venditione, qui coactus vendit, vendere autẽ coactus ille solus dicendus est, qui aliqua vi vel fraude compulsus vendit, at isti vẽditores vltro & spontanee vendunt: In eãdem sententiam adducit D. Anton. 2. p. tit 1. cap. 8. §. 2. vbi aperte negat ratione lucri cessantis posse rem carius vendi. Et Panormit. cap. Ad nostram. De emptio & venditio.

venditio. qui cum communi Canonistarũ sententia reos faciunt vsuræ, quotquot carius vendunt pecunia credita quam numerata.

Medina quæst. illa 38. Cod. De restit. & Conrrad. q. 59. & recentiores volunt huiusmodi titulum non posse ita absolute, & omnino damnari, sed aliter necessario iudicandum esse de damno emergente, & aliter de lucro cessante: Quæ vt apertiora reddantur.

Obseruemus primo. In contractus venditionis, hoc damnum, nempe rem non vẽdi tanti quanti stat mercatori, computatis in vnum pretio & expensis, non oriri ex ipsa venditione, vel modo vendendi pecunia credita vel numerata, sed ex varia fortuna & mutatione temporis, quo mutatur etiam communis vsus fori, cui damno exponit se mercator, eo ipso quo vult exercere emptiones & vẽditiones. Aliter oporteret, mercatores semper lucrari, aut saltim nunquam pati aliquod damnum, quod est contra naturam mercaturæ, cui propriũ est esse expositam damnis vel lucris. Lucrum vero cessans posse oriri ex modo vẽdendi. (V. g.) si venditor habeat ementem pecunia presenti, & in promptu negotium cui illam tradens probabiliter lucrabitur, rogatus verò ab amico ne illi alteri vendat, sed sibi pecunia credita, propter quod nõ potest, pecuniam quam accepisset ab alio emptore in numerato, tradere negotio, & lucrari, in hoc casu cessat huic venditori lucrum ratione talis venditionis, non minus quam si acceptam pecuniam ab emente in numerato illi amico mutuasset.

Obseruemus secundo, plurimum interesse inter venditorem conductum á Rep. & vendentem voluntarie, & propria sponte, quia ille est velut mercenarius, qui obligauit se ad ferendas merces, custodiendas, & vendendas ciuibus, propter quod potest costituere cum Repub. vt seruetur indempnis, aliter non subiturus talem obligationem. & consequenter exigere ab eadẽ Repub. vt suis mercibus taxetur pretium quo seruetur indemnis, quod Respu. iustè & prudenter potest facere propter bonum commune, ne merces maximè necessariæ ad alimenta desint suis ciuibus. Quo fit, vt qui ita vendit conductus á Repub. & inito pacto vt seruetur indemnis, possit vendere, & pretio fori, quando illi vtile erit, & pretio quoque sibi á Repub. constituto, quando pretium fori erit tenue, quia ex conuentione & pacto quod habet cum Repub. vtrumq; est illi iustum, & velut sibi taxatum á lege: Qui vero non cõductus à Repub. sed propria sponte vendit, non habet talem obligationem quærẽdi merces, & vendendi, sed quærit quando vult, & quando non vult, nec querit, nec emit, nec habet aliquam conuentionẽ cum Repub. neq; illi à Repub. est vllum constitutum pretium: quo fit vt illud solum pretium sit ipsi iustum, quod habetur ex communi vsu fori.

Sit prima conclusio. *Nullo modo licet vẽdenti pecunia credita carius vendere, ratione istius damni, quia merx pluris ipsi stat, quam sit pretium fori.*

Probatur. Venditor, eo ipso quo suscipit libere, & spontanee, & non conductus à Repub. officium vendendi, exponit se damno vel lucro seruato iusto pretio, quacunq; ratione vendat, quia hoc est de intrinseca ratione mercaturæ & negotiationis: Iustum autem pretium est illud, quo tali tempore & loco res venduntur communi vsu fori pecunia presenti, ergo quacunq, ratione vendat, siue pecunia presenti siue absenti, non potest ratione istius damni carius vendere, quam sit commune pretium fori.

Secundo argumentatur rectè Medina: Si vendenti pecunia credita liceret carius vendere ratione istius damni, liceret similiter & vendenti pecunia presenti, quando immineret ipsi idem damnum, quia vbi par est causa & ratio, par quoque debet esse iuditium, at nullus vnquam docuit id licere vendenti pecunia presenti ratione istius damni, ergo neq; id licebit vendenti pecunia absenti.

Tertio, cum de ratione intrinseca mercaturæ sit, vt mercator æqualiter sit expositus damno & comodo, si mercator vendens non debeat pati damnum, sed ita vendere, vt ab illo sit immunis, debebit similiter ita vendere, vt non sentiat comodũ, sed solũ vendat quanti ipsi merx stat, quidquid habeat pretium fori, quia in omni cõtractu qui non vult sentire damnum neq; potest percipere comodum: at omnium consensu, etiam si res non stet venditori omnibus computatis nisi vt 10. si comuni vsu fori vendatur illa pretio vt 100. potest illo pretio vendere, & tuta conscientia lucrari illa 90. ergo similiter si steterit illi pretio vt 100. communi autem vsu fori non vendatur nisi pretio vt 50. non potest illam

illam carius vendere quam pretio vt 50. siue vendat in numerato, siue ad terminum.

Ex hac doctrina sequitur quod recte obseruat hic Soto, & nos iam superius admonuimus, inique agere mercatores, qui in fine nundinarum, quando pretium fori tenue est, vendunt carius pecunia credita, dicentes merces illas carius sibi stare, quam tunc sit pretium fori, ipsosq; ita vẽdere, vt seruent se indemnes: hoc enim nullomodo licet, vt constat.

Secunda conclusio. *Qui vendit conductus a Repub. obligatus ad quærendas merces, & custodiendas, ac vendendas ciuibus, iuxta præscriptum Reip. potest tuta conscientia illas vendere & pretio fori, quando illi vtile fuerit, & pretio sibi a Repub. taxato, quo seruetur indemnis, quando illud fori tenue fuerit, & sibi incommodum.*

Patet hęc ex secunda obseruatione. Pretium iustum est, vel quod Respub. prudẽter & iustè taxat, vel quod habet communis vsus fori, sed iste (vt constituimus) aut vendit communi vsu fori, aut vbi illud sibi incommodum est, pretio sibi iustè & prudenter à Repub. taxato, ergo tuta consciẽtia potest vti, ac vendere vtroq; pretio tamquam iusto. Dixi hunc vẽdere aut pretio fori, aut pretio sibi à Repub. taxato, quia si Respub. ita mercatorem conducat, vt nullum illi cõstituat pretium quo seruetur indemnis, nec ipse tale exigit, tunc donec illi á Repub. pretium taxetur, tenetur vendere communi vsu fori. Quia eò ipso quo nullum pretium postulauit à Repub. nec ipsi ab ea constitutum est, insinuat libere se ipsum exponere damno & lucro iuxta pretium fori. Ratio est aperta: Pretium iustum illud tantum est, quod habet vsu fori, vel taxatur á Repub. hic non postulauit taxari sibi pretiũ á Repub. nec Resp. aliquod illi constituit, debet ergo vendere pretio fori, & illi manere expositus.

Tertia conclusio. *Quando venditori occurrit emptor pecunia presenti, & habet simul negotium, cui pretium illud in numerato acceptum statim exponat, rogatus tamen ab alio emptore, vel in eius vtilitatem non vendit illi priori qui emebat pecunia presenti, sed huic secundo ad creditum, potest huic carius vendere ratione lucri sibi tunc cessantis, ad arbitrium prudentis. Venditor autẽ qui non habet emptorem soluentem statim in numerato, & simul negotiũ in prõptu, cui statim pecuniã exponat, cum probabili spe lucri, non potest carius vendere, propter expectatam solutionem.*

Hæc conclusio est Medinæ loco cita. Conrrad. q. 59. conclus. 3. D. Antoni. 1. p. tit. 1. c. 8. §. 2. & communis inter recẽtiores. Probatur vtraq; pars: Cum vendere expectata solutione sit quoddam mutuum implicitum, & tacitum, vt docet D. Tho. de vendente pecunia credita perinde iudicandum est, ac de mutuante: Sed mutuanti licet exigere lucrum cessans, quando illi reuera cessat ex mutuo, nempe quando pecunia quam mutuat, erat illi in proxima potentia ad negotium & lucrum, secus quã do non erat in tali potentia: ergo & vendenti pecunia credita licebit carius vendere ratione lucri cessantis, quando vere illi cessat lucrum ex tali venditione, secus vero quando illi non cessat ex illa venditione. At quando habet ementem in numerato, & negotium lucratiuum in promptu, cui statim illam pecuniam tradat, si desinat vendere soluenti in numerato, vt vendat alteri pecunia credita in eius vtilitatem, cessat illi reuera lucrum ex tali venditione, quidquid autem horum desit nõ cessat illi lucrum ex tali venditione: Ergo quando habet ementem pecunia numerata & negotium in promptu cui illam exponat, desinat vero illi vendere vt vendat alteri ad creditum, potest carius illi vendere, quantum prudens iudicabit ęstimandum esse lucrum illud ipsi cessans: Vbi vero aliquid istorum deerit, nempe vel qui emat in numerato, vel negotium cui statim tradatur illud pretium, quod erat statim accipiendum, cum tunc non cesset illi lucrum ex venditione illa, non licetbit illi carius vendere ratione lucri cessantis.

Explicatur amplius. Quãdo á venditore aliquo exigit mercem Petrus pecunia presenti, quam statim venditor exposuisset negotio & lucro, rogatus verò à Ioanne, in eius vtilitatem, non vendit illam Petro in numerato, sed Ioanni, pretium illud creditum vsq; ad festum B. Ioannis perinde reuera se habet, ac si pecuniam quam erat vẽditor accepturus, & de facto accepisset á Petro, statimq; exposuisset negotio & lucro, mutuasset Ioanni, At si pecuniam exponendam statim negotio & lucro mutuassent Ioanni, potuisset exigere ab illo lucrum cessans, ergo venditor istè qui non vendidit Petro in numerato cum potuisset, sed Ioanni pecunia credita, vt ei consuleret, potest carius illi vendere, quã-

tum

tum iudicabit prudens valere lucrum illi cessans.

Confirmatur à Conrrado, quia si carius vendens ratione lucri cessantis peccaret, certe vel peccato vsuræ, vel peccato iniustì pretij: non primum, cum liceat in mutuo exigere lucrum vere cessans ex illo citra omnem labem vsuræ, nec secundum, quia vendens carius cum istis duabus conditionibus positis, partem illam quæ excedit á iusto pretio, non recipit vt pretium, sed tamquam compensam lucri sibi vere cessantis ex illa venditione, quod vt constat licet.

Deniq; si vendens vt vidimus q. 77. art. 1. ex venditione rei patiatur aliquod damnum, vel cessationem alicuius vtilitatis & lucri, potest carius vendere quam res ipsa secundum se valeat, quantum damnũ illud vel deffectus illius vtilitatis & lucri à prudente æstimaretur, ergo similiter quando in venditione patietur reuera ratione illius vẽditionis, & dilationis solutionis aliquod dãnum, vel alicuius vtilitatis, aut lucri quod alteri vendens, obtinuisset deffectum. Quo enim iure potest venditor se ipsum indemnem seruare ratione rei, eodẽ & ratione solutionis, vbi damnũ illud reuera ex venditione illa ipsi prouenit, & non aliunde.

Cæterum licet hæc conclusio vera sit, exiguntur nihilominus vt tuta conscientia possit in praxim duci, vt optime admonet Medina, & Caiet. conditiones illæ, quas diximus desiderari vt mutuans possit recipere lucrum cessans ex mutuo.

Primo, vt venditor iste qui pecuniam in numerato acceptam tradidisset negotio, nõ habeat aliam otiosam, quam posset exponere, nec vult: quia si aliam habeat, tunc nõ cessat illi lucrum ex ista venditione, sed quia non vult negotiari.

Secundo, vt ita vendat in vtilitatẽ emẽtis veram vel existimatam, quia si ita vendat in vtilitatem propriam, alter non debet illi persoluere sua commoda.

Tertio, vt admoneat illum tempore cõtractus se illi carius vendere, quia potuisset alteri in numerato vendere, & cum illa pecunia lucrari, quod lucrũ amittit vt ipsi vendat pecunia credita, quia nisi illum ita admoneat, alter iuste potest conqueri, & dicere, forsan non emissem à te pecunia credita, si illud intellexissem.

Quarto, vt non exigat lucrum rigide, sed moderate, ad arbitrium prudentis, quia lucrum illud cum sit in potentia, non ita æstimandum est, ac si esset actu.

Quinto, vt probabiliter speraretur lucrum exposito pretio illius rei, alicui negotio.

Præter has exiguntur priuatim in huiusmodi vẽditionibus pecunia credita hæ duæ iam explicatę, vt venditor reuera habeat emptorem, qui in numerato solueret, & in promptu negotium, cui pecuniam illam & pretium statim exponeret. Dico in prõptu & statim, quia vt ex superioribus constat, pecunia secundum se nõ est lucratiua, sed quatenus est in proxima potentia ad negotia & lucra. Quo fit vt quando non habet mercator negotium in promptu, non sit illa lucratiua, neq; in proxima potentia, donec habeatur illud in promptu. (V.g.) Potuit vẽdere mercator mercem suam hodie Ioanni in numerato, vendit Petro pecunia credita, & soluenda quarto ab hinc mense, quia seruat pecuniam ad nundinas, *Paratas pagas*, vt dicunt, *de ferias*, quæ nõ celebrantur nisi quarto ab hinc mense, tunc non potest hic mercator exigere lucrũ cessans à Petro cui vendidit pecunia credita vsq; ad quartum mensem, etiam si habeat emptorem soluentem in numerato, quia cũ non esset expositurus illam negotio, nisi quarto ab hinc mense, per totum istud tẽpus quo expectat solutionem Petri, reuera non cessat ei lucrum. Quod si Petrus qui promisisit soluere post quartum mensem, sit termino illo adueniente in mora, quo tempore venditor erat negotiaturus, tunc vere cessat illi lucrum culpa Petri, potestq; illud ab eo exigere.

Ex hac conclusione sequitur verum esse quod loco citato docet Ioan. Medina contra Conrradum, nempe vendentem carius ad creditum ratione lucri sibi vere ex tali venditione cessantis, non debere expectare progressum & euentum temporis, vt possit, ęstimare lucrum sibi cessans, & ratione illius carius vendere, ac excedere à pretio quo ædẽ merces venduntur in numerato.

Primo, quia pretium est constituendum ipso tempore venditionis, & consequenter arbitrandum tunc iuditio prudentis, & periti quanti æstimari possit lucrũ, quod venditor ex illa pecunia statim negotiis exposita obtinuisset, vt pro illius ratione in eius compensam pretio currenti fiat additio.

Secundo, quia huiusmodi venditio (vt sæpe diximus) ex D. Thom. est quoddam mutuum implicitum, vnde quemadmodũ vbi cessat mutuanti lucrum, licet illud statim à

tum à principio taxare, ita & in venditione ad terminum.

Tertio, licet venditori, rem quã in aliud tempus seruabat vendendam, rogatus verò ab amico antea illam vendit, maiori pretio vendere, quam sit pretium pręsens, vbi probabile est rem illam eo tempore in quod seruabatur carius vendendam, licetq; illi simul ad arbitrium prudentis statim illud constituere, etsi futurum incertum sit, vt habetur in Cap. Nauiganti. ergo licebit similiter vendenti, cui ratione lucri sibi cessantis licet carius vendere, pretium illud statim constituere.

Nunc ad argumẽta initio posita. Ad primũ constat solutio ex vltima conclusione, Licet enim vẽdenti pecunia credita carius vendere propter lucrum cessans, quando vere illi cessat ratione talis venditionis, sicut & mutuanti ducere in pactum quod illi vere cessat ex mutuo, eo modo quo expositum est.

Ad secundum, constat solutio ex secunda obseruatione, non enim idem est iudicium de venditore conducto à Repub. & vendente propria sponte.

Ad tertium respondeo, emptorem teneri quidem ad compensandum vendenti damnum emergens, & lucrum illi cessans, quãdo damnum illud vel cessatio lucri re ipsa & vere prouenit ex tali venditione, quando autem venditor damnum aliquod patitur minoris vendens quam merces ipsi stẽt, ita vt non prouenit illud ex venditione, sed ex vsu fori vel mutatione temporum quibus vendentes expositos esse oportet, non cessat illi ex venditione, & ita non potest tunc carius vendere. Vbi verò habent paratos emptores soluentes in numerato, & negotia in promptu quibus pretia illa statim accepta exponãt, tunc licet illis carius vendere, iuxta ea quę in tertia conclusione diximus: aliter nullo modo licet.

Vbi admonitos oportet esse confessarios acurate & diligenter inquirant, qua ratione huiusmodi venditores in augendis pretiis propter expectatam solutionem se habuerint: etenim nisi actu & re ipsa extarent emptores, qui in numerato pretia statim soluerent, & negotia parata, quibus illa exponerent, nullo modo possunt carius vendere ementi ad creditum, quod raro accidit, & mentitur sepe iniquitas sibi, suaq; cupiditate decepti augent pretia sub titulo lucri cessantis, vbi nullum vere illis lucrum cessat, Communiter enim parati sunt vendere merces suas cuicunq; ementi, siue in numerato, siue ad creditum: imo experientia teste ad creditum potius vẽdendum, quã in numerato habent illas expositas, cum pauciores sint qui pecunia pręsenti emãt. Vnde cum sic habeant illas expositas, & omnibus emptoribus paratas, falso & cum graui damno suæ conscientiæ fingunt lucra ista sibi cessantia ex venditione ad creditum.

Argumentum illud Dominici Soto superius diluimus agentes de lucro cessante ex mutuo. Quãuis enim vendens pecunia credita non vendat coactus vi, vel dolo, sat nihilominus est, vt cesset illi ex tali venditione lucrum, vt reuera vendens alteri in numerato illud habuisset.

Ex hac Controuersia dissoluentur facile duæ dubitationes, Prior est quam paucis attigimus q. 77. ar. 1. Controu. 3.

Controuersia. XIX.

AN MERCATORI VENDENTI *res aliquas ex officio, liceat illas carius vendere, quam ab aliis vendantur?*

SCOTVS in 4. dist. 15. q. 2. ar. 2. sentit vendentibus ex officio licere carius vendere, quam emerint, aliis verò id non licere. Statuitq; hanc regulam: Posse huiusmodi vẽditores illud omne accipere, quod à Repub. fuisset ipsis constituũ, si ab illius Magistratibus fuissent cõducti, & constituti ad quærendas merces ex variis locis, quas in illam asportatas, ciuibus illius venderent. Ad quam regulã melius intelligendã, & separãda certa ab incertis obseruandũ est: Tria esse in Repub. negotiatorũ genera, Quidã. n. eorum ex remotis distantibusq; locis merces in suam patriam deferunt, variis laboribus & periculis expositas, qui sunt verè mercatores, Alii qui patrię suę merces iunctim emunt, easdem in eodẽ loco minutim aliis vẽdituri, dicuntur *Tenderos*: Alii qui similiter patrię suæ merces aliquas iunctim etiam emunt, easdem sine vlla mutatione aut melioratione aliis iunctim quoque vel diuisim, sed in minoribus etiam portionibus vendendas, quos Hispane *Reuendedores*, vel *Recatones* dicimus.

Scotus in regula illa quã constituit, cõparat primos illos veros mercatores cum istis vltimis, qui vere mercatores non sunt, sed sola specie & nomine, quos DD. cõmuniter promercatores vocãt. In quo sẽsu aliqui sunt DD. quibus nõ videtur omnino falsa

regula illa Scoti, vt vendentes in eodem loco in quo emunt, sine vllo labore vel periculo, non possint nec debeant ita lucrari, sicut veri mercatores, qui merces ex variis locis quæsitas, cũ magnis laboribus & periculis in suã patriã asportant, & ex consequenti liceat his veris mercatoribus, aliquod lucrum moderatum pro ratione suorũ laborũ periculorũ, & industriç recipere.

Quod ita ab Scoto probatur: Si non esset in Repub. qui merces quibus illa indiget, & caret, aliunde asportarent, & venderent, teneretur ipsa vel Princeps illius quærere mercatores, qui illas quærerent, & adducerent, ac suis ciuibus venderent, deberetq; simul vel taxare mercibus quas deferrent pretium, quo & primum valorem mercium, & expensas quas in illis deferendis fecerũt, & labores ac pericula quç passi sunt vna cum aliquo moderato lucro reciperent, vel susceptis ab ipsamet Repub. mercibus illis, & suo nomine venditis, hęc omnia arbitrio prudentum & peritorum illis compensare, & satisfacere, sicut fit cũ per proprios ministros triticum sibi Magistratus ciuitatum comparant: ergo quod propria sponte nec conducti à Repub. mercatores aliqui merces per varia loca quærant, quas cum magno labore periculo, & expensis ad suos adductas illis vendant, nõ debet eos priuare simili iure, cum nemo teneatur aliis gratis inseruire, aut cum suo damno: vnde licebit eis ita vendere, vt & primum pretium quo ipsi emerunt, & expensas quas fecerunt, & pro laboribus ac industriis suis & periculis quibus se obtulerunt aliquod moderatum lucrũ recipiant.

Medinæ in illa quest. 31. Cod De contract. videtur hęc ratio adeo æquitati consona, vt sentiat non posse hoc negari à viro docto. Et confirmatur: Quia campsori ex officio licet aliquod maius lucrum recipere, quam aliis qui non exercent hoc munus campsorum omni poscenti, sed quando volunt, & quibus volunt, vnde similiter erit iudicãdũ de vẽdentibus ex officio, asportãtibus aliũde merces sua industria & labore.

Amplectuntur eandem sententiam nonnulli, afferentes in eiusdem confirmationẽ Syluest. verb. emptio. q. 10. Medinam iam citatum q. illa 31. & q. 38. causa 6. & Caietanum supra q. 77, art. 4. in fine comenti, dicentem habendam esse in pretiis rationẽ expensarum in conducendo, & conseruando merces, & operarum ipsius negotiatoris, quia non debent gratis nostræ commoditati ministrare: Ex quibus colligunt licere vendenti ex officio carius vendere, vt aliquod lucrum ex suo labore & industria recipiat moderatum, sed vtinam huiusmodi lucro & pretio moderato cupiditas mercatorum saciata maneret.

Quo igitur rem hanc certe difficilẽ apertiorem reddamus, pręmittendum est duplices esse merces, seu res, quas mercatores veri de quibus hic agimus vendendas afferunt, alias quę victui humano omnino necessariç sunt, vt triticum, vinum, oleum, & similia: alias quibus licet ciues indigeãt, non tamen tanta premuntur earum necessitate, vt panni, linea, serica, & similia, cũ his possit quiuis vel abundare, vel paucioribus aut vilioribus esse contentus. Rursum mercatores ex officio vendentes, duobus quoq; modis possunt hoc officium exercere, aut libere & propria sponte vendentes, quando volunt, & quibus volunt, aut obligati à Repub. omnibus vẽdere, ita vt si merces illę deficiãt, propriis sumptibus teneãtur eas quęrere, & adducere, ac curare ne deficiant: sicut accidit his qui carnes ciuitati necessarias promittũt illius Magistratibus vendendas offerre. Deniq; differunt in hac quæstione plurimum, qua ratione Resp. mercibus á mercatoribus adductis debeat pretium constituere, & taxare, vel qua ratione & quo pretio, vbi illud á Repub. ipsis non taxetur, debeant, ac possint tuta conscientia ipsi vendere. Nã nisi hæc omnia diligenter distinguamus, facile in his allucinabimur, & Doctorum sententias in alieno sensu ab illorum mente & instituto accipiemus.

His positis sit prima conclusio.

Regula illa Scoti, si ita accipiatur, vt liceat semper mercatoribus se ipsos seruare indemnes, ac ita vendere, vt recipiant & pretium quo ipsi emerunt, & omnes expensas quas fecerunt, & valorem laborum, industriarum suarum, ac periculorum quæ passi sunt, falsa est, & variis incommodis contra æquitatẽ & iustitiã plena.

Constat hæc satis ex his quę docuimus q. 77. ar. 1. Cotrou. 3. vbi huius quoque regulæ Scoti meminimus. Et confirmatur primo. Quia si venditori liceret, eo pretio vendere, quo reciperet & pretium quo ipse, prius emit, & expensas, & lucrum aliquod laboribus & periculis quæ passus est commensuratum, Tunc nulli se periculo vel damno venditores isti exponerent, sed semper essent in tuto; imo & aliquod lucrum semper esset illis securum, quod est contra

propriam

propriam rationem & naturam mercaturę, & negotiationis.

Secũdo, Quia nec Magistratus Reip. mercatori quem conducunt ad quærendas merces ciuibus suis necessarias, illisq; vendendas, constituunt pretium iuxta omnes expensas, pericula, & infortunia quæ possunt illis euenire, sed iuxta ea tantum quæ communiter accidunt ad arbitrium peritorum, vt experimur circa illos qui obligant se ad vendendas carnes toto anno, quibus taxat Resp. pretium iuxta ea quę communiter gregibus accidunt.

Tertio, Iuxta illam regulam non posset mercator deducto pretio rei quam emit, & vendit, maius lucrum recipere, quam esset stipendium quod ipsi Resp. contulisset, si cõduxisset illum: At esto lucrum quod recipit vendens Valentiæ mercem emptam Lusitaniæ, iuxta pretium currens communi vsu fori Valentinini tempore quo vendit, sit multo maius, quam stipẽdium quod à Repub. accepisset, si conduxisset illum ad eandem mercem quęrendam, & vendendã, iustè vendit: cum vendat pretio currenti Valentiæ, ergo quemadmodum vbi lucrũ est maius, iustè vendit, quia sic habet vsus fori in tali loco, & tempore, ita quoque vbi nihil lucrabitur, sed recipiet potius dãnum, quia pretium fori est multo minus, quam pretium quo ipse emit, & expensæ quas fecit, non licebit illi carius vendere, quam habeat vsus illius fori.

Quarto, Iuxta istam regulam Scoti mercãtor cui media pars mercium quas deferebat, naufragio vel alio casu periret, posset aliam partem eo pretio vendere, quo reciperet, & totum pretiũ quod ipse prius pro onibus mercibus quas afferebat, contulit, & stipendium quod á Repub. si ipsum conduxisset fuisset sibi collatum: quin & casu quo omnes merces illi perirent, oporteret ipsum idem lucrum recipere á Repub. quod est maximum absurdum. Quod autem sequatur, patet, quia iuxta regulam Scoti debet mercator tantum lucrum recipere, quantum recipisset stipendii á Repub. si eum conduxisset: at vbi Respub. aliquem mercatorem conducit, & tamquam ministrum constituit, quærendi, ac vendendi merces aliquas, siue pereat aliqua earum pars, siue omnes simul, modo non pereant culpa ipsius, sed casu & fortuito, confert illi nihilominus suum stipendium.

Secunda conclusio. *Mercatores quicumq;, siue vendãt ex offitio & obligati, siue libere & propria sponte, tam merces conuictui humano omnino necessarias vt triticum, vinum, oleum, quam alias non ita necessarias quæcunq; pretio easdem ipsi emerint, & quoscũq; labores, & pericula in eis deferendis passi sint, non possunt eas carius vendere, quam pretio taxato ipsis a lege, vel recepto eo tempore & loco communi vsu fori.*

Patet, quia vt eodem loco vidimus, in his hæc duo tãtum pretiorum genera iusta sunt, nulli autem quacunq; ratione sese habeat, licet aliter vendere, quam pretio iusto.

Tertia conclusio. *Mercatoribus conductis a Repub. & illi obligatis ad vendendum has vel illas merces, propriis que sumptibus quærẽdas, licet carius vendere quam aliis, qui non ita obligati sunt: sed ita, vt authoritate eiusdem Reip. illud pretium maius ipsis taxetur, & concedatur.*

Hoc probat ratio illa Caietani: quia nemo debet gratis aliis ministrare, & inseruire. Et ratio est, quia cum hæc obligatio onerosa sit, & pretio ęstimabilis, iustum est vt ratione illius aliquid amplius illis cõcedatur, quam aliis qui eandem obligationem non susceperunt. In eodem sensu loquitur Syluester, & quicunq; docent venditores ex officio posse carius vendere quã alii vendant, authoritate scilicet & taxatione Reipub. interueniẽte. Pertinet enim ad Magistratus, vt quos conducũt, & obligant ad merces adducendas, ab omni damno prudenter & iustè omnibus pensatis immunes seruent. Quod si quis proterue potius quam vere affirmet Syluestrum, Caietanum, & alios aliter sentire, non erit tũc sententia eorum tenenda, cum nemini liceat aliter vendere quam iusto pretio: pretium verò in huiusmodi mercibus illud tãtum (vt constat) iustum sit, quod vel á Repub. fuerit taxatum, vel communi vsu fori receptum: Neq; licet vlli absq; iniquitate quouis alio titulo vel colore quesito excedere, vt ex illa Contro. citata abunde constat. Ita Soto lib. 6. de Iust. q. 2. art. 2. Idẽ docuit eruditissimis Pater Magister Ioannes de la Peña, & est communis doctrina inter recentiores discipulos & Interpretes D. Thom. cum iustitia pretii ex illis tantum regulis quas proposuimus, quæst. 77. artic. 1. sumenda sit, non ex eo quod vẽdat aliquis ex officio, vel secus, quamuis vtilitatis vendentis ex officio, & cum ista obligatione debeant vt diximus Magistra-

tus prospicere, tamquam mercatoris vtilis & necessarii Reip. in taxando pretio mercibus, quibus deferendis & vendendis se deuinxit. Ex hac 3. conclusio. sequitur, vẽdentes libere & non ex officio, non posse tanti vendere, quantum est pretium quod vendentibus ex officio Respub. taxat, quia circa hos, respicit Respub. in taxando pretio mercibus, eorum expẽsas, & incõmoda, quę vendentes ex officio patiũtur, à quibus qui non vendunt ex officio liberi sunt, propter quod debent minoris vendere. In quo sensu intelligẽdus est Medina cum ait, vendentes ex officio posse carius vendere: non enim significat, posse illos excedere pretium legis aut fori: sed carius posse vendere quam alios, quia Respub. in taxando pretio mercibus ipsorum attendit ad offi ium eorum, & labores, expensas, & alias circunstantias, quas officium illud secum afert.

Quarta conclus. *Mercatores qui coniunctim emunt, vt in eodem loco aliis minutim vẽdant, possunt carius quam alij vendere, modo nulla fraude, aut monopolio vtantur ad augenda pretia, seruentq́; communem vsum fori, receptum in tali genere & modo vendendi.*

(V. g.) sunt qui emunt merces lineas, vel sericas, aut pannos, vel similia iunctim & in cumulo, vt per minutiores partes eadẽ aliis ciuibus vendant, cui muneri & officio se ipsos dicarunt. Debent imprimis huiusmodi venditores habere domos locatas, ministros & famulos, aliosq́; sumptus facere, quibus merces illas asseruatas sic vendant. Secundo, pecuniam qua merces illas iunctim emerunt cessantem ab aliis lucris, quibus licuisset ipsis illam exponere. Tertio, sunt maxime necessarii Reip. nã cum paucissimi sint, qui in magna quantitate illis indigeant, vel eas sibi comparare valeant, sed in minutioribus partibus, nisi existerent huiusmodi mercarores iunctim illas ementes, & domi suę asseruantes, vt aliis quotiescunq́; postulauerint minutim vendant, paterentur ciues magnam illarũ mercium indigentiam, & caritatem: Quę omnia iustissime huiusmodi mercatoribus concedunt, vt possint carius vendere quã emerunt, & cum aliquo moderato lucro.

Obseruanda tamen ab his sunt tria illa. Primo, vt nulla vtantur fraude, vel iniquo monopolio, quo pretia istarum mercium augeantur, nam vt superius attigimus: & inferius docebimus agentes de Monopoliis in tractatu de emptione fructuum: quam Hispane dicimus *Arrendamiento*, qui fraude aliqua vel monopolio efficit pretia mercium augeri, non potest augmentum illud tuta conscieẽtia recipere, vel retinere. Secundo, ne sit aliqua lege prohibitum merces illas emere, vt in eodẽ loco immutatæ vendantur, sicut prohibetur lege ciuili iustissima & necessaria tam Castellæ, quam huius nostri Regni, ne quis frumenta emat in eodem loco eadem venditurus. Tertio, vt seruet cõmunem vsum fori in tali genere & modo vendendi: hoc enim omni venditioni commune est, vt seruetur iustum pretium, vel taxatum à lege, vel receptum communi vsu fori tali loco, & tempore, in eo genere mercium. Ex quo sequitur in vino, oleo, tritico, & similibus eadem pretia esse omnino seruanda, tam á ciuibus, quam exteris, in aliis vero mercibus vt pannis, sericis, lineis, & similibus, quæ non sunt ita necessariæ, posse aliquando ciues carius vendere quam exteros, aliquando vero é conuerso, prout Gubernatores Reip. viderint expedire, propter maiores horum vel illorum labores, & pericula, vt ita in ea res abundent.

Ad argumenta illa quibus videtur confirmari regula Scoti, facilis est solutio.

Ad primum respondeo: Constare satis ex dictis, similiter quidem de mercatore vendẽte ex officio & cum obligatione, & de eo qui libere & voluntarie vendit, dicendum esse, quando mercibus eorum non est taxatum pretium à lege, vel Repub. sed vendendæ illæ sunt communi vsu fori, vbi vero pretium á magistratibus fuerit illis taxandum, recta ratio postulat, vt maius taxetur vendentibus ex officio, & cum obligatione, aut saltim tale taxetur illis pretium, quo immunes seruentur ab omni damno, recipiantq́; aliquod lucrum moderatum, quasi laborum quos suscipiunt mercedem, & stipendium, quod aliis libere & propria sponte vendentibus, quando volunt, & merces quas volunt, non est concedendum. Nam esto pręstent Reip. & ciuibus illius quandoq́; idem beneficium, quod tunc præstarent ministri Reip. ab ipsa ad id muneris constituti, interest tamẽ plurimum inter ministrũ Reip. & purum ac merum negotiatorem, qui sua rum merciũ & pecuniarum ita est liber absolutusq́; dominus, vt pro libito possit eas afferre, & vendere, vel secus: Quia ad officium ministri solum pertinet diligenter, ac pru-

ac prudenter negotium domini gerere, ita vt si perierit negotium illud domino pereat, sicut vbi maximum lucrum illud attulerit, domini sit lucrum illud: negotiator verò non gerit negotium alterius sed sibi proprium, & cuius est omne damnum vel commodum futurum, Quo fit, vt minister siue negotium illud cum lucro succedat, siue cum damno, iuste recipiat stipendium sibi constitutum, quia quacunq; ratione succedat, præstitit quod sui erat muneris, mercator vero siue negotiator, cum negotium sibi proprium gerat, non habet ius ad aliquod stipendium, neq; ad aliud lucrum, quam quod rei euentus tulerit tali loco & tempore: hoc enim est proprium negotiationis & mercaturæ, esse expositam damnis & commodis ex æquo.

Ad secundū respondeo, neminem teneri ad seruiendum, vel ministrandum alteri gratis, vel cum damno suo, & ita debere magistratus mercibus mercatoris, quem conducūt, tale pretiū taxare, quo indēnis seruetur. Cęteris verò omnibus, & maxime mercatori quē non conducūt, sed qui volūtarie & propria sponte intendit mercibus vendendis, seruandum est iustum pretium rerum, illud scilicet, quod á lege taxatum est, vel receptum communi vsu fori, vbi illud non pręscribit lex: cum non detur aliud iustum pretium in his, quę communiter venduntur præter hæc, vt ex q. 77. art. 1. abunde constat.

Altera dubitatio est.

AN VENDENS PRETIO INfimo, *credens se recepturum pretium in numerato, videns deinde emptorem postulare dilationem solutionis, possit tunc exigere pretium supremum?*

SVNT qui existiment illud nō licere, quia vbi res iam vendita est, & consumata venditio, constitutusq; contractus inter emētem & vendentem. (v. g.) pretio infimo vt 10. differre solutionem est quoddā mutuum implicitum, ratione autem mutui nihil licet exigere, ergo neq; ratione dilatæ solutionis licebit tunc postulare maius pretium, neq; intra latitudinem iusti pretii: probāt consequentiā, quia cum venditio iā sit cōsumata, & perfecta pretio vt 10. quidquid superadderetur, certe non reciperetur vt pretium, sed tanquam excessus ratione dilatæ solutionis, quod est vsura.

Oppositum tamen est multo verius, illud licere, modo non excedatur à latitudine iusti pretii. Ad quod magis intelligendum obseruandum est, cum venditio secūdum suam propriam vim, & rationem sit quędam commutatio rei pro pretio, ex eadem vi propriaq; ratione venditionis vbi emptor non exprimit se emere ad creditū, venditorem prudenter opinari & credere illum emere in numerato, & ex cōsequenti sub ea conditione se vendere. Quo fit vt cum Petrus emens à Ioanne nihil exprimit de expectanda solutione, Ioannem perinde illi vendere, & sub hac conditione etsi non exprimatur, ac si diceret illi, sicut trado tibi in pręsenti mercem meam, ita & tu trades mihi in præsenti pretiū illius: Et ex cōsequēti, si deinde Petrus postulet credi sibi solutionem, perinde se habet ac si reuocata priori venditione alium contractum nouum instituat. Ratio est aperta, quia cum contractus qui celebratur cum aliqua conditione, illa cessante cesset, prior autem vēditio in qua Petrus nihil expressit de expectanda solutione, perinde se habeat, ac si fuerit inita sub pacto soluendi pretium in pręsenti, ea cessante & postulante emptore terminum, est nouus contractus, nouaq; venditio cum reuocatione prioris.

Ex his patet nostra sententia hac ratione. In quacunq; venditione licet vendere intra latitudinem iusti pretii, sed in casu de quo hic loquimur, prior venditio cessat, manetq; reuocata, initurq; nouus contractus, nouaq; venditio cū primum emptor postulat terminum, ergo licet tunc maiori pretio vendere, nempe rigido, cum non excedatur latitudo.

Argumentum verò in oppositum nullā habet vim, quia etsi consumata venditione non liceat augere pretiū illa manente, in hoc tamen casu noua celebratur per nonuā conditionem appositam ab emptore, quæ in priori non extabat, in contractibus autē humanis mutatio conditionis mutat contractum, & illius iustitiam, iuxta illud cōmune proloquium: *Minima mutatio facti mutat totum ius.*

Controuersia. XX.

AN LICEAT CARIVS VENdere *ad creditum, propter pericula quibus se exponit ita vendens?*

TERTIVS titulus qui affertur à mercatoribus est multiplex periculum, cui se exponit vēdēs pecunia credita, vel non recipiēdæ solutionis, quod nonnunquam accidit per mortem, recessum, vel fugam debitoris, aut recipiēdi illam post longas moras, & cum multis laboribus litium, & expensarum. Hęc pericula inquiunt mercatores pretio æstimari debent, licebit ergo ratione illorum carius vendere.

In hoc titulo illud imprimis obseruandum est, huiusmodi pericula bifariam accidere posse, vel imprudenter & temere, ex solo ingenio & conditione vendentis, quia suapte natura vir timidus est & pusillanimis, etiamsi debitum & solutio illius moraliter & arbitrio prudentum secura sint, & firma: vel prudenter, & merito, veluti cum pericula illa timeret quidem, ac formidaret quiuis prudens & sapiens, vt si emptor fraudulentus sit, nec integræ fidei, vel pauper, aut qui licet viuens habeat vnde soluat, eo tamen moriente deficiet solutio, quia omnia bona ipsius vinculata sunt, nec vlla manent illi libera: deniq; vt mercatores loquuntur, iuditio prudentum, *No es bien ≈ dita.*

Quando periculum est prioris generis, conuenit inter omnes DD. non licere carius vendere ratione talis periculi. Primo, quia si periculum esset desumendum ex ingenio, & conditione indiuiduali venditoris, qui haberet ingenium magis timidum & pusillanime, posset carius vendere: & esset melioris conditionis in vendendo, & exigendis pretiis vir timidus & imprudens, quam alter prudentior & maturior. Secundo, quia tale periculum nō est verum, nec desumptum ex natura venditionis, sed immaginariū & figmentū quoddam ex imprudentia illius exortum: pręter iustum autem pretium nullo modo licet addere, quę nituntur alicui damno vel incōmodo immaginario, sed ea tantū quę vero & reali, & sequuntur ex tali vēditione. Vnde difficultas inter DD. tantū agitatur, quando periculum est verum, & quod quiuis prudens timeret: Quo fit, antequam ad alia descendamus, existere in malo statu mercatores, qui promiscue & sine vllo discrimine carius vēdūt ratione istius periculi non distinguentes inter emptores: cum reuera eorum quidam sint securi & bonæ fidei, alii non ita.

In hac Controuersia duæ sunt opposite Doctorum sententiæ. Conrrad. q. 59. conclus. 3. corolla. 2. Soto lib. 6. De iustitia. q. 4. ar. 1. Nauarr. c. 32. nu. 81. & pleriq; recentiores sentiunt nulla ratione licere vēdenti ad creditū carius vendere propter periculum cui se exponit non recuperādi pretiū illud. Quod vt probēt argumētatur ita Conrrad. Si propter periculū imminēs liceat carius vēdere, cū nūquā vēdatur pecunia credita, quin aliquomodo tale periculū immineat, inquacunq; venditione pecunia credita liceret carius vendere, & aliquid vltra pretium fori recipere, quod est absurdum.

Secundo sicut exponitur periculo iustū pretium rei & capitale, ita & augmentum illud quod additur propter periculum, quia vtrumq; expectādum est vsq; ad terminū, & tempus prefixum solutioni, quo fit vt si pro periculo cui exponitur capitale liceret accipere aliquid, similiter & periculum cui exponitur illud augmētum, (cum periculo quoque subiaceat) liceret aliquo alio pretio æstimare, & priori augmento illud quoq; addere, & sic progredi in excessiuū rerum pretium, quod est maximum absurdum. (V. g.) vendatur res valens 1000. pecunia credita vsque ad terminum anni, periculi verò cui exponuntur illa 1000. æstimatio sint 100. rursum periculum cui exponuntur illa 100. sint 10. rursum periculum cui exponuntur ista 10. sint 2. sic liceret progredi in plura augmenta.

Tertio, Argumentatur Soto. Venditor, si aliqua sit huiusmodi periculorum habenda ratio, non potest seruare se indemnem, nisi ab illo periculo cui reuera se exponit ex tali venditione, sicut diximus de mutuāte non posse deducere in pactum, nisi illud damnum emergens quod verè illi prouenit ex mutuo, sed ista pericula quæ proponunt mercatores, non proueniunt reuera ex tali venditione, ergo non potest carius vendere propter illa. Maior certa est: probat Soto minorem primo, Quia sic vendēs voluntarie se exponit huiusmodi periculis, quibus voluntarie se exponens eo ipso ceditiuri suo, & consentit in illa. Secundo, sicut in mutuo illa damna emergunt reuera ex mutuo, sine quibus illud mutuū fieri non potest, vt cum quis ex eo quod mutuat, tenetur nocumenta aliqua perferre, ita in venditione pecunia credita illa damna proueniunt ex tali venditione, sine quibus talis venditio fieri non potest, sed potest reuera vendi res pecunia

credita

credita sine huiusmodi periculis, postulando scilicet securum ac fidelem fideiussorem, vel pignora sufficientia, ergo ista damna reuera non proueniunt ex tali venditione, sed ex negligentia venditoris, qui non postulat huiusmodi securitatem.

Quarto. Periculum quod subit venditor vendens pecunia credita non est illi damnum emergens, nec lucrum cessans, neq; expensæ, quia ista supponimus non reperiri in tali venditione, cum solum hic differamus de titulo periculi, sed solum est periculum non recipiendæ aut differēdæ solutionis, huiusmodi vero periculo & timori satisfacit abunde emptor fideliter soluens tempore statuto, ergo nihil aliud potest ab ipso exigi preter pretium fori, & securitatem ratione huiusmodi periculi, quam certe non habet per augmentum pretii, cum semper maneat idem periculū, donec actu fiat solutio, sed per securum fideiusorem, aut per sufficientia pignora, vt dicitur in proxime precedenti argumento.

Quinto, Si initio contractus & ipso tempore venditionis venditor non timuisset tale periculum, neq; aliquid postulasset ratione illius, esto deinde illi veniret in mentem, non posset tunc aliquid amplius exigere quam iustum illius rei pretium, ergo quod tempore contractus de illo cogitauerit, illudq; timuerit, non propterea poterit illud exigere, vel ratione illius augere pretium. Probo consequentiam, quia quod liceat augere pretium vel secus, non debet pendere ex opinione, vel suspitione vendentis timentis & suspicantis periculum recuperandę solutionis, aut nihil tale timētis nec suspicantis, cum iustitia pretii non sit sumenda ex huiusmodi suspitionibus & cogitationibus vendentium, sed ex natura rei, & proprio valore, ac æqualitate rei ad rem.

Sexto argumentantur recentiores qui huic sententiæ subscribunt: In cap. Nauiganti. De vsuris. Deffinitur esse vsurarius, qui ita mutuat, vt recipiat aliquid vltra sortem ratione periculi cui se exponit, quia illud periculum iudicat Pontifex ibi non esse pretio æstimabile, sed vendere pecunia credita est quodam genus mutui, ergo non licebit sic vēdenti augere pretium ratione istius periculi.

Demum ex Cap. In ciuitate existimat Nauar. c. 23. num. 81. efficacissime, vel vt ille loquitur neruosissime hanc sententiam confirmari, licet argumentis Soti dicat ibi satis efficaciter & neruosse ostendi, adeo vt existimet oppositum nulla iam ratione afirmari posse, quasi cap. istud in ciuitate sit aperta definitio Sedis Apostolicę sententiæ quam ibi sequitur.

Oppositum docent Medina Cod. De restit. q. illa 38. causa 3. Maior in 4. dist. 15. q. 4. ar. 7. Idem Nauar. cap. 17. in suo Manuali Hispano. nu. 239. & 240. & nōnulli recentiores: volunt hi ratione huiusmodi periculi, quando non est fictum sed verum, & quod prudenter timetur, licere vendentem pecunia credita carius vendere, ad arbitrium prudētis pro ratione periculi. Probant suam sententiam variis rationibus.

Primo, licet mutuanti deducere in pactum damnum emergens reuera ex mutuo, vendere pecunia credita est quoddam mutuum tacitum, periculum de quo hic loquimur, quando verum est & non fictum, est dānum quoddam quod nascitur ex tali uēditione, ergo licebit ratione istius periculi aliquid accipere vltra pretium fori. Maior constat ex supradictis, Minorem probant: quia pretium rei quæ venditur, antequam venderetur pecunia credita, non erat expositum tali periculo, postquam autem sic vēdita est, est illi reuera expositum, cum loquamur hic de verò periculo & prudenti timore.

Huic argumento respondent authores oppositæ sententię, verū quidem esse, huiusmodi periculum quod verum est, & non fictum, nec imaginarium pretio æstimari posse, illi tamen vendentem voluntarie se exponere, cum libere vendat & non coactus. Sed hęc solutio imbecillis est, quia vt supra vidimus agentes de lucro cessante, quod quis libere & voluntarie vendat, non tollit iustitiam & æquitatem contractus, modo pretio iusto res illa vendatur: Nam ex eodem D. Tho. q. 77. ar. 1. qui rē sibi vtilem rogatus ab emptore vendit, aliquid q; exigit vltra commune illius pretium, ratione vtilitatis qua illam vendens priuatur, non vendit coactus sed libere, at nihilominus vtilitatis illius iustè pretium exigit, ac recipit, quia illa pretio æstimabilis est: pari ratione quamuis vendens ad creditum libere vendat, & non coactus, nec compulsus per aliquam vim, ratione tamen periculi cui ita vendens se exponit, poterit aliquid exigere, ac recipere, cum illud verum sit, & prætio æstimabile.

ratione illius obligationis cui se deuincit eò ipso quo mutuat, nempe expectandi per aliquod tempus, quia illa est intrinseca mutuo: Aliud verò esse periculum extrinsecum, & accidentale, ortum non ex ipsa venditione, sed ex ingenio & conditione mutuatarii, vel emptoris, eo quod sit vir malę fidei, vel pauperrimus, & ratione huius periculi posse aliquid accipere mutuantem, vel vendentem pecunia credita, non minus quam ratione damni vere emergentis. Seruandas tamen esse in hoc casu de quo loquimur has conditiones. Prima, vt postulet prius sic vendens enixe ab illo emptore fideiussorem, vel pignus sufficiens, affirmetq; se nolle aliter vendere, nisi accepto fideiussore vel pignore, quia nec vult subire periculum aliquod solutionis, nec augere pretium fori: Quod si emptor ille afirmet se nec habere fideiussorem, nec pignus quod illi exhibeat, & simul roget plurimum venditorem, vt rem illā ipsi vendat tamquam sibi maxime necessariam vel vtilem, non aliter vendat nisi maxime rogatus, ita vt nullomodo preueniat ipse aut inuitet emptorem: sitq; hæc secunda conditio. Tertia, vt mutuans seu vendens distinguat in hac vēditione, vel mutuo duos contractus sub hac forma: vt prius celebret contractum mutui simpliciter & gratis, vel contractum venditionis pecunia credita pretio communi fori, deinde vero cum adhibuerit omnem diligentiam ad recipiendum fideiussorem, vel pignus, nec valuerit, rogetq; illum enixe mutuatarius, vel emptor, celebret tunc cum illo secundum cōtractum, quo exigat ab eo aliquid ad arbitruum prudentis, ratione periculi cui se exponit, cum illud periculum sit pretio æstimabile, & de eo admoneat emptorem, vt libere in illud consentiat, sicut diximus de damno emergente. Cum his tribus conditionibus censent hi DD. licere aliquid exigere in venditione pecunia credita ratione damni, & periculi, cui se venditor exponit, quando damnum istud & periculum verum est, & extrinsecum venditioni, ex conditione, & ingenio, vel statu emptoris. Cui doctrinæ illud demum addunt, vt hic contractus non consulatur ante quam celebretur, quia redactus ad praxim & atenta cupiditate mercatorū est periculossus, post factum verò non esse mutuāti vel venditori qui has conditiones obseruauit negandam absolutionem, nec compellendum illum ad restituēdum, sed persuadendum esse illi tamquam securius vt restituat, maxime si venditor sit diues, qui verò emit pauperior.

In hac quæstione obseruemus, cum vēdens pecunia credita duplici periculo (vt initio huius tituli admonuimus) se exponat, & periculo non recipiendę solutionis, & periculo faciendi expensas in recuperando debito, seorsum esse de vno quoque periculo istorum dicēdum: maxime quia hic potissime agimus de illo priori periculo non recipiendæ solutionis; in expēsis enim res est facilior, quam statim exponemus.

Obseruemus secundo, intelligentiā huius Controu. & nonnullarum quæ proxime sequuntur, postulandam esse ex vera intelligentia, & explicatione istius Cap. Nauiganti. Quo circa paucis quid in eo definiat Summus Pont. dicendum est.

EXPLICATIO CAPITIS *Nauiganti. De vsuris.*

IN Cap. isto Nauiganti. vt ex contextu illius patet, tria fuerūt quesita à Gregorio nono. Primum omnium, Esset ne vsurarius contractus, in quo idem Mercator qui mutuās pecunias aliquas Petro nauiganti, vel eunti in nundinas ad comparandas merces, pecunias illas vel merces Petri simul assecuraret accepto aliquo pretio præter sortem. Cui questioni ita respondet Pontifex.

Nauiganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid vltra sortem, vsurarius est censendus.

Vbi, cum primo fronte videatur Sum. Pontif. damnarę contractum in quo idem qui mutuat, exhibet se ipsum assecuratorē accepta aliqua pecunia vltra sortem, colligunt Conrrad. Soto. & alii Cap. istud esse velut apertam difinitionem Sedis Apostolicæ, decernentis mutuanti, vel vendenti ad creditum non licere aliquid accipere ratione periculi, quod ex illo mutuo, vel vēditione in se suscipit. Aliis contra multo & certè verius existimantibus.

Carol. Molinæ. in tractatu illo de vsuris. q. 32 num. 95. & Adria. in suo Quarto tractatu etiam De vsuris. cap. quod incipit: *Occurrunt ad primum.* Sentiunt Gregorium in textu illo non loqui de periculo marino, nec de aliquo alio vero & probabili periculo, sed de periculo ficto, quod mutuans

mutuans confingit in se suscipere, cum nullum reuera existat ibi periculum, nec debeat timeri, vt sub illius pretextu & colore recipiat aliquid vltra sortem. Quam expositionem legitimam ac veram esse probat Molinę. Primo, quia loquitur ibi de eunte in nundinas, vbi communiter nullũ imminet periculũ: Tum, quia alioquin homines vt plurimum eo non conuenient, & inanes essent nundinæ: Tum quia nundinæ in omnibus prouinciis publicam securitatem habent, vt constat L. 2. De Nundinis. & L. Vnica. Cod. Eod. tit. Quod autem meminit nauigantis non pugnat, quia cum coniungat nauigantem cum eunte in nundinas, eò ipso ostendit se non agere de nauiganti per mare, sed per flumina, per quæ in Italia solet esse nauigatio mercatorum ad nundinas, vel ad merces transferendas. Secundo, quia in eodẽ cap. excusat Pontif. ab omni labe vsuræ vendentem carius merces, quas in aliud tempus in quo magis erant valituræ seruabat, idq; non alio nomine quam propter probabile dubium maioris valoris futuri, Vnde si propter hoc tantum dubium cõcedit Gregor. posse merces in aliud tempus, in quo creduntur plus valituræ, seruandas pluris vendere, à fortiori sensebit posse mutuãtem aliquid accipere vltra sortem, vbi verum periculum & non fictum vel simulatũ in se susciperet, quale solet esse marinum vel aliud simile, vnde non est cẽsendus loqui ibi Gregor. de periculo marino, aut aliquo alio vero & imminenti, sed de ficto & simulato.

Couarr. lib. 3. varia resol. cap. 2. num. 5. reiicit hanc expositionem, vel ea tantum ratione, quia Summ. Pontif. in voce illa *Nauiganti*, meminit fortunæ, & periculorũ quæ nauigantibus, & transuehentibus res suas per maria imminent, quę maxima esse & passim occurrentia, experiẽtia testatur, iuxta illud Ecclesi. 43. *Qui nauigãt mare enarrant pericula eius*. Vnde loquitur aperte Gregor. de verò ac reali periculo, quod mutuans inse susciperet.

Quo circa idem Adrianus loco citato reddit hunc alium sensum, vt non damnet ibi Pontif. mutuantem, qui suscipit in se periculũ sub pretio iusto talis periculi, sed eum tantum, qui exigit, vel recipit pretiũ periculi inse suscepti iniustum, & excedẽs iustam illius periculi æstimationem & mercedem. Sentit enim Adrianus, vt ex eodẽ constat in eodem tractatu De vsuris. Cap. quod incipit. *Sed dubium videtur*: in fine non esse vsuram, si mutuans exigat à mutuatario aliquam obligationem, vel laborem, modo sub iusto pretio illam exigat, veluti si quis mutuet agricolæ pecuniam, obligans illum ad laborãdum in vinea sua reddito illi iusto stipendio suorum laborũ, aut mutuet alteri, obligans eũ vt teneatur remutuare illi quotiescũq; ipse indiguerit, vel postulauerit, vel teneatur triticũ suum ad molas mutuantis afferre, sub eadem omnino mercede qua triticum aliorum in eisdem molis conuertitur in farinam. Iuxta hanc ergo sententiam, & fundamentũ sentit ibi Adrianus, Mutuantem alicui pecunias, quibus, vel mercibus, quę ex illis emẽdæ sunt vere imminet aliquod periculum, posse absq; vlla labe vsurę obligare illũ, vt cõueniat cum ipso de illo periculo sub iusto pretio talis periculi: In casu autem illius cap. Nauiganti. Damnare Pontif. mutuatorem illum de vsura, non quia obligaret mutuatarium, vt secum conueniret de illo periculo, sed quia conueniebat cum illo exigens iniustum pretium, & excedens debitam ac iustam ęstimationem illius periculi.

Sed reiicitur quoque hęc expositio ab eodem Couarru. & aliis DD. ac meritò. Primo, quia fundamentum illud cui nititur, licere absq; labe vsuræ exigere à mutuatario aliquam obligationẽ, vel aliquas operas vltra sortem, modo reddatur illi iustum pretium, vel stipendium, est falsum, & contra communem doctrinam omnium Theologorum, vbi obligatio illa pretio æstimabilis est, Quia sicut nõ licet exigere pretium ex mutuo absq; vsura, ita neq; aliquid aliud pretio ęstimabile, vt constat ex Controu. 5. huius art. Quo circa sicut fundamentum, cui nititur hæc opinio seu expositio Adriani, est omnino falsum, ita quoque expositio ipsa. Secundo, Quia Pontifex absolute & simpliciter dãnat de vsura *Mutuantem pecuniæ quantitatem, eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid vltra sortem*. Quasi dicat, mutuãtem sub ea conditione, vt debeat mutuatarius conuenire cũ eodem mutuante de aliquo pretio ratione periculi illius, vel assecurationis: neq; distinguit Pontif. conueniat ne cum illo sub iusto pretio periculi illius, vel iniusto & excedente: iuxta regulas verò Iuris *Vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*.

Est ergo cõmunis expositio istius textus,

tus , Pontificem non prohibere , quin mutuatarius vel emptor poſsit libere , ac propria ſponte inuitare ac rogare ipſum mutuantem, vel creditorem , & conuenire cum illo, vt ſuſcipiat in ſe periculum illius pecunię, vel mercis aliquò deferendę, reddito illi iuſto pretio ac mercede illius periculi ſuſcepti, quia quidquid poteſt mutuatarius vel emptor cum tertio , poteſt cum mutuante ipſo, vel creditore, modo abſit omnis fraus : ſed illud tantum prohibere ac definire, iniquum eſſe & vſurarium, vbi mutuans nauiganti , vel eunti in nundinas pecuniam aliquam ita mutuat, & non aliter, vt non poſsit mutuatarius quęrere libere , quem voluerit in aſſecuratorem illius pecuniæ alio transferendæ, ſed teneatur omnino paciſci cum ipſo mutuante de illo periculo, & ratione illius periculi aliquid illi conferre vltra ſortem : ita vt ratione mutui maneat mutuatarius deuinctus non ſolum ad reſtituendam mutuanti integram ſortem, verum etiam ad celebrandum cũ illo ſolo, & non cum alio contractum aſſecurationis illius pecuniæ, vel mercium quę ex illa emendę ſunt.

Conueniũt in hac expoſitione ex Theologis Angel. Verb. vſura. primo, quæſt. 28. Syluest. eodem primo quæſtione 17. Conrrad. De contract. q. 36. Diuus Antonin. 2. p. tit. 1. c. 7. §. 8. & 21. Almain in 4. diſt. 15. Gabri. eadem diſt. q. 11. Maior. ead. diſt. q. 31. Caiet. in commento huius artic. Medina Cod. De rebus reſtit. in tractatu De vſuris cap. 4. De vſura reſtituenda . Et omnes recentiores Interpretes D. Tho. hoc loco. Ex Iuriſperitis Abbas col. penult. Anania. num. 18. in cap. iſtud Nauiganti. Laurentius à Rodulphis in c. Cõſuluit. par. 2. q. 36. Bald. L. 1. col. 4. ff. De ſumma Trinitate & fi. Cathol. & L. Periculi. & in Rubri. Cod. De nautico fenore. Paul. de Caſtro. L. 1. Cod. Eod. tit. Nauarr. in ſuo Manuali cap. 17. tit. De vſuris circa cambia , á litera A. vſq; ad literam B. Couarru. loco citat. vbi afert in eandem ſententiam Ancarran. Ioann. Calder. Cardinalem , & alios multos: Nititurq; hæc explicatio firmiſsimis rationibus , & contextui ipſi . Nam imprimis poſſe mutuantem ipſum ſuſcipere in ſe periculum rei mutuatæ , & exercere duos contractus , alterum mutuantis gratis, & omnino libere, nullo pretio, nullaq; commoditate pretio ęſtimabili accepta ex mutuo : & alterum aſſecurationis , ratione cuius accipiat iuſtũ pretium periculi quod in ſe ſuſcipit , ita vt non obliget ipſe mutuatarium ad celebrandum ſecum neceſſario hunc ſecundum contractum, ſed mutuatarius ipſe libere ac propria ſponte illum celebret cum illo , potens ſi voluiſſet cum quocunq; alio pro libito illum celebrare, ita vt non minus illi mutuaſſet . Concors eſt omnium DD. quos modo retulimus ſententia . Quid enim prohibet , vbi mutuans non imponat aliquam obligationem mutuatario, ſed liberum omnino illũ relinquat, ſola ſorte quam mutuauit contentus, vt rogatus & inuitatus à mutuatario celebret cum ipſo contractus ſecundũ ſe licitos, & honeſtos, quos poſſet cũ quocunq; alio celebrare ? cum mutuans propter beneficium mutui illi pręſtitũ non reddatur deterioris conditionis . Vnde ſicut non prohibetur Petrus , quia mutuauit agricolæ, quominus poſsit illum conducere , vt libere illius vineam colat , perinde ac ſi nihil omnino illi mutuaſſet , nec prohibetur dominus molarum quia mutuauit Ioanni, quo minus Ioannes ad molas eius libere triticũ ſuum deferat , ita nec prohibetur mutuans, quo minus ſublato omni pacto & obligatione , poſsit ſuſcipere in ſe periculum pecuniæ illius alteri mutuatę, & aſſecuratorem illius agere , mutuatario libere ac propria ſponte volẽte contractum huiuſmodi aſſecurationis cum ipſo potius quam cum alio exercere.

Secundo, cõſtat ex iſta Controu. 5. mutuantem non poſſe exigere à mutuatario vi mutui obligationem aliquam ciuilem, quæ ſit pecunia æſtimabilis, iuxta ea quæ docet D. Tho. in hoc art. ad primum, qua de cauſa cum compellere mutuatarium pacto conſtituto, vt ſuam pecuniam, vel merces ex illa emendas, quas aliquò transferre inſtituit , reddat ab omni periculo ſecuras celebrato cõtractu aſſecurationis cum eodem mutuante , ita vt niſi illud promittat non ſit illi mutuaturus , ſiue periculum illud verũ ſit vel probabile , ſiue confictum & ſimulatum, ſiue pretium iuſtum pro illo exigatur ſiue non, cum ſit obligatio pretio æſtimabilis, exacta à mutuatario vltra ſortem & ex pacto ac vi mutui, cum aliter illi nõ ſit mutuaturus , eſt aperta vſura: & hoc eſt quod definit Gregorius nonus cum dicit. *Nauiganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem , eo quod ſuſcipit in ſe periculum , recepturus aliquid vltra ſortem , vſurarius eſt cenſendus.* Quaſi dicat,

Qui

Qui alicui mutuat certam pecuniæ quantitatẽ, eò quod mutuatarius cum ipso paciscitur de periculo illius pecuniæ, vel mercis ex illa emendæ, aliter mutuaturus, nisi cum isto pacto & obligatione mutuatarij, censendus est vsurarius. Vox enim illa *eo quod suscipit in se periculum* est causalis, pactum istud & conditionem includente istã obligationem continens, ac aperte significãs: Nã huiusmodi formæ loquẽdi: *pro eo, ex eo, eo quod* & similes significant in iure tam ciuili quam Canonico causam impulsiuam, siue conditionem sine quâ non, vt docet Glosa in L. Dominus Sticho. ff. De pecu. lega. Archidia. in cano. Iudices. 1. q. 1. & in Cano. Agathosa. dist. 63. facitq; hoc maxime ad præsentem textum huius Cap. Nauiganti. iuxta eã quæ docet Albert. de Ross. in suo Dictionario vtriusq; Iuris. tit. De vsur. §. vsura. 1. in verbo Quid de eò qui mutuat nauiganti.

Ex his constat vera intellgentia istius cap. quò ad primam illius partem. Perinde enim se habet, ac si definiat Summ. Pontif. quod in illa Controuer. docuimus: mutuantem exigentem à mutuatario ex pacto & vi mutui aliquam obligationem pretio æstimabilem extra sortem esse vsurariũ: hac enim sola de causa censetur vsurarius qui nauiganti, vel eunti in nundinas aliquã pecuniæ quantitatem propterea mutuat, quia conuenit cum illo mutuatario, vt cum nullo alio, sed cum ipso tantum mutuante celebret contractum assecurationis illius pecuniæ, vel mercis ex eò emendæ.

Sequitur etiam, quæ affert Soto lib. 6. de Iust. q. 4. ar. 2. in explicatione huius cap. etsi accedant plurimum ad communẽ expositionem, quam hic sequimur, non tamen satis illud explicare in proprio & genuino illius sensu. Habet enim. Cũ quidam mercator mutuaret pecunias nauiganti in aliquem locum, oblato fideli ac securo fideiussore vel pignore, renuebat illud mercator ille, sicq; conueniebat cum mutuatario illo, nolo fideiussorem vel pignus aliquod, sed periculum quod mihi imminet te nauigante, vel eunte in nundinas ego subibo, ego mihi ipsi securitatem præstabo: Cæterum quia poterat fideiussor quem mihi offerre instituebas, aliquid à te exigere pro fideiussione, & periculo cui se offerebat, illud mihi reddes, & hac ratione tibi mutuabo, & non aliter: Consultus Papa; An hoc liceret, Respondet, statuitq; non licere, sed esse vsurarium mercatorem mutuantem sub ea conditione & pacto, vt debeat cum eò conuenire mutuatarius de periculo illius pecuniæ, aliter non mutuaturus illi, Hãc ergo esse causã huius decisionis vult eò loco Soto edoctus forsan ab aliquibus Canonistis, qui sequuti Adrianũ existimarunt, in casu de quo ibi agit Papa nullũ fuisse periculũ, quia cũ mutuatarius esset paratus dare fideiussorem vel pignus, cogere illum ne quid tale offerret, sed conueniret necessario cum ipso mutuãte de periculo, daretq; illi aliquid extra sortem ratione assecurationis mutui, erat aperta vsura: Quia talem obligationem imponere mutuatario est accipere vltra sortem aliquid pretio æstimabile sine vero periculo.

Accedit quidem satis explicatio hęc (vt dixi) ad communem illam DD. quam sequimur, sed non est satis accõmodata, quã parte dicit mutuantem illum propterea dãnari ibi á Põtifice de vsura, quod renueret fideiussorẽ, quem illi mutuatarius offerebat, vel pignus ad sui securitatem recipere, sed compelleret mutuatarium, vt secum potius de periculo illo & contractu assecurationis conueniret. Quia Pontifex, vt ex contextu ipso patet, nõ loquitur ibi in particulari de securitate aliqua creditoris ipsius seu mutuantis, sed in vniuersum de securitate pecuniæ quam mutuabat nauiganti, vel eunti in nundinas, quæ potius respicit pecuniam illam quatenus mutuatarij erat, & alio transferenda, quam eandem vt receptam à mutuante, & illi restituendam: Definitq; in genere & in vniuersum, mutuantem sub eo pacto, vt teneatur mutuatarius conuenire cum ipso de periculo peniæ, vel mercis quam alio transferre instituit, aliter nõ mutuaturus, esse vsurarium: siue periculum illud mutuantem ipsum respiciat, siue mutuatarium, siue verum sit, siue simulatum & fictum, non enim aliqua istarum rationum damnatur à Pontifice ille mutuans de vsura, sed ex eò tãtum, quod vi mutui obligationem illam exigeret à mutuatario vltra sortem.

Fuit secundo interrogatus, sit ne vsura emere aliquid anticipata solutione? Respõdetq; non esse vsuram emere pecunia anticipata merces recipiendas tempore futuro, modo emantur eò pretio, quod censebitur iustum communi vsu fori, tẽpore quo recipientur: quia hac ratione non prætermittitur iustum pretium propter anticipatam solutionem, sed est illa velut grata quædã mutuatio sine vllo pacto vel interesse.

Fuit

Fuit tertio, interrogatus, liceat ne vendere merces statim tradēdas, carius quam valeant tempore quo traduntur, quando instituebat vēditor seruare illas in aliud tēpus commodius? Respondetq; licere, modo vēditor vere & firmiter in animo suo illud ita instituisset, deducatq; omnes expensas, quas facturus erat in illis seruandis vsque ad tempus, in quo illas vendere instituebat.

Ex his quatuor dico. Primo esse quidem multo securius, vēdentē pecunia credita exigere fideiussorem securum, aut pignora sufficientia, aut aliquam aliam cautionem optimam, qua liberetur ab huiusmodi periculo. Dico secundo, posse quoque illum vendere sub ea forma, vt nisi tempore constituto emptor persoluerit, reddat in pœnam moræ quantitatem aliquam moderatam, vt hac ratione diligentius curet soluere tempore prefixo, & venditor ab illo periculo liberetur. Dico tertio, quando nec fideiussorē emptor habuerit, nec pignora quæ offerat, probabilem esse opinionem illam Magistri Ioannis de la Peña, vt seruatis illis conditionibus ab eo adductis, liceat venditori exigere aliquid ratione illius periculi veri, & non ficti, ad arbitrium prudentis. Quia seruatis conditionibus illis, aliquid exigere pro illo periculo, non est augere pretium fori, sed vendere periculū illud, quod cum verū sit & non voluntarie susceptum, sed in vtilitatem tantum emptoris, pretio æstimabile est, & venale. Vbi vt recte obseruat Medina, inspicienda maxime est ab ipsomet venditore bona fides animi sui, quid reuera mallet, num vendere potius pretio currenti in foro, & pecunia presenti, an credita & carius. Etenim, si eligeret potius credita pecunia vendere, vt carius vendat, titulo huiusmodi periculi de quo hic agimus, reuera tunc inique ageret, si periculum illud etsi verum ab ipso tamē sponte eligeretur, cederetq; sic vendens iuri suo, in quo sensu existimo loqui Sotū. Quod si reuera mallet potius vēdere pecunia presenti & solo pretio fori, aut saltim vendere sine vllo periculo accepta securitate quam diximus, at quia plurimum rogatur ab emptore, vt eius vtilitati consulat, vendit illi pecunia credita, & cum isto periculo, quia emptor non habet (vt constituimus) fideiussorem, aut pignora quibus ille securus efficiatur, sic vendentem aperte patet non augere iustum pretium rei, nec se ipsum illi periculo vltro offerre, se illud tātū subire vt alteri prosit: Qua ratione dubitandum non est licere ipsi ratione talis periculi aliquid exigere, quamuis exiguum ac ad arbitriū prudentis, & in hoc tantum sensu est vera opinio illa Medinę, ostenduntq; illam efficaciter argumenta adducta in illius probationem.

Et confirmatur nemo tenetur esse alteri vtilis suo damno, sed potest ratione illius damni (vt ex dictis constat) aliquid exigere: in hoc casu qui ita vendit, non vendit vt aliquid recipiat vltra pretium fori, cum reuera mallet illud in presenti recipere, quam vendere ad creditum, sed in vtilitatē ementis, & rogatus ab ipso, ac vt illi consulat cogitur vendere cum isto periculo, cū adhibita omni diligentia qua ab illo se eximeret, non valuit, hoc autem periculum est reuera ipsi dānum, ergo potest pro illo aliquid exigere.

Secundo, Ex isto cap. Nauiganti. quod ab aliis adducitur, Pontifex loquitur de mutuante compellente ex pacto mutuatarium vt secū conueniret de periculo, ergo à contrario sensu, vbi periculum non est simulatum & fictum, sed verum, nec mutuans compellit mutuatarium, aut ducit in pactum ratione mutui vt secum conueniat de illo, sed conatus potius est ab illo se eximere, nec valuit, rogaturq; ab emptore vt cum illo sibi vēdat, licebit pro illo aliquid accipere.

Dico quarto, licet in hoc casu celebrentur à parte rei duo contractus distincti, & separabiles, alter venditionis rei pretio iusto communi vsu fori, & alter venditionis illius periculi, & damni imminentis, non esse necesse vt explicite, & expresse illi celebrentur, sed sufficit illos celebrari simul, & reduci ad vnum, quo vēdantur simul & res ipsa, & periculum illud. Quemadmodum artifex vasis argentei, licet duo quidem vēdat, nempe & argentum, & artificium, seu operas quibus vas illud confectum est ab ipso, potest nihilominus vtrumq; simul vēdere, vno contractu, vnaq; venditione vtriusq; rei pretium complectēte, ita vendens cum periculo de quo hic loquimur, potest simul vendere & rem, & periculum vno simplici pretio, quod complectatur & iustum illius rei valorem, & iustum pretiū periculi illius. Et probatur. Vbi iustum seruatur pretium vēditio iusta est, sed vbi est periculum istud, siue pretium ipsius iungatur cum pretio rei, siue seorsum & diuisim exigatur, venditur iusto pretio: constituimus

mus enim quacunq; ratione venditio ista fiat, idem pretium pro periculo isto exigi, nempe quod prudens & peritus omnibus pensatis constitueret, ergo licet venditori quacunque ratione istarum vti.

Denique admoneo, quod authores huius opinionis addunt, obseruandum profecto esse, vt huiusmodi contractus antequã fiat non consulatur, sed nitatur peritus ac prudens Theologus, vel confessarius illum dissuadere: post factum verò, qui illũ exercuerit non est cum rigore compellendus ad restituendum acceptum, vbi illum cum illis conditionibus exercuerit: suadendum tamen illi vt restituat, maxime vt dicebamus quando venditor diues est emptor vero pauper.

Ad argumenta in oppositum facile est respondere.

Ad primum, Conradi dico, non reperiri in omni venditione quæ fit pecunia credita verum & prudens periculum, quale est illud de quo hîc agimus, & ita non licere in omni venditione huiusmodi pretium augere, quando autẽ vere & prudenter periculum istud timebitur, tunc seruatis conditionibus explicatis non augetur quidem pretium rei venditæ, sed accipitur solũ aliquid vlterius tamquam pretium istius periculi, quod cum verum sit, & cui vendens rogatus omnino ab emptore in illius vtilitatem se exponit, est pretio ęstimabile, & venale.

Ad secundum, non est admittendus ille progressus Conradi: quemadmodũ enim in naturalibus ad dispositionem non est necessaria dispositio, ita neque pretii quod exigetur propter periculum pręcipui pretii rei venditæ est asignandum aliud pretium.

Ad tertiũ respondeo, non ex omni venditione, quæ fit pecunia credita, nasci periculum istud, cum possit venditor seruare se indemnem postulato fideiussore vel pignore: attamen quando seruantur conditiones illę à nobis positæ, tunc in tali venditione in particulari & in indiuiduo sumpta nascitur periculum istud ex ipsa, (vt constat) offertq; se illi venditor non quidem coactus per vim, sed neq; spontanee & voluntarie, cum adhibuerit omnem diligentiam ad recipiendum fideiussorem vel pignus, sed rogatus ab emptore & in eius vtilitatem: quod sufficit, vt pro tali periculo cum verum sit & pretio estimabile, possit aliquid accipere vltra pretium rei, nec dicatur cedere iuri, quod habet in periculum illud & damnũ sibi imminens, aut illi consentire. Tum etiam, quia vt ex superioribus constat, rem aliquam esse venalem, vel pretium illius iustum, non pendet ex eo quod vendens coactus vendat, vel secus.

Ad quartum respondeo, in ea venditione seruatis conditionibus illis, periculum de quo hîc agimus esse reuera damnũ emergens, & pretio ęstimabile: vnde quemadmodum mutuans, etiam si non mutuet coactus sed rogatus tantum communibus precibus, potest deducere in pactum damnum emergens, modo de tali damno admoneat mutuatarium tempore mutui, ita vendens pecunia credita cum tali periculo reuera imminente, etiam si non coactus vendat, sed rogatus ab emptore, & seruatis illis conditionibus, potest exigere ab illo aliquod pretium ad arbitrium prudentis ratione istius periculi.

Vltimum argumentum solutum manet ex dictis, cum in illo Cap. Nauiganti loquatur Pontifex de mutuante, qui ratione mutui, & ex pacto obligat mutuatarium, vt secum conueniat de periculo pecuniæ mutuatæ aliò transferendę, qui vere est vsurarius, cum ex vi mutui obligationem istam quæ pretio æstimabilis est, exigat vltra sortem.

Vnde non satis rem hanc perspexit D. Nauarr. in suo Manua. cap. 23. num. 81. vir alioqui sumæ eruditionis & pietatis ac de omnibus studiosis plurimum benemeritus. Affirmãs ibi communem Doctorũ sententiam opositum docere. Quin etiam, satis iam ab Ecclesia explicatum esse, & definitum, cum in cap. In ciuitate. De vsuris aperte (iuditio ipsius) habeatur non licere aliquid vltra iustum rei pretium ratione periculi accipere. Nam imprimis, ex authoribus quos in fauorem opinionis, quam hîc sequimur adduximus, constat satis, communem Doctorum sententiam nostrę minime aduersari: oportuissetq; vt illorum testimonia, & loca atulisset, quò ostenderet communem esse illam quam ipse cum Soto amplectitur, quod certe non pręstat, Cap. vero illud In ciuitate. quod tam aperte iudicat sibi fauere, nihil minus docet quã opinionem ipsius, quin potius nostram: Habet enim ibi Alexand. Tertius: peccatum esse vendere piper, cinnamomum, vel alias merces valentes tẽpore vẽditionis quinq; libras, cum pacto, vt teneatur emptor adueniente termino soluere sex libras, nisi dubium

bium esset (inquit) merces illas tempore solutionis plus minus ve esse valituras. Vbi aperte docet Papa ratione dubii, & periculi, seu damni, cui venditor se exponit, amittendi maius pretium, quod tempore solutionis merces illæ valere possent, posse carius illas vendere, quā actu & re ipsa valeāt tempore venditionis, & traditionis: Vnde á simili, poterit etiam carius vendere, qui vendens ad creditum exponit se ipsum vero periculo non recuperādæ solutionis, seruatis illis cōditionibus quas proposuimus. Quo fit cap. illud In ciuitate. non modo non repugnare nostrę sententię, vt arbitratur Nauarr. verum etiam illam apertissimè confirmare.

Cæterum quod putāt nonnulli, Nauar. in hac parte sibi aduersari, suiq; oblitum esse, ita vt in manuali Hispano cap. 17. nu. 239. & 240. sentiat cum Medina & Conrado, in Manu. vero Latino modo citat. cap. 23. num. 81. doceat oppositum cum Soto, falso illi profecto imponunt. Nam in Manuali Hispano solum docet, licere vēdenti cum periculo non recuperandæ solutionis in termino, aut faciendi expensas in illius recuperatione, ducere in pactum ipso tempore venditionis, damnum illud, vel carius vendere, quantum prudens iudicaret illum propterea recepturum damnū: sed ita vt firmiter instituat debitore soluente in termino, cessanteq; damno illo quod timebat, restituere illi quidquid ratione illius periculi, & damni quod timebat, iusto rei pretio adiecit. Deinde verò quia vidit Syluestro in suo Rosa aurea. casu 6. hoc displicere, cū possit vēditor deinde vel mutare animum, aut illius intentionis obliuisci, vel mori, nec illud ab hęredibus ipsius restitui, addit Nauarr. optimum esse, vt venditor chirographo dato promittat emptori, qui non fuerit in mora, integram restitutionem cuiuscunq; interesse, vel pretii accepti ratione illius periculi, vel damni quod timuit sibi imminere: Vbi aperte Nauarrus ratione solius periculi nihil vult accipi posse, sed ratione solius interesse, & damni, vbi verè & actus venditor vel mutuās illud passus fuerit, cum acceptum sentiat restituendum, vbi nullū dānum actu sequitur: Vnde non repugnat sibi, sed eandem semper tradit doctrinam, quamuis sub diuersa ratione. Licet in hac parte probabilior multo sit opinio quam sequimur, quam illa Scoti cui ipse Nauarr. subscribit.

AN LICEAT CARIVS VENdere propter periculum expensarum?

QVOD pertinet ad aliud periculum ratione laborum, & expensarum, quibus se offert venditor in recuperanda solutione. D. Antoninus loco citat. sentit non licere propter illud augere pretium, quia forsan debitor fideliter soluet, neq; vllis opus erit expensis, quod si durum morosumq; se exhibeat, forsan non erunt tantę quātas venditor suspicabitur, & iudicabit: Demum quæcunq; fiant authoritate iudicis recuperabuntur cum capitali.

Soto lib. 6. De iust. q. 4. art. 1. Iudicat & recte, tutius esse & securius conscientiis venditorum, homini, in quo hoc periculū imminet faciendi expensas, & subeundi labores in recuperanda debiti solutione, nihil vendere in diem, neq; mutuare: quod si importunis illius precibus, aut necessitate illius adductus quis illi vēdat ad creditū, posse quoque tuta conscientia recipi expēsas, quę actu & re ipsa fient in illius debiti recuperatione. Cęterum licet anticipare cōuentiones, & pacta de expensis futuris vix possit suspicione vsurę carere, nihilominus vbi omnis suspicio & fraus vsurarū abest, si probabiliter ac prudenter timetur faciendas esse expensas, vel quia debitor loco distat, vel quid simile, posse creditorem de expensis illis ac sumptibus moderate & ad arbitrium prudentis pacisci.

Syluest. in sua Rosa aurea casu 6. & in summa verb. vsura. Secundo. q. 5. circa finem affirmat augere pretium propter periculum expēsarum esse rem periculosam, & laqueum Demonis: quia etiō statuat restituere excessum illum debitore fideliter soluente, potest tamen interim creditor vel mutare animum, vel obliuisci, vel mori, & hęredes illius debitore recte soluente in termino, nihil illi restituere.

Nauarr. in summa Latin. cap. 23. num. 84. docet, iuxta ea quæ paulo ante retulimus, posse pro huiusmodi quoque periculo expensarum & laborum aliquid exigi, animo tamen restituendi exactum & acceptum, si debitor ille fideliter, ac sine vllis expensis, vel laboribus creditoris soluerit in termino, ita vt ad vitanda pericula illa obliuionis, mortis, vel mutationis animi quę prudenter timet Syluest. dato chirographo illud debitori promittat.

Communis tamen sententia Medinæ, & Con-

& Conradi locis citatis, & omnium fere recentiorum, à qua non recedit (vt videbimus) Soto, est, periculum huiusmodi expensarum & laborum esse pretio æstimabile, & ex consequenti exigi posse, saltum quando rogatus ab emptore, & in eius vtilitatem vēdit illi ad creditum, postulauitq; prius fidelem fidei iussorem, quo fideliter soluēte, vel pignus, quo libere vendito nullas opporteret illum facere expensas, vel subire labores ex debitoris mora, sed illud obtinere non valuit.

Qua vero ratione posit illud exigi ab huiusmodi emptore, & duci in pactum, ita explicant recentiores: Vt liceat venditori duobus modis cum emptore conuenire, vel constituendo cum eo, vt expensas quas faciet in recuperanda solutione, & pretium laborum quos propter morā ipsius oportebit subire, restituat illi, quando actu & re ipsa erit in mora; in integrum expensas, quas actu faciet, labores vero quos patietur ad arbitriū prudentis, quā ratione expensas & pretium exigere æquissimum est, quia ex natura rei, & in foro conscientię emptor qui sua mora, vel distantia loci cogit venditorem ad aliquas expensas & labores extraordinarios, tenetur illa persoluere, tamquā vere debita, etiā si à venditore nō exigerentur, nec manet liber à tali debito, nisi venditor gratis & expresse expensas illas & labores ipsi remittat. Dixi labores extraordinarios, nam qui communiter sumūtur ad recuperanda debita, vt adire debitorem, mittere famulum ad ipsum, & similes non sunt pretio estimabiles, imo pertinent ad quandam commitatem: Extraordinarij vero, vt si debitor distet loco, vel famulus ad illum mittendus in recuperanda solutione ita occupetur, vt cogatur cessare à negotijs domini sui cum damno ipsius, huiusmodi labores & his similes pretio æstimabiles sunt, & debiti, sicut & expensæ actu factę: quamuis cum illo discrimine, vt expensę in integrū soluantur, pretium vero istorum laborum ad arbitriū prudentis. Potest Secundo modo venditor ita conuenire cum emptore de periculo expensarum & laborum, vt à principio, & ipso tempore contactus constituant interse aliquam moderatam quantitatem ratione illarum expensarū, & laborū, ita vt illa quātitas transeat in dominiū venditoris, etiā si nullas deinde patiatur expēsas vel labores in recuperāda solutione, similiterq; illa quantitate sit contentus, etiam si magnas faciat expensas maximosq; subeat labores: quomodo deducere in pactum periculū istud, quando illud verum est & non fictum neq; imaginarium, quidquid nōnulli dicant, securum iudico, quia sic cōstituens cum emptore, & tali existēte periculo, æqualiter se exponit damno & commodo: contractus autem in quo cōtrahentes æqualiter se exponūt dāno vel cōmodo, nō est dānandus.

Ex his sequitur, cum oppositorum eadē sit ratio, vt quemadmodū licet carius vendere propter periculū recipiendæ solutionis, vel expensarum, & laborū in ea recuperanda iuxta modo explicatā, ita quoque liceat anticipata solutione vilius rē aliquā emere, quam illa secundum se valeat, vbi probabiliter ac prudēter timetur & imminet periculū non recipiendi illam tempore constituto, vel ex infidelitate & iniquitate venditoris illam tradituri, vel ex aliquo infortunio & casu. Ratio est aperta, quia sicut licet vēditori augere pretiū ob pericula dicta, quia illorum cōtingentia est dānū emergens, & ratione damni emergētis licet carius vendere, ad arbitriū prudentis damnum illud æstimantis, eodem omnino modo emere anticipata solutione cū simili periculo, debet etiam censeri damnū emergēs ipsi ementi, vbi autem eadem existit ratio, eadem quoque esse debet iuris dispositio.

Argumenta vero illa D. Antoni. facile est diluere. Ad primum respondeo, nō esse necesse creditorem carius vēdentē propter periculum laborum, & expensarum, quas probabiliter timet faciēdas in recuperatione sui debiti, illas actu fieri, sed sat esse vt prudenter illas timeat sibi imminere. Augmentum enim illud pretij non recipit, vel ducit in pactum proter expensas ipsas actu factas, sed proter periculū illarum quod secundum se est pretio æstimabile, vbi verum est, & prudenter timebatur, esto non sit subsequutū, Quamuis tutius sit, vt diximus cum Soto, illas non exigere, nisi actu fiant, aut pacisci de illis, vel eas recipere eo modo quo tradit Nauar.

Ad Secundum eadem est solutio, parum referre sint maiores vel minores expensæ, quā à principio exigātur, cū nō augeatur pretiū propter illas, sed propter periculū illarū vere imminēs ad arbitriū prudētis: quo casu, sicut emptor exponit se periculo reddendi aliquid amplius quā illę fuerint, vbi actu fient, ita quoque venditor exponit se periculo recipiēdi forsan multo minus.

Ad vltimum dico, nec authoritate iudiciū interueniente omnes expensas recipere creditores ab infidelibus & morosis de-

 bitori-

bitoribus, nec valorem omnium laborum quos illos pati oportet, nec pactũ illud fieri initio cõtractus nisi ob periculũ imminẽs, quod vbi vere imminet pretio ęstimabile est, quidquid deinde sit de expensis ipsis: & cum pretio æstimabile sit, potest initio contractus duci in pactum, & ratione illius carius res vendi, moderate tamen & iuxta periti & prudentis ęstimationem.

Controuersia. XXI.

AN SERVATVRVS MERces *in aliud tempus, vel locum, in quo solent illæ magis valere, possit eas carius vendere, quam sit commune pretium fori eo tempore, vel loco, in quo illas vendit?*

QVARTVS titulus qui affertur ad res carius vendendas, quã sit commune pretium fori, sumitur ex eo quod merces illę seruande essent, vel seruari possent in aliud tẽpus, vel duci in alium locum, in quo carius venderentur, & cum maiori vtilitate, ac lucro venditoris. Accidit enim quotidie, vt triticum in mense Augusti vilius ęstimetur quam in mense Aprilis: Siculę vilius vendatur quã Hispaniæ. Licebit ne igitur vẽdenti triticum Augusti, quod instituebat seruare vsq; ad Aprilẽ, carius vendere quã sit pretium fori in eo loco Augusti? Similiter vendenti Siculæ triticum, quod decreuerat deferre in Hispaniam, licebit ne carius vendere, quam habeat tunc commune pretium in foro Siculę.

In hac parte concors est omnium DD. sententia, seruatis conditionibus quas subiiciemus id licere. Nam imprimis ita est definitum in illo cap. Nauiganti. estq; tertius casus illius cap. licere seruaturo merces in tempus futurum, quo probabiliter creduntur magis valiturę, carius illas vẽdere, quam sit pretium fori tempore quo actu venduntur: quia in hoc casu non est æstimandum pretium secundum præsens, sed secundum tempus in quo dominus rei vere illam erat venditurus.

Similiter & in cap. In ciuitate. vbi statuit Alexand. res quę tempore venditionis valent vt 5. posse vendi ad creditum pretio, vt 6. quando dubium fuerit tempore solutionis plus valituras, quam tẽpore vẽditionis. Quod si ratione illius dubii ita licet, multo potius vbi seruandæ sunt in tẽpus, vel locum, in quo solent magis valere.

Secundo, constat ratione. Venditor potest ducere in pactũ, sicut & mutuans, damnum emergens, & lucrum sibi cessans, sed qui vendit triticum in Augusto valens vsu fori pretium vt 6. seruandum in Aprilem, quo tempore probabiliter & communiter solet valere vt 8. si vendat illud pretio vt 6. patitur reuera damnum illud, vel saltim lucrum cessans, ergo vt se seruet indẽnem à tali damno & cessatione lucri, potest carius vendere, quam sit pretium Augusti.

Tertio (vt supra dicebamus agentes de lucro cessante) Vendens triticum paratum ad seminandum potest carius vendere, quã valeat aliud triticum communi pretio fori, quia illud sic paratum est in proxima potẽtia ex intentione & animo vẽditoris ad lucrum, & fructus, sed similiter triticum seruandum in mensem Aprilis est in potentia proxima, ex animo illud ita instituẽtis, etsi tempus distet, ad lucrum illud afferendum ex illo maiori pretio: ergo potest carius vendi quam sit præsens pretium fori.

Quarto, vt vidimus q. pręced. art. 1. ex D. Tho. Qui vendit rem sibi vtilem & fructiferã, potest illam carius vendere quã secundũ se valeat, quia vtilitas illa qua se ipsam priuat vendẽdo rẽ illã, est pretio æstimabilis, & omnis vtilitas ac fructus qui sequitur ex re aliqua sine alterius industria, debet accrescere vero domino illius rei. Sed augmentum illud pretii quod probabiliter solet habere triticum Aprili, quod nõ habet Augusti, vel quod solet habere Hispaniæ, quod non habet Siculæ, est vtilitas & fructus rei sine alterius industria, qua vtilitate & lucro priuat se vendens Augusti, qui instituebat vendere Aprili, & vendens Siculæ cum instituisset deferre illud in Hispaniam. ergo ratione istius vtilitatis & lucri, quod ipsius erat, poterit carius vẽdere. Conueniunt in hac sententia nõ solũ Theologi verum etiam Iurisperiti in L. Quod te. ff. Si certũ petatur. Vbi multa Alexan.

Conditiones vero seruandæ in hoc contractu sunt septẽ. Prima, Rem sic vẽdendã talis esse naturę vt possit seruari in tempus illud, vel locũ, sine sui diminutione, vel corruptione. Etenim si res nullomodo seruabilis sit, augere pretium illius sub tali titulo figmentũ est, & deceptio maxima cum iniquitate coniuncta, quia in tali re non habet locum damnum emergens, neq; lucrum cessans nisi ficte & simulate: Quod si seruabilis sit, sed cũ aliqua diminutione, vel corruptione sui, minuẽdũ simul est pretium arbitrio prudẽtis iuxta proportionẽ illius diminutio-

nutionis, vel corruptionis: cũ talis rei diminutio, vel corruptio defectus quidã sint: ac vt vidimus q. 77. art. 3. pretium rei defectuosæ minuendũ est iuxta rei defectũ.

Secunda est, vt venditor vere haberet animum seruandi rem illam in tale tẽpus, vel deferendi eam in talem locum, quia titulus quo in hoc casu potest augeri pretiũ, est lucrum illi cessans, lucrum autem non cessat vere ei, qui paratus erat rem illam in præsenti vendere.

Tertia est, de qua Ioann. Maior in 4. d. 15. q. 32. & Syluest. vsura primo §. 2. vt deducantur ex pretio quod res illa creditur valitura, tempore futuro in quod seruatur, omnes expensæ necessario faciendæ, & labores subeundi á venditore, & domino illius rei in custodia ipsius, vsq; ad tempus in quod illam seruabat, vel in locũ in quẽ illã deferre volebat: quia hęc omnia valet minus res illa. Qua de causa, sicut vult augere pretiũ, propter lucrũ quod potest habere seruando illam vsq; in tempus futurũ, similiter quoq; debet respicere expensas, & labores quos oportebat ipsum sustinere vsque ad tempus illud, á quibus liberatur tunc vendens, vt minuat de pretio.

Quarto, habenda est etiã ratio periculi, in quo versantur merces illę, si in aliud tẽpus seruandæ essent, vel deferendæ in aliũ locum: Quia si aliquod propterea vere illis immineat periculum, quod sit pretio æstimabile, cum liberetur venditor ab eo, suscipiat autem illud penes se emptor, ratione illius periculi minuendum est necessario de pretio.

Quinta est, vt rogatus vendat, saltim virtualiter, nec se ipsum ingerat vel offerat, quia vbi venditor ipse rogat emptorẽ, non est censenda causa alicuius damni emergentis, vel lucri cessantis talis venditio: quo fit, vt debeat tunc necessario vndere pretio currenti. Etenim sicut mutuans qui rogat mutuatarium, ipsemet extrahit pecuniam suã á negotio, & ab illa proxima potentia in qua erat pecunia illius ad lucra, propter quod non potest tunc exigere lucrum cessans, ita venditor qui rogat, & se ipsum propria sponte offert emptori, eo ipso desinit velle seruare rẽ illam in tẽpus futurum, & consequenter non potest illam vendere nisi pretio presenti.

Sexta, vt à principio contractus & tempore venditionis admoneat emptorem de sua intentione, & de augmento pretii tunc currentis, ratione damni quod est passurus vendendo eo tẽpore merces, quas in aliud sibi vtile seruabat. Hæc conditio constat ex supradictis, quia aliter emptor esset rationabiliter inuoluntarius in illo augmento pretii: Et confir. Quia cum merces secundum se non valeant amplius quam sit pretium prȩsens, quod in hoc casu damus illas amplius valere, id certe habent, quia intendens seruare illas, & antea vendens, patitur reuera lucrum cessans, vnde erunt necessario seruandæ in huiusmodi contractu eædem conditiones, ac leges, quas diximus desiderari in lucro cessante.

Vltima conditio & maxime obseruanda est, quam parum curant venditores: Vt taxatio pretii quod creduntur merces illæ valiturę eo tempore, in quod venditor illas seruare instituebat, perinde fiat ac si res illę non essent antea venditæ, sed seruatæ vsq; ad illud tempus: Vt si quis habeat in mense Decembri decem mille coros tritici seruandos in mẽsem Maii, vẽdat vero quinque milia illorum mense Decembri pretio currenti in mense Maii, non est taxandum pretium iuxta illud quo de facto vendetur simile triticum mense Maii, deficientibus illis quinque millibus coris tritici, sed iuxta illud quod arbitrio prudentis venderetur, si illi quinque mille cori tritici existerent adhuc venales, fuissentq; seruati vsq; ad mẽsem Maii: Ratio est, quia penuria merciũ augetur pretium, & abundantia minuitur, ea ratione & lege (vt supra diximus) ne vẽditor sit causa illius penuriæ, sed varius tantum euentus & successus temporis: At quãdo habens decem mille coros tritici in mẽse Decẽbri seruandos in mensem Maii vẽdatq; quinque mille illorũ Decembri, ipse efficit vt illis quinque mille coris deficiẽtibus maior sit Maii tritici penuria, sicq; pluris vẽdatur. Quo circa vt recte, & iuste taxetur pretiũ Maii, nec dici possit minui industria vẽditoris, & penuria ab ipso effecta, & procurata, taxandum est ad arbitrium prudentis eodem omnino modo, ac si illi quinque mille cori tritici non essent venditi Decembri, sed manerent adhuc extarẽtq; venales mense Maii. Seruatis his conditionibus, potest qui ita intendebat merces suas seruare, carius illas vendere, quam sit pretium præsens, eo tempore quo vendit.

Ceterum cum possit carius vẽdere, quęres qua ratione licebit pretiũ istud augere, & carius vẽdere quam sit pretium prȩsens? Dico huiusmodi cõtractum duobus modis posse celebrari: Primo non taxato pretio

quando fit venditio, & res actu traditur: sed relicto illo incerto vsque ad tempus in quo venditor res illas instituebat vendere, Vt cum dicit Petrus vendo tibi hoc triticum, quod reuera seruare instituebam vsq; ad Maium, pretio quo vendetur mense Maij. Porro cum mense Maij, imo intra duos dies, vel vnicum variari posſint pretia, poteſt adhuc in constituẽdo pretio bifariam ſe habere, vel deſignando certum, vt ſi dicat vendo tibi pretio quo vendetur Primo, vel Secundo aut Tertio die Maij, aut non deſignato certo mercato, nec certò die, ſed committendo illud toti menſi: quo caſu, non debet exigere iuxta mercatum ſummum, & maioris pretij, quo vendetur in Maio: quia vt optime admonent Hoſtiẽſis De vſuris. §. An aliquãdo. D. Bernardinus ſerm. 34. ar. 1. col. 3. & Syluef. dic. §. 2 qui ſic vẽderet nulli exponeret ſe periculo, ſed eſſet omnino in tuto, quod eſt iniquũ, & quędam vſura palliata, lucrum certum recipiens ex dilata ſulutione. Nec iuxta minus & infimum, ſed iuxta medium & moderatum. Ratio eſt aperta, quia licet iſte ſeruaret triticum illud vendendum menſe Maij, non tamen ſtatuerat, nec moraliter loquendo ſtatuere ſibi potuit certum diẽ, ſed illud tantum vendere in Maio eo die qui ſibi commodior videretur, poterat autem tanquam diem forſan eligere ſibi commodiorem, cum in quo triticum illud non venderetur in ſummo pretio illius menſis: quo efficitur vt vendens triticum ſeruandum in Maium quando non conuenit de aliquo certo die, non poſsit exigere ſummum pretium, neq; debeat infimum cum potuiſſet forſan etiã vendere die ſummi pretii, ſed medium & temperatũ, Quod ſi aliquem certum diem elegerit, & de illo cõuenerit cũ emptore, non poteſt illud variare, vt recte tradit Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. ar. 2. in fine.

Secundo modo poteſt fieri iſte contractus non relicto pretio in incertum & in futurum, ſed taxando illud ipſo tempore vẽditionis ad arbitrium prudentis, expendendo iuxta conditiones ſupra poſitas, maxime iſtam vltimam, quid probabiliter triticum illud ſoleat valere menſe Maii, aut credatur illo anno valiturum, quid etiã valeat eo tempore quo venditur, quibus penſatis conſtituatur pretium aliquantulum maius, quam ſit preſens, & minus quam credatur valiturus in Maio: Quod pretium iuſtum eſt, quia in hoc caſu vterq; contrahentium ſimiliter ſe exponit damno, vel commodo, periculo ſcilicet maioris vel minoris pretii, Poterit enim ita augeri, vt taxatũ ſit multo inferius, quod eſt commodum ementis & damnum vendentis, poterit etiam ſuperueniente aliqua abundantia ita minui, vt taxatum ſit ſuperius & carius, quod eſt commodum vẽdentis & damnum emẽtis: vnde vterq; ſe ipſum equaliter exponit iſti periculo damni & cõmodi, contractus autẽ, (vt paulo ante dicebamus) in quo vterque ex æquo ſe exponit damno vel cõmodo, iuſtus eſt, & licitus.

Ex dictis conſtare facile poteſt, quid ſentiendum ſit in ſimili controu. nempe,

AN QVI EMIT RES TEMpore quo carius valent, recipiendas tamen tempore quo vilius valebunt, poſsit eas vilius emere, quam ſit pretium fori eo tempore quo emit?

Verbi gratia, Triticũ carius valet cõmuniter Maii quàm Auguſti, emit Petrus à Ioanne in Maio triticum, quod actu & reuera nõ recipiet à Ioanne vſq; ad Auguſtum, poterit ne illud vilius emere quam valeat Maii? Reſpondeo, iuxta communẽ omniũ DD. ſententiam poſſe vilius illud emere, nec teneri ad reddendum pretium quo venditur tempore quo emit, ſed illud tantũ quo vẽdetur tempore quo triticum illud eſt recepturus. Ita definit Pontif. in ſecundo caſu illius cap. Nauiganti. De vſuris. Et probatur ratione. Res æſtimendæ ſunt quatenus deſeruiunt ad humanos vſus, & vtilitates, ſed triticum illud etiam ſi ematur in Maio, non tamen eſt futurũ vtile & alicuius vſus ementi, vſq; ad Auguſtum, quando ipſi tradetur, ergo æſtimandum eſt & reddendum pro illo pretiũ, quod valebit Auguſti.

Secundo. Iuſtum rei pretium ſumendũ eſt vel ex lege, vel ex communi vſu fori eo tempore & loco, in quo actu & reipſa perficitur, & completur venditio: hæc autem perficitur, & cõpletur quando res ipſa actu traditur, vel ſaltim tranſit in plenum dominium ementis, ergo cum in hoc caſu triticũ iſtud nõ tradatur emptori vſq; ad Auguſtũ æſtimandum erit, & cõſtituendũ illi pretiũ, quale fuerit in mẽſe Auguſti. In hoc nãq; caſu non confertur illud minus pretium ratione anticipatæ ſolutionis, ſed quia iuſtum cuiuſq; rei pretium illud eſt, quo res illa venditur quando recipitur: Neq; in caſu præ-

su precedenti quando triticum erat seruandum, venditur carius quia differtur solutio, sed quia licet vẽditori seruare se indẽnem à damno emergenti, & lucro cessante, quibus probabiliter se exponit, vendendo res quas in aliud tempus seruabat, multo antea.

Sed queres, qui emit triticum in Maio recipiendum Augusti, cum possit emere pretio quo venditur Augusti, quomodo poterit pretium illud statuere? Dico, posse similiter duobus modis taxari, sicut in præcedenti casu diximus, vel relinquendo pretium in incertum, pro vt vendetur Augusti, non summendo maius pretium, nec minus illius mensis, sed medium: Vel si res sit anceps & dubia, quomodo soleat vẽdi Augusti, aut quomodo vendetur eo anno, poterunt ad arbitrium prudentis interse pretium constituere, quod sit minus quam vendatur in Maio, & medium vel temperatum parum plus vel minus quam credatur vendendum in Augusto: idque siue anticipetur illius solutio, siue non, sed fiat contractus illius venditionis vel datis arrhis, vel saltim constituta mutua obligatione vtriusq;.

Offert se statim hic questio & difficilior.

Controuersia. XXII.

AN VBI VENDITOR NON *seruaturus merces vendit eas pecunia credita, exsoluendas tempore quo illæ carius sunt probabiliter valituræ, possit illas carius vendere pretio scilicet quod valebunt tempore solutionis.*

VERBI gratia, Vendit Petrus Augusti triticum Ioãni exsoluẽdum Aprili, quod tamen non instituebat vẽdere Aprili sed cum primum accõmodatus emptor illi occurreret, poterit ne illud carius vendere quã valeat Augusti, quo tẽpore vẽdit? & recipere pretiũ Aprilis, quo tẽpore fiet ipsi solutio?

Caiet. in hoc art. & in summa in verb. exterior vsura. cap. 3. distinguit in hac parte. Ad cuius mentem percipiendam constituendum est, contractum venditionis in his duobus consistere, nempe vt res tradatur á venditore emptori, vel actu & formaliter, vel saltim virtualiter, id est, obligando se ad illam tradendam, & constituatur ipsi certum illius pretium, aut in particulari & in indiuiduo, aut in specie: vt quando relinquitur in aliquod præfixum tẽpus. Quo posito bifariam inquit Caiet. potest hic contractus celebrari. Primo modo, ita vt contractus venditionis & emptionis statim compleatur & absoluatur, nihilq; illi desit præter quam actualis solutio pretii, in quo casu dilatio solutionis est velut quedã actio distincta, & separata ab actu venditionis: existuntq; ibi duo cõtractus distincti, vnus emptionis & venditionis quo res traditur, & statuitur pretium, manetq; res actu & omnino vendita, alter verò dilatæ & expectatæ solutionis. Et hoc modo (inquit) nõ licet carius vendere, quia augeretur pretiũ ratione dilate solutionis, quod est vsurariũ: cum sit dilata solutio ex D. Tho. (vt sepe diximus) quoddam mutuum tacitum. Conueniuntq; in hac parte omnes cũ Caiet. Secundo vero modo potest (inquit Caiet.) celebrari hic contractus, ita vt non statim cõpleatur, & terminetur venditio tempore quo res traditur, sed maneat inchoata & imperfecta, complenda verò & actu terminanda tempore solutionis, quo casu dilatio solutionis non est consideranda vt actio separata ab ipsa vẽditione, sed vt quedam pars illius, & in qua perficitur & completur venditio: ita vt maneret venditio illa quasi suspensa vsq; ad tempus solutionis. Etenim cum venditio ex duplici parte constet, ex traditione rei & constitutione pretii, inchoatur quãdo res traditur, absoluitur verò & consumatur quãdo constituitur pretium tempore solutionis. Et hoc secundo modo ait Caiet. potest quis carius vendere pecunia credita quam præsenti, si res tempore solutionis plus valitura est, etiam si venditor nõ institueret seruare illam vsq; ad illud tempus.

Prabat Caiet. hanc partem. Primo, ex cap. In ciuitate. extra de vsuris. Vbi Alexan. tertius ait, *Vendentem Cinamomum, Piper, vel alias merces 6. libris, cum tamen eo tempore quo vendit non valeant nisi 5. peccatũ incurrere iniquæ venditionis, nisi iam dubium sit, merces illas tẽpore solutionis plus, minusue esse valituras.* Vbi aperte statuit Pontif. licere rem alio tẽpore soluendam carius vẽdere, quam sit pretium currens tẽpore quo venditur, si tempore solutionis res illa amplius credatur valitura.

Quod si dixeris loqui Alexan. de venditore, qui merces suas erat seruaturus vsq; ad illud tempus solutionis, ita vt textus iste Alexandri intelligatur iuxta tertiũ casum Cap. Nauiganti. Contra, Alexander in

Cap. In ciuitate. nihil tale apponit, neque distinguit inter venditorem seruaturam merces, & eum qui non est seruaturus: at *Vbi lex non distinguit*, (ex Reg. Iuris) *nec nos distinguere debemus*. Tum secundo, quia Alexander se ipsum satis explicat in isto cap. In ciuitate, non enim dicit licere carius vendere quia merces sint seruandę, sed quia tempore solutionis probabiliter creduntur plus valituræ: cum ergo Pontif. aperte designet ibi causam & rationem suæ decisionis, non est quod ad aliam causam vel rationem alterius textus recurramus. Tertio, tertius casus capitis Nauiganti. est lõge diuersus à casu huius cap. In ciuitate, quia in illo agitur de venditore seruaturo merces in futurũ, & vendente pecunia numerata, casus vero cap. In ciuitate. est de vendente pecunia credita, & alio tempore soluenda, qui casus reuera diuersi & distincti sunt: Quamuis enim accidere aliquando possit, vt qui vendit merces seruandas in futurum, non recipiat solutionem vsq; ad illud idem tẽpus in quod illas seruabat, attamen simpliciter sumpti & secũdũ se hi casus, & contractus diuersi sunt, vendere merces seruandas in futurum siue pecunia pręsenti illę vendantur, siue expectata solutione, & vendere pecunia credita merces quas non instituebat aliter vendere quam pecunia credita, qui est proprie casus capitis In ciuitate. Siue esset illas seruaturus siue non. Deniq; tertius casus de quo Cap. Nauiganti. simpliciter proponitur vt licitus, nullamque dicitur habere vsurę suspicionem, at casus ille de quo in cap. In ciuitate. vt ait ibi Pontif. habet vsurę suspicionem, admonetq; Pontif. Episcopum Ianuensem, consulat suis ciuibus vt ab illo abstineant. Vnde reuera diuersi sunt.

Secundo principaliter. Licet rem tradẽdam tempore futuro, in quo vilius valebit, vilius emere, quam valeat tempore quo emitur, & anticipatur solutio: ergo licet similiter rem soluendam in futuro, & tempore quo carius valebit, carius vendere quam valeat tempore quo traditur. Antecedens constat ex dictis pręced. Controu. & est definitum Cap. Nauiganti. in secundo casu, consequentia vero patet ex paritate rationis, *Vbi autem* (vt sępe diximus) *eadem ratio, eadem quoque debet esse Iuris dispositio*. Quod si dixeris differre hęc plurimum, quia in casu antecedentis contractus emptionis non est absolutus, & terminatus, quousq; merces tradantur emptori, in casu vero consequentis, cũ iam merces sint traditæ, censetur contractus iam absolutus & completus, esto pretium non dum sit solutum, & ideo in casu antecedẽtis non posse recipi maius pretium quam valeant tempore quo traduntur, quia tunc censetur iste res suas vendere, in casu vero consequentis cum tradantur actu merces, non posse accipi pretium quod valebunt in futuro, sed quod valent tempore quo traduntur, quia tunc re ipsa venduntur, perficiturq; illarum venditio. Contra: venditio ista dilata solutione, iuxta hunc secundum modum quem constituit Caiet. nõ est perfecta, nec cõsumata, sed inchoata tantum, & perficienda tẽpore solutionis cum non sit constitutũ pretiũ, nec reddatur vsque ad illud tempus, quę pretii constitutio & redditio vere pars quędam est cõtractus emptionis & venditionis: ergo licebit vendenti accipere pretium, quod res illæ valent tempore solutionis, tamquam proprium pretium illarum & verum pretium temporis, quo venditur, vt tunc consummetur & perficiatur illius venditio.

Tertio, Si hæc venditio celebraretur tẽpore quo fit solutio, posset venditor tuta conscientia recipere pretium currens tali tempore, ergo licet illud idem anticipare quando vendit non recepturus pretium vsque ad illud. Probatur consequẽtia: quia iuxta hunc secundum modum quem constituit Caiet. non perficitur contractus venditionis vsque ad illud tempus, & ex consequenti eo tempore quo ille perficitur, & absoluitur, censenda est res illa vẽdi. Quod si dixeris liceret, ergo venditori, quamuis velit emptor emere pecunia præsenti, non vendere nisi credita vsque ad tempus, quo iudicat rem suam carius valituram, ita vt non perficeretur contractus vsque ad illud, vt sic carius venderet, quod esset aperire ianuam innumeris fraudibus: Negat Caietan. hanc sequelam & incommodum. Quia sententia eius accipienda est, quando emptor non vult, aut non potest statim soluere: tunc enim ex consensu vtriusque citra omnem fraudem inchoatur venditio quando res traditur, absoluitur vero & perficitur, quando fit solutio. At vbi emptor paratus est pecunia pręsenti statim soluere, & eodem tempore quo res sibi traditur, si venditor nollet pretium illud præsens accipere, sed differre vsq; in futurum ad augendum pretium, esset aperta fraus, & vsura, figmen-

figmentum dolosum ipsius non perficere tunc venditionem illam, cum emptor actu tradat pretium, sicut ipse actu tradit rem, culpa vero illius differatur solutio.

Quarto, si venditor haberet animũ seruandi merces suas in tempus illud quo recipiet illarum solutionem, posset illas carius vendere, pretio scilicet quod essent valiturę eo tẽpore quo sibi soluẽtur, ergo etiã si non habeat talem animum potest illas similiter vendere. Probo consequentiam, quia quando contractus est secundum se iustus, parum refert quem animum habeat venditor, num haberet animum seruandi illas vel secus: quod autem hic contractus sit iustus patet ex dictis, cum tunc perficiatur & compleatur venditio.

Tribuit Couar. lib. 2. varia resolu. cap. 3. nu. 6. eandem opinionem Conrrado q. 61. sed nihil minus ibi docet Cõrrad. cũ in omnibus septem casibus & conclusionibus illius questionis semper agat de seruaturo merces in aliud tempus.

Magister Victoria in lectura huius artic. asserebat in hac parte: Primum, si merces seruabiles sint sine corruptione vel diminutione sui vsq; ad tempus solutionis, emptore nolente aut non potente statim soluere, ita vt sine vlla culpa venditoris differatur solutio, sententiam illam Caieta. esse probabilẽ, & veram, pro vt iacet iuxta argumenta proposita. Aliter falsam esse.

Soto lib. 6. de Iust. q. 4. ar. 2. iudicat similiter illam probabilem, maxime si vendẽs Augusti triticum soluendum Aprili, non constituat á principio pretium, sed relinquat illud incertum, & eatenus soluendũ, quatenus tempore solutionis res illa vendetur vsu fori: seruata duplici illa conditione. Prima, vt merces illæ seruari possint, & secunda quam apponebat Victoria, vt sine culpa venditoris solutio illa differatur. Qua ratione explicata mente Caietan. probat Soto probabilem esse illius sententiam. Hoc argumento, Qui tempore Natiuitatis Domini abundat grano, quod non instituebat seruare, rogatur vero à Petro, vt vendat illi triticum pecunia exsoluenda mense Maii, potest cum illo ita conuenire, nisi statim soluas nolo tibi vendere, sed mutuare tantum, ea lege vt vel totidẽ modios tritici mihi in Maio restituas, vel quod tũc valebunt: hic contractus omnium iudicio est licitus, huic vero similis est, si dicat vẽditor, solue statim pretium præsens, si vero renuis aut non potes nisi vsq; ad Maium, nolo vendere pretio præsenti, sed pretio Maii. Ergo quemadmodum prior ille contractus iustus est, & licitus, ita & hic posterior. Cæterum etiam si sub his conditionibus iudicet Soto hunc contractum probabilem, simpliciter tamen & absolute tenet oppositum.

Medina De reb. restit. q. illa 38. causa 5. sentit, quacunq; ratione celebretur, illicitum esse omnino merces non seruandas in aliud tempus carius vendere, quam sit cõmune pretium fori tempore quo venduntur. Subscribũt illi Nauar. cap. 17. nu. 238. & copiosius Couarr. lib. 2. varia resol. cap. 3. num. 6. vbi affert in eandem sententiam ex Theologis Scotum in 4. dist. 15. q. 2. ar. 2. col. 4. & Sylu. verb. vsura. Secũdo. questio. 2. versic. sext. Ex Iurisperitis Hostiensem in summa De vsuris. §. citato. An aliquando. Laurent. de Rodulphis in repet. cap. Consuluit. De vsuris. q. 29. & sequen. Ananiam in dic. cap. Nauiganti. num. 12. & Cæpolam Concilio ciuili 10. col. vlt.

Ex recentioribus Thomistis iudicãt nõnulli opinionem istam Caiet. probabilem seruatis his conditionibus.

Prima, quam asignat Victoria, vt merces illę commode & æquè benè possint seruari vsq; ad tempus solutionis: qua ratione intelligendam esse opinionem istam Caietani colligunt ex ipso, hac ratione. Quia ex eodem merces non possunt vendi nisi pretio currenti, & recepto in foro, vel tempore quo traduntur, vel tempore quo fit solutio: quæ vero non possunt commode seruari & permanere integræ vsq; ad tempus solutionis, sed antequam illud adueniret, deficerent, & corrumperentur, eo tempore iam nullius essent valoris, nec pretii, cũ sint tunc vsibus humanis iã omnino inutiles, ergo necessario Caiet. intelligi debet de his quæ sunt seruabiles vsq; ad tempus solutionis, ita vt si vsq; ad illud commode seruari nequeant, non possit pretium earum ex eo tempore summi cum nullum iam vt corruptę tunc haberẽt, sed summendum necessario esset ex tempore quo traduntur, in quo adhuc vtiles sunt & proficuæ.

Secunda, vt fiat emptio pecunia credita. Etenim si eodem tempore quo traduntur merces, recipiatur simul à venditore pretium, vel saltim emptor paratus sit offerre illud, perficitur tunc, & consummatur venditio, debetq; ex eo tempore sumi ne-

 cessa-

cessario pretium, nõ ex aliquo alio futuro? cum tota ratio Caiet. consistat in eo, quod pretium possit sumi ex eo tempore, quo perficitur venditio, perficitur vero iuxta ipsum tempore solutionis.

Tertia, ne pretium taxetur in particulari & in indiuiduo, eo tempore quo merces traduntur, sed relinquatur in communi, tẽpori quo fiet solutio, vt quale tunc similes merces habere contigerit, tale reddatur ab emptore: vt sic vterq; eidem fortunę & tẽpori se ipsum exponat.

Quarta, vt ex pretio quod tunc similes merces valebunt, deducantur labores, & expensæ, quibus merces illæ indiguissent, si vsq; ad tempus solutionis fuissent penes venditorem, & ab eo seruatæ. Nam cum non consumatur, nec perficiatur venditio vsq; ad illud tẽpus, debent expensę, quas in mercibus illis conseruandis ipsum opor tuisset facere, à pretio illo deduci, perinde ac si non fuissent ab ipso venditæ vsq; ad tempus illud.

Quinta, vt sit liberum emptori pretium illarum reddere quando voluerit, ita vt licet sit illi asignatum certum solutionis tẽpus, maneat nihilominus in facultate illius pręuenire illud, & soluere prius quam illud adueniat, si ipsi libuerit. Quæ conditio duplici de causa exigitur. Primo, quia si ea libertate priuaretur emptor, cum talis priua tio sit pretio æstimabilis, exigeretur ab eo pręter pretium, aliquid aliud pretio ęstimabile, quod est iniquum, quin & simulata vsura, cum omnis venditio pecunia credita ex D. Tho. sit quoddam mutuum implicitum. Secundo, quia non liceret emptori reddere pretium sibi commodius, & ex tẽpore sibi commodiori desumptum, sed illud tantum à venditore asignatũ, qui semper eligunt rigidius, qua ratione non esset vterq; ex æquo eidem fortunæ quantũ ad pretium expositus.

Sexta & vltima est, vt venditor huiusmodi qui non instituebat merces suas in aliud tempus seruare, sicut decreuit statim illas vendere, ita quoq; mallet omnino statim pretium illarum recipere, præsens scilicet, & existens cõmuni vsu fori, posit quã futurum, rogatus vero ab emptore qui nequit in numerato illud reddere, vendit illi ad creditum, sub ea conditione, vt soluat cum primum potuerit, vel tali tẽpore eodẽ pretio quo tunc similes merces venduntur. Quę conditio maxime necessaria est: nam qui mallet vendere ad creditum, maius expectans pretium ex futura solutione, quam ex pręsenti: certe hic lucrum quæreret ex dilata solutione, quod vt constat iniquum est & vsurarium: Qui vero mallet in numerato vendere, & pretio tunc existenti, quã in diem, cæterum quia rogatur ab emptore vt expectet solutionẽ, postulat pretium quod tempore solutionis merces illæ valebunt, non quærit lucrum ex dilata solutione, sed iuxta Caiet. pretium quod valebũt tempore quo perficietur, ac consummabitur venditio.

Alii vero ex eisdẽ discipulis D. Tho. & pleriq; eorum, opinionẽ istam Caiet. etiã si adhibeantur omnes conditiones istæ modo explicatæ, falsam nihilominus & omnino improbabilem illam iudicant, adducti rationibus, quas statim subiiciemus.

Nobis vero quia grauissimis vtriusq; partis doctoribus seruanda reuerentia est, vbi neutra earum adeo certa est, vt opposita sit euidenter vel certissimo falsa, ita videtur in hac parte sentiendum, vt opinio ista Caiet. seruatis illis sex conditionibus modo explicatis iudicari possit satis probabilis, Tum propter authoritatem eiusdem Caiet. & Victoriæ, qua adducti Soto, & alii viri grauissimi nostri temporis illã probabilem appellant: Tum potissime, quia vbi venditor omnes conditiones istas diligenter ac fideliter seruaret, profecto perinde se haberet, ac si merces suas institueret seruare vendendas in aliud tẽpus. Nã qui mallet vendere in numerato, & pretio pręsenti, quam in diem, quia vero rogatur ab emptore, vendit ad creditum, exigens pretium quo illæ vendentur tempore solutionis, deducitq; ab illo omnes labores, & expensas, quas oportuisset ipsum facere, si vsq; ad illud penes ipsum seruatæ fuissent, certe hic perinde se habet, ac si diceret emptori, (esto non illud exprimat) ego nollem certe vendere ad creditum, neq; maiori pretio, quam habet modo cõmunis vsus fori, cæterum quia tu non vales modo illud reddere, sed in futurum, reddes quod valebunt tempore quo solues: mihi enim non recipienti modo pretium, sed in futurum, merces istæ vsq; ad tempus illud seruabiles sint, deducendiq; labores & expensæ quas oportuisset me facere in illis seruandis, perinde res sese habet, ac si vsq; ad tempus illud apud me seruassem, & tunc illas tibi tradidissem. Qua ratione hoc contractu celebrato, probabile certe est, posse huiusmodi venditorem exigere pretium existẽs tẽpore

pore solutionis, perinde ac si merces suas vsq; ad illud seruare instituisset, vel saltim prçter animi sui institutum de facto vsq; ad illud eas seruasset.

Sed quamuis hęc opinio Caiet. quatenus à nobis explicatur probabilis dici possit, opposita tamen multo probabilior ac verior est, & tenenda. Primo, Quia in re adeo odiosa, & periculosa qualis est vsura, non sunt admittendæ opiniones, quę attēta hominum cupiditate, & malitia aditum parant, & viam sternunt ad exercendas passim, & frequentissime in contractu emptionis & venditionis varias & innumeras iniquitates, & vsuras, in maximum Reip. dānum, quales certe exercerent venditores admissa Caiet. opinione. Demptis enim pauperibus, qui merces & fructus suos vēderent in numerato, propter indigentiam pręsentis pecuniæ, cæteri omnes non aliter venderent, quam ad creditum, iuxta pretiū tali, vel tali tempore futurum: argumento potest esse certissimo, quod singulis annis in annona, & aliis fructibus humano conuictui adeo necessariis experimur, ditioribus illos occupātibus, ac recludentibus, nec volentibus vendere, vel in forum ducere, vsq; ad tempus, quo ægestate ciues premēte, rigidissimis illi venduntur pretiis.

Secundo, quia esto conditiones illæ appositæ videantur aliqua ex parte huiusmodi damnis occurrere, eadem nihilominus experientia teste, re ad praxim redacta, paucissimi sunt, & fere nulli qui illas obseruarent. Etenim si communi schola Theologorum, & confessariis, ac concionatoribus contra huiusmodi venditiones & contractus clamantibus, nouit prudentia seu iniqua versutia mercatorum, & filiorū huius lucris, tot viis, & technis, milleq; coloribus à se quæsitis suam iniquitatem tueri, ac simulare, quid si hos contractus illis concedamus, quibus ad suas cupiditates & vsuras ansam campumq; latissimum tribuamus?

Tertio, quia & authores illius opinionis, esto illam probabilem sentiant, oppositam nihilominus iudicant probabiliorem, ita vt illa Caiet. nullomodo sit cōsulenda, saltim ante factum, sed disuadenda potius, quin & post factum suadendum venditori, vt securius agat, vt acceptum vltra pretium commune, tempore quo rem tradidit, restituat.

Ad plenam vero huius quęstionis intelligentiam obseruemus primo, omnes in eo conuenire, rem quæ non sit seruabilis in futurum, nulla ratione posse carius vendi, quam valeat tempore quo traditur. Nullus enim potest excogitari titulus, nullaq; ratio, propter quam tales merces carius vendantur, nisi quia differtur solutio: quo nomine carius rem vendere vsurarium est. Antecedens verò patet: Qui merces suas in aliud tempus erat seruaturus, vt præced. quæst. dicebamus, ideo potest carius illas vendere, quia cum possent illæ vsq; in tempus illud seruari, & carius vēdi, sicq; dominus illarum decreuisset, ante illud tempus eas vendens, priuatur caretq; lucro, & vtilitate, quam ex illis vsq; in tempus illud seruatis, & carius vēditis, recepisset, licetq; vnicuiq; seruare se ipsum indemnem à cessatione sui lucri, ergo à fortiori, quando nec venditor instituebat illas seruare, nec ipsę merces seruabiles erant, cum nullā patiatur vendens illas cessationem lucri, cōsequenter nullo alio titulo reuera carius illas vendit, quam sola ratione dilatæ solutionis, quod est iniquum.

Obseruemus secundo, Contractum venditionis tunc vere & realiter celebrari, quādo res traditur actu & formaliter, etiam si tunc nō recipiatur pretium eius, modo inter contrahentes constituatur aliquod certum, siue in particulari & in indiuiduo, siue in communi & in genere, relictum scilicet alicui tempori: Pretium enim ita tempori relictum quāuis non sit in particulari certum, habet nihilominus certitudinē in communi, á qua contrahentes recedere iam non possunt, in pretiis vero illud dicitur certum & constitutum, á quo iam non possunt contrahentes recedere, sed tenētur omnino illi stare, siue in particulari, siue in communi designatum sit. Colligitur autem aperte hęc obseruatio seu fundamentum, ex his quæ docent discipuli D. Tho. infra q. 100. De symonia, quibus consentit idem Caiet. in summa verb. symonia. In emptione enim beneficii data pecunia, volunt symoniam vere & actu reperiri, cum primum traditur actu beneficium, etiam si non tradatur statim pecunia, quod si tradatur pecunia non tamen beneficium non esse adhuc symoniā realē. Ex qua doctrina sequitur necessario, cum iuxta communem DD. sententiam, symonia sit venditio rei spiritualis, committatur autem actu & reipsa quando res spiritualis traditur, etiā si non tradatur tunc actu pretium, consequenter consistere & compleri contractum

venditionis in traditione rei, etiam si non tradatur pecunia. Dixi in hac obseruatione in traditione actuali rei consistere venditionem, neq; memini virtualis traditionis, qua venditor obligat se ad illam aliquã do tradendam: quia quantum ad præsentẽ disputationem, si venditor non tradat rem actu, sed virtute solum, promittens se illam in futuro tradere, eodemq; tẽpore emptor illam actu soluturus sit, tunc cõtractus iste non fit pecunia credita sed præsenti, cum eodem tempore, quo traditur res recipiatur simul illius pretium: hic autem loquimur de eo, qui vendit pecunia credita, & qui tempore quo rem suam tradit, non recipit solutionem, sed expectat illam.

His positis probatur Caietani sententiã, eo etiam modo quo à nobis explicatur, periculosam esse, nec tenendam, sed oppositam. Primo, Vendẽs pecunia credita (vt ex dictis constat) nullo alio nomine potest carius vendere, vltra pretium præsens, quam vt seruet se ipsum indemnem ab aliquo damno emergente, vel lucro sibi cessante: at qui merces suas non instuerat seruare in aliud tempus, etiam si illę seruabiles sint, recepto pretio quod habet communis vsus fori tempore quo illas tradit, nullum patitur damnum, nullum ve cessat illi lucrum ex tali venditione, nec aliud reuera patitur in hoc casu quam solam dilationem solutionis, propter quam nullo modo licet augere pretium, ergo huic non licet carius vendere, quam sit pretium tunc existens in foro.

Secundo, Iniquum est & iniustum maius pretium accipere, quã valeat res secundũ se, aut quatenus vtilis est venditori, vt constat ex quæst. præced. 77. ar. 1. Sed in hoc casu merces quas vẽditor non instituebat seruare, secundum se non valent nisi commune pretium fori, existens eo tempore quo traduntur, vt ibi vidimus ex illa L. Pretia ff. Ad legem Falcidiam, nec ipsi vẽditori aliquid amplius valent, quam illud idem pretium præsens, cum non instituerет illas in aliud tempus seruare ergo iniquum est carius illas vendere.

Tertio, res eatenus æstimãdę sunt, quatenus veniunt in vsus hominum, hac namq; ratione, vt ibi docuimus est imponẽdũ illis pretiũ, veniunt autem in vsus emptoris, quãdo ipsi actu traduntur, ergo nõ licet maius pretium pro illis accipere, quam sit pretiũ fori, tempore quo emptori tradũtur.

Quarto, res non amplius valet, quam sit pretium eius, eo tempore quo vere & actu celebratur contractus vẽditionis, huiusmodi autem contractus celebratur quando res traditur à venditore, & constituitur inter ipsos aliquod genus pretij, siue in particulari, siue in communi, vt constat ex secũda obseruatione posita, ergo nõ potest carius vendi, quam valet quando actu traditur. Et confirmatur, contractus, vt habetur L. Labeo. ff. de verb. signifi. & nos supra docuimus, est vltro citroq; obligatio, ergo cõtractus emptionis & venditionis tunc vere celebratur, quando emptor manet obligatus ad aliquod pretium siue in communi siue in particulari præfixum, & venditor actu tradit, vel manet obligatus ad eam tradendam, & consequenter quod differatur taxatio pretij in tempus solutionis, aut aliud futurum, non tollit, quin eo tempore quo res tradita est, & inter se contrahentes de pretio aliquo, etiam si in cõmuni conuenerunt, sit re ipsa tunc celebratus contractus venditionis integer, perfectus, & absolutus.

Quinto, comuni omniũ hominũ conceptione & iudicio, quicunq; rem venalem accipit vt suam, cõstituto iam illi pretio siue in particulari siue in communi, non dicitur in coasse aut incepisse illius emptionem, sed iam rẽ illam emisse, etiam si postea sit redditurus pretium, pretium autem iustũ in omni re sumendum est ex tempore quo vere & actu illa venditur: ergo sumendum ex tempore quo illa traditur, esto differatur illius solutio. Confirmatur Antecedens primo sic: Cum primum illam emptor recipit à venditore constituto illi aliquo pretio, emptor adquirit integrum & absolutum illius dominium, nequit autem illud alio nomine vel titulo tunc adquirere, quam per cõtractum emptionis; ergo vere & realiter tunc illam emit, estq; perfecta & absoluta venditio. Conf. secundo, Contractus ciuilis non inducit vinculum aliquod vel obligationem, donec sit perfectus & consumatus, quandiu enim est in fieri, quiuis contrahentium manet liber, & potens libere ab illo recedere, at cum primum res traditur emptori sub aliquo certo pretio in particulari vel in communi taxato, neutri licet ab illo contractu retrocedere, ergo nõ inchoatur tunc venditio, sed est perfecta & completa in suo genere, esto non dum actu soluatur pretium, sed mancat soluendum in futurum.

Sexto, si vendens & tradens triticum in

Maio

Maio soluẽdum in Augusto, quo tempore triticum minoris valere solet vendere pretio Augusti, sed exigat pretium Maij, ex eodem Caietano & omnibus recte ac iuste vendit, quia exigit pretium quod triticum illud valet, tempore quo actu illud tradit, nec est dicendus inchoasse venditionem in Maio & perfecisse aut consumasse illam in Augusto, ergo similiter qui vendit & tradit triticum in Augusto soluendum in Maio, quod tamen nõ instituebat seruare in Maium, sed statim vẽdere, non potest exigere aut recipere pretium quod valebit deinde in Maio, & tempore solutionis, sed quod valet in Augusto, quo tempore actu illud vendidit. Consequentia patet, nam in his par & æqua debet esse ratio pretij, cum eadem sit res quę vẽditur, & idem omnino animus & intentio venditoris.

Tertio, sequuntur ex sententia Caietani maxima incommoda, & conscientijs mercatorum plurimum nociua, & perniciosa. Imprimis, Si hoc titulo liceret carius vendere, dicendo perfici & compleri contractum tempore solutionis, sequetur in nulla venditione quæ fit pecunia credita, etiam si iustum illius pretium augeatur committi vsuram. Patet, quia in quacũq; venditione ad creditum affirmabit venditor, non compleri venditionem vsq; ad actualem solutionem. Sequitur secundo vt si triticum quod traditur Septembri soluendũ Aprili, quod tamen non erat seruãdum valeat Septembri quando traditur vt. 4. Aprili vero auctum sit pretium illius in quadruplo, valeatq; 16. posse venditorem, pro re quam non instituebat seruare, & tradita quando valebat vt 4. posse inquam accipere tempore solutionis pretium vt 16. quem tamẽ excessum tantum & tam enormem neque Caiet. neq; vllus mercator quãtumuis cupidus audebit affirmare iustum. Sequitur tertio, vt si venditio non fit, neq; perficitur quando res actu traditur, sed inchoatur solum, manetq; velut suspensa vsq; ad tempus solutionis, ita vt tunc compleatur & perficiatur: cum eodem tempore quo perficitur ista venditio recipiat venditor rei suæ pretium, consequenter talis venditio nõ fiat pecunia credita sed preseñti. Qua ratione toleretur & palliaretur omnis venditio pecunia credita in graue damnum Reipub. Denique si liceret in hoc casu de quo agimus, carius vendere, sequeretur posse venditorem maius pretium accipere pro mercibus quas nõ erat seruaturus, quã pro illis quas erat seruaturus, quod est maximum absurdum. Quod autem sequatur ostendo, quia in taxando pretio mercium quas erat seruaturus, debet deducere omnia illa quæ diximus, expensas, labores, & pericula imminentia, in taxãdo autẽ pretio mercibus quas non erat seruaturus, non tenetur aliquid horum deducere, quia cũ non institueret illas seruare, nullas quoq; debebat facere expensas, aut subire labores, vel pericula in illis conseruandis. Hoc tamen incõmodum vltimum parum habet viriũ contra affirmantes opinionem Caietani: quia respondebunt non sequi illud necessario, cum vna ex conditionibus seruandis in huiusmodi vẽditione ad creditũ, de qua hic loquimur, sit, vt vẽditor deducat à pretio quod merces suæ valebunt tempore solutionis omnes labores & expensas quas ipse fecisset, si merces illas apud se vsq; ad tẽpus illud solutionis retinuisset & seruasset. At licet hoc argumẽtum vltimum adhibita ista conditione, quã tamen nõ affert Caietanus imbecille sit: Cętera vero prius adducta efficaciter ostendũt sententiã quã sequimur Qua de causa hæc modo est communis, & recepta inter Thomistas tenẽdaq; & consulenda, & non illa Caiet. nisi velimus conscientias mercatorum in summo discrimine constituere.

Nunc ad argumenta Caiet.

Ad Primũ dico, Alexandrum ibi reuera loqui de Cinamomo, pipere, & mercibus quas venditores illi in aliud tempus seruare instituebant; & Gregorium nonum in cap. illo Nauiganti, explicasse mentem Alexan. in isto cap. In ciuitate. Cõueniũt in hac parte omnes Doctores affirmantes, quæ implicite dixit Alexander, explicite declarasse Gregorium in 3. casu Nauigtãi.

Ad Primã instantiã nihil tale distinxisse Alexandrum, & vbi lex non distinguit &c. Dico, vbi nullum sequitur incommodum, non esse distinguendam legem quæ absolute loquitur, at vbi grauia sequuntur dãna, cum lex non sit in laqueum consciẽtiarum, sed recta & debita regula nostrarum actionum, distinguendam esse necessario, maxime quãdo extat alia lex in simili casu illa incommoda tollens, sicut in hoc casu accidit.

Ad secundam Instantiam dico, duo desiderari, vt res carius vendi possint, quã sit pretium illarum, tempore quo traduntur; alterum, vt venditor institueret eas seruare in futurum, alterum, vt cre dantur tunc plus valituræ

valituræ quia si probabiliter & comuniter non soleant tunc plus valere, non licet augere pretium, è quibus expræsit Alexan. hoc secundum, reticuit vero primū tamq; magis compertum, explicatumq; fuit deinde à Gregorio nono, ne vlla occasio maneret errandi in his.

Ad tertiam dico, quamuis seruaturus merces in aliud tempus posit aliquando & in numerato illas vendere, nihilominus casus cap. In ciuitate & tertius casus Cap. Nauiganti. conueniunt in eo, quod est non vendi rem pretio quo æstimatur tempore quo traditur, sed pretio quod in futuro creditur valitura, in hoc idem sunt, & de hoc est questio, an liceat ita vendere? Cum ergo dicat Alexander licere carius vendere, si credātur in futuro plus valituræ, explicetq; Gregorius id tantum licere venditori, qui merces suas in futurum erat seruaturus, re vera doctrina Gregorij est explicatio mentis Alexan. Multo enim melius potest vnus Pontifex mentem alterius explicare, quam cæteri omnes DD. quod fecit Gregorius.

Ad Vltimam dico, in illo quoque tertio casu Cap. Naueganti, aliquam latere suspicionem vsuræ, cū res carius vendatur quā sit pretium presens, argumento est, quod viri timorati solēt inquirere à Thologis, an id liceat, etiam quādo merces instituūt seruare. Addo Pontificem non docere in cap. In ciuitate. esse suspectum de vsura vendētem carius res soluendis, quādo plus credūtur valituræ, sed optimum esse vt ab huiusmodi contractu astineant, quia accidere potest, vt sicut solet iniquitas sibi mentiri, ita cupiditas vēdentium illos decipere, ita vt existimantes se hunc contractum exercere, ac vendere carius, quia res illæ in futuro plus valituræ sant, non exerceāt hūc, sed alium qui sit reuera vsurarius, nempe vendere carius ratione dilatæ solutionis. Qui sensus accomodatus est si attente verba Alexandri in illo cap. inspiciantur.

Ad secundū principale accommodata est solutio quæ ibi apponitur, in secundo casu cap. Nauiganti. non celebrari venditionem, quando traditur aut constituitur pretium, sed quando traditur res: at in casu cap. In ciuitate. celebratur contractus quando res traditur, etiam si differatur solutio. Et ad instantiam appositam, non absolui neq; perfici venditionem vsq; ad tempus solutionis, quia tunc constituitur certum pretium, dico ex secunda obseruatione, perfici reuera celebrariq; integrum contractum, eo tempore quo res traditur, & venit in vsum emptoris: quia existunt iam eo tempore duo illa, in quibus consistit propria ratio & natura huius constractus, nempe traditio rei, & constitutio pretii certi, quamuis non in particulari & in indiuiduo, sed in communi tantum & in specie: quæ certitudo sufficit, vt pretium dicatur certum, vt constat.

Ad tertium respondeo, si tempore quo fit solutio, celebraretur simul rei venditio, ita vt nulla præcessisset illius traditio, licere quidem tunc vendere pretio quod res valet tempore solutionis, quia eodem tempore illa traditur & fit illius venditio: at in casu de quo hic agimus, cū fiat illa reuera quādo res traditur, etsi diferatur solutio, vt satis ex dictis constat, non est summendum pretium ex tempore solutionis, sed ex tempore in quo res ipsa traditur.

Ad quartum Respondeo, imo plurimū referre ad iustitiam contractus de quo hic agimus quem animum habeat venditor, quia vt ex superioribus constat, qui instituebat merces suas in aliud tempus, in quo erant plus valitur, seruare, poterat & volebat lucrum illud & augmentum pretii recipere, eratq; in proxima potentia ad illud, & ita potest illud ducere in pactum vel addere communi pretio illarum, Qui vero non instituebat seruare, non istituebat illud recipere neq; erat in proxima potentia ad illud, sed in maxime remota: & ita non potest illud exigere, nec addere pretio.

Ad argumentum quo vult Soto sententiam Caiet. probabilem esse, respondeo non esse idem iuditiū. Quia in mutuo res non traditur pro pretio, sed recipiēda aut eadem numero, aut eadem specie, aut in æquiualenti, & ita triticum quod tibi mutuaui Septembri vsq; in Aprilem, iustè recipio in æquali mensura, aut in pecuniis quas valent æquales mensuræ in Aprili: at in contractu venditionis traditur res pro pretio iusto, iustū autem pretium est, quod res valet tempore quo traditur, & venditur.

Ex dictis sequitur damnandam esse vēditionem iumentorum, mularum, & similium, quæ fit carius multo, quam vēderētur pecunia numerata, ob dilatam solutionem. Qui ita vendunt, nituntur sepe iniquitatem suam tueri his tribus nominibus.

Primo asserentes illud esse pretium cōmune fori apud omnes nationes, & gētes.

Tertio,

Tertio, se aliter vendere non posse, quia nullus est qui huiusmodi iumenta in numerata pecunia emat, vendita vero ad creditum graue damnum ipsos pati, nisi carius illa vendant: propterea quod qui iumenta hæc asportant, sunt communiter mercatores exercentes negotia, & habentes pecunias suas illis expositas: Quo fit, vt si statim pecuniam suam reciperent ipso tempore venditionis, negotiarentur cum illa, & lucrarentur, quo lucro priuantur vendentes ad creditum: vnde ratione huius lucri cessantis censendi sunt posse carius vendere.

Sed nulla ratio istarum, huiusmodi contractum licitum reddit. Primo, quia vt constat ex dictis, vendens pecunia credita, hoc solo nomine potest carius vendere, vt seruet se indemnem ab aliquo damno emergente, vel lucro cessante: Qui vero asportat mulas in nūdinas, paratus illas vendere in numerato pretio vt 30. nullum vere patitur damnum vendens ad creditum sub eodem pretio, cum sit illud iustū, & quod iumentum illud vere valet, nec cessat ei aliquod lucrum ex tali vēditione, quia non instituebat seruare illas vendendas alio tempore quo carius essent valituræ, nec existebat actu qui illas emeret in numerato, ac negotium, cui statim pecuniæ illæ traderētur, quę duo (vt vidimus) adeo necessaria sunt, vt vendenti ad creditum dicatur lucrum cessare ex tali venditione: non ergo licet ei carius vendere. Secundo iste paratus est danti pretium vt 30. in numerato eo pretio vendere, ergo quod emēti in diem carius vendat, nullo alio nomine id præstat quam sola ratione dilatæ solutionis: hac autē ratione augere pretium vsurarium est, Ergo non licet.

Tituli vero qui afferuntur ab huiusmodi mercatoribus mularū nullius sunt ponderis. Nam primus satis iam confutatus est in superioribus, vbi vidimus pretium fori non esse summendum ab ementibus pecunia credita, cum imprudenter & temere soleant hi pretia offerre, sed ab his qui emunt pecunia presenti, qui rem maturius & prudentius expendentes non offerunt nisi iusta pretia. Neq; secundus habet locum: quia praua consuetudo non constituit ius gentium, nec reddit aliquem tutū in conscientia, qualis est hæc: Sunt enim iure naturæ res omnes pretio iusto vendendę, cui iuri nulla consuetudo, nec totius orbis derogare potest: pretium autem iustum est, quod res valet vsu fori apud ementes in numerato. Tertius, manet etiā confutatus ex dictis in primo argumento. Quia his nullum lucrum cessat, neq; ex vēditione, cum res istas non instituāt in aliud tempus seruare: neq; ex deffectu negotiādi, cum solus ille venditor pecunia credita possit augere pretium ratione lucri cessantis, qui habebat paratum emptorem in numerato, & negotium cui statim pecuniam illam acceptam exponat, quorum venditores isti mularum neutrum habent: ipsismet asserentibus, se propterea vendere expectata solutione, quia non habent cōmuniter ementes in numerato. Quod si mentiantur, habentesq; illos, malunt pecunia credita vendere, vt carius vendāt, tūc non ex venditione sed ex cupiditate ipsorum cessat eis lucrum. Vnde ille solū posset carius vēdere; qui haberet ementem in numerato, & negotium paratum cui pretium illius mulę acceptum statim traderet, rogatus vero ab alio, venderet illi expectata solutione vt ei consuleret, huic certe cessaret tunc reuera lucrum ex tali venditione, iuxta ea quæ diximus Contro. 18. huius art. agentes de hoc titulo lucri cessantis.

Explicatis his quę pertinet ad vendentes pecunia credita, agamus iam de his qui emunt anticipata solutione.

Controuersia. XXIII.

AN EMENTES SOLVTIONE *anticipata possint vilius emere, quam res illæ valeant tempore quo traduntur?*

DIsputatur hæc Controuersia priuatim & potissime, propter modum quo vendūtur lanæ in tota ferè Hispania, licebitq; ex ea colligere, quæ pertinent ad contractum quo venduntur ferrum, & alia metalla, vel pices maiores, qui sale conditi in magna quantitate vendi solent, & in diuersa loca asportari, velut *Atunes, Pescada saciál,* & similes merces.

In hac quęst. duo prius explicāda sunt. Qua scilicet ratione contractus hic celebretur, Et, cur talis vendendi modus introductus sit. Hæc igitur lanarū venditio à quibusdam fertur hac ratione fieri. Tempore Natalis Domini, quando oues nondum atonsæ sunt, accedunt mercatores ad pastores,

ſtores, emuntq́; ab eis duo vel tria millia vellera lanarum recipienda menſe Maij, vel Iunij, quod eſt tempus atonſiones, numerata & anticipata ſolutione, cum tamen tempore atonſionis, & quando lanæ actu traduntur, paſtores qui noluerunt anticipata illa ſolutione vendere, ſed retinere lanas ſuas vendendas vſque ad tempus atonſionis, vendant communiter vnum quodq́; vellus adminus argenteo & dimidio: Quo fit, vt pretium quod exhibent ementes ſolutione illa anticipata in natali domini, non attingat infimum & pium, quo vēduntur lanæ tempore quo traduntur.

Solet etiam & frequētius hic contractus ita celebrari, vt emant mercatores lanas tondendas in Iunio, vel Iulio anni ſequentis (v. g.). 1597. anticipata hoc modo ſolutione, vt ad feſtam S. Michaelis huius anni 1596. reddant paſtoribus partem pretij, & iuxta carnis priuium proxime ſequens anni 1567. in quo lanę tradendæ & recipiendæ ſunt, reddant alteram partem, reliquū pretij in quo conuenerunt vſq; ad illius integritatem reddituri ipſo tempore atōſionis.

Introductus autem eſt hic modus vendendi ex communi ſententia mercatorum, & recepta á multis grauiſsimis DD. tāquā maxime vtilis & neceſſarius Reipub. tam ex parte mercatorum, quam ex parte paſtorum. Ex parte quidem mercatorum, quia mercatores iſti eo fine emunt lanas, vt illis in Flandriam miſsis, alias merces quibus Hiſpania indiget, inde huc aſportent, maxime pannos qui ex eiſdem lanis conficiuntur, & quibus magnates ac nobiles vtūtur, quos dicimus *Tapices*, Hic vero finis vtiliſsimus Reipub. haberi nō poteſt, niſi mercatores iſti huiuſmodi lanas in magna copia emant, & ſolutione iſta anticipata; In magna inquam copia, quia damnū potius reciperent quam lucrum, ſi per tot terras & maria & cū tot expenſis, quot talia itinera exigunt, exiguam lanarū mitterent copiam, excederent enim plurimū vel expenſæ ſolę valorem lanarum. Solutione vero anticipata, commode norunt certò quantitatem lanarum quas paſtores ſtatuto tēpore ſunt ipſis tradituri, qua certitudine egent plurimū vt poſsint commode actores ſuos, quos factores vocant, & miniſtros tam in Hiſpania adlauandas lanas, cōgregandas in ſaccis, deferendas ad portum, quam in Flandria ad illas recipiendas, & vendendas conſtituere, tū etiam parandos currus quibus terra, & nauigia quibus mari deferantur, Quæ omnia huic cōtractui maxime neceſſaria ſunt, nec parari commode poſſent, niſi mercatores iſti multo prius certi ſint de copia lanarum ſibi tradenda; certi autem eſſe non poſſunt niſi ementes anticipata ſolutione. Paſtoribus quoque ipſis eſt hic vendendi modus maxime neceſſarius quia multi ex eis in Octobri & tempore Natiuitatis indigēt pecunijs, tam ad aſportandas transferendasq́; oues in paſcua vberiora, quam ad ſoluenda pretia herbarum in illis locis exiſtētium, & ſtipēdia ac ſumpus ſuorum famulorum. Quod ſi quidam eorum non ita egeant pecunijs ad huiuſmodi vſus, indigēt nihilominus eis ad emendos alios greges, augendosq́; ſuos, vel alia negotia ſibi vtilia, vnde plerique eorum pluribus eo tempore indigent pecunijs, quas cum non poſsint habere niſi anticipata iſta vēditione & ſolutione, & quibus carere maximum eſſet ipſis incommodū, in eorum quoq́; vtilitatem hic vendēdi modus eſt introductus.

His poſitis Ioannes Medina Cod. De reſtitu. illa q. 83. cauſa 6. hūc cotractū illicitum & iniquum iudicat, Sequuntur ipſum Mercado. lib. 3. de contractibus ſiue opuſculo de vſuris cap. 9. Albornoz in ſuo opere Hiſpano & merito prohibito de contractibus tito. 16. cap. *Deλas compras adelantadas*. Bartho. Medina in ſuo Inſtitucto. confeſſ. §. 23. De vſuris. & nonnulli ex recentioribus diſcipulis D. Tho. & nouiſsime quidam Sarauia in ſuo opuſculo Hiſpano de contractibus tractatu 1. cap. 13. & latius cap. 18.

Probatur hæc ſentētia Primo, Emere rē vilius quam valet propter anticipatam ſolutionem iniquum eſt, & vſurarium ex D. Tho. & omnibus DD. ſed qui emit vellus vel pondus lanę eo modo quo retulimus, emit illud vilius quam ſit iuſtum pretium propter anticipatam ſolutionem, ergo Maior eſt D. Tho. & certiſsima Quia cum anticipata ſolutio includat in ſe rationem mutui, efficitur vt emens vilius anticipata ſolutione, perinde ſe habeat ac ſi mutuaſſet pecuniam illam venditori vſq; ad tempus recipiendę mercis, eo vero tempore pecuniam ſuam recipiat, ac præter ſortem vna cum illa tanquam lucrum quod deeſt á iuſto pretio, quod eſt vſura. Minor habet duas partes, Priorem nempe 16. vel 17. argēteos eſſe iuſtum pretium ponderis lanæ ita oſtendo: quia iuſtum pretium rei (vt conſtat) eſt, quod res valeat in foro, tempore

pore quo vere & realiter fit, & perficitur venditio, nempe tempore quo res traditur, tempore autem atonsionis lanarum & quã do actu tradantur, & perficitur earum vẽditio, valet pondus lanæ cõmuni vsu fori vt supponimus 16. vel 17. argenteos, ergo istud est iustum earum pretium. Altera vero pars vtpote, quod hæc diminutio iusti pretii fiat tantum ratione anticipatę solutionis euidens est: cum nullus alius sit titulus, vel ratio, ob quam emptor anticipet illam, nisi quia diminuitur illi pretium, nec vlla alia ratio ob quam pastor diminuat ita de pretio, nisi quia anticipatur ei solutio.

Secundo, Si quę ratio hunc modũ vendendi tueri posset, hęc certe, quia neq; mercator potest habere, sicut illi conuenit, copiam lanarum certam, nisi anticipatè emẽdo, neq; pastor pecunias quibus eget ad pascua & augendos greges, nisi anticipatè vendendo: At hęc ratio conuincit quidem necessarium esse istum emendi ac vendendi modum, nempe anticipatè, minime vero ostendit posse lanas vilius emi, quam sit iustum earum pretium. Probo, Pretium non est mutãdum, nisi aut mutato foro, aut mutata rei bonitate, aut mutato loco & tẽpore traditionis rei: sed hæc necessitas vel vtilitas vẽdẽdi hoc modo anticipatè propter causas initio explicatas, tam ex parte mercatorum, quam ex parte pastorum, nõ mutat forum vt videmus, nec mutat rei bonitatem, eandem enim bonitatem habebit vellus lanæ siue anticipetur solutio, siue secus, nec mutat locum aut tempus tradẽdę rei, cum tradendę sint lanæ in loco & tempore quo communiter oues tonduntur, sed mutat solum tempus exhibitionis pecuniæ, quia quæ tradenda erat tempore receptionis lanæ, anticipatur: quo tamen nomine non licet minuere iustum pretium, est ergo iniusta talis emptio. Et confirmatur: Quia sufficienter prouidetur huic vtilitati Reipub. & certitudini quam debent habere mercatores, ac necessitati pastorũ, emendo quidem & vendendo anticipate in Natali Domini, taxando pretium quod lanæ valebunt communi vsu fori tempore Maii, absq; eo quod vilius illas emant. Sicut passim fit in aliis rebus quæ anticipatè emuntur, quarum pretium relinquitur taxandũ in tempore traditionis earum.

Tertio, sequeretur ex opposita opinione, vt eadem omnino res sine vlla sui, aut loci, vel tẽporis mutatione possit emi vno pretio, & simul vendi ab emptore multo maiori vltra latitudinem iusti pretii. Quod certe est maximum absurdum, vt eadẽ res, eodem loco, & tempore, ac omnino immutata habeat simul diuersa pretia extra latitudinem iusti pretii. Quod vero sequatur ostendo. Demus mercatorem emere lanas à pastore in die Natalis pretio vt 12. quæ Maii tempore atonsionis valebunt communiter pretio vt 16. mercator iste potest eodem die, easdem lanas emptas pretio vt 12. vendere alteri tradendas in Maio pretio Maii, quod erit vt 16. In hoc casu mercator iste easdem omnino lanas sine vlla ipsarum, aut loci, vel temporis mutatione vẽdet multo carius, quam emit, & vltra latitudinem, illius pretii quod ipse emit. Quo posito sic argumentor. Cum hæc duo pretia adeo diuersa non possint esse simul iusta, si prius illud quo mercator emit à pastore sit iustum, secundum quo idem mercator vendit alteri, oportebit esse iniustum: Sed posterius quo mercator alteri vendit pretio currenti Maii est iustum, cum iustũ cuiusq; rei pretium sit, quod res valet tempore quo traditur, est ergo necessario dicẽdum prius illud iniustum esse.

Sunt qui respondeant huic argumento, pretium illud vt 16. esse iniustum, quia sic vendens efficit vt tempore Maii sint pauciores lanæ venales, & consequenter, vt pretium Maii sit carius, perueniatq; ad 16. quod non fuisset, si ipse non vendidisset in Natali, sed seruasset lanas illas vsq; in Maium: tunc enim fuissent plures lanæ venales, & consequenter pretiũ vilius, Et propterea non posse illas vendere pretio quo actu venduntur Maii, sed quo fuissent venditę, si vsq; in illud tempus eas seruasset, sicut antea dicebamus de vẽdẽte merces, quas instituebat seruare in aliud tempus sibi commodius. Sed hæc solutio non tollit vim huius argumenti. Primo, quia mercator iste prima illa emptione à pastore effecerat iam vt pautiores sint lanæ venales in Maio, non secunda, vnde culpa ista in primam illam emptionem est proiicienda. Secundo, quia etiam si ita demus habere, vt sint pauciores lanæ in Maio, quia mercator iste vẽdit multas lanas in Natali, similiter erunt quoque pauci emptores, cũ iste & alii qui emerunt in natali, iam non sint empturi in Maio: Et consequẽter per istas venditiones anticipatas non augetur pretium, quia vbi sicut deficiunt merces, similiter deficiunt & emptores, eadem manet

net proportionabiliter abundantia mercium.

Quarto, si mercator iste posset vilius emere lanas in natali, tūc id esset, vel quia consulit vtilitati pastoris indigentis pecuniis, consulitq; illi suo damno, cum illas à Natiuitate vsq; ad Maium posset exponere negotiis, & lucrari, à quo damno potest se seruare indemnem: Vel quia pastores eo tempore vltro vendunt suas lanas, & merces vltroneę vt diximus vilescūt: Vel quia ita positum sit in antiquo & communi vsu, nec sint damnandi tot mercatores & timorati qui ita emunt & negotiantur. Sed nulla istarum rationum valet. Nō prima, quia eodem modo liceret emere quascunq; alias merces pecunia anticipata, vt vinum, frumentum & similia multo vilius, quam sint valitura tempore traditionis, cum agricolæ & quicunq; ita vendunt, indigeant etiam illis pecuniis ad necessitates vel commoditates suas: quod tamē in aliis rebus nullus concedit. Tum etiam, quia multi pastores alunt suas oues in propriis pascuis & prouinciis, nec indigent ista transportatione gregum, & expensis, vt in Regno Toletano, Cordubensi, & hoc nostro Valentino: Vnde ab his non liceret ita emere: at authores oppositæ opinionis de omnibus loquuntur in communi, omnibusq; illud cōcedunt. Deniq; vt ait Medina, hac via excusarentur omnes vsurarii, cum mutuatarius accipiendo pecuniam mutuatā suæ necessitati prouideat. Neq; valet secunda ratio, lanas illas esse merces vltroneas. Primo, quia mercatores ipsi accedunt ad pastores, & pręueniunt eos, ac rogant vt sibi vendant. Secundo, quia hic modus vendēdi lanas tali tempore est in vsu, ita vt communiter fiant tunc ab omnibus emptiones lanarum: merces autem quæ venduntur á propriis dominis, vel negotiatoribus publice, solito & consueto tempore, quo communiter vendi solent, non dicuntur vltroneæ, sicut quæ venduntur in nundinis, quā do omnes communiter & publice emunt & vendunt, non dicuntur vltroneę, sed illę tantum quarum venditor priuatim quærit emptores, rogatq; hunc vel illum, aliter, quę in suis officinis habēt mercatores cuicunq; volenti emere exposita, essent quoq; dicenda vltronea, quod est falsissimum. Neq; valet tertia ratio, quæ sumitur ab antiqua ista consuetudine vēdendi lanas isto modo, quia cum talis emptio fiat iniusto pretio vt constat, & ita vt accipiatur aliquid in ea ratione mutui, est iniqua, & cōtractus naturę, contra quod nulla consuetudo valet, Alioquin excusandi etiam essent campsores exercentes cambia ficta & sicca, similesq; vsurarii, cum sit in orbe antiqua consuetudo talium campsorum, & vsurariorum. Et confirmatur hæc quarta ratio: Quia si emptione anticipata lanarū hic modus emendi minori pretio esset iustus & licitus, eadem omnino ratione merces quæ non possunt emi nisi in magna quantitate, liceret anticipata solutione vilius emere, quod est absurdum: consequentia verò patet ex paritate rationis.

Quinto, Sicut se habet vendere carius expectata solutione, ita se habet emere vilius illa anticipata, sed in nullo genere mercium licet vendere carius expectata solutione, nisi sola ratione lucri vere cessantis, vel damni emergentis, ergo nec licet in vllo genere mercium vilius emere solutione anticipata, nisi vbi interuenit damnum emergens, aut lucrum vere cessans: In hoc autem contractu lanarum nulla interuenit ratio lucri cessantis, vel damni emergentis, ergo nullo modo talis emptio pretio viliori est licita.

Deniq; Si ratione istius solutionis anticipatæ liceret vilius lanas emere, quā sit iustū pretium earum tempore atonsionis, in quo traduntur, liceret similiter quanto magis anticiparetur solutio tanto vilius emere, hoc autem esset vsurarium, & iniquum, ergo & illud. Dices licere in Natali anticipare solutionem ob causas, & vtilitates initio explicatas, tam ex parte mercatorum, quam ex parte emptorum: antea vero non licere, quia nō existūt tales causæ, & vtilitates cōmunes. Hęc solutio nihil valet, quia huiusmodi necessitatibus sufficienter, (vt diximus) prouidetur emēdo in Natali, sine diminutione iusti pretii: Quo fit, vt ista diminutio non fiat ob tales causas & vtilitates, sed solum ratione anticipatę solutionis, vnde recte sequitur, vt quanto magis anticiparetur solutio, tanto vilius liceret emere, quod est maximum absurdum.

Propter hęc argumenta, quæ priuatim pertinēt ad hunc contractum venditionis lanarum, Iurisperitus ille Albornosius in suo opusculo de cōtractibus lib. 2. cap. 16. non solum damnat hunc contractum venditionis lanarum, verumetiam omnem vēditionem anticipatam cuiuscunq; rei, vel mercis adhuc futurę, his adductus rationibus. Primo. In contractu venditionis debet

bet necessario aliquod esse quod actu & reipsa vendatur, & ematur, sed qui emit lanas futuras, aut frumenta nondum nata, vel aliquid aliud his simile emit quod reuera non est, ergo nihil vendit, neq; talis venditio est contractus aliquis, sed merum figmentum.

Secundo pretiũ debet esse accommodatum qualitati rei, quæ venditur, sed quod nondum est nullam habet qualitatem, ergo neq; potest aliquod habere pretium.

Tertio contractus venditionis nequit celebrari ignorato rei valore, rei vero quæ nondum est, non potest valor perspectus esse & cognitus, ergo res quę nondum est non potest vendi. Maior huius argumenti certa est, quia ad venditionem exigitur certum rei pretium, certum autem rei alicui pretium constitui non potest, nisi cognito illius valore, vt iuxta illũ pretium ei constituatur. Minorẽ probat, quia res quæ nondum est, potest ex variis temporis circunstantiis, & euentibus, maioris, vel minoris, aut nullius forsan valoris prodire. Potest opinari pastor optimas lanas se habiturũ, viles tamẽ & tenues deinde tempore tonsionis in ouibus inuenire, & eadem ratione optimã ac pinguẽ expectare agricola messem, cum sterilem potius & vacuam deinde recipiat.

Deniq; non licet dare alicui pecunias anticipatas sub eo pacto, & conditione, vt teneatur illas vel earum valorem restituere in mercibus, quia dare pecunias anticipatas est quoddã genus mutui, ac vt vidimus non licet mutuare sub ea conditione, vt teneatur mutuatarius restituere pecuniã sibi mutuatã in mercibus. Sed qui emit pecunia anticipata res adhuc futuras, confert profecto pecuniam illam sub conditione ista, vt teneatur qui recepit illam restituere illius valorem in mercibus, est ergo contractus iniquus & vsurarius.

Victoria, & Soto de hoc contractu lanarum loquuntur cum hac distinctione: Aut hęc (inquiunt) anticipata solutio fit per multum tempus pręcedens, sicut fit á nonnullis, qui per annum quandoque anticipant emptionem, aut fit per aliquos tantum menses, eo scilicet tempore, quo & mercatores oportet certos esse de copia lanarum, quas sunt recepturi, & pastores indigent pecuniis ad pascua, & stipendia famulorum. Si priori modo illa fiat, volũt iniquam esse & usurariam huiusmodi emptionem, quia tunc non alio nomine minuitur in ea pretium lanę, quam ratione anticipatæ solutionis, quod est vsurarium: Si vero fiat secundo modo, minuendo aliquid moderate à pretio, quo venduntur tempore atonsionis, non esse iniquam: Quia huiusmodi merces (vt ex dictis cõstat) exigunt vt hac ratione vendantur, & tali tempore, ac modo. Vnde est argumẽtum. Pretium, quo res aliquæ communiter venduntur ab omnibus, vel plerisq; venditoribus illarum, iuxta talem vendẽdi modum iustum est, quia est illud velut commune pretiũ fori in tali vendendi modo: sed hic modus vendendi lanas anticipata solutione est illis coniunctus, supposita necessitate, quam retulimus, tam mercatorum ementium, quam pastorum vendentium, & vtrisq;, ac toti Reipub. maxime vtilis. In hoc autem vendendi modo commune illarum pretium, & ab omnibus sic vendentibus receptum, tamquam communi vsu istius fori est vt illę anticipatę minori pretio vendantur, quam sit illud quo venduntur tempore atonsionis, ergo illud pretium quod solent mercatores reddere ad festum Sancti Michaelis, uel in Natali, etsi paulo minus, quam illud, quo venduntur tempore atonsionis, iustum est.

Secundo, merces istę lanarum habent quasi à natura sua, vt sumptus & expensæ quæ fiunt in pascendis gregibus sumantur ex lana ipsa nutrienda in eisdem gregibus, vnde cum tempus emendi pascua sit prius quam tempus tondendi oues, pretium lanarum debebit sumi non ex tempore atonsionis, sed ex tempore quo emuntur pascua huiusmodi in Septembri, vel Nouẽbri, ab huiusmodi ergo tempore erit sumẽdum iustum lanarum pretium: & cum in hoc tempore emantur á mercatoribus anticipata illa solutione pretio quodam communi, & recepto inter pastores tali tempore, consequenter illud censendum est iustum. Vnde si diligenter expendatur ratio hęc & argumentum hoc, quo vtitur Soto, licet emptio lanarum & solutio pretii dicatur anticipata respectu temporis atonsionis, & traditionis ipsarum lanarum, absolute tamen non est dicenda anticipata, sed præsens: quia iuxta hoc argumẽtum fit, eo tempore ex quo debet sumi lanarũ pretiũ.

Sed contra hanc sententiam vrget maxime secundum argumentum adductum in confirmationem præcedentis opinionis. Quia licet oporteat quidem propter istas

 causas

causas lanas eo modo & tempore vendi anticipata emptione & solutione in Septembri, vel Natali, non tamen exigunt nec sufficiunt causæ istæ vt debeant viliori pretio emi, quam sit illud quo venduntur tempore traditionis, quod est iustum earum pretiũ, Quid enim prohibet, vt seruato iusto pretio possint & mercatores certi esse de quantitate lanarum recipienda à pastoribus, & pastores habere pecunias quibus indigent per anticipatam solutionem?

Nec argumenta ista Dominici Soto oppositum docent: Non primum, quia licet singulę merces habeant suos proprios ac peculiares vendendi modos, iustum vero pretium illarum, quęcunque illę sint, non sumitur nisi ex eo tempore quo fit, ac perficitur illarum venditio, vt recte argumentantur authores alterius opinionis: perficitur autem cuiusq; mercis venditio eo tempore, quo illa traditur, & transit in perfectum & absolutum dominium ementis, vt supra vidimus contra Caiet. controu. 22. huius art. Et confirmatur simili argumento quo ibi vsi sumus in secunda obseruatione illius controuersię. Nam cum symonia sit venditio rei spiritualis, iuxta discipulos vero D. Thom. à quibus non recedunt Caietan. Victor. Soto, & alii, non existit symonia, nisi quando traditur beneficium pro re temporali, consequenter venditio cuiusq; mercis non existit quando exhibetur illius pretium, sed quando res illa venalis in effectu traditur emptori. Neq; secundum recte procedit, nam imprimis est falsum, sumpus & expensas quibus indigent pascua ouium, sumi necessario ex lana nutrienda, Quid enim prohibet fieri huiusmodi expensas ex aliis pecuniis pastorum, quas habeant, vel ex lanis pręcedenti anno venditis, vel aliunde? Secundo, esto expensæ istæ sint necessario faciendæ, ex pretiis lanarum, quę adhuc nutriendę sunt, non propterea pretium earum debet sumi ex tempore quo emuntur pascua, sed ex tempore traditionis earundem lanarum iuxta modo dicta in confutatione præcedentis argumenti: aliter cum ex eisdem pascuis sint quoque nutriẽdæ carnes arietum, liceret carnes illorum solutione anticipata vilius emere, quam valeant deinde quando actu traduntur mercatoribus, qui illorum carnes emerunt: quod neq; Soto, neq; vllus doctor affirmabit.

Propterea Magister Cano, Ioan à Peña, & alii ex recentioribus Thomistis qui sequuntur hanc sententiam Victoriæ, & Soto, nituntur alteri fundamento & rationi. Constituunt hi tamquam certum, lanas illas quarum singula pondera venduntur 16. vel 17. argenteis tempore atonsionis, esse illas quas habent pastores potentes & ditissimi, qui cum tempore Natiuitatis non egerent pecuniis, non vẽdiderunt suas lanas, sed eas seruarunt in tempus atonsionis, vt habentes ipsi soli tunc lanas venales, carius illas vendant, quã reuera illas venderent, nisi & alij pastores vẽdidissent suas in Natali. Etenim si omnes pastores seruassent lanas suas, vendendas tempore atonsionis, cum existeret illarum abundantia, consequenter esset multo vilius pretium earum, quam tunc soleat, abũdantia illa pretium ipsarum minuente, sic que singula pondera non valerent probabiliter nisi 12. vel 13. aut ad summum 14. argenteos, & forsan minus, Sicut diximus vendentem triticum Septembri pretio quod creditur habiturum in Aprili, debere necessario perinde sese habere, ac si triticum illud seruasset vsq; in Aprilem. Hoc ergo nomine & titulo volunt hi hunc contractum vendendi lanas anticipate, & alio pretio esse iustum, & licitum.

Argumentanturq;. Iustum pretium lanarum est illud, in quo à peritis & prudentibus æstimarentur lanæ tempore atonsionis, & traditionis, si nullę antea essent venditę, sed manerẽt omnes actu & reuera adhuc tunc venales: sed pretium istud vilius, quo venduntur anticipata solutione in Natali, est ęquale & forsan maius pretio quo æstimarentur tempore atonsionis, & traditionis, si nullæ adhuc essent venditę, ergo istud pretium vilius iustum est. Maior certa est ex dictis. Probatur minor. Si lanæ quæ venduntur anticipate, non venderentur (V.g.) in Natali, sed seruarentur vendendæ tempore tonsionis, esset magna copia & lanarum & venditorum, ac consequenter vilescerent, ergo darentur tunc æquali pretio, vel forsan minori, quam sit pretium quo venduntur tempore atonsionis.

Secũdo, maxima pars alicuius mercis nõ debet habere tãquã pretiũ iustũ & regulã pretiũ minimę partis, sed maxima pars lanarũ vẽditur cõmuniter pecunia anticipata illo pretio viliori, minima vero est quę vẽditur

tur tempore atonsionis illo pretio maiori & currenti; quia plerique pastores sunt qui indigent pecuniis in Natali, & qui ita vendunt, pauciores vero multo diuites & potentes, qui seruant illas vendendas tempore atonsionis, ergo cum pretium istud maius introducatur à paucioribus pastoribus, nempe à diuitibus, qui sua cupiditate adducti seruant lanas suas, vt carius illas vendant, non debent hi efficere, vt minus pretium quo emunt mercatores pecunia anticipata, iniustum sit.

Tertio, iste modus vendendi pecunia anticipata, & tali pretio non est in preiudicium pastorum, imo in eorum vtilitatem, adeo vt ipsimet pastores hoc potius modo appetant vendere pecunia anticipata, & viliori pretio, quam illo maiori quo sciunt vendi tempore atonsionis. Contractus autem aliquis non censetur iniquus, nisi vbi aliquod damnum patitur aliquis contrahentium.

Quarto, mercatores ementes pecunia anticipata, toto illo tempore donec actu recipiant lanas, carent illa pecunia, & lucro quod ex illa recipere poterant, cũ possent cũ illa negotiari, quia sunt mercatores, ergo ratione saltim istius lucri cessantis poterunt vilius emere.

Deniq; hic modus emendi & tali pretio est vsu receptus apud timoratos & probos mercatores, & approbatus consensu grauissimorum DD. vt Victoriæ, Soti, Cano, Peñę & aliorum non inferioris nominis, ergo non improbandus.

Addunt hi Doctores tria. Primo, pastores qui instituebant seruare lanas suas vendendas tempore atonsionis, posse solutione etiam anticipata carius illas vendere, quam vendantur ab aliis in Natali, qui similiter anticipata solutione vendũt, non tamen instituebant seruare illas in futurum vendendas. Secundo, hunc contractum vendendi solutione anticipata minori pretio, quam sit pretium tempore traditionis, habere quidem locum in lanis, quia ipsæ non possunt alia ratione cõmodius emi, vel vendi, non autem in aliis mercibus, vt ferro piscibus, &c. Tertio, Mercatorem ementem singula lanarum pondera à pastore in Natali 12. vel 13. argenteis solutione anticipata, non posse eodem tempore Natalis vendere easdem alteri mercatori, neque pecunia credita, neque presenti, & anticipata solutione, neque alia quacunque via, eo pretio, quo æstimabuntur, & vendentur tempore atonsionis, & traditionis: Quod si emptis in Natali vendat deinde ipso tempore atonsionis, & traditionis, tunc licite posse illas vendere pretio currenti tali tempore pecunia presenti. Causam huius discriminis reddunt, quia vnaqueque res debet vendi pretio currenti, ac iusto, eo tempore quo venditur, & non alio: tempore Natalis in quo omnes pastores solent vendere, & in quo existit velut abundantia lanarum venalium, pretium currens & iustum earum sunt 12. vel 13. argentei, & ita tunc siue vendantur pecunia presenti & anticipata solutione, siue credita, mercator non potest alio pretio vendere, ab eo quo ipse eodem tempore emit: tempore vero traditionis pretium currens & iustum est maius, propter paucitatem venditorum & lanarum venalium, propter quã illud augetur, & ita tunc iuste potest vendere illo maiori pretio.

Sequutus eandem sententiam Antonius Corduba in suo opusculo Hispano de casibus conscientiæ quęst. 85. vt illam veram ostendat multa constituit. Imprimis hoc genus emendi & vendendi lanas modo explicato, i. solutione anticipata necessarium esse omnino, tam pastoribus, quam mercatoribus, sicut initio huius controuer. diximus: Quin & toti Reipub. omnibusque hominibus: Propterea quod si in numerato essent lanæ emendæ ab eisdem fulonibus, cum sint pauci, qui pecunias habeant in promptu ad illas statim exhibendas venditoribus, pauci quoque essent qui conficiendis pannis intenderent, emptis vero illis in magna quantitate à mercatoribus anticipata solutione, & eisdem priuatis fulonibus, & artificibus pannorum in minoribus portionibus, & quantitatibus deinde ad creditum venditis, existunt multi qui pannos conficiãt, & qui modo pretium suorum laborum & operarum, ac pretium earundem lanarum mercatoribus reddendum recipiant, commodiori & minori pretio ciuibus pannos vendendunt.

Constituit secundo, hęc pretia lanarum, eo modo quo venduntur, non esse eadem sed mutari sepe singulis annis, & quãdoq; maiora quandoq; minora esse, iuxta indigentiam venditorum, vel cupiditatem emptorum, quæ pendet ex maiori vel mi-

nori expeditione lanarum, in Prouinciis & locis quo illæ ex Hispania trāsferuntur, quod omnibus mercibus est cōmune: Mutatur etiam pretium propter maiorem vel minorem copiam ipsarum apud eundem pastorem. Primo, quia cum in his deferendis ad locum vbi lauantur, & ad portus ac nauigia, requirantur multæ expensæ, vbi ex eodem loco multæ simul deferuntur, pauciores fiūt expensę quam vbi ex variis colligendæ sunt, & in vnum congregandę. Secundo, quia pastores qui gregibus & lanis abundant, fidelius stant promissis, & omnia pondera lanarum quæ spoponderant actu tradunt, qui vero pauciores habent greges, minus possunt illud præstare, quibus de causis expedit mercatoribus carius emere à pastoribus ditioribus, quam ab his qui pauciores habent greges & lanas.

Constituit tertio, quod sequitur ex dictis, mercatores istos exponere se variis periculis. Primo, non recipiendi omnes lanas quas emerunt, & de quibus conuenerunt cum pastoribus, vel propter infidelitatem eorundem pastorum, vel propter anni sterilitatem, qua existente oues macillentæ effectæ pauciores reddunt lanas, vel propter aliquas infirmitates, quibus accidit nōnunquam greges grauiter infici, & infectas perire, & deficere lanas, propter quod aliquando mercatores isti imponunt in suis conuentionibus, & contractibus pœnas pastoribus, qui non reddiderint tempore atonsionis omnia pondera lanarum de quibus conuenerunt, quod est maximum damnum: Nec minus, vbi accidit pastores non stare promissis difficilis recuperatio pecuniarum, quas anticipate tradiderunt, cum habeant iam illas expensas & conuersas in proprios vsus.

Deniq; constituit, Quod Cano, & recentoires qui illi subscribunt, habent tamquam fundamentum suæ sententiæ, ex anticipata emptione lanarum in festo Beati Michaelis precedentis anni, vel in festo Natiuitatis, aut tempore carnispriuii effici, vt tempore ipso atonsionis existant pauci venditores lanarum, quod certe non accideret, si non fuissent ita præemptę, sed mansissent omnes venales vsq; ad tempus atonsionis: vnde colligit propter illam anticipatam emptionem carius vendi lanas, quæ à pastoribus ditioribus vsque ad tempus atonsionis seruatæ sunt vēdēdæ, cū propter illam anticipatam solutionem existant tunc pauciores venales, & è conuerso nisi fuissent tot lanæ anticipatæ emptæ, cum mansisseut omnes vsq; ad tempus illud venales, extaret illarum abundantia, viliusq; venderentur, aut saltim eodem pretio quo emuntur modo anticipata solutione parum plus vel minus.

Ex his confirmat sententiam Soti quam sequitur primo, argumento illo, quod est fundamentum huius sententiæ: Quia nisi lanæ essent ante præemptæ, sed manerent venales vsq; ad atonsionis tempus, non esset maius nec carius pretium earum, quam sit illud quo venduntur communiter modo, solutione ista anticipata in Natali Domini, vel carnispriuio.

Secundo, res absens & periculis obnoxia minoris debet æstimari quam præsens, quæ ab omni periculo libera existit, qua ratione fructus terræ nondū existentes, sed futuri adhuc, & in sola potentia minoris venduntur, propter varia pericula quibus subduntur, sed lanæ emptę ante tempus atonsionis sunt expositæ periculis, quæ proposuimus in tertia hipothesi constituta à Cordoua cum graui damno emptorum, ergo iustè venduntur vilius eo tempore, quam valeāt ipso tempore atonsionis.

Tertio vendendo hoc modo anticipate habent pastores varios emptores, & pretia commoda, quibus certe carerent si expectarent lanas suas vendere tempore atōsionis: patet, quia vt constat ex his quæ initio huius Controu. diximus, si vsque ad illud tempus essent mercatores incerti, non possent parare nec pręuenire ea quibus indigent ad earum translationem in Italiam, vel Belgicam, sicq; eo anno non emerent, quibus non ementibus vilissimè oporteret pastores lanas suas vendere, cum ergo hic modus adeo cedat in eorum vtilitatem, non est damnandus.

Quarto, Pastores ipsi, experti quot vtilitates & commoda sapiant ex hoc genere venditionis, & in eo pretio, libere ac propria sponte in illud consentiunt, quærutq; multoties ipsi mercatores: vnde cum pretium istud non multum deficiat à pretio iusto tempore atonsionis, sed moderatè, ac vt sepe diximus merces vltro neæ viliores reddantur, pretium istud quo anticipatè lanæ emuntur, non est censendum iniustū. Et confirmatur quia scienti, & consen-

consentienti libere, & citra vllam vim, non fit iniuria.

Quinto, multitudo venditorum, & abũdantia mercium venalium minuit illarum pretium, sed ad festum sancti Michaelis, & in Natali sunt multi pastores vendentes lanas anticipata ista solutione, tradendas ab ipsis in Maio, vel Iunio, tempore autem traditionis earum sunt pauci qui illas vendant, ergo licet ad festum Sancti Michaelis, vel in Natali vilius eas emere, quam vendantur in Maio, quando atonduntur oues, & traduntur lanæ.

Deniq; huiusmodi contractus, vt ex dictis cõstat est plurimum vtilis toti Reipub. & qui à tot mercatoribus & timoratis exercetur, contractus autem huiusmodi, nisi aperta sit & perspicua eorum iniquitas, damnandi non sunt, vt docet Ioann. Gerson. De vita spirituali Corolla. 11. & 13. & D. Thom. quolib. 9. artic. 15. docens difficile esse in re dubia definire, sit ne peccatum mortale.

In hac quæstione constituamus prius oportet, quæ apud omnes certa sunt, vt commodius deinde explicemus quod est in quæstione positum. Primum igitur certum est apud omnes Theologos, quin & apud Iurisperitos bene sentientes, anticipatas emptiones rerum, quæ adhuc futuræ sunt, nec dum actu existunt, sed in sola potentia, licitas esse, & honestas, modo iusto pretio fiant, neque in hac parte audiendus est vllo modo Albornosius, imo audit male circa hoc apud peritos.

Primum enim, est contra communem vsum omnium nationum quodam iure gẽtium receptum, quo venduntur res futuræ, & incertæ, vt partus futuru, iactus retis, fructus nõdum natus sed in sola potentia, extantq; variæ leges non solum in iure communi, verumetiã in priuatis quibusq; Regnis & prouinciis approbãtes huiusmodi contractus, & modum ac formam illis præscribentes: In Regno enim Castellæ extant de hac re leges variæ maxime in lib. quem vocant partitarum, partit. 5. titul. 5. lege 15. & titul. 11. L. 17. in nostro Regno similiter.

Secundo. Episcopi vendunt communiter fructus suarum decimarum, & Principes & Magnates fructus suos nõ dum existentes, sed solũ impotẽtia, quæ vẽdito, etsi ex aliqua circũstãtia vitiari possit, iuxta ea quę inferius dicemus, agẽtes de huiusmodi emptione fructuum, quæ Hispane vocatur *Arrendamiento*; at secundum se seruatis debitis circunstantiis, & iusto pretio licita est, & à doctissimis viris & timoratis approbata, & seruata.

Tertio, contractus sortium, quem Hispanè vocamas *De las apuestas*, quędam emptio est rei futurę, & in potentia, quẽ nullus etiam seruatis in eo debitis circunstantiis, damnabit.

Deniq; est hoc definitum in illo Cap. Nauiganti. De vsuris. vbi definit Sum. Pontif. non esse vsurarium, (quo nomine significat neq; inique agere), ementem vinum, oleum, vel similes fructus solutione anticipata, etsi minoris emat, quam valeant tẽpore quo recipiuntur, quando dubiũ est sint ne plus vel minus tunc valituri.

Argumenta vero illius vix solutione egent adeo imbecillia sunt. Ad primum enim respondeo, fructus non dum existẽtes sed adhuc futuros non esse actu, esse tamen in potentia, quod sufficit vt possint vendi & emi. Etenim vt ex superioribus constat, qui priuat fratrem bono aliquo ad quod erat in potentia, tenetur illi satisfacere, ad quod certe nõ teneretur, nisi quod est in potentia, etiam si non dum actu existat, alicuius esset iam, quatenus in potentia est, pretii & valoris, quidquid autem alicuius pretii & valoris est, emi potest & vendi.

Ad secundum dico, quod nondum est actu sed in potentia sola habere iam aliquã qualitatem, vnde sumatur illius pretium, non certam & determinatam, sed incertam & probabilem, à qua potest arbitrio prudentum sumi pretium illius.

Ad tertium Respondeo similiter, rei futurę & existentis tantum in potentia non posse cognosci certum valorem, & pretiũ definite ac determinate, cum possit variis modis impediri, posse tamen illud cognosci probabiliter, & ad arbitrium peritorum & prudentum illi constitui ipso tẽpore venditionis, vel relinqui illud tempus in quo res illa erit in actu, quomodo etsi pretiũ sit incertum in particulari & in indiuiduo, certum tamen est in communi, nempe quale fuerit tempore illo præfixo & constituto, quod sufficit ad certum pretium, à quo nequeant contrahentes recedere. Neq; enim exigitur ad firmum venditionis contractum alia certitudo pretii, quam vel in indiuiduo & in particulari, vel in communi de-

ni designato aliquo certo tempore, cui debeant contrahentes necessario stare.

Ad vltimum respondeo, verissimũ esse non licere mutuare sub ea conditione, at qui emit res futuras solutione anticipata, etsi talis solutio videatur quoddam genus mutui, non tamen est mutuum cum illa cõditione & obligatione; sed est vera & realis emptio rei futuræ, quæ incipit & inchoatur quando exhibetur illa anticipata solutio, perficitur vero in rei traditione. Quo circa quando rei tradendę certum est ac definitum pretium, eo tempore quo traditur, debet etsi anticipatè ematur & soluatur, eodem tamen pretio emi, quo vẽdetur tempore traditionis: quod si res sit ex æquo dubia, & incertum illius pretium; ita vt possit & plus & minus valere tempore traditionis, quam sit pretium illud quod mutuo contrahentium consensu illi constituitur, quando anticipate venditur; potest minus constitui quam deinde valeat, ad arbitrium peritorum & prudentum in eo genere mercium, vt habetur in illo Cap. Nauiganti. quia vbi illud ita dubium est, vterq; contrahentiũ ex ęquo se ipsum exponit simili periculo lucri, vel damni.

Reiecta igitur illa falsa opinione Albornosii cum in proposita Controuersia; pro vtraq; parte existant DD. tantę eruditionis & nominis, non dubito quod spectat ad praxim, mercatores qui non valent de rebus Theologicis diiudicare, cum neq; incumbat eis hoc munus, sed debeat Theologorum stare sententiis, nisi conscientia illis dictet opinionem Medinę esse veriorem, posse tuta conscientia anticipatè emere pretio illo parum viliori; quia in re dubia & in qua Doctores optimi controuersi sunt, licet adhærere cuilibet opinioni grauissimorum DD. etsi opposita securior sit, vbi conscientia non dictat oppositum: vbi enim illa oppositum dictaret, contra illam agere nullo modo licet. Quo circa confessarius qui censeret cum Medina, dissuadebit quidem si valeat mercatorem ab hoc contractu, & pretio, vt securius agat, atsi Mercator affirmet se pretium illud habere pro iusto, quia nouit à Victoria, Soto, Corduba, Cano, & aliis grauissimis Doctoribus non damnari, tunc absoluet ipsum, ac dimittet in sua opinione, ne laqueos illius conscientiæ iniiciat, in re quę tot habet graues authores, non modo quos retulimus, verumetiam multos recentiores, qui referunt Theologos Parisienses interrogatos à mercatoribus Burgensibus, an huiusmodi cõtractus, de quo inquirimus, sit iustus, respondisse iustum esse, ac licitum.

Certum etiam est, Mercatores istos anticipata solutione ementes lanas cum illis non indigerent, vel saltim non instituerat tunc illas emere, sed pecunias suas decreuerant aliis negotiis tradere, si rogati à pastoribus illas emerint, posse à pretio quod habebunt tempore atonsionis, tantum minuere, quantum prudens & peritus probabiliter iudicaret cessare ipsis lucri, quod ex negotiis quibus pecunias illas exponere instituebant, obtinuissent. Ratio est aperta: Quia si anticipata solutio est quoddam genus mutui; sicut licet mutuanti ducere in pactũ lucrum sibi cessans ex mutuo, pari ratione licebit ementi anticipatè mercem, quam non instituebat emere, emit tamen vt venditoris vtilitati consuleret, ducere etiam in pactum per diminutionẽ pretii, lucrum quod illi ex tali emptione cessat. Oportebit autem in hoc casu huiusmodi emptorem sic diminuentem à pretio ratione lucri sibi cessantis, diligenter ac fideliter obseruare conditiones illas, quas diximus desiderari in mutuante ad exigendum lucrum sibi cessans ex mutuo.

Deniq; cum omnes lanas, vel aliam quamcunque rem anticipata solutione bifariam possit se habere in illa emptione vel ita, vt suscipiat in se pericula & fortuitos euentus illius rei, ita vt si res illa pereat, ipsi pereat, vel ita vt maneant illius rei pericula, donec actu ipsi tradatur, penes venditorem, vt si pereat, venditori pereat, certum est apud omnes ementem illo priori modo, ita vt suscipiat inse omnia pericula illius rei, & damna illi accidentia, posse vilius emere, quantum prudens & peritus in eo genere mercium iudicaret detrahendum esse à pretio illarum, ratione illius periculi. Ratio est aperta, quam tradit D. Tho. Quia res quæ nõdum actu est, sed in potentia, potestque variis ad huc modis impediri, minus valet se ipsa iam existente in actu, & ab omnibus istis periculis libera.

Quæstio ergo posita est de marcatore emente lanas solutione ancipata, propria sponte, ita vt nullum ipsi ex tali emptione vere lucrum cesset, vel damnum accidat, ementeq;

ementeq; illas omnibus periculis quæ gregibus euenire possunt vsq; ad tempus atonsionis, & actualis traditionis lanarum, manentibus penes pastores, illisq; solum imputandis.

Quibus ita constitutis vt in hac Contro. de veritate harum opinionum dicam quod sentio, illud primo obseruandum est, quod q. 77. art. 1. ex D. Tho. iam admonuimus: posse quidem venditorem, si rem sibi vtilẽ rogatus vendat, carius illam vendere, propter vtilitatem, qua in gratiam emptoris se ipsum illa vendita exspoliat: & similiter posse emptorem, si rem sibi non necessariã rogatus á vẽditore emat, vilius illam emere, quando ex illa emptione recipit aliquod damnũ, vel priuatur aliquo lucro. Attamẽ propterea quod vẽditori expediat vẽdere, non potest emptor iustum rei pretium minuere, neq; propterea quod emptori expediat emere, licet venditori carius illi vendere. Nam quod venditori expediat vendere, nõ est vtile ipsi emptori, sed vẽditori: similiter quod emptori expediat emere, non est vtile ipsi venditori, propter vtilitatem autem alienã, nulli licet iustum pretium rei quæ venditur, augere, vel minuere. Ex quo sequitur aperte, quod nullo modo negari potest, ex eo quod & mercatoribus, & pastoribus, & bono communi Reipub. plurimum expediat lanas ita vendi anticipata emptione & solutione, sicut initio huius Contro. explicatum est, coligi quidem recte, debere hunc emendi ac vendendi modũ esse in vsu, ac existere in Repub. nõ tamen esse propterea exercendum hunc contractum violatis legibus iusti pretij, Nulla enim potest ocurrere ratio, aut vtilitas, neq; priuata, neq; publica, quæ à legibus iustis quemquam eximat: maxime his quæ sunt iuris naturalis, inter quas hæc non habet infimum locum, vt res suo iusto pretio vendantur, vel pręscripto á Repub. vel communi vsu fori.

Obseruemus Secundo, cum pretium fori (vt vidimus) non consistat in indiuisibili, sed habeat latitudinẽ illam, intra quã quoddam supremum est & rigidum, aliud infimum & pium, alíud medium siue moderatum, posse emẽtem pecunia anticipata cõuenire cum pastore vendente sibi lanas, vt teneatur tradere illas tempore atonsionis, medio siue moderato, quo tũc vendentur: sicut diximus Contro. 21. huius art. seruaturum merces suas in aliud tempus, posse exigere pretium eo tempore medium ac moderatum: debet enim in hac parte esse eadem ratio tradentis res ante illud tempus, in quod eas seruabat, vel ementis merces in alio tempore sibi tradendas. An autem per anticipatam emptionem & solutionẽ possit emptor conuenire cum venditore de infimo pretio, & obligare illum ad tradendas sibi lanas tempore atonsionis infimo ac viliori pretio, quo tunc vendentur in numerato, & pecunia pręsenti intra latitudinem iusti pretij, res est dubia, quã in fine huius Contro. vna cum alijs quęstiunculis illi annexis explicabimus.

Obseruemus vltimo, hoc genus siue modum vendendi lanas, quem initio huius Cõtro. proposuimus, fuisse quidem plurimum obseruatum eo tempore quo Victoria, Cano, Soto, & alij quorum hic meminimus, Salmanticę & Ioannes Medina Compluti Theologiam docebant, ac scripserunt: tunc enim cum plurimi extarent mercatores, qui lanas vel proprijs pecunijs, vel ex aliorum commissione in Flandriam mitterent, emebãt illas á pastoribus Octobri, vel Decembri anticipata solutione, paucissimiq; seruabant illas vendendas Aprili, vel Maio: Modo vero nostris temporibus plurimum hęc mutata sunt: propter ingruentia enim bella quę adeo in Flãdria vigent, & innumera alia pericula quæ illa consequuta sunt, non existunt tot emptores lanarum, neque in illa copia in qua solebant, neque ita anticipate emuntur, sed manet apud pastores magna vellerum multitudo vendenda fuloribus, alijsque ciuibus eiusdem prouinciæ ipso tempore atonsionis, vel pecunia pręsenti, vel ad creditum in futurum: Quo circa de huiusmodi contractu, & venditione aliter modo iudicandum erit, quam maiores nostri docuerint, aliqua saltim ex parte.

Quibus positis sit prima conclu. *Si loquamur de priori illo tempore, in quo multi extabant mercatores ementes omnes fere lanas solutione anticipata, & in magna copia mittendas in Flandriam, opinio illa Victoriæ, Soto, & aliorum probabilis quidem erat: sed multo verior, ac probabilior, ac simpliciter & absolute tenenda opposita, quam docuerunt Medina, Nauarrus, & plerię ex recentioribus viri eruditi & graues.*

Prior pars constat, cũ illã vt paulo ante dicebamus, habuerint Victoria, Soto, Corduba, & alii viri magni nominis, cuius potissima ratio est, quia nisi fuisset in Octobri, vel Decembri lanarum copia pręempta,

præempta, quanta tunc solebat anticipate emi; sed omnes mansissent venales vsq; ad tempus atonsionis, extaret tunc tanta illarum abundantia, vt venderentur eodem pretio, vel forsan vilius, quã fuerunt emptæ Octobri, vel Decembri anticipata illa solutione.

Probatur altera pars, nempe oppositum esse verius, ac tenendum, argumentis adductis initio Controu. pro opinione Mediinæ, quæ certe efficacissima sunt, nec ab authoribus alterius opinionis diluuntur. Etenim quidquid Soto, Corduba, & alii qui illis adhæret, dicant, efficacissimæ sunt hę rationes, nec solutionem habent vllam, licet euasionem aliquam & subterfugium videantur habere.

Prima, Nulla consuetudo, aut necessitas, vel vtilitas, neq; mercatorum, neque pastorum, neq; Reipub. potest alicui concedere, vt merces aliquas vilius emat, aut carius vendat, quam iusto pretio: Iustum autem pretium cuiusq; rei non est sumendum ex eo tempore, quo illud soluitur, sed ex tempore quo res traditur, cum tunc perficiatur venditio, ergo iustum pretium lanarum non est illud minus, quo emuntur in Octobri vel Decembri, quamuis ita sit positum in consuetudine, vel tam pastoribus quam mercatoribus expediat tunc lanas vendi, sed illud quo pecunia præsenti & in numerato emuntur, ac venduntur communi vsu fori tempore atõsionis, cum tunc lanæ illę tradantur. Maior est Iuris naturalis, merces iusto pretio esse vendendas, cui nulla ratio opponi potest: Minor constat abunde ex dictis q. 77. art. 1. & in multis locis huius quæst. quam modo explicamus.

Secunda. Cum emptio anticipata solutione sit quoddam genus mutui, efficitur necessario, vt emens anticipate lanas redditis 12. argenteis pro singulo quoque pondere, recepturus illud deinde tempore atonsionis, in quo valet 14. vel 15. perinde realiter se habeat, ac si tradidisset prius & mutuasset pastori 12. argenteos, recepturus deinde 14. vel 15. aut rem æquiualentem, Hoc autem est aperta vsura. Quod vero quidam respondent, pastores eo tempore non vendere lanas, cum pecuniam anticipate recipiebant, sed obligationem tantum reddendi illas tempore atõsionis in eo pretio, ridiculum est. Quia obligatio exhibēdi aliquid eiusdē valoris & pretii omnino est, cuius est res, ad quam exhibendam quis obligatur: & ita obligatio reddēdi pondus lanæ valentis 14. valet 14. & ex consequenti, qui collatis prius 12. obligat pastorem ad reddendam sibi lanam valentē 15. (siue dicas pastorem in eo contractu vēdere immediate lanam illam, siue obligationem exhibendi illam) realiter & vere contulit 12. recepturus deinde 14. vel 15. quod est iniquum & vsurarium.

Tertia Pastor, esto mercator anticiparet lanarum emptionem, nihilominus non venderet vilius, quã soleāt alii vendere atõsionis tempore, nisi solutio illi anticiparetur, neq; mercator quamtumuis pastor anticipate, ac certissimo illi lanas venderet, anticiparet solutionem, nisi vilius illi venderetur. Ratio ergo propria ac præcisa propter quam vilius emit, quam sit pretiũ lanarum tempore quo traduntur, non est quia expedit vtrisq; ita emere, & vendere, cum possit contractus iste fieri constans & firmus sine vlla diminutione iusti pretii, sed hęc sola, quia anticipatur solutio, & quidquid mercatores vel authores alterius opinionis meditentur, vt alio colore quęsito aliam confingant causam; reuera hęc sola est, propter quam tunc vilius emebantur lanę: Vilius autem aliquid emere, quam sit iustum illius rei pretium, tempore quo traditur, propter anticipatam solutionem, iuxta D. Thom. & omnes antiquos, quorum semper maxima fuit, & debet perpetuo esse authoritas, vsura est.

Denique, non video, qua ratione in lanis hic contractus liceret cum diminutione iusti pretii, minime vero liceret in aliis mercibus, vt carnibus, ferro, metallis, quin & in omnibus fructibus victui humano necessariis. Quemadmodum enim exigitur in lanis iuxta Sotum, & alios mercatores certos esse de illarum copia ad paranda necessaria quibus transferantur in Flandriam, & pastores habere pecunias ad emenda pascua, & alias expensas, quibus greges egēt, exigitur similiter emptores carnium certos esse de copia illarum anticipata emptionē, cum se ipsos ad illas tradēdas ciuibus obligent, & pastores vendentes illis carnes, habere pecunias ad emenda pascua: Similiter ementes ferrum oportet certos esse de quãtitate ferri illis tradenda, vt parare commode possint ministros, loca, artifices, & instrumenta, quibus ferrum indiget, vt paratum & coaptatum aliis venale reddatur, & Cantabros, qui primo ferrum in lucem ducunt, habere pecunias ad suas expensas, & sumptus,

sumptus, quod neutri eorum obtinere valet nisi anticipata emptione, & solutione. Demum qui frumentis, in magna copia ex vno loco in alium veluti ex Italia, vel Sicula in Hispaniam trāsuehendis incumbunt oportet etiam certos esse de quantitate frumentorum illis tradenda, vt parent ministros, currus, naues onerarias, & similia, quibus maxime opus est ad transferendum triticum. agricolas etiam habere anticipatas pecunias ad menses, & alias expensas. At nullus est, qui doceat, neq; authores alterius opinionis illud affirmabunt, in huiusmodi mercibus, quantumuis oporteat illas anticipata aliqua solutione emi, licere aliquid detrahere ab eo pretio, quo vendentur cōmuni vsu fori tempore traditionis. Cur quæso, quod in his omnium consensu iniquum censetur, & vsurarium, concedendum est in lanis iuste fieri posse? Cum eadem sit in his omnibus mercibus ratio, eadem quoque vtilitas, vel necessitas præueniendi emptiones & solutiones? His & similibus argumentis constat, hanc sententiam quam sequimur veram esse, & tenendam.

Secunda conclusio. *Nostris temporibus in quibus plerique pastorum vendunt lanas ipso atonsionis tempore, debent eas vendere pretio eodem tempore recepto, ac vt dicunt currenti communi vsu fori intra illius latitudinem, nec possunt carius vendere, eo quod multas earum non vendant innumerato, sed ad creditum.*

Hæc perspicua est ex superioribus, Constat enim satis, vbi lex pretia rebus nō constituit, illud tantum esse iustum, quod habet communis vsus fori, tempore quo res traditur: neq; illud augeri posse, eo quod res illa ad creditum vendatur.

Vnde damnanda maxime est consuetudo quorundam pastorum diuitum, & potētium, qui tyrannide quadam vtentes, nec volunt anticipata solutione lanas suas vendere, nec pretio fori tempore atonsionis, sed quibusdam titulis lucri cessantis, vel cōmoditatis emptorum quæsitis, carius illas vendunt ad creditum, & vltra omnem latitudinem iusti pretii. Horum iniquitas perspicua est, & maior eorum, qui nec tempore ipso atonsionis vllo modo eas vendere volunt, sed vbi nullus iam existit qui vendat, neq; vllę iam ferè reperiuntur lanæ venales, tunc rogantibus vendunt illas ad creditum. & per multum tempus, cum pecuniis non egeant, & tanto carius, quanto per longius tempus solutio illa differtur.

Afferunt hi duas causas, quibus credūt id sibi licere. Prior est, lanas suas conficiēdis pānis esse pretiosiores, ac propterea maiori pretio dignas, quam fuerit illud commune tempore atonsionis. Posterior est, alios pastores cum indigerent pecuniis vltro lanas suas eo tempore vendidisse, ipsos vero nulli emptorum illas obtulisse, nec vēdidisse nisi rogatos, qua de causa lanas aliorum tamquam vltroneas merito vilius esse venditas, suas vero carius debere vendi, cū non vendant nisi rogati. Neutra tamen harum rationū liberat eos ab iniquitate. Non prior, quia non est admittendum lanas ipsorum ita esse pretiosas, quin inter tot, quot ab aliis venditæ sunt eodem loco, & ex eisdem pascuis nō extiterint aliquę alię ęquè pretiosæ. Secundo, quia esto daremus lanas aliorum fuisse permixtas, & quasdam magis, alias vero minus pretiosas, lanas vero ipsorum omnes esse pretiosas, non propterea licet illis carius vendere, & vltra latitudinem pretii recepti in foro: Ideo namq; pretium fori habet latitudinem, vt quę minus pretiosa sunt, pretio infimo vel moderato vendantur, quę vero magis pretiosa, summo & rigido: neq; licet quouis quæsito colore ab huiusmodi latitudine recedere. Adde, quod in eodem vellere eiusdem ouis reperitur etiam quædam pars pretiosior, & alia minus pretiosa, vnde inter ipsosmet pastores abiit iam illud in prouerbium Hispanum. *Donde quiera hay hijada.*

Neq; posterior: nam vt recte inter argumenta Medinæ diximus, merces quę à propriis dominis, vel mercatoribus publicè, & suo tempore venduntur, ac communi vsu fori, non dicuntur vltroneæ, sed illæ tātū, cum quibus venditor priuatim quærit, & rogat hunc, vel illum emptorem qua ratione quæ venduntur in nundinis, quo tempore omnes vendunt publice, parati omnibus vendere, non dicuntur vltroneæ.

Reliquū est, vt argumenta aliorum, quæ sententię quam sequimur in prima conclusione aduersantur, diluamus. Duo illa priora, quibus potissime nititur Soto, soluta manent eodem loco, vbi illa proposuimus, alia vero facile ex dictis soluentur.

Ad primum igitur eorum, quę deinde subiiciuntur, quod videtur omnium efficax, & quasi fundamentum præcipuum illius sententiæ. Respondeo, non esse admittendum, vtsi lanæ quę venduntur ad fe-

ſtum B. Michaelis, vel in Natali, aut carnis priuio non ita venderentur anticipate, ſed manerent venales, & omnibus expoſitę tempore atonſionis, propter abundantiam quæ tunc exiſteret & venditorum, & lanarum venalium, venderentur eodẽ pretio, vel forſan minoris, quam vendantur emptione illa & ſolutione anticipata in Octobri, vel Decembri: Quia ſi lanæ iſtæ non venderentur neq; emerentur (v.g.) in Natali ſed ſeruarentur venales vſq; in tempus atonſionis, ſicut extarent eo tempore multæ lanæ venales, eo quod non fuiſſent prius venditæ, eadem quoque ratione ad eſſent ſimiliter multi emptores ipſo tẽpore atonſionis, nam qui emerunt in Natali, nõ emiſſent, ſed manerent adhuc empturi tẽpore atonſionis. Dictum enim illud abundantia mercium vileſcunt merces, verum eſt, quando non eſt ſimilis abundantia emptorum: at quando ſicut abundant merces & venditores, abundant etiam emptores, non vileſcunt merces.

Quod ſi dixeris exiſtunt in Natali multi mercatores qui emant lanas, vt mittant in Flandriam, qui certe nõ eſſent tempore atonſionis, quia niſi antea illas emant, nõ poſſunt eas recipere, lauare, ac parare vt cõmode mittantur. Reſpondeo, experientia teſte falſum eſſe mercatores qui emunt in Natali, non empturos in Maio, quando oues atondũtur, eo quod non poſſent lanas lauare, parare, & mittere in Flandriã: poſſunt enim, quæ parant à Natiuitate Domini vſq; ad Aprilem vel Maium, non minus commode parare ab Aprili vſq; in Septembrem, maxime cum naues delaturæ huiuſmodi lanas ad noſtri maris oras non accedãt communiter niſi receſſuræ Octobri, vel Nouembri. Quin etiam, cum hic contractus lanarum ipſis vtiliſsimus ſit multis nominibus, (lucrãtur enim maxime tam in ipſis lanis, quam in aliis rebus, quas hac occaſione inde huc deferunt), non deſinent illas emere, eo quod hoc vel illo tempore illas emant. Adde quod recte affert Medina, eſto oporteret omnino lanas iſto modo emere, ac vendere, nempe in Natali, poteſt fieri nihilominus tunc cõtractus iſte ſeruato iuſto pretio, deſumpto ex tempore quo traduntur, ſicut fit in aliis rebus quæ anticipate quandoq; emuntur, vt vino, tritico, & ſimilibus.

Ad ſecundum reſpondeo, in venditione lanarum, & cuiuſcunq; mercis regulam iuſti pretii non eſſe maiorem, vel minorem quantitatem illius mercis hoc vel illo pretio vendi, ſed legem Reipub. vel vſum fori, vſis autem fori ſumitur ex pretio, quo tales merces emuntur à ſoluentibus in numerato, eo tempore quo vere & actu ſit venditio, quod eſt tempus quo traduntur emptori: Similiterq; debet res ſe habere in lanis, in quibus á Repub. nullum pretium taxatum eſt.

Tertium ſolutum eſt in quarto argumẽto adducto pro opinione Medinæ: non enim ex eo quod emere ſolutione anticipata ſit vtile paſtori indigenti, licet detrahere à latitudine iuſti pretii: Nec quia iſta vẽdant, propterea in illud conſentiunt: vendunt enim eo pretio, ut ſuæ occurrant indigentiæ, cui alia via ſubuenire non poſſunt. Quis autem dubitat, ipſos malle carius vendere, & eo pretio quo ſolent lanæ vendi tempore quo traduntur? Quemadmodum enim accipere ad vſuram vtile eſt accipienti, cum quandoq; ſola vſurę ſolutione liberetur á maioribus & grauioribus damnis, nihilominus vſurarius inique agit, non enim poteſt propter vtilitatem quam inde mutuatarius recipit, exigere ab illo vſuras, quia nemini licet vtilitatem alienã in proprium commodum torquere, ita etſi paſtoribus hoc genus vendendi, vtilitates quas diximus, afferat, non propterea licet mercatoribus vilius emere, quam ſit iuſtũ lanarum pretium, neq; aliquid ab eo detrahere propter illam vtilitatem paſtorum, ſicut nec paſtoribus liceret, propter commoditates quas mercatores ſic ementes recipiunt, carius illis vendere. Debet enim in his eſſe par & æqualis vtriuſq; contrahentis ratio.

Ad quartum iam conſtat ex dictis, qua ratione mercator qui non inſtituebat emere lanas, ſed decreuerat alicui negotio pecunias ſuas tradere, ſi rogatus a paſtore, & in eius vtilitatem ſeparet pecunias ſuas à negotio, conuertatq; illas in emptionem lanarum, poſsit detrahere aliquid á pretio lanarum, non propter anticipatam ſolutionem, ſed ratione lucri quod ex illo negotio recepiſſet, ceſſat vero ipſi propter emptionem illam. Addo tamen mercatores iſtos de quibus hîc agimus, communiter non extrahere pecuniam ſuam ab aliquo negotio, vt tradant illam paſtoribus, ac in eorum vtilitatem, quin potius huic negotio & emptioni lanarum habere illam deſtinatam, & ad lucra quæ ex negotio lanarũ expectant. Quod autem paſtoribus illud

etiam

etiam vtile sit, accidentarium est animo & intentioni mercatorum, quo fit vt non habeat vere hic locum ratio illa lucri cessantis. Neq; enim æquum est, vt ex vna parte lucrentur in negotio & emptione lanarum, & alia ex parte in pretio, quia emũt anticipata solutione: sufficiat eis lucrum quod negotium lanarum secum affert.

Ad vltimum, in eodem quarto argumentõ Medinæ continetur solutio: non enim pretium à parte rei iniustum redditur iustũ ex multo vel longo vsu, talis enim vsus abusus potius est, nec ex opinione Doctorum, propter nostrum enim affirmare, vel negare (vt optime dicebat Aristo.) sentẽtia aliqua, vel oratio non efficitur vera vel falsa: hoc tantum concedit illis vsus, & DD. habentium illam opinionem authoritas, vt quandiu conscientia eis non dictat oppositum, bona fides sub qua contractus istos celebrant, reddat ipsos tutos in cõscientia.

Ex illis vero tribus quæ DD. hi suę sententię addunt, prius illud verissimum est, non solum quia licet venditori seruaturo merces in aliud tempus sibi vtilius, augere pretium eo modo quo explicatum est, verumetiam, quia iustum lanarum pretium, vt docemus cum Medina est illud, quod lanæ valere solent tempore atonsionis in quo traduntur. Secundo, non est admittẽdum, quia iuxta nostram sententiam neq; in lanis neq; in aliis mercibus licet minuere iustum pretium propter anticipatã solutionem, cum iustum omnium rerum pretiũ sit, quod illæ valent quando traduntur, vt ostendimus. Neq; vlla ratio reperitur ad iustificandum contractum istum emptionis lanarum, quæ non habet similiter locũ in emptionibus aliarum mercium, quæ solutione anticipata emi solent. Tertium denique dictum minus habet veritatis, cum pretium iustum cuiusq; rei sit, quod res illa valet tempore quo traditur, quia tunc vere fit ac perficitur venditio. Quod licet satis ex dictis constet, potest adhuc ita probari, Res quæ venditur, sicut venditur in vsum emptoris, ita quoque quamprimum vendita est, si pereat, debet ipsi perire, cum per venditionem trãsferatur dominiũ illius in emptorem, & quidquid perit domino suo perit: at quod venditur solutione anticipata, donec tradatur emptori, nõ transit in dominium illius, nec perit emptori, sed venditori, ergo venditio tunc reuera fit, & perficitur, quando res traditur actu & in effectu. Cum ergo tunc verè fiat, & perficiatur venditio, pretium vero rei iustum sit, quod res valet, quando fit venditio, consequenter mercator qui vilius emit à pastore solutione anticipata, quam vendatur tempore atonsionis & traditionis, iniuste egit, tamquam emens multo minoris, quam sit iustum pretium lanę, vt constat, tenebiturq; ad restituendum illũ defectum iusti pretii. Vendens vero, siue pecunia pręsenti siue credita, pretio quod lana valebit tempore atonsionis, & traditionis, iuste vendit, non minus quam si venderet ipso tempore atonsionis: quia quod hoc tempore vel illo vendat, non reddit iniustum pretium illud, quod secundum se & simpliciter iustum est, quale est illud quod valent lanæ tempore quo traduntur. Ratio vero quam asignant DD. illi, cur mercator vendens solutione anticipata non possit vendere lanas, pretio quod valebunt tempore atonsionis, vendens vero ipso tempore possit pretium tunc currens recipere, facile confutatur ex dictis. Etenim cum in huiusmodi contractibus perinde se debeãt res habere, ac si mãsissent venales vsq; ad tempus traditionis, sicut existerent multę merces & lanæ, nisi fuissent antea venditę, ita quoque fuisset tanta copia emptorum ac si antea non emissent: Quo fit, vt illud pretium currens tempore atonsionis, quacunq; ratione sumatur sit iustum.

Reliquum nunc est, vt argumenta quoque illa, quæ in confirmationem eiusdem sententiæ proponuntur à Corduba, diluamus. Primum iam est solutum, cũ sit idem cum eo quod primo etiam loco proponũt authores alterius opinionis.

Ad secundum respondeo, ementem rem absentẽ, ac futuram, periculis obnoxiam, posse illam minoris emere, si suscipiat penes se pericula illa, ac damna imminentia, quę rem ipsam comitantur: at in contractu lanarum pericula quæ ouibus, vel lanis accidere possunt, manent penes pastorem, nec illis se ipsum exposuit mercator: hoc enim tantum constituit cum illo, vt tẽpore atonsionis tot lanarum pondera tali pretio ei tradat, quod si non tradiderit, nõ persoluat nisi ea tãtum quę actu receperit. Vnde si pereant oues pastori pereunt, si deficiãt lanę pastori deficiunt, in ipsiusq; damnum omnia infortunia quæ eueniunt, redundat.

Quod si vrgeas saltim exponunt se mercatores periculo non recipiendi facile pecunias

nias quas anticipate illis exhibuerunt, licēbit ergo ratione huius periculi minoris emere. Respondeo, Iuxta ea quæ superius diximus de vendente ad creditum, cū periculo non recipiendi solutionem in termino, mercatorem posse ac debere quærere securitatem á pastore, quem timet ita infideliter acturum: quod si non valeat illam recipere, non contrahat cum illo emptionem. Quod si necessario oporteat illum ab eo emere, tūc propter pericula, quæ ex successu temporis pendent, non potest detrahere aliquid á iusto pretio, sed debet emere relinquens pretium vsui fori tempore atonsionis: Tum, quia sic emens euadit illa pericula, Tum quia propter pericula tēporis, quę sine vlla pastoris culpa accidunt, nō est priuandus ipse iusto pretio, quale est illud quo lanæ venduntur communi vsu fori tempore quo traduntur. Propter pericula vero quæ sibi probabiliter viderit imminere culpa, & vitio pastoris, poterit aliquid detrahere, moderate tamen arbitrio periti & prudentis, admonensque pastorem, propter periculū illud quod sibi, eius vitio imminet, minoris emere, vt si velit pastor posit alia via ab illo periculo securum illum reddere.

Ad tertium patet iam solutio. Nam esto talis contractus, & vendendi ac soluendi modus pastoribus vtilissimus sit, non propterea licet mercatoribus aliter emere quā iusto pretio: Quia sicut non licet venditori carius vēdere, eo quod emptori emptio illa plurimum expediat, ita neq; licet emptori vilius emere, eo quod venditio illi venditori vtilissima sit, & multo minus quando vtriq; contrahentium contractus ille vtilis est, sicut accidit in hoc contractu lanarum.

Ad quartum, constat etiam ex dictis pastores non quęrere mercatores, sed habere lanas suas omnibus expositas, quin potius mercatores ipsi adeunt pastores, vt ab illis emant: vnde non sunt velut merces vltroneę, sed velut merces in nundinis omnibus expositæ, in quibus seruādum est necessario iustum illarum pretium, iuxta communem vsum fori eo tempore quo traduntur, & fit vere vēditio. Nec axioma illud *Scienti & volenti non fit iniuria*, habet hic locum; cum illud intelligatur, de his qui nulla necessitate adducti suas merces vendunt: pastores vero vendunt ita anticipate, & viliori pretio, vt habeant pecunias quibus indigent ad pascua, & alias expensas: quod vel ex eo constat, quod ditiores qui pecuniis huiusmodi non egent, non vendunt lanas suas vsq; ad tempus atonsionis.

Ad quintum respondeo. Abundantiam vēditorum & rerum venaliū minuere pretium eo tempore quo res actu venduntur, & traduntur, quia ab eo tantum tempore sumendum est iustum illarum pretium, nō ab eo in quo solum fit anticipata solutiō sine traditione rei, quemadmodum abundantia ementium ad creditum nō auget rei pretium, quia vt vidimus q. 77. art. 1. vsus communis fori non sumitur ex quacunque emptione, aut venditione, sed ex ea quę fit re venali tradita emptori, & pretio soluto in numerato.

Ad vltimū cōstat satis ex dictis, huiusmodi contractum esse iniquum, & pretiū istud iniustum: quod vero iniquum & iniustum est, nullo nomine vel ratione reddi tur iustum & licitum, nec propter communem necessitatem. Quod autem docent D. Thom. & Gerson sit accipiendum est, vt quę fuerint ex æquo dubia, æqualemq; probabilitatem habentia, si in communem cedant vtilitatem, ne facile prohibeantur. Quia in sic dubiis preponderat plurimum communis boni & vtilitatis ratio, maxime cum ea re prohibita bonum illud commune cessare oporteat. In hoc autem casu non est res ita dubia, nec ex æquo probabilis vtraq; pars, & opinio: Nam esto opinionem illam Victoriæ, & Soti probabilem dicamus propter authoritatem DD. qui illam sunt amplexi: oppositam tamen vidimus non modo probabiliorem esse ac veriorem, sed absolute veram & tenendam. Nec ex ea impeditur bonum illud & commoditas tam mercatorum quam pastorum, quam totius Reipub. cum possint & mercatores certi esse de lanis recipiendis anticipata illa solutione, seruato iusto pretio & relicto tempori atonsionis.

Animaduertat hoc loco studiosus lector, in vnoquoque Regno & Prouincia esse priuatas quasdā leges circa huiusmodi emptiones solutione anticipata, quales sunt Castellæ, quæ habentur in Noua Recopilatione lib. 5. tit. 11. L. 17. 18. & 19. iuxta quas in Castella nemini licet emere triticū anticipata solutione, nisi eo pretio quod valebit communi foro quindecim diebus proxime pręcedētibus vel subsequentibus Natiuitatem B. Virginis: & aliæ his similes circa alias merces, quæ omnes cum iustæ sint, quia propter bonum publicum com-

communiter feruntur, obseruandę sunt in foro conscientię, iuxta ea quæ superius docuimus q. 77. ar. 1. Contro. 7. & 8.

Huic controuersiæ quęstiones quædam affines sunt, seu appēdices. Prior est quam in secunda obseruatione promisimus nunc explicare.

AN LICEAT MERCATORI *anticipata solutione obligare pastorem, vt teneatur tradere illi singula pondera lanarum, pretio infimo quo vendentur tempore atonsionis?*

PALAT. lib. 4. c. 3. vbi disserit de hoc contractu & venditione lanarum, in fine obseruationum siue adnotationum quas ibi constituit, docet nullo modo licere mercatori emēti lanas anticipata solutione, cōuenire cum pastore de pretio aliquo, quod egrediatur & deficiat à latitudine iusti pretii, quo illę vendentur tēpore atonsionis: licere tamen illi conuenire de aliquo pretio intra illam latitudinem quāuis infimo, & pio, modo ab illa non deficiat, neq; eam egrediatur.

Quæ sententia potest sic confirmari. Primo, Potest emptor conuenire cum venditore rei futuræ anticipata solutione in eo pretio, quod tempore traditionis censebitur iustum, sed quodcunq; pretium, quantumuis infimum, modo contineatur intra latitudinem pretii recepti communi vsu fori, tempore quo res traditur, est iustum, ergo poterit cum illo ita conuenire, & obligare pastorem ad tradendas sibi lanas sub pretio eo tempore infimo.

Secundo, sicut se habet vendere ad creditum pretio supremo & rigido, ita emere anticipata solutione pretio infimo, sed licet vendenti ad creditum conuenire cum emptore de pretio supremo, contento intra latitudinem iusti pretii, ergo licebit similiter ementi anticipata solutione, conuenire cum venditore de infimo pretio rei sibi tradendæ, intra latitudinem eius pretii quo tunc res illa communi vsu fori vendetur.

Deniq; regula & mensura aliarum venditionum, quæ fiunt vel anticipata solutione, vel ea expectata, est venditio quæ fit pecunia præsenti, sed licet ementi in numerato, & pecunia pręsenti emere quocūque pretio contento intra latitudinem iusti pretii, quantumuis infimo, ergo licebit illud idem ementi solutione anticipata. Et confirmatur, quia anticipans solutionem non debet propterea esse deterioris conditionis, quam si illam detinuisset vsq; ad tēpus traditionis rei, cum anticipare illam cedat in beneficium & vtilitatem vendentis. At emens & soluens tempore quo res sibi traditur, potest emere pretio infimo intra illius latitudinem, ergo similiter emens solutione anticipata.

Recentiores vero discipuli D. Thom. ita distinguūt, vt qui anticipate emit, duobus modis possit contractum istum exercere: vel ita, vt eodem tempore quo anticipat solutionem, perfectam simul celebret illius rei emptionem: vel ita, vt non perficiatur donec res illa ipsi actu tradatur. Dicitur perfecta emptio & vēditio rei adhuc futuræ, adhucq; tradendę, quando eodem tempore quo soluitur illius pretium, vel conuenitur de illo, suscipit in se emptor omne periculum illius rei, ita vt quidquid illi accidat, in emptorem redūdet: qua ratione emens iactum retis, eodem tempore quo illum emit, exercet perfectam emptionem: quia suscipit in se omne periculum illius iactus, ita vt siue pauci extrahātur pisces, siue multi, idem pretium sit redditurus. Quod autem huiusmodi emptio rei adhuc futuræ iam sit perfecta, ex eo constat, quia eo ipso quo periculum rei redundat in emptorem, est translatum in ipsum illius rei dominium, vi illius principii. *Quidquid perit, domino suo perit*: Venditio autem, in qua sic transfertur in emptorem absolutum ac perfectum rei dominium, vt si pereat emptori pereat, non minus perfecta est, quam si res illa fuisset iam actu & omnino illi tradita. Imperfecta vero venditio dicitur, in qua res nondum traditur ementi, nec habet in illam dominium aliquod, sed manet illa donec actu tradatur penes venditorem, ita vt omnia illius pericula & damna in venditorem redundent.

Hoc posito, docent, ementem anticipata solutione emptione perfecta, ita vt illius rei pericula in se susceperit, ipsiq; pereat, non venditori, si forsam illa perierit, posse illam emere, & pretio intra latitudinem quam habebit communi vsu fori, quando tradetur, minimo. Quia cum illam tunc absolute ac perfecte emat, quodcunq; pretium pro ea reddad intra latitudinem iusti, censendum est iustum: maxime propter pericula quibus se exponit: At si emptio imperfecte fiat, perficienda & cōsumman-

sumanda tempore traditionis, ita vt pericula & damna illius rei in venditorē debeant cedere, donec illa actu tradatur, non posse emptorem obligare venditorē anticipata solutione, vt teneatur illam sibi exhibere in pretio eo tempore infimo: Quia cum anticipata solutio sit quoddam mutuum implicitum, & obligatio ista imposita venditori, vt teneatur exhibere illi suas lanas, vel quamcunq; aliam mercem, (nam eadem debet esse omnium rerum venalium ratio) infimo pretio, sit pretio æstimabilis, quia expoliat se per illam libertatē & facultate vendendi alicui alteri maiori pretio, nēpe supremo, vel medio, efficitur, vt qui anticipate emeret ac solueret illius rei pretiū, reciperet pro illo, non modo rem ipsam, siue ius in illam, verumetiam & obligationē illam venditori impositam pretio æstimabilem, quod est iniquum, & vsurarium.

Hæc sententia tenenda est. Quemadmodum enim, (vt in superioribus dicebamus) mutuans pecuniam mercenario obligando illum ad colendam vineam suam est vsurarius, quia esto constituat cum eo reddere illi iustum stipendium, ac mercedem laborum, exigit nihilominus ab illo obligationem pretio æstimabilē, ita quoque qui anticipata solutione obligat venditorē ad tradendam illi mercem pretio infimo, exigit ab illo præter mercem obligationem illam vendēdi ipsi sub tali pretio, quæ obligatio pretio æstimabilis est, maxime vbi omnia pericula rei tradendæ in venditorem debent redundare.

Argumenta in oppositum re diligenter inspecta nullam habent vim.

Ad primum respondeo, posse emptorē conuenire cum venditore de pretio iusto rei eo tempore quo fit venditio, sed ita, vt, ratione illius pretii nihil aliud exigat, quā rem ipsam, sicut venditor ab emptore nihil aliud debet exigere, quam iustum suæ rei pretium, at in hoc casu, anticipate soluens exigit præter rem obligationem exhibendi illam in tali pretio, quæ obligatio (vt constat) est pretio æstimabilis. Dices, ergo neq; liceret cōuenire cum illo de pretio supremo, vel moderato, quia in quocunq; pretio conueniant, videtur emptor præter rem exigere à venditore obligationem istam pretio æstimabilem. Respondeo hæc plurimū differre. Nam imprimis, quod spectat ad pretium supremum, cum venditori non liceat excedere à latitudine iusti pretii, si conueniant de supremo: nulla libertate emptor sic conueniens illum priuat, sed solum postulat ab eo, id, ad quod iam tenetur. Quod vero pertinet ad moderatum, res est difficilior, cum posit venditor supremum recipere. Nihilominus (vt in obseruationibus positis iam diximus) licet de moderato conuenire, quia sicut venditor per talem contractum exspoliaret se facultate vendendi aliis forsan in supremo, ita emptor per eundem contractum exspoliat se facultate emendi ab aliis forsan in infimo, vbi vero vterq; contrahentium eidem damno vel commodo ex æquo se exponit, nulla est iniquitas, vel iniustitia.

Ad secundum respondeo, disparem esse rationem, quia vendens ad creditum, cum tradat actu rem quam vendit, celebrat iūc perfectam & completam vēditionem, qua de causa potest tunc exigere quodcunq; pretium contētum intra latitudinem, neq; ex eo quod solutionem expectet, aliquam aliam obligationem illi imponit, præter eā ad quam simpliciter & absolute tenetur, eo ipso quo non soluit in numerato, nempe reddere pretium de quo conuenerunt. At qui emit solutione anticipata, non perficit emptionem vsq; ad tempus in quo res illi traditur, vnde etsi posit cum venditore de aliquo pretio iusto conuenire, non tamen de infimo, quia per talem conuentionem exigeret ab illo præter rem emptam, obligationem pretio æstimabilem, sicut explicatum est, quod est iniquum.

Ad vltimum respondeo, pretia sumenda esse ex venditione, quę fit pecunia præsenti, tamquam ex propria regula pretiorū, sed ita, vt nihil preterea exigatur pretio æstimabile, quia esset illud velut excessus iusti pretii: qua de causa quamuis emens in numerato, & in præsenti rem ipsam recipiens posit emere quocunq; pretio intra latitudinem, non tamen potest emere anticipatē, cum obligatione qua teneatur venditor in infimo pretio merces suas illi tradere, quia cum obligatio ista sit pretio æstimabilis, exigeret ab illo præter rem quam emit, aliquid pretio æstimabile. Eadem ratione soluitur confirmatio apposita, non enim illud negamus ementi anticipata solutione, quasi sit deterioris conditionis, sed quia sicut venditori non licet præter iustum pretium exigere ab emptore aliquid aliud pretio æstimabile, eadem ratione neq; licet emptori, præter rem quam emit, exigere à venditore aliquam

quam obligationem, vel aliquid aliud pretio æstimabile.

Altera dubitatio est.

AN MERCATORES DEFERENTES LANAS IN *Italiam, vel Flandriam possint illas carius ibi vendere ad creditum, quam pecunia præsenti?*

ANtonius Cordub. q. illa 85. nec probare audet, nec damnare omnino hunc contractum, affertq; in suam sententiam Sotum lib. 5. de Iust. q. 4. art. 1. Sed ex dictis constat satis illud iniquum esse, cum nulla ratione liceat alio pretio rem vendere, quam eo quod fuerit iustum, & receptum communi vsu fori tempore quo res traditur, siue pretium illius statim soluatur in numerato, siue expectetur per aliquod tẽpus illius solutio. Eadem ratione iniquus etiam est cõtractus quorundam mercatorum, qui solutione per biennium anticipata lanas vilius emunt, quas aliis deinde emptoribus & ante illarum receptionem carius vẽdũt: nam licet in hac secunda venditione iustũ sit illarum pretium, si vendantur iuxta illud quod habebunt communi vsu fori tempore traditionis, prior tamen emptio illa, qua vilius emerunt à pastoribus propter anticipatam solutionem, iniqua est, vt ex dictis abunde constat.

Huic controu. similis est illa de mercibus quę in magna quantitate ad creditum vendi solent: Videamus igitur modo.

Controuersia. XXIIII.

AN MERCES QVAE DICVNTUR *maritimæ, possint vendi carius pecunia credita, quam venderentur pecunia statim numerata?*

AD intelligentiam huius controu. initio obseruandum est; merces quæ venduntur in duplici esse differentia: quædam enim sunt quæ communiter, ac vt in plurimum venduntur pecunia presenti, quamuis nonnũquam etiam vendantur pecunia credita; cuiusmodi sunt quæ ad humanum victũ sunt necessariæ, vt vinum, oleum, panis, & similes: quas satis constat ex supradictis non posse carius vendi ratione dilatæ solutionis, sed eodem pretio fori vendendas esse, siue in numerato vendantur, siue ad creditum. Aliæ sunt quas accidere quidem aliquando potest, vt vendantur pecunia præsenti, sed adeo rarum illud est, vt non sit attendendum, communiter enim & frequentissime, ac proptereа quasi ex natura sua venduntur pecunia creditaun. Sit nãq; merces nimis pretiosę, & in magna quantitate vendẽdę, qua de causa vix vllus existit, qui valeat illas aliter emere, quam ad creditũ: dicunturq; merces maritimæ, eo quod afferantur communiter nauigiis per mare: cuiusmodi sunt quæ à Flandria ad nos asportantur, vt panni ex lana sericoq; confecti, varias historias & imagines referentes, telæ ex lino, auro, atq; argento contextæ: *Tapicerias, brocados, olandas, &c.* Huiusmodi merces, si quidem peruenientes ad portus possent minutim vendi, emerentur forsan plurimæ earum pecunia præsenti, sed cum debeant necessario vendi coniunctim, & in magna quantitate, *En grueso*, qua ratione illas emere pecunia presenti nullus fere valet, efficitur consequẽter, vt quasi ex natura talium mercium debeant vendi pecunia expectata per aliquod tempus: per illud saltim quo indigent prudenter, & probabiliter emptores earum ad vendendas illas minutim, & diuisim per ciuitates, & oppida in numerato, vt sic colligant pecuniam, qua soluant quæ coniunctim pecunia credita in portu emerunt.

De huiusmodi ergo mercibus disputamus modo.

Possint ne carius vendi ad creditum, quam venderentur in numerato? & similiter, Emens illas vel aliquam partem earum in numerato, possit ne vilius emere, quam alii ementes easdem expectata solutione?

Ioann. Medina q. illa 38. Nauarr. loco supra cita. in Manua. cap. 23. nu. 82. imo D. Thom. & antiqui Theologi, cum constituant regulam illam tamquam certam, & generalem. *Eodem omnino pretio vendendas esse quascunq; merces, siue in numerato vendantur, siue ad creditum*: preter quam in duobus casibus, quorum prior est: vbi ex illa venditione immineret aliquod damnũ, vel cessaret aliquod lucrum venditori: posterior: quando venditor vere, & deliberate instituebat seruare merces suas in aliud tempus sibi vtilius, & commodius: Nec excipiant ab illa regula merces istas maritimas, de quibus hic agimus: quas non ignorabant asportari per mare è remotis prouinciis, & vendi in magna quantitate, eo modo quo diximus: videntur aperte docere iniquum esse, & illicitum huiusmodi

merces

merces carius vendere pecunia credita, quã venderentur pecunia pręsenti: quam partẽ sequuntur multi recentiores viri periti, maxime Mercatus loco cita. Vbi in vniuersum damnat vendentes carius quascunque merces solutione expectata, quam venderentur solutione præsenti.

Probaturq; primo, Concurrant ad portum varii emptores istarum merciũ, quorum alii quasdã emant pecunia credita, alii vero alias pecunia præsenti: Quæro, aut omnes isti emunt eodem pretio, vel non? si dicas eodem, & ita oportere, vt iustè vendantur, non igitur licebit carius vendere pecunia credita quam pręsenti: Si vero dixeris diuerso pretio vendi, cum pretium iustum fori sit illud (vt sępe diximus) quo res venduntur in numerato, illud maius & carius, quod exigetur ab ementibus pecunia credita, non erit iustum. Patet consequentia, quia vt dicebamus quęst. pręced. eiusdem rei nullo modo mutatę & eodem omnino tempore ac loco non possunt dari duo pretia iusta, sic interse distantia: loquimur enim de vendente carius vltra latitudinem pretii in quo vẽdit alter pecunia præsenti: nã intra latitudinem omnia pretia sunt iusta, vt superius vidimus. Et confir. eiusdem rei immutatæ eodem tempore & loco non possunt esse duo pretia, sed merces istę manẽt eędẽ, & in eodem tempore, & loco, ergo nõ possunt habere duo pretia; alterũ venditæ in numerato, & alterum venditæ ad creditum: Consequentia cum minori perspicua est, maior probatur, quia pretium rei est eius mẽsura, sed eadem res inuariata non potest habere duas mensuras.

Secundo vsurarium est res carius vendere vltra latitudinem iusti pretii solo intuitu & nomine expectatæ solutionis, sed quando eędem merces quę ementi ad creditum venduntur pretio vt 120. ementi pecunia pręsenti vendũtur pretio vt 100. certissimum est illud maius pretium non exigi nisi ratione dilatæ solutionis, ergo. Maior est D. Tho. & in hoc art. sępe repetita: Minor se ipsa constat.

3. Cum 12. aurei soluendi in futuro, quãdo certi sunt & securi, valeant etiam in pręsenti 12. aureos, quia oppositum (vt vidimus) esset aperire ianuã vsuris, consequẽter si emens merces istas maritimas pecunia pręsenti 12. aureis, iusto pretio emit, idem omnino pretium debet esse iustum, nec augendum vllomodo, si easdem emerit ad creditum.

Quarto. Si in his mercibus liceret, quãdo expectatur solutio, augere pretiũ, quo magis illud expectaretur, maiori pretio liceret eas vendere: hoc consequens est iniquum & vsurarium, ergo & illud ex quo sequitur. Consequentiam probo, quia sicut se habet minus tempus ad minus augmentum pretii, ita maius & longius tempus ad maius augmentum eiusdem pretii.

5. Si vendentibus in portu liceret carius vendere pecunia credita quando iunctim vendunt, liceret quoq; aliis qui minutim deinde vendunt per vicos & oppida, carius etiam vendere pecunia credita quam præsenti, quod nullus diceret: Consequẽtiam probo ex paritate rationis & negotii, vendunt enim easdem merces, & eadẽ ratione, nẽpe pecunia credita: Quod enim vendant illi iunctim, hi vero minutim, nõ efficit vt vendere carius pecunia credita quam præsenti sit vel non sit vsura, cum hoc ex natura contractus sumendum sit, non ex modo emendi in maiori, vel minori quantitate.

Denique si merces maritimas, quę iunctim venduntur liceret carius vendere pecunia credita quam pręsenti, similiter triticum, vinum, & alias quascunq; res, quando iunctim & in magna quantitate venderẽtur liceret etiam carius vendere pecunia credita, quam præsenti, quod constat iam falsum esse.

Soto lib. 6. q. 4. ar. 1. in fine. Quod etiã docuerunt Magister Victoria, & Cano in lectura huius art. quibus subscribunt plęriq; ex recentioribus Thomistis, vult tales merces quasi ex natura sua, vt pote quia moraliter loquendo non possunt cõmodè vendi aliter quam in magna quantitate, & pecunia credita, tuta conscientia posse vendi carius ad creditum, quam si in præsenti soluerentur.

Probatur hęc sentẽtia à suis authoribus. Huiusmodi merces (vt constat) cum sint pretiosæ, & vendendę in magna quantitate, necessario vendendæ sunt communiter ad creditum, vnde habent ex se ipsis, & ex tali modo vendendi illis coniũcto, vt possint vẽdi diuerso pretio ab eo quo venduntur in numerato: diuersum autem pretium à præsenti & numerato, in his quæ venduntur expectata solutione est illud carius & excedens latitudinẽ pręsentis, ergo possunt istæ merces carius vẽdi pecunia credita quam præsenti. Minor

cum.

enim consequentia certa est. Maior ostenditur, quia diuersus modus vendendi, qui nascitur non ex solo beneplacito contrahentium, sed ex natura mercium, iuste potest variare pretium: merces autem huiusmodi ita vendi, nempe ad creditum, non est ex beneplacito ipsorum contrahentium, sed ex illarum natura, nempe quia sunt tanti valoris, & vendendæ necessario in ea quantitate, in qua nullus est mercator qui pecunia præsenti illas emere valeat.

2. Licet mercator nō debeat semper lucrari, vel manere indemnis, sed debeat esse expositus lucro, & damno propter varia pretia quæ possunt accidere in suis mercibus iuxta varietatem temporum, & mercatus, attamen non debet ita negotia exercere, vt in eis compellatur semper damnum pati, hac enim ratione quis negotiaretur? cessarent necessario contractus omnes, & commertia cum graui damno Reipub. Qua de causa necesse est ita fieri contractus, & talia pretia reperiri, vt plerumque quamuis nihil lucretur vendens, recipiat nihilominus primum rei valorem, & expensas quas fecit, ac quod arbitrio prudentis ipsi necessarium est ad se, suosq; ministros, & onera negotiationis sustinenda: Sed hæ merces maritimæ einsmodi naturæ sunt, vt si mercatores vendentes illas pecunia credita, (qua ratione vt constat compelluntur eas vendere) non venderent carius, quam sit pretium quo aliqua illarum pars (quod rarissimam est) venditur pecunia præsenti, perpetuo in hoc negotio & genere mercium non solum non lucrarentur, verumetiam paterentur grauia damna, tam in capitali, quam in expensis, ergo possunt tuta conscientia carius illas vendere. Minor constat testimonio omnium prudentum, & peritorum in hoc genere negotii. Maior vero probatur. Quia cum aliqua negotiatio vtilis est, imo & necessaria Reip. iuste conceditur lucrum aliquod exercentibus illam, saltim quod necessarium est ad se suosque ministros sustentandos, & sustinenda onera negotiationis illius; huiusmodi autem negotiatio deferendi ad nos merces istas maritimas, etsi plebeis necessaria non sit, Reipub. tamen necessaria est, ad domos magnatum, ad ornamenta Ecclesiarum, & multorum nobilium, quod sufficit vt iudicetur necessaria Reipublicæ.

In hac quæstione, vt cōmode intelligatur veritas, multa necessario obseruanda sunt.

Obseruemus primo, duobus modis posse pretium alicus rei dici præsens: Primo, quod à prudentibus & peritis in illa arte & materia iudicatur res illa tunc valere, siue reddatur statim in numerato, siue expectetur illius solutio: secundo modo, quod redditur statim in præsenti pecunia: quæ duæ rationes seu modi pretii præsentis non sunt necessario coniuncti, sed possunt aliquando simul conuenire, & concurrere in eadem re, quod est per accidens, aliquando vero separantur. Concurrunt simul, quando eodem pretio venduntur pecunia præsenti, quod à peritis & prudentibus eo tempore & loco iudicantur valere, separantur vero, quando iudicātur quidem res tali loco & tempore arbitrio prudentum valere. (v. g.) 10. in foro tamen non est qui pro illis reddat in numerato præter 6. vel 7. ex deffectu emptorum pecunia præsenti, sicut accidit multoties in fine nundinarum, vel ex alia causa.

Obseruemus secundo, ad iustum rei pretiū parū refferre soluatur nē statim, vel differatur eius solutio. Constat illud, quia ante inuentum numisma, quando homines solum vtebantur commutationibus rerum ipsarum, reddebatur iustum pretium offerendo vnam rem equiualentem pro alia, quæ tamen non offerebatur statim, sed sœpe accipiebatur modo vna, deinde vero suo tempore offerebatur alia. Accipiebat quis triticum in Iulio, & reddebat vinum in Decembri, seruabaturq; iustum pretium. Similiter quando aliqua ciuitas est obsessa, æstimatur frumentum magno pretio & iusto, cessetq; sœpe pecunia presens.

Obseruemus tertio, cum triplex sit pretium iustum: aliud legis, aliud fori, aliud in quo conueniunt contrahentes citra omnem fraudem: vbi non est pretium à lege taxatum, iustum sumendum esse aut ex vsu fori, aut ex libero contrahētiū consensu: Hac ratione, in his quæ communiter venduntur in foro, ac vt plurimū pecunia præsenti, pretiū illud est iustū, quod redditur cōmuniter ab emētibus pecunia præsen-

ti, in his vero quæ non venduntur communiter in foro pecunia præsenti, sed aut veniunt raro vendenda, aut raro emuntur pecunia præsenti, licet aliquãdo accidat illa sic vendi, pretiũ iustum est illud, in quo ad arbtrium prudentis contrahẽtes ipsi interse conueniunt V. G. venduntur publice in nundinis equi delati á mercatoribus ex vno loco in alium pretio vt 50. pecunia præsenti, vendit etiam priuatus nobilis equũ pretiosissimũ quẽ domi habebat: poterit ne illum carius vendere? siue pecunia presenti siue credita? vel tenebitur vendere eodem pretio quo in foro alii venduntur? Certum est non teneri, sed posse illũ equum suum carius vendere, & in eo pretio quod periti & prudentes équum illum iudicabunt valere. Ratio est, quia ad pretium fori exiguntur hæc duo, vt res illæ communiter vendantur in foro, & pecunia præsenti, etiam si vendantur aliquæ carũ pecunia credita. Equus autem similis iste, quem diligenter & acurate nobilis ille nutriuit, non venditur communiter in foro. Ex quo sequitur, quæ non venduntur communiter, vel non venduntur ex natura sua pecunia præsenti, proprie non habere forum, neque pretium fori, sed pretium iustum eorum esse illud, in quo contrahentes ipsi ad arbitrium prudentum extra omnem fraudem, omnemq; cupiditatem conueniunt. Sequitur etiam, non esse in his sumendum pretium iustum ex aliqua parte earum, quam accidere potest aliquando sed raro vẽdi pecunia presenti, quia eo ipso quo raro accidit illam ita vendi, non constituit illa forum, & ex consequenti, neq; pretium fori.

Obseruemus quarto in huiusmodi mercibus, quæ ita venduntur in magna quantitate, & ad creditum, totum illud tempus, quod arbitrio prudentum exigitur, vt a primis emptoribus qui iunctim illas emerunt, minutim per vicos & oppida vendantur, ad colligendã pecuniã, ad quã reddendam differtur solutio, etsi Physicæ & Logicæ sit futurum, moraliter tamen loquendo, considerata natura istarum mercium, habẽdum esse tamquam presens: Iudicandũq; esse in hoc contractu, quando per illud solum tempus, quod prudentes iudicant omnino necessarium ad colligendam minutim pecuniam, differtur solutio, ac si pecunia statim numerata merces istæ venderentur. Ratio est, quia quemadmodum qui vendit equum pecunia numerata, licet non statim soluat sed intra 6. vel 8. dies, quia illis indiguit ad habendam pecuniam, non iudicatur vendere illum equum pecunia credita, sed numerata, ita quoque, cum exigant omnino merces istę quasi ex natura sua illud temporis spatium, ad colligendam minutim pecuniam, ex qua soluatur pretiũ, in quo à priori venditore fuerunt emptę in portu: quia (sicut expositum est) ex eisdem minutim deinde venditis colligenda est, efficitur, vt licet venditor non recipiat pretium illud nisi intra 8. vel 10. menses, vel annum, si tantum temporis prudenter iudicatur necessarium ad illas minutim per oppida vendendas, & colligendam pecuniam, non sit iudicandus venditor earum pecunia credita illas vendidisse, sed tamq; pręsenti & numerata annusq; ille iudicandus sit velut tempus pręsens, ex natura huius contractus in tali genere & natura mercium.

Et confirmatur. Si potẽtissimus ille venditor, qui huiusmodi merces adducit, famulos ac ministros suos mitteret per vniuersam prouinciam & regnum, vt merces illas minutim venderent singulis ciuibus in numerato, totum illud tempus quod exigeretur ad illas sic vendendas, iudicaretemp us pręsens, & in quo merces illę venderentur pecunia pręsenti; Sed inferiores mercatores qui ab illo potentissimo emũt perinde se habent velut ministri illius, cũ hi per varia loca discurrentes illas minutim vendant, ad colligendum ex eisdem pretium illi potentissimo ab ipsis debitum nec possũt alia ratione habere in prõptu pecuniam quã illi exhibeant, quanuis ergo non sint illius famuli, & vere ac realiter ministri, cum tamen in illis vendendis, & colligendis pretiis perinde profecto se habeant, ac si illius ministri essent, totum illud tẽpus quod arbitrio prudẽtum exigitur, vt commode minutim vendantur, censendum est velut pręsens in hoc genere contractus, & solutio in eo facta solutio pręsens.

Ex quo sequitur, respectu diuersorum emptorum, vel locorum, posse asignari diuersa tempora solutionum, quia vel propter diuersitatem temporum vel emptorum, vel propter diuersitatem mercium, quas quisque illorum emit, vel propter diuersam quantitatem, arbitrio prudentum maiori tempore censebitur

vnus

vnus indigere quam alter: omnibus nihilominus in eodem pretio eædem merces vendendæ sunt, cum concesso cuiq; debito tempore, idem sit mercium illarum valor & ęstimatio. Ita videmus mercatores etiam timoratos sic exercere hunc contractum, vt prius paciscantur de pretio illarum mercium iuxta earum bonitatem, & valorem ad arbitrium prudentū, nihil agētes de dilatione solutionis, sed perinde ac si statim in numerato esset persoluendū: quo pretio semel constituto ad arbitrium prudentum pro illarum valore, & bonitate, agunt deinde de solutione quando facienda sit: emptor cōtendit illam differre, venditor oppositum, & tandem considerātes prudenter quanto tempore opus sit ad illas minutim per oppida vendēdas, colligendamq; pecuniam, conueniunt de tempore solutionis. Quo circa in hoc contractu pretium non cōstituitur maius habita ratione dilatæ solutionis, sed atenta bonitate rei, expensis factis in mercibus illis per mare asportandis, & eo lucro quod æquum est venditorem habere ad sustinenda onera talis negotiationis, & his omnibus diligenter pensatis vendit eo pretio quod censetur iustum, perinde ac si nō esset differēda solutio. Quod autem partem aliquam vilius, nonnunquam vendat ad necessitates tunc illi occurrentes leuādas, cum id raro faciat, ac sua necessitate compulsus, & ita, vt eo pretio non venderet in magna quantitate suas merces, etiam si in numerato illud solueretur, quia esset illi nociuum, & cum damno tam capitalis quā expensarum, non est in hoc contractu illud atendendum.

Obseruemus quinto, huiusmodi merces, licet in magna quantitate vendantur, nonnunquam tamen ad diuersas species rerum pertinere, quarum vnaquęque suū habet proprium valorem & pretium: quo fit, vt licet non vendantur à maioribus & ditioribus mercatoribus minutim, posint tamen ab eis ita vendi, quin & aliquando accidit, vt ita vendantur, diuisim scilicet per suas species, vt cū potentissimus mercator habet simul aromata pretiosa, tapetes sericos, balsamum, coccum Indicum & similia in vnum collecta: quandoq; vult ea simul & in vno globo vendere, quandoq; vero vnāquāq; speciem istarū merciū seorsum, vt seorsum tapetes, seorsū aromata, & seorsū balsamū. Vnde in alio sensu vtemur hoc loco hac voce diuisim, quā in proxime præcedentibus vsi sumus illa voce minutim: hæc enim significabat ibi minutiores partes eiusdē rei eiusdem speciei, hic autem vox hæc diuisim significabit in præsenti quæstione diuersas merciū species, etsi vnaquęque earum in magna existat quantitate.

Obseruemus vltimo, ex huiusmodi mercibus quasdam esse tanti valoris, & pretii, vt non solum in vnum & in globo collectæ nullum inueniant, qui in numerato & præsenti pecunia illas emat, verumetiam nec diuisas seorsum in suas species, coccū enim Indicū (cuius frequens est apud Indos in ciuitate Angelorum vsus) referunt tanti valoris esse, vt nunquam inueniatur, qui in ea quantitate, in qua solet à ditioribus mercatoribus vendi, pecunia numerata valeat illud emere, sed vēdatur semper ad creditum. Aliæ vero sunt, quæ licet in globo sumptæ non habeant à quibus emātur soluto statim pretio, diuisæ tamem in suas species, & seorsum venditæ possunt commode in numerato vendi, & reperient facile plures emptores pecunia pręsenti.

Quibus positis sit prima conclusio.

Quando huiusmodi merces, vel simul sumptæ vel diuisæ in suas species, & seorsum venditæ habent emptores, qui illarum pretia in numerato persoluant, non possunt illæ carius vendi ad creditum, quam venderentur præsenti solutione, sed pretium earum ad creditum regulandū est ex pretio, quo vedantur aut vendi aliquando solent pretio præsenti.

Ratio est apertissima, Quia aliter vendere, esset augere pretium sola ratione expectatæ solutionis, quod quam iniquum & vsurarium sit, satis constat. Nec de his proprie disputamus, sed de illis, quæ non possunt communiter vendi nisi ad creditum.

Ex hac prima cōclusione sequitur, iniquam esse & vsurariam quorūdam consuetudinem, qui huiusmodi merces, quas licet simul, & in globo possent commode præsenti solutione vendere, nolunt tamen nisi ad creditum, vt ea via confictis quibusdam titulis lucri cessantis, vel similibus, de quibus iam diximus, pretia illarum plus iusto augeantur. Vel cum posint diuisas in suas species in numerato illas vendere, nolunt nisi in globo, & in ea quantitate, in qua nullus inueniatur qui illarum pretium in pręsenti reddere,

dere valeat: sic vendantur ad creditum, & pretium illarum hac ratione plus iusto augeatur.

Secunda conclusio. *Non licet vendere merces istas maritimas (de quibus agimus) maiori pretio, quam à peritis & prudentibus æstimantur tunc valere, eo quod differatur solutio. Licet tamen eas carius vendere, quam in portu vendantur pecunia præsenti, si pretium illud præsens vilius sit, quam periti & prudentes iudicant tunc illas valere.*

Prior pars huius conclusionis probatur argumentis primæ opinionis. Et confirmatur. Res non potest carius vendi, quam sit iustum pretium eius quando traditur, sed quando merces istæ traduntur in portu, pretium iustum earum est, quod prudẽtes & periti iudicant illas tunc valere, ergo propter dilatam solutionem non licet illas carius vendere, quam à peritis iudicatur: aliter quascunq; alias merces liceret etiam carius vendere pecunia credita quã numerata. Maior certa est, probatur minor. Quando in mercibus non est pretium taxatum à lege, neq; certum pretium fori, illud est iustum, quod á peritis & prudentibus iudicatur res illa tunc valere: sed in his mercibus Respub. nullum taxat pretium, neque ex his qui aliquas partes earum in numerato emunt, potest summi aliquis vsus fori, cum hoc raro accidat, & in minima quantitate, quæ comparatione earum quæ venduntur pecunia credita, non est alicuius considerationis in hoc genere mercium: est ergo iustum illarum pretium, quod tali loco & tempore prudentes iudicant illas valere: neq; possunt carius vendi, quam periti & prudentes taxauerint, quantumuis differatur solutio. Et confirmatur: Quia aliter quascunq; merces liceret carius vendere ad creditum, quam pecunia præsenti. Denique per accidens omnino est ad rationem pretii iusti, vt possint merces istę statim & in præsenti solui, vel secus, ergo quamuis tales sint, vt nequeat illarum pretium statim reddi, nihilominus venditor non potest amplius pretii in eis accipere, præter id quod iustũ est; iustum autem in huiusmodi mercibus illud est, quod periti iudicauerint, cum nec lege, nec à communi vsu fori, aliquod certum pretium illæ habeant.

Secunda pars probatur argumentis secundę opinionis. Et confirmatur similiter, argumento quo vsi sumus: Quia quãdo in mercibus non est pretium taxatum á Repub. neq; communi vsu fori, illud est iustum, quod á peritis & prudentibus iudicatur res illa tali loco & tempore omnibus perspectis valere; (vt modo ostendimus) in his mercibus non est aliquod pretium à lege, neq; pauci qui aliquas particulas earum in numerato emunt constituũt illis forum, ergo vendere illas carius quam ab aliquibus emantur pecunia præsenti, in eo tamen pretio quod periti & prudentes iudicant iustum, licitum est.

Secundo quando res venditur pretio iusto iuxta illius bonitatem & valorem, quod deinde venditor cõsentiat in dilationem solutionis illius, non reddit contractum iniustum vel iniquum, sed mercatores probi & timorati (ex vltima obseruatione) sic exercent hunc contractum, vt conueniant prius de iusto pretio iuxta valorem & bonitatem istarum mercium, perinde ac si pecunia præsenti exsoluendum esset, deinde verò, quia natura earum est, vt non possit numerari statim tanta pecuniæ summa, quantã ipsæ valent, sed est necessario colligenda ex eisdem mercibus minutim aliis venditis, expectatur solutio, ergo contractus hic non est iniquus:

Et confirmatur. Esto aliqua exigua pars vendatur vilius, ad obtinẽdam statim aliquam pecuniam, qua mercatores, istarum mercium, cum primum perueniunt ad portus, indigent ad necessitates illis statim occurrentes, at in magna quantitate non conferrent illas venditas in numerato, minoris quam vendant easdem ad creditum, est autem pretium iustũ quarumcunq; mercium illud, quo pleriq; maiorem illarum partem vendunt in numerato, tempore quo illas tradunt, ergo vendentes eas isto pretio, etiam si aliqua pars illarum pecunia presenti vilius vendatur, iustè nihilominus vendunt.

Tertio: In negotiis potissime debet attendi commune bonum; sed istæ merces, quando venduntur in magna copia, si non venderentur in maiori pretio, quam aliqua pars earum venditur nonnullis pecunia presenti, sequeretur magnum detrimentum Reipub: deessent enim mercatores, qui vellent vllomodo incumbere huic negotiationi, & meritò, cum oporteret illos pati grauia damna, priua-

priuaretur quo ex consequentiè Respub. copia istarum mercium, ergo cum non excedat pretium quo venduntur, illud quod á prudentibus & peritis iudicantur tunc valere, censendum est iustum.

Deniq; ita habet communis vsus, non modo approbatus ab omnibus prudentibus & peritis in tali genere mercaturę, verumetiam à grauissimis Theologis: quibus illud ita probantibus, alienum est à ratione condemnare innumeras conscientias, bona fide & extra omnem cupiditatem honestè hanc negotiationem exercentes.

Hæc secunda conclusio intelligenda est de pretio, quod excedat totam latitudinē pretii, quo aliqua pars huiusmodi mercium venderetur in numerato, nam intra latitudinem pretij posse carius vendi ad creditū, quam pecunia pręsenti, nullus vnquam dubitauit, neq; est in quęstione positum. Intelligenda quoque est de mercatoribus, qui easdem merces quas primo iunctim, & in magna quantitate emerunt in portu, vendunt deinde secundo vel tertio aliis mercatoribus in magna etiam quantitate, & iunctim, ita vt nequeant sic venditę habere emptores in numerato, sed ad creditum solum: Hi cum seruent eundem modum vendendi, quem seruant illi priores in portu, possunt etiam vendentes aliis ad creditū carius vendere, quam si aliquas partes illarum mercium aliquibus in numerato venderent, modo vendant pretio arbitrio peritorum & prudentum iusto, pensatis mature ac diligenter pretio quo in portu illas prius emerunt ac laboribus, & expensis quas deinde fecerunt in illis á portu vsq; ad alia loca, in quibus illas deinde vendunt, asportandis.

Tertia Conclusio. *Vbi semel fuerit constitutum, & præfixum tempus solutionis faciendæ, & constitutum iustum pretium, & vtrunq; arbitrio prudentum, addere deinde aliquid illi pretio; quia magis differatur solutio, & protrahatur tempus illud, iniquum est & vsurarium.*

V. G. si venditæ sint merces pretio vt 100. & taxatum tempus solutionis vnicus annus, ita vt arbitrio prudentum pretium illud sit iustum, & tempus illud ad colligendam pecuniam necessarium, si venditor accipiat deinde 110. quia vltra illum annum expetat per aliquod tempus vsura est. Ratio est aperta. Quia in hoc casu, cum ille annus sufficiat arbitrio prudentum ad soluendas istas merces, qui expectat amplius augens pretium, apertissime recipit augmentum illud solo intuitu expectatę solutionis, quod est vsura. Tum etiam, quia vt in quarta obseruatione diximus, annus ille ex propria & peculari ratione emendi merces istas, & soluendi pretia illarum, censetur, ac reputatur tamquam tempus pręsens, & solutio quæ intra illum annum fit, censetur etiam tamquam præsens: ergo qui accipit maiorem pecuniam, quia vltra annum illud, differtur solutio, recipit necessario augmentum illud & superabundantiam sola ratione dilatæ solutionis, quod est vsurarium.

Quarta conclusio. *Quando mercator offerens huiusmodi merces, vt suæ consulat vtilitati, vult vendere pecunia præsenti aliquam illarum partem, vltro illam exponens, quærensq; emptores, licet illam vilius emere, quam vendatur tota copia vel maior pars earundem mercium pecunia credita, & pretio arbitrio prudentum iusto.*

V. g. iudicant prudentes hanc mercem valere pretiū vt 100. & expectandam illius solutionem per 6. menses, vult venditor, vt sibi consulat aliquā illius partem vendere pecunia præsenti, exponit illam quærens illius emptores, licet in hoc casu partem illam vilius emere (v. g.) pretio vt 90. aut 95. Ratio est, quia in hoc casu pars illa mercium est vere vltronea, merces autem vltroneæ vilescunt. Eadem ratione licet, si mercator rogaret emptorem, vt omnes merces illas acciperet, illas omnes vilius in numerato emere, quam venderentur pecunia credita, quia tunc omnes illæ essent vltroneę.

Ex hac ratione constat, quod aliqui dubitant, qua ratione iustum esse posit, vt mercatore afferente (v. g.) 100. saccos harum mercium quorum 90. non vendet minus quam acceptis 100. aureis pro singulo quoque illorum, liceat tamen emere 10. quos statim vt suis occurat necessitatibus, venales exponit, pretio vt 90? Qua enim ratione vna & eadem res immutata potest habere eodem loco, & tempore pretia adeo varia? Ratio ergo est, quia cum hi 10. sint merces vltroneę, 90. vero quos non exponit, non sint merces vltroneæ, licet illos 10. vilius emere, quā vēdentur deinde ab illo alii 90. qui vltronei nō sunt, quia variatur in his modus vēdēdi: aliud enim est rogare emptorem,

rem, aliud vero & maxime diuersum rogari ab illo.

Vltima conclusio. *Mercatores qui a primis venditoribus emerunt in portu, quando eas de merces minutim deinde, & vlnatim (vt dicunt) vendunt in priuatis oppidis Regni, non possunt illas carius vendere pecunia credita, quam numerata.*

Hanc conclusionem probant etiam argumenta illa primæ opinionis, eamq; illi primæ opinioni libenter concedimus. Et confirmatur, quia hæ merces tunc solum habent distinctum modum vendendi, quando venduntur iunctim, & in magna quantitate in portu: qua de causa possunt tunc vendi pretio distincto pecunia credita, quam præsenti: at quando minutim venduntur, cõueniunt cum aliis mercibus, quibus communiter vtimur, cum minutim venditæ possint pretium carũ statim exsolui, nec exposcant vt vendãtur pecunia credita: debet ergo vt iustũ earum pretiũ esse, quod pecunia præsenti valent, & consequenter illud idem iustum etiam est, quando venduntur pecunia credita, nec carius vendi possunt. Et in hoc sensu est intelligendus Soto cum dicit, non posse istos secundos venditores carius vendere pecunia credita, quam præsenti: intelligendus inquam est, quando minutim vendũt in priuatis oppidis. Quia si ipsi vendant quoque aliis iunctim, & in magna quantitate, possunt tunc carius vendere pecunia credita quam præsenti, cum eædem rationes existant in ipsis, quæ in illis primis venditoribus qui vendunt in portu.

Nunc ad argumenti in oppositum. Imprimis dico D. Thom. & antiquos Theologos statuentes illam vniuersalem regulã, non licere carius vendere pecunia credita quam præsenti, intelligendos esse formaliter, quasi dicant, non licere sub ea ratione, nempe quia vendatur pecunia credita, & ratione expectatæ solutionis. In hoc autem casu, mercator afferens merces istas maritimas, quando vendit aliquam partem in numerato vilius, & maiorem partem ad creditum carius, non vendit hanc carius, eo quod vendat pecunia credita, & expectata solutione, sed quia pretium illud arbitrio prudentum in tali modo vendendi est iustum, & res ipsę iuxta suum propriũ valorem illud valent, imo simpliciter & absolute illud valent. Quod si aliquam partem in numerato vilius vendat, non ita vẽdit, quia illud pretium carius non sit iustum, sed quia partem illã vendit vltroneã, vt sibi subueniat, quærens & rogans emptorem, merces autẽm vltroneæ vilescunt: vnde doctrina ista Diui Thomę, & antiquorum non aduersatur sententię nostræ.

Ad argumentum ergo primum similiter Respondeo, Si varii mercatores concurrant ad portum, quorum vnus vilius emat pecunia præsenti, alter vero carius pecunia credita, vtrumque iuste emere, nec esse inconueniens, vt eodem tempore eadem res habeat diuersa pretia: quia licet maneat eadem omnino & immutata secundum se, mutatur tamen modus vendendi illam; quę enim venditur pecunia credita non venditur vt vltronea, & ita vẽditur suo iusto pretio arbitrio prudentum, quæ vero venditur in numerato, venditur vt vltronea, & ita venditur vilius. Quocirca in casu huius argumenti, neq; qui vilius emit, ita emit, quia anticipet solutionem, neque qui cariꝰ emit, ita emit, propterea quod illa differatur: sed cum hic non emat merces vltroneas, emit in toto rigore iusti pretii, alter vero cũ emat vltroneas, non emit in toto rigore iusti pretii. Et ita vterq; iuste emit. Eodem modo soluitur quod affertur in confirmationem primi argumenti.

Ad secundum respondeo, illud paruum tempus quod expectatur in hoc contractu iudicari præsens, vt expositum est: quo fit, vt nihil recipiatur ratione expectatæ solutionis: quod intelligendum est a parte rei, & ex natura huius contractus: etenim si mercator aliquis ideo carius vẽderet, & non alio nomine, quam quia expectat solutionem, ille certe vsuram cõmitteret ex sua consciẽtia erronea, & mala intentione, tenereturq; illud restituere propter suam conscientiam erroneam, quandiu illam non deponeret, sicut infra dicemus de vsurario mentali, qui ex intentione sua aliquid recipit tamquã ex vi mutui, cum tamen mutuatarius non instituat exhibere illud nisi libere, & gratis. Dico etiam sicut in præcedenti argumẽto, vendentem huiusmodi merces carius pecunia credita, non ideo carius vendere, quia differatur solutio, sed quia illud est pretium iustum, quando non vendit illas tamquam vltroneas.

Ad tertium respondeo, 12. aureos in futuro soluendos, si certi & securi sint, valere 12. nec minus: at merces quæ solent

dę in

dæ in futuro valent 12. quia illud est iustũ pretium earum, quando non venduntur vltroneę, si vltroneè vendatur iustũ quoque esse illarum pretium sola 10. quod si emptor iste qui viliori pretio emit aliquã exiguam quantitatem, quam vendit mercator ille vltroneè ad redimendam suam necessitatem, intenderet etiam magnã illarum copiam eodem pretio viliori emere, non intenderet iustam emptionem, quia pateretur sic vendens magnum detrimentum, nisi vellet omnes illas merces exponere vltroneas, quod de viro prudenti non est sentiendum.

Quartum argumentum dilutum manet ex tertia conclusione, quia expectare tempus quod exigit solutio harum mercium, est propriũ, & de natura huius cõtractus, & totũ illud tempus, quod exigitur ex natura eius ad soluendum iudicatur præsens: expectare vero amplius, ac ea ratione augere pretium, esset augere illud solo intuitu expectatæ solutionis, quod non licet.

Quintũ quoque dilutum manet ex vltima conclusione, iuxta quam, vbi merces istæ minutim venduntur, iam non retinẽt illum modum quo venditę sunt in portu, sed habent se sicut aliæ merces, quę cõmuniter venduntur in foro, in quibus illud solum pretium est iustum, quod valent cõmuni vsu fori in numerato solutę. Quia cum primum venduntur merces istæ maritimæ minutim, potest cõmode haberi pretium illarum in pecunia præsenti, qua de causa dicimus minutim venditas esse eiusdem rationis cum aliis.

Eodem modo diluitur vltimum, id non licere in aliis mercibus pane, vino, &c. quia etsi vendantur in magna quantitate, non tamen est de propria ratione earum vt ita vendantur, neq; illis natura sua conuenit, vt non possit facile haberi pretiũ earum in pręsenti.

His explicatis illud nunc oportet expendamus.

Controuersia. XXV.

SVB QVA SPECIE, ET QVA *ratione res mutuo accepta sit restituenda à mutuatario?*

ACCIDIT nonnunquam Petrũ mutuare Ioanni frumentum aliquod, vel quid simile, (nam idem oportebit esse iudiciũ de vino, oleo, melle, & aliis rebus quę vsu consumuntur, & circa quas versatur mutuum) eo tempore, quo mensura frumenti valet 100. argenteos, tempore vero quo illud restituitur valet eadem mensura similis tritici 80. argenteos igitur nunc Quærimus.

An quando triticum illud mutuo acceptum tempore restitutionis minus valet, quam tempore quo fuit mutuatum, debeat Ioannes mutuatarius maiorem quantitatem tritici restituere Petro, vel sufficiat vt restituat illi totidem mensuras, quod accepit, modo triticum illud eiusdem sit bonitatis, & sortis.

Similis quęstio est. Si triticum tempore restitutionis pluris valeat quàm antea, tempore mutui, satisfaciat ne Ioannes restituẽdo Petro eas tantum mensuras, quarũ valor & pretium tẽpore solutionis sit ęquale pretio, quod valebant illæ quas antea mutuo acceperat à Petro, vel debeat potius totidem mensuras illi restituere tritici eiusdem bonitatis, quidquid sit de inæqualitate illa, & differentia pretii.

Ioan. Medina Cod. De rebus restituen. quæst. illa 38. causa 6. §. *Si autem venditor, &c.* refert sententiam quorundam Iuristarum, quorum nomina silet, asserentium absolute, & sine vlla distinctione licere mutuare triticum sub ea conditione, vt teneatur mutuatarius restituere illud in eadem quantitate, & mensura, & eiusdem bonitatis, ac sortis. Qua opinione proposita sentit Medina in hac quæstione sic distinguendum esse, vt vel mutuans esset triticum illud seruaturus vsq; ad tempus in quo sibi restituendum est, vel non: si esset illud seruaturus vsq; ad tempus solutionis, teneatur mutuatarius restituere illi totidem mẽsuras, quod ab illo accepit eiusdem bonitatis ac sortis, deductis tamen expensis quas oportuisset mutuantem facere in eo custodiendo, & conseruando vsq; ad illud tempus.

Hanc partem non probat ibi Medina, potest tamen probari, quia mutuatarius debet mutuantem à quo beneficium accepit (vt superius dicebamus) seruare indemnem, at nisi seruaturo triticũ, quod mutuauit, restitueretur eadem mensurę tritici, & eiusdem bonitatis & sortis, deductis expẽsis, quas diximus, sed pauciores, vel triticũ minus pretiosum, certe reciperet mutuans à mutuatario damnum ex beneficio, quod & charitati pugnat, & iustitiæ huius contractus: cũ in mutuo debeat fieri

restitutio secundum æqualitatem.

Si vero mutuans nõ erat seruaturus triticũ vsq; prefixum tẽpus solutioni, & in eo tempore certum est, vel saltim verisimile triticum illud plus valiturum, quã valeret antea tempore quo mutuatum fuit, iniquũ esse & vsurarium exigere á mutuatario, vt teneatur totidem mẽsuras tritici restituere quot accepit, & eiusdem bonitatis: sed sat esse ad seruãdam æqualitatem, vt restituat tantum tritici, cuius valor iuxta pretium quod habet tempore solutionis, æquetur pretio quod valebat illud, quod mutuatum fuit tempore mutui. Ita vt si tempore mutui valebat mẽsura illius tritici, quam mutuo accepit Ioannes à Petro (v. g.) 6. argenteos, deinde vero tempore quo restituẽdum est, valeat 12. sufficiat Ioannem restituere illi pretium vt 6. argenteos, vel dimidium illius mensurę quod eo tempore valet 6. quia isti 6. argentei, vel dimidi a mensura illius tritici, cum sit eiusdem bonitatis, sunt æqualis valoris cum valore quem habebat integra mensura tempore mutui. Similiter, si tempore mutui mensura illa valebat 12, argenteos, tempore vero solutionis valeat solum 6. non satisfacit in quit secũdum equalitatem, & iustitiã mutuatarius, restituendo vnam mensuram eiusdem tritici, vel pręsentem valorem eius nempe 6. argenteos, sed tenetur restituere vel duas mensuras, vel 12. argenteos, quia valori mẽsurę, quam accepit tempore mutui valentis 12. argenteos, non æquãtur tempore solutionis nisi duæ mẽsure eiusdem tritici, aut 12. argentei.

Probatur hæc pars primo. Si mẽsura tritici tempore mutuationis valeat (v, g.) 4. & tempore solutionis speratur valitura 8. mutuans vero mẽsurã illam sub ea conditione mutuet, vt sit recepturus tempore solutionis equalem mensuram, & eiusdem tritici, perinde se habet, ac si mutuasset 4. recepturus deinde 8. hoc autem est aperta vsura, ergo & illud.

2. Ad iustitiã restitutionis, quã postulat contractus mutui, solum exigitur restitutio eiusdẽ rei, vel æquiualentis, ergo mutuanti triticum, quod tempore mutui valebat 4. non debebit mutuatarius restituere triticũ, quod tempore solutionis valeat 8. sed sufficit restituat eam quantitatem tritici, quæ tunc valeat 4.

Tertio Si mutuans mensuram tritici teneatur similem & æqualem mensuram restituere, eodẽ modo si mutuans hodie 100. aureos valituros deinde 110. posset tempore solutionis recipere 110. hoc autẽ est vsura, quia reciperet ex illo mutuo lucrum illud vt 10. extra sortem: ergo & illud.

Quarto Si posset mutuans recipere eandem mẽsuram tritici quam exhibuit, posset, si illa quam exhibuit valebat 6. differre restitutionem illius tritici, dissimulando cũ mutuatario vsq; ad tempus, quo eadem mensura valeret 8. vel 10. & hac ratione sub titulo mutui lucra vsuraria quęrere, quod est maximum absurdum, & parare viam multis vsuris. Ne igitur contractus hic vsurarius sit, & ne mutuans ex mutuo lucrum recipiat, debet mutuans contentus esse tempore solutionis restituto sibi tritico illo, vel re mutuata, non in æquali mensura, sed in æquali valore, & pretio, quod illa valebat tempore mutuationis. Et similiter mutuatarius non satisfacit restituta re, quã mutuo accipit in æquali mensura, sed in equali valore & pretio.

Vnde infert Medina licere mutuanti pacisci cum mutuatario, vt restituat sibi eandem mensuram tritici in duplici casu: Primo, quando (vt dictũ est) triticum illud instituebat seruare in tempus, in quo facie nda est solutio. Secundo, quãdo probabile est, & verisimile, mensuram illius tritici eiusdem pretii & valoris futurã esse tempore solutionis, quod habet tempore mutuationis: quia tunc æqua est vtriusq; conditio. Sicut enim mutuans exponit se periculo non recipiendi nisi vnam mensuram, etsi minus valeat, ita quoq; mutuatarius exponit se periculo restituendi integrã mensuram, etsi magis tunc valeat. Eandem sententiam habuit aperte prius Syluester verb. vsura, q. 14.

Soto lib. 6. de iusti. q. 1. ar. 2. vt suam explicet sententiam, ita distinguit, vt Petrus conferens triticum Ioanni, duobus modis possit illud ei credere, vel ita, vt tempore solutionis reddat Ioannes pretiũ, quo tunc vendebatur, siue carius illud deinde estimetur, siue vilius, quod proprie nõ est mutuatio de qua hîc agimus, sed vẽditio & in hoc casu certum est ac perspicuũ, vt si mẽsura tritici tempore mutui valebat (v. g.) 8. argenteos, deinde vero tempore solutionis ex abũdantia messis valeat solum quatuor teneri Ioannem ad restituendum Petro vel 8. argenteos, vel duas mensuras tritici equiualentes 8. argenteis: quia in eo pretio fuit triticum illud ei venditum, & totum hoc pretium, vel rem illi æquiualentem debet.

Vel

Vel contulit inquit Petrus Ioanni triticũ, restituendum sibi in alio tritico, ita vt non fuerit contractus ille vẽditionis pro aliquo pretio, sed vera mutuatio cum debito restituendi rem eiusdem speciei, & bonitatis, ac æqualis mensuræ, quod est proprius & genuinus contractui mutui.

Rursum si Petrus confert Ioanni triticũ hoc secundo modo, id est sub vera & propria ratione mutui, vel ita vt conueniat cum illo de certa die & tempore, in quo debebat Ioannes terticum mutuo acceptũ restituere, vel ita vt nullum sit asignatum inter eos tempus aut dies, sed liberum sit Petro exigere illud quando voluerit, & similiter Ioanni restituere illud quando ei libuerit. Demum si certa dies vel tempus asignatum sit & constitutum, vel ita, vt quãuis illud ita cõstitutũ sit, posit nihilominus Ioannes si voluerit antea illud restituere: ita vt pactum illud de facienda restitutione tritici, vel rei mutuo acceptę tali termino non prohibeat, quin posit Ioãnes antea illud restituere, sed prohibeat tantum ne posit Petrus antea exigere: vel ita est sit, dies illa seu tempus designatum, vt non liceat Ioanni terminum illum pręuenire, & ante illum si voluerit restituere, sed in eo præcise illud debeat, quia credit Petrus maius pretiũ tunc illud valiturum.

His positis tria habet Soto circa propositam quæstionem.

Primum est ac Absolute, & simpliciter, secundum propriam rationem mutui debet mutuatarius restituere mutuanti eandẽ mensuram tritici, quam accepit, eiusdem bonitatis & fortis, ita vt nec teneatur ad amplius, nec debeat minus, siue tempore solutionis triticum illud maiori pretio vẽdatur, siue minori, quam valeret tempore mutui. Probat hanc partem, quia mutuatarius ex propria & præcisa ratione mutui non debet mutuanti pretiũ rei sibi mutuatę sed similem solum rem, in eadem specie, & bonitate, & secundum æqualitatem.

Secundum est, Si inter mutuantem & mutuatarium non sit constitutum certum ac diffinitum tẽpus solutionis mutui, potest mutuans repetere ac exigere rem illi mutuatam, eo tempore quo viderit illam in maiori vel maximo pretio existere. Poterit quidem mutuans (inquit Soto) peccare in hoc casu contra charitatem ex auaritia, & nimia cupiditate lucrandi, non tamẽ contra Iustitiam, nisi ipse operam daret, ne mutuatarius antea solueret; sed eo solum tẽpore, quo res illa carius vendetur. Siquidem opera & industria mutuãtis efficiatur, ne mutuatarius quando ipsi vtile & commodum erat, rem illam restituat, peccauit tunc contra Iustitiam, quia cum non esset pręfixum certum tempus, sed liberum illi esset restituere quãdo vellet, mutuans prohibens vel impediens ne tunc solueret, priuauit illum iure suo, nocuitq; illi cum iniuria, quod est aperta iniustitia. Quod si mutuans non prohibuit, nec dedit operã, quin potuerit alter restituere quãdo voluit, nullam exercet iniustitiam exigendo eo tempore, quo frumentum illud maiori pretio venditur; quia cum non sit præfixum tempus, habet ius & facultatem ad exigendam rem mutuatam cum primum sibi placuerit, qui autem vtitur iure suo nulli facit iniuriã Quod uero illi damnũ sit tunc restituere, ipsi imputetur, qui noluit suæ vtilitati cõsulere, restituendo quando res illa vilius æstimabatur, cum potuerit.

Tertiũ est, Si ita asignetur solationis tẽpus, ut nõ liceat mutuatario illud præuenire, cõtractus est iniquus, & vsurarius. Probat: quia sic mutuans cum obliget mutuatarium ad restituendum in eo solũ tempore, in quo res illa magis creditur valitura, & nõ antea, aperte mutuat vt lucrum illud recipiat ex mutuo, quod est aperta vsura. Ex hoc tertio dicto colligitur iuxta Sotum non esse iniquum, vel usurariũ, constituere certum terminnm in quo fiat solutio mutui, & non antea, quando ignoratur sit ne res illa eo tempore magis valitura, sed res est ex æquo dubia, in quo videtur cõuenire cum Medina: quia tunc æqua est vtriusq; conditio, cũ vterq; ex æquo se ipsum exponat periculo, & commodo maioris, vel minoris pretij illius rei.

Hanc sententiam videtur etiam amplecti D. Nauar. in Manu. c. 17. nu. 224.

In hac quæstione, quæ ab his DD. afferuntur aliqua ex parte disident, & aliqua ex parte conueniunt, eritq; necessario ex his quæ vtrique docent vera propositæ cõtrouersiæ explicatio colligenda.

Obseruandum ergo imprimis hoc loco est, verisimum esse discrimem quod ab vtriusq; constituitur inter vẽditionem quę sit pecunia credita, soluenda tempore maioris pretii, quando venditor non erat seruaturus mercem suam in illud, & inter mutuum restituendum tempore maioris pretii quia in venditione emptor solũ obligatur ad reddendũ iustum pretium in quo emit, & in

& in quo æstimabatur frumentum eo tempore quo fuit illi traditum, & facta vera ac realis illius venditio, iuxta ea quæ superius diximus, siue tempore solutionis mutatum sit illius pretium, siue non, ita vt si emerit mensuram tritici pretio vt 4. non teneatur ad reddendum 6. vel aliam mensuram tritici eiusdem sortis, sed solum 4. vel portionem tritici valentem 4. vbi non habuerit pecuniam, sed triticū in quo soluat, quia sola 4. sunt iustum pretium tritici quod debet. In mutuatione vero, ex propria natura & ratione mutui, non tenetur mutuarius reddere pretiū aliquod rei quā accepit, sed similem in mēsura & qualitate. Hoc discrimē colligitur necessario ex propriis rationibus & definitionibus horum contractuum: definita enim est vēditio distractio rei, pro pretio. Mutuatio vero exhibitio rei cum debito restituendi eādem vel similem, in eadem quantitate & mensura. Vnde primum illud dictum Magistri Soto necessario est admittendum in quacunq; opinione, vt si mensura tritici tempore mutui valebat 4. deinde vero tēpore solutionis valeat 8. mutuatarium teneri ad restituēdum vel eandem mensuram tritici eiusdem bonitatis & sortis, vel, (siue conuenerint, vt restitutio illa fieret in pecunia, siue ita oporteat illā fieri, quia non habet copiam similis tritici in quo restituat) debere restituere 8 quia quatuor non sunt quid æquiualens rei mutuatæ, ex natura autem mutui restituenda est vel res eadem specie eiusdem bonitatis & mensuræ, aut æquiualens. Neq; hoc negant vel negare possunt Sylu. & Medina: Imo docet illud aperte Silu. loco citato initio illius quęstionis, affertq; in eandem sententiam Petrum Ancarra. Cap. Vsurarum. De vsuris in 6. Ioan. Calderi. Cap. Fina. De vsuris. & Rodolf. Quamuis addat ibi Syluest. oportere vt sit dubium, num res illa tempore solutionis sit plus vel minus valitura: Sed siue ita dubitetur, siue credatur plus valitura, profecto ex propria natura mutui, maxime vbi non præfingitur certus terminus, sed liberum est mutuatario restituere illam cum primum voluerit, solū tenetur ad restituendum eandem rem eiusdem bonitatis & mēsurę: nec debet minus vel magis restituere, quidquid sit de valore illius in tempore solutionis, accidentaria enim maxime est ad rationem mutui, & ad restitutionem, quę ex vi mutui debetur, mutatio pretii tempore solutionis.

Tota ergo difficultas est.

Num ex aliqua circunstantia possit obligari mutuatarius ad reddendum rem mutuatam in maiori pretio, vel debeat mutuans illam recipere in minori.

Quod vt explicetur negari profecto nō potest, plurimum facere vtramq; distinctionē istarum opinionum. Eam quam afferūt Sylu. & Medina nempe, Esset ne mutuans rem illam statim vēditurus, vel seruaturus in aliud tempus, in quo credebatur magis valitura. Etenim cū mutuās possit se ipsum seruare indemnem, si rem quam mutuat, erat tunc vēditurus quia valebat 8. poterit obligare mutuatarium, vt tempore solutionis reddat illi similem, & valentē etiam 8. aliter ex mutuo reciperet damnum. Similiter si tempore mutui valebat solum 4. in stituebat vero seruare illam in tēpus, quo valeret vt 8. mutuatarius vero restituat illā tempore quo nō valet nisi 4. etsi videatur restituere ad æqualitatem, posita tamen intentione illa mutuantis, volentis rem illam seruare in tempus quo probabiliter credebatur valitura 8. recipit dāmum ex illo mutuo. Similiter si constituatur in terminum solutionis tempus in quo res illa maius pretium habitura est, & sub ea conditione, vt non possit mutuatarius antea illam restituere suæ vtilitati consulens, perspicuum est sic mutuātem ex mutuo lucra captare, quod est vsurarium.

Quamuis ergo absolute, & simpliciter, si solam nudamq; consideremus naturam & rationem mutui, res accepta restituēda sit in eadem specie, & eiusdem bonitatis & mensuræ, ex circunstantia tamen vel temporis, vel intentionis ipsius mutuātis accidere potest, vt aliter debeat restitutio ista fieri. Vnde distinguendum est necessario Cum Sylu. & Medina inter mutuantem qui rem suam in aliud tempus vendendā, vel expendendam seruare decreuerat, & eum qui non erat illam seruaturus. Similiter inter mutuātem qui rem illam tempore mutui cum lucro vendere instituebat, & eum qui non habebat illam vt venderet, sed in sustentationem tantum familię suæ illam seruabat.

Distinguendum etiam necessario est cū Soto, inter mutuum cuius solutioni nulla pręfigitur dies, neq; assignatur certum tēpus, & mutuum cui illud assignatur. Rursumq; quādo illud assignatur, prohibeatur ne mutuatarius antea rē mutuatā restituere vel nō prohibeatur sed possit cū voluerit.

Sit

Sit ergo prima conclusio. *Si mutuatio fiat constituto quidem certo termino, sed ita vt liberum sit mutuatario antea rem illam restituere, siue mutuans intenderet seruare illam in illud tempus, siue non, nulla est iniquitas vel vsura exigere illam in eo termino, esto credatur illa tunc plus valitura.*

In has conuenimus cum Soto, & recedimus à Syluestro & Medina, quatenus ad iustitiã huius contractus. Præter conditionem istam, vt sit liberum mutuatario restituere quando voluerit, exigunt ipsi aliã, vt mutuans esset seruaturus rem quam mutuat in illud tempus: sed sufficit prior illa conditio, nec exigitur hæc posterior. Probatur recte ratione Soti. Quia cum liberum sit mutuatario restituere, quãdo voluerit, certum illud tempus constitutum à mutuante, vt terminus solutionis, proprie & directe non est constitutũ, vt ex mutuo ipse lucrum reportet, sed tanquam terminus ante quem non potest rem mutuatam repetere, & exigere, quod est in vtilitatem mutuatarii: quod vero nolente illo antea restituere, sed in termino recipiat mutuans rem maioris pretii, hoc per accidens est, non ex vi mutui, sed ex negligentia potius mutuatarii, qui noluit antea restituere, cum libere potuerit.

Confirmatur. Cum de ratione mutui sit, vt reddatur res eadem vel similis, & eiusdem bonitatis ac mensuræ, quotiescunque mutuatarius per mutuum nõ obligatur ad amplius, contractus iustus est & honestus, potest enim in omni contractu alter contrahentium obligare alterũ, ad ea quæ intrinseca sunt illi contractui, ac de propria ratione illius: at in casu huius cõclusionis mutuans solum obligat mutuatarium ad reddendam rem similem in eadem bonitate, & mensura, cum terminus ille, non priuet illum facultate restituendi quando voluerit, & cum sua commoditate, sed solum obliget mutuantem ne possit antea repetere; ergo hic contractus iustus est, & honestus. Quod vero ex negligentia mutuatarii non soluentis, nisi eo tempore, quo res illa magis valet, mutuans lucrum recipiat, cum hoc (vt modo dicebam) accidentariũ sit, non vitiat iustitiam contractus.

Hæc conclusio intelligenda est, quando mutuans non certo cognoscit mutuatariũ non posse rem illam restituere, nisi eo tempore, quo futura est maior illius æstimatio, quia vbi illud certo nosceret, perinde se haberet, ac si obligaret mutuatarium ad restituendum tempore maioris æstimationis, & tempore quo certo reciperet lucrum ex illo mutuo.

Secunda conclusio. *Si mutuans erat venditurus rem, quam mutuat tempore mutui cum vtilitate ac commodo suo, potest exigere a mutuatario, vt illam sibi restituat in eodem valore, & pretio, quod habebat tempore mutui.*

Patet ex dictis. Quia aliter reciperet dãnum ex mutuo, cum tamen liceat mutuanti seipsum seruare indemnem, & pacisci cum mutuatario de damno sibi emergẽte. (V. g.) Mutuat Petrus Ioãni in Ianuario mensuram tritici valentem tunc 10. argenteos, & quam tunc instituebat vendere, vt ex ea illos 10. argenteos reciperet, potest conuenire cum Ioanne, vt restituat illi tẽpore solutionis illius mutui, vel 10. argenteos, vel triticum valens 10. argenteos. Tum, quia aliter reciperet damnũ ex mutuo, Tum, quia mutuans rem quam tunc instituebat vendere, perinde se habet, ac si vendat illam mutuanti pro pretio tunc iusto, vel re illi pretio æquiualenti.

Tertia conclusio. *Si mutuatio fiat assignato certo tempore solutionis, & æqualiter dubium sit, num magis vel minus sit eo tempore valitura, potest mutuans obligare mutuatariũ ad reddendam illam in eo tempore, & non antea, siue res illa vsq; in illud tempus seruanda esset ab ipso, siue non.*

In hac conclusione conueniunt ambæ opiniones. Quia vbi ita dubitatur de valore illius rei tempore solutionis, æqua est vtriusq; conditio quo ad valorem & pretium, æqua etiam quo ad rei recuperationem: quia sicut obligatur mutuatarius ad non restituendam illam vsq; ad terminum illum, ita & mutuans ad non repetendum vsq; ad eundem terminum: contractus autem in quo vterq; contrahentium æqualiter se exponunt damno, vel commodo, & in quo vterq; similiter sibi imponit obligationem, iustus est & honestus.

Sed obiicies. In hoc cõtractu ad aliquid amplius obligatur mutuatarius, quam mutuans, ergo non est æqua vtriusq; cõditio: Probatur antecedens: Mutuans iã ex propria ratione mutui, tenetur expectare rei suæ restitutionem per aliquod tempus, ergo quod illud expectet, nec antea repetat, non est aliqua noua obligatio, quã sibi imponit, sed quod est proprium & intrinsecũ mutuo. Mutuatarius vero cum possit libere rem mutuo acceptam, cum primũ voluerit restituere, quod debeat ita expectare ter-

te ter-

re terminum, vt non sit illi liberum antea restituere, etiam si possit & velit, certe imponit sibi obligationem, quam non habet ex natura mutui, vnde ad aliquid amplius obligatur mutuatarius quã mutuãs. Respõdeo, cũ cõmuni hominũ arbitrio dilatio solutionis sit in fauorẽ mutuatarii, non esse censendam obligationem istam grauamẽ, nisi quãdo ita occurrit illi periculũ reddẽdi aliquid amplius quam acceptum sit, vel quam opporteret ipsum reddere, vt alteri contrahenti nempe mutuanti non occurrat simile, & æquale periculum minus accipiendi, quam mutuauit, vel quam opporteret ipsum accipere: In hoc autẽ casu, cum res sit æqualiter dubia, vterq; manet expositus eidem periculo, mutuatarius reddendi forsan plusquam accipit, si tempore solutionis res illa magis valeat, & mutuãs periculo recipiendi forsan minus quã mutuauit, si res illa minus tunc valeat, quã valeret tempore quo mutuauit. Vnde in hoc casu sit tamquam regula certa: Tunc committi vsurã, quando ex vi mutui obligatur mutuatarius ad aliquid amplius quã mutuans, ratione cuius suscipit in se grauamen aliquod, vel periculum pretio æstimabile, cuius simile non suscipit mutuãs, Est enim vsurarium, ex mutuo alterum manere in periculo, altero posito in tuto.

Quarta conclusio. *Quando mutuans postulat eandem rem, & in eadem mensura sibi restitui, constituens certum tempus solutionis, ante quod non possit mutuatarius rem illam restituere; & certo vel probabiliter scit tunc illam magis valituram, sed instituebat ac decreuerat rem illam vsq; ad tempus illud seruare, nulla est iniquitas vel vsura.*

Hæc est Medinæ loco cita. sed contra Syluestrum loco cita. & Hostien. quem ibi adducit. Sentit enim Syluester eo loco, vt possit mutuans exigere eandem rem sibi restitui eiusdem bonitatis, & mensuræ, tẽpore quo creditur plus illa valitura, exigi duplicem conditionem, nempe vt mutuãs esset illam seruaturus vsq; in illud tempus, ac vt reliquerit mutuatario liberam facultatem restituendi eam, quando voluerit, Sed reuera in casu huius quartæ conclusionis non exigitur hæc secunda conditio, sed potest mutuãs illud exigere, etiã si ita constituerit illi certum terminum solutionis, vt non possit mutuatarius illum præuenire. Et probatur aperte. Mutuans potest exigere à mutuatario damnũ emergens, & lucrũ sibi vere cessans ex mutuo; at qui mutuat in Septembri triticũ quod decreuerat seruare in Aprilem, restituendũ sibi Aprili, nisi posset conuenire cum mutuatario, vt teneatur restituere illi in Aprili æqualem mensuram tritici eiusdem bonitatis & sortis, ita vt non antea pateretur damnum, ergo potest cum illo ita conuenire. Maior satis cõstat ex superioribus: probatur minor. Quia si non restituat illi eandem mensuram & eiusdem bonitatis ac sortis, sed vel minorem mensuram, vel triticum minus pretiosum, quicunq; deffectus istorum cedit in damnũ mutuantis. Etenim si antea illud restituat, potest accidere, mutuantẽ, cum conuenisset non recipere illud vsq; ad Aprilem, habere officinas domus suæ in quibus poterat illud cõmode seruare nisi mutuasset, nõnullis aliis mercibus occupatas, importuneq; ac sine commoditate loci debere recipere triticũ illud, ante terminum præfixum ipsi restitutũ. Tum etiam vt teneatur forsan vilius illud vendere ex incommoditate loci; vel alia simili, quam vendidisset seruatum in tempus in quo seruare decreuerat: Hæc omnia, & similia, quæ ex anticipata restitutione tritici in casu de quo loquimur accidere possunt, damna sunt mutuantis, à quibus vt se ipsum liberum & indemnem seruet, licet ei exigere á mutuatario quæ habet hæc quarta conclusio.

Obseruandum autem est in hac conclusione, quod superius iam admonuimus ex Medina, deducendis esse ex re illa mutuata, vel valore illius omnes expensas, quas oporteret mutuantem facere in illa custodienda, & conseruanda vsq; ad tempus præfixum restitutioni ac solutioni illius.

Ex eadem conclusione sequitur aperte, mutuantem qui non erat seruaturus rem illam vsq; in illud tempus, iniquitatem & vsuram committere, si obliget mutuatarium ad rem illam reddendam, eo tempore quo creditur illa plus esse valitura, ita vt non possit antea illam restituere: quia sic obligans mutuatarium excessum valoris reuera quærit, & captat tamquam lucrum ex mutuo. Dices, rem mutuatã magis vel minus valere tempore solutionis, quam tempore mutuationis, per accidens se habet ad rationem mutui, ergo sicut licet mutuanti constituere certum tempus restitutionis, quod non possit mutuatarius præuenire, quando æqualiter dubium est, sit ne res illa tẽpore solutionis futura maioris vel minoris pretii, ita quoque licebit certum

certum tempus illi constituere, & sub eadem conditione, quamuis credatur eo tempore plus valitura, Respondeo, imo plurimum facere illud ad ratione mutui, quia quando res certo ac probabiliter creditur tempore solutionis plus valitura, cōstituere illud tempus ita præfixum & determinatum, vt non liceat illud preuenire, est reuera mutuantem intendere ac quærere excessum illum pretii, tamquam lucrum ex mutuo illo, quando autem res est æqualiter dubia, non intenditur, neq; prouenit lucrum illud ex illo mutuo, sed ex felici fortuna, quę ita illi fauit, vt res quæ poterat minus valere magis valeat. Quod adeo certum est, vt in huiusmodi & similibus contractibus ex certitudine vel incertitudine damni, vel lucri sit petenda sepissime illorum iustitia, vel iniquitas.

Nunc illud tantum superest, vt argumenta illa Medinæ, quibus probat secundam partem suæ opinionis, quatenus nostrę sententiæ aduersantur, diluamus.

Ad primum neganda est consequentia, ex discrimine enim illo assignato inter venditorem & mutuatarium constat, mutuatarium ex propria & nuda natura mutui solum teneri ad reddendam rem similem, & æqualem, nec debere respicere quod pretium valeret tempore mutui, aut valeat tēpore restitutionis; quocunq; enim pretio tunc vendantur, si sola mutuatio fiat, nec iungatur aliqua ex circunstantiis explicatis in conclusionibus positis, nempe vel mutuantem esse statim rem illam cum lucro venditurum, aut seruaturum in aliud tempus sibi vtilius, debet rem similem restituere, & eiusdem bonitatis & mensuræ: quod si aliqua circunstantia ex dictis adiūgatur, facienda est restitutio rei mutuatę iuxta modo explicata in conclusionibus positis.

Ad secundum eadem est solutio. Ad Iustitiā restitutionis, quam postulat nuda & mera ratio mutui, illud sufficere, ex circunstantia tamen aliqua earum quas hic proposuimus, potest accidere, vt quandoque teneatur maiorem mensuram restituere, quandoque vero sufficiat minorem.

Ad tertium refert Sylu. loco cita. Laurent. de Rodulf. concedere illud, nempe mutuantem ducatum valentem quatuor libras, si tempore restitutionis valeat quinque, posse tuta conscientia illas quinque recipere, reiicit tamen hanc solutionem Sylu. Soto loco citato respondetq; & recte, diuersam multo esse rationem pecunię & aliarum rerum: alię enim res, etsi augeatur illarum valor, manent tamen eędē res immobiles, & immutatę in sua natura, qua de causa mutuatarius satisfacit suæ obligationi reddens rem similem, & eiusdem bonitatis, & mensuræ, quidquid sit de valore pretii iuxta hactenus explicata, at pecunia vt pecunia est, cum sit pretium rerum, mutatur mutato illius valore & ęstimatione: ita fit vt 100. aurei valentes modo 100. scuta si augeatur valor eorum ad 110. iam non sint 100. scuta, sed 110. Et quoniam quando recipiuntur vt pecunia, etiam si dentur in aureis, non est attendendus numerus aureorum, sed numerus scutorum quę valent, cum non conferātur vt aurei sed vt pecunia, propterea qui mutuauit 100. aureos valentes tempore mutui 100. scuta, etsi tempore solutionis creuerit illorum valor, nihilominus non potest tunc recipere 100. aureos, sed eos tantum qui iuxta valorem illum auctum efficiant 100. scuta. Supponimus enim vt ait Soto, & recte, mutuantem istos 100. aureos non fuisse illos seruaturum in ratione aureorum, quorum pretium periclitabatur augeri, sicut seruantur merces magis valituræ vno tempore quam alio, sed sub ratione tantum pecuniæ: qua de causa siue mutuatarius illos consumpserit, siue eosdē apud se retineat, non tenebitur post auctū illorum valorem totidē restituere aureos, quot accepit, sed ea solum scuta quę valebant tempore mutui. Quod si mutuans admonuisset mutuatariū, se habere illos 100. aureos seruatos ad negotia sub ratione aureorum, & posse se in illis, quatenus aurei sunt, lucrari, (quia sumpti non vt pecunia, sed vt aurei, expositiq; sub ea ratione negotiis, & cambiis, similibusq; contractibus, contigit eos maiorem quandoq; valorem habere, quam sub ratione pecuniæ) teneretur tunc mutuatarius restituere mutuanti eosdem, vel similes aureos eiusdem numismatis & signaturæ, aut valorem quē haberent tempore solutionis, quia tunc nō fuerunt mutuati vt pecuniæ quædam, sed vt aurei & merces quędam seruandę in futurum, in quibus potuit vere etiam reperiri ratio lucri cessantis. Hic autem loquimur iuxta argumentum propositum de aureis sub ratione pecuniæ. Sed obiicies si fur, vel vsurarius accipiat 100. aureos ab eo qui non seruabat illos ad lucra, nec ha-

bebat

bebat eos expositos negotiis, accidat vero tēpore quo fur ille vel vsurarius vult eos restituere, pretium illorum esse auctum, non sufficit restituant hi valorem illum quem antea habebant tempore furti, sed tenentur restituere aut eosdē 100. aureos, aut valorem & pretium in quo iam aucti sunt tempore restitutionis, ergo similiter mutuatarius etiam si acceperit aureos ab eo qui non negotiatur, nec seruabat illos lucris, sicut seruantur merces quarum pretium augeri poterat, tenebitur restituere illi valorem in quo aucti sunt. Respondeo, Multum inter istos distare, quia vsurarius, & fur nullum habent titulum ad seruandum sibi augmentum illud aureorum, quos inique acceperunt, & retinuerunt per aliquod tempus, sed tenētur rem integram restituere cum omnibus illius fructibus, & vtilitatibus illam consequentibus, at mutuatarius iusto titulo (mutui scilicet) aureos illos recepit, & penes se retinuit, fecitq; suum illorum augmentum & vtilitatē, nec tenetur aliud restituere (quando accepit illos sub ratione sola pecuniæ) quam eundē valorem quem habebāt tempore mutui, secus est quando mutuans seruabat illos ad negotia & lucra sub ratione aureorum, animum suum mutuatario explicās, sicut modo dicebamus.

Ad quartum dico cum Soto, in casu illius argumenti, mutuantem non repetentem mutuum nisi tempore quo res illa maiori pretio æstimatur, peccare quidem cōtra charitatem ex nimia cupiditate lucri, minime tamen contra iustitiam: quia cum non sit certum tempus constitutum, nec prohibeat mutuatarium, quin possit antea restituere, quocunq; tempore petat, vtitur (vt dicebamus) iure suo. Quin & D. Nauarr. loco cita. cap. 17. num. 225. sentit neq; contra charitatem illum peccare, cum soli negligentię mutuatarii illud imputādum sit, qui potuit tempore sibi commodiori restituere, nec voluit.

Ex his sequitur mutuantem qui esset impedimento mutuatario, ne rem acceptam restitueret, cum vellet ille tempore sibi commodo eam restituere, vt illam deinde in maiori pretio reciperet, iniquum esse & vsurarium: esset enim quoddam genus fraudis ad augendum illius valorem in suum commodum, fraus autem & dolus nemini debent patrocinari.

Eadem ratione iudicandum est de quibusdam Magnatibus, & dominis locorum siue diuitibus, quibus agricolę census vel debita suorum fundorum, aut annua pretia terrarum, quas ab illis conduxerunt tenentur certo tempore in fructibus persoluere, si fructus illos ab agricolis in termino constituto illis exhibitos nolint, quia tunc vilius æstimantur, recipere, sed postea, quando creuerit illorum pretium & æstimatio. Vtuntur enim creditores sic agētes, simili fraude in suum cōmodum. Quo casu non tenetur agricola fraudulento illi creditori, qui sua fraude solutionem illam in aliud tempus distulit, reddere fructus illi debitos, in eo pretio, quo tunc ęstimātur, sed in eo quod valebāt tempore quo simpliciter & absolute tenebatur illi soluere, nec per ipsum stetit, sed per creditorem. (V. G.) tenebatur Agricola exhibere domino sui fundi quatuor mensuras tritici in Augusto, quo tempore valebant 200. argenteos, offerebatq; actu illas suo creditori, distulit vero creditor solutionem illam suis technis, & dolis in Ianuarium, quo tēpore eædem mensuræ valent 400. argenteos, non tenetur agricola iste in hoc casu redere illi in Ianuario 400. argenteos, sed 200. tantū, vel duas mensuras tritici, quę æquantur iusto valori illarū quatuor mēsurarū, quas illi debebat & obtulit in Augusto, fraudulenter vero renuit creditor illos tunc recipere. Quamuis liceret creditori agricolę offerenti sibi triticū, vel alios fructus in termino debito, deprecari vt spontaneè & amicè triticum illud vel fructus domi suæ, donec illos postularet, custodiret, comēdatosq; haberet, quod enim à quocunq; alio amico posset creditor illorum fructuū amicè, & gratis exigere, quid prohibet, quin ab eodem agricola vt sibi amico postulare similiter possit?

Quod si agricola fructus illos culpa sua nō curauerit persoluere in termino debito, vel oporteat propter moram illius apud iudicem eos exigere, si forsan acciderit, vt quando illos deinde post terminum & cum mora persoluit, pluris æstimentur, quam valerēt eo tempore, in quo tenebatur illos reddere, non tenetur Dominus illius fundi accipere eos in illo maiori pretio, quo ęstimantur tempore illius morosę ac dilatę solutionis, sed in eo quod verè ac iustè valebant, tempore quo tenebatur illos persoluere. Iudicat imperitum agricolarum vulgus iniuste hoc fieri, magnęq; iniquitatis & tyrannidis dominos illorum fundorū, & hæreditatum accusant, sed frustra profecto,

fecto, & immerito: Nam cum ex mora & culpa ipsorum illud accidat, qui nolũt persoluere in termino debito, negligentiæ & & culpæ ipsorum illud imputandum est. Quod si dicat agricola, ego non tenebar domino fundi, vel hereditatis quã possideo, reddere nisi decem mensuras tritici, quæ tempore solutionis valebant (v. g.) quinquaginta aureos, modo vero quando à iudice compellor illas reddere valent septuaginta vel octuaginta, hæc inæqualitas maximam cõtinet iniquitatem: quid enim iniquius, quã vt pro re quę valebat 50. cõpellar nunc exhibere 70. vel 80. Hęc quærela ridicula est, dominus enim tui fundi, cui debes (v. g.) 10. mensuras tritici illas á te solum exigit, eas namq; quandiu illas nõ persoluis debes, nec culpa eius effectũ est, vt reddas illas tempore quo valent 70. vel 80. sed vitio tuo, qui adeo fuisti in mora, vt authoritate iudicis opus fuerit ad te cõpellendum, vt debitum redderes: Vnde dominus fundi tui non exigit á te 70. vel 80. pro 50. sed mẽsuras tritici, de quibus cũ eo conuenisti, & quæ iure ipsi debentur, donec actu, ac omni vt dicunt effectu á te persoluantur.

Huic contro. vicina est, & proxima illa qua quæritur.

Controuersia. XXVI.

LICEAT NE MVTVARE *triticum vel granum vetus, obligando mutuatarium ad restituendum nouum, & recens tempore messis?*

IOannes Medina loco cita. probat huiusmodi contractum, ea lege, vt sit vtrũq; æqualis valoris, & pretii: ita vt si vetus quod traditur, idem valeat quod nouum recipiendũ, vel saltim credatur probabiliter tẽpore restitutionis idem valiturum, sit iustus cõtractus: vbicunq; enim seruatur æqualitas rei ad rem, seruatur similiter & iustitia. Quod si alterũ altero vilius esse appareat, & minoris pretii, redacta inęqualitate ista valoris & pretii ad debitam æqualitatem in mensuris ipsius tritici, iustum effici contractum. Vt si triticum vetus valeat pensata illius bonitate & vtilitate vt 10. nouum vero recipiẽdum vt 12. restituatur aliquid minus noui quam sit acceptum veteris, quatenus reducatur inęqualitas illa bonitatis, & vtilitatis ad debitam æqualitatem valoris vtriusque.

Soto loco citato absolute & simpliciter damnant hunc cõtractum mutuandi triticum vetus cum debito restituendi nouum, quia cum communiter triticum & fructus recentes melioris sint & pręstantioris qualitatis, quam veteres, obligare mutuatariũ vt pro veteribus quos accepit, reddat nouos in eadem mensura, est obligare illum vt restituat sortem cum aliquo lucro. Qua de causa (inquit) in Repub. huiusmodi mutuatores infami quodam nomine dicũtur renouatores: Solent enim hi recondere magnam fructuum copiam, expectantes ac desiderantes carius illos vendi, quod si non succedat illis pro votis, & periclitentur illi vel corrumpi, vel deteriorari, mutuant illos recepturi ex nouis totidem mẽsuras & portiones. Vbi Soto eo nomine hunc contractum damnat, & merito, quod in eo viliora & deteriora conferantur, cum debito restituendi meliora, & præstantiora, qua ratione mutuum vsurariũ esse perspicuum est.

Nauar. loco cita. cap. 17. num. 224. sequitur Syluestrum in verb. vsura. primo numer. 17. Vbi Syluester constituit hanc regulam, quam vocat huius rei clauem. Vsuram esse, quotiescunq; ex huiusmodi mutuo & commutatione intenditur lucrũ: Iustum vero contractum, quando salua æqualitate iustitię, intenditur sola euitatio damni proprii, sine damno & incommodo mutuatarii.

Ex qua regula optima certe, & accommodata ad iudicandum de huiusmodi mutuis, & commutationibus, nonnulla colligunt & recte Syluester, & Nauarro consectaria. Primo, mutuantem triticum vetus, cum pacto vt tandundem sibi ex nono restituatur, scientem nouum illud & recens melius, & maioris pretii futurum tempore restitutionis, quam sit vetus illud quod traditur tempore mutui, vsuram committere, maxime si priuet mutuatarium libertate restituẽdi illud quãdo ipsi libuerit. Ratio est aperta, quia sic mutuans euidenter intendit lucrum ex mutuo. Et in hac parte conueniunt cum Soto.

Secundo habentem triticum vetus optimum quidem, & vtile tempore mutui, & quod tunc tanti valet, quantum recens valebit tempore solutionis, mutuat tamen, quia periclitatur corrumpi, si in illud tempus seruetur, nullam exercere iniquitatem; quia sic mutuans non quęrit, nec intendit

ex mutua

ex mutuo illo lucrũ aliquod vltra sortem, sed id solum, vitare damnum proprium sine damno mutuatarii.

Tertio, si triticum vetus melius sit quam nouum recipiẽdum, vel quia est maior penuria tritici quando traditur, & ideo maioris pretii si tunc venderetur, vel quia siccius illo recenti, quo fit vt maior quantitas illius recipiatur in mensura quam recentis, vel quia in bonitate & substantia recens illud non æquetur veteri, licere mutuanti vetus adeo optimum & vtile, exigere á mutuatario, vt plus recentis ipsi restituat, quam accipiat veteris, ita vt inter datum & acceptum excessus ille bonitatis, & vtilitatis, vel pretii in mensuris recipiendis, ad debitam æqualitatem, & valorem reducatur. Qua parte conueniunt cum opinione illa Medinæ: Intelligendus enim Medina est de fructibus, qui non sunt proximi corruptioni, quia licet in mutuo non sint respicienda pretia, sed res, qui mutuat vetus bonum & vtile tempore mutui, pro bono & vtili recenti, non mutuat vt recipiat lucrum ex illo mutuo, in quo consistit vsura. Vnde probatur hoc consectarium à suis authoribus & recte, quia in hoc contractu, nec mutuans intendit lucrum aliquod ex huiusmodi mutuo, nec mutuatarius confert aliquid vltra sortem, sed seruatur æqualitas inter datum & acceptum, etiã si in eo mutuans intẽdat vitare aliquod damnum proprium, cũ illud vitet sine damno alterius.

Simile huic doctrinę videtur docere Conradus q. 38 de contrac. conclusione 5. vbi habet. Vbi quis mutuat frumentum vetus pro nouo in posterum soluendo, mutuanti licet exigere maiorem mensurã noui, ratione detrimenti quod patitur, dãdo vetus melius, pro nouo nõ ita optimo, supposito illud vetus esse bonũ ad cõseruãdum, & utilius: Hoc enim non exigitur ratione mutui, sed ratione detrimẽti quod patitur, quia vetus bonũ & seruabile maiorem copiam farinę reddit, quam soleat recens in principio anni: Tum etiam, quia nouum cum exsicatur & arescat, redditur minus progressu anni, vetus autem cum iam exsicatum sit & aridum, liberum est ab illa diminutione, & hac de causa vetus maiorem farinæ copiã reddit quam nouũ.

Colligunt quarto, Tempore caritatis annonę, licere habenti triticum vetus mutuare certam quantitatem illius, iuxta pretium quo tunc communiter venditur, cum pacto vt teneatur restituere triticum recẽs in eo pretio quo tunc vendetur tempore solutionis. V. g. mutuat Petrus Ioanni in Aprili mensuras tritici valentes iuxta pretiũ Aprilis 100. aureos, restituendas in Augusto, potest ab eo exigere vt restituat illas in tritico valente in eodem Augusto alios 100. aureos. Probat illud Nauar. ex c. In ciuitate. De vsuris. & authoritate D. Antoni. illud docentis 2. par. 7. §. 13. Et ratione, quia sic mutuans, proprie non mutuat triticum vt vetus, sed vendit illud pretio communi & iusto tempore quo illud tradit, cum pacto recipiendi pretium illud tempore messis in tirtico recenti, iuxta iustum pretium illius, & commune tempore solutionis: in quo contractu nulla est iniquitas, cum semper seruetur iustum pretiũ, tam veteris tempore traditionis, quam recentis & noui tempore solutionis.

Seruandæ tamen sunt in hoc quarto consectario duę conditiones: Prior, vt liberum sit recipienti triticum, reddere pretiũ illius vel in tritico nouo sub pretio communi tempore solutionis, vel in pecuniis, quia obligare illum vt non possit aliter pretium illud reddere quã in tritico, (cum hæc obligatio pretio æstimabilis sit, quia potest forsan afferre secum aliquem laborem, & difficultatem in quærendo tritico illo) esset profecto exigere ab illo vltra iustum pretiũ tritici ipsi traditi aliquid aliud pretio æstimabile, quod est iniquum & vsurarium. Posterior est, quã ibidem affert Nauar. ne per aliquas iustas leges Prouincię prohibita sit huiusmodi tritici anticipata emptio: Sicut est prohibita per leges Castellæ anticipata emptio ad reuendendum illud absolute & simpliciter, ad propriam vero familiam eo pretio quod valebit viginti diebus proxime præcedentibus, vel proxime sequentibus festum Natiuitatis Beatæ Virginis in Metropoli loci in quo emitur.

Deniq; fauent dictis in hoc vltimo consectario quę habentur in L. Vinum. ff. De rebus creditis. vbi Interrogatus Iuris consultus quod pretium esset reddendum pro vino credito, Respondet, vt si fuerit inter contrahentes determinatum tempus solutioni, soluatur pretio tẽporis quo interse conuenerunt fieri solutionem: Quòd si non fuerit inter eos assignatum, soluatur eo pretio quod valebat tempore quo facta est repetitio coram iudice. Interrogatus rursum ex quo loco esset sumendum

pretium, respondit eodem modo, vt si contrahentes designarunt certum locum, penes illum esse constituendum pretium, quod si nullum designarunt, penes eum locum in quo facta est venditio. Quæ decisio legis, cũ iusta sit, habet quoque vim in foro animæ.

Deniq; in calce huius art. explicanda est celebris illa Difficultas.

Controuersia. XXVI.

AN CONTRACTVS, QVI *dicitur mons pietatis, sit iniquus, & vsurarius, vel honestus potius, & iustus.*

Dixerunt de hac quęstione, potissime Caiet. tom. 2. opusculo 6. qui est de mõte pietatis per cap. 15. Medina Cod. Deresti. in tract. De rebus per vsuram adqui. q. de mõte pietatis fol. 152. Soto lib. 6. de Iust. q. 1. art. 5. Nauar. in cap. primo 14. quæst. 3. á nu. 64. vsq; ad 70. & alii nonnulli ex recentioribus.

Dicitur autem mons pietatis, cumulus quidã siue aceruus vel tritici, vel pecunię, vel aliarum rerum vtensilium, institutus à Repub. vel priuatis illius ciuibus, ad subleuandas pauperum necessitates, nõ per modum eleemosynæ sed per modum mutui. Cuius frequens est vsus in Italia sub hoc nomine Montis pietatis, & in aliquibus aliis locis Hispaniæ, vbi vocatur *Albondiga para los pobres.* Huiusmodi mons non erat in vsu apud antiquos, cepit ferè à cẽtum quinquaginta annis, tempore Pii secundi. Hic enim Pontifex est, qui primus omnium illum legitur approbasse, cepitq; prædicatoribus hortantibus Respub. & populos ad illum instituendum, ne pauperes vsuris ab Hebræis acceptis consumerentur.

Constituitur vero hic mons siue cumulus tribus potissime viis, Vel a Repub. ipsa & illius Magistratibus ex bonis communibus illius: Vel à tota communitate, vnoquoque ciue ex propriis facultatibus aliquid libere, & pie exhibente: Vel diuite aliquo, & potente viro, tradente bona sua Reipub. è quibus cumulo isto in communi constituto pauperibus per mutuum subueniatur.

Habet huiusmodi mons tres præcipuas conditiones, siue capitula. Prima est, vt ex huiusmodi cumulo teneãtur administratores illius mutuare cuiuis pauperi illius loci, si cumulus pecunię sit, vnum aureum, & ad summum tres: si tritici vnam mensuram, & ad summum 3. vel plures, sicut Magistratus pro temporum indigentia constituerint: ita vt pauper ille intra certũ tempus rem mutuo acceptam cumulo illi restituat, saltim intra annum: aliter enim nõ in communem sed in paucorum vtilitatem cederet cumulus ille, si liceret vnicuique accepta ex illo monte per longa tempora retinere. Secunda conditio est, vt conferat pauper pignus aliquod, donec acceptum restituat: constitutique sunt ministri ad custodiendum pignus illud illæsum, & incolume, ita vt si tempore præfixo pauper reddiderit mutuum illud sicut debet, recipiat pignus suum integrum & illæsum, sin minus vendatur publice sub asta, vt ex pretio pignoris illius restituatur monti quod illi debetur, vt ea ratione mons ille conseruetur semper in vtilitatem pauperum, nam aliter paulatim minueretur & periret, residuum vero illius pretii restituatur fideliter pauperi, cuius erat pignus illud. Tertia conditio est, cùm ad custodiendum hunc cumulum siue pecuniæ, siue tritici, siue alterius cuiuscunque rei, ad custodienda similiter pignora illa, & excutienda à puluere, ne deteriorentur, & vendenda, vbi pauper tempore præfixo non restituerit, ad habendos libros rationum, dati & accepti, & scribendum in eis tam res quæ mutuantur ex isto cumulo, quam pignora quę recipiuntur, sint necessario constituendi ministri, quibus reddantur iusta stipendia suorum laborum, & conducendę domus, quę perspicuum est sine expensis haberi non posse, ad eas soluendas postulatur à pauperibus aliqua exigua cota per singulos menses, quãdiu rem mutuo acceptam apud se detinent. Etenim si huiusmodi stipendia & expensæ ab ipso cumulo essent detrahendæ, paulatim ille cum graui pauperum detrimento minueretur. Quo circa vt in eorum vtilitatem integer perseueret, constitutum est, vt idem pauperes qui mutuum ex illo acceperint, aliquid aliud præter capitale exhibeant, non quidem ratione mutui, nec vt mons iste augeatur, sed ad soluendas expẽsas illas & operas ministrorum huic contractui & monti adeo necessarias.

Ex quibus cõditionibus circa duas priores nunquam fuit ab aliquo dubitatũ. Con

ueniunt enim omnes DD. non esse ex huiusmodi cumulo cuiq; pauperi mutuandũ, quantum ipse postulauerit, sed aliquã tantum partem, vt valeat omnibus prodesse, quod in omnium vtilitatem instituitur. Iustum etiam esse, vt exhibeat pauper pignus aliquod in securitatem, & ea lege, vt si in termino non restituerit mutuatum, vendatur, nam aliter periret ille cumulus, nec diutius permaneret.

Tota vero concertatio est circa tertiam conditionem.

Sit ne iustum, vt exhibeant pauperes aliquid vltra capitale, ad soluenda stipendia illa ministrorum, cæterasq; expensas, vel vsurarium & iniquum.

Leo 10. in Concil. Lateran. sess. 10. in Bulla quę statim in principio illius sessio. fuit lecta, refert quæstionem hanc fuisse inter grauissimos Theologos & Iurisperitos controuersam, iudicãtibus multis huiusmodi mõtem iniquũ esse & vsurarium, propter hanc tertiam conditionem. Quam partem sequuti sunt potissime Caiet. & Soto locis citatis. Ad quam stabiliendã nonnulla costituũt. Nam imprimis, licet opinionem suam, vt verè catholici & pii doctrinæ & correctioni Sanctę Romanę Ecclesiæ subiiciant, statuunt nihilominus quę à Pontif. vel Conciliis docentur duplicia esse: quædam quę ita pertinent ad fidẽ vel mores, vt superent rationem naturalem, colligendaq; sunt vel ex sacris literis, vel traditione Apostolica, vel recepta & antiqua Ecclesiæ consuetudine: alia vero, quę licet pertineant ad mores, non tamen colliguntur ex Sacra Scriptura, vel Apostolica traditione, sed ex principiis & placitis Phylosophię moralis in bona & necessaria cõsequentia: & circa hæc, cum ita pertineãt ad Phylosophiam moralem, vt eorum vere habeatur scientia, Sũmos Põtif. inquiũt quos certum est nõ mittere falcem in messem alienam, non definire aliquid tamquã de fide. Addit Caiet. hæc ita differre, vt in rebus fidei vel morũ quę superant rationẽ naturalẽ, & quæ ex sacris litteris vel traditione Apostolica inuestigãdæ, & desumẽdę sunt, cuiuis rationi phylosophicę, authoritas Pontif. eiusq; sententia sit præferenda: In rebus autem morum, quæ neq; ex Sacra Scriptura, neq; ex traditione Apostolica habẽtur, sed sunt proprie & vere scibiles, & circa quas ita versatur Phylosophia moralis, vt rationibus philosophicis tamquam sua propria ac certa via indagãdæ sunt, Tam Pontifici, quam cuicunque alteri iudici, & doctori ratio naturalis, ex principiis Philosophię moralis optime ac recte concludens, pręferri debeat. Nec alia authoritas quam diuina, eo quod Deus author naturæ sit, & supra omnem naturam, huiusmodi rationibus phylosophicis præponderet. Vnde colligunt, damnare contractum vsurarium, prohibere illum sub cẽsuris, compellere vsurarios ad restituendas vsuras pertinere quidem ad authoritatem Pontif. quia non solũ ex phylosophia morali, verumetiam ex Sacra Scriptura colligitur aperte iniquitas vsurę: at in particulari definire hunc vel illum contractum vsurarium esse, cum hoc non sit colligendum ex Sacra Scriptura, vel alio superiori lumine, quã naturali, & ex mera Phylosophia morali, nudaq; rerum & contractus natura, non esse propriũ Apostolici muneris: Quo circa licet mons pietatis secundum se sit reuera approbatus (vt videbimus) à multis Summis Pontif. Cæterum an cum hac cõditione tertiã sit licitus, vel iniquus, hoc non esse à Sede Apostolica definitum, nec pertinere proprie ad munus Apostolicum, sed ad Phylosophum moralem, & ex consequenti citra omne periculum, saluaque obedientia Sedis Apostolicę posse DD. quęstionem hanc de monte pietatis, quãtum ad hanc tertiam conditionem disputare, & eam partem tueri, quæ placitis Phylosophiæ moralis fuerit magis consona. Et confirmatur, Quia Caiet. qui fuit tempore Leon 10. quando hic mons potissime approbatus est, testatur in Opusculo suo de hoc monte cap. vlt. se vidisse in Bulla quadam Mantuæ, in qua hic mons approbatur, approbari illum quatenus Sacris Canonibus non repugnat, & audisse à viris fide dignis, qui occulate viderunt Bullas originales Pontificum approbãtium hunc montem, approbare illũ, & conditiones, ac capitula ipsius, quatenus Sacris Canonibus non repugnat: Cũ ergo prudenter dubitetur adhuc à DD. iuxta placita Phylosophię moralis, an cũ ista tertia conditione repugnet Sacris Canonibus, citra iniuriam & inuiolata obedientia Romanę Sedis potest hęc quęstio disputari, & ea pars iudicari verior, quæ fuerit placitis Phylosophiæ moralis magis consona.

Statuit 2. Caiet. operas quas ministri, & custodes exercent circa huiusmodi montẽ duplices esse: alias quæ non sunt pretio æstima-

æstimabiles, alias verò quæ pretio æstimari possunt: Rursum ex his quæ pretio æstimari possunt, non omnes esse in solam vtilitatem pauperis mutuatarii, sed quasdam in vtilitatem domini montis, vel mōtis ipsius, alias vero in vtilitatē vtriusq́; . Quod hac inductione ostendit. In hoc mōte exercentur á ministris huiusmodi operæ. Primo custodiunt pecuniam illam, vel triticū. Secundo, habent illam pecuniā expositā, & paratam ad mutuandū ex ea cuiuis pauperi petēti portionem, & cotam taxatam. Tertio, numerant illam, & conferunt exigenti, recipiuntque ab illo pignus. Quarto, recipiunt ab eo, ac recuperant adueniente termino quod fuit illi mutuatum, restituuntque illi pignus suum saluum, & in colume. Quinto, custodiunt pignora, excutiūt á puluere, seruantq́; illa illęsa. Sexto, habēt libros rationum, in quibus scribunt quæ singulis pauperibus conferuntur ex illo monte, & pignora quę ab illis recipiūtur. Et similiter quæ restituuntur, & quæ illis redduntur. Vltimo, si mutuatarii sint in mora, curant vt vendantur pignora illa, ac vt ex illorum pretio restituatur monti quod ab eo acceptum fuerat, collato residuo domino pignoris. Ex his operibus duo illa, nempe tertium, quod est dare mutuum, & recipere pignus, & quartū quod est recipere pecuniam in termino à paupere, & restituere illi suum pignus, non sunt pretio ęstimabilia: quia hęc sunt intrinseca mutuo, (vt vidimus,) quę verò sunt intrinieca mutuo, non sunt pretio ęstimabilia, neque pro illis aliquid accipi potest, sicut neq; pro ipso mutuo. Ex aliis, primū opus, nempe vt pecunia illa seruetur, est in vtilitatem domini: secundum in vtilitatem pauperis, quia vtile ipsi est, vt pecunia illa parata sit certò, & exposita ad leuandam ipsius necessitatem ex ea per mutuū. Quintum opus, vt custodiantur pignora, in vtilitatem vtriusque est, & domini montis vel montis ipsius, vt sit securus de restitutione mutui, & pauperis vt pignus illud custoditum sibi fideliter restituatur, vbi reddet mutuum, nec pereat, vel deterioretur. Sextum in vtilitatem quoq́; vtriusque, & montis, vt per scripturas illius libri quid cuiq́; mutuatū sit, appareat, & pauperis, ne vlla existat confusio in pignoribus, vel mutuis. Vltimum, denique in vtilitatem est ipsius montis, vt vendito pignore, ex pretio illo restituatur monti quantum fuerat ab eo acceptum. Quo fit in solius pauperis vtilitatem illud tantum cedat, nempe pecuniam illam certam ac paratam esse ad mutuandum pauperi. Alię verò operæ ministrorum circa hunc montem vel non sunt in vtilitatem pauperum, vel non sunt minus in vtilitatem ipsius mōtis quam pauperum.

Ex his colligit Caiet. cap. 6. illius opusculi quinque conclusiones, quas possumus redigere ad tria dicta.

Primum est, Hunc montem, eo modo quo exercetur de facto, iuxta illam tertiā conditionem esse vsurarium, & iniquum.

Secundum, Præter mutuum posse exigi à paupere, non quantum desideratur ad omnes expensas, quę fiunt in isto monte à ministris, sed quantum peritus & prudens iudicauerit exigi posse, pro illa obligatione quam habet ille mons mutuandi pauperibus. Quia (vt supra vidimus) obligatio ista pretio æstimabilis est, licetq́; mutuanti obliganti se ad mutuandum, aliquid exīgere preter capitale ratione huiusmodi obligationis.

Tertium, Si quidem cumulus iste & mons habeat dominum, teneri ad exsoluendas illas expensas & stipendia ministrorū, partim dominum istius montis, partim vero non hunc vel illum pauperem, sed totā communitatem pauperum illius ciuitatis, vel loci, in quo existit talis mons: cum cedant operæ illæ in vtilitatem vtriusq́;, quę autem cedunt in vtilitatem aliquorum, debent persolui ab illis quibus vtilia sunt, & quatenus illis vtilia sunt. Quamuis prestaret (inquit) vt vbi mons iste non habet peculiarem dominum, sed est Reipub. vel tāquam institutus ab ipsa, vel quia priuatus ciuis qui ipsum instituit, abdicauerit á se dominium illius, & transtulerit illud in Rempub. omnes expensas ad illum necessarias persolui á sola Reipub. vt fit Mediolani, Brixię & Veronę, cū cedat in vtilitatem eiusdem Repub. cuius bona pars pauperes sunt, existere in ea huiusmodi montem ad leuandas eorum indigentias, ne vsuris, aut nociuis suæ supellectilis venditionibus consumantur.

Magister Soto conuenit cum Caietan. in primo & secundo dicto ex his tribus, subscribitq́; illius sententię. In tertio tamē nonnihil ab eo discedit, docens expensas quæ cedunt in vtilitatem montis, vt custodire pecuniā & pignora, habere libros datī & accepti, &c. quia omnes hæ fiunt in vtilitatem montis, & nō pauperum, opti-

mum quidem esse, vt à Repub. soluerentur, non tamen esse Rempub. ad illud obligandam, cum hic mons non sit pro bono totius Reipub. sed cuiusdam partis tãtum, nempe pauperum, sed soluendas esse ex ipsomet monte in cuius vtilitatem fiunt. Quod si hac via aliquid á mõte isto minuatur, non esse incõmodum: quia quemadmodum si pecunia ista esset priuati alicuius, expensæ essent ab illo persoluendę, ita quando nullius est, sed existit mons iste in Repub. quasi sub dominio sui ipsius, ex eodem monte expensæ istæ solui debent. Sed quidquid sit de hoc tertio dicto Caietani, á quo debeant expensæ istæ persolui, an à Repub. vel ex ipsomet mõte, volunt Caiet. & Soto á pauperibus id tãtum exigi posse, quod prudens & peritus iudicaret deberi vltra sortẽ, ratione illius obligationis mutuandi quam habet hic mons pietatis, eo ipso quo instituitur: Exigere vero à pauperibus, sicut fit, & est positum in consuetudine omnes alias expensas quę fiunt in conseruationẽ istius montis, quas retulimus, iniquum esse, & vsurarium.

Probãt illud variis argumentis: Sed constituunt prius huiusmodi montem, & contractum reducendum necessario esse, vel ad iustitiam commutatiuam, ad quam potissime censendus est pertinere, sicut pertinet quiuis contractus mutui, vel ad distributiuam, vt aliqui DD. volunt, existimantes hunc montem esse velut quoddam bonum commune, per mutuum distribuendum inter pauperes. Quo posito, siue ad iustitiam commutatiuam dicatur pertinere, siue ad distributiuam, ostendũt iniquum esse & vsurarium.

Primo sic: Sit diues qui ex misericordia constituat apud se aliquem cumulum pecuniæ, ad mutuãdum ex eo pauperibus, quotiescunq; postulauerint ab ipso partẽ aliquã illius cumuli, idq; accepto pignore, & cum aliis cõditionibus huiusmodi montis, si hic priuatus diues acciperet aliquid vltra sortem, ad expensas famulorum, qui custodirent illum cumulum, & pignora, & haberent libros rationum dati & accepti, reuera cõmitteret vsuram, nec posset tuta cõscientia aliquid aliud accipere, quã quod peritus & prudens iudicaret posse ipsum exigere ratione illius obligationis, qua se deuinxit ad mutuandum, ergo exigere à pauperibus qui mutuo accipiũt ex mõte pietatis, omnes expẽsas quę fiunt in ministris & custodibus illius montis, vsurariũ est. Consequentia patet, quia cum circunstantia mutuantis non mutet naturam cõtractus, si priuato non licet ita mutuare absq; vsura, nec licebit Reipub. nec monti publicè ab ipsa instituto, vel ipsi commisso. Et similiter, cum pauper mutuatarius non magis teneatur ad conseruandam pecuniam istius montis, quam ad seruandam incolumem pecuniam diuitis, qui paratus esset illi mutuare ex misericordia, quæ ratio est vnius, debet quoq; esse alterius. Antecedens vero ita ostendo Si priuato mercatori tale mutuum instituenti liceret accipere aliquid vltra sortẽ, propter huiusmodi expensas, cuicunq; mutuanti id liceret, nec exerceretur vnquam vsura. Patet, quia quicũq; mercator, siue cãpsor posset affirmare, se habere famulos, & ministros ad custodiendas suas pecunias, ex quibus mutuat, & pignora quæ frequenter afferuntur à mutuatariis, & amanuẽses ad libros rationum dati & accepti: qua via aperiretur ianua patens iniquitati vsurarũ. Quod non est dicendum.

Secundo, In hoc contractu committitur multiplex iniustitia ratione istius tertiæ conditionis, & expensarum quæ exigũtur à pauperibus, ergo est iniustus: Cõsequentia aperta est, sicut enim actus secũdũ suã substantiam moraliter bonus ex circũstãtia potest vitiari, ita etsi mõs pietatis secundum substantiam sit contractus licitus, ex circunstãtia tamẽ iniusta qualis est ista tertia conditio, reddetur iniustus. Antecedens probo. Inprimis iniustum esse exigere á pauperibus omnes expẽsas, quę fiũt in conseruatione istius montis, probo. Nemo tenetur soluere operas factas in alterius fauorem, sed eas tantum quæ fiunt in ipsius vtilitatem, sunt enim hæc duo inquit Caieta velut certissima principia Phylosophię moralis, Alterum affirmatiuũ, vt pote, *Ille tenetur mercedem alteri reddere, in cuius fauorem & vtilitatem opus agitur*: Alterum negatiuum, nempe, *Nullus tenetur mercedem reddere pro opere facto in alterius fauorem, & vtilitatem*; Sed ex secundo fundamento posito constat, ex istis operibus ministrorum, preter illam secundam quę est pecuniam existere obligatam ad mutuandum, alias omnes partim esse in vtilitatem domini montis, vel ipsius mõtis, partim verò in vtilitatem pauperum, pauperum verò, non huius vel illius particularis accipientis, sed totius communitatis ipsorum, ergo iniquum est, vt pauperes soli

soli compellantur ad soluendas expensas, quas etiam si rigore vtendum esset, oporteret diuidere inter communitem pauperum, & dominum istius montis, vel ipsum met montem iuxta Sotū, quando non habet certum dominū: Imo magis esset exigendum à dominis quam à pauperibus; quia plures ex istis operibus magis cedunt in vtilitatem domini, quam pauperis, vt custodia pecuniæ, custodia pignoris quo manet securus dominus de illo mutuo, liber rationum, & similia. Et confirmatur, quia multę etiam sunt actiones, quæ solū sunt in vtilitatem ipsius montis, minime verum pauperum, iniquum, ergo est compellere pauperes ad omnes istas actiones persoluendas. Confirmatur secundo, quia vsura esset, si mutuans compelleret mutuatarium ad soluenda opera, quæ sunt in cōmodum mutuantis. Secundo exercetur & alia iniustitia circa pignora. Etenim cum pignora non omnia sint onerosa, nec indigeant eodem labore, vt custodiantur, quia quædam nec puluere, nec erugine consumi possunt, aut deteriorari, sed reposita semel in arca se ipsis permanent illesa, vt vasa argentea, vel aurea, grauantur nihilominus in contractu huius montis ęqualiter omnes pauperes ratione huius operæ, & custodiæ pignorum, siue pignora eorū maiori custodia egeant siue minori, quod est iniquum: pro minori enim labore & custodia minus stipendium accipiendum est, quam pro maiori. Tertio, pauperes in hoc contractu, quanto magis apud se detinent acceptum ab isto monte, tanto magis compelluntur aliquid vltra capitale reddere, vt si pro pecunia accepta teneantur dare per sex menses duo, pro anno compelluntur dare quatuor, vnde aperte ratione dilatę solutionis augetur pecunia, quam reddunt vltra sortem, quod est aperte vsura, vt vidimus.

Tertio principaliter: De ratione mutui est, vt mutuans recipiat supra se onera mutuationi anexa, alias non mutuet, sed sustētatio ministrorum custodiētium hunc mōtem, & exercentiū omnia illa ministeria quę ad mutuationem huiusmodi requirūtur, sunt huic mutuationi annexa, ergo sicut sustentatio ipsius mutuantis non pertinet ad mutuatarios ipsos, & recipiētes mutuum, sed ad ipsummet mutuantem: eius namque interest se ipsum alere, & sustentare, ita & sustentatio istorum ministrorū non debet pertinere ad pauperes, sed ad eos qui huiusmodi montes instituunt, vel ad Respub. ipsas, penes quarū administrationem existunt. Qua ratione colligunt authores huius sententiæ, vt quicunq; ex suis bonis huiusmodi montem instituere decreuerit, debet ante omnia constituere stipendia, quibus ministri illius sustententur, vel obligare Rempub. ad illos sustentandos, quia cum ab ipsis mutuatariis non debeant sustentari, si ex facultatibus eiusdem montis, stipendia illorum detrahenda sint, paulatim minuetur & deficiet, nec poterit diutius permanere. Afferunque testimonium Caietan. affirmantis in pluribus ciuitatibus Italię sustentari huiusmodi ministros publico illarum stipendio.

Quarto, non minus est vsura exigere ex mutuo aliquod augmentum & lucrū, quā exigere ex mutuo aliquas expēsas, vel dānum, quod mutuans non est passus ratione mutui, sed alia uia: vt si Petrus cui Latrones furati sunt 10. vellet illa recuperare per mutuum. Sed expensę istæ quas facit dominus montis, vel mons ipse, non fiunt ratione mutui, nec sunt necessarię ad mutuum, etiam si fiant occasione mutui, sed fiunt in vtilitatem domini, vel montis, nēpe vt seruetur pecunia, ac vt securius recipiatur, quæ sunt extrinseca mutuo, ergo recipere aliquid vltra sortem propter tales expensas est vsura. Et confirmatur, Quia etiam si dicatur id quod recipitur seruire expensis, recipitur nihilominus vi mutui, non enim daretur à paupere nisi ob illud mutuum, sicut in vsura mutuatarius non dat nisi ob mutuum, ergo talis exactio vsuraria est.

Quinto. Mons iste siue pecunia sit, siue triticum, non est pauperum, neq; ipsi sunt domini illius: quia si domini essent non acciperent illud mutuo, nec cū debito restituendi, nec dato pignore, sed simpliciter & absolute, Vnde aut est alicuius priuati diuitis, aut Reipub. aut sui ipsius: Nūc sic: Expensas, quę fiunt ob cōseruationem alicuius rei, nullus alius tenetur soluere quam dominus illius, quia eo ipso quo illius dominus est, & fiunt in rei cuius est dominus conseruationem, cedunt in ipsius vtilitatem. Istius autem montis (vt constat) non sunt domini pauperes ipsi, sed aliquis alius, ergo expēsas quibus eget, vt conseruetur, non debent soluere pauperes, huiusmodi autem expēsæ sunt quæ fiunt in custodia pecunię, pignorum, librorum, scribētium, &c. ergo non est æquum solui illas á

las á pauperibus, sed á Repub. vel ab ipso monte. Et confirmatur, Quia nemo tenetur ad custodiendum quod non est suum, & in quod non habet ius aliquod, vt habet commune dictum Iurisperitorum argumẽto á L. 1. & L. Necessario. ff. De pericu. & commodo rei venditæ, & L. Incendiũ. Cod. Si certum petatur. §. Is cui. At huius modi pecunia, vel triticum non est pauperis, neq; est futurum illius, quo vsq; mutuo illud accipiat, ergo antea non tenetur ad illud custodiendum, vel soluendas expensas, quæ fiunt in illius custodia.

Septimo, Et constituit prius: In contractibus ciuilibus pertinentibus ad iustitiam commutatiuam, communitatem ipsam & totum corpus Reipub, perinde se habere, ac si esset quædam priuata pars, & quidam priuatus ciuis, vt quando Respub. vendit suũ triticũ, vel emit, aut soluit aliqua stipendia, perinde illã se habere, ac si priuatus aliquis ciuis alteri venderet, aut solueret stipẽdia, vel ab eo aliquod emeret. Quo posito sic argumentatur Caietan. In hoc contractu montis pietatis, cum sit mutuũ, seruanda potissime est ratio iustitię cõmutatiuæ, secundum rationem autem iustitiæ cõmutatiuæ, sicut non licet exigere ab vna parte quod debet alia, ita quoque nec licet exigere á parte, id ad quod tenetur totum, neq; ab vno ciue id ad quod tenetur tota communitas, sed ad expensas quæ fiunt in isto monte pietatis (si demus fieri illas in vtilitatem pauperum) cum fiant in vtilitatem totius cõmunitatis ipsorum, nõ tenetur hic vel ille in particulari, sed ipsa communitas & collegium pauperum in eo loco existentium, iniquum ergo est exigere ab hoc vel illo paupere mutuatario expensas istas, vel non debitas à solis pauperibus, vel si debeantur, debitas à toto collegio, & communitate pauperum.

Deniqoe digniori in aliquo genere conferendum est ex iustitia distributiua plus boni & minus mali, in hoc contractu mutui ex monte pietatis, instituti ad iuuandos pauperes, ille est dignior, qui plus eget bonum autem in hac distributione est pecunia, vel res quæ mutuatur, malum vero onus illud soluendi expensas quæ fiunt in ministris, ergo iuxta iustitiam distributiuam, illi, qui magis indiget erit maior pecunia mutuanda, & minus imponendum oneris ad soluendas expensas: at in isto monte contra res habet, nam quo quis magis eget at plus accipi ab isto monte, si plus etiam soluit, est ergo contractus illicitus, & hac saltim ex parte iniustus.

Molineus in suo opere de vsuris q. 74. num 581. circa hanc quæstio. reprehendit acriter Alexand. docentem (vt ipse refert) Concil. 1. & 2. & 107. lib. 2. posse Summum Pontif. facere de peccato non peccatum, & hac ratione licet quod exigitur à pauperibus in mutuo ex huiusmodi monte accepto vltra sortem, verè exigatur ab eis ratione mutui, non esse peccatum, vel iniquum: quia a Summis Pontif. in suis Bullis ita fieri conceditur. Additq; licere mutuantibus ex huiusmodi monte exigere a pauperibus mutuatariis, si pignus contulerint, sex denarios pro libra per singulos trimestres, vel octo si nullum obtulerint pignus, ita vt singulis annis oporteat eos 3. vel 4. solidos pro singula quaq; libra persoluere.

Sed vtrumq; reprehensione dignum profecto est, Prius enim illud, Sum. Pontif. posse facere de peccato non peccatũ, nullus vnqnam Catholicorum docuit, nec in alicuius mẽtẽ venit, maxime in his quę iure naturali, & diuino prohibentur omnino. Nec Summi Pontif. quorum autoritate, sanctissimoq; decreto hic mõs apro batur, concedũt vt ratione mutui aliquid à pauperibus vltra sortem acceptam exhibeatur, sed ratione sola expensarum, quæ in illius conseruatione fiunt. Quo nomine illud neque vsurarium esse, nec peccatum, sed iustum, & debitum verè & sapienter docent. Posterius quoq; ab omni æquitate & iustitia maximè alienum est. Etenim, si per singulos trimestres. 6. vel 8. denarii a paupere accipiantur, compellerentur miseri duas vel tres centesimas vsurarum persoluere: Quod quam iniquum sit, perspicuum est: cum nec leges ipsę Romanorum, quę aliquas permittebant, huiusmodi paterentur. Ac vt ratione própria ex natura huius montis petita vtamur, Si illud tantum a pauperibus mutuatariis accipere licet, (vt statim vide bimus) quod ad expensas huius montis conseruationi necessarias exigitur, quis non videat illud parum ac moderatum, vt Summi Pontif. sanctissime docent, esse debere? minime vero in tanta & tam excessiua quantitate, qualem iniquè & malè visus est introducere Alexand.

Ab hac autem Alexandri sentẽtia dum nititur recedere Molineus, in suum errorem

rem toties in illo tractatu repetitum labitur: Docens, quod à paupere vltra sortem in hoc contractu exigitur, ratione mutui exigi, veramque & formalem vsuram esse; Sed licitam, & honestam, piamq; & laudabilem, ac iure naturali & ciuili concessam, quamuis non Iure canonico: Probandam vero, quia moderatissima est, nec exigitur in quęstum alicuius feneratoris, & ad lucra captanda, sed ad commodū pauperum, & conseruandum cumulum illum & mōtem: *Ita*, (sic enim habet) *vt cōtractus hic non sit negotiatio aliqua vsuraria, sed negotiatio conseruatoria beneficentiæ erga pauperes exercendæ, pertinens ad illud genus fœnoris, de quo Prouerb. 19. dicitur: Fœnaratur domino, qui miseretur pauperis.*

Sed neq; in hac parte Molineus audiendus est, cum ex primo articulo abunde cōstet, nullum genus vsurę, quæ vere & formaliter vsura sit, licitum esse: quin potius omni iure prohibitum. Repugnatq; sibi maxime Molineus, cum affirmet prius recipi aliquid á paupere ratione mutui, deinde vero vt huius montis ęquitatem, & iustitiam tueatur, doceat, non esse negotiationem vsurariam, sed conseruatoriam illius montis in pauperum beneficentiam, & in hunc finem illud recipi, vt expensis quę fiunt in conseruatione huius montis deseruiat: quod autem hoc fine recipitur, si ut vere res habet in hoc cōtractu, & optime Sūmi Pontif. explicarunt, non sumitur ratione mutui, nec habet vllam speciem vsurę, tantū abest, vt sit vera ac formalis vsura, sicut Molineus falso, & hæretice arbitratur.

Ioann. Medina, & Nauarr. locis initio huius quęstionis citatis, & multi ex recentioribus hunc contractum iustum, sanctū, & pium esse docet. Imo vt refert Leo 10. in illa Bulla cuius meminimus, etsi multi tenuerint opinionem istam Caiet. multo plures & doctiores verbo & scripto defenderunt hunc montem tamquam iustum, & licitum, cum illis capitulis & conditionibus, quas explicabimus, in quo nihil exigitur vel ratione mutui, vel ad augendum in aliquo cumulum illum, sed id tantum quod arbitrio peritorum & prudentum censetur omnino & præcise necessarium ad expensas, sine quibus mons iste permanere ac conseruari non posset.

Huius opinionis velut fundamentum est, reperiri reipsa in hoc contractu montis pietatis hos tres contractus. Primus est mutui, quod fit ex illo monte pauperi. Secundus est, contractus pignoris, quod minister nomine illius montis recipit ab illo paupere mutuatario. Tertius est contractus locationis, quo ministri locāt operas suas ad scribendum datum & acceptum, custodiendum pecuniam & pignora: Quo posito sic argumentantur. Quæ reddunt pauperes vltra sortem, non conferunt ratione primi contractus mutui, vel propter mutuum, id enim esset vsura: nec ratione secundi cōtractus qui intrinsecus etiam est illi mutuo, sed ratione tertii, quia ministri non debent gratis seruire, sed locant operas suas. Sed hanc locationē vel pretiū eius (cum omnes operæ istæ pretio æstimabiles sint) non est æquum vt reddat diues, qui montem illum instituit, cum ipse ad vtilitatem illius pecuniæ, quandiu ipsius erat, non indigeret huiusmodi operibus, nec Respub. quæ nec illis indiget, nec illis vtitur, nec vllus alius sed soli pauperes, vt habeant vnde mutuo accipiant, quod non haberent nisi existeret mōs iste, & conseruaretur cum huiusmodi operibus: Postulat ergo recta ratio & æquitas, vt soluantur huiusmodi stipendia, & expensę ab illis pauperibus mutuatariis. Et confirmatur. Recipere aliquid vltra sortem in mutuo, vel occasione mutui non est vsura, nisi recipiatur propter ipsum mutuum, & vi mutui. Etenim quando mutuans ducit in pactum lucrum vere sibi cessans, recipitq; illud vltra sortem, non est vsura, quia licet recipiat illud interueniente illo mutuo, & occasione illius, non tamen propter ipsum mutuum, neque ex vi mutui, sed ratione illius lucri sibi cessantis. Sed in hoc casu licet pauper iste nō redderet illud amplius vltra sortem, nisi accepisset mutuo ex isto monte, & interueniente tali mutuo, attamen quod reddit, non exhibet ratione ipsius mutui, sed ad expensas illius montis, qui in eius vtilitatem institutus est, & conseruatur.

Hanc sententiam tamquam verissimam recipiunt omnes fere recentiores, pręter vnum vel alterum: cui nos etiam subscribendum duximus: ita vt oppositam iudicemus omnino improbabilem & temerariam post decretum illud Cōcilii Lateran. sub Leone 10.

Probatur. Et imprimis vt vtamur methodo Theologię, cuius primus & potis-

ſimus locus eſt ab authoritate Sacræ Scripturæ, vel Eccleſiæ, Ex illa Bulla Leon. 10. lecta in Concilio à Reuerendo domino Bertrando Epiſcopo Adien. oratore ducis Ferrarrę in Curia Romana. Etenim cū mōs iſte incepiſſet ſub Pio ſecundo, fuiſſetq; confirmatus & approbatus à varis Pontif. non defuerunt qui illum damnarēt tamq; illicitum: Ita cepit oriri lis & controuerſia de iuſtitia huius cōtractus inter grauiſſimos Doctores, ad quam dirimendam, & tollenda ſcandala, quę ex huiuſmodi concertatione inter ſimplices naſcebantur, curauit Leo 10. vt veritas huius quæſtionis indagaretur, & ea diligenter inueſtigata edidit Bullam, quam dictus Epiſcopus Bertrandus legit coram omni concilio: Et habetur initio Seſ. 10. Vbi poſtquam retulit Papa fuiſſe illā inter grauiſsimos DD. diſputatam, ſubiungit: Doctiores vero, & ſapientiores hunc montem iuſtum, & licitum iudicaſſe præſtantiſsimos diuini verbi pręcones, ac Euangelicæ veritatis concionatores illum vt rem piam, & honeſtiſsimam, & ab omni iniquitate liberam fidelibus populis ſuaſiſſe, & quod præſtat à ſummis Pontif. Paulo 2. Sixto 4. Innoc. 8. Alex. 6. & Iulio 2. fuiſſe approbatum, & confirmatum: quibus præmiſsis conſtituit hanc definitionem in hæc verba.

Sacro approbante Concilio declaramus, & definimus montes pietatis ſupra dictos per Reſpub. inſtitutos, & authoritate Sedis Apoſtolicæ hactenus approbatos, & confirmatos, in quibus pro eorum impenſis, & indemnitate aliquid moderatum ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum ad illorum conſeruationem (vt præfertur) pertinentium vltra ſortem, abſq; lucro eorundem montium, recipitur, nec ſpeciem mali præ ſe ferre, nec peccandi incentiuum præſtare, nec vllo pacto improbari: quinimo meritorium eſſe, ac laudari & approbari decere, nec tale mutuum debere vſurariū putari, licereq; illorum pietatem & miſericordiā populis prædicare, etiā cū indulgētiis a Sācta Sede Apoſtolica eā ab cauſā cōceſsis, &c.

Et infra.

Omnes autem Religioſos, & Eccleſiaſticas, ac ſeculares perſonas, quæ contra præſentis declarationis, & ſanctionis formam de cætero prædicare, aut diſputare, verbo vel ſcriptis auſi fuerint, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam (priuilegio quocunq; non obſtante) incurre re volumus, non obſtantibus, &c.

Vbi apertiſsime, ita vt apertius non potuerit, de finitur hęc ſententia; Nec propterea reprehendendus eſt Caiet. qui multo ante hoc Concilium, & ipſius Bullā opuſculum illud ſcripſit: Mirari autem non deſino, quomodo Magiſter Soto vir certe eruditus, & pius contra tam apertam declarationem Apoſtolicæ Sedis hunc montem damnare audeat? Erroris, vel hæreſis notādus non eſt, cum ſe doctrinæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſemper ſubiiciat. In hac quæſtione, ſed temerariā, ac periculoſam talem ſententiam non poſſumus non iudicare poſt tam apertam determinationem Papæ ſacro approbante Concilio: Cui omnes reſponderunt. *Placet.* Præter vnicum tantum Hieremiam Epiſcopum Tranen.

Nituntur autem Soto, & nōnulli illum ſequuti vim huius rationis eludere multis ſolutionibus. Reſpōdet enim primū iuxta illud fundamentū ſumptum ex Caietano, Papā circa mores illud tantum definire tāquam de fide, quod ſuperat rationem naturalem, colligendumq; eſt ex Sacra Scriptura, vel traditione Apoſtolica, quod autem non colligitur ex Sacra Scriptura, vel traditione Apoſtolica, aut doctrinis Sanctorū, ſed ex principiis tantum Phyloſophiæ, & argumentis phyloſophicis, nō definire tāquā de fide, ſed proponere tāquā Doctorē phyloſophum; Et ita cū preſens quęſtio, Sit ne hic contractus vſurarius an nō? non poſsit colligi in particulari ex Sacra Scriptura, vel doctrina Sanctorum, ſed ſtandum ſit principiis ſolius Phyloſophiæ moralis, & argumentis ac rationibus phyloſophicis illam Bullam non eſſe tamquam definitionem de fide, nec expedire vt Papa huiuſmodi res definiat tamquam de fide.

Hoc fundamentum, vnde ſumitur hæc ſolutio, eſt periculoſum, & nullo modo admittendum. Eſt enim axioma inter fideles & ab initio naſcentis Eccleſiæ perpetuo receptum, Pontificē docentē de Cathedra nullo modo errare poſſe in fide, aut in his quæ pertinent ad mores vniuerſalis Eccleſiæ, neq; inter Catholicos audita vnquam hęc diſtinctio eſt colligatur ne quod á Sūmo Pōtifice diffinitur ex Sacra Scriptura, vel non: Noua eſt talis diſtinctio in Eccleſia Chriſti, & á maioribus noſtris illud tāquam dogma catholicum ſemper habitū, vt quidquid Pontifex vt Papa & docens fideles proponit circa mores vniuerſalis Eccleſiæ, ſiue illud ex Sacra Scriptura colligendū ſit, ſiue rationibus phyloſophicis inueſtigandum, eo ipſo quo definitur à Pōtifice eſſe tenendum tāquā verū, certū, & indubitatum. Alioquin nō haberent robur plereq;

plereq; definitiones Apostolicę ad mores pertinétes, quatenus diffinitiones Apostolicæ sunt, sed quatenus collectę ex Sacra Scriptura: vbi oriretur statim alia questio, an Papa illas recte colligat ex Sacra Scriptura vel non. Quo circa male hoc sonat, & periculose dicitur: Definitiones enim Apostolicę eo ipso quo definitiones Apostolicæ sunt, sunt certę, verę, & tenendę á fidelibus. Quod accommodatissimis exēplis illustrare licet. Sit ne anima rationalis forma substantialis, & naturalis, ex principiis Phylosophicis inuestigādū est: at eo ipso quo fuit definitū ab Ecclesia illā esse formā nulli fideliū licet cōtra sentire. Et in hac ipsā disputatione de vsura. An fructus pignoris feudalis possit dominus directus sine vsura recipere? vel fructus pignoris dotalis possit gener sine vsura facere suos? An servaturus merces in aliud tēpus sibi cōmodius possit illas carius vendere? & similes controuersiæ nulla ratione possunt dirimi ex Sacra Scriptura, vel traditione Apostolica, aut doctrinis Sanctorum, sed ex principiis Phylosophię moralis, & ex regulis iustitię, quas eadem Phylosophia proponit, sunt necessario dirimendæ, cui autem ex catholicis aliquando in mentem venit, vel quis eorum vnquam asseruit, quę docuerunt Pontifices circa has controuersias in cap. Conquæstus. cap. Salubriter. Cap. In ciuitate. Cap. Nauiganti. & similibus, non proponi ibi á Pontifice vt Pontifice? & tamquam decreta certa, & indubitata, ac necessario tenenda à fidelibus? sed supponi solum veluti á quibusdam Doctoribus? Absit hoc à fideliū mentibus, imo vt certa, & infallibilia decreta sunt ab omnibus fidelibus habita, cum primū á S. Sede Romana emanarūt. Vnde similiter ista Bulla Leonis non est accipienda vt doctriana alicuis doctoris phylosophi, sed vt Definitio Sedis Apostolicæ, cui nulli fidelium licet contra sentire. Nec audiendus est Soto cum ait, non pertinere ad Papam, neq; esse muneris Apostolici, definire in particulari, an hic vel ille contractus sit vsurarius, vel non, cum in capitibus istis citatis, in particulari definiant, an in istis contractibus fructuū, & venditionibus committatur vsura.

Porro quod in Bulla adducta loquatur Leo 10. vt Papa, non vt Philosophus vel doctor, constat, quia proponit Bullam quod est proprium Papæ vt Papæ, 2. ait Sacro approbante Concilio 3. excommunicat oppositum docentes. 4. Quis dicat doctoris alicuius, & non Papę vt Papę esse verba illa initio Bullę apposita. *Inter multiplices nostre solicitudinis curas illam imprimis suscipere pro nostro pastorali officio debemus, &c.* Et ita hęc prima solutio recedat.

Respondet secundo Soto, non omnia acta istius Concilii Lateran. esse recepta; & redacta in vsum, quod patet quia Ses. 9. eiusdem Concilii statuitur, vt qui habens redditus Ecclesię non persoluit diuinum offitium, restituat pro rata redditu̅ quantum diuini officii dimiserit, quod si per medium annū perseueret in illa omissione diuini officii, resignet beneficiū, vel prębendam quām habuerit: quod tamen statutum non est receptum vsū, neq; obseruatum. Et similiter illam Bullam Leonis non esse receptam, quod docet, quia Caieta. qui interfuit illi Concilio & Sessionī post editā huiusmodi Bullā scripsit opusculum illud contra montem pietatis, nec propterea fuit á Leone 10. reprehensus.

Hæc solutio peccat in multis Primo, quia vt recte ait Nauar. loco citato nu. 60. non habet eam reuerentiam, & obseruantiam quę sacris, æcumenicis Conciliis iuxta catholicam modestiam debetur, videtur enim significare approbationem & definitionem sacri Cōcilii Lateran. parum obligare. Secundo quia plurimū differunt quæ à Papa vel Concilio pręcipiuntur fieri & obseruari, & ea quę à Papa vel Cōcilio definiuntur tāq; doctrinę certę, ac verę: Pręcepta enim & constitutiones Papæ, vel Concilii quæ proponuntur vt leges quędā humanę, quibus pręcipitur aliquid fieri, vel non fieri, cum interdum nō demandentur executioni, per disuetudinem amittunt suā vim, at declarationes iuris naturalis vel diuini, & definitiones Ecclesię circa aliquam doctrinā, tam speculatiuam quam practicā (v. g.) sit ne hoc verum an falsum, sit ne hoc iustum vel iniustum, non pendent ex eo quod recipiantur vel non recipiantur, sed ex sola determinatione & authoritate Sedis Apostolicæ: Eo namq; ipso quo definitæ sunt, sunt certę, verę, & indubitatę. Nec potest quisq; dicere absq; maxima temeritate, & periculo, Pontificem, vel Cōcilium ab illo confirmatum in ista declaratione & approbatione errare potuisse, cum huiusmodi declaratio pertineat ad salutem animarum, & ad iudicium conscientię, sit ne hic contractus peccatum mortale, vel secus. Imo in hoc genere docendi Concilium & Papam errare non posse certissimum est, Cap. Maiores. 24.

quest. 1. cum aliis à Glosa ibidem citatis & Cano. Hęc est. Cano. Quoniam vetus. eodem loco, cum multis aliis quæ afferũtur à Nauarr. in cap. Nouit de Iudiciis not. 3. num. 45. & sequen. Hæc autem Bulla non fuit aliquod preceptum, aut cõstitutio, vel lex humana Pontif. sed definitio doctrinæ, qua definitum est, sit ne hic contractus montis pietatis iustus vel iniustus. Sic enim habet: *Sacro approbante Concilio declaramus, & definimus montes pietatis supradictos per Respub. institutos, &c.* Vnde doctrina hæc eo ipso quo fuit proposita in Cõcilio, & determinata à Leone 10. tamquam de cathedra, est tenenda ab omnibus fidelibus tamquam verissima, certa, & indubitata. Tertio fallitur plurimum existimans non fuisse vsu receptam, cum post hanc Bullam non modo persuerauerint montes pietatis antea instituti, verumetiã multi de nouo in Italia, & Hispania hac Bulla Magistratibus & Rebuspub. animos faciente, inceperint, & erecti sint. Quarto, fallitur etiam maxime Soto ignorantia historię & computatione temporum, existimans Caiet. post istam bullam Leonis edidisse opusculum illud de monte pietatis, cum absoluerit illud, sicut ex vltimo cap. eiusdem opusculi constat, Papiæ die 13. Iunii, 1498. Sessio vero Cõcilii Lateranen. in qua fuit lecta ista Bulla fuerit post decem & septem annos, nempe die quarto Maii in festo Beatissimæ Matris Monicę anno 1515. Fuerit ne autem reprehensus Caiet. à Leone, hoc nescimus, forsan fuit priuatim reprehensus, vel non indiguit, Bulla ista satis illum reprehendente, cum fuerit illa edita post illud opusculum, illius sententiam tam aperte damnans. Nec existimo Caietanum illi sessioni interfuisse, erat enim tunc generalis sui Ordinis, in ea vero sessione, cum recenseantur omnes qui illi interfuerunt, non describuntur Generales ordinũ.

Respondet tertio Soto, illam intelligẽdam esse sicut dixit Caiet. de Bullis aliorum Pontificum, quatenus Mons pietatis, & capitula ipsius non repugnant sacris Canonibus: tertiam vero conditionem, de qua disputamus, repugnare sacris Canonibus: cum in ipsis prohibeatur accipere aliquid in mutuo vltra sortem, quod tamen accipitur reuera in hoc monte iuxta istam tertiam conditionem. Vnde infert posse quidem accipi aliquid, sed exiguum, ratione illius obligationis quam habet in se mõs iste mutuandi cuicunque pauperi petenti, non tamem ratione aliarum expensarum, quia hoc est vsurarium.

Sed neq; hęc responsio valet, quidquid enim sit de hac solutione Caiet. circa Bullas aliorum Summorum Pontif. cum teste tur ipse se ita vidisse, ac legisse, Hęc tamen solutio, vt accõmodatur à Soto Bullæ Leonis, nec locum habet, nec audiẽda est.

1. Quia in ista Bulla Leonis nihil tale habetur de sacris Canonibus, sed absolute & simpliciter approbatur iste mons, & cũ illa tertia conditione, cum dicatur ibi: *Non esse vsurarium, neq; habere speciem mali, nec præstare peccandi incẽtiuum, recipere aliquid moderatum pro impensis, & indemnitate ipsius montis administrarum operas, & aliorum rerum, quibus huiusmodi montes indigent, cõseruationem.*

Secundo, quia Leo in illa Bulla, sicut ipsemet initio illius indicat, hoc præcipue instituit, tollere sua definitione lites & cõtrouersias, quas circa hunc montem excitarũt multi Magistri, & Prędicatores cum scandalo fidelium: at circa primam, & secũdam conditionem illius nunquam fuit dubitatum, nec litigatum. Nec credendum est, vt ait Medina, fuisse ipsum consultũ, An sit licitum dare & cõstituere pecunias in eum vsum, vt per eas indigentibus mutuo subueniatur pignore aliquo in securitatem accepto: hoc enim indignum erat, quod in quæstionem verteretur, aut consultatione indigeret. Sed tota disceptatio erat circa tertiam conditionem. Definit autem Pontifex montem hunc cum suis conditionibus licitum esse, & pium, ergo fuit in illa Bulla approbata hęc tertia conditio. Quin & contra Caietanum, Cũ Leo in hoc sensu definiat istum montem esse licitum, adducatq; in eandem sententiam prædecessores suos Paulum secundũ vsq; ad Iulium secundum, aperte docet, prædecessores suos approbasse quoque istũ mõtem cum ista tertia conditione, & sine vlla restrictione Aliter enim, si Bulla hęc intelligenda esset cum illa clausula, quatenus capitula eius sacris Canonibus nõ repugnãt, cum hoc esset in quæstione positum. An capitula ista repugnent sacris Canonibus, non minus ambigua remaneret controuersia hęc post Bullam istam, quam antea esset, nec quicquam declarasset aut definisset Leo 10.

Tertio iste mons, cum primum fuit excogitatus, & institutus, fuit institutus cũ omnibus

omnibus istis cõditionibus, postulatumq; semper à prima illius erectione á mutuatariis, redderent aliquid vltra sortem, non ratione mutui, vel ad augendum montẽ illum, sed ad expensas illius conseruationi necessarias: & qua ratione fuit institutus, sub eadem quoque approbatus à summis Pontif. prædecessoribus Leonis 10. nõ est autem dicendum Romanos Pontif. viros peritos, prudentissimos, & qui diligentissimi esse solent in examinandis omni ex parte his quæ sibi approbanda proponuntur, & qui optime norunt actus humanos vel ex minima circunstantia mutari, & vitiari posse, approbasse hunc contractum temere, & ignoranter, nec perspexisse prius diligenter, & explorasse omnes conditiones, & circunstantias illius. Vnde certissimũ esse debet cõfirmasse, & approbasse illũ & cũ hac tertia cõditione, Et in particulari quanta solertia & diligentia Leo 10. in hac quæstione diffinenda vsus fuerit, ex verbis eiusdem Bullę patet, maxime ex verbis illis. *Ex certa scientia, &c.* Quãtum autem differat inter approbationes quæ fiunt in forma tantum communi, & eas quę fiunt sub hoc tenore verborum late Panorm. & Decius in Rubric. & cap. 1. & cap. Venerabilis. De confirm. vtili. vel inutili. Tum etiam neq; solum affirmat Leo illud se declarare ex certa scientia, sed recensendo argumẽta vtriusque partis, & comendans plurimum mõtium huiusmodi institutores, & concionatores, qui illos populis persuaserunt, & Pontifices prędecessores suos, qui concessis indulgentiis ad similes instituendos, vel ampliandos aliis animos fecerunt.

Deniq; habet Leo in illa Bulla, multo perfectius multoq; sanctius fore, si tales montes gratuitè omnino constituerentur, hoc est, si erigentes illos alioquos census assignarent, quibus vel omnes, vel aliqua saltim ex parte ministrorum operæ soluerentur, vt sic á pauperibus minus exigeretur, conceditq; plures & maiores indulgẽtias instituentibus hos montes cum huiusmodi censibus simul, ex quibus expensæ illæ soluerentur. Vbi cum non dicat necessarium esse, ac oportere, vt hic contractus sit iustus, tales census assignare, nec pauperes tenerentur illas expensas soluere, sed dicat solum perfectius esse & sanctius, indicat aperte licere nihilominus exigere huiusmodi expensas á pauperibus.

Confirmantur hæc omnia: Primo, quia Concil. Trident. sess. 22. cap. 8. de reformatione. inter opera pia & charitatis connumerat montes pietatis, quos certum est & publicum cũ ista tertia cõditione exerceri vbiq; retuleruntq; viri fide digni qui illi Concilio interfuerunt, Patres illius Concilii magnas eleemosynas erogasse ad augendum montem pietatis Tridentinæ Ciuitatis. Secundo, vsu receptissimo in omni Repub. bene instituta, maxime in Italia, vbi frequentes sunt huiusmodi montes, & cum istis cõditionibus, quos, nisi omnes illæ iustę essent, non est dubitandum à Sum. Pontif. fuisse iam abolitos & sublatos, maxime per Pium 5. qui tanta diligentia expendit opera virtutis, & pietatis.

Sed vtamur iam rationibus. Ad quarum vim magis percipiendam, & imbecillitatẽ earum, quibus authores alterius opinionis maxime Caiet. illam confirmare nitũtur obseruemus primo, Cum hic mons (vt initio huius controu. admonuimus) institui possit vel á diuite aliquo potente ex propriis bonis illius, vel à Repub. ipsa & illius Magistratibus ex communibus bonis eiusden Reipub. vel à tota communitate, singulis ciuibus ad illius erectionẽ & augmentum aliquid cõferentibus, quacunque istarum rationum instituatur, cum primũ institutus, & erectus est, bona illius siue pecunia sint, siue triticum, siue quid uis aliud, iam nec esse diuitis & potentis qui illa contulit, & in vsum pauperum cõuertit, nec totius Reipub. & communitatis ciuium, sed (quod fatetur etiam Caiet. nec potest vlla ratione negari) solius collegii & communitatis pauperum illius ciuitatis, & loci. Non esse diuitis illius vel ex eo constat, quia cum primum hunc montem instituit, abdicat á se omne dominiũ illius pecunię, ita vt non possit iam in aliquos alios vsus neq; proprios illam conuertere, vel alicui alteri eam mutuare quã pauperibus illius ciuitatis, & loci: Quo fit, vt siquis diues aliquam suorum bonorum partem ad mutuandum pauperibus designaret, ea tamen lege, vt illius dominium penes se retineret, cum facultate mutuandi illam quandiu sibi placeret, vel his tantum quibus ipsi placeret, & conuertendi illam in quos vsus voluerit, pecunia illa vel cumulus bonorum sub illius dominio manens non sit mons pietatis, de quo hic loquimur, neq; eo tempore, quo habet illã designatã ad mutuãdum paupe-

pauperibus. Quia Mons pietatis ille tantum cumulus pecuniarum vel bonorũ est, qui in nullum alium vsum iam conuerti potest, quam in subuentionem pauperum per mutuum. Qua etiam ratione, vt inter argumentandum ostendemus, nec Respub. ipsa vel magistratus illius domini sunt, esto ad eos pertineat illius administratio, sed sola communitas & collegium pauperum, quibus subueniendis per mutuum dicatum est.

Obseruemus secundo quod sequitur ex precedenti obseruatione, & est maxime aduertendum: Quæ secundo loco costituit Caiet. ad stabiliendam & cõfirmandã opinionem quam sequitur, maiori ex parte falsa esse. Nam imprimis, quod ait, ex operibus quæ ministri exercent in hoc contractu, duo illa nempe dare prius mutuum & recipere pignus, deinde vero recipere pecuniam mutuatam & restituere pignus acceptum, nõ esse pretio ęstimabilia, falsum est. Quãuis enim hæc sint intrinseca mutuo, & quatenus concurrunt ad actum mutui, non posit hic vel ille, qui ex propria pecunia alteri mutuat, aliquid recipere, attamẽ in hoc contractu, quatenus sunt operæ ministrorum, qui in illis exhibendis aliquod tempus consumunt, & aliquem suscipiũt laborem, pretio æstimabilia sunt, & stipẽdio digna. A quo debeat illis huiusmodi stipendium persolui, potest quidem controuersum esse, quod autem huiusmodi operæ pretium & stipendium mereantur, certum est. Quemadmodum enim cãpsor, pro traditione pecuniæ, & receptione securitatis, vel similibus actionibus quæ contractui cambii intrinsecæ sunt, nihil potest recipere, ministri vero & famuli qui suo laborę & industria pecunias numerant, literas conficiunt, & pignora vel securitatem recipiunt, digni sunt pro huiusmodi ministeriis suo stipendio, non minus quam operarius mercede sua: Ita quoq; in hoc cõtractu, etsi conferre pecuniam, recipere pignus, & securitatem, recuperare mutuatum, & restituere pignora, sint actiones intrinsecæ mutuo, & propter quas dominus pecuniæ illam mutuãs non debeat aliquid recipere vltra sortem, at si hęc fiant per famulos & ministros, ministeria sunt & obsequia pretio æstimabilia, & digna mercede ac stipendio. Vnde dubium quidem esse potest, à quo debeant huiusmodi stipẽdia solui ministris illis, attamẽ deberi perspicuum est.

Quod deinde ibidẽ addit, illa alia opera, vt seruare pecuniam, custodire pignora, habere libros rationum in quibus scribantur tam mutua quam pignora, mutuatario non restituente in termino vendere pignora, è quorum pretio restituatur mõti quod ex illo acceptum fuerat, non esse in vtilitatem pauperis pręcipue ac potissime, sed vel montis ipsius, vel domini illius, falsum etiam est: nec recte à Caietano & Soto concideratum. Primo, quia differt plurimum considerere actiones istas secundũse, vel conciderarе eas vt circunstantias omnino necessarias huic contractui, & conseruationi huius Montis: priori enim modo partim sunt in vtilitatem pauperum, partim vero in vtilitatem montis, at posteriori modo, qua ratione hic considerandæ sunt, in solam vtilitatem pauperum cedũt. Probat illud recte Medina. Quia cum omnes actiones istæ eo tendant, vt pecunia illa siue bona in isto cumulo & monte cõstituta, custodita ac secura maneãt, nec minuantur vel deficiant, consequẽter in eius vtilitatem censendæ sunt actiones istæ cedere, cui expedit pecunias istas, & bona custodita esse, ac secura, & permanẽtia: Ex fine namq; mediorum ratio in omni genere rerum sumenda est: at quod bona ista sic maneant, & conseruentur, non redũdat in vtilitatem, diuitis qui mõtem istum erexit, cum iam illa á se omnino abdicauerit, & in solum vsum pauperum conuerterit: nec in vtilitatem Reipub. vt Respub. est, & communitas varios hominum status & ordines complectens, sed in solam vtilitatem pauperum, qui illis tantum vti possunt, ergo & actiones istæ & operæ ministrorum in solam cedunt vtilitatem pauperũ, quatenus in hoc monte iam erecto & instituto exercentur. Secundo accessorium sequitur naturam sui principalis, at opera istorum ministrorum sunt velut quædam accessoria necessaria Monti pietatis, mõs vero iste non est vt cõstat in vtilitatem diuitis, qui pecuniam illam contulit, neque Reipubli. sed in solam vtilitatem pauperum, ergo & opera ista quæ à ministris circa illum fiunt, quacunq; ratione à Caiet. conciderentur, in solam cedunt pauperum vtilitatem. Tertio, quod pecuniæ vel bona istius montis secura sint, & custodita, vel secus, nullum ex eo damnum vel commodum sequitur diuiti, qui illa contulit, cum primũ illa à suo patrimonio omnino separauit, nec ærario publico ipsius Reipub.

pub. sed pauperibus tantum, qui cumulo illo permanente habent vnde sibi per mutuum subueniant, eo vero deficiente oportebit eos varia damna pati, ergo operæ istę & ministeria quibus mons iste custoditur, ac permanet, in eorum sunt vtilitatem, & commodum.

Obseruemus tertio in hoc cõtractu recipiendi mutuũ ex Monte pietatis vtraq; iustitiam concurrere, & commutatiuã & distributiuam, quod ex propria illius ratione & natura percipere licet, Nam cum sit hic mons ad subueniendum omnibus pauperibus, tamquam ex bonis communibus collegii & communitatis ipsorum, & ea lege vt cumulus iste non deficiat, sed conseruetur semper, propter quod exiguntur ministri quos diximus: Qua parte deseruit ad mutuũ, debet in eo seruari vtraq; iustitia, distributiua, vt pauperiori ac magis indigenti plus mutuetur, commutatiua vero, vt quantum quisque mutuo accipit, tãtum restituat. Similiter qua parte conseruandũ est per operas ministrorum, vtrãq; exigit, commutatiuam, secundum quam singulis ministris pro ratione suorum laborum stipendium reddatur, ab eis in quorum vtilitatem mons iste institutus est, & conseruatur; & distributiuã, secundum quam, quãtum bonorum & commodi ex isto monte vnusquisq; pauperum recipit, tantum expensarum, quæ in illo custodiendo fiunt, persoluat. Quo fit, vt licet illas persoluere quodam onus dici posit, proprie tamen ac vere non exigatur ab eis vt onus, sed tamquam stipendium debitum ex iustitia ministris ipsis deseruientibus, in debitis vero, quę ex iustitia reddenda sunt tamquã stipendia laborum, non respicitur persona, vel status, sed labor ministri, & vtilitas quam quisque ex illo labore & ministerio recipit, ita vt qui maiorem vtilitatem ex eo recipit maiorem debeat illius stipendii partem persoluere, siue nobilis sit, siue plebeius, siue diues, siue pauper. Vt cum adducitur triticum à remotis Prouinciis expensis Reipub. qui plures mensuras illius recipit, maiorem partem illarum expensarum reddere cõpellitur, & iustissimè, siue diues sit, siue pauper: quia expensas illas nõ persoluit vt onus aliquod omnibus impositum, sed tamquam debitum concomitans illud triticũ. Vnde in nostro casu sunt hæc maxime distinguenda, mutuũ ex mõte, & stipẽdia ministrorum, qui ad illum exiguntur: Quo ad mutuum, cum sit mõs iste velut bonum commune communitatis pauperum, habenda est ratio paupertatis eorum, & ex ea sumenda est dignitas eorum, quibus bona huius montis per mutuũ distribuenda sunt, ita vt pauperiori plus mutui conferatur: quò ad expensas vero, quarum solutio pertinet ad commutatiuã, quia redduntur vt iusta stipendia ministrorum, ab eo reddi debet maior illarum pars, cui ministri isti maius obsequium pręstãt, pręstãt vero maius illi, cui plus ex isto mõte cõfertur mutui, Quod nõ perpẽdit satis Caiet. neq; qui illum sequuntur: considerauit autem recte illud Leo 10. in Bulla illa, affirmans ad solas ministrorum expensas, & alia ministeria, quibus huiusmodi montis conseruatio eget, pauperes tribuere moderatũ illud, quod ab illis exigitur. Vbi non tamquam onus, sed tamquam stipendiũ iuste ab ipsis debitũ, significat Summus Pontif. illud reddi. His positis argumentor iam primo, ex principio eiusdemmet Caietani. Nullus tenetur soluere operas, quæ cedunt in aliorum cõmodũ, sed eas tantum quæ cedunt in propriam vtilitatem ipsius ex Reg. Iuris in 6. *Qui sentit commodum, debet sentire & onus siue damnũ*, qua regula vtitur etiam Concil. in dicta sessio. 10. Sed omnes actiones & operæ, quas exercent ministri, & custodes istius montis, cedunt in vtilitatem pauperũ mutuatariorum, non in vtilitatem diuitis illũ instituentis, aut Reipub. ergo iustissimẽ & necessario expensę istę soluendę sunt à pauperibus, qui mutuo accipiunt ex hoc monte, non à diuite qui illum instituit, vel á Repub. Maior cum consequentia aperta est: Nam secundũ omne ius ad eũ pertinet custodia rei, ad cuius vtilitatem & commodum illa custoditur, & cui perit casu quo pereat, vel lucrifit, si augeatur, & crescat L. 1. & L. Necessario. ff. De peric. & commo. Probatur minor. Imprimis non cedunt in vtilitatem diuitis illum mõtem instituẽtis, cum diues illum instituẽs, (vt cõstat ex prima obseruatione,) eo ipso quo illum erexit, abdicauit à se dominiũ illius pecuniæ & montis, transtulitq; illud omnino in communitatem pauperum, vt ex eo per mutuum sibi prouideant. Eadem ratione siue mons ille ex bonis communibus ipsius Reipub. institutus sit, siue à singulis ciuibus vnoquoque aliquid contribuente, siue ab aliquo peculiari diuite, commissum tamen ac traditum Reipub. Respub. non est domina illius pecunię, vel aliorum

aliorum bonorum, ex quibus huiusmodi Mons coalescit, sed ipsi pauperes. Patet: nam bona quorum Respub. domina est, possunt Magistratus conuertere in quascūq; necessitates Reipub. veluti, in edificia publica, pontes, custodiam ciuitatum, vel annonam; at huiusmodi montem, quam primum erectus est, non possunt Magistratus in aliquas necessitates Reipub. cōuertere, sed in solum vsum pauperum per mutuū, ergo Respub. nō est illorum domina, sed soli pauperes mutuatarii, cum hi soli possint illo vti in suum commodum: ergo actiones quas exercent ministri in beneficium huius montis, non sunt in vtilitatem diuitis, qui illū erexit, vel Reipub. sed ipsorum tātum pauperum: cum ea quæ in vtilitatem & conseruationem alicuius rei fiunt, in eius tantum vtilitatem dicenda sint cedere, qui illius rei vere dominus est.

Respondet huic argumento Soto, pauperes nulla ratione asserēdos esse dominos huius montis. Primo quia dominus potest vti re sua in omnes vsus pro libito, & illā consumere, pauperes autem non possunt pro libito vti bonis istius montis, neq; illa consumere. Secundo, quia sicut rem suam nemo dicitur accipere ab alio mutuo, ita nec mutuatarius est dominus rei ex qua mutuum petit à mutuante: etenim si illius dominus esset, cum imperio & iure posset illam exigere vt suam, non vt mutuatam: at pauperes sunt mutuatarii, ergo non domini. Quod si domini non sunt, non pertinet ad eos conseruatio istius montis, nec solutio expensarum quæ ad illius conseruationem sunt necessariæ. Ita infert, vbi montis nullus est dominus, ipsummet mōtem teneri ad soluendas illas expensas, nec incōmodum esse, vt minuatur: quemadmodum si priuatus ex sua pecunia vellet pauperibus mutuare, teneretur ipse illā cōseruare, ac soluere necessaria illius conseruationi, etiam si propterea minueretur.

Sed hę rationes Soti, nec vim aliquam habent, nec eludunt robur nostri argumēti Ad primum dico, dominum posse vti re sua in vsus lege sibi permissos, lege autem vel Reipub. vel diuitis creatoris istius mōtis, qui potuit apponere illi leges honestas quas voluit, (cum vnicuiq; liceat de bonis suis disponere appositis conditionibus iustis) bona istius montis sunt tradita pauperibus, in hunc vsum, ad leuandas eorum necessitates per mutuum cū istis conditionibus, quarum vna est, vt teneantur ipsi cōseruare hunc montem, cum hoc ipsum cedat in eorum quoque vtilitatem. Falsum quoque est, posse quemcumq; dominum, rem cuius est dominus, consumere. Nam beneficiatus est dominus sui beneficii, Primogenitus dominus suę primogenituræ, nec tamen possunt ista consumere. Nec secundum habet vim, quamuis enim vnusquisque pauper seorsum & perse non sit dominus, tota autem communitas pauperum (vt concedit Caiet.) est domina vtilis istius montis, & tenetur ad illius conseruationem. Vnde sumitur efficax argumētū. Huius montis conseruatio non pertinet ad diuitem illum, qui primo pecuniam cōtulit, quia si sibi illud conseruaret, conseruaret profecto illud domi suæ, & in arca sua, sine talibus ministris, & expensis: nec ad Rempub. cum non sit domina, nec illo vti possit in suas necessitates, sed pertinet ad cōmunitatem pauperum, cui soli hic mons seruit, & quæ sola eo vtitur, & cuius conseruatio nulli alteri quam ipsi vtilis est, & proficua. ergo debet conseruari & custodi integer ex bonis istius collegii, & cōmunitatis pauperum: Nunc sic. Debet custodiri ex bonis cōmunitatis pauperū, ergo aut ex bonis communibus istius communitatis, aut ex partialibus singulorum pertinentium ad istam communitatem, nō ex cōmunibus quæ non habet communitas pauperū, ergo ex partialibus singulorū, hoc autem fit per illam tertiam conditionem, exigendo ab vnoquoque quantum prudenter taxatum est pro expensis ministrorum: ergo licita est & honesta ista tertia conditio. Nec est dicendum cum Soto ex ipsomet monte soluendas esse istas expensas, tamq; ex bonis communibus ipsorum pauperum: hoc enim non esset conseruare montem, sed attenuare & consumere, agimus autem hic de medio necessario ad eius conseruationem. Tum, quia illa ipsismet pauperibus necessaria est, tū, quia institutor eius potuit apponere hanc conditionem honestam, vt pauperes qui voluerint illo vti ad leuandas suas necessitates, illum conseruent.

Tertio si Respub. vel quiuis instituens hunc montem obligaret se ad duo, ad mutuandum, & ad conseruandam pecuniam ex qua conferendum est mutuum illud cū hæ duæ obligationes pretio æstimabiles sint, posset pro illis accipere vltra sortem, quod peritus & prudens iudicaret iustum esse pro illis exhiberi, sed hoc ipsum fit

per

per istã tertiã conditionem in monte pietatis, soluendo expensas ministrorum, quia ministri eius cum primum instituitur, & cõmittitur ipsis, obligantur ad hæc duo, ad mutuandum cuicunq; pauperi petenti, & conseruandum illum mõtem. Et confirmatur Respub. vel diues instituens hunc mõtem nec suscipit in se, nec tenetur suscipere hoc onus conseruandi illum, vt tam presentes pauperes quã futuri ex illo possint mutuum accipere, sed sat fecit tradendo illam pecuniam conferendo hoc onus ministris, alienum autem està recta ratione vt debeant sustinere ministri hoc onus suo damno, sed cum expensis eorum quibus hic mons & ipsius conseruatio deseruit, cuiusmodi sunt pauperes mutuatarii, ergo æquissimũ est vt persoluant ipsi quę illius conseruationi sunt necessaria. Et cõfirmatur apertius: Si diues donatione, vel legato mandaret pauperibus suæ ciuitatis mille aureos, ex quibus per mutuum sibi cum egeret subuenirẽt, ea lege, vt ille mille aurei perpetuo conseruarentur datis pignoribus, tenerentur pauperes expensas in ea quantitate sic conseruanda, & pignoribus custodiendis necessarias persoluere, legatumq; illud esset firmum, & iustum, argumento a L. Id quod pauperibus. Cod. de episco. & Cleric. & L. Siquis ad declinandum. eodem titu. Sed eodem omnino modo se habet mons iste de quo hic disputamus, ergo tenentur pauperes ad illius conseruationem suis expensis, estq; ex consequenti iusta ista tertia conditio, in qua autores alterius opinionis adeò impingunt.

Quarto Magistratus, & gerentes officia Reipub. vt iudices, & similes si non haberent publica stipendia à principibus, vel Rebuspub. quãuis officia illorũ sint in vtilitatem cõmunem Reipub. nilominus quia in particulari sunt in vtilitatem eorum quibus deseruiũt, possent exigere, ac recipere stipendia ab illis priuatis quibus deseruiũt in suo munere publico, ergo similiter ministri Montis, & si cedãt in vtilitatem cõmunem, ne scilicet pauperes pereant, quia sunt quędam pars Reipub. attamen cum non habeant stipendia à Repub. nec Respub. ad id teneatur, qui non est domina istius montis, æquum est vt sua stipendia aliasq; expensas recipiant ab his, quibus seruiunt in isto monte: seruiunt autem re verà pauperibus, & quæcunq; præstant sunt in vtilitatẽ & commodum ipsorum, ergo ęquum est, vt ab ipsis pauperibus mutuatariis recipiant sua stipendia, & omnes expensas necessarias conseruationi istius montis. Et confirmatur: Accessorium per se & directe necessarium, sequitur naturã sui principalis, ista stipendia ministrorum & aliæ expensæ etiam si aliqua ratione cederent in vtilitatem diuitis instituentis illũ montem, vel Reipub. attamen cum pręcipue fiant propter ipsum montem & eius tutellam, sicut mons ipse non est institutus in vtilitatem diuitis vel Reipub. illum erigentis, sed pauperum, ita quoque stipẽdia ista & expensæ censendę sunt fieri potissime in vtilitatem pauperum, & respicientes quacunq; ratione à Caiet. considerentur, præcipue & potissime in vtilitatem pauperum, & consequenter sunt ab eis exsoluendę.

Quinto, sicut vidimus agẽtes de damno emergente, mutuans non tenetur ex mutuo pati damnum, sed potest cõuenire & iuste cũ mutuatario, vt persoluat illud nemo enim debet suo dãno alteri vtilis esse, qua de causa si quas expensas oporteat ipsum facere, vt alteri mutuet, iuste illas potest exigere: vt si Petrus petat á Ioanne Valentiæ mutuum: Ioannes autem suas pecunias habeat Toleti, potest dicere illi mutuabo tibi gratis pecuniam, quã habeo Toleti, sed cura tu ac tuis expensis vt illa è Toleto huc transferatur, ac eo reducatur mihi enim non est necesse illam huc adducere, imo expedit potius ibi illã existere. Sed in hoc casu nostro omnes expensę, quę fiunt in isto monte, fiunt propter pauperes, vt illis subueniatur per mutuũ, nec alio fine institutus est mons iste, & conseruatur quam propter ipsos, exigũtur ergo iustissime expensę istę á mutuatariis pauperibus, sicut in exemplo adducto exigeret Ioannes á Petro expensas illas, quidquid dicat Caiet. repugnat enim rectę rationi vt institutor montis, ex tali bono opere reportet damnum.

Respondet huic argumento Caiet. existentem Mediolani, & habentem pecuniã Genuæ, si Ioannes illam mutuatam postulet, posse cum eo ita conuenire: adducatur illa huc tuis expensis, adductam vero gratis mutuabo, quia cum huiusmodi mutuum sit in vtilitatem Ioannis, expensas quę ad illud exiguntur, non debet facere Petrus, sed Ioannes cuius interest: In nostro vero casu, expensas quę fiunt ad conseruationem huius montis, nõ esse in vtilitatem pauperis mutuatarii, sed montis ipsius,

ipsius, vel diuitis, aut Reipub. illum instituentis. Sed solutio hæc satis ex dictis confutata manet, cum mons iste, & cumulus pecuniæ (vt ostendimus) neq; sit in vtilitatem diuitis, vel Reipub. quæ illum erexit, neq; vllius alterius, quam pauperum ipsorum, qui illo vtuntur. Vnde argumẽtum istud efficacissimum est, & exemplũ siue similitudo vnde sumitur nõ est aliena à proposito, vt habet Caiet. sed maxime ad propositum, & accõmodatissima huic instituto, & quæstioni.

Sexto, Quando Respub. exercet aliqua negotia, vel contractus in vtilitatem communem, quibus necessariæ sunt expensæ, iustissimè exiguntur illę ab his, qui illius negotii vel contractus sunt participes: est enim principium morale: Ille debet onera rei sustinere, in cuius fauorẽ res agitur, vt cum parat Respub. annonam, congregatq; triticum in publico horreo, quicũq; recipiunt ex illo tritico, tenẽtur pro rata & portione tritici quam accipiunt expensas illas exsoluere, ergo similiter cum mõs iste pietatis sit in vtilitatem pauperum, & ipsis tantum deseruiens, iustissimum est, vt omnes expẽsę, quę ad illius conseruationẽ fiũt, exsoluãtur à pauperibus mutuatariis.

Octauo. Si priuatus mutuet Ioanni, ac vt in illo mutuo sit securus, exigantur aliquę expensæ, vt stipendium tabellionis, vel quid simile, iuste potest exigere Petrus à Ioãne vt soluat illas expensas: cur igitur non licebit eodem modo, cũ Mons iste sit per mutuũ vtilissimus pauperibus mutuatariis, exigere ab ipsis expensas, quę illius securitati & cõseruationi necessariæ sunt? Quod si dixeris cum Caiet. diuitem, vel Rempub. instituentem huiusmodi mõtem, simpliciter non teneri ad soluendas aliquas expensas, veruntamen postquam volunt instituere talem montem in usum pauperum, teneri ad illas exsoluendas, hoc falso dicitur. Primo quia nemo tenetur, ex eo quod velit alteri prodesse, damnum pati. Secundo quia similiter concluderetur Petrum priuatim volentem alteri mutuare, teneri ad soluendam scripturã tabellioni, et similes expensas, postquam vult mutuare, quod est aperte falsum vt cõcedit ipsemet Caiet. Qui enim mutuat, sicut potest petere securitatem, ita & scripturã tabellionis, & ex cõsequẽti exigere á mutuatario, vt soluat expensas ad illam securitatem, & scripturam, & simila necessaria.

Respondet etiã huic argumento & exẽplo, Caiet. Differre plurimum hæc duo, petere securitatem mutui, vel petere talẽ securitatem, nempe chirographum: petens inquit securitatem, non petit in sui fauorẽ aliquid quod habeat annexũ damnum aliquod alterius, & ita potest illam petere, sicut cum petitur fideiussor, vel pignus, hæc namq; ex se non habent aliquas expẽsas necessario annexas, quod si aliquando ad conferendam huiusmodi securitatẽ (v.g.) per fideiussorem vel pignus oporteat aliquas expensas facere, dãnum istud nõ infertur (inquit) á petente securitatem, sed ab eo qui non habet illam in prõptu, nec potest eam aliter habere, quam cum illis expensis, petens vero sucuritatem per chirographum, vel aliud simile, quod habeat expensas annexas, inique agit, nec talem securitatem postulare potest, quia nõ potest petere in suũ fauorem, quod habeat annexum damnum alterius ita infert, posse quidem peti à paupere mutuario pignus, vel securitatatem, non tamen ita vt expensas ad illam necessarias ipse soluat. Sed hęc distinctio pace quod dixerim Caiet. figmentum quoddam est. Eo namq; ipso, quo licet creditori alicui securitatem petere à suo debitore, quo iure tenetur debitor securitatem illam præstare, maxime creditori á quo beneficium recipit, tenetur etiam ad omnes expensas, quę ad securitatem illam fuerint necessariæ, aliter si creditor beneficium conferens suo debitori deberet vel expensas ad suam securitatẽ necessarias soluere, aut carere securitate ne illas solueret, profecto ex beneficio reportaret damnum, quod omni iuri repugnat. Habetq; illud omnium gentium vetustissima consuetudo, vt stipendium tabellionis scibentis chirographum, vel obligationem debitoris, vel expensas quas pignus aliquod secum affert, debitor ipse reddat, maxime in mutuis, & similibus contractibus, qui in commodum & vtilitatem eiusdem debitoris potissime cedunt.

Ex his sequitur, primo. Cum mons pietatis destinetur perse & primo in vtilitatẽ pauperum, licet indirecte redundet in vtilitatem Reipub. quia bonum partium est bonum totius, iuste tamen pauperes teneri ad sustentandum, nec vllam ipsis fieri iniuriam, cum exiguntur ab eis vltra capitale, quæ ad illius montis conseruationem sunt necessaria. Quin etiam addo, vt sicut lex communitatis lata in bonum cõmune,

mune, licet ferat secum detrimentum aliquod alicuius particularis, nihilominus est iusta, quia iure naturæ bonum cõmune preferendum est bono particulari: pari ratione, esto sit aliquod nocumentũ pauperibus mutuatariis exoluere aliquid vltra capitale, attamen cum talem montem extare, & conseruari cedat in bonũ commune totius communitatis pauperũ, iustã esse constitutionem huiusmodi montis, vt reddatur extra capitale aliquid a singulis ad actiones & expensas necessarias illius conseruationi. Sequitur secundo, vt quamuis pro seruandis pignoribus quæ nullo egent labore, vt illæsa & incolumia permaneant nihil liceat à paupere illa conferente accipere, existere nihilominus in contractu istius montis alios titulos, ratione quorum iuste recipitur quod exigitur: nẽpe custodiã pecuniȩ, & pignorum, cum ministri teneantur illa soluere si pereant, aut non appareant, rationem dati & accepti, &c. obligationem ad mutuandũ, &c. curam recuperãdi debita, &c, quo fit vt solum accipiatur quod iustum est siue pignus onerosum sit, siue nõ, ratione aliarum actionum, quibus ista stipendia iuste debentur. Sequitur tertio. Multo quidem sanctius & melius institui montem pietatis, si institutor illius simul emeret aliqua iura, vel census perpetuos ad stipẽdia, & expensas in illo faciendas, ita vt nihil exigeretur à pauperibus præter capitale, vt optime admonet Leo 10. in sua Bulla: (vt dixi) etiam si tempore institutionis istius montis pecunia necessaria ad iura ista perpetua ex ipsomet monte extraherentur. V. g. habet quis 10000. ad erigendum montem, melius ageret, si institueret montem cum 8000. & alia 2000. converteret in ista iura vel census, ad soluendas expensas & stipendia ministrorum.

Nunc ad argumenta.

Ad primum cui maxime nititur Soto Respondeo, diuitem illum designantẽ pecuniam ad mutuandum pauperibus, duobus modis vt in prima obseruatione admonuimus, posse se habere, nã aut separat illam abdicando à se domininm illius, & obligans illam ad hunc tantum vsum qui est mutuare pauperibus, sicut se habet pecunia quȩ est in monte pietatis, aut instituit solum mutuare ex illa, quandiu ipsi libuerit, qua ratione nec obligat se ad mutuandum, nec abdicat à se dominium illius pecuniæ, sed manet penes ipsum. Rursum ministri quos habet diues ille priori qui, scilicet pecuniæ illius vel frumenti dominium à se abdicauit, aut solum deseruiunt illi pecuniæ conseruandæ, quia præcise illi muneri omnino necessarii sunt, vel non solum deseruiunt isti pecuniæ mutuandȩ, verumetiam aliis negotiis eiusdẽ diuitis; siquidẽ diues his sic eã designauit, vt illã à se omnino abdicauerit, & conuerterit in mutuum pauperum, & in eos vsus illam obligauerit, constitueritque ministros illius custodes, huic tantum muneri seruientes, nec in alia re ocupatos, ita vt habeat se pecunia illa eodẽ omnino modo, quo pecunia quȩ est in monte pietatis, potest exigere á pauperibus stipendia illorum ministrorum, & expẽsas, quæ necessario fiunt in conseruatione illius pecuniæ, sicut diximus de monte pietatis: Tum, quia non tenetur ipse mutuare pauperibus damno suo, præter quam in casu extremæ necessitatis, extra quem sunt, qui per mutum sibi subuenire valent: Tum quia pecunia illa iam non est penes ipsius dominium, sed communitatis pauperum, tamquam iam consecratam in solũ ipsorum vsum. Quod si diues non abdicauit à se dominium; tunc partim ipse, & partim pauperes tenentur expensas illas soluere, quia in eo casu custodia pecuniȩ pignorum, & cȩterȩ actiones partim cedunt in vtilitatem illius, cum pecuniæ illius dominiũ adhuc retineat, partim vero in vtilitatem pauperum: qua de causa non erunt tunc omnes expensæ istæ imponendæ pauperibus, sed exigenda ab eis ad arbitrium prudentis pars aliqua earum, iuxta vtilitatem quam ex illo cumulo ipsi recipiunt. Sic argumentum Soti nullam habet vim: non enim quia à diuite instituente thesaurum, & montem istum, & abdicante à se omnino dominium suæ pecuniȩ, conuertenteq; illam in solã mutuationem pauperum, non licet exigere expensas illi mutuo necessarias, erit propterea similiter sentiendum de alio, qui suȩ pecuniæ dominium penes se retinet, neque illam in pauperum sed in suam propriam vtilitatem custodit: cum inter hos adeo sit dispar ratio. Hic enim solum exercet mutuum ex sua pecunia, ille vero transtulit illam in pauperes, ab eisdem conseruandam ad omnium vsus.

Ad secundum respondeo, constare satis ex

tis ex dictis tam in obseruationibus, quã in argumentis, quibus nostram sententiam confirmauimus, nullam ex his tribus iniustitiis, & iniquitatibus cõmitti in hoc monte. Non primam, quia cum istius montis dominium sit penes pauperes, & in eorum vtilitatem tantum, tenentur ipsi ad omnes expensas, quæ illius conseruationi necessariȩ sunt, & non aliquis alius: Sicut neque committitur iniustitia, quando mutuatarius obligatur ad expensas, quȩ requiruntur, vt posśit alius mutuum illi conferre, quia tunc mutuans nihil aliud agit, quam seruare se indemnem, quod illi maxime licet. Similiter diues, vel Respub. huiusmodi montem instituens, & erigens, imponensque pauperibus vt persoluant stipendia illa, & expensas ministrorum, nihil aliud facit, quã seruare se indemnem.

Neque committitur illa secunda iniustitia. Quia vt optime docet Medina loco citato, sunt in hoc monte duo contractus mixti, alter est mutuatio, in quo cum certa sit quantitas quæ mutuo datur, certa etiam quantitas est in termino soluenda: alter est locatio ministrorum, quibus debentur stipendium & merces, ab his quibus in illo ministerio deseruiunt, nempe à pauperibus mutuatariis: huius vero mercis taxatio iuxta opera ministrorum non potest illa certa esse, & ad certum equilibrium, vt consistat in indiuisibili: Quo fit, vt quamuis ratione alicuius operis non seruetur in hac parte omnimoda æqualitas, non propterea reddatur hic contractus iniustus. Primo, quia pignora quæ offerunt pauperes, communiter indigent aliquo labore, vt custodiãtur: pleraque enim sunt lanea, vel linea, qualis esse solet eorum supellectilis, raro vero aurea vel argentea, & cum in his respiciendum sit ad ea quæ communitus accidunt, sicut pertinet ad bonum publicum, vt pretium aliquarum rerum statutum à lege non facile varietur pro varia conditione mercium, sed vt seruetur in omnibus, quod merces illæ communiter merentur, modo sint sanæ & integræ, ita in proposito, quia pretium istud ministorum & expensarum taxatur à Repub. iuxta ea quæ frequentius ac vt plurimum labores ministrorum exigunt, esset confusionis ac perturbationis occasio magna à communi pretio iuxta communes ministrorum labores taxato aliquid detrahere, vbi offerretur pignus nõ ita onerosum, quod raro acideret. Secũdo, quia id quod additur pro hoc onere, & labore, adeo exiguum est, vt sit fere nihil, nulliusque considerationis: quæ vero nullius considerationis sunt (vt dicebamus, in disputatione de Vectigalibus) non reddunt contractum iniustum. Partim ergo quia non potest redigi exactum calculum, partim vero quia adeo exiguum est, quod pro illo onere & labore conseruandi pignora incolumia exhibetur, Existantque alii iusti tituli, propter quos reddunt pauperes quæ addunntur capitali, censentur quoque illud voluntarie conferre.

Neque tertia illa iniustitia habet hic locum, quia à paupere maiori tempore detinente acceptum ab hoc monte non exigitur aliquid amplius ratione dilatæ solutionis, sed quia id quod reddit pręter sortem, recipitur propter stipendia actionum, quas exercẽt ministri, quo vero magis est in mora vnusquisq; eorum, eo maiora seruitia recipit ab illis, maiori enim tempore custodiunt illius pignora, & cum maiori obligatione conseruãdi ea illæsa, ac periculo si pereant, soluendi illa: vbi autem stipendium redditur propter seruitium, si hoc augeatur, debet simul & augeri stipendium.

Ad tertium principale respondeo, debere quidem mutuantem, qui vere dominus est pecuniæ mutuatæ, suscipere penes se onera mutuationi annexa, diues autem, vel Respub. quȩ hunc montem instituit, & erexit, cum primum illum instituit (vt ostensum est) non habet dominium pecuniȩ, vel bonorum montis huius, sed pauperum in quorum vsus conuertuntur, communitas & collegium: qua de causa onera ista conseruandi illum bonorum cumulum, & reddendi ministris illius sua stipendia non pertinent iam ad diuitem, vel Rempub. illius fundatores, sed ad solos pauperes. Nec potuit commodior via excogitari, qua pauperes, qui huius mõtis domini sunt, & eo vtuntur, hec præstarent, quam imposita singulis aliqua parte huiusmodi expensarum pro ratione, & rata eius partis, quã quisque eorum ex illo reciperet. Sanctius quidem esset, vt Leo 10. in sua Bulla affirmat, si huiusmodi montium erectores aliquos asignarent census, vnde stipendia ministrorũ, & aliȩ expensȩ soluerẽtur non

non tamen tenentur, eò quòd montes istos instituant. Cum optimum etiam eleemosynæ genus sit, & omni commendatione dignum, pecunias suas vel quid simile à se abdicare, vnde pauperes mutuo accipiant, translato in eos pleno eius rei dominio, ea lege, vt ab eisdem conseruetur, quo & presentes & futuri illius boni participes esse possint, sub qua lege instituto, cum illa iusta sit, & ab omni iniquitate, & vsura aliena, nulla, vt dico, commodior via ex cogitari potuit ad illum conseruãdum, quam tertia ista conditio, de qua in hac contro. agimus.

Ad quartum respondeo, expensas, & stipendia propter quæ à pauperibus mutuatariis ex hoc monte aliquid recipitur vltra sortem, non aliter in hoc contractu fieri, quam ratione huiusmodi mutui: Nã licet possit absolute & simpliciter fieri mutuum sine similibus expensis, ex hoc tamen monte, & in hoc genere contractus, non potest sine illis, quia est proprium & intrinsecum huic contractui, vt recipiant pauperes ex hoc monte, illo securo & incolumi manente, ad quam conditionem (vt vidimus) potuerunt illius erectores pauperes obligare, cum essent domini pecuniarum quas á se abdicarunt, & in illorum vsum conuerterunt. Sicut potest testator, qui bonorum, de quibus disponit absolutum plerumque dominium habet, heredem illorum, vel legatarium instituere, appositis conditionibus honestis: honestissima vero hæc est, vt bona huius cumuli conseruata maneant, quo omnibus prosint. Cum ergo huic monti á sua institutione hæc conditio apposita sit, est de intrinseca ratione mutui, quod ex eo recipitur, ita fieri; fieri autem hac ratione non potest, nempe eo securo ac incolumi manente, sine istis expensis, & stipendiis, iustissime igitur in hoc genere mutui exiguntur a recipientibus illud. Ad confirmationem vero constat iam ex dictis, quod recipitur à paupere in hoc contractu, nec recipi vi mutui, nec propter mutuum, sed solum mutuo interueniente, tamquam causa sine qua non, quomodo aliquid recipere vltra sortem non est vsura: nam & mutuans (vt vidimus) deducit in mutuo damnum sibi emergens, vel lucrum cessans, & iustè, eo modo quo exposuimus, nec propterea exercet vsuram, licet illud non reciperet, nisi interueniret mutuum, quia non recipit illud ex mutuo tamquam ex mutuo, & vi mutui, sed solum interueniente mutuo, tamquam causa sine qua non.

Ad quintum respondeo, pauperũ quidem communitatem & collegium esse dominum istius montis, & ideo teneri ad illum conseruandum, vnumquemque vero pauperum seorsum sumptum non esse dominum illius, & ideo vere ex illo accipere mutuum, & offerre pignus, & præstare ea omnia quę diximus. Et ad confirmationem dico, plus teneri pauperes ad conseruationem montis istius, quam ad conseruandam pecuniam alicuius alterius diuitis à quo mutuo acciperent: Tum, quia istius montis dominiũ est penes ipsos pauperes, tum, quia illis conseruatio ipsius deseruit, at pecunia alterius diuitis manet semper sub dominio illius, ad rei autem alienę conseruationem is solum tenetur, qui illius dominus est.

Ad sextum respondeo, eo ipso quo tota communitas & collegium pauperum tenetur ad conseruandum montem istum, quia sub hac lege (vt sępe diximus) & quidẽ honesta, ac iusta instituitur, ac erigitur, teneri & singulos, quotiescunque bonis istius montis vtẽtur in suum commodum: adeo vt sit reuera inintelligibile, quod cap. 7. illius opusculi habet Caiet. communitatem aliquam teneri ad aliquas expensas, vel stipendia, & nullum priuatum illius communitatis teneri: Quia si intelligit nullam teneri, ita vt solus ipse soluat aliis non soluentibus, verum affirmat, iniquũ enim profecto esset, & rapina, ab vnico solo ciue exigere, quod ab omnibus debetur per solui: at si intelligat, vt verba illius aperte sonant, teneri quidem communitatem pauperum ad expensas, id certe (vt dico) nequit vllomodo intelligi, communitas enim & collegiũ pauperum non est aliqua idea Platonica realiter distincta à singulis pauperibus, sed ipsimet pauperes in eadem ciuitate vel loco existẽtes: sicut Respub. non est aliquod ens metaphysicum, seorsum existens, & realiter distinctũ á suis ciuibus, sed ipsimet ciues vnam Rempub. constituentes. Vnde quemadmodum, & hic vel ille ciuis nõ teneatur seorsũ partem particulari ad debita Reipub. vel eo mo tamen omnes ad illa, vnusquisque partem suam, iuxta facultates [illegible] dictauerit, exhi do quo iustitia di[illegible] ille pauper seorsum, bẽte, ita licet [illegible] non teneatur ad expensas & in par[illegible]

sas quibus istius montis conseruatio eget, tenentur tamen omnes, singulo quoque eam partem reddente quam iustitia distributiua in hoc contractu postulauerit: postulat vero hanc tertiam conditionem, vt iuxta partem bonorum, quam quisque ex monte illo per mutuum acceperit, tantum exhibeat ad illius conseruationem: nec potuit (vt constat ex dictis) commodior via inueniri. Etenim (vt docuimus) in tertia obseruatione earum, quas argumentis pro nostra sententia premisimus, in hoc contractu vtraque iustitia reperitur, & quo ad mutuum, & quo ad stipendia ministrorum & conseruationem montis: Quo ad mutuum enim reperitur commutatiua, quia quantum acceptum est, tantundem debet restitui; & distributiua, vt pauperiori plus tribuatur mutui. Quo ad stipendia similiter: commutatiua, vt quantum meretur labor cuiusque ministri, tantum stipendii illi reddatur: & distributiua, vt ad soluenda huiusmodi stipendia, & expensas reddat vnusquisque mutuatarius pro ratione, & rata pecuniæ, vel boni, quod ex hoc monte receperit. Qua ratione nec vna pars soluit pro altera, nec vna pro toto, nam nec vnus pauperũ soluit pro alio, neque pro tota communitate pauperum, sed tota communitas pauperum soluit expensas & stipendia ab eadem communitate debita, soluentibus singulis quod equum est. Quid enim magis equum quam vt quantum quisque percipit vtilitatis, tantum etiam reddat ad solutionem expensarum, sine quibus illius vtilitatis, & commodi particeps esse non posset.

Ad vltimum dico: cotam illam soluendam à pauperibus vltra capitale non taxari pauperibus mutuatariis per modum oneris, sed per modum debiti, & legis communis, sine qua non posset mons iste commode sustentari: qua ratione quod pauperior qui plus mutuo accipit ab isto monte, plus quoque reddere compellatur, nulla est iniquitas, imo maxima æquitas: Propositio enim illa Caiet. quando diuiditur inter membra alicuius communitatis bonum aliquod, cui admixtum est aliquid mali & oneris, cum diuidatur pro meritis & dignitate, ille debet plus illius boni, & minus illius mali recipere, qui dignior est, quo circa pauperior, cum sit dignior in hoc monte, qui institutus est in vsus pauperum, debet quidem recipere amplius ex isto Monte, quod est bonum istius montis, sed minus soluere expensarum, quod est malum & onerosum eiusdẽ montis, distinguenda est: Bona enim communia quæ distribuuntur inter membra alicuius communitatis duplicia sunt, quædam quæ distribuuntur, vt premia meritorum ciuium, alia vt subsidia & iuuamina ad leuandas eorum necessitates, & indigentias: quando distribuuntur bona prioris generis, qui plus habet meritorum debet recipere plus illius boni communis, & minus mali. V. g. beneficia & dignitates sunt bona communia, quæ distribuuntur vt premia meritorum, digniori dandum est illud beneficium, quod plus habet redditũum & honoris, minusque laboris, nisi iam per accidens in vtilitatem Ecclesiæ alicuius, & necessitatem animarum, digniori tamquam illi Ecclesiæ magis necessario oporteat tribuere beneficium, quod forsan minus habet reddituum, & plus laboris: simpliciter tamen, & comparando solum bona illa quæ premia sunt cum meritis ciuium, digniori premium illud conferendum est, quod plus habet boni & commodi, ac minus mali & oneris. Quando autem distribuuntur bona communia quæ sunt iuuamina necessitatũ ciuium, ad quæ bona paranda necessariæ fuerunt expensę, tunc digniori in hoc genere (id est magis indigenti) exhibendum est magis illius boni, & simul magis quoque illius mali, quia malum illud non respicit merita, sed est velut quid necessario concomitans illud bonum. V. g. parat Respub. annonam, vt habeat in publico horreo triticum vendendum pauperibus, qui non valuerunt tempore messis sibi prouidere vt diuites, in congregando vero conseruandoque illo fiunt expensæ, est quidem iustum, vt cum hoc triticum propter pauperes paratum sit, qui pauperior est, & plus indiget, plus recipiat, esset tamen iniquum, vn non solueret expensas illius, pro rata & proportione tritici, quod recipit, quia istę expensæ necessario comitãtur triticũ, & cũ illud comitentur, licet in distributione tritici atendenda sit maior indigentia, ita vt plus recipiat qui magis indiget, sed in distributione expensarũ, vt seruetur æquitas, atendendum tantum est quantum tritici quisque recipiat, vt quantũ recipit tritici, tantum reddat expensarum, quia illę ingrediuntur iustum pretium

tritici

tritici istius, debetque vnusquique emptorum quantumuis pauper iusto pretio emere, nec tenetur Respub. alicui minoris vel gratis dare nisi in extrema tantum necessitate. Vnde cum hic mons pietatis, quantumuis sit velut quoddam bonum commune, & in quo oporteat seruare leges iustitiæ distributiuæ, vt quo quis pauperior est, tanto magis detur illi mutuo ex isto monte, non tamen debet propterea minus exsoluere expensarum, quia bona istius Montis non conferuntur vt premia meritorum, sed vt iuuamina necessitatum, ad quæ expensæ istæ necessariæ sunt. Qua de causa quo quis plus recipit iuuaminis, eo plus debet soluere expensarum, sine quibus tale iuuamen non licuisset illi præstare.

ARTIC. III.

AN QVODCVNQVE LVcrum ex pecunia vsuraria receptum sit restituendum?

(*)

NON quærit D. Tho. hic teneatur ne vsurarius pecuniam, vel rem vsurariam vltra sortem acceptam restituere, cũ illud satis constet ex precedẽtibus, maxime ex art. 1. huius quæstionis. Et ex 2. quæstionis 62. tom. 1. vbi copiose vidimus, quidquid inique ablatum est, restituendum esse: sed disserit solum de lucris, ac vtilitatibus quas vsurarius deinde percipit ex pecuniis, vel rebus, quas per vsuram acquisiuit. Præmittit autem huic quæstioni, Res quæ per vsuram recipi possunt duplices esse, alias quę vsu consumuntur, neque natæ sunt sibi relictæ ferre aliquem fructum, nisi accedente industria mercatoris, vt pecunia, vinum, triticum, & similes: alias vero quę non cõsumuntur vsu sed permanent, aptæque sunt ad ferendos fructus & lucra, vt ager, vinea, domus quę locari potest, Rursum, in his quę vsu consumuntur, potest vsurarius dupliciter se habere, aut ita vt in illarum acceptione, vel detentione nullum damnum mutuatario intulerit, præter solam carentiam & priuationem illius rei vsurarię, vt cum mutuatarius ad exhibendam rem illam vsurario nec bona sua vendere cum damno proprio compulsus fuerit, nec pecuniam ab alio accipere cum aliquo fœnore, vel censu. Similiter nec ratione temporis, quo illam vsurarius apud se detinet damnum aliquod patitur, vel amittit lucrum, quod ex ea percepisset. Aliquando vero vsurarius non solum nocet in acceptione rei vsurarię, verum etiam in causa est mutuatario, vt patiatur aliquod damnum, vel cesset illi aliquod lucrum: siue tempore quo miser mutuatarius rem illam vsurario debuit soluere vltra sortem, siue per illud tempus quo vsurarius eam apud se detinet.

Quibus positis est prima conclusio D. Thom.

Quando res per vsuram extorta, est vsu consumptibilis, vt pecunia, frumentum, vinum &c. non tenetur vsurarius restituere fructus, & vtilitates quas ex illa sibi comparauit, sed solum rem illam.

Probatur. Vtilitates quę non sunt fructus ipsius rei, sed vsurarius per suam industriam acquirit, nulla lege id prohibente, ipsius sunt, at lucra & commoda quę vsurarius percipit, ex rebus quæ vsu consumuntur, vt pecunia, tritico, vino, &c. cum hæc secundum se non sint nata facere fructus, tribuenda sunt industrię ipsius vsurarii, ergo non tenetur illa restituere.

Secunda conclusio.

Si quæ damna mutuatario accidant, vel lucra illi cessent ex solutione rei per vsuram acquisitæ, vel detentione illius, tenetur vsurarius tam damna illa, quam lucra cessantia, vna cum re ipsa vltra sortem accepta, illi restituere.

Constat hæc satis ex illa regula: *Si tua culpa damnum datum est, iure super his te satisfacere oportet.* Et confirmatur ratione Qui infert damnum, & contra iustitiam commutatiuam, tenetur illud resarcire, damna quæ sequuuntur mutuatario tam ex solutione lucri, quam ex carentia illius, toto tempore quo vsurarius lucrum illud apud se retinet, inferuntur ei ab vsurario per contractum vsurę, qui iniquus est, & contra iustitiam commutatiuam, ergo tenetur vsurarius necessario illa omnia restituere.

Tertia conclusio. *Quando res extorta per vsuram non cõsumitur vsu, sed nata est fructus ferre, vt ager, domus, vel quid simile, tenetur vsurarius omnes fructus illius (deductis expẽsis)*

vna cum re ipsa restituere.

Probatur. Fructus cuiusuis rei ad verum illius dominium pertinent, iuxta illud cōmune proloquium, Res fructifera domino suo fructificat, sed res per vsuram adquisita, quę non consumitur vsu, non trāsit in dominium vsurarii, quin potius manet semper dominium illius penes priorē dominum, nempe mutuatarium, ergo fructus huiusmodi rei mutuatarii sunt, & cōsequenter tenetur vsurarius vna cum re ipsa omnes illos ei restituere.

Controuersia I.

AN DOMINIVM REI PER *vsuram acquisitæ maneat semper apud mutuatarium, qui illam contulit, vel transeat potius in vsurarium?*

(*)

QVAESTIONEM hanc disputat ex professo Caiet. In opusculis tom.2. Opusc.8.in quo agit de vsura.c.1. Fuitque maxime controuersa inter veteres Theologos. Refert enim eo loco tres opiniones DD. Prima est Glosæ in Cano. Siquis. 14. q. 4. & Glosę in capite Ex trāsmissa. De decimis. Scoti in 4. dist.15. q. 2. art.3. Palud. ibidem q.2.art.5.& q.3.art.5.nu.32. Nicola. de Orbellis ead. dist.q.3.§.17, Adriani in suo 4. in materia de vsura. fol.60. vbi vocat hanc sententiam communem Canonistarum in cap. Abbas. De his quę vi, metusue causa fiunt. (Cum multi tamen teneant oppositū) affertq; in eandem sententiam Henrricum Gandensem quolib.4.q. 27.. Et D.Thomam in 4. dist. 15. quamuis reuera D. Thom. eo loco non suam, sed aliorum tantum referat opinionem. Volunt ergo hi mutuatarium soluentem vsuras reipsa transferre dominium illarum in vsurarium. Quæ opinio tempore D. Thom. referebatur tamquam iam antiqua: habet enim idem Doctor sanctus in 4. dist. 15. q. 3. art. 4. quęstiuncula 2. quosdam DD. asserere in vsura transferri dominium.

Probatur autem hęc opinio à suis authoribus variis argumentis. Primo, Nihil tam naturale homini, quam sua propria & libera voluntate, quando nulla lege prohibetur, posse bona sua cui voluerit conferre, confert autem pecunias suas mutuatarius vsurario sua libera voluntate, ergo transfert dominium illarum in ipsum. Maior constat abunde ex definitione dominii superius tradita; hoc enim est esse dominum, posse de re sua libere disponere, & cuicunque voluerit illam pro libito tradere. Vnde instituta De rerum diuisione.§. Per traditionem. dicitur. *Per traditionem quoque iure naturali res nobis acquiruntur, nihil enim tam conueniens est naturali æquitati, quam voluntate domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi: & ideo cuiuscunque generis sit corporalis res, tradi potest, & a domino tradita alienatur.* Id est, transfertur in dominium eius cui traditur. Minor habet duas partes. Prior, nempe soluentem vsuras nulla lege prohiberi, quin illas conferre posit, constat: nam quamuis leges tam Ecclesiasticæ, quam Ciuiles concedant mutuatario soluēti vsuras repetitionem earum, nulla tamē lex est quæ prohibeat illum soluētē vsuras, transferre dominium earum in vsurarium. Altera pars probatur. Quia vsurarius non coegit mutuatarium, vt ab eo acciperet cum vsuris, imo communiter rogatur ille á mutuatario, vt det ipsi & cum vsura, propriaque sponte accipit mutuum illud sub vsura, illamque persoluit.

Secundo. Si dixeris mutuatarium id facere propria indigentia compulsum, voluntatemque ipsius ab illa necessitate cogi, ac ita esse quoddam voluntarium mistum ex inuoluntario, sicque non transferre dominium. Contra argumentantur Palud. & Adrian. Imprimis per accidēs est, quod petat ad leuandam suam necessitatem, cū ipse libere accipiat sub illa vsura: quin & sępe diuites ad ludos, & sumptus voluntarios accipiunt cum vsura, natura autem contractus non variatur, ex eo quod mutuatarius diues sit vel pauper, quod in hunc finem recipiat vel illum. Secundo sępe mutuatarius nulla necessitate adducitur ad recipiendum mutuum cum vsuris, sed cupiditate lucri: vt cum mercator carens propriis pecuniis postulat illas ab vsurario, vt illis negotio expositis maiora lucra obtineat, quam sint vsuræ ab ipso reddendę. Qui igitur hac cupiditate adducitur ad recipiendum cum vsuris, non est dicendus inuoluntarius, aut non transferre in alterum illarum vsurarum dominium. Quemadmodum qui concupiscentia & libidine meritrici pecuniam suam confert, voluntarie confert, & vere transfert in eam illius pecuniæ domi-

dominium: quamuis ex nimia illa turpi cupiditate adducatur.

Tertio, cum habens voluntarium mistum, seu voluntatem conditionatam vere & realiter consentiat, mutuatarius tradens pecuniam vel rem aliquam vsurario extra sortem, esto tradat illam per voluntarium mistum, & voluntatem conditionatam, vere nihilominus & realiter cōsentit in illius traditionem, per traditionem autē rei factam à domino illius volente & consentiente transfertur dominiū illius in accipientem illam, ergo rei per vsurā acceptę transfertur dominium in vsurariū. Minor cum consequentia perspicua est, probatur maior; Nam quamuis mulier voluntate mista & cōditionata consentiret stupro, aut alteri delicto, vere nihilominus diceretur illi consentire, ac peccare. Vnde in Cano. Merito. 15. q. 1. voluntas conditionata dicitur voluntas.

Quarto. Qui metu mortis celebrat contractum aliquem, vt qui dat pecuniā grassatori in via, & qui renunciat eodem metu alicui pecunię suæ, transfert reuera dominium in latronem illum, vel in eum cui renunciat, quamuis ibi sit inuoluntarium sicut in nostro casu, ergo istud inuoluntarium mutuatarii non tollit, quin transferat dominiū in vsurarium. Consequentia patet, quia maior ratio inuoluntarii, maiorq; coactio reperitur in eo qui metu mortis offert siccario pecunias, vel renunciat alteri suas, quā in soluente vsuras, cui nulla vis vel metus mortis infertur, sed adducitur solum à sua indigentia: Ergo si inuoluntarium illud quod maius est, & cum maiori coactione, & iniuria, nō tollit quin transferatur dominium, neq; inuoluntarium, quod recipitur in soluente vsuras, quod multo minus est, & sine vlla coactione, efficiet quin illas soluens transferat etiam dominium in vsurarium. Antecedens vero probatur ex cap. Abbas. De his quæ vi metusue causa fiunt. Et L. Metum. ff. eodem titulo. vbi tales cōtractus dicuntur irritandi esse à iudice, qua voce aperte insinuatur per eos transferri dominium, quia si per eos non transferretur, non diceret textus irritandos esse, sed esse irritos, & nullos.

Tertio principaliter. Inuoluntarium mixtum quod nascitur ex sola necessitate, & indigentia, non impedit contractū, nec translationem dominii: qui soluit vsuras, hoc tantum habet inuoluntarium, vt mallet illas non soluere, compellitur autem à sua necessitate & indigentia, ergo propter hoc inuoluntarium non desinit transferre dominium. Minor cum consequentia perspicua est, Maior patet. Quia alias sequeretur, vt qui necessitate compulsus venderet res suas, minus quam alias illas vendidisset, nō transferret dominium: quod nullus vnquā docuit. Sequeretur vero, cum in tali venditore reperiatur reuera istud inuoluntarium ex necessitate & indigentia.

Et confirmatur primo. Probabilis opinio est stando in solo iure naturæ, ita vt nulla lex Ecclesiastica aliter disponeret, Matrimonium quamuis metu contractū validum esse, transferique per ipsum mutuum dominium inter corpus viri, & vxoris: ergo & in hoc casu transfertur dominium vsurarium. Probo consequentiam. Quia cum maius vinculum sit matrimonium quam illa translatio dominii, exigit consensum magis liberum & voluntarium, at quamuis fieret matrimonium ex metu & inuoluntario misto, transferret nihilominus dominium corporum, ergo & solutio ista vsurarum, quamuis aliquo modo inuoluntaria, transfert nihilominus dominium.

Confirmatur secundo, Quia ducens vxorē ne moriatur ex infirmitate aliqua, vel per sententiam iudicis, metu mortis celebrat contractum illum matrimonii, nec propterea desinit validus esse & constans. Tertio, quia mutuatarius quando soluit vsuras, licet simpliciter nollet eas soluere, at quando soluit, hic & nunc vult reuera tunc eas soluere, sicut qui proiicit merces in mare, (vt docet Aristotel. 3. Ethico) licet nollet eas proiicere, attamen quando proiicit reuera vult eas proiicere.

Quarto, contractus iste in quo soluit mutuatarius vsuras non est impignoratio, nec accomodatio, nec locatio, nec depositio, nec vllus ex illis quibus non transfertur dominium, sed vera & realis solutio, quamuis iniusta ex parte accipientis, ergo transfertur per eam dominium. Et confirmatur, quia si mutuatarius iurat se velle transferre dominium illius lucri vltra sortem in vsurarium, vere transferret, ergo similiter transfert quādo soluit, etiam si nullum interueniat iuramentum, supposito animum eius esse velle lucrum illud reddere, & conferre vsurario, sicut communiter intendunt omnes qui

accipiunt cum vsura. Consequentia patet, quia iuramētum non efficit validum contractum, qui simpliciter & alias non erat validus, sed tantum confirmat illud, redditq; validum arctiori vinculo.

Quinto, Si in vsura non transferretur dominium rei acceptæ vltra sortem, id certe esset, quia illa est iure diuino prohibita, at similiter prohibetur fornicatio, nec propterea desinit meretrix pecuniæ sibi propter fornicationem traditæ habere dominium.

Sexto, Si vsurarius non esset verus dominus lucri sibi traditi, id propterea esset, quia teneretur illud restituere, nec posset apud se detinere, sed pari ratione mutuatarius rem mutuo acceptam nō potest adueniente termino apud se detinere, nec propterea desinit rei mutuo acceptæ esse dominus, cum per mutuum, vt vidimus, transferatur dominium, ergo & vsurarius quamuis teneatur rem vsurariam restituere, nihilominus illius, quandiu apud se illā habet, censendus est dominus. Et confirmatur, quia vsura non solum committitur in acceptione pecuniæ vltra sortē, verūetiā cum accipitur oleum, vinum, frumentum, vel quodcunq; aliud, quod pretio ęstimabile est (vt supra docuimus) ex capite. Plerisq; 13. q. 4. At accipiens oleum, vinum, & similia quæ vsu consumuntur, quin & pecuniam, cum hæc ex eorum etiam genere sit, quę consumuntur vsu, necessario dicendus est illorum quoque dominium accipere. Probo, In his vt constat ex primo tomo q. 1. de dominio. art. 2. vsus & domininium non distinguūtur, sed vsurarius recipiēs huiusmodi res recipit illarū vsum, ergo & dominium. Probatur minor, quia potest vti istis vsurarius, modo habeat animum restituendi illis similia, vel æquiualētia: nō enim tenetur restituere idem oleū, vel idem vinum, sed simile, vel illius valorem, Quod non negant authores alterius opinionis: nam Althisiodoren. quem in opposita sententia citabimus, habet nihilominus 3. p. tractatu 8. q. 5. De vsura. vsurarium de pecunia vsuraria posse facere Eleemosynā, si instituat aliam restituere.

Denique si pecunia vsuraria non transiret in dominium vsurarii, efficeretur necessario, vt omnes contractus quos deinde vsurarius cum illa pecunia celebrat, essent cassi, & nulli, perinde ac si latro ex pecunia furto accepta illos exerceret: vnde quicunq; vsurario panem, vinum, vel quid simile venderet, teneretur pretium, & pecuniam quam pro re illa accepisset, vero domino restituere. Consequēs est falsum, & contra omnes DD. ergo & illud ex quo sequitur. Et confirmatur sic. Ex D. Tho. hic ad 2. si vsurarius ex pecunia vsuraria emat domum, contractus est validus, ergo receperat illius pecuniæ dominium. Probo cōsequentiā, quia si non haberet dominiū illius nō posset illud in alterū trāsferre, Quod si non transfert dominium illius pecuniæ & pretii in venditorem, contractus ille emptionis non est validus, ergo à primo ad hoc vltimum, si contractus ille vt docet hic D. Thom. validus est, vsurarius habet necessario dominium pecuniæ illius vsurariæ. Confirmatur secundo. Nā cap. Cum tu. De vsuris. dicitur: *Possessiones acquisitas ex pecunia vsuraria esse vendendas et restituendam illam pecuniam.* At si non trāsferretur dominiū lucri vsurarii in vsurariū, contractus vsurarii ex illo lucro & pecunia essent nulli, & consequenter possessiones illæ non essent vendendæ, sed rescindendæ potius priores illę venditiones earum, quod negat Pontif. in isto cap. Cum tu. & D. Thom. ad secundum.

Secunda opinio est huic è diametro opposita, nullius omnino rei vsurarię, siue consumatur vsu, siue non, transferri dominium in vsurarium. Habet illam aperte D. Thom. in fine corp. art. cum eo nomine probet fructus rei per vsurā acquisitæ, vt vineæ, vel agri, vna cum re ipsa esse restituendos ab vsurario, quia res omnis domino suo fructificat, vsurarius vero non acquirit illius dominium, sed manet illud semper penes priorem dominum, nempe mutuatarium. Qua de causa omnes discipuli D. Thom. hanc opinionem ipsi tribuunt hoc loco, præter Magistrum Cano qui uolebat D. Tho. non fuisse huius opinionis, sed illud dixisse quasi adhibentem quandam congruentiam ad obligandos vsurarios ad restituendum quodam arctiori vinculo: qua ratione Cano sequutus est in hac parte opinionem illam Scoti. Ceterum luce apertius est D. Thom. aliter sensisse, & intelligendum esse, sicut ab omnibus discipulis suis pręter Magistum Cano, intelligitur. Eandem sententiam habuerūt. Alensis 3. p. q. 66. Memb. 4. Altisiodorē. tertia p. De vsura. tracta. 21. q. 1. D. Bonau. in 3. dist. 32. in textu num. 14. & in 4. dist. 15. art. 2. q. 1. ad 7. Richard. in 4. d. 15. art. 5. q. 6. Maior ead. dist. q. 38. Gabriel

briel ead. dist. q. 11. nota. 5. Caiet. loco citato. Medina q. 4. De vsura argu. 3. Soto lib. 6. De iust. q. 1. ar. 4. Angelus verb. vsura. secundo, num. 1 . & Siluester eod. verb. Sexto. q. 1. vbi etsi initio proponat tertiam quandam opinionem mediam inter has duas, quam statim referemus, deinde vero amplectuntur hanc secundam D. Thom. & cum illis Iacobus Vngarellus vir certe & Iuris & Theologie peritus Angeli Scholiastes loco citato apud Angelum. Est denique communis inter omnes discipulos D. Tho. Eandem docent vt refert Silu. loco citato, ex Iurisperitis Ioan. Andre. Dominicus à S. Geminiano, & Antonius de Brutio in cap. Quamquam. De Vsuris. in 6. & Barthol. in L. 1. §. Si vir. nu. 4. vbi in contractibus lege prohibitis sentit dominium non transferri, iuxta ea quæ habentur in L. Non dubium. Cod. De legibus. Felinus in Concilio. 21. Archidiaco. in cap. Si quis. 14. q. 4. Nauar. in suo Manua. cap. 17. num. 265. & 268. & Couar. lib. 3. varia resolut. cap. 3. nu. 6. & communiter Canonistæ in Cap. In literis.

Ad quam probandam duo constituenda sunt iuxta mentem horum DD. Prius est, censendum esse, mutuatarium neq; instituere, neque velle conferre gratis, & ex sola amicitia, vel beneuolentia pecuniam, quam soluit vsurario, sed ratione tantum mutui quo indiget, & quasi ex debito propter illud mutuum: in hoc enim consistit natura & ratio vsuræ. Etenim si gratis, & tamquam donum gratuitum, liberaq; voluntate illa conferat, & non ex aliquo pacto vel debito, nulli dubium est pecuniæ sic collatę dominium vere transferri in accipientem illam, quemadmodum cum amicus ab amico aliquid ex sola beneuolentia recipit, quo casu illud recipiens neque vsurarius est, neq; peccat recipiendo illud, neque tenetur ad aliquid restituendum. Vnde quæstio proposita procedit, quando vnus sola ratione mutui aliquid confert, & alter eadem ratione & titulo accipit, estque vere vsurarius. Alterum quod hi DD. constituunt est, simplicem & nudam traditionem pecuniæ, vel rei alicuius etsi voluntaria sit, non esse signum certũ & efficax, tradẽtem rem illam velle simul transferre dominũ illius. Quia hęc duo traditio actualisq; exhibitio rei, & translatio dominii illius non sunt inseparabiliter cõnexa, sed potest alterum sine altero reperiri. Potest enim quis tradere alteri, & libere, ac voluntarie rem suam in depositũ, vel pignus, vel locatam absq; translatione dominii: similiter potest tradi dominium rei, re ipsa nondum actu tradita, vt cum traditur dominium rei adhuc absentis, vel quam alter ad huc occupat.

Hoc posito argumentatur Caiet. Primo, Omnis translatio dominii vel fit authoritate legis, vel priuata voluntate donatis: authoritate legis, vt in præscriptione, & aliis casibus, in quibus lex ipsa, vel iudex rerum dominia quandoq; transferunt, & priuatis illarum dominis nonnunquam inuitis: priuata vero voluntate donantis, vt in communibus contractibus humanis, & ciuilibus. In traditione rei vsurariæ neque transfertur dominium authoritate legis, neq; priuata voluntate mutuatarii donantis, ergo nullomodo transfertur. Maior omnibus constat. Probatur Minor. Imprimis certum est, non trãsferri authoritate alicuius legis, quia nulla extat lex, quę decernat tale dominium transferri in vsurarium, imo oppositum, cum vsura omni iure, omniq; lege, tam naturali, quam diuina, quam humana sit prohibita. Quod autem neq; transferatur priuata voluntate donantis ostendo. Si in vsura tranferretur dominium rei vsurariæ in ipsum vsurariũ, certe aut transferretur per illam actualem traditionem & exhibitionem rei vsurariæ, quã mutuatarius vsurario pręstat, aut quia tradens rem illam intendit, ac vult tradere simul, & trãsferre illius dominiũ in vsurarium: nulla enim alia ra io aut titulus reperiri potest, vt dicatur rei vsurariæ dominium transferri in vsurariũ voluntate mutuatarii donantis illam. At neq; transfertur tale dominium in vsurarium per illam actualem traditionem rei, neq; quia mutuatarius intendat transferre illius dominium in ipsum, ergo nullomodo dicendũ est dominiũ rei vsurarię transire in vsurarium priuata authoritate mutuatarii conferentis illam. Probatur hæc minor. Imprimis non transfertur per illam actualem traditionem, & exhibitionem: constat enim ex secũdo fundamento non esse hæc duo connexa, rem aliquam actu tradere & transferre illius dominium, vt in deposito & pignore: vnde quando mutuatarius tradit actu vsurario lucrum illud extra sorte, potest quidem inde colligi quod actu illud exhibeat & conferat, nõ tamen quo d trãsferat simul in ipsum dominium illi us, in

his enim quæ separabilia sunt, ex præsentia vel existentia vnius, non sequitur præsentia vel existentia alterius. Alteram partem, mutuatarium non habere animum, neq; intendere transferre dominium illius lucri in vsurarium, sic ostendo. In traditione rei coacta & inuoluntaria, qui sic illã tradit, censendus est nolle dare nisi minimum quod potest; mutuatarius tradit lucrum vsurarium coactus sua necessitate, & inuoluntarie, ergo censendus est nolle dare nisi minimum quod potest: at si traderet rem & vna cũ illa dominium ipsius traderet, quidquid potest tradere, tradẽdo vero solam rem & non dominium tradit multo minus, & minimum quod potest, non ergo censendus est, vbi rem vsurariã actu tradit, habere animum transferendi dominium illius. Maior illa, in traditione inuoluntaria alicuius rei, censendum esse, conferentẽ illam tradere minus quod potest, præter quam patet ex ipsis vocibus, quia eo ipso quo inuoluntarie quis confert nollet profecto conferre, & consequenter confert minus quod potest: constat etiam exemplo eius qui proiicit merces suas in mare orta tẽpestate, is enim nõ abdicat à se nisi minimũ quod abdicare potest: Vnde quanuis pro iectio illa, quando fit, sit voluntaria, non tamen habentur res illæ proiectæ pro derelictis, sed instituit proiiciens, si forte illæ casu saluarẽtur, habere vt suas. Quo fit, vt si vi vndarum ad litus perueniant, inueniens illas debeat eas domino suo restituere vt in L. Qui leuandæ nauis gratia. ff. ad legẽ Rodiam De iactu. & Cap. Excõmunicamus. extra de Raptoribus. habetur. Maiorem vero probo. Quãdo alicui sic aliquid confertur, vt nec conferatur illi gratis, nec per contractum aliquem iustum, & honestum, nec alia via quam necessitate conferentis, & iniquitate recipientis ita cogente, qui sic recipit non solum inique recipit, verumetiam cum iniuria conferentis, quo nomine aggressor, cui ex metu viator pecunias suas exhibet, non solum recipit illas inique, verumetiã cum maxima iniuria viatoris, quia viator ille nec gratis, nec per contractum aliquẽ iustũ illas aggressori confert, sed necessitate sua & iniquitate illius aggressoris ita cogente; In contractu autem vsurario quidquid mutuatarius vsurario confert extra sortem, nec confert illud gratis, nec per aliquem contractum iustum, & honestum, nec alia ratione vel via, quam sua necessitate, & iniquitate vsurarii, nolentis gratis mutuare, cogente, ergo vsurarius non solum recipit illud inique, verumetiam cum iniuria mutuatarii. Nũc sic, ex Regula illa *Scienti & volenti non fit iniuria*, nullus patitur iniuriam volens, sed inuitus, & inuoluntarius, mutuatarius conferens vsurario aliquid extra sortem patitur iniuriam, ergo si quid illi conferat, inuitus & in voluntarius censendus est illud conferre.

Confirmatur ex eadem Regula hæc prima ratio. Quicunq; patitur damnum & iniuriam, nisi sit amens & stolidus, censendus est velle pati minus damnum, & minimam iniuriam, quo ad poterit, mutuatarius in exhibitione rei vsurariæ patitur dãnum, & iniuriam ab vsurario, ergo censendus est velle pati minus damnum, minorẽq; iniuriam quam poterit, pateretur vero maximum damnum, maximamq; iniuriã, si vna cum exhibitione rei vsurariæ transferret quoque illius dominium in vsurarium, minus vero damnum minoremq; iniuriam, si re sola tradita, non transferat dominium illius in ipsum, ergo censendus est solã rem velle illi tradere, minime verò dominium.

Et confirmatur Secundo, Quando mutuatarius soluit vsuras, non est voluntatis & animi ipsius fauere aut prodesse vsurario, sed subuenire solum suæ necessitati, sibiq; consulere meliori via qua potest; at cum possit sibi subuenire, suamq; redimere necessitatem per mutuum illud, tradito tantum vsurario lucro illo extra sortem, sine illius dominio, sicut traditur depositum vel pignus, si vtrumq; intenderet illi tradere, & rem vsurariam & illius dominium, faueret plurimum vsurario, & illi plusquã oportet, prodesset: ergo non est censendus voluntatem & animum ipsius esse, vbi tradit illã rem vsurariam, transferre simul in eum illius dominium, sed rem solam. Dices quid ergo præstat exhibendo lucrum illi, si non transfert illius dominium? Respondeo ex modo dictis, hoc præstare, vt redimat suam necessitatem per solam externam donationem, velut depositũ quoddam, sine animo transferendi dominium, quia vsurarius non vult aliter mutuare, sicut viator, quem siccarius aggreditur, cõferens illi pecuniã, ne ipsum occidat, nihil aliud præstat, quam redimere suam vexationem per externam illam traditionẽ pecuniæ, sine vlla intentione transferẽdi dominium illius in ipsum.

Quod

Quod autem non sit necesse, vt traditioni externę rei sit coniuncta intentio transferendi dominium, Confirmatur pręter ea quæ in secundo fundamento his argumentis præmisso dicta sunt, quia sicut soluens vsuras consentit quidem in illam externā solutionem, quia nequit aliter suæ necessitati subuenire, nō tamen consentit in peccatum & iniquitatem, quam vsurarius illam recipiens committit, ita quoque exhibens rem vsurariam consentit quidem in externam illam illius rei exhibitionem, minime vero in translationem dominii.

Deniq; cum omnia iura proclamēt aduersus vsurarios, interpretanda sunt tam iura ipsa, quā dubia omnia circa vsuras exorta, quantum recta ratio patitur, in odium eorum: sed in hac quęstione & dubio, trāsferatur ne in ipsos dominium, nec ne? asserere transferri dominium in ipsos est in fauorem eorum, negare vero illud est in odium eorum, ergo negandum potius est quam asserendum.

Secundo principaliter argumentatur Caiet. Si in vsura transferretur dominium rei vsurariæ, vsurarius recipiēs per vsuram vineam, domum, aut aliam rem fructiferam, non teneretur ad restituendos fructus quos ex illa percepit, sed solam rem, at tam iuxta D. Tho. quam iuxta omnes alios DD. vsurarius tenetur restituere & rem, & fructus eius deductis expensis, vt est definitum in Cap. Grauis. De restitutione expoliatorum. Ergo in vsura nō trāsfertur dominium. Minor cum consequentia satis patet. Minorem probo. Res fructifera iure naturæ domino suo fructificat, quandiu sub illius dominio est: per te in vsura transfertur dominium rei vsurariæ in vsurarium, ergo quandiu apud ipsum manet sub eius dominio est, & debet ipsi fructificare: fructus autem rei suæ, & sibi fructificantis, & quos iure fecit suos, nullus tenetur alteri restituere, ergo vsurarius non teneretur restituere fructus ex vinea vel alio fundo per vsuram acquisito perceptos. Quod est falsum.

Huic argumento, quod efficacissimum est, respondent qui contra sentiunt, vsurarium teneri quidem ad restituendos fructus rei per vsuram acceptæ, non ratione rei acceptę, quasi fructus illi sint mutuatarii, sed ratione iniquę acceptionis, quia rē illam ex qua fructus illos percepit, iniquè & per vsuram acquisiuit. Sed contra. Quādo in acceptione transfertur quidem dominium, sed committitur simul aliqua iniustitia, tenetur quidem qui ita accepit, iniustitiam illam ad ęqualitatem & iustitiam reducere, & iniuriam illam compensare, fructus tamen illius rei vere ipsius sunt, nec tenetur eos restituere, cum per acceptionem illam vere sit translatum in ipsum illius rei dominium: Sed in vsura per te transfertur dominium rei in vsurarium, ergo quod vsura sit contractus iniquus, efficiet quidem, vt teneatur vsurarius ad restituendam rem illam, quam inique accepit, & faciendam compensam iniuriæ, in contractu illo mutuatario illatæ, si quam pertulit, minime vero ad restituēdos fructus, cum sit vere illius rei dominus, quandiu illam retinet. Maior hoc exemplo constabit, Si emat quis agrū valentem 100. pretio viliori & iniquo, veluti pretio vt 60. obligatur certe hic emptor á DD. addere quę desunt pretio iusto, vt sic illa iniquitas & iniustitia ad æqualitatem & iustitiam reducatur, fructus tamen illius agri, postquam illum emit, recepitque vere illius dominium per venditionem illam, etsi iniustam, nullus vnquam asseruit, vel asseret esse restituendos ab isto emptore, sed tuta conscientia illos retinere vt suos.

Dices verum quidem esse in venditione, cum sit actio voluntaria, non tamen in vsura, in qua mutuatarius inuoluntarie soluit. Hæc solutio nihil valet, nam quod venditio voluntarie fiat, solutio vero vsurę inuoluntarie, illud tantum infert, in venditione illa ementem pati quidem iniustitiam, non tamen iniuriam, cum voluntarie vendat, in solutione autem vsurę pręter iniustitiam pati etiam mutuatarium iniuriā, cum sit inuoluntarius: non tamē tollit hęc ratio, quin si solutio vsurarum transferat dominium eius in vsurarium, faciat vsurarius fructus illius rei, cuius dominus est, vere suos, nec teneatur illos restituere, sicut emens agrū, licet iniusto pretio, facit suos fructus illius, quando per talem emptionē transfertur in ipsum illius agri dominium.

Vnde respōdent alia ratione: teneri vsurarium ad restituendos fructus ratione dāni quod intulit mutuatario, cuius rem fructiferam accepit: Nam cum teneretur illā statim restituere, detinens illam apud se, nō solum nocuit mutuatario in re ipsa, verum etiam in fructibus, quos reuera ex ea ille percepisset, nec potuit propter iniquā illius detentionem. Sed neque hæc solutio valet. Patet, quia nemo tenetur restituere alteri

alteri fructus aliquos, nisi eo modo quo il liu sunt, cum eo tãtum modo illi noceat, fructus autem vineę acceptæ per vsuram, si dominium illius in vsurarium translatum est, quando collecti sunt, non sunt mutuatarii, sed vsurarii, cum sit tunc verus illius dominus, vi illius principii, *Vnaquæque res domino suo fructificat*, mutuatarii vero solum sint, quatenus erant in potentia, eo tempore quo vinea illa sub ipsius dominio erat, fuitq; ab eo inique accepta: ergo nõ tenebitur vsurarius fructus quos percepit ex ista vinea restituere, nisi in eo pretio & valore, quem arbitrio prudentis censendi essent habere, quatenus erant in potentia, eo tempore quo eadem vinea fuit illi á mutuatario tradita: quã ratione si fructus quos nunc vsurarius recepit valeant. (v. g.) 100. non tenebitur restituere mutuatario vt plurimum nisi 10. vel 12. quia fructus qui nunc actu iam collecti deductis expensis valent vt 100. quatenus solum erant in potentia duobus vel tribus antea annis, nullus peritus in agricultura iudicabit amplius valere quam 10. vel 12. At iuxta communem omniũ DD. sententiam, & definitionem Ecclesiæ in cap. Si quis vsuram, 14. q. 4. (vt statim docebimus) tenetur vsurarius omnes fructus rei per vsuram acceptę deductis expensis in integrum mutuatario restituere.

Et confir. si dominus agri decreuisset agrum illum incultum omnio relinquere toto tempore quo apud vsurarium manet, nullum recepisset damnum, at nihilominus si quos fructus ex eo illo tempore percepit, tenetur eos omnium cõsensu restituere, ergo hoc debitum & obligatio restituendi non conuenit illi ratione damni, sed quia dominium illius agri manet semper apud priorem dominum: Denique falsum est mutuatarium pati damnum in illis fructibus, si dominium illius vineæ translatum sit in vsurarium. Probo, quia si in illum translatum est, eo ipso fructus illi iam non sunt mutuatarii, sed vsurarii, ex illo principio. *Vnaquæque res domino suo fructificat*: Nemo autem dicendus est pati damnum in re non sua, sed aliena, cum tam damnum quam emolumentum rei alicuius domino ipsius tribuẽdum sit, non extraneo vel alieno.

Tertia opinio est velut media inter has duas: Quam habent Angel. ver. vsura. Secundo. nu. 18. & Sylu. in verb. vsura cap. 6. q. 1. in rebus quæ vsu consum. intur trãsferri dominium in vsurarium, quia cum in huiusmodi non distinguantur moraliter & quo ad contractus humanos vsus, & dominium, mutuatarius eo ipso quo tradit vsurario huiusmodi rerum vsum, quem reuera illi tradit per externam illam & actualem exhibitionem lucri vsurarii, tradit similiter & dominium: In his vero, quæ non consumuntur vsu, cum distinguã tur vsus & dominium, tradere quidem illi earum vsum, retinere tamen mutuatarium apud se illarum dominium. Affertque ibi Sylu. in eandem sententiam Innocentium in cap. Michael. De vsuris. & Summam Rosellam.

Hanc tamen sententiam vt omnino improbabilem reiicit ac confutat Caiet. hac ratione. Quod per aliquem contractum transferatur vel non transferatur dominiũ, non est summendum ex rebus ipsis, circa quas ille contractus exercetur, sed ex natura & propria ratione ipsius contractus, vt contractus venditionis habet vim ad transferendum dominium, circa quascunque res exerceatur, quam non habet actio furandi, circa quascunque res fiat: Vnde si in vsura transfertur dominium, oportet circa quascunque res illa versetur, transferri in ea dominium, si verò non transferatur in ipsa dominium, quæcunque sit res, quam accepit vsurarius loco lucri vsurarii, non recipiet illius dominium, siue sit res vsu consumptibilis, siue non.

Secundo, qui exhibet vsurario rem quę non consumitur vsu, propterea non transfert dominium illius in ipsum, quia nec tradit illam gratis, neque per aliquem contractum iustum, vt fatetur idem Syluester, sed eadem omnino ratione, si tradat rem quæ vsu consumitur, nec tradit illam gratis, neque per contractum iustum, ergo neque rei vsu consumptibilis transfertur dominium in vsurarium. Patet consequentia, *Quia vbi eadem est ratio, eadem quoque debet esse iuris dispositio*. Nec valet ratio illa, quod eam consumat cum intentione restituendi similem: quia & fur rem furto acceptam, vt panem, vinum, & similes consumit sępe cum animo restituendi illas, nec propterea per furtum transfertur huiusmodi rerum dominium. Vnde sicut fur rem furtiuam tenetur statim restituere, & eandem numero, quod si consumat aget male, teneturque tunc similem restituere, non quia rei furtiuæ acceperit dominium, sed quia per illius consumptione dam-

redditus est iam impotens ad restituendam eandē numero, ita vsurarius recipiens rem vsu consumptibilem vltra sortem, nec illius dominium accipit, neque vsum, sed tenetur statim illam restituere, & eandem numero: Quod si illa vtatur, eamque consumat, male agit, sufficietque tunc, restituat similem & ęquiualentem, non quod receperit rei vsurarię dominium; sed quia cum illam consumpserit, effectus est impotens, ad eādem numero, sicut debebat, restituendam. Vnde postea, idem Angelus & Sylu. amplectuntur sententiam D. Thom. vsurarium nullius rei per vsuram acceptæ habere dominium.

In hac controuersia conueniūt omnes, teneri vsurarium, qui rem fructiferam percepit loco lucri vsurarii, ad illam restituēdam vna cū omnibus fructibus illius, deductis expensis: neque de hac conclusione D. Tho. dubitant; sed de ratione solum D. Thom. teneatur ne illos restituere, quia non fuit translatū in ipsum dominiū rei vsurarię, vt vult D. Tho. vel si translatū sit, teneatur ne alio nomine, vt pote vel ratione iniquę acceptionis, vel ratione dāni illati mutuatario, tam in re ipsa, quam in fructibus illius, vt volunt alii.

Nos verissimam iudicamus causam quā asignat D. Thom. affirmamusq; cum communi sententia, per vsuram non transferri dominium rei vsurariæ in vsurarium. Cōfirmaturque hæc sententia præter argumēta Caiet. quæ efficacissima sunt, Primo, Cum dominium sit facultas vtendi re in omnes vsus citra alterius iniuriam, si in vsura transferretur dominium in vsurarium, posset vsurarius vti re illa vsuraria, siue sit pecunia, siue quęcūque alia, in omnē vsum citra alterius iniuriam: at non potest, quia cum primum illam recipit, tenetur eam restituere, infertque iniuriam mutuatario quocunque tempore illam detineat, ergo non est illius dominus. Et cōfirmatur. Mutuatarius propterea potest rē mutuatā per aliquod tempus apud se detinere, ac pro libito toto illo tempore ea vti, citra vllam iniustitiam vel iniuriam mutuantis, quia per mutuum transfertur in ipsum illius rei dominium: at vsurarius nullo tempore potest re illa vti, aut eam apud se detinere, sed quam primum accipit, tenetur illam restituere: ergo non recipit illius dominium.

Secundo, & est ratio Althisiodor. Vsurarius tenetur restituere rem vsurariam quā accepit, ergo vel tenetur ratione alicuius contractus præcedentis, quo se ipsum obligauit ad illam restituendam, vel quia habet alienum, non ratione alicuius contractus pręcedentis quo se obligauerit, nam nullus pręcessit præterquam contractus vsurę, in quo ad nihil tale se obligauit, quin potius miserum mutuatarium obligauit ad conferendum illi lucrum vsurarium, ergo tenetur, quia habet alienum, pertinens ad mutuatarium vt verum dominium.

Sunt qui respondeant huic argumento, Vsurarium teneri ad restituendam pecuniam acceptam per vsuram, non quia habeat alienum, sed partim iure diuino, & humano pręcipiente illam restitui, partim vero, ex quasi contractu, quia illa acceptio cum sit iniqua, est quasi contractus obligans ad restituendum: sicut acceptio rei furtiuæ, quia iniqua est, est quasi contractus obligans furem ad restituendum. Sed hęc responsio ridicula est. Primo, quia ius diuinum & humanū non alia ratione obligant vsurarium ad restitutionem rei vsurarię, nisi quia inique illam accipiens, non fecit suam, nec recipit illius dominium, sed retinens illam retinet alienum. Secundo, acceptionem iniquam rei alienę vocare quasi contractum obligantem ad restituendum, est figmentum quoddam: non enim tenetur vsurarius rem acceptam restituere, quasi per illam acceptionem se ipsum obligauerit. Sed quæmadmodum fur, licet teneatur rem furtiuam restituere, & ratione iniquæ acceptionis, & ratione rei acceptę, non tamen ratione iniquę acceptionis, tamquam ex quasi contractu, sed potissime ratione rei acceptę, quia accepit & retinet alienū, ita vsurarius tenetur quidem vtroq; nomine rem per vsuram acquisitam mutuatario restituere, & ratione iniquæ acceptionis, & ratione rei acceptæ, non tamen ratione illius acceptionis tamquam ex quasi contractu, sed potissime ratione rei acceptę, quia sic illam accipiens habet alienum, quod omni iure vero domino restituendum est. Quod vel ex eo patet, quia si idem vsurarius rem illam alteri tradat, recipiaturq; illa donatione, vel quocunq; alio contractu iusto, & honesto, existimetque recipiens illam bona fide conferri sibi a vero ac legitimo illius domino, tenetur nihilominus, cum primum id nouerit per vsuram esse acquisitam restituere illam, non vsurario, sed priori illius domino nō ratione iniquæ acceptionis, sed quia habet alienum, quod tamen res aliena huic

non

non esset, si vsurarius habuisset verum illius dominum, & per cōtractum iustum & legitimum illam alteri tradidisset.

Tertio omnis translatio dominii aut est per liberam donationem, aut per testamentum, aut per cōmutationem rei ad rem, aut per venditionem rei pretio æstimabilis, aut per aliquem alium contractum iustum & honestum: In hoc casu non est libera donatio, sed coacta & inuoluntaria, vt constat: Nec testamentum, nec cōmutatio, quia est nuda acceptio lucri vsurarii, Nec venditio, quia pecunia mutuata aut mutuum pecunię non est pretio æstimabile vt constat, neque per vllum contractū honestum & iustum, ergo.

Huic argumento respondēt aliqui ex authoribus alterius opinionis, traditionem rei vsurarię non esse nudam traditionem, sed vel donationem ex pacto inter vsurarium & mutuatarium tempore mutuationis inito, vel solutionē rei tunc promissæ, quod genus donationis vel solutionis cōtractus quidam est, & sufficiens, quamuis ex iniusta causa, ad transferendum dominium: quia sic donans vel soluens promissum consensit in illam promissionem, & ad illam adimplendam se ipsum sine vlla vi vel coactione ex pacto obligauit. Qua ratione adimplere promissa volunt esse velut contractum sufficientem ad transferendum dominium, quamuis cum debito restituendi, quia fuit illud ex iniusta causa. Constituunt enim, qui sic sentiunt, duplicē promissionem alicuius rei, & eiusdem solutionem, aliam ex iusta causa, vel saltim libera voluntate nulla iniustitia interueniente, alia vero ex iniusta causa: quæ duo promissionis, vel solutionis rei promissæ genera volunt conuenire in eo, vt per quā cunque solutionem rei sine vlla vi, vel coactione promissæ transferatur dominium eo ipso quo actu traditur in solutionē promissi: differre autem in eo, vt recipiēs rem sibi promissam & solutam ex iusta causa, vel libera saltim voluntate nulla iniustitia interueniente maneat cum illius rei pleno absolutoque dominio, sine vllo debito restituendi, recipiens vero rem sibi promissam ex iniusta causa, licet recipiat vna cū ipsa illius dominium non tamen ita plenū, neque perfectum, sed cum debito & vinculo restituendi illam ei á quo illam accepit, vel hæredibus illius.

Sed profecto neque hæc solutio vim argumenti propositi tollit. Nam vt abunde ex primo argumento Caietani constat, mutuatarius nihil minus instituit, quam donare aliquid vsurario, maxime cum de intrinseca ratione donationis sit, non solum vt fiat sine coactione & vi, verumetiam omnino liberè ac propria sponte, quod traditioni rei vsurariæ, quam mutuatarius vsurario exhibet, nullo modo conuenit: cum non alia ratione illā conferat, nisi vt suam redimat necessitatem, quam alia via euadere non potest, sicut qui proiicit merces in mare. Vnde nullomodo est dicendus transferre in illum dominium via donationis. Neque via solutionis rei promissę: & ratio est aperta, quia cum solutio rei promissæ: fiat ad adimplendam promissionem, illique innitatur vt suo principio & radici, non habet maiorem vim solutio, vel traditio rei promissę ad transferendum dominium, quam habeat promissio ad obligandum, ita vt si promissio obligauerit, solutio rei per illam promissę sit efficax, & firma traditio, transferens domininm illius rei in eum, cui promissa fuerat: si vero promissio nō obligauit, quia facta est per vim, dolum, vel iniquitatem, neque solutio illius confert aliquod ius, vel dominium in recipientem illam. V. g. promittit viator aggressori 100. aureos, confertque deinde illos vt stet promissis, transtulit ne dominium illorum in huiusmodi aggressorem per traditionem illam & solutionem, qua promissionem suam adimpleuit? nequaquam: quia sicut promissio illa nō obligabat, (loquor de promissione sola non firmata iuramento) ita nec traditio ad illam adimplendam contulit aggressori aliquod ius, vel dominium. Similiter fingit se Petrus fratrem Ioannis, promittit illi Ioannes existimans illum fratrem suum 100. aureos, ac vt stet promissis, actu illos confert Petro, transtulit ne per huiusmodi traditionem dominiū illorum 100. aureorum in Petrum? nequaquam. quia sicut promissio orta ex deceptione & dolo non obligabat illum, ita neque solutio ad illam adimplendam contulit aliquod ius, & dominiū deceptori in rem ita sibi traditam. Pari ratione sicut promissio ex iniusta causa non obligat promittentem, ita nec traditio sola vi illius promissionis facta confert aliquod ius vel dominium recipienti. Dico ex iniusta causa, nam ex turpi causa, potest obligare, vt siquis meretrici aliquid promittat, tenetur illud reddere, & stare promissis, quia licet turpiter illi debeatur, iuste tamen, & tam-

tamquam stipendium sibi debitum potest illud recipere, ac retinere: at quod ex iniusta causa promittitur, nec debetur, nec potest recipi. Quo fit, vt sicut promissio ex iniusta causa non obligat promitentem, ita nec illius promissionis solutio & adimpletio cōferat aliquod ius vel dominium recipienti. Qua de causa audienda non est solutio ista, sed colligimus necessario vsurarium non recipere rei vsurariæ sibi collatæ dominium, quia nullus interuenit contractus per quē illud in ipsum trāsferatur.

Quarto, si detur pecunia assasino, vt alterū occidat, vel iudici, vt inique iudicet, aut symoniaco, vt conferat quid spirituale, non transfertur dominium, quia datur pro re quę non est pretio æstimabilis, sed mutuum pecuniæ similiter non est pretio æstimabile, ergo in vsura non transfertur dominium.

Quinto si vsurarius esset dominius pecunię vsurarię, sequeretur, vt si haberet aliqua debita antiquiora & anteriora illa vsuraria acceptione pecuniæ, nec haberet alia bona, quam illam pecuniam vsurariam, teneretur potius & prius soluere illa debita anteriora, quam restituere pecuniam illam vsurariam mutuatario. Consequens est falsum, & contra omnes, omnibus vno ore asserentibus, casu quo vsurarius nō habeat aliam pecuniam nisi vsurariam, teneri ad restituendam illam mutuatario, á quo illā accepit, dimissis aliis debitis etsi anteriora sint. Consequentia vero patet, quia ex bonis, quorum debitor est verus dominus, anteriora debita sunt omni iure prius & potius persoluenda.

Sexto argumentantur Angelus & Sylu. loco. cita. Argumento Alexan. Alen. Nuda traditio rei non transfert dominium L. Nunquam nuda. cuius verba sunt. *Nunquam nuda traditio transfert dominium, nisi venditio, aut aliqua iusta causa præcesserit, propter quā traditio sequeretur.* Et ibi Glos. ff. De acquiren. rerum dominio. Et L. Traditionibus. Cod. De pactis. Solutum autē per vsuram nude traditur, ergo non transit in dominium vsurarii recipientis illud. Maior certa est, Minor patet. Nuda traditio est, quæ non fit virtute alicuius contractus iusti, & liciti, & in qua tradens rem illam non habet animum, & voluntatem transferendi dominium illius, sed quod traditur vsurario vltra sortem, per nullum contractum qui sit honestus, & iustus, illi traditur, neque voluntate conferentis illud, Ergo. Priorem partem ostendimus, quia nullo alio titulo confertur illi, quam ratione pacti & promissionis illi factæ á mutuatario, quæ tamen promissio cum sit ex causa iniqua (vt dicebamus) nulla est, nullaq; inducens obligationem, neque naturalem, neque ciuilem, vt habetur in cap. Debitores. De iure iurādo. & ibi Glossa, & Ioan. de Immola, & Panormit. Estque ratio aperta, Quia vbi lex resistit non habet locum obligatio aliqua, etiā si non resistat vtriq; contrahentium, sed alteri tantum, impediens namq; vnum impedit & alterum, ne contractus inter eos vel pactum aliquod constitui possit, vel obligatio. Qua ratione impedito viro à matrimonio, manet impedita etiam mulier, quæ cum illo vellet contrahere, sicq; habetur in L. Cum lex. & ibi Barth. ff. De fidei iussoribus. Lucro vero vsurario omnia iura resistunt, omnia illud damnant, ex illius ergo promissione nulla potest oriri obligatio. Alteram partem, mutuatariū non intendere, rei quam vsurario exterius tradit, conferre dominiū, satis ostendimus cum Caiet. in primo argum. illius.

Dices quādo illud soluit Mutuatarius, vel existimat se illud debere, vel scit se illud non debere, & nihilominus vult soluere; si existimat se illud debere, quamuis in eo decipiatur, at cum illud existimet, & voluntas sequatur iudicium & cognitionē, habet profecto animum transferendi in illum suæ rei dominium, si vero scit se illud non debere, & nihilominus vult tradere, censendus etiam est & multo potius velle illud dono conferre. Respondeo, Imprimis neminem fere esse qui ignoret vsuras esse iniquas, & prohibitas, nec deberi vsurario lucrum aliquod, quantūuis illi promittatur: Quod si qui illud ignorēt, est ignorantia nimis crassa & supina, quę non sufficit ad translationem dominii. Qui vero sciens se illud non debere nihilominus tradit, non propterea censendus est donare, aut velle transferre dominium, sed redimere solum suam necessitatem, vt ex dictis constat, maxime quia nemo censendus est velle dare, quod non debet, ei qui á iure prohibetur illud accipere.

Cōfirmantur hæc omnia: quia vt habet Glosa in illa L. Traditionibus. §. Per traditionem. Instituta De rerum diuisione, & L. Traditio. ff. De acquirendo rerum dominio. Vt traditio aliqua transferat rerum dominium, exigitur vt sit cum aliqua idonea

nea causa, vbi voluntas tradentis rem illã non intendit libere, & omnino gratis donare. Sed in vsura mutuatarius (vt cõstat) non intendit gratis donare, neque existit aliqua idonea causa ad illud exigẽdum, vel recipiendum, ergò in tali contractu non transfertur dominium rei vsurariȩ in recipientem illam.

Septimo. Per contractum nullum, nullum transfertur dominium, L. Non dubiũ. §. Pactum. Cod. De legibus. cuius verba sunt: *Nullum enim pactum, nullam conuentionem, nullum contractum inter eos videri volumus, qui contrahunt, lege contrahere prohibẽte: quod ad omnes etiam legum interpretationes, tam veteres quem nouellas trahi, generaliter imperamus: Vt legislatori, quod fieri non vult tantum prohibuisse sufficiat, cæteraq; quæ si expressa ex legis liceat voluntate colligere: Hoc est, vt ea quæ lege fieri prohibentur, si fuerunt facta, non solum inutilia sed pro infectis etiam habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit inutile esse debere quod factum est:* Hæc ibi. Ex qua lege Glosa ibidem. & Bartho. num. 38. col ligunt Ex contractibus contra legem nulla tenus transferri dominium. Estque communis sentẽtia, & velut axioma DD. L. 1. §. Si vir vxori. ff. De Acquiren. possessio. Contractus autem vsurarius est huiusmodi, vt patet in cap. 1. & 3. & cap. Consuluit. De vsuris, ergo per illum nullum dominiũ transfertur. Et confir. Obligatus ex delicto quod cõmittit in receptione iniqua & iniusta alicuius rei, ad illam restituendam, non est dominus illius, neque acquirit dominium illius per talem acceptionem, vt videre est in fure: Sed vsurarius eo ipso quo accipit rem aliquam per contractum vsurarium manet obligatus non solum ratione rei acceptæ, verumetiam ratione illius iniquȩ acceptionis (quod & authores alterius opinionis fatentur) ad rem illam restituendam: ergo non est illius dominus, neque acquisiuit illius dominium per illam acceptionem. Minor cũ cõsequentia perspicua est: Maior habetur in L. In re furtiua. & L. Si non manifestus. ff. De conditio. fur. Et confir. quia ex eadem causa non possunt duo effectus oppositi maxime in actionibus moralibus oriri, habere dominium alicuius rei, & teneri ad illam restituẽdam sunt sibi opposita, cum rem suam possit qui illius dominus est sibi retinere, & ea pro libito ad proprios vsus vti, ergo qui obligatus ex delicto, quod in actione aliqua iniusta & iniqua committit, tenetur ad rem aliquam restituendam, non potest per eandem illius dominium acquirere.

Denique, quo argumento vtitur etiam Altisiod. Vsurarii, etsi Iudices seculares eos non suspendant, sicut cæteros fures, sunt tamen vere fures, eorum quȩ per vsuram recipiunt vltra sortem: hoc quidem interest inter ipsos, & latrones, tamen conueniunt in eo, vt accipiant alienum inuito domino, in quo consistit propria ratio furti. Vnde. Cano. si quis vsuram. 14. q. 4. dicitur. *Si quis vsuram accipit, rapinam facit,* Sed fur non recipit dominium rei furtiuȩ, ergo neque vsurarius dominium rei vsurariæ. Vnde Archid. in d. cap. Si quis, ait; *Licet vi compulsiua rem alienam rapiens fictione iuris ciuilis efficitur dominus rei, iure tamẽ prætorio penes priorem dominum manet illius rei dominium, quod potiori iure in foro conscientiæ sentiendum est.*

Ad argumenta in oppositum. Ad primum respondeo, vnumquẽque libera sua voluntate transferre dominium rei suæ in alterum, quando actu & reuera vult trãsferre illud, mutuatarius vero non vult trãsferre absolute & libere dominium rei in vsurarium, sed minimum quod potest, sæpe solam & nudam rei exhibitionem, tamquam in quoddam depositum retẽto apud se dominio, vt ex dictis constat. Imo & casu quo vellet illud reuera transferre, dubium adhuc est, an transferret. Primo, quia cum vsura adeo prohibita sit omni lege naturali, diuina, & humanã, eo ipso videtur voluntas mutuatarii impedita, ne possit transferre dominium per contractum vsurarium: sunt enim ista velut relata, vnus nõ potest accipere, ergo neque alter dare, donatione quæ transferat dominium. Secundo prohibetur etiã vsurarius accipere, quia ad accipiendum requiritur aliquis iustus titulus quo possit illud recipi, vsurarius autem nullum alium titulum habet quã mutuum, ob quem non potest accipere, quia esset vendere rem omnino inuendibilem. Cum ergo ipse non possit accipere, nec mutuatarius trãsferre: Sicut in naturalibus forma nõ potest introduci nisi in subiectũ aptũ, & dispositũ. Dices, exhibet actũ pecuniam vsurario, nec habet dissensum transferendi dominium, ergo sufficiet illa externa traditio. Dico, ad rem quæ alias non debetur omnino dandam, desiderari necessario actualem & explicitum consensum dantis, nec sufficere ipsum non dissentire.

Ad

Ad secundum respondeo eadem ratione. Non transferri dominium, quia quidquid mutuatarius confert, inuolũtarie dat, & sua necessitate coactus, ad redimendam quẽ suam vexationem, cum iniquus vsurarius nolit alia ratione illi mutuare: quod inuoluntarium sufficit, vt tranferatur dominium. Etenim qui sic inuoluntarie dat, non intendit dare nisi minimum quod potest, quale est solam & nudam rei traditionem sine dominio conferre.

Ad primam instantiam dico, licet per accidens sit ex necessitate & indigentia, vel sine ipsa postulare mutuum, attamen cum mutuatarius non aliter petat, quam sua indigentia compulsus, siue indigentia illa vera sit & honesta, siue vitiosa & praua, cũ nec gratis, ac ex amicitia vsurario aliquid exhibeat, sed sola ratione mutui, quia aliter ille non vult mutuare, eo ipso censendus est non libere sed inuoluntarie illud cõferre, & ex consequenti animi & intentionis suæ esse, tranferre in vsurarium minimum quod potest.

Ad secundum dico, diuersa esse ac distincta hęc duo, accipere pecuniã à fœneratore, vt per illam expositam negotio lucrum habeatur, & soluere vsuras fœneratori: Prius illud præstat quidem mercator negotiorum & lucrorum cupidus libere, ac volũtarie, posterius vero necessitate compulsus, quia aliter pecuniam illam habere non potest à fœneratore: Quo fit, vt de huiusmodi mercatore similiter sentiendum sit, ac de quocunque alio, qui sua necessitate adductus pecunias fœnebres recipit ab vsurario, intẽtionis ac voluntatis suæ esse, trãsferre in illum minimum quod potest. Nec exemplum ibi adductum de conferente pecunias meretrici accõmodatum est, in meretricem enim potest fornicarius pecunię suę dominus illius dominium transferre; quia licet fornicatio omni iure prohibita sit, nõ tamen est prohibitum meretricij obsequij quod fornicario prẽstat, mercedem ac stipẽdium recipere: sic enim dicitur l. 4. §. primo. ff. de conditio. ob turpem causam, de meretrice: *Licet turpiter faciat, non tamen turpiter* (id est non iniuste) *acquirit cum sit meretrix*. At vsurarius turpiter facit nolẽs mutuare gratis, turpiterq; & iniuste acquirit, ac recipit vsuras, adeo vt acceptio illarum sit quoddam genus rapinæ, per quam non transfertur dominium.

At 3. facilis est responsio, Ad peccandum enim quicunq; consensus sufficit, quia lex Dei absolute & simpliciter prohibet & actũ, & animum, & opus & cõsensum, & ferenda prius quęcunq; indigẽtia, & quodcũquẽ dãnum est, quã violanda diuina lex: ad transferendũ vero dominiũ eorũ, quæ nullo iusto titulo alteri debẽtur, exigitur plena ac omnino libera voluntas, nulla necessitate cõpulsa, non solũ exhibendi rẽ, verũ etiã & transferẽdi dominiũ. Nã cum hęc (vt vidimus) non sint necessario connexa, sed separabilia, non sufficit habere voluntatẽ exhibẽdi, nisi simul habeatur expresse quoq; voluntas trãsferendi etiã dominiũ, quã nõ habet conferens aliquid volũtate mixta & conditionata. Quia eo ipso quo Petrus sic aliquid cõfert, vt si posset nec cõferret, nec vellet conferre, censendus est animi sui esse conferre tantum minimum quod potest.

Ad 4. respõdeo, neq; viatorẽ cõferẽtẽ pecuniã aggressori vt periculũ mortis euadat, neq; aliquẽ aliũ suis bonis ex eodẽ metu renũtiantẽ, tranferre dominiũ eorũ in illos, quia sine interiori, & expresso, ac libero animi cõsensu huiusmodi donationes, & cõtractus effecti nullã habẽt vim, nullũq; trãsferunt ius, vel dominiũ, vt habet cõmunis DD. sentẽtia. Ad cap. vero illud Abbas. & l. Metũ. de his quę vi, metusue causa fiunt duplex est expositio. Prima est, contractus istos esse irritãdos, id est declarãdos irritos, ita Soto. 6. de iust. q. 1. art. 4. & est communis explicatio Iuristarũ. Quia cũ hæc duo in iure plurimũ differãt dominiũ, & possessio, qui vero per vim & metũ extorsit pecunias alienas, possidet quidẽ illas quãuis nõ vt suas, priuãdus est iniqua illa possessione à iudice, & hoc significare cũ dicitur *irritados esse*, nõ quod veri sint, sed irriti & nulli à parte rei, declarãdũ verò illud à iudice, & exspoliandũ habentem illaca, possessione: Secũda Expositio est eiusdẽ Soto in suo 4. dist. 29, q. 1. art. 3. illos cõtractus nõ esse irritos lege humana, sed irritãdos, quæ expositio etsi videatur recedere à cõmuni Doctorũ sesu, nonnullisq; displiceat, admitti nihilomin' etiã potest, ita vt significet, esse quidẽ irritos iure naturę, & à parte rei, nõ autẽ iure ciuili, irritandos autẽ à iudice, ita vt iudex authoritate legis humanę reddat irritum, præcipiens haberi irritum, quod alias simpliciter & à parte rei iure naturę iã irritũ erat. Quãcunq; expositionẽ ex his sequamur, efficitur in illo c. nõ haberi, per cõtractum inuoluntarium transferri dominium.

Ad 5. principale dico Cõtractũ qui fit ex necessitate sed sine vlla iniuria, validũ esse

& ratũ, quia eo ipso quo nulla infertur iniuria cõtrahenti, consensus eius est sufficiẽter liber ad contrahendum: at quando fit cum iniuria, & necessitate patientis illam, qui sua necessitate compulsus consentit in illam, censendus est non plene consentire, sed quantũ minime potest: Vnde qui vendit rem suam ex necessitate, & vilius, quia ipse rogat, & mercem illã offert vltroneã, emptor nullam iniustitiam aut iniuriam infert tali venditori minoris illam emens, quã valeat simpliciter & absolute, qua de causa venditor ille nec iniuriã nec iniustitiã patitur ab emptore illo, sicq; trãfert in ipsum quidquid in contractu venditionis transferri solet, mutuatari⁹ verò patitur ab vsurario iniustitiã, accipit enim ab illo cui debuisset gratis mutuare, nec vult nisi cum fænore, & inique ab illo lucrum vsurariũ extorquens, Quo fit, vt nullum in illum transferat dominium, Tum propter iniuriã quã illi facit, quia iuxta regulas iuris. *Ex iniuria non nascitur ius:* Tum quia conferens illud quasi coactus, non est censendus conferre illi nisi minimum quod potest.

Ad primam confirmationem istius argumẽti, Quamuis nõ sit huius loci disputare, an matrimoniũ ex tali metu cõtractũ sit validum stando in iure naturæ, nihilominus dico seclusa constitutione & lege Ecclesiastica eadem ratione iudicandum esse de matrimonio, & de conferente vsuras: quemadmodum enim si, expressè velit mutuatarius pecuniẹ suæ dominium in vsurarium transferre, illud transferet profectò, stãdo in solo iure naturæ, quo vnicuiq; licet remsuã liberè alteri conferre, si verò non velit expressè tale dominium in illum transferre, non transferet, quamuis exterius vellit pecuniam suam illi tradere: Quia (vt sæpe dicimus) non tradit illam libere & gratis, sed propria necessitate, & iniquitate vsurarij, qui gratis mutuare renuit; compulsus autem præsumitur non tradere nisi minimum quod potest. Ita in matrimonio, quacunque ratione exterius profiteatur se aliquam ducere in vxorem, siue ex metu, siue sine vllo metu, si interius non instituit illã ducere, & sui corporis dominium in illam transferre, non est matrimonium: si vero interius habeat animum ducendi illam, verum est matrimonium stando in solo iure naturæ, quamuis consensus ille per metum cadentem in constantem virum fuisset extortus. Cẹterum, cũ vinculum matrimonij sit indissolubile, maximaque sequerẽtur incõmoda publica, & priuata, si matrimonia per metum inita essent valida, quia semel celebrata nequirent vllo modo irritari, sicut alij contractus, constituit Ecclesia, & sapientissime, matrimonia libera & omnino spontanea esse debere, nec vlla vi vel metu cogẽte inita, adeò vt aliter facta nulla sint, etiam si iuramento firmentur.

Ad secundam confirmationem dico, licet mutuatarius hîc, & nunc velit ad redimendam suam necessitatem: nihilominus hic, & nunc illam voluntatem esse mistam ex voluntario & inuoluntario, nec esse plene liberam, quo fit, vt per eã exhibeat quidem actu pecuniam illam vsurariam externa tantum, nudaque traditione, sine translatione dominij. Vel dico tradere quidem ipsum pecuniam illam hic, & nunc voluntate libera, sed ita vt voluntas illa solũ extendatur ad nudam traditionem pecuniæ exterius factam, sine translatione dominij; cum nec sit gratuita nec volũtaria donatio, sed quædam tantum redemptio propriẹ necessitatis: sicut quando viator tradit pecuniam aggressori, ad redimendam vitam.

Ad quartum, dico argumentum illud procedere vbi traditur aliquid contractu vero, & licito, in contractu autem vsurario cum sit omnino illicitus, & acquisitio lucri, quod in eo confertur, omnino iniqua, non est necesse vt traditio illius pertineat ad aliquem contractum, imo eo ipso quoad nullum contractum iustum & honestum pertinet, nequit habere vim ad transferendum dominium. Cæterum quia communiter appellatur contractus, si quẹras, ad quam speciem cõtractus reduci possit, dico ad quoddam depositum inuoluntarium, quod fit ad redimendam propriam vexationem, quale facit viator apud siccarium aggressorem, vt sæpe dictum est.

Ad confirmationem dico, in cõtractu valido iuramentum esse tantum confirmationem illius, in contractu vero violento & inualido, qui iurat, vel iurat id quod sine peccato sibi licet exercere, vel quod sine peccato ab ipso fieri non potest: si iuret hoc posteriori modo, non tenetur seruare iuramentum, nec contractus per tale iuramẽtũ redditur validus, imo iurare illud est peccatum, & seruare iuramẽtũ, quo res iniqua iurata est, est graue delictum. *Quia iuramentum non debet esse vinculũ iniquitatis.* Quod si iurauerit priori modo, tunc licet cõtractus ille simpliciter & secũdũ se inualidus sit, promissio tamen seruanda est propter

pter virtutem religionis, quia Dei nomen assumptum est & adductum in testimoniũ rei, quæ sine peccato effici potest. Vt si viator promittat latroni se daturum 100. aureos, non tenetur illos dare, sed est inualida illa promissio, quia fuit violenta & coacta, at si adhibeat iuramentum, tenetur tunc illos dare. reddita enim est valida ratione iuramenti, propter virtutẽ religionis quę exigit, vt quod sub attestatione diuini nominis promissum est, cum sine peccato adimpleri possit, adimpleatur. Tenetur nihilominus sic earius ille pecuniam acceptam á viatore illi restituere: potestque viator apud iudicem illam repetere. Ita in proposito, si mutuatarius iuret se daturum vsurario, & habiturum animum transferendi dominiũ in ipsum illius pecuniæ vsurariæ, tunc tenetur habere talem animum, & transfert in ipsum, quãdo illam tradit, dominium illius, quantum in ipso est. Hæc tamen translatio quantum ex parte mutuatarij non fit virtute contractus vsurarij, nec ex voluntate libera illius, sed virtute iuramenti adhibiti, propter quod ad seruandam virtutem religionis, & honorem debitum diuino nomini, quod adduxit in testimonium, debuit habere animum quem expresit, transferendi scilicet in eum illud dominiũ: multi enim contractus; & promissiones omnino nullę, & inualidę ratione iuramenti decernuntur in iure valere: vt in c. illo. Debitores, de iure iurãdo. Manet tamẽ nihilominus vsurarius obligatus ad restituendum, quæ certe nostrę sententiæ non repugnant: hîc enim agimus de vi quam habet traditio pecunię quę fit vsurario secundum se, & simpliciter, affirmamusque illam non habere vim ad transferendum dominium: Quod autem in isto casu, quo iurat, transferat, id est per accidens, non virtute contractus vsurarij, nec virtute illius exhibitionis & solutionis pecuniæ, sed virtute iuramẽti adhibiti. Quẽadmodum si mutuatarius habeat animum transferendi dominium sua libera voluntate, & gratuita donatione, similiterque mutuans illud accipiat tanquam per liberam omnino gratuitamque donationem, transfertur vere & realiter dominium rei sic collatæ in mutuantem, hæc tamen translatio dominij non est ex contractu illo mutui, sed ex libera illa voluntate conferentis, quod est per accidens ad rationem mutui, de quo hîc agimus.

Ad 5. patet iam solutio ex dictis, in responsione ad secundam instantiam secundi argumenti: Ex qua constat, qua ratione meretrix recipiat dominium eorum, quæ sibi conferuntur, vsurarius vero nequaquam.

Ad sextũ Respondeo. imprimis maximũ esse discrimen inter vsurarium & mutuatarium, hic enim qui per mutuum accipit rei sibi mutuatæ dominium, potest illa toto tempore mutui pro libito vti, in quos vsus voluerit, nec tenetur eam antea restituere, sed aduemente termino similem, vel æquiualentem: vsurarius vero, quemadmodum fur nec per breue tempus potest rem per vsuram acceptam apud se detinere, nec in aliquos vsus eam conuertere, sed tenetur statim illam restituere mutuatario. Qua ratione apparet (vt inter argumentandum dicebamus) vsurarium non recipere rei sibi per vsuram collatę dominium, cum de ratione dominij sit conferre facultatem habenti illud in rem aliquam, vt possit illa pro libito vti in omnem vsum. Respondeo secundo, præcipuam causam, propter quam non transfertur dominium rei vsurariæ in vsurarium, non esse illam, quia tenetur statim restituere, sed hanc, quia omnis translatio dominij debet necessario fieri, vel authoritate legis, vel libera donatione conferentis illam, vel per aliquem contractum iustum & honestum, quę omnia in contractu vsurario desunt, & propterea nõ transfertur in eo dominium: quo fit, vt teneatur vsurarius statim restituere, vnde ratio illa ab effectu sumitur, non á propria causa.

Ad confirmationem respondeo, vsurariũ neq; vsum habere liberum earum rerum quæ vsu consumuntur, saltim de iure, quia cum non sit illarum dominus, neque potest illis libere vti, neque illas apud se detinere, sed tenetur statim, & easdẽ numero mutuatario tanquam vero illarum domino restituere: Quod si illis vtatur, (vt sæpè accidit) vtitur quidem illis de facto, non tamẽ iure, tuncq; non tenetur ad easdẽ numero restituẽdas, sed sufficit restituat similes vel equiualentes, quia cũ iam illas per vsum cõsumpserit, redditus est impotẽs ad easdem numero restituendas; An autem peccet illis vtens, controuersia proximè sequenti huius art. explicabimus: nunc ad argumentum propositum sufficiat nosse, vsurarium simpliciter & de iure, neque habere vsum rerum, quas per vsuram acquirit, quęcunque illæ sint. Sicut omnium DD. consensu, fur rei furtiuæ, quęcunque illa sit, neq; do-

minium habet, neque vsum, simpliciter & de iure: adeo vt si ea vtatur, iniuriam faciat vero domino, iuxta damnũ quod illi ex tali vsu acciderit. Hoc enim (vt diximus) differt mutuum, à furto, rapina, & vsura alijsque actionibus iniquis, per quas non transfertur dominiũ; vt in mutuo, quia transfertur dominium rei mutuatę in mutuatariũ, potest illa vti toto tempore mutui prolibito, cum solo debito restituendi similem: in alijs vero acceptionibus iniquis, in quibus non transfertur dominium, sicut rẽ aliquã accipiens non efficitur illius dominus, ita neque; facultatem vtẽdi illa habet vteretur enim illa inuito vero illius domino.

Vltimum argumentum postulat quæstionem illam.

Controuersia. II.

AN CONTRACTVS *emptionis, venditionis, donationis, eleemosynæ, & similes facti ab vsurarario sint validi, & conferentes ius accipientibus per eos rem aliquam ab vsurario?*

(?)

IN hac quæstione iurisperiti varij sunt; DD. verò Theologi omnes fere cõueniũt: propter quod omissis opinionibus Iuri starũ, ad quos non pertinet ferre iuditium in foro animę, proponemus tantum quę à Theologis docẽtur per nonnullas conclusiones. Ad quas commodius intelligendas obseruemus primo: In hac quæstione distinguendũ esse necessario, inter res quæ vsu consumuntur, & eas quę permanent, nec vsu consumuntur: nam in his restitutio facienda est in eadem numero re, quia dominus huiusmodi rerũ rationabiliter vult eãdem rem sibi restitui, vt eandem lineam, eandem domum, fitque magna illi iniuria, si eo reclamante velit aliquis epsoliare ipsum re illa in indiuiduo. In his vero quę vsu consumuntur, non semper est necesse sub pœna peccati mortalis, fieri restitutionẽ in eadem re numero: sed sat est, fiat in re simili & æquiualenti: cui cõsonat lex ciuilis. l. Si nummi. ff. de solutionibus. Quia cum in his non tam attendatur res ipsa, quam illius valor, irrationabiliter se haberet dominus huiusmodi rerum, si ita vellet eandem rem numero sibi restitui, vt non admitteret similem in pecunia, & omnino ęquiualẽtẽ. Dixi non semper esse illud necesse, quia si ex eo quod non restituatur mutuatario illa eadem res, quę ab ipso fuerat accepta, quamuis vsu consumptibilis, aliquod graue damnum vel maxima molestia rationabiliter accepta illi immineat, vel accidant ratione illius dãni vel molestię, tenebitur sub pœna morta. eandem rem numero illi restituere, vnde si per illius vsum, vel consumptionem reddat se impotentem ad restituendam eandem numero, illius vsus & consumptio erit peccatum mort. Quod si nullum damnum nec molestia grauis inde immineat, non erit peccatum morta. sed veniale tantum, quia vti illa sine licentia veri domini est quędam contrectatio rei alienæ inuito domino, quæ reducitur ad genus furti, nec potest à peccato saltim veniali excusari. Quod non est intelligendum, vbi vsurarius habens alia bona præter vsuraria ex quibus potest statim, & sine vlla temporis dilatione vsuras restituere, expendit ea quæ per vsuram acquisiuit (loquor de his quę vsu cõsumuntur) quid enim refert restituat nè idem oleum, vel triticum per vsuram acceptum, an aliud simile, eiusdem omnino bonitatis & valoris; si vtrumquę habeat simul in promptu, vnde sine vlla dilatione restituat quę debet, esset certe pręter rationem censendus inuitus mutuatarius, qui nollet aliam pecuniam sibi restitui, nisi eandem omino, quam vsurario contulerat. Accipienda ergo sunt quæ diximns, quando licet habeat alia bona vnde restituat, non tamen ita in promtu, vt posit statim restituere, sed cum aliqua dilatione: tunc enim cum potuisset non expensis rebus vsurarijs statim restituere, illis vero expensis & cõsumptis, debeatur restitutionem differre, si ex huiusmodi dilatione aliquod damnum vel molestia mutuatario immineat, erit peccatum mort. vel venia. iuxta quantitatem & rationem illius damni, vel molestię. Vnde in prioribus illis existit semper obligatio realis, ita vt quocunque illa transferantur comitetur illa vinculũ & obligatio vt restituã tur: posterioribus vero simpliciter & de iure eadẽ quoq; obligatio conuenit, quandiu apud vsurariũ manẽt, cũ vero ab illo expẽduntur, solum competit obligatio personalis, & debitum personale, quo tenetur vsurarius ipse illorum valorem restituere: Eritque vsurarius, toto tempore quo rẽ sic acceptam non restituit, cum posit, in statu peccati

peccati mort. ficut qui habet alienũ ꝙ potest restituere, existit in statu peccati mortal. toto tempore quod illud apud se detinet, iuxta ea quę docuimus tom. 1. quæst. 62. articul. 9. contro. 1.

Obseruemus secundo, vsurarium aliquādo solum habere quæ per vsuram acquisiuit, aliquãdo vero præter bona illa per vsuram acquisita habere etiam alia, quæ iusto titulo possidet, vt patrimonialia, vel iuste lucrata; quando pręter illa vsuraria habet alia quæ iuste possidet, tunc siue consumat illa, siue tradat alteri, siue exponat alicui negotio, non redditur impotēs ad restituēdum quæ per vsuram accepit, cum possit facile illa restituere ex alijs quę iuste possidet; manent enim tunc illa, etsi iuste possessa, deuincta & obligata restitutioni, & mutuatarijs, loco aliorum, & in eadem quantitate, quia obligatio domini transit in bona ipsius. Si vero solum habeat bona vsuraria, & illa consumat, vel tradat, redditur impotens ad illa restituenda vero domino, & cũ per vsuram non acquisierit illorum dominium, perinde se habet ac si traderet vel cōsumeret aliena: nō minus quā si fur aliquis traderet, vel cōsumeret, quæ furto accepit.

Obseruemus tertio, quod abunde constat ex quæst. 62. de restit. art. 6. & 7. accipientem aliquid ex eorum genere, quæ vsu consumuntur, ab eo qui non est dominus, bona tamen fide & tanquam à vero domino, quocũq; modo ille sese habeat nonũquam effici ditiorem ratione illius rei quā accepit, veluti cum quis accepit aliquot mēsuras tritici, quibus vtens desinit emere totidem ex foro, quarum pretium fuisset 50. redditus est ditior in illis 50. Aliquando vero non reddi propterea ditiorem, vt cum propter triticum acceptum nō desinit emere illud idem ex foro, vel aliunde, quod eo non accepto emisset. Siquidem reddatur ditior, etiam si bona fide illud acceperit, tenetur (vt ibi docuimus) ad restituendum id in quo factus est ditior, quia in eo habet plusquam debet habere, quod est inæqualitas quędam ad æqualitatem per restitutionem necessario reducenda: quod si in nullo factus sit ditior, non tenebitur ad aliquā restitutionem, quia omnis restitutio facienda est aut ratione iniquę acceptionis, quam hic non commisit, cum bona fide acceperit, aut ratione rei acceptæ, quo nomine nō tenetur cum neque res accepta apud ipsum maneat, neq; ob eam factus sit ditior. Verbi gratia, furatur Petrus ædum ad cœnam, & inuitat Ioannem, accedens Ioannes cœnat cum Petro ex illo ædo furtiuo, si quidem Ioannes ratione illius cęnæ desinit domui suæ cœnam parare, & expensas aliquas facere, quas nisi fuisset inuitatus reuera fecisset, tenetur ad restituendum quantum in cęna domi suę sibi paranda expendisset; quia in ea ratione illius cænę furtiuæ factus est ditior. Quod si propter cænam, ad quam fuit à Petro inuitatus, non desinit domui suæ eandem cænam parare, easdemque expensas facere, quas fecisset nō cœnaturus cum Petro, ad nullam tenetur restitutionem, cęnans bona fide cum Petro, credensque ędum illum non fuisse furtiuum, quia per cęnam illam & manducationem ædi alieni, sub bona tamen fide, non est factus in aliquo ditior, nec minus domui suę expendit, quam alias expendisset.

Obseruemus vltimo, contractus ciuiles, de quibus hîc loquimur, duplices constitui à Doctoribus, quidam enim eorum dicuntur onerosi, alij vero sine vllo onere: onerosi dicũtur, qui fiunt interueniente pacto, & imposita obligatione aliqua ciuili alteri cōtrahenti, vt emptio, venditio, & similes: vēditor enim confert rem emptori imposito illi onere & obligatione reddendi pretium, emptor similiter confet vēditori pretium imposito illi onere & obligatione cōferendi rem illam venalem. Sine onere, cum alter aliquid alteri confert nullo pacto interueniente, nulloque onere vel obligatione ciuili alteri imposita, sed simpliciter & absolute, vt in simplici, libera, & gratuita donatione per quam Petrus gratis aliquid Ioanni confert, nil omnino propterea ab illo exigens, quãuis enim teneatur Ioannes gratum se exhibere Petro vt benefactori suo, hęc tamen obligatio non est ciuilis, & quæ pretio æstimetur.

His positis sit prima conclusio. *Si res per vsuram accepta non sit vsu consumptibilis, vt domus, vinea, &c. non potest vsurarius illā vllo modo alienare, neque vllo genere contractus alicui tradere, neque contractu oneroso, vt venditione, neque sine onere vt donatione, vel dote, sed omnes contractus quos circa illam exercebit, sunt infirmi, & irriti. Et quicunque talem rem ab vsurario accipit quocunque contractus genere illam recipiat, tenetur eam restituere (nisi excusetur ignorantia inculpabili) mutuatario, à quo vsurarius, ille eam acquisiuit per vsuram.*

 Patet.

Patet in huiusmodi rebus vsurarijs nõ ac quisiuit illarum dominium, cum per vsurã illud nullo modo transferatur, verum etiã restitutio faciẽda est in eadem re numero, ita vt maneat semper res illa in indiuiduo obnoxia restitutioni, & cũ obligatione rea li, ergo quo iure tenetur vsurarius rem il lam eandem numero mutuatario restitue re, eodem prohibetur per vllum contractũ eam alienare, & eodem consequenter iure, omnes contractus, quos circa illam exercebit, erunt nulli, & inualidi.

Secundo fur circa rem furto acceptam, quando illa non est vsu consumptibilis, nul los potest exercere contractus, etsi quos exerceat, sunt nulli, & inualidi; ita vt qui rẽ furtiuã ab ipso emerit, vel acceperit, teneatur vero domino illam restituere: At quod acquiritur per vsuram vere furtiuum & raptum est, ergo.

Ex hac prima conclusione sequitur, falsum esse quod docet Adria. in suo. 4. in tra cta. De restit. cap. quod incipit. *Hoc igitur*: Vbi habet, licere vsurario bona quę non cõ sumuntur vsu distrahere titulo, vel contra ctu oneroso, vt vendere domum, vel agrũ quem per vsuram acquisiuit, modo non red datur ea venditione impotens ad restituen dum, sed pecunia illa vel conuertatur in aliam rem permanentem, & firmam, vel de ponatur in loco tuto, & securo. Ratio eius est, quia cum iuxta ipsum per vsuram transferatur dominium in vsurarium cum debito restituendi, sicut in mutuo, eo ipso quo per contractum non redditur impotens ad restituendum, poterit dominium rei quod habebat in alium transferre: Vnde infert, ementem rem illam modo explicato non peccare, quia non consentit detentioni rei alienę, cum possit vsurarius vsuram quam debet, ex pretio illo vel re in quam illud cõ uertit restituere, sed solum consentit alienationi, quam vsurarius facere potuit rei cuius erat dominus, per cõtractum, quo se ipsum minime reddidit impotentem ad resti tuendum; Accipientem vero rem illam donatione, aut alio contractu, seu via, qua vsu rarius reddatur impotens ad restituendum, peccare grauiter, quia sic accipiens cooperatur iniquitati vsurarij efficientis se inabi lem ad restituẽdum. Sed ex dictis satis hæc confutata manent: Constat enim vsurariũ non esse dominum rei vsurarię, quęcunq; illa sit, vnde neque in aliquem alium illius dominium transferre potest, saltim rei quę non consumitur vsu, nam in his quæ vsu consumuntur, quia parum refert, num eadem numero, vel alia illi omnino similis, & æquiualens restituatur, modo non differatur restitutio, concedunt quidem Doctores valere contractus vsurarii habentis alia bona in promptu, ex quibus sine vlla dilatione temporis statim restituere valet: non quidem per se & absolute, ac simpliciter, quia possit ex illis, vt proprijs disponere, cum nullius rei vsurariæ dominium acqui rat, sed per accidens, quia habet alia quæ loco illarum eadem celeritate temporis restituat. At in his quę non consumũtur vsu, etsi habeat alia vnde possit illorum valorẽ restituere, nullum contractum celebrare po test, neq; sine onere, neq; lucratiuum, neq; sine lucro, quia hęc, quouis modo se se habeat vsurarius, habent secũ obligationem realem, suntq; eadem numero suo domino omnino restituenda, nec sufficeret reddere æquiualens. Esset namque mutuatarius ra tionabiliter inuitus, si loco domus, vel agri quem per vsuram contulit, pecunia aliqua ipsi restituatur: mauult enim quiuis domũ propriam, & fundum suum recipere, nisi ex presse illius consensus habeatur.

Secundo, Si vsurarius, rei quæ vsu non consumitur dominium habeat, positque illud in alium transferre sicut mutuatarius, vt ibi docet. Adria. parum refert, transfe rat ne illud per contractum onerosum, vel similem, quo non reddatur impotens ad re stituendum, vel per donationem, vel similẽ quo reddatur impotens: peccabit ille quidem reddens se impotentem ad restituendum, contractus tamen erit validus & firmus quacunque ratione fiat, sicut mutuatarius, quia rei mutuo acceptę dominium recipit, peccabit quidem si ita illam in alium transferat, vt reddat se impotentem ad illius restitutionem, at siue illam vendat, vnde habeat pretium, quod restituat, siue illam gratis donet, & consumat, contractus ex illa ab ipso celebratus validus est, & firmus. Vnde reiecta in hac parte opinione ista Adriani, conueniunt cæteri omnes in hac prima conclusione posita. Solum dubitant, possit ne aliquando accidere, vt contractus vsurarii circa huiusmodi res sit validus? Respondentq; in vnico tantum euentu id pos se: quãdo scilicet, eodẽ tempore quo vsura rius rem illam acquisiuit, mutuatarius pro pria sponte paratus erat eandem vendere

iusto

iusto pretio, & quia non inuenit emptorē, vel alia de causa ex libera ipsius mutuatarii voluntate non fuit illa vendita, sed tradita per vsuram; in hoc casu, cum ipsemet dominus illius eam reuera vendere voluerit, ac vendidisset inuento emptore, vsurarius illam per vsuram accipiens, hanc tantum iniuriam intulit, quod non reddiderit iustum pretium, qua de causa solum tenebitur ad eam compensandam quod efficiet reddito iusto pretio, eo scilicet quod debuisset tradere, quādo illā recepit, si tūc illam emisset, sicq; manebit dominus illius rei, eruntque consequenter firmi omnes contractus, quos circa illam exercebit.

Secunda conclusio. *Si res accepta per vsuram sit vsu consumptibilis, vsurarius vero habeat alia bona, vnde restituat eandem specie vel æquiualētem, poterit quidem peccare mortaliter, vel venialiter illam in alios transferēs; omnes tamen contractus quos cum illa celebrauerit, siue sint onerosi, vt emptio, venditio, & similes, siue sine onere, vt donatio, dotatio filiæ &c. sunt validi, & firmi.*

Prima pars constat ex prima obseruatione. Etenim si ex traditione illius rei alteri facta aliquod graue damnū, vel grauis molestia rationabiliter accepta mutuatario accidit, cum inferre tale damnum, vel molestiam sit peccatum mortale, traditio rei, quā tale damnum vel molestia subsequetur, peccatum etiam mortale erit: vbi vero huiusmodi damnum vel molestia nō accidet, veniale tantum, vt constat.

Probatur altera pars: In re vsu consumptibili, vsurarius & quiuis debitor quāuis non reddat eandem rem numero, satisfacit tamen legibus iustitiæ, modo reddat eandē speciē vel æquiualentem: vsurarius autem habens alia bona prçter illa vsuraria, potest ex illis sufficienter, & çquiualenter restituere accepta per vsuram, ergo satisfaciet legibus iustitiæ restituens ex aliis valorem eorū quæ per vsuram acquisiuit. Nunc sic. Si contractus quos circa huiusmodi res vsurarius celebraret, essent nulli, & inualidi, illud certe esset, quia non satisfaceret vsurarius mutuatario iuxta leges iustitiæ, nisi restitutis illi eisdem rebus numero, quas ab illo accepit, at satisfacit restitutis illi similibus & çquiualentibus, quod commode potest cum habeat alia bona vnde illud præstet, ergo contractus quos circa res illas vsurarias vsu consumptibiles exercuerit, validi sunt, & firmi. Confirm. In huiusmodi rebus non habet locum obligatio realis, sed personalis tantum, qua tenetur mutuatarius illas vel earum valorem restituere, ergo translatæ in alium per contractum aliquem licitum, & honestum, vere transeunt in dominium recipientis illas.

Dices vsurarius non habet illarum dominium, ergo neque potuit in aliquem alium illud transferre, nullus enim valet conferre alteri, nisi ius vel dominium, quod ipse habet. Respondeo, verum quidem esse vsurarium non habere illarum dominium, Cæterum cum in eis vsus & dominium non distinguantur, saltim moraliter loquendo, & quo ad contractus ciuiles & humanos, eo ipso quo illis vsus est, vendens, donans, vel permutans, cum habeat vnde commode mutuatori satisfaciat, per illum vsum potuit illas recipiens acquirere simul contractu licito, & honesto illarum dominium.

Tertia conclusio. *Si res accepta per vsuram sit vsu consumptibilis, & vsurarius nō habeat alia bona, præter ea quæ per vsuram acquisiuit, contractus aliquos sine onere, per quos pecunia illa siue res vsu consumptibilis distrahatur, & consumatur nullomodo potest exercere, vt donationes, dotationes filiæ, institutiones beneficiorum, sacella &c. contractus vero onerosos, quibus pecunia illa vel res accepta magis conseruetur, vt emptiones hæreditatis, domus, censuum, & similes exercere optime potest.*

Probatur prior pars. Rem omnino alienam, & cuius loco non potest alia constitui, nullo modo licet alienare, vel distrahere: res accepta per vsuram est omni aliena, quia per vsuram non transfertur dominium, nec potest vsurarius, qui non habet alia bona ab vsurariis, loco illius aliā constituere, ergo quando non habet alia bona ab vsurariis, non potest illam alienare, neque aliquos exercere contractus, quibus illa distrahatur, sed erunt omnino inualidi, & rescindendi. Minor cum consequentia perspicua est: Maiorem vero, quæ est huius sententiæ fundamentū, ita probo. Vt contractus, per quem res aliqua in alium transfertur, validus sit, debet transferens illam aliquod dominium, vel saltem aliquē vsum circa illā habere, in rem autem alienam inique acceptā, etiā vsu consumptibilē, qui sic illā accepit, nullū habet dominium, neq; vsum, quando non habet alia bona, quç illius loco restituat, sed manet omnino impotēs ad restituēdū:

 sicut

ſicut de fure communiter omnes docent, ergo rem alienam iniquè acceptam, cuius loco non poteſt alia conſtitui, quæ vero domino reſtituatur, qui ſic illam accipit, nõ poteſt neq; ipſe conſumere, neq; per contractum aliquem diſtrahere, vel alienare, ſed erunt omnes contractus illi nulli, & inualidi, ſicut contractus quos efficeret latro ex re furtiua. Et cõfirmatur, Vſurarius quando habet alia bona præter vſuraria, propterea poteſt ex vſurariis contractus aliquos exercere, quia non redditur exercendo illos impotens ad reſtituenda vſuraria, cum poſsit ex aliis illa reſtituere, at quando non habet alia ab vſurariis, redditur impotens, ergo tunc non poteſt.

De ſecunda parte nonnulli dubitant adducti hac ratione. Ex re omnino aliena nullos omnino contractus exercere licet, bona vſuraria, quando vſurarius non habet alia quæ loco illorum reſtituat, ſunt omnino aliena, ergo ex eis nullũ omnino contractum poterit celebrare, neq; emptiones quibus pecunia illa magis conſeruetur.

Sed nihilominus noſtra concluſio habẽda eſt tamquam vera. Et probatur, Si mutuatarius conſentiret in illum contractum, eſſet validus, & firmus, ſed cẽſendus eſt implicite & interpretatiue in illum conſentire, ergo. Probo minorẽ. Mutuatarius implicite & interpretatiue cẽſendus eſt velle, vt quando pecunia vel res ſua ſibi non reſtituitur, ſaltim non conſumatur inaniter, ſed exerceantur ex ea contractus cedentes in ipſius vtilitatem & commodũ: hoc enim de quouis prudenti ſentiendum eſt, ſed huiuſmodi contractus ſunt in vtilitatem & fauorem mutuatarii, quia pecunia vel res vſu conſumptibilis ſecundum ſe facile conſumitur, & dilabitur, conuerſa autem in pretium domus, vineæ, vel rei permanentis conſeruatur, & manet vnde poſsit fieri ipſi reſtitutio.

Secundo quando res per vſuram accepta eſt vſu conſumptibilis, vt pecunia, quia huiuſmodi res non eſt neceſſe, vt reſtituantur eædem numero, ſed ſimiles vel æquiualentes, ſi vſurarius habeat aliunde vnde reſtituat, contractus quos ex re illa exercet, ſunt validi, vt vidimus in ſecunda concluſione: ſed quando vſurarius ex pecunia vſuraria emit domum, vineã, vel quid ſimile, habet vnde reſtituat, nempe rem illam quã emit, ergo huiuſmodi cõtractus validi ſunt. Et confirmatur. Quando vſurarius nõ redditur impotens ad reſtituendum, cõtractus quos celebrat ex pecunia vſuraria validi ſunt, vt diximus, in hoc autẽ caſu emendo ex pecunia vſuraria domũ, vineam, &c. nõ redditur impotens, ergo.

Denique probatur ex illo cap. Cum tu. De vſuris. Extra. cuius verba adducit D. Thom. in 2. argu. ſunt autem quę ſequuntur: *Poſſeſsiones vero, quæ de vſuris comparatæ ſunt, debent vendi, & ipſarum pretia his a quibus vſuræ ſunt extortæ, reſtitui; vt ſic non ſolum a pœna, ſed etiam a peccato poſsint (quod per vſurarũ extorſionem incurrerant) liberari.* Vbi aperte indicat Pontifex cõtractum illum, quo prius vſurarius domum vel poſſeſsionem emit ex pecunia vſuraria, fuiſſe validum, aliter non dixiſſet poſſeſſiones eſſe vendendas ad ſoluendas vſuras, ſed venditiones factas eſſe reſcindendas, & reſtituendum pretium mutuatariis: at nihil tale dicit, ſed vendendas, & ex pretio reſtituendũ mutuatario, quod per vſuram contulerat: ſicut venderentur poſſeſſiones eiuſdem vſurarii, quantumuis iuſto titulo adquiſitę, ad ſoluenda debita ipſius, ſi non haberet aliunde, vnde illa ſolueretr.

Ratio vero illa, propter quam aliqui dubitant de hac ſecunda parte huius concluſionis, nullam habet vim: Ex re enim aliena non licet contractus exercere, ſed ſunt inualidi, quando res illa diſtrahitur & conſumitur omnino, quia cedunt tales contractus in damnũ veri domini, debitore reddito impotente ad ſatisfaciendum, at quando non diſtrahitur, ſed magis conſeruatur, ceduntq; in vtilitatem domini, tunc validi ſunt. Peccabit quidem illos exercens, quatenus differt reſtitutionem, (quam ſtatim debebat facere vero illius rei domino, at contractus validi ſunt ob rationes & cauſas adductas.

Ex his concluſionibus ſequitur primo, vſurarium, licet peccet differendo reſtitutionem, quantum ad vim vero cõtractuũ, ſi exerceat negotiationem, in qua emendo & vendendo merces pecuniam augeat, & lucratur, cõtractus illos eſſe validos, etiam ſi non habeat aliam pecuniam, quam vſurariam, quia per huiuſmodi negotia, & contractus non redditur impotens ad reſtituendum.

Sequitur ſecundo, generum accipiẽtem dotem cum filia vſurarii, Clericum accipiẽtẽ reditus beneficii inſtituti ab vſurario, qui non habebat aliam pecuniam præter vſurariam, legatarium accipientem legatũ vſurarii, etiam ſi legatum illud pium ſit, famulum

famulum accipientem stipendium peccare grauiter, si quidem intelligebant, vsurariũ, a quo illa accipiebant, non habere alia bona quam vsuraria, cum illa mala fide acciperent, non minus quam accipiens à fure rem quam nouit esse furtiuam: Quacũque vero ratione illa acceperint, tenentur ad ea restituenda, quia cum per huiusmodi contractus redderetur impotens vsurarius ille ad restituendum, consequenter erant inualidi, quod autem per contractum inualidum accipitur, etiam si bona fide accipiatur, restituendũ est, quando accipiens redditur in eo ditior: sicut accidit in hoc casu. Gener enim in dote illa, & Clericus in illis reditibus, ac legatarius in illo legato, famulus in illo stipendio redditi sunt ditiores. Quod si acciderit generum, beneficiatum, famulum, legatarium, & similes quæ bona fide acceperunt ab vsurario, durante illa bona fide qua credebant se accepisse à vero & legitimo domino, consumpsisse, nec in eis redditos esse ditiores, non tenebuntur ad restituendum, iuxta generales regulas restitutionis, quarum hic meminimus in obseruatione tertia.

Sequitur tertio, scientem vsurarium non habere alias pecunias, quam fœneraticias, nulla ratione posse locare illi operas suas, neq; artifices vt sutores, calcearios, & similes posse aliquid ab illo accipere in pretiũ rerum suę artis, nec ludimagistros pro magisterio filiorum huiusmodi vsurarii, quia, eo ipso quo nullum habet illarum pecuniarum dominium, neque alias quas loco illarum restituat, nulla ratione potest in aliquem illarum vsum & dominium transferre, sed peccant grauiter tam vsurarius illas conferens, quam recipiens illas, intelligens fœnebres esse, nec existere alias quę illarũ loco restitui possint. Quia nemo potest contrectare aliena domino illorum rationabiliter inuito, bona vero vsurarii nõ habentis alia ad restituendum aliena sunt illi, sicut & furi quę furto accepit, quo circa nulli licet ab vsurario, cuius bona omnia sunt obnoxia restitutioni, aliquid accipere, quod statim consumatur, vel distrahatur. Vbi videre est quam periculosum sit aliquid ab vsurario accipere, vel cõtractus aliquos cum eo celebrare.

Sequitur quarto, vsurarium non habentem alia bona preter vsuraria, nec valẽtem proprio labore & industria parare sibi suisque necessaria, si extreme vel fere extreme indigeat, posse ex illis se ipsum, vxorem, filios, & familiam suam alere, & vendentes illis necessaria ad victum non teneri ad restituenda pretia accepta pro vino, pane, & similibus: quia si in tanta necessitate constitutus potuisset ex domo diuitum necessaria sibi accipere, non minus poterit ex his quę habet, etsi alienis, necessitatem extremã, quam patitur, leuare: Quòd si non existat in tanta necessitate, vxor eius, vel filii, & familia non possunt ex bonis vsurariis, præter quę ille nulla alia habet, sustentari, quia acciperent alienum inuito domino, perindeque se haberent, ac si ederent ex re furtiua, quod extra tempus extremę necessitatis nullo modo licet. Idem dicendum est de famulo, qui vtiliter agit negotia vsurarii: sed de his ex professo dicemus inferius controu. 6. huius artic.

Ita fit vendẽtem vsurario, qui nulla alia bona habet præter vsuraria, panem, vinũ, & similia quando non indiget extreme, teneri rerum illarum pretia ab vsurario accepta veris dominis restituere, perinde ac si res suas vendidisset latroni, ementi illas ex pecunia furtiua, nullamq; aliam præter illam habenti: omnes namq; contractus huiusmodi irritos esse, & nullos constat ex prima parte tertiæ conclusionis positæ.

Ex his facile est diluere illud argumentũ, cuius occasione hæc disputata sunt. Dico namque, omnes illos contractus, quando vsurarius nullam aliam pecuniam habet pręter vsurariam, esse nullos, tenerique accipientes per illos pecuniam ab vsurario, ad illam restituendam veris dominis. Neque hęc asserentes illaqueamus conscientias, quia tenebuntur solum, quando illud certo nouerint, interim excusantur ex ignorãtia inculpabili qua laborãt; non enim tenẽtur explorare venditores sint ne accedẽtes ad suas officinas vsurarii nec ne, habeant ne alia bona ab vsurariis an non. Ad cap. vero illud Cum tu. constat iam solutio ex dictis: est namque contractus validus, quo vsurarius emit vineã ex pecunia vsuraria, acquiritq; illius dominium, quia aliter non dixisset Papa vendendam esse possessionẽ ad soluendas vsuras, sed rescindendam esse priorem venditionem: vnde fructus illius vineę sunt vsurarii tamquam veri domini illius vineæ, nam quamuis ex pecunia vsuraria acquisita sit, per verum tamen & validum contractum emptionis, Nec inde sequitur quod in illo argumento inferebatur dominium illius pecuniæ fuisse translatum in ipsum non enim contractus validus est

quasi emerit ex pecunia cuius erat dominus, sed quia cedit talis contractus in vtilitatem domini pecuniæ, censeturq; rationabiliter in illum consentire: vnde est validus interpretatiuo cōsensu domini, & quia validus res empta effecta est ementis, nempe vsurarij, & similiter fructus eius, vt contro. 4. magis explicabitur. Manet tamen vsurarius, quandiu non restituit pecuniam vsurariam mutuatario, à quo illam iniquè accepit, & damna si quæ illi inde subsequūtur, semper in peccato, quia potest, & debet, si aliunde non habeat, possessionem illam vendere, vt restituat, vt docet Alexan. 3. in dicto cap. cum tu.

Ex dictis patet aditus ad diluendam illam quęstionem præcedenti omnino similem, quam disputāt Caiet. in illo opusculo de vsura, q. 4. & Soto lib. 6. de iust. q. 1. artic. 4.

Controuersia III.

AN OMNIA BONA VSV-*rarij sint obnoxia restitutioni, & qua obligatione & vinculo?*

CAIET. Loco citato refert duas opiniones: primam veterū Canonistarum in cap. Cū tu. & cap. Cum tua nos. Extra de vsuris. & cap. Quamquam. eod. tit. libr. 6. asserentium omnia bona vsurarij esse obnoxia restitutioni. Ratio eorum erat; Obligatio personæ transit in bona ipsius, persona autem vsurarii est obligata ad restituendū, ergo & omnia bona ipsius erūt etiam obligata. Quod non est ita accipiendū, vt teneatur vsurarius omnia bona sua restituere, sed quod donec restituat quæ per vsurā accepit, omnia bona eius sunt deuincta, & impedita, ne possit de illis disponere: sicut cum quis debet. 10. & habet centum, prohibetq; iudex ne de vllis bonis suis disponere valeat, (quod vulgo dicimus: *Que tiene embargada la hazienda*) manent omnia illa. 100. impedita, & obnoxia illi debito.

Secunda opinio est recentiorum Canonistarum Ioan. Andre. Hostiens. Panorm. in iisdem capitibus, non omnia bona vsurarij esse annexa restitutioni, sed ea tantū quæ in indiuiduo (dicūt illi quæ in specie) per vsuram acquisiuit. Probant primo ab authoritate negatiue, quia nulla est lex, nullumque ius, quo omnia bona vsurarij sint obnoxia restitutioni.

Secundo, quia vsurarius ex suis potest exercere, sicut de facto exercet multos cōtractus validos, & firmos, quod certe ipsi non liceret, si omnia bona ipsius essent restitutioni obnoxia: Patet, quia si omnia essent obnoxia restitutioni, per quemcunque contractum, & quacunque via illa distraheret, faceret iniuriam ei cui restituenda sunt.

Tertio, si sunt obnoxia restitutioni, dominium quod habet in illa vsurarius est impeditum & ligatum, non ergo poterit ex illis, quorum non est liber dominus, contractus exercere.

In hac quæstione obseruemus primo, bona vsurarij esse in triplici differētia: Habet enim imprimis bona per vsuram extorta, secundo, bona ex pecuniis vsurariis empta & adquisita, tertio, alia quę iusto aliquo titulo ipsi conueniunt, vt ex patrimonio, hæreditate aliqua, vel dote vxoris.

Obseruemus secundo, obligationem duplicem constitui à DD. aliam personalem, aliam vero realem: quę ita differunt: vt realis obligatio oriatur ex re ipsa, & ex dominio & iure quod quis in illam habet in particulari, & in indiuiduo: personalis vero, nascitur ex ipsa persona, & ab illa deriuatur in res, & bona illius, quia obligata persona res simul, & bona ipsius manent similiter obligata. Vocant iurisperiti obligationem realem hyppothecam specialem, obligationem vero personalem, hyppothecā generalem. Differunt secundo, quia quando res est obligata obligatione reali, ad quamcunque personā res illa transeat, trāsit simul cum illa obligatione, & onere, ita vt rem illam vbicunque existat, & apud quemcunque reperiatur, quacunque via ad eum peruenerit, obligatio ista realis comitetur: vt in re furto ablata. Quando vero obligatio personalis tantum est, est quidē res obligata, quandiu manet sub dominio personę obligatæ, cum primum vero res illa ad aliam personam transit, cessat obligatio ista, quia non comitatur rem, neque illi inheret, nisi ratione personæ apud quam manebat. Vt cum domus aliqua creditori alicui obligata est, non vt hęc res, sed quatenus est debitoris, cum primū desinit esse illius debitoris, desinit simul esse obligata. Ex his nascitur tertia differentia, vt bona vsurarij obligata obligatione reali alienari non possunt, quia obligatio ista comitatur talem rem, quę vero sola obligatione personali obligata sunt, alienari possint

sint, modo vsurarius non reddatur propterea impotens ad restituendum: quia obligatio personalis non comitatur rem, quando vsurarius non redditur impotens. Denique constituenda etiam hoc loco est distinctio illa toties adducta bonorum quæ acquirit vsurarius per vsuram, ita vt quædam eorum vsu consumantur, alia vero nõ consumantur vsu.

His positis sit prima conclusio. *Omnes res vsurarij cuiuscunque generis sint, quandiu apud ipsum manent, sunt obligatæ mutuatario, cui vsuræ ab eo acceptæ debentur, obligatione personali*, Ita D. Thom. hic ad secundum, Et probatur. Ad restituendam rem vsurariam obligata est persona vsurarij, obligatio autem personalis transit a persona obligata in omnia bona ipsius, ergo. Et confirmatur: In quocunque genere debiti obligatio personalis transit in omnia bona personę sic obligatæ, ergo & in debito vsurario. Probo consequentiam, quia neque mutuatarius est peioris conditionis quã alij creditores, neque vsurarius melioris conditionis, quàm alij debitores.

Secundo, omnia bona furis sunt obligata pro furto obligatione personali, ergo & omnia bona vsurarij pro re vsuraria, cùm vsura quoddam furtum sit.

Tertio, quia hac via possent defraudari mutuatarij: Etenim si sola bona acquisita per vsuram in indiuiduo, & eodem numero teneretur vsurarius restituere, & nõ alia quę ipsi alia via contingunt, distrahendo illa vsuraria, quæ in particulari & in indiuiduo accepit a mutuatario per vsuram, maneret liber à debito restituendi, nec recuperaret mutuatarius iuste sibi debita.

Denique mutuatarius potest exequi ius quod habet ad recuperandam rem vsurario collatam per vsuram, in quibuscunque bonis vsurarij, vt docet apertè Alexan. 3. in cap. Cum tu. mandaturque executioni hoc ius mutuatarij à iudicibus in quibusuis bonis vsurarij, ergo omnia bona ipsius sunt obligata obligatione personali.

Secunda Conclusio. *Res quæ vsu non cõsumuntur acceptæ ab vsurario, obligatæ sunt & obnoxiæ restitutioni obligatione reali.*

Patet. Huiusmodi res sunt restituendæ eædem numero, & cum omnibus fructibus priori domino, à quo vsurarius accepit, quia illi fructificant apud quemcũque existant, & quacunque via & titulo in aliquẽ transferint, sunt ergo obligatæ obligatione reali. Hæc Conclusio est definita ab Alexand. 3. In cap. Tua nos. Vbi Placentino Episcopo scribens docet bona huiusmodi ab vsurario accepta, ad quoscũque transierint, siue ad illius vsurarij hæredes, siue ad extraneos, esse priori domino (nempe mutuatario) restituenda. Secundo, In cap. Grauis. De restitutione expoliatorum: inique ablata pręcipit Celestinus restitui cũ suis fructibus priori domino, quasi dicat vero domino, & cui sic ablata semper manent obligatione reali, sed ablata per vsurã sunt inique ablata, ergo, Et in cap. Sępe contingit. Eodem titu. Idem Celestinus exspoliatum inique re sua, ad quemcunque illa trãseat, vult in illius dominium, & possessionẽ restitui: quod genus restitutionis his tãtum rebus cõuenit, quas comitatur obligatio realis, sed mutuatarius re sua inique exspoliatur ab vsurario, ad quemcunque, ergo, illa transeat mutuatario obnoxia est, & obligata obligatione reali. Fulcitur hæc ratio authoritate Innoc. qui in dicto cap. Sæpe contingit. Colligit, vt quicunque rem raptam à quocunque acceperit, conditione sic ille loquitur, id est, obligatione restituẽdi illam, ex hac decretali teneatur, etiam si per multas manus res illa rapta transierit. Constat autem ex supradictis extorta per vsuras, rapta dici á B. Ambros. Canon. Si quis. 14 q. Et aliis Doctoribus, Idem docent Ioan. Andre. in dicto cap. Sępe cõtingit. Et cap. Grauis. De Vsuris. Panormitanus quoque, & Antonius de Brutio in iisdem iuribus, nõ enim negant hæc esse obnoxia restitutioni obligatione reali, cũ affirmant non omnia ita esse obnoxia, quia quæ vsu consumuntur, vt dicemus non omnia, nec semper sunt obnoxia obligatione reali. Idem denique docent de huiusmodi bonis quæ vsu non consumuntur. Nauarr. in Manua. cap. 17. num. 10. Et Couarr. libr. 3. Variar. Resolut. cap. 3. nu. 7.

Tertia Conclusio, Res emptæ ab vsurario ex pecunia vsuraria, Et quas alio iusto titulo, velut proprio patrimonio possidet, non sunt obnoxiæ restitutioni, neque obligatæ obligatione reali, sed solum personali, patet obligatio realis nascitur ex ipsa re, & onere illis coniuncto propter dominiũ, quod habet semper in illas mutuatarius; sed huiusmodi res ita sunt vsurarij: vt non fuerint antea mutuatarij, ergo obligatio qua debentur mutuatario personalis tantum est, conueniẽs ipsis, quatenus sunt res personę obligatæ, nẽpe vsurarij. Quo fit, vt huiusmodi res, & similes transeuntes ad

hæredes

heredes vsurarij iure hæreditario ex libera voluntate vsurarij defuncti manent etiã obnoxię obligationi personali, quia obligatio personalis defuncti transit in hæredes bonorum ipsius, cum succedãt, quo ad illa loco defuncti: Si vero transeant in aliã personam, quæ non sit hæres vsurarij, manent omnino liberę ab omni obligatione: Ratio est aperta, quia tales res solum erant obligatę obligatione personali, quę solum transit in hæredem, minime vero in alias personas extraneas, quibus non incumbũt onera & debita defuncti. Quod intelligendum est, iuxta ea quæ statim in proxime sequenti conclusione adiiciemus de rebus vsu consumptibilibus per vsuram adquisitis.

Dixi autem huiusmodi res manere etiã obnoxias restitutioni obligatione personali apud hæredes, ad quos transeunt iure hęreditario ex libera voluntate vsurarij defũcti, quia si transeant iure hæreditario quo à prędecessoribus antiquioribusq; dominis illo vsurario defuncto erant illis hæredibus vinculata, tales hæredes propriè non sunt hæredes illius vsurarij, sed prędecessorum, qui bona illa eis vincularunt: Qua de causa non tenentur hęredes ex illis bonis vsuras defuncti restituere, sicut nec alia debita personalia illius persoluere, quia non tenẽtur alio titulo quã successorũ, in vinculatis vero non succedunt tanquam bonis illius, & iure hæreditario ab illo defuncto ipsis tributis, sed vt in bonis prędecessoris, qui sub tali vinculo suis illa mandauit, & iure hęreditario ab illo superiori instituto.

Vltima conclusio. *Res per vsuram acquisitæ vsu consumptibiles non sunt obnoxiæ restitutioni obligatione reali, sed personali tantum, quando vsurarius habet aliunde vnde restituat: quod si non habeat aliunde, sed illis distractis reddatur impotens, manent quoque obligatæ obligatione reali.*

Probatur prior pars. Obligatio realis nascitur ex ipsa re, & comitatur illam ad quẽcunque transeat, sed quando res est usu cõsumptibilis, & habet vsurarius alia bona, vnde illa restituat, non est aliqua obligatio peculiaris in illa re, quia liberũ ipsi est aliã loco eius restituere, potestque illam alteri tradere, eritque vere tradita, & vere translatũ in illũ illius dominiũ eo modo quo diximus contro. proximè præcedenti, Ergo.

Confirmaturque Primo, Quando res est restituenda eadem numero, à quocunque habeatur talis res est obnoxia obligationi reali, sed quando res vsuraria est vsu consumptibilis, non est necesse restituatur eadem numero, vbi potest alia similiter ęquiualens restitui, ergo. Confir. secundo, Si pecuniæ, & aliæ res vsu consumptibiles per vsuram acceptę essent obnoxiæ restitutioni obligatione reali, quantumuis habeat vsurarius alias res, vnde statim posit restituere similes & æquiualentes, teneretur gener qui nouit socerum suum exercuisse aliquando vsuras, & omnes qui eidẽ socero aliquid venderent, examinare, ac expendere diligenter, vel saltim interrogare socerum illum, num dos illa quã filiæ confert, vel pretia quę vendentibus exhibet, sint ex pecuniis illis vsurariis, an ex aliis, quę alio titulo ipse habet, nec sufficeret in eis bona fides nullo examine facto, cũ intellexerint exercuisse aliquãdo vsuras: nullus tamẽ DD. est, qui ad hoc examẽ, vel ad quecum potius conscientiarum obliget cõtrahentes cum vsurario diuite, habenteque varia bona præter vsuraria, vnde commode potest vsuras acceptas statim restituere.

Secundo, ex cap. Cum tu. De Vsuris. vt vidimus, Vsurarius acquirit dominium earum rerum, quas emit pecunia vsuraria, ergo venditor acquirit quoque dominiũ pecuniæ, quã accipit ab vsurario in pretiũ rei illi venditę, ergo pecunia illa non erat obnoxia obligationi reali, quia si talis obligatio illi pecuniæ inesset, nunquam esset accipientis ipsam per contractum venditionis, sed quacunque via illam accepisset, haberet vt alienam, & teneretur illam restituere vero domino.

Tertio, Statuamus vsurariũ pecuniã, vel triticum acceptum per vsuram reposuisse cum aliis pecuniis suis, & alio tritico suo, tunc quamuis teneatur quidem restituere, non tamen ex his potius, quã ex illis, velex illo potius tritico, quod accepit, quã ex alio, cũ & propria quæ habebat, & quæ accepit permista sint, ergo quæ accepit nõ sunt obligata obligatione reali, alias non posset ex aliis pecuniis, quas iam habebat, vel ex proprio tritico suo restituere, sed teneretur illa eadem numero, quod est ridiculũ, & alienum à recta ratione, vt supra vidimus, quia perinde potest ex propriis restituere statim, ac sine vlla dilatione temporis, sicut ex vsurariis

Altera pars probatur. Quando vsurarius non habet alia bona preter acquisita per vsuram, ita vt distrahendo illa reddatur impotens, non potest (vt vidimus) alienare illa,

illa, vel contractus aliquos ex illis celebrare, sed tenetur illa eadem restituere, quia non habet alia quę loco illorum valeat restituere, Et quicunque illa acciperet, in tali casu (nisi excusetur ignorãtia inculpabili,) tenetur quoque illa restituere mutuatario, ergo sunt in tali casu bona ista obnoxia quoque velut obligatione reali. Dixi nisi excusentur ignorantia inuincibili, quia illã habentes, & recipientes huiusmodi res vsu consumptibiles ab vsurariis bona fide, existimantes illos, vel iam restituisse vsuras, vel saltem habere animum restituẽdi illas, cũ habeat alia bona vnde illas commodè restituere valeat, cum primum nouerint vsurarium à quo illas acceperunt, non habuisse alia bona quã illa vsuraria, tenebuntur ad restituenda accepta, quando nondum illa consumpserunt, vel si in eis facti sunt ditiores, sin minus non tenebuntur, iuxta ea quæ præced. contro. de huiusmodi explicauimus. Et in hoc sensu credo locutum Caiet. quando in illo opusculo de Vsura. q. 4. sine vllo discrimine dicit acquisita per vsuram esse obnoxia restitutioni obligatione reali. Et confir. in hoc casu, quando scilicet non habet alia vnde restituat, (quod est argumentum Caiet.) non transfertur dominium istorum bonorum, neque a mutuatario in vsurarium, neque ab vsurario in alios, ergo manet tunc illa obnoxia restitutioni, & obligata obligatione reali.

Ex his constat, quam vera sint quæ præced. contro. diximus de vxore, filiis, famulis, & familia vsurarij, ac de celebrantibus cum ipsis aliquos contractus: Diluuntur etiam argumenta initio huius cõtro. proposita: Argumẽta enim pro prima opinione illud tantũ probant, res vsurarias, si quæ vsu consumantur, non esse obnoxias restitutioni obligatione personali; quod verum est, eo modo quo in prima conclusione exposuimus. Argumenta vero secundæ opinionis solùm ostendunt, non omnia esse obligata obligatione reali, quod ex aliis cõclusionibus constat etiam quam verum sit. Sed ad maiorem dictorum intelligentiam videamus.

Controuersia IIII.

AN REI VSV CONSVMptibilis fructus, & lucra quæ ex illis receperit vsurarius teneatur etiam restituere?

DIVVS Thom. in conclus. huius art. quas ex verbis eius desumpsimus, aperte docet vsurarium teneri quidem ad restituendas mutuatario res omnes per vsuram adquisitas, sed cum hoc discrimine, vt in his quæ permanentes sunt, nec vsu consumuntur, teneatur vna cũ rebus ipsis omnes quoque fructus illorum restituere, quia huiusmodi fructus cũ verè & proprie ipsius rei sint, debentur habenti verum illius dominium, quod non transit in vsurarium, sed manet semper penes priorem dominũ, nempe mutuatarium: in rebus vero quę cõsumuntur vsu, vt pecunia, & similibus, nõ esse restituendos huiusmodi rerum fructus, si quos vsurarios ex illis perceperit, sed solas res, vel similes, & æquiualentes vna cũ damnis, si quæ ex illarum solutione mutuatario acciderint; Quia in his, si quos fructus ex eis vsurarius percipiat, non tam rebus ipsis, quã illius industriæ & diligentiæ tribuendi sunt. Quæ doctrina licet quoad fructus rerum, quæ non consumuntur vsu perspicua sit, & ab omnibus recepta, & definita in iure, vt ex dictis constat, quoad fructus vero earum quæ vsu consumuntur, non recipitur ab aliquibus.

Nam Altisiodor. in 3. tract. 26. q. 1. Hostien. in cap. Tua nos. De Vsuris. quos videtur sequi Maioris in 4. d. 15. q. 38. cẽsent vsurarium non esse dominum possessionũ, vel aliarum rerum, quas ex pecunia vsuraria sibi comparauerit, & consequenter, nec fructuum, quos ex illis perceperit. Eandem sententiam amplectuntur (vt referunt Angel. verb. vsura. 1. §. 55. & Couar. libr. 3. varia. resolu. c. 3. nu. 6.) Bald. in L. 1. Cod. Pro socio. quæst. 10. Et Decius in L. Certa conditio. §. vlt. nu. 3. ff. si certum petatur: asserentes vsurarium non solum teneri ad restitutionem eius, quod vltra sortem a mutuatario acceperit, sed & cuiuslibet alterius rei, vel lucri, quod ex vsuraria pecunia acquisierit. Vtuntur autem authores huius opinionis in illius confirmationem multis argumentis, quorum pauciora hæc sunt.

Primò, Vsurarius cum non sit dominus illius pecuniæ, non potest dominium in alium transferre, sed in quemcunque transferat, perinde se habet, ac si a mutuatario vero illius domino exhiberetur per manus vsurarij, velut cuiusdã tertij, vel ministri, ergo res ex illa emptę non sunt vsurarij, sed

sed mutuatarij, qui verus illius pecunię, & pretij dominus est: quod si verus illius rei ex pecunia vsurariæ emptæ dominus est, similiter fructus illius non erunt vsurarij, sed mutuatarij, illique vna cum re illa ex sua pecunia empta restituendi.

Secundò, in illo cap. Cum tu. De Vsuris. præcipit Alex. possessiones ex pecunia vsuraria emptas vendendas esse, & illarum valorem restituẽdum mutuatariis: atsi possessiones istæ essent vsurariorum, & penes eos esset verum illarum dominium, nō cōpellerentur heredes vsurarij ad illas vendēdas, vt restituerent vsuras defuncti, sed possent ex quibusuis aliis bonis illas restituere, compelluntur tamen: Vnde colligit ex hoc cap. Cum tu. Maior loco citato. Alex. 3. inualidasse in illo textu omnes emptiones, quas faciunt vsurarij ex pecuniis vsurariis, ita vt vel sint nullæ, vel debeant cedere in vtilitatem tantū mutuatarij, ne emptiones huiusmodi impedimento sint, quo minus vsurarij debita restituant, desinent enim emere videntes emptiones illas sibi omnino inutiles esse, quæ tamen validæ essent, illisq; vtiles, nisi hac lege Alexandri prohiberentur.

Tertiò, Vsurarius non potitur maiori iure in possessionem, vel rem ex pecunia vsuraria emptam, quā potiretur in pecuniam illam ex qua empta fuit, at illius pecuniæ vsurariæ non erat dominus vsurarius, sed mutuatarius a quo inique illam accepit, ergo & rei ex illa pecunia emptæ, & fructuū illius verus dominus mutuatarius ille censendus est, non vsurarius. Et confir. ex B. Paulo. Rom. 9. *Si radix sancta Et rami*, ergo a contrario sensu, si radix iniqua, vel aliena, & rami, at pecunia ex qua empta fuit v.g. vinea ab vsurario erat illi aliena, mansitq; semper penes dominium mutuatarij, ergo vinea ex illa empta non erit vsurarij. sed illi aliena, pertinensque ad dominiū mutuatarij: ex cuius pecunia empta fuit, & consequenter omnes illius fructus eiusdem erunt.

Quartò, Si res empta ex pecunia vsuraria esset censenda vsurarij, id certe esset, quia res ex illa empta, nō est fructus ipsius pecunię; neque illi tribuenda, sed industrię ac diligentiæ vsurarij, qui illam emptionē exercuit; at similiter dicerem, lucrum vsurarium esse vsurarij, quia illud non est effectus, neque fructus pecuniæ mutuatæ, sed industriæ ipsius vsurarij, qui curauit pactū illud inire, ac sub illo mutuare.

Quintò, Qui inique detinet rem alienā, tenetur eam restituere cum fructibus & lucris ex ea perceptis, vsurarius inique accepit, & detinet rem vsurariā, siue sit vsu consumptibilis, siue non, ergo tenebitur restituere fructus, & lucra, quæ ex illa percepit. Dices, sicut in præced. argum. recipere vsurarium lucra ista, non tanquā fructus quas res illa consumptibilis nata sit ferre, sed ex re illa vsuraria tanquam materia, sua vero industria tanquam pręcipua causa. Contra, sic argumentor. Constituamus vsurarium accepisse per vsuram in Septembri triticū quod valebat tunc 6. sua vero industria seruasse illud in Maium, quo tempore valuit, & recepit pretium, vt 8. in hoc casu tenetur restituere loco tritici per vsurā ab ipso acquisiti, non quidem 6. sed illa 8. in quibus auctum est pretium tritici, iam ergo tenetur & restituere lucra rei vsurarię. Et cōfirmatur. Fingamus vsurarium accepisse pecuniam auream valentem 8. postea vero auctam à Rege, & valentem 10. non sufficit, restituat 8. sed tenetur restituere 10. iā ergo tenetur restituere, & lucra pecuniæ vsurariæ.

Denique possessor malæ fidei: qui ex re aliena factus est ditior, tenetur restituere non solum rem illam alienam, quā inique accepit, verumetiam id in quo factus est ditior, vsurarius factus est ditior in illo lucro, ergo tenebitur quoque illud restituere.

Oppositum, vt vidimus, sentit D. Tho. Nam cū affirmet fructus rei vsurarię, quæ vsu consumitur, non esse restituendos, eo ipso docet res emptas ex pecunia vsuraria effici ipsius vsurarij, & fructus illarum ad eundem pertinere: neque alio vinculo ipsū teneri, quā restituendi aliquid simile, & æquiualens rei per vsuram acceptę. Subscribunt D. Thom. in hac parte, Gabr. in 4. d. 15. q. 2. Ricard. in 4. dist. 15. q. 6. Adrian. in suo 4. de restitutio. cap. quod incipit: *Sed occurrunt, &c.* Ange. in loco cita. Sylu. vsura 6. q. 2. & omnes rececentiores Theologi tam in comentario huius art. quā in peculiaribus tractatibus de contractibus, vel vsuris, quos hoc nostro seculo ediderunt: quin & Maioris loco cita. si attente legatur, quamuis affirmet in illo cap. Cum tu, prohiberi ab Alexand. fieri emptiones, & contractus ex pecunia vsuraria, nō tamen affirmat aperte res ab vsurario emptas, vel acquisitas non esse proprias ipsius, sed mutuatarij.

tuatarij. Sequuntur D. Thom. ex Iuristis, Glossa in dict. cap. Cum tu. §. possessiones. Ancara. in Reg. Peccatum, col. 2. de Regu. Iuris in 6. Ioan. Andr. & Antonius de Brutio in dicto cap. Cum tu. maxime Ioannes Andre. in cap. Quamquam. col. 2. De Vsuris in 6. Abbas in cap. vlt. ad finem. eodem titul. Lauren. à Rodulphis in cap. Consuluit. q. 83. Carol. Molin. in tractatu de Vsuris & comerciis. q. 83. num. 628. Nauar. in suo Manuali cap. 17. num. 265. & alij multi quos citat, & sequitur Couar. libr. 3. varia. resolut. cap. 3. nu. 6.

Probatur hęc sententia ex his quæ docuimus contro. 2. huius art. conclus. 3. in 2. parte illius conclusionis: Etenim si contractus emptionis, quo vsurarius ex pecunia vsuraria aliquid acquisiuit validus est, & firmus, transit consequenter in dominium ipsius res quā emit, cōstat autem (quo principio sæpe vsi sumus) rem omnem domino suo fructificare.

Quod autem contractus venditionis, & similes, qui dicūtur onerosi ab vsurario celebrati validi sint, & firmi, pręter ea quæ ibi adduximus probatur à Didaco Couar. & recte loco citato ex L. Si ea. Cod. de rei vindicat. vbi habetur: *rem emptam, etiā mala fide emptoris, ex pecunia mea, non esse meā, nec mihi debitam, sed ementis*, Idē in L. Qui aliena. Cod. Si quis alteri, vel sibi. & L. Quāuis ex ea, Cod. de Pigno. adeò, vt iuxta communem DD. sententiam fur vineā emēs ex pecunia furtiua, licet teneatur omnino restituere pecuniam illam, aut æquiualentem suo domino, maneatq; in statu peccati mort. quandiu non restituit, cū possit, dominium tamen vineę illius ab ipso emptę non transit in eum, cuius erat pecunia illa furto ablata, sed furis. Estq; figmentum, dominum pecunię vsurariæ esse illius vineæ emptorem, furem vero quasi tertiū, siue mediatorem & ministrum. Quāuis enim in cōtractum istum (vt ibi dicebamus) dominus pecuniæ implicite & interpretatiue censendus est consentire, quia cedit in eius vtilitatem & fauorem, non tamē exercetur ab ipso, sed à fure & domino illius vineæ: hi duo sunt in eo veri contrahentes, quorum alter nēpe vsurarius transfert dominium illius pecuniæ & pretij in dominum vineę, à quo illa venditur, alter vero nempe dominus vineæ transfert illius dominium in vsurarium, tanquam verum illius emptorem, & reddentem sibi pretium: Contractus enim huiusmodi onerosi non celebrantur per volūtates implicitas, & interpretatiuas aliorum, sed explicitas, & expressas eorum, qui inter se mutuo, & vicissim conueniunt, & consentiunt.

Probatur secundo eadem sententia argumento efficacissimo D. Tho. Quia fructus qui non proueniunt ex re ipsa, sed ex industria & labore vsurarij, ipsius sunt omnino, tanquam vera bona ipsius, & quasi castrensia, opera ipsius acquisita, nemo autē tenetur ad restituēda quę sibi propria sunt, & quorum est vere dominus, sed aliena tantum. Et confirmatur, Quia si bonorum quæ non consumuntur vsu, vbi per vsurā acquiruntur, non tenetur vsurarius restituere nisi eos tatū fructus, quos illa solita est ferre adhibita communi diligentia agricolarum, excessum vero illorum, si quem ferat propter summam vsurarij diligentiam, non tenetur, quia quę soli industriæ & labori vsurarij debentur, ipsius sunt; quanto potius in pecuniis, & aliis rebus quę vsu cōsumuntur, si quos fructus ferant expositæ alicui negotio, vel cōtractui ab ipso vsurario, debent omnes fructus illius ipsius esse, cū res huiusmodi secundum se, & naturæ suæ relictæ steriles sint, si quos vero fructus ferant alicui negotio, & contractui cōditæ, soli industriæ, vsurarij tribui debeāt.

Tertio, Si res empta ex pecunia vsuraria nō esset ipsius vsurarij, sed mutuatarij, omnes quoque fructus illius essent mutuatarij; nec sufficeret restituere mutuatario vsuras ab illo acceptas, sed essent illi restituendi vna cum integro valore ipsius possessionis omnes quoque fructus, quos ex illa vsurarius percepisset; at in illo cap. Cum tu. cui anthores alterius opinionis nituntur: pręcipit quidem Alexan. vbi non extant alia bona vsurarij, ex quibus vsuræ restituantur, vendi possessiones vsurarij, vt ex earum pretio restituantur, sicut in omni genere debiti solet fieri, vt cum alia bona non occurrunt: ex quibus debita debitoris persoluantur, vendantur illius possessiones: qua ratione intelligendū est cap. istud Cum tu. Non tamen præcipit Alexand. neque est in vsu, vt fructus, quos ex possessione illa vsurarius receperat restituantur,

Denique iuxta oppositam opinionem nullum esset discrimen inter possessiones acceptas per vsuram, & possessiones emptas ab vsurario ex pecunia vsuraria, industria, ac solicitudine vsurarij, cū sint tamen hęc maximè distinguenda, sicut a D. Tho. & communi DD. sententia distinguūtur.

Et

Et ita hæc pars est tenenda. Ad quã magis percipiendam & diluenda argumenta in oppositum. Obseruemus primo, differre plurimum fructus rei & pretiũ rei, Pretium.n. rei moraliter loquendo, & quo ad contractus non distinguitur a re, quo fit, vt restituens pretium censeatur simul rẽ ipsã restituere; cuius rei ratio est, quoniam res circa quas exercentur commutationes omnes, & contractus, eatenus æstimãtur: quatenus vtiles & accõmodatæ sunt vsibus humanis, indeque sumunt suum pretium, & valorẽ, propterea quatenus spectãt ad cõtractus, & comercia humana res & illius pretium pro eodem sumuntur, & iudicantur: fructus autem rei, vel comoditas illam consequẽs distinguitur ab ipsa, vt effectus quidam a sua causa, hac ratione, vt si res fructifera sit, nec vsu consumptibilis, ab ea, vt causa precipua sicut vuæ à vinea, si verò vsu consumptibilis sit, distinguatur tantũ ab ea, vt à causa minus præcipua. V. g. vtilitas quæ ex tritico seruato recipitur, duplicẽ habet causam, & triticum ipsum seruatũ & industriã seruantis illud: sed ita, vt ab industria seruantis illud sit velut a causa præcipua, ab ipso vero tritico, vt à causa minus præcipua: quod discrimẽ idẽ D. Tho. hic indicare videtur: Etenim cũ in tertia cõclusione huius ar. dicat vsurariũ teneri ad restituendam rẽ fructiferã, & fructus ex ea perceptos, apertè distinguit inter rem & fructus ipsius, vt inter effectum & causã præcipuam. In prima vero conclusione, quando ait, si res vsuraria consumptibilis sit, quod ex tali re vsurarius per se acquisiuit non esse restituendum, aperte ostendit differre quidem rem vsurariam consumptibilem, & fructum acquisitum ab vsurario ex illa, sed ita, vt acquisitum tali re nõ proueniat à re ipsa tãquã præcipua illi⁹ causa, sed ab industria vsurarij vt præcipua causa, ab ipsa vero re vt causa materiali, & minus præcipua. Et ideo non teneri vsurariũ ad restituẽdum fructum acquisitum ex tali re: Demum, quatenus docet esse restituendum pretium vnicuiusque rei, insinuat quoque pretium rei non differre a re.

Obseruemus. 2. licet res cõsumptibilis sit per se sterilis, per accidens vero, & humana industria fiat aliquando fructifera, (quod est per accidens,) res vero quæ non consumitur vsu sit natura sua fructifera; per accidens tamen & minus præcipuè exigat etiã aliquam industriam: conuenire tamen omnes res istas in eo, vt natura sua eatenus sint pretio ęstimabiles, quatenus omnes sunt vtiles humanis vsibus. Quo fit, vt quãuis exigatur in aliquibus earũ humana industria illas conseruans, quia non conseruatæ non essent vtiles, non propterea industria illa eas conseruans est causa pręcipua illius pretij, sicut neque vtilitates quã natę sunt afferre hominibus, sed causa tantũ sine qua non.

Explicantur hæc à DD. hac elegãti similitudine & exẽplo. Potentia quã habet frumentum ad ferendum fructũ, secundum se & natura sua non conuenit illi; nisi illud conseruetur, causa vero huius potentiæ nõ est conseruatio illa, sed propria vis, & natura tritici, conseruatio vero illius causa tantum sine qua non: & propterea pro tali potentia genuina & naturali, quã superius diximus remotam, non licet aliquod pretiũ seorsum accipere, quia illi natura sua conuenit sine vlla industria possidentis, vel vẽdentis illud: Idem vero triticum seminatũ iam & mandatum terræ, & ab illa productum, etsi nondum perductum ad messem, sed in herba sola, est iam in proxima potentia ad fructum, & in actu quamuis imperfecto, & pro hac potentia, licet pretium aliquod accipere seorsum, & distinctũ ab illo quod valet vt triticum: quia illa potentia seorsum & per se est pretio æstimabilis, & debita illi, cuius labore & industria triticũ illud terrę mandatum est, & ab illa productum. Eadem ratione rei vsurarię vsu consumptibilis per se, & natura sua nullus est fructus, neque à se ipsa habet illa aliquam aliam vtilitatem & commodum, pręter id quod illi à natura tributum est, licet indigeat conseruatione, ne pereat: sicque efficitur, vt ratione huiusmodi rei, nihil aliud debeatur domino, & possessori ipsius, quã iustum illius pretium, iuxta naturalẽ eiusdem valorem, si quos vero fructus vsurarius illam recipiens sua industria acquirat, (cũ ipsa natura sua non esset nata illos ferre, sed industria & labore habentis illã acciderint, eius sunt, cuius labore & industria acciderunt, Rei vero permanentis, & quæ vsu non consumitur) sed natura sua habet, vt ferat fructus: quamuis ad eos aliqua etiam industria opus sit, nihilominus cum pretium eius sumendum sit ex vtilitate, & cõmodo, quod natura sua, nata est ferre, natura vero eius sit ferre fructus, propterea tã ipsa, quã fructus eius ad ipsius possessorem, verumq; dominum suo iure pertinẽt: ei vero qui industriam illam adhibuit, quantùm

rum mercedis tali industriæ, & labori prudens iudicauerit deberi.

In summa, quæ primo & per se debētur rei iuxta propriā & naturalē eius vtilitatē, pertinent ad verū illius dominū & possessorē, quæ vero primo & per se debētur industriç alicuius, pertinent ad eū, cuius labore & industria illa acquisita fuerint: Vnde recte docet D. Tho. in re quæ vsu consumitur, restituendā esse rē & fructus eius, cū fructus sint effectus ipsius rei, vt causę præcipuæ, debeatq; accessorium sequi naturā sui principalis: in his vero quę vsu cōsumūtur, restituendā esse quidē rē acceptam ab vsurario, & damna inde sequuta, minime vero lucra: quia si quæ ex re illa vsurarius sibi comparet, non proueniunt illa a re ipsa vt causa precipua, sed ab industria ipsius, quæ vero soli industriæ alicuius debentur, eius sunt, qui tali industria vsus est, vi eiusdem principij: *Fructus imitari suam causam præcipuam.* Et hęc quidem de fructibus.

Pretium autem si auctum sit, restituendum esse cum toto illo augmento, quia cū sumatur illud ex propria rei vtilitate, sicut naturalis rei cuiusq; vtilitas nō distinguitur ab ipsa, ita neque pretiū illius, ita fit vt sicut debet res accepta restitui in integrum, ita & totum pretium illius.

Ex his facile est diluere argumenta aliorum. Ad primum, respondeo verum quidē esse, vsurarium non esse dominū neq; pecuniç, neq; vllius rei per vsuram acceptæ, & ideo teneri ad illam restituendam cum omnibus fructibus, quos res illa nata est ferre, res vero emptę ex pecunia vsuraria nō sunt fructus pecuniæ ipsius, quia illa natura sua sterilis est, sed industrię, ac sollicitudinis ipsius vsurarij: qua de causa licet peccauerit non restituendo statim pecuniam illam suo domino, cum primum poterat, res vero ex illa emptæ; & earum fructus vsurarij sunt: Vsurarius enim est, qui illas emit, & in quem illarum venditores dominia earum transtulerunt, non mutuatarius: Figmentum enim est (vt diximus) opinari, in huiusmodi contractibus priorem illorum dominum pecuniæ esse emptorē per manus vsurarij, quasi intermedij ministri, cum in venditione hi sint vere & proprie contrahentes, qui expresse de re venali & illius pretio inter se conueniunt, vt in legibus illis adductis habetur.

Ad secundū constat iā ex dictis, Alex. in illo cap. Cūtu. nō pręcipere absolute possessiones vsurarij esse vendēdas, sed cū docuisset prius, vsuras necessario restituendas esse, vel mutuatariis ipsis a quibus inique acceptę sunt, vel eorū heredibus, vel pauperibus, deficientibus ipsorum hæredibus, admonet hęc intelligēda esse de Vsurariis, qui habent facultates & bona vnde restituant, quia nulla omnino habētes nequeunt aliquid restituere, cū ad imposibile nemo teneatur. Cæterū ne quis existimet, vsurariū inmunē esse a restitutionis debito, eoquod nullas pecunias, vel bona mobilia ipse, vel heredes eius obtineant, addit Pōtifex: vbi ista defecerint, si quę maneant possessiones apud ipsos, vel eorū hæredes ex bonis vsurariis acquisitæ, vēdēdas esse, vt vsuræ illæ restituantur. Vbi nō loquitur Papa de possessionibus collatis vsurario tanquā lucrū vsurariū, (vt quidā opinati sunt,) cū huiusmodi nō sint vendēdæ, sed ęedē numero restituēdæ mutuatario, quia nunquā illæ in dominiū vsurarij fuerunt translatæ, sed de illis, quæ ex pecunia vsuraria fuerunt emptæ: eas vero pręcipit vendi, vt ex pretio earū vsuræ restituantur, quādo nulla alia existūt vsurarij bona, & facultates vnde fiet restitutio. Ex quo nō sequitur, nō fuisse vsurariū verū illarum dominū, tum quia aliter vt paulo ante dicebamus pręcepisset Papa, fructus quoq; ex illis ab vsurario perceptos esse restituēdos, tū quia hoc omnibus possessionibus, omnibusq; debitis cōmune est, vt deficientibus aliis bonis vnde soluantur debita, vendantur debitoris possessiones ad illa persoluenda creditoribus, nec propterea debitores illi censentur non habuisse prius tam ipsarum possessionum, quam fructuum, quos ex illis perceperunt, verum legitimumq; dominium.

Ad tertium Respōdent Ricard. & Adria. locis cita. vsurarium non habere ius aliquod in pecuniam vsurariam, quia illa semper est ipsi aliena, cū neq; sua industria, neque ex cōtractu iusto illā acquisierit: in possessionem vero, etsi ex pecunia illa empta sit, habere ius, quia possessionem illam nō habet vt pecunię vsurarię fructū, sed laboris ac industriæ suæ. Ad confirmationem ex loco illo B. Pauli dico similiter, si quidem possessiones emptæ essent fructus pecunię ipsius, ita vt pecunia illa natura sua nata esset illas ferre, quemadmodum pecunia illa aliena est, & radix pestifera, pariter quoque possessiones illę alienę essent, & pestiferæ vsurario: at cum neque fructus sint, neque rami pecuniæ illius foenebris, sed industriæ, & laboris vsurarij,

sicut industria illa ipsi debetur, ita & possessiones illę, ac earum fructus. Quamuis ea lege & vinculo, vt debeat ex illis venditis, aut traditis mutuatario vsuras ab illo acceptas in integrum restituere, deficientibus aliis bonis & facultatibus, è quibus illæ restituantur.

Ad quartum negandum est lucrum vsurarium esse fructũ industrię, aut laboris vsurarij, nõ enim est fructus alicuius industrię, sed mutui, & iniquitatis quã illi miscet, pactũ namq; illud, & cõuentio qua vtitur, ad vsuram extorquendam nõ est dicẽda industria, sed calliditas & fraudulẽtia: aliter enim & fures, qui mille artibus vtũtur ad furandum, possent affirmare res furtiuas ipsorum industrię & labori deberi, quod tamẽ nullus admittet: quia artes quibus hi vtuntur non sunt artes, vel industriæ appellandę, sed fraudes & versutiæ iniquitatis.

Ad quintũ constat iã solutio. Detinens namq; alienũ tenetur restituere illud cum fructibus illius rei alienę, res verò emptę ex pecunia vsuraria & illarũ fructus non sunt fructus istius pecuniæ, sed laboris & industriæ vsurarij.

Ad instantias vero illo ex tritico rapto in Septẽbri & vendito in Maio, vel pecunia furto ablata, cuius pretiũ deinde creuit, Respõdeo accipientẽ triticũ, quod alio tẽpore plus valet, vel monetã cuius pretiũ deinde augetur, teneri ad restituendũ quoq; illud augmentũ, quia nõ prouenit illud ex industria accipiẽtis, vt ex causa præcipua, sed ex natura rei, qua de causa debet augmentũ illud iudicari propriũ rei, quod vt diximus nõ distinguitur a re, nec propterea vsurari⁹ illud restituẽs dicendus est restituere plusquã accepit, sed id tantũ quod accepit: cõtinebatur enim illud proxime in natura & virtute ipsius rei, seruãs autem illud tantũ fuit causa sine qua nõ. Sed dices, ergo vsurarius accipiens frumentum, quod seruatum plus valeret, si statim illud destruat, tenebitur restituere & triticum ipsum, & augmentum illud quod poterat habere, cum distractio illa effecerit, ne plus valeat. Respondeo, siquidẽ mutuatarius, a quo illud accepit, fuisset illud seruaturus in aliud tẽpus, quo plus erat valiturũ, teneri quidẽ vsurariũ ad vtrumq; restituendũ, & triticum, & augmentũ quod seruatũ in illud tẽpus habuisset, cũ fuerit impedimento ne mutuatarius lucrũ illud reciperet; At si seruandũ nõ erat, nõ teneri, quia iniquus rei alienę vsurpator solum tenetur illam restituere, & fructum quem res illa, vel habuisset seruata apud dominum, vel reuera habuit apud ipsum, non tamen quemcunque possibilem. Sæpe enim diximus præter rem acceptam tunc aliquid restituendum esse, quando vel accipiens factus est per illam in aliquo ditior, vel damnũ aliquod vero illius rei domino fuerit subsequutum.

Qua ratione soluitur etiam vltimum argumentum. Etenim cum lucra ex pecunia vsuraria habita, & ex illa acquisita nõ sint fructus pecunię, sed industriæ ipsius vsurarij, non redditur in lucris, quę sibi parat in possessione illa, vel fructibus illius ditior ex pecunia ipsa, sed industria sua, sicq; nõ tenetur lucra illa, vel fructus, quos illo labore & industria sibi acquisiuit, alicui restituere, vt recte docet hîc D. Thom. sed solam pecuniam vsurariam, & damna, si quæ ex illius carentia mutuatario acciderent.

Ex hac doctrina sequitur quomodo facienda sit restitutio ab vsurario, quando vi mutui exigit a mutuatario aliquam obligationem pretio æstimabilem. V. g. si obligat illum ad laborandum in vinea, vel obligat Regem vi mutui, vt conferat ei aliquod officiũ. Tenetur in priori casu reddere mercenario stipendum debitum labori quo vsus est in sua vinea, & aliquid amplius pro obligatione illa, quam ab eo exegit, non tamen fructus quos percepit ex labore illius mercenarij, quia fructus illi a vinea ipsa sunt, vt causa præcipua, a laboribus vero mercenarij, vt quodam instrumẽto. Similiter si obliget vsurarius mutuatarium ad negotiandum cum pecunia vsuraria, lucrum subsequutum ex tali pecunia mutuatarij est, non vsurarij: quia illud industriæ negotiatoris tribuendum est, non pecuniæ, nisi vt causæ materiali & minus pręcipuæ.

Sed quæres, Si seminauerit vsurarius agrũm proprium tritico alieno per vsuram habito, tenebitur ne fructus inde ortos domino illius seminis restituere? Respondeo solum teneri ad restituendum illi valorem illius tritici, & damna, si quę inde dominus illius receperit: quia licet semen illud natum sit mandatum terræ fructus illos reddere, at seminatum in agro vsurarij, & ipsius labore & industria fructus ibi producti eius esse debent, cuius est ager ille, in quo seminatum est: quia (vt supra vidimus) frumentũ & similia non haẽbt distinctũ pretiũ a proprio & cõmuni valore ipsorum

rum propter potentiam remotam, & naturalem, quæ ipsis inest ad ferendos fructus, nisi illa in proximam & propinquam renocetur; triticum vero istud seminatum ab vsurario in agro suo, respectu prioris domini & mutuatarij, a quo vsurarius illud accepit, solum erat in potentia naturali & remota ad ferendos fructus, quo circa respectu illius non habebat aliud pretium, quam commune fori, vel legis, & eo reddito sufficienter illi satisfacit: in potentia vero proxima nõ fuit nisi ex industria vsurarij seminantis illud, sicque fructus ab eo redditi ipsius sunt. Adieci damna subsequuta, quia si mutuatarius paratus forsã erat ad illud in suo agro seminandum, nec habebat aliud quod terræ mandaret, nocuit illi & inique vsurarius illud per vsuram accipiens, tenebiturque tunc ad restituendum illi omne nocumentum, quod inde illi subsequutum fuerit; sicut ex communibus regulis restitutionis tenetur proximo satisfacere omnia damna, quicunque inique illi nocuerit.

In posteriori vero casu tenetur vsurarius officium illud per vsuram extortum a Rege libere dimittere, ac in manibus Regis renunciare, simulque restituere illi, quãtum prudens iudicauerit æstimandam esse obligationem illam, quam vi mutui Regi imposuerat, non tamen stipendia sibi reddita toto tempore, quo munere illo functus est, quia debebantur illa laboribus, quos in illo exercendo actu passus est. Ita D. Thom. opusculo. 21. ad Ducissam Brabantiæ. Ceterum cum hæc stipendia duplicia esse possint, quędam honorifica, quæ non tam pro laboribus, quam pro dignitate illius muneris, & officij conferuntur habẽtibus illud, alia verò, quæ directe & proprie in mercedem & pretium laborum redduntur, & tanquam mercenaria, intelligenda sunt quæ diximus de stipendiis huius secundi generis: huiusmodi enim stipendia, cum laborum qui in illo munere sustinentur pretium sint, iuste potest retinere, qui illos sustinuit: stipendia vero prioris generis, quę non respiciunt labores officij, sed illius dignitatem & gradum, nequit tuta conscientia recipere, nisi qui rite & iuste officium illud obtinuit: Qua de causa non dubito restituenda hęc esse, ab eo qui per vsuram aliquod ex huiusmodi officiis sibi pararet.

Similiter dicendum est de obtinentibus beneficia Ecclesiastica per simoniam, vel iniusto aliquo titulo: reditus enim qui proprie sunt stipendia laborum, quos in ministeriis illorum beneficiorũ oportet ipsos sustinere, facient quidem suos, nec tenebuntur eos restituere, reditus vero qui non sunt huiusmodi laborum propria stipendia: sed iuxta beneficij dignitatem assignata, & beneficij solius fructus, non poterunt percipere nisi secundum aliquam partem arbitrio prudentis, quando ratione illorum beneficiorum aliquos etiam labores oporteat ipsos sustinere, neque habent alia stipendia, quibus labores illi compensentur, præter fructus sui beneficij. Demum in calce huius contro. ad maiorem eorum quæ hactenus dicta sunt intelligentiam, explicanda est dubitatio quędam.

Controuersia V.

AN BONA PER VSURAM *acquisitæ sint hypothecata mutuatariis a quibus inique accepta sunt.*

RATIO dubitandi est, quia vt docuimus contro. 3. huius artic. in obseruatione secunda, duplex illa obligatio, quam ibi constituimus, quarũ alia personalis, & alia realis, appellatur nominatur à DD. hypotheca: ita vt realis dicatur hypotheca specialis, quia in particulari & in specie (vt iuristæ loquũtur) comitatur rem cui inhæret: personalis vero dicatur hypotheca generalis, qua ratione personę debentis omnia bona in vniuersum & in genere manent obligata creditori: Iuxta quam doctrinam bona per vsuram adquisita quę permanentia sunt, nec consumũtur vsu, erunt hypothecata hypotheca speciali mutuatariis, a quibus extorta sunt: Cętera vero bona omnia vsuratij erũt hypothecata hypotheca generali. Sicque videmur habere Glosa in illo capit. Quamquam. de Vsuris in 6. in verbo Facultates. asserens bona vsurarij esse tacite hypothecata ad restituendas vsuras. Et Glosa in cap. Tua nos. de Vsuris. per textũ in cap. Cum tu. Eod. tit.

Oppositum tamen docet Couarru. libr. 1. varia. Resol. c. 3. nu. 6. vtiturque hac ratione saltim in sensu, licet non eisdem verbis, Si bona vsurarij essẽt hypothecata mutuatario, id certe haberẽt, vel hypoteca tacita a iure, vel expressa ex consensu & pacto vsurarij cum mutuatario, at neutra istarum reperitur: non hęc expressa ex consensu

sensu & pacto, quia adquisita per vsuram quęcunque illa sint, nec traduntur a mutuatario, nec recipiuntur ab vsurario sub ea cōditione & pacto, vt sint illa hypotecata, nec reperitur illa tacita ex iure, quia nulla lege constitutum est bona vsurarij esse hypothecata mutuatariis.

Secundo, quia si bona vsurarij essent hypotecata mutuatariis, nempe, quæ non consumuntur vsu, hypoteca speciali & reali, cætera vero hypoteca generali & personali, cum dos mulieris præferatur omnibus hypotecis etiam realibus, ex possessionibus per vsuram acceptis esset potius soluēda dos vxoris quā restituenda vsura: oppositū autem ęst verū, possessio enim per vsuram adquisita eadem numero est suo domino restituenda, etiam si nulla alia bona extent, ex quibus dos mulieris persoluatur.

Hæc tamen facile conciliari possunt explicata hac voce hypoteca, hæc namque vox bifariam summi potest: Quemadmodum enim ius quod Petrus habet in bona existentia apud Ioannem duplex esse potest, vel creditoris tantū, vel creditoris simul & domini: Creditoris, quādo bonorū existentium apud Ioannem verus ac legitimus dominus Ioannes est, sunt tamen illa obligata ad persoluenda ea quæ Ioannes debet Petro, vel obligatione reali, vt census illis impositus, vel personali tantum, quia sunt bona Ioānis debitoris Petri: Creditoris vero simul & domini, quando licet existant apud Ioannem, Petrus vero retinet penes se illorum dominium, neque fuit translatum in Ioannem. ita vt etsi apud illum maneāt, debeātur tamen Petro, illiq; restituenda sint tāquam vero illorū domino: Qua ratione in res furtiuas & vsurarias habēt veri illarū domini ius, vt creditores & domini: vt domini, quia fur & vsurarius non acquisierūt illarum dominium: creditoris vero, quia ita debentur illis, vt etiamsi perirent apud furē, vel vsurariū, tenerētur hi ex aliis bonis illas restituere. Eadē ratione hoc nomen hypoteca bifariā sumi potest, Aut pro obligatione quā habēt bona alicuius creditori illius, vt creditori tātū, siue obligatio illa realis sit, siue personalis, qua ratione diximus hypotecā duplicē esse aliā specialē, siue realē, aliā vero generalē, siue personalē: Vel sumitur hypoteca pro obligatione quā habēt bona alicuius alteri, vt creditori simul & domino: qua ratione accepta per furtū, vel vsurā sunt obligata his a quibus accepta sunt. Ex quibus significationibus prior illa frequentior est, & communior, posterior vero non ita est in vsu, qua de causa distinguitur pignus ab hypoteca, vt habetur Instituta de actio. §. Inter pignus. Et omnes fere Summistæ in verbo Pignus. in principio. vt pignus transeat in creditorē, hypotheca vero non transeat in creditorē, id est pignus pertinere ad dominium creditoris, hypotecam vero nō pertinere ad dominium illius.

Ex his sequitur, vt si hoc nomine hypoteca vtamur in hac secunda significatione, quatenus est idem quod obligatio, qua res aliqua debetur alicui, vt vero illius domino & creditori, qua ratione vtuntur hac voce illæ Glosę, & nonnunquam DD. bona per vsuram adquisita sint hypoaecata restitutioni vsurarum, quia debentur mutuatariis, vt creditoribus & veris dominis eorū, eo modo quo proxime præcedentibus cōtrouersiis explicatum est: neq; in hoc sensu illud negat Couarr. cū doceat cū omnibus DD. extorta per vsuram non transire in domiuium vsurarij, Si vero loquamur de hac voce quatenus significat obligationem, qua bona alicuius debentur alteri, vt creditori tantum, non vt vero illorum domino, hac ratione acquisita per vsuram nō sunt hypotecata mutuatariis, vt recte probant argumenta adducta maxime secundū de dote vxoris.

Ex dictis in progressu harum controuersiarum colliguntur à DD. nonnullæ Regulę ad iuuandam memoriam, & iuxta quas interrogatus Theologus ad quas restitutiones teneatur vsurarius, poterit facile & cōmode respondere.

Prima Regula est. Quando res accepta per vsurā est permanens, & fructifera, tam vsurarius, quam accipiēs illam ab vsurario, quacunque via & contractu eam accipiat, tenetur illam restituere, & fructus quos ex illa dominus illius iuxta suam industriā solitus erat percipere, vel percepisset. Dico iuxta suam industriam, quia si iuxta illam solitus erat recipere, vel re ipsa recepisset fructus vt 10. vsurarius vero quia maioris est ingenij & industriæ recepit vt 20. non tenetur restituere totos illos fructus vt 20. sed solum fructus vt 10. quę enim non rei, sed industrię vsurarij debentur, ipsiussunt, sibiq; potest retinere.

Secunda Regula. Huiusmodi res permanentes & fructiferas acquisitas per vsuram nulla ratione potest vsurarius distrahere, consumere, vel alienare, neque contra-

contractu, vel titulo oneroso, veluti venditiones, vel permutationes; neque titulo gratioso, veluti donationes, sine cõsensu vero aut rationabiliter presumpto veri domini: quia huiusmodi, tam quo ad dominiũ, quã quo ad vsum semper manent penes ius mutuatarij, tanquam veri domini illarum, & quicunque illas ab vsurario quocunque titulo acceperit, tenetur illas mutuatario restituere vna cum illarum fructibus, deductis expensis, sicut qui a fure, vel possessore malę fidei illas accepisset.

Tertia regula. Quando res per vsuram adquisita consumptibilis est, tam vsurarius, quam accipiens illam ab vsurario tenetur eam restituere, & contractus ex ea celebrati sunt irriti, & nulli, quando vsurarius illã distrahens, & alteri tradens manet impotens ad illam restituendam, neque in se ipsa, neque in simili & equiualenti: Quod si maneat potens ad illam sufficienter aliunde restituendam, contractus quos ex illa cum aliis celebrauerit, sunt validi & firmi.

Quarta Regula. Si res quæ vsu consumuntur vsurarius nõ statim restituat, quia potest aliunde illas statim commode restituere, sed commutat eas per contractum, iustum & licitum in aliquam rem fructiferam, veluti si emat vineam ex pecunia vsuraria, quam ex aliis bonis propriis restituere potest, peccat quidem mortaliter differens restitutionem, sicut peccat quiuis alius detinens bona, quę statim restituere potest, sine consensu domini illorum bonorum: at si quid vtilitatis & fructus ex illa vinea in quam pecuniam vsurariam commutauit, percipit, nõ tenetur illud mutuatario restituere, sed sufficit restituat pecuniam vsurariam quam ab illo accepit, vna cum damnis, si quę inde illi subsequuta fuerint. Sequitur necessario hæc quarta regula ex tertia precedenti: Quia si contractus celebrati ab vsurario ex pecunia vsuraria, quando habet aliunde vnde restituat sunt validi, acquirit ergo dominium rerũ, quas per tales cõtractus emit, & recipit, at vnaquęque res vtilis & fructifera domino suo fructificat, ergo fructus huiusmodi rerum vsurarij sunt. Idem censeo de fure, qui pecunia furtiua emit rem fructiferam, facere illam suam, & fructus eius, quia licet inique agat non restituendo statim rem furtiuam, emptio tamen illa est valida, & res fructifera vna cum fructibus ex ea percipiendis transeunt in dominium furis, quãuis maneat semper in statu peccati, quandiu non restituit, & pecuniam quam furatus fuit, & dãna inde subsequuta vero domino. Sed antequam ad alia progrediamur explicare hic oportet.

Controuersia VIII.

An vxor, filij, & famuli vsurarij teneantur ad restituendum, quæ ab illo acceperunt ad proprios vsus, veluti ad victum, & vestitum, & stipendia laborum.

NAVAR. In suo Manua. cap. 17. num. 268. & sequen. habet imprimis extra casum extremæ necessitatis nulla ratione posse vxorem, vel filios, aut famulos accipere ab vsurario victum, vel alimenta ex bonis vsurariis, quorum dominium nulla ratione in vsurarium transiuit, qualia sunt, quæ non consumuntur vsu, quia ex huiusmodi illos alere, idem omnino est quod recipere aliena ad alendam familiam, quod extra casum extremæ necessitatis, nulli licet.

Secundo, neque ex aliis bonis quę vsu consumuntur, vt pecuniis, frumento, vino, & oleo, posse vxorem, vel filios alere sumptuose, & abundanter, nisi habeat alia bona, pręter ea quæ ad restituendas vsuras exiguntur: Quia ea tantum habens, quibus ad restituendas vsuras, vel soluenda debita indiget, nec sibi, nec suis potest aliquid accipere, præter ea, quæ illius statui fuerint omnino necessaria.

Tertio docet tam vsurarium, quam quęcunque debitorem non habentem alia bona, præter ea quę restitutioni vsurarum, vel debitorum obnoxia sunt, posse sibi, & vxori necessaria alimenta accipere, etiam si possit vxor labore proprio, aut inter affines victum quærere: Quia iure matrimonij plus obligatur vir ad alendam vxorem, quam ad restituendas vsuras, vel soluenda alia debita, etiam extra casum extremæ necessitatis. Argumento sumpto a L. Assiduis. ff. Quæ potiores in pignor. habeantur. Qui lex videtur absolutè in vniuersum obligare virum ad alendam vxorem ex quibusuis bonis, & pręferre sustentationem illius quibuscunque debitis. Additque ibi Nauarr. Nec propterea teneri vxorem ad maiorem custodiam, & conseruationem, vel augmentum

bonorum viri, quam alię honestæ vxores teneantur, neque maritum debere vti consilio Episcopi ad eam alendam ex bonis vsurariis, vel male partis: quasi incertis, & ad incertum dominum pertinentibus.

Quarto, docet liberos, qui neque proprio labore, vel industria, vel inseruiendo aliis possunt sibi uictum quęrere, posse vsurarium; etiamsi nulla alia bona habeat præter vsuraria, & obnoxia restitutioni, alere: quia tales filij quasi exteme indigent; Eos verò qui proprio labore & industria possunt iam sibi consulere, non posse ex illis bonis sustentare, nisi vbi ea seruitia parenti suo impenderent, quibus ille adeo indigeret, vt filio illo deficiente oporteret alterius famuli obsequio ipsum vti. Quia pater filium valentem sibi victum quærere, & cuius obsequio non adeo indiget, non tenetur alere. L. Si quis à liberis. §. Sed si filius. ff. De liberis agnoscend. ex bonis autem obnoxiis restitutioni non potest pater alere filios, nisi quando ad illorum alimēta iure aliquo tenetur. Quod si filios alere non potest, neque famulos, nisi in casu quo maximam vtilitatem illi afferunt rei familiari, & deseruiunt conseruationi bonorum vsurarij, tunc enim iuste debetur illis suorum laborum stipendium, iusteque ab illis recipitur, censendusque est dominus illorū bonorum imo debet in id consentire, cū cedat illud in ipsius vtilitatem, & commodum.

Denique docet extra hos casus peccare filios, & famulos qui intelligentes vsurarium non habere alia bona, præter ea quæ restitutioni obnoxia sunt, aliquid ab illo reciperent, siue ad victum, siue tanquam stipendium, siue in quemcūque aliū vsum, quia recipiens ab aliquo, quod nouit esse alienum, neque ab illo posse alicui dari cooperatur iniquitati illius, & tenetur ad illud restituendum. Posse vero illa ab istis recipi, quando ignorauerint, bona ex quibus sustentātur, vsura parta fuisse, quia tūc bona fide illa recipiunt, nec tenentur explorare, quo iure a suis parentibus, vel dominis possideantur, nec conscientias illorum inquirere.

Sylu. verb. Vsura. 8. q. 2. & 3. & Tabien. Eod. verb. 5. q. 5. habent quatuor: Primo in casu extremæ necessitatis posse ex quibusuis bonis vsurarium, vel furem, filios alere; in enim hac parte omnes conueniunt, estq; certissima. Docent secūdo. Si præter bona restitutioni obnoxia habeant alia iusto aliquo titulo acquisita illis permixta, maxime dotem vxoris, posse etiam vsurarium, vel furem illos alere, tum, quia cum habeat alia pręter illa, censendus est ex aliis illos alere, non ex vsurariis, tum quia ex quibuscunque illos alat, nō redditur impotens ad restituendum. Docēt tertio vxorem, quę sua admonitione, vel correctione nititur continuo persuadere viro, vt bona illa inique accepta restituat, posse aliex vsurariis, quia agit negotiū mutuatarij, & illius vtilitati prospicit, censendusque est mutuatarius in illud consentire, cum manere illā apud virum, illumque de restitutione semper admonere, in ipsius vtilitatem cedat, mereaturque alimenta illa, velut in stipendium laboris, quem suscipit in illius cōmodum. Docent quarto hoc titulo correctionis deficiente posse quoque illam a marito ali, interueniente authoritate Episcopi, vbi bona quę inique vir habet, nō habeant certos dominos; tunc enim tanquam incerta possunt illi, vt pauperi conferri. Quod si nullo modo istorum possit illam ex bonis vsurariis sustentare, quærat sibi proprio labore & industria, vel inter affines necessaria: Quod si neque hac ratione valuerit sibi prouidere, tunc tanquam redactam ad extremam necessitatem poterit vir eius ex bonis vsurariis illam sustentare: nec mirum cum in tanta necessitate constituta possit de rapto viuere, cum huiusmodi necessitas non habeat legem Canon. Discipulos. De consecrat. dist. 5. Addunt quinto, posse recuperare bona dotis suæ, & parafernalia, & ex illis negotio honesto expositis se ipsam alere. Sed vbi hæc præter obnoxia restitutioni integra permanserint, nulla est difficultas ex illis posse vxorem ali, imo & & debere: vbi vero illa cōsumpta sunt, aut vsurariis permixta, sint ne illis perferenda, statim videbimus in peculiari disputatione controuer. 7.

De filiis verò & famulis docent sexto, vbi vsurarius habuerit alia bona, præter ea, quæ restituenda sunt, posse illos alere, & tuta conscientia ab illis accipi, modo non reddatur impotens ad restituendum, quod si ea tantum habeat, quæ restitutioni omnino obnoxia sunt, neutris id licere, præterquā in his casibus. Primo, si bona illa custodiāt, & cōseruent, vel augeāt, quia causam & vtilitatem exspoliatorū agunt. Secundo, si habent filij, & famuli ab vsurario accipientes, vnde tantumdem mutuatariis restituant, firmiterq; instituāt illis restituere accepta.

Tertio,

Tertio, si ignorent quę accipiunt vsuraria esse, vel ita obnoxia restitutioni, vt vsurarius illa conferens non habeat alia vnde debitas vsuras restituat.

Recentiores verò, quorum sententia omnium probabilior, ac verior est, colligentes ex propositis opinionibus quæ veritati, ac rationi magis consona sunt, affirmant primò, quod apud omnes primo loco constitutum est, cū sit illud certissimum, in casu extremæ necessitatis posse vsurarium, & furem, & quemcunque hominem se, vxorē, & familiam alere, cum in tali necessitate cōstitutis & aliena rapere liceat.

Affirmant secundò cum Nauarro ex bonis permanentibus, & quę vsu non consumūtur, acquisitis per vsuram, extra casum extremæ necessitatis, neque vxorem, neq; filios posse vsurarium alere, & ex consequenti, neque posse illos ab vsurario talia accipere: quia cū tam dominium, quā vsus huiusmodi bonorum semper maneāt apud mutuatarium, recipere illa, vel fructus eorū ab vsurario, esset velut recipere furtiua a latrone, quod nulli licet nisi extremam necessitatem patienti.

Docent tertio, vsurarium, qui preter bona restitutioni obnoxia habuerit alia, aut proprio labore, aut iure hæreditario, vel ex dote mulieris acquisita, posse ex illis imò debere vxorem, & filios alere, quia iure naturæ tenetur ad illos alendos, quando commode potest, potest autem cōmode & recte sine vlla iniuria creditorum, quando habet alia bona preter obnoxia restitutioni, cū propter huiusmodi alimenta non reddatur impotens ad restituendas vsuras.

Quarto docent cum Syluestro & Tabiēsi, vbi omnia bona vsurarij fuerint quidē obnoxia restitutioni, sed incerta, incertosque habentia dominos, quibus restitui debeant, facto diligenti examine posse vsurarium alere ex illis vxorem suam, & filios, sicut posset cōuertere illa sic incerta in pauperes. Cæterū, vt id recte præstet, docet Nauarro nō indigere illum necessariò authoritate Episcopi, quāuis (vt inferius dicemus) consultius sit illa vti, vel saltim consilio confessarij.

Docent quinto, quando bona vsurarij omnia sunt per vsuram extorta, nec habet alia vnde restituat vsuras, non posse illum, neque ex his quę vsu consumuntur vxorē, vel filios extra casum extremę necessitatis alere, ita vt si vxor, vel filij propria industria, & labore, vel apud affines possint sibi victū quærere, non possit illos vsurarius ex bonis illis alere, neq; illi alimenta ab eo accipere. Ratio est aperta. Quia vsurarius, neque ex bonis vsu cōsumptibilibus potest exercere cōtractus aliquos gratuitos, quibus reddatur impotens ad restituendū, vt cōnstat, quia exercēs illos prodigeret alienū, & bona illa sic recipiens cooperaretur iniquitati illius, alere autē vxorē, & filios, qui sibi aliunde sufficere valent, est contractus, quo vsurarius nō habēs alia bona præter ea quæ restitutioni obnoxia sunt, redditur impotēs ad restituēdū, ergo est omnino prohibitū ex natura ipsa huiusmodi bonorū, quæ sic obnoxia sunt & omnino illis aliena. Et cōfirmatur. Nemini licet rē alienā inuito illius domino attrectare, sed vxor, & filij qui in huiusmodi casu alerētur ex bonis vsurarij restitutioni obnoxiis, rē alienā inuito domino attrectarēt, ergo nullomodo illud licet, sed tenerētur ad restituēdū quæ in vsus ipsorum vsurarius ille expenderet. Quòd si vxor: & filij, neq; proprio labore, vel industria, neq; apud affines, vel amicos possint victū sibi cōmodè, & honeste parare, tūc cēsendi sūt, velut extreme indigere, vt recte docēt Sylu. & Fabien. Nec ratio illa Nauarri, virū potius teneri ad vxorē alēdā quā ad restituēdas vsuras recte procedit: nā vt constat ex his quę docuimus tomo. 1. quæst. 62. artic. 8. contro. 5. quæst. vlt. illius contro. ex debitis prius sunt illa soluenda, quæ sunt aliena bona, & ex alienis, prius illa quæ sunt realia debita, quā quæ personalia, & ex personalibus illa priusquę cū maiori iniuria contracta sunt, bona autē vsuraria, vel acquisita ex pecunia vsuraria sunt aliena, & cū magna iniuria mutuatariorū contracta, quo circa maiori, ac potiori iure tenetur vsurarius, cuius bona omnino sunt restitutioni vsurarū obnoxia, vsuras debitas restituere, quā alere vxorē, vel filios, quādo illi non extreme indigent, sed habent aliunde, vnde seipsos alere cōmode possint.

Ex his sequitur, neq; famulos alere posse, nisi eos, quorū opera & obsequia omninō indigerēt ad tuēda, & conseruanda, vel augēda bona, vnde restituēdæ sunt vsuræ quas debēt, vt illę meliùs restituātur: Quia in hoc casu agunt negotium expoliatorū, & illius vtilitati prospiciunt, quo nomine iuste illis debetur tale stipendium, sicut possunt exercere cōtractus, per quos non redduntur impotētes ad restituendū, sed efficiuntur bona vsurariorum securiora, & vtiliora,

liora ad effectum restitutionis. Vnde sicut mutuatarius, qui contractibus factis in ipsius vtilitatem non cõsentiret, esset irrationabiliter inuoluntarius, ita quoque si non consentiret alimentis, & stipendiis redditis famulis, quorum opera, & labore bona vnde illi fiat restitutio, securiora redduntur, vel augentur. Quod si famulis has operas exhibentibus licet alimenta necessaria, & iusta stipendia reddere, multo potius vxori, & filiis, qui loco famulorum similes operas, & ministeria in vtilitatem, & augmentum illorum bonorum præstabunt.

Vbi obserua quod habet Caiet. in verb. Vsura. posse famulos vsurariorum ab illis ali, & stipendia recipere, quando agunt rẽ mutuatarij, admonendo herum ne tantas vsuras exigat, vel custodiendo illæsa pignora mutuatariorum, correctione indigere: nã quod spectat ad pignora, cum ad vsurariũ pertineat illæsa ea custodire, non videtur rationi consonum, vt expensis mutuatarij persoluantur operæ, ad quas ipse non tenetur, sed vsurarius, persoluerẽtur autem expensis mutuatarij, si liceret ex bonis illi necessario restituendis huiusmodi famulis alimenta, & stipendia præbere: Quod autẽ pertinet ad admonitiones, frequenter inefficaces sunt, & inutiles, nec propterea a mutuatariis persoluendę ex bonis ipsis omnino debitis. Quod si nonnunquam efficaces sint, & vtiles, excusabitur quidẽ famulus, qui sua admonitione mutuatario prodest a restitutione alimentorum, & stipendiorum, quę ab vsurario recepit aliqua ex parte, nõ tamen in integrum, cum accepta mutuatarij sint, qui tantũ pretium pro illa admonitione non debet reddere, quantũ in illius famuli alimentis & stipendiis expendere oporteret.

Controuersia VII.

AN VSVRARIVS QVI *non habet bona, vnde simul restituat & vsuras, & dotem vxoris, sed alterum tantum, teneatur potius soluere vsuras, quam dotem vxoris.*

NON EST Hîc sermo de dote ficta, nec verè & realiter numerata, vxori namq; certum est nõ deberi dotẽ, quã vere & re ipsa viro suo non contulit, quin nec alimenta tali vxori exhiberi possunt ex bonis viri, vt ex proxime præcedẽti cõtrouer. cõstat, nisi extremé indigeat, loquimur ergo hic de vera dote, & actu recepta, & numerata.

Medina in illa q. de Vsura. fol. 143. vult ex illismet bonis quę vsurarius per vsuram extorsit, vel ex pecunia vsuraria acquisiuit non posse, vel dotem, vel aliud quodcunque debitum persoluere, sed teneri omnino ad vsuras ex illis restituendas: quod si iam nõ habebat illamet bona, quæ per vsuram extorserat, sed alia iusto aliquo titulo acquisita, quanuis necessaria ad restituendas vsuras, creditores anteriores, & similiter vxorẽ cuius dos vsuras pręcesserit, posse non solũ pecuniam oblatam ab vsurario in solutionem sui debiti, vel dotis recipere, verum etiam exigere, quia creditores isti exigunt quæ vere sibi debentur, debẽtque potius sibi prospicere, ac consulere, quam mutuatariis. Secundo, quia sunt debita eorum antiquiora, & consequenter omni iure pręferenda.

Creditores vero, quorũ debita posteriora sunt debitis vsurarijs, vult solutionẽ oblatã ab vsurario posse quidem recipere, etiã si non maneant vsurario bona, vnde restituat vsuras, quia non efficiunt ipsi, ne vsurarius possit illas restituere, sed recipiũt tantũ quod vere illis debitũ est, ex pecunia cuius vsurarius vere dominus est, & quam (vt suponimus) nec extorsit per vsuram, nec ex pecunia vsuraria acquisiuit, sed alio iusto titulo habet, exigere tamen sibi debita, creditorem qui posterior est, non posse, quia tunc efficeret profecto, vt vsurarius redderetur impotens ad soluendas vsuras, quod non licet. Quo fit, vxorem, cuius debitũ dotale posterius est debitis vsurariis, viro propria sponte offerente solutionem dotis, posse illam recipere, non tamen exigere.

Alij DD. multo probabilius, & verius ita distinguũt. Tribus inquiunt modis potest vir vsurarius consumpsisse dotem vxoris, aut sine consensu ipsius, vt ludis, meretricio, vel alia simili via, cui illa nullomodo consenserit, vel cum consensu ipsius in res domesticas, tam ipsi viro, quàm vxori gratas, vel tertio modo casu, & infortunio, sine vlla culpa viri, vt igni, furto, Quo posito, statuunt has conclusiones.

Prima, *Creditores anteriores, & similiter vxor cuius debitũ dotale anterius est, si dos ipsius casu aliquo, & fortuito cõsumpta sit, possũt*

ab vsurario habente bona, quæ neq; per vsuras extorta fuit, nec ex pecunia vsuraria acquisita, sed alio iusto titulo parata, esto non habeat vsurarius ille alia vlla vnde restituat vsuras, solutionem suorum debitorum, vsurario sua sponte illam offerente, recipere, exigere vere nequaquam.

Quod possint recipere patet, Creditores isti cum sint anteriores, contraxerunt cum illo vsurario, multo prius quã deberet vsuras, & habẽt ius in bona illius, multo prius quam mutuatarius cui debentur vsuræ, recipiunt autem solutionem ex bonis, quæ verè sunt vsurarij, & quorum ipse vere dominus est, nec ipsi reddunt illum impotentem ad restituendas vsuras, sed ipse solus reddit se ipsum impotentem, possunt ergo illa recipere. Probo consequentiam, quia recipientes ea in quæ habent ius prius quam vsurarij, vtuntur iure suo, quod vnicuique licet. Et confirmatur. Si creditores isti non possent recipere, id certe esset, quia vsurarius non posset illis dare, & soluere: at potest cum sit liber dominus illorũ bonorum, nec vllo iure impeditus.

Dices redditur impotens ad restituendas vsuras soluens huiusmodi debita, contractus autem quibus vsurarius redditur impotens ad restituendum, non sunt validi, ergo nec ipse potest soluere, nec illi recipere. Respõdeo mutuatarium quidem (vt statim dicemus) non posse soluere, sed male agere, solutionem tamẽ, ipso illam propria sponte reddente validam esse: Quia quę superius docuimus, non posse vsurarium aliquos contractus exercere, quando non habet aliunde, vnde bona per vsuram extorta restituat, accipienda sunt de cõtractibus omnino liberis; in quibus vsurarius cõfert bona sua gratis, & sine vllo debito, vel de rebus ipsis per vsuram vel ex pecunia vsuraria acquisitis. At ex alijs bonis, quę iusto aliquo titulo ad ipsum pertinent, qualia sunt de quibus nunc agimus, si quos contractus exerceat onerosos, vel debitos, validi sunt. Qua de causa creditores isti cum neq; consulant, neq; exigant, sed vsurario ipso propria sponte offerente accipiant debita sibi vere antiquiora, & quorum ratione, habẽt potius, & prius ius in bona illius, fiatq; solutio illa ex bonis, quorum vsurarius omnino & absolute dominus est, licite recipiunt, & est valida. Ex his patet altera pars, non posse ipsos exigere, quia si exigerent, effectiue redderent illum impotentem ad restituendum, quod non licet.

Secunda conclusio. *Creditores posteriores debitis vsurarijs, & similiter vxor, cuius debitum dotale debitis vsurarijs posterius est, vbi dos illius cõsensu consumpta fuerit, non possunt recipere solutionem sui debiti, vel dotis, etiam si vsurarius vltro illam offerat, & consequenter nec exigere, quando non habet alia bona, præter ea quæ omnino necessaria sunt ad restituendas vsuras.*

Patet ex dictis in præcedenti conclusione, Quia mutuatarij, sicut sunt priores in contractu & in debito, ita quoque & in iure ad bona illius vsurarij, Vnde tã exigere, quam recipere illa in tali casu alios creditores, est exspoliare mutuatarios suo iure, quod est iniquum & illicitum. Secundo debita contracta cum maiori iniuria sunt prius restituenda, vt constat ex quęst. 62. artic. 8. Sed vsuræ sunt contractæ cum maxima iniuria mutuatarij, & maiori quã quæcunque alia debita posteriorum creditorum, ergo prius sunt illæ soluendæ. Denique, cum omnes pecuniæ vsurarij post receptas vsuras essent deuinctæ, & obnoxię restitutioni, donec vsuras acceptas restitueret, quicunq; deinde contraxerunt cum homine cuius bona iam actu erant obnõnia vsurarij, & consequenter cum hoc onere, vt ex illis bonis prius soluerentur vsuræ, eo ipso quo sic contraxerunt non possunt huiusmodi pecunias iam ante illorum contractus sic oneratas accipere, vel exigere, quin prius soluantur vsurę. Vnde si non habeat vsurarius alia bona, pręter ea quæ ad soluendas vsuras necessaria sunt, perinde se habent isti posteriores creditores, ac si vsurarius in ordine ad illa debita posteriora nulla bona haberet, vel certe haberet solum aliena, ex quibus nemini licet sua debita soluere. Et confirmatur, Si creditor sciat suum debitorem habere debita anteriora, non potest nec recipere, nec exigere solutionẽ sui debiti, quia exspoliaret illum antiquiorẽ creditorẽ suo iure, quod non licet, ergo quando debita vsuraria antiquiora sunt, non licet alijs creditoribus posterioribus nec exigere, neque recipere illorum solutionem.

Tertia conclusio. *Vsurarius non habens alia bona quam necessaria ad restituendas vsuras, inique agit, & contra ordinem restitutionis prius soluens alijs creditoribus siue anterioribus, siue posterioribus, siue vxori, cuius dos casu consumpta fuit, quam restituat vsuras.*

Patet, ex ordine enim restitutionis vt docuimus, q. 62. art. 8. sicut prius soluēda sunt debita antiquiora quam posteriora, ita quoque prius soluenda sunt contracta cum iniuria, quocunq; tēpore contracta fuerint, siue prius siue posterius, quam contracta sine vlla iniuria, sed debita vsuraria cōtracta sunt cū maxima iniuria mutuatarij, quod non ita est in alijs debitis, ergo prius tenetur illa restituere, & male agit aliter agens, licet quo ad creditores anteriores factum teneat, sicut expositum est in prima concl.

Secundo, cū omnia bona vsurarij substituantur loco vsurarum, manent sub eodē vinculo; ergo illa quibus indiget ad restituēdas vsuras nulli alteri potest conferre. Dices, si vsurarius non potest licite restituere creditoribus, etiam si anteriores sint, quomodo ergo diximus in prima conclusione posse illos recipere, videbuntur enim cooperari peccato illorum. Respondent non cooperari, quando vltro illi offerunt solutionem, quia creditores in eo casu nec exigunt, nec consulunt, sed habent se tantum mere passiue recipientes solutionem debiti sui, ad quod habent ius; maxime cum fiat solutio ex pecunia cuius soluens vere & simpliciter dominus est.

Quarta conclusio. *Vir qui dotem, quam ipsi contulit vxor, consumpsit sine ipsius consensu, vt ludis, &c. habetque alia bona, ab ijs quæ per vsuram, vel ex pecunia vsuraria acquisiuit, prius debet soluere vxori dotem quam vsuras: Esto nulla alia bona ipsi maneant ad illas persoluendas. Quod si dotem vxoris cum ipsius consensu consumpsit, & in res illi gratas, ex huiusmodi bonis prius debet soluere vsuras, quam dotem vxoris.*

Probatur prior pars. Debitum contractum cū maiori iniuria prius est restituēdū, sed debitum dotis, quando vxor nullo modo consensit in illius ruinam, est cum maiori iniuria contractum, quam debitum vsuræ, quod certe contractum est cum aliquo consensu mutuatarij, ergo tenetur prius in hoc casu ad solutionem dotis, quam vsurę. Hęc conclu. intelligenda est, siue debitum dotale sit prius debitis vsurarijs, siue posterius: Ratione enim maioris iniuriæ preferēdum etiam est antiquioribus in foro consciētię, quamuis in foro exteriori antiquiora debita preferuntur doti.

Ex hac conclusione sequitur, posse in hoc casu vxorem ex bonis de quibus in hac quarta conclusione agimus, se ipsam, & familiam, & virum suum alere, cum bona illa quantum dos ipsa exigit, ipsius sint omnino, poteritq; de illis pro libito disponere. Altera pars huius conclusionis eodem argumento probatur. Quia debitum vsurarij contractum est cum iniuria, debitum autē dotale, quando consentiente vxore dos ipsius cōsumpta est, sine vlla iniuria contrahebatur. Denique dico in hac quæstione, Posse vsurarium per aliquod tempus non soluere debita, & se ipsum alere, illo scilicet tēpore, quo indiget ad computanda debita, & explorat cui sit prius restituendum, colligitque pecunias ex quibus restituat: nec solum se ipsum, verum etiam & vxorem, & familiam, exhibendo illis sola necessaria iuxta decentiam sui status, sicut diximus q. 62. art. 8. de debitoribus, qui antequam debita contraherent, habebant iam statum illum, iusteque illum conseruarunt, partim ex bonis suis, partim ex alienis: Etenim sicut hi non tenentur statim soluere cum magno detrimento & iactura sui status, ita nec vsurarius qui habet alia bona, quam acquisita per vsuram, aut ex pecunia vsuraria cōparata: Quod si vsurarius iniuste, per contractus vsurarios, ac illicitos acquisiuit illū statum, non licet illi se ipsum alere iuxta illum statum, nec aliquid aliud accipere præter necessaria naturę, sicut diximus nec licere debitori qui inique acquisiuit statum, in quo est, & post contracta debita.

Controuersia VIII.

AN HAEREDES VSVRARII *teneantur ad restituendas omnes vsuras illius?*

DE hac quæstione differunt Sylu. vsura. cap. 6. §. 10. Medina. q. 4. de vsura. fol. 144. col. 3. Caiet. in opusculo illo de vsura, q. 5. & vltima. Couarr. libr. 3. variar. resol. cap. 3. nu. 7. & 8. Soto lib. de iustitia q. 1. art. 4. Proposita quæstio duobus modis tractari potest, imprimis de omnibus hęredibus simul sumptis, teneantur ne omnes ad soluendas omnes vsuras defuncti, cuius hęredes sunt, an aliquas tantum. Secundo, an isti hęredes sint obligati simul & in solidum, ita vt altero non restituente, vel reddito impotente ad restituendum, teneatur alter in integrū satisfacere, vel sufficiat vnumquemque soluere eam partem vsurarum, quę illi contigit ratione suę hęreditatis.

Quo ad primum, certissimum est apud omnes

omnes DD. heredes teneri ad restituendas omnes vsuras, secundum facultatem hæreditatis: ita, vt si bona hereditaria sufficiant, vel abundent ad illas restituendas, teneantur ad omnes. Et quidem de rebus non consumptibilibus & permanentibus perspicuũ illud est ex dictis, obigatio enim realis trãsit cum re, & comitatur eam apud quemcunque illa existat. Quo circa res vsuraria permanens in quemcunque transeat, transfertur cum isto onere, vt debeat restitui suo domino. Res autem quę non consumuntur vsu, sunt obnoxię restitutioni obligatione reali, quandiu ædem permanent, vel apud vsurarium, vel apud illius hæredes, vel saltim obligatione personali, restituendo similes aut æquiualentes, vt ex controu. 3. huius art. satis constat.

De alijs vero rebus, quas vsurarius possidebat aliquo iusto titulo idem est iudiciũ, nempe aut iure hæreditario, aut suo labore & industria licite acquisitis, & reliquit suis hæredibus, debere quoque hæredes ex illis omnes vsuras defuncti persoluere, si sufficiant & probatur. Bona vsurarij, quandiu non restituit, manent obligata & obnoxia restitutioni vsurarum obligatione personali, vt constat, obligatio autem personalis transit cum bonis ad hæredem, ergo tenentur heredes ex illis restituere vsuras defuncti. Et confirmatur. Hæredes succedunt loco defuncti cuius hæreditatem accipiunt, sed defunctus vsurarius tenebatur ex suis bonis, & iuste acquisitis, quãdo alia non suppetũt, omnes vsuras restituere; ergo tenentur similiter hæredes. Quod adeò verum esse inquit Caieta. vt heres eo ipso quo recipit hereditatem illam sic obligatã, omnia bona ipsius & quæ alias habet efficiãtur etiam obligata obligatione personali, quia eo ipso quo recipit hæreditatẽ, persona ipsius est obligata ad debita defuncti, cuius hæreditatem recepit; obligatio autẽ personalis transit in omnia bona personæ obligatæ, ita vt siue ex his, siue ex illis, debeat necessariò vsuras defuncti, cuius hæres est, restituere. Deniq; constat hoc apertissimè ex cap. Tua nos. de vsuris. Vbi habet expressè Alex. 3. *Eadẽ districtione esse cogendos filios, & hæredes vsurariorum ad restituendas vsuras, qua cogerentur parentes eorũ.*

Quòd si debita vsurarij excedant totam hæreditatem, iure naturæ & in foro conscientię non tenentur heredes soluere omnes vsuras, sed iuxta facultates tantum illius hæreditatis. Ratio est aperta. Heredes ideo tenentur persoluere vsuras defuncti, cuius hæredes sunt, quia succedunt illi, succedunt autem loco defuncti ratione hæreditatis, ergo consequenter succedũt quãtum hæreditas illa patitur, & ex consequẽti si hæreditas sufficiat, tenebuntur soluere omnes vsuras, sin minus eas ad quas sufficiet, iuxta illud commune DD. proloquiũ, quod ad omnes heredes extenditur, tam vsurariorum, quam cæterorum omnium, *Nemo tenetur restituere vltra vires hæreditatis.* Et confirmatur. Quicunque tenetur aliquid restituere, aut tenetur ratione rei acceptę, quam apud se habet, aut ratione iniquę acceptionis: hæredes vsurarij non tenẽtur ratione iniquæ acceptionis; constituimus enim ipsos non iuuasse vsurarium, nec fuisse illi cooperatos, vnde tenentur solum ratione rei acceptæ, nempe bonorum, quæ per hæreditatem acceperunt: qui vero solũ tenetur ratione rei acceptæ, non tenetur nisi quantum res illa est, non ergo tenebitur hæres vsurarij ad persoluendas vsuras defuncti, nisi iuxta vires hæreditatis.

In foro vero exteriori licet multa affectantur à Iurisperitis, quos refert Couarru. lib. 3. uariar. resol. c. 2. num. 8. Vsus tamen omnium fere iudicum illud habet, Quando heres bona vsurarij recipit, admittitq; hæreditatem illam sub ea conditione, vt describantur bona defuncti, & quantitas hæreditatis, explicans nolle se ad amplius teneri, quod Hispane dicimus *acceptar con beneficio de inuentario*, non obligatur ad soluẽdas vsuras, nisi quantum hereditas sufficit: quod ęquissimum est, cum sub ea conditione hereditatem admiserit: Quod si absolute illam admittat, sine descriptione bonorũ defuncti, Hispanè: *sin hazer inuentario* compellitur heres ad soluendas omnes vsuras, & debita defuncti, etiam si excedant hæreditatem. Tum quia non curans de tali descriptione bonorum, sed absolute illam admittens tacitè, & implicitè videtur se ipsum ad omnia debita defuncti obligasse. Tum maxime, quia contra hæredes non curãtes illã descriptionem fieri, præsumitur ex iure, ex fraude ita se gerere ad occultanda bona defuncti, sicq; iuste quasi fraudulenti heredes, & qui maiorem hæreditatem receperunt quam non manifestant, compelluntur à iudicibus ad soluendas omnes vsuras, & omnia debita defuncti. At esto ita res habeat in foro exteriori, Nihilominus si verè hereditas illa non sufficiat, in foro animæ non tenetur heres, licet non curauerit descriptionem

criptionem illam bonorum fieri, ad restituendum, nisi iuxta facultates hęreditatis: quia lex quę nititur alicui præsumptioni, cessante illa non obligat in conscientia. Nec creditores, qui scientes reuera vires & facultatem hæreditatis non sufficere, acciperent ab hæredibus defuncti vltra bona hæreditatis, essent tuti in conscientia, quãuis lex vel iudicis sentẽtia illis faueat, quia talis sententia in huiusmodi casu, cum fundetur in falsa præsumptione, nec obligat, nec habet vim in foro animę. Restituent autem hæredes quando omnibus creditoribus nequeunt, his qui fuerint anteriores, vel quibus maiorem vsurarius iniuriam intulit ad arbitrium iudicis, vel periti confessarij iuxta cõmunes regulas restitutionis, in ordine & gradu creditorum obseruandas.

Quò ad secundum caput, quod multo difficilius est, varij sunt DD. Sylu. loco citato refert opinionem quorundam antiquorum Canonistarum, qui nihil certũ docebant, sed affirmabant tantum, quãdo bona omnia vsurarij sunt obnoxia restitutioni, teneri vnumquemque heredum in solidum ad vsuras omnes restituendas, alio hærede non restituente: vbi vero nõ sunt omnia restitutioni obnoxia, non teneri vnumquemque in solidum, sed pro rata solum, & ratione partis hæreditatis, quę ipsi contingit. Quæ opinio sicut nulla ostenditur ratione, ita se ipsa ruit. Et argumentor contra illam. Bona vsurarij sunt quidem omnia obnoxia restitutioni (vt vidimus) sed cum discrimine, quædam obligatione reali, alia vero obligatione personali; at obligatio personalis vsurarij non transit ad heredes simpliciter & omnino, sed quatenus hæredes sunt, idest secundum partem hæreditatis quam accipiunt, ergo etiam si omnia bona defuncti fateamur esse obnoxia restitutioni, non inde sequitur heredem in solidum teneri ad soluendas omnes vsuras. Loquor de bonis, quę consumpta sunt; nam quæ permanent, apud quemcunque reperiantur sunt restituenda; & ex alijs bonis quanda hæreditatis diuisio à defuncto instituta.

Dixi Syluestrum opinionem illam referre, quia ipse illam non amplectitur, vt existimat Soto, sed refert tantùm: Sententia verò quam ille sequitur est; Quando heredes ita diuidunt inter se bona vsurarij, vt recipiat vnusquisque illorũ partem suam, quandiu illam vel similia bona vnusquisq; eorum apud se habet, nullum eorum teneri in solidum, sed vnumquemque pro ratione partis quam hæreditauit, ad aliquam partem vsurarum, sicut in quocumque genere debiti solent heredes. Et habetur L. 1. & 2. C. de acquir. hæredit. Quòd si diuisa inter ipsos hereditate, antequam persoluat vnusquisque illorum partem, quæ ipsi contingit pro rata hereditatis, illam cõsumat, & simul omnia bona sua, ita vt efficiatur non soluendo, in foro exteriori iuxta leges ciuiles, non teneri alterum, ad soluendam partem illius; qui non est soluendo iuxta Petr. Ancar. in Reg. Peccatũ. De reg. iuris lib. 6. iuxta canonicum vero ius, teneri vnũquemque in solidum: ita vt teneatur vnusquisque eorum non modo ad partem suã, verum etiam altero non soluente, ad partẽ quę illi incumbebat. Affertque in hanc sententiam D. Antoni. idem docentem hac ratione: Tenetur quicunque heredum ex bonis defuncti liberare animam illius, quantũ potest, liberatur vero illa, quando plene & in integrum debita ipsius satisfiunt: ergo tenetur quicumque heres altero non soluẽte partem quoque illius soluere, si habet bona defuncti.

Glosa in cap. Tua nos. De vsuris. quam sequuntur plerique Canonistarum (vt refert Caiet. in illo opus. De vsuris cap. 5.) vult vnumquemque heredum teneri in solidum ad soluendas omnes vsuras, alio non soluẽte, ex verbis istius cap. Tua nos. Vbi habet Alexan. *filios & hæredes vsurarij ad soluendas vsuras ea districtione cogendos esse, qua parentes eorum, si viuirent, cogerentur.* Vnde argumentantur, Heredes vsurarij eadẽ districtione cogendi sunt, qua pater eorum cogeretur, sed pater tenetur vsuras in integrum soluere, ergo & vnusquisque filiorũ. Et confirmatur heredes succedunt loco defuncti in debitis ipsius, accipiunt enim hereditatem cum oneribus defuncti, sed defunctus tenebatur in integrum, ergo & heredes.

Secundo vsurarius tenebatur ad soluendas omnes vsuras, quas accepit obligatione personali, hæc autem transit in heredes, ergo tenetur similiter vnusquisque heredum ad omnes vsuras, sicut & ipse vsurarius: Quod si dixeris, succedere quidem hæredem loco defuncti ratione tantum hereditatis, attamen cum hæreditas defuncti diuidatur inter ipsos, diuidi quoq; pariter debita & obligationem restituendi illa, & ex consequenti vnicuique illorum solum com-

petere partem aliquam eorum iuxta partem suę hereditatis. Contra si vsurarius solum haberet vnicum fundum, quia cætera bona illius perierũt, teneretur ex illo fundo restituere omnes vsuras, quantum valor illius fundi sufficeret, ergo similiter si fundus ille transeat in aliquem hæredem, tamquam pars hæreditatis illius, tenebitur quoque in solidum restituere ex illo fundo omnes vsuras defuncti, quantum valor illius fundi sufficeret.

Denique ex eo quòd diuidantur bona vsurarii inter hęredes, non minuitur obligatio restituendi vsuras, quin potius augetur, sed vsurarius tenebatur in integrum ad illas restituendas, ergo et quiuis hæredum. Probatur maior. Ante diuisionem hæreditatis sola bona vsurarij erant obligata ad restitutionem, post diuisionem vero non solum illa, verumetiam omnia bona cuiuscunque hæredis, quia vt diximus obligatio personalis defuncti transit in singulos hæredes, & obligatio personalis cuiuscunq; hęredis in vniuersa bona ipsius, vnde augetur obligatio: Quòd si non minuitur sed augetur, efficitur necessariò, vt si defunctus tenebatur ad restituendum omnes vsuras in integrum, teneatur similiter quiuis hæredum ad illas omnes, & in integrum.

Caiet. Medina, & Soto locis citatis initio huius quęstionis, & omnes discipuli D. Thom. censent hæredes istos non teneri ad restituendum in solidum, sed secũdum portionem tantum, & partem hæreditatis quam recipiunt. Probaturque: Hæredes non alio nomine succedunt in obligatione restituendi debita, vel vsuras defuncti, quam ratione hæreditatis acceptæ, at non succedit quiuis eorum in tota hæreditate, sed in parte tantum, ergo neque succedit in obligatione restituendi omnia debita, vel vsuras, sed partem tantum illarum, iuxta diuisionem bonorum defuncti.

Secundo, cum hæres (vt antea diceba mus) non teneatur restituere vsuras defuncti ratione iniquę acceptionis, sed solum ratione rei acceptæ, obligatio eius solum debet extendi ad rem acceptam, nempe ad hereditatem acceptam; at quando illa diuiditur non accipit quiuis eorum totã hæreditatem, sed partem tantum, ergo ex cõsequenti tantum etiam tenebitur secundũ proportionem illius partis, quam hæreditate accepit.

Tertio, hęredes sicut succedunt in iuribus defuncti, eodem modo in debitis, & oneribus illius, iuxta cõmune proloquium *Cum honoribus & oneribus*: At quando defunctus habet ius ad recuperanda aliqua debita à suis creditoribus, si hæreditas diuidatur, diuiditur quoque illud ius, ita vt non quiuis hæredum recipiat omnia debita illa, sed vnusquisque suam partem, ergo similiter quando diuiditur hęreditas, obligatio quoque soluendi debita erit similiter inter eos diuidenda pro rata, & portione. Confirmatur, Quia apud iustos iudices ita est in vsu, non compellere hęredem, nisi ad restituendum tantum partem vsurarum iuxta partem suæ hæreditatis. Dico apud iustos iudices, nam quid alii iniquè agant ignoro, nec curandum est.

Hæc doctrina intelligenda est de bonis quę vsu consumuntur: etenim si res accepta per vsuram à defuncto permanens sit, vt domus, fundus, vel quid simile, tunc hæres cui in partem hęreditatis res illa successit, tenetur in integrum illam restituere: quia huiusmodi res erat obligata obligatione reali, quę committatur rem, apud quęcunq; existat: tenentur tamen eo casu alij hęredes refundere in illum suas partes, ita vt seruetur ęqualitas, aliter solus ille qui hæreditaret rem immobilem, grauaretur, quod est iniquum.

Hęc opinio nobis tenenda est. Ad cuius maiorem intelligentiam obseruemus: Primò, differre plurimum inter vsurarium, & ipsius hęredes: quia vsurarius est vnica persona, habetque ipse solus bona illa acquisita per vsuram, hæredes autem in casu de quo loquimur sunt plures, & quilibet eorum non est tota persona defuncti, sed pars quędam illius: Nam cum succedant loco defuncti ratione illius hęreditatis, sicut non succedit quiuis eorum in tota hęreditate, sed singuli in singulis partibus, pari ratione neque succedit quiuis eorum in tota persona, & obligatine defuncti, sed singuli in suas partes. Quo fit, vt omnes hęredes simul sumpti succedant quidem in tota obligatione, & persona defuncti, vnusquisque verò eorum in ea parte personę, & obligationis, quę respondet parti hereditatis quam recipit pro rata & portione. Ex quo sequitur, vnumquemque ad eam partem solum teneri, & non ad alias, siue ceteri suas partes persoluant siue non, sed reddantur impotentes ad illas restituendas.

Obseruemus secundo, Cum bona mobilia

bilia, & vsu consumptibilia non sint restituenda eadem numero, neque maneat semper apud vsurarium eadem numero, etiam si nihil eorũ, quę per vsuram acquisita sunt, perueniat ad man⁹ hęredis, teneri nihilominus ad restituendam partem vsurarum defuncti, iuxta partem hæreditatis quam accipit: quia omnia bona vsurarij, tam acquisita per vsuram, quam cætera, quocunque titulo illa haberet, & quantumuis iusto, quãdiu ille nõ restituit vsuras, sunt deuincta & obnoxia restitutioni obligatione personali, quæ obligatio transit cum bonis ipsius quæcumq; illa sint ad hæredes.

Obseruemus 3. doctrinam quam sequimur intelligendam esse, quando vnus hæredum non est in causa, vt alij non restituant suas partes, quia si aliquis eorum sua persuasione, vel alia via efficeret, ne alij restituerent, tunc qui illud efficeret, teneretur ad restituẽda omnia, cũ impedierit iniquè bonum alienum & alijs debitum: Cõstat autẽ ex his quæ diximus in disputatione de restitutione Primo tomo quęst. 62. arti. 7. impedientem iniquè bonum alicuius, maximè illi debitum, teneri ad illud restituendum.

Ex his patet quam vera sit sententia quã sequimur, soluunturque facilè argumenta in oppositum. Ad illud enim D. Antonini dico duo, Prius est, defunctum non detineri in purgatorio, eo quod hærodes ipsius non restituant debita ipsius, sed iuxta pœnam, quam ipse meretur, propter peccatum negligentię quod commisit, non restituens dum viueret, quam taxat illi diuina iustitia, & tempus quo debet ibi detineri, quidquid hęredes faciant, siue restituãt siue nõ: Dico secundo, etiam si hæredes teneantur ad liberandam animam defuncti, non tamẽ teneri nisi iuxta partem suæ hereditatis ex iustitia, qua ratione hîc agim⁹, licet possint teneri ad amplius ex pietate filiali, quæ cõsideratio non est huius loci.

Ad argumenta illius glossę & iuristarum. Ad primum dico, illud cap. Tua nos. non esse ita accipiendum, vt singuli hæredes teneantur ad omnes vsuras, sed ad partes illarum, secundum portionem & ratam hęreditatis acceptę, omnes verò simul sumptos teneri ad omnes vsuras, cum omnes simul sumpti succedant in tota hęreditate, & collectiuè ac simul sumptos compellendos esse eadem districtione, qua compelleretur vsurarius, si viueret. Ad confirmationem respondeo hæredes succedere loco defuncti secundum partem hæreditatis tantum.

Ad 2. dico similiter, omnes hęredes simul sumptos succedere in tota persona, & in tota obligatione personali defuncti, vnũquẽq; vero eorum (vt expositum est) in parte tantum personæ, & consequenter in parte tantum obligationis personalis illius pro ratione, & rata partis acceptæ. Hoc enim est discrimen inter bona vsurarij, quãdo sunt apud ipsum, & quando deinde diuiduntur inter hęredes, vt apud ipsum omnia sint obnoxia ad restituendas vsuras in integrum, & in solidum, quando vero diuiduntur inter hæredes, obnoxia tantum sint iuxta partem hæreditatis, quę vnicuiq; tribuitur.

Ad instantiam vero illam neganda est consequentia, quia in antecedente illius sumitur omnia bona vsurarij esse fundum illum, qui ad vnicum peruenit hæredem, in consequente vero sumitur fundus ille tanquam pars hæreditatis, quę sit diuisa inter multos hæredes: Etenim si constituatur vsurarium non habere alia bona nisi illum fundum, & illum peruenire ad vnicum hæredem, tunc cum sit ille vnicus & totalis hæres, solusque representans personam testatoris, ipse solus tenebitur restituere, vt dixim⁹: at si multi sint hęredes, quorũ vnusquisque suam partem accipiat, non tenetur nisi vnusquisque ad suam partem vsurarum pro rata partis acceptæ.

Ad vltimum respondeo, augeri quidem obligationem ex vna parte, id est extensiue, quatenus dum viueret vsurarius, ipse solus & bona tantum ipsius erant obligata, deinde vero diuisa hęreditate omnes hæredes & bona eorum sunt obligata obligatione personali. Ex alia tamen parte minui, quatenus non tenentur singuli hęredes ad totas vsuras, sed vnusquisque eorum ad suã partem, sicut non succedunt singuli in tota persona vel obligatione defuncti, sed in parte tantum.

Controuersia XI.

AN COOPERATORES ET *coadiutores, vsurariorum teneantur ad restituendas vsuras?*

DE HAC Controuer. agunt Caiet. in summa verb. vsura. capit. vlt. ante pagas montis Genuensis, Medina in tracta. de vsura fol. 145. q. 4. D. Antoni. 2. par. tit. 1. cap. 9. Syluest.

uest. vsura. 7. §. 3. Nauarr. in Manuali. cap. 17. numer. 267. Soto libr. 6. de iust. quæst. 1. artic. 4.

Vbi illud initio animaduertendum est, nullum esse discrimen inter damnum quod infertur proximo (quod spectat ad debitũ restituendi) per furtum, seu rapinam, & dãnum quod patitur per exactionem vsurarũ: Quo fit, vt quę diximus de cooperataribus in furto, vel rapina to. 1. quæst, 62. art. 7. cõtrou. 1. & 2. habeant similiter locum in cooperatoribus vsurarum, oporteatque cupiẽtem recte illa consulere.

Quo posito obseruemus primo, non solum dici cooperatorem eum, qui concurrit ad contractum & mutuum vsurarium, verum etiam illum, qui concurrit ad exactionem, & solutionem vsurarum: adeò vt ad damnum, ex quo sequitur debitum restituendi, hic censendus sit magis concurrere: quia damnum quod recipit mutuatarius, non tamen infertur illi in contractu vsurario, quam in solutione vsurę, licet vis & ius exigendi illam, quo vtitur vsurarius, oriatur ex illo contractu tanquam ex radice.

Obseruemus secundo, cooperatores istos seu ministros in triplici esse differẽtia: Quidam enim eorum concurrunt ex parte mutuatarij, vt famuli qui deferunt pignora ad domum vsurarij, & ex domo ipsius deferunt pecunias ad domum mutuatarij; Alij concurrunt ex parte ipsius vsurari, famuli vt pote ipsius, agentes eius negotia, & alij similes: Tertij generis sunt, qui concurrunt ex parte vtriusque, quærentes mutuatarios qui pecunias recipiant, vel vsurarios qui illas exhibeat, componentes illos ipsos inter se, cuiusmodi sunt intermedij illi, & internuntij, quos vocamus intercursores, & proxenetas, Hispane *corredores* quibus similes sunt consulentes alicui vt det ad vsurã. Nõ est hic quæstio de illis qui agãt partes mutuatarij, quos perspicuum est non concurrere effectiue, neque ad iniquitatem, neque ad damnum vsuræ, sed ad solam acceptionem pecuniæ, quod est quid materiale & necessarium ad redimendam vexationem & necessitatem mutuatarij: Potestque confirmari, quia si famuli simplices ipsorũmet vsurariorum, qui tantum deseruiunt dãdis pecunijs, neque se ipsos miscent contractibus dominorum suorum, non concurrunt effectiue, neque tenentur ad restituendum, multo minus famuli ipsorum mutuatariorum. Quæstio ergo est de alijs cooperatoribus secundi, & tertij generis.

Obseruemus 3. Ex his quæ docuimus q. 62. art. 7. cõcurrentes ad vsurariũ cõtractũ, vel solutionẽ vsurę, si effectiue cõcurrant, ita vt aliquid præstent per se pertinens ad mutuum vsurarium, vel exactionem vsurarum, teneri ad restituendum in integrum damnum illud, & vsuras, vsurario ipso non soluente: quemadmodum qui cooperantur furi, effectiuè concurrentes ad aliquid per se pertinens ad furtiuam illam acceptionẽ, tenentur ad restituendum in integrum, iuxta illud Pauli Rom. 1. *Nõ solum qui faciunt, sed qui facientibus consentiunt, digni sunt morte.* Et iuxta regulam illam Gregorij. 9. De iniurijs & damno dato. Si tua culpa. Cuius verba sunt: *Si culpa tua datum est damnum, vel iniuria irrogata, seu alijs irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc imperitia tua siue negligentia euenerunt, iure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo iniuriã verisimiliter posse contingere, vel iacturam.* Et confirmatur ex verbis illis D. August. *Id fidelissime dixerim, qui pro homine ad hoc interuenit, ne male ablata restituat, & qui ad se confugientem quantum honeste potest, non compellit, socium esse fraudis & criminis.* Vnde à fortiori vsurarię fraudis & criminis socius censendus est, ac eiusdẽ debiti reus, qui illi cooperatur effectiue ad illam concurrens. Estque ratio apertissima, Debitum restituendi non solum incurritur ab aliquo ratione rei iniquè acceptę, verũ etiam ratione iniquæ acceptionis, sed quicunque cooperatur contractui, vel solutioni vsurarum, & concurrit ad illas, quamuis non recipiat apud se vsuras illas, cooperatur nihilominus & concurrit ad iniquã acceptionem illarum, ergo tenetur illas restituere. Ad hos rediguntur, qui ita concurrunt, vt sine ipsorum interuentu vel authoritate non soluerentur vsurę, vel non efficeretur contractus vsurarius: quia licet in naturalibus causa sine qua non, non cõcurrit effectiue, sed reducatur tantum ad genus causę efficientis, in moralibus vero causa sine qua non inferretur damnum, perinde manet obligata ad illud reficiendum, ac si efficienter concurrisset, Qui vero nec efficienter concurrit, nec tanquam causa sine qua non, sed materialiter tantum, non tenetur ad aliquid restituendum.

Obseruemus vltimo. Eos quos dicemus teneri ad restituendum, teneri in integrum: ita vt cooperator quem dicemus teneri, præcipua causa idest ipso vsurario non restituen-

stituente, tenebitur ad restituendum totum damnum, & vsuram, seruabuntque huiusmodi cooperatores inter se, quę diximus. quæst. 62, art.5. de cōcurrentibus, ad aliquod damnum.

His positis in hac quæstione quędam facilia sunt, quædā vero maiori egēt explicatione. Imprimis principes, Magistratus, & Iudices, qui suis pręceptis, vel sentētijs cō pellūt mutuatarios ad soluendas vsuras, tenētur illas restituere: quia cū virtute illius sententiæ compellantur miseri mutuatarij soluere, quę non debent, concurrunt ipsi ad damnum illud efficienter. Neque hac sola ratione male egerunt & restieuendis vsuris quę interueniente ipsorum authoritate solutæ fuerint, manent obnorij, verumetiam qui intelligentes in prouincijs, & locis eorum ditioni subiectis exerceri, ac solui vsuras, & illud non prohibent, & impediunt, tenentur quoque ad damna illa restituenda: Propterea quod quicunque ex iustitia, vel officio tenetur damnum aliquod prohibere, nec prohibet, tenetur ad illud restituendum: Principes autem, Magistratus, & similes tenē tur ex officio, & consequenter ex iustitia impedire omnino vsuras, & illarum exactionem, sicut ex iure ipso apertissime cō stat: Nam cap.1. de vsuris. in 6. Grego. 10. in Concilio Lugdun. præcepit Dominis terrarum cuiusque gradus, & dignitatis existant, & cōmunitatibus, ne vlli alienigenę publicè vsuras exercenti domos locari, vel habitare illum in suis terris vlla ratione permittant, sed ab illis omnino expellantur. In Clemētina. vnica de vsuris. Principes, vel Magistratus patientes, dictantes, vel scribentes statuta de soluendis vsuris, vel non repetendis, aut non restituendis, vel secundum illa iudicantes, vel non delentes illa cum possint, intra tres menses, ex communicantur, varijsque censuris subijciuntur. In cap. Quanto, de vsuris, pręcipit Innocentius Principibus Christianis, vt compellant iudęos restituere Christianis vsuras ab illis acceptas, tantum abest vt eas permittere possint. Et in cap. Per miserabilem. eod. tit. præcipit idem Innocentius compellendos esse Iudęos per Principes Christianos, & Potestates seculares ad remittendas vsuras Christianis. Vbi optimè Panormit. super primam glossam in fine. Et super glossam finalē. Et Innocentius in cap. Quod super. De voto, & voti redēptio. nu. 4. & 5.

Secundo tenentur etiam ad illas restituendas omnes procuratores, aduocati, testes, & quicunque suas operas adhibent, vt mutuatarius in iudicio cōdemnetur ad vsurarum solutionem.

Tertio omnes internuntij siue intercursores, qui componunt inter se vsurarium & & mutuatarium, quia hi omnes concurrūt effectiue, intercursores ad contractum mutui vsurarij, procuratores vero, aduocati, & similes ad condemnationem, virtute cuius compellitur mutuatarius soluere vsuras. In his conueniunt omnes Doctores.

Maior vero difficultas est in tabellionibus, & famulis, ad quid teneantur. De singulis priuatim dicemus, imprimis.

De Tabellionibus.

Circa tabelliones obseruemus primo, Duobus modis posse illos se habere, vel ita, vt solū narrent in sua scriptura veritatē facti, & quid vere inter mutuatariū & vsurarium conuētum sit, vel ita, vt vtātur fraude & dolo in illa scriptura palliando vsuras, veluti si vsurarius exigat à mutuatario pignus fructiferum ea lege, vt quandiu nō restituit illi mutuum faciat suos fructus illius pignoris, quę impignoratio est vsuraria, tabellio vero conficiat instrumentum venditionis, quo pallietur illa impignoratio vsuraria. Similiter si mutuatarius tātum recipiat 100. redditurus vltra illā sortē 10. in vsuras, Tabellio vero conficiat scripturā in qua dicatur recepisse illum 110. Rursum Tabellio qui fraudulenter se habet in huiusmodi scriptura, duobus adhuc modis potest illud prestare, vel in fauorem vsurarij: vocatus ab illo, ac vt per talem scripturam vsurarius, facile & secure recipiat vsuras, aut in fauorem mutuatarij, rogatus enixe ab ipso, vt scripturam, quam reuera nullo modo volebat conficere, misertus illius cō ficiat. Veluti quando videns mutuatarium in maxima indigentia constitutum, nec illam posse aliter euadere, quā per illud mutuum sub vsura, & iniquum ac crudelem vsurarium nulla ratione velle illi mutuare, nisi eā scriptura confecta, misertus necessitatis mutuatarij, & ad illū ea via iuuandū, cum nulla alia tunc occurrat, qua commode possit illi subuenire, agens partes eius conficit scripturam illam.

Obseruemus 2. licet in Concilio Vienē si & in Clementina illa vnica De vsuris pręcipiatur omnibus Principibus, & Magistra-

gistratibus ne vllo modo in suis Regnis, & Prouincijs patiantur exerceri vel solui vsuras, nihilominus in aliquibus illas permitti, & dissimulari, quod an recte fiat alij iudicent. Vnde iuxta D. Anton. loco cita. §.6 aliter est sentiendum de Tabellionibus, in Prouincijs in quibus mutuatarij compellũtur ad soluendas vsuras in iudicio forensi, & aliter in Prouincijs, in quibus prohibentur solui vsurę, & cum primum iuridice intelligitur contractus fuisse vsurarius, prohibetur ille recipere vsuras, vel compellitur receptas restituere.

Sit prima conclusio *Tabellio, licet fideliter conficiat scripturam, fideliterq; narret quid inter mutuatarium & vsurarium vere conuentũ sit, in Prouincijs tamen, in quibus non seruatur illa Clementina, sed permittuntur vsuræ, & cõdemnatur mutuatarius ad illas persoluendas, tenetur ad restitutionem vsurarum, quas vi illius scripturæ mutuatarius compelletur persoluere.*

Patet: Quia in huiusmodi locis Tabellio iste concurrit effectiue ad solutionem. & damnum illud, cum virtute scripturæ, quam ipse confecit, soluantur vsurę.

Secunda conclusio. *Tabellio de quo præcedens conclusio, in Prouincijs in quibus vsuræ sunt omnino prohibitæ, & cum primum nouerit iudex contractum esse vsurarium, puniet vsurarium, compelletque restituere vsuras si quas recepit, Tabellio iste fideliter narrans gestum, nõ tenetur ad aliquid restituendum.*

Patet: Quia in talibus prouincijs per huiusmodi scripturam non damnabitur mutuatarius ad solutionem vsurarum, quin potius liberabitur ab ea, vi & fauore illius scripturæ verum narrantis, & indicantis iudici iniquitatem vsurarij.

Tertia conclusio: *Tabellio infideliter se gerens in sua scriptura, & pallians vsuras in fauorem vsurarij, vt virtute talis scripturæ recipiantur vsuræ, tenetur ad restitutionem vsurarum, & est sacrilegus, ac periurus.*

Prius illud patet, Quia concurrit effectiue ad exactionem vsurarum, & damnum illud, sua scriptura. Posterius vero, quia tempore quo effectus est Tabellio, iurauit fideliter, & sine vlla fraude se habiturum in conficiendis quibuscunq; scripturis.

Quarta cõclusio. *Tabellio conficiens scripturã qua pallientur vsuræ in fauorem tãtum mutuatarij, & rogatus enixe ab illo, misertusque necessitatis illius, quam nulla viã videt leuari posse ex iniquitate vsurarij, periurus quidem est ob iuramentum præstitum de seruanda fidelitate, & veritate in omni scriptura sua, non tamen tenetur ad restituendas vsuras, etiam si vi illius scripturæ soluantur.*

Quemadmodum Tabellio producens scripturam falsam in iudicio ad liberandum innocentem, quem certo nouit innoxium esse, peccat quidem contra religionem iuramenti, & cõtra iustitiam debitam Reipub. non tamen contra iustitiam accusantis vel persequentis illum innocentem, cum ille iniuste agat, nec tenetur ad aliquam restitutionem. Pobatur autem hæc quarta conclusio. Quia tunc non est cooperator vsurarij, cum non sit inductus ab ipso, nec partes illius agat, sed cooperator potius est mutuatarij, agens partes eius, vt liberetur ab illa necessitate, à qua alia via liberari nequit. Et confirmatur. Si Tabellio in hoc casu tenetur restituere, vel quia agit contra iustitiam publicam ex pacto quod habet cum Repub. seruandi fidelitatem in omnibus scripturis suis, vel quia concurrit ad damnum quod patitur mutuatarius, qui virtute illius scripturę soluet vsuram; at neutro ex his titulis tenetur restituere. Non primo, quia violare iustitiam publicam, etsi peccatum mortale sit, non tamen inducit debitum restituendi, nisi simul agatur contra iustitiam particularem alicuius. Nec secundo, quia etsi concurrat Tabellio iste ad damnum illud, concurrit tamen velut materialiter, cum agat partes mutuatarij: & concurrit sine iniuria ipsius, quia conficit scripturam illam rogatus ab ipso ad leuandam tantum necessitatem illius, & ipso sine vlla fraude, vel vi, aut necessitate, quam ex parte Tabellionis patiatur, consentiente in illam scripturam. *Scienti autem & consentienti sine vlla vi, vel fraude, aut necessitate cogente, non fit iniuria.* Quod si dixeris, similiter sciens & volens consentit in solutionem vsuræ, ergo nec vsurarius infert illi iniuriam vel tenebitur ad restituendum. Respõdeo maximum esse inter ista discrimen. Tabellio enim cum non sit in facultate eius liberare mutuatariũ ab illa necessitate alia via, & rogetur ab ipso, non constituit eum in illa necessitate, sed libera omnino voluntate mutuatarij illam scripturam conficit, & erga Tabellionem est ille omnino libere consentiens. Vsurarius vero cum possit gratis mutuare, nec velit nisi cũ vsuris, sua iniquitate constituit miserũ mutuatarium in illa necessitate, qua cõpellitur

accipere ad vsuram; quo fit, vt erga ipsum vsurarium mutuatarius non sit libere consentiens, sed compulsus & coactus.

Denique illud etiam circa Tabellionem hic obseruandum est, conficientem scripturam bona fide, & ignorantem iniquitatem contractus, quia iudicat, iuxta ea quæ exterius in contrahentibus videt, contractum illum iustum, & honestum, quamuis ille à parte rei sit iniquus & vsurarius, non teneri ad restitutionem, nec peccare: quia tenetur ex suo officio publicam fidem facere contractibus, ad quos vocatur, nisi videat illos iniquos esse, in hoc autem casu (vt constituimus) cum bona fide conficiat scripturam, nullam intelligens iniquitatem, præstat quod sui muneris est sine vlla fraude, vel iniquitate. Quod si timeat, vel suspicetur latere ibi aliquam iniquitatem, vel occultari vsuras, indicet illud contrahentibus, admoneatque ipsos, vt si ex responsis eorum colligat prudenter illis credendum esse, deponat suspicionem & scrupulum, conficiatque scripturam: quod si ex qualitate contrahentium, & modo contractus, alijsque circunstantijs videat, quidquid illi dicant, prudenter timeri contractum illum esse iniquum, & latere in eo vsuras, non conficiat tale instrumentum, quia non tenetur in re adeo prudenter dubia, nec obligatur ad exercenda ea quæ sui muneris sunt & officij: Sicque intelligendus est D. Nauarr. in Manuali cap. 17. numer. 277. quando dicit, Tabellionem, contractui de quo dubitat sit ne iniustus non debere facere fidem.

Ex his recte colligere possumus quod sentiendum sit de testibus qui instrumentis, & scripturis Tabellionum intersunt. Etenim cum scripturæ huiusmodi vim habeant & robur, partim à fide quæ publicis Tabellionibus debetur, partim vero à fide testium qui illis astiterunt: sicut in prouincijs in quibus permittuntur vsuræ, & productis in medium scripturis huiusmodi compelluntur mutuatarij ad illas soluendas, tenetur tabellio qui illas confecit ad restituendum, ita & testis, quia fides vtriusque concurrit effectiue ad damnum illud, quo miser mutuatarius virtute illius scripturæ compellitur à iudice soluere. In prouincijs vero, in quibus vsuræ nullo modo permittuntur, sed puniuntur potius illas exercentes, sicut tabellio ad nullam tenetur restitutionem, ita nec testis. Demum sicut tabellio qui de industria occultaret vsuras sub nomine alicuius contractus honesti, teneretur ad illas restituendas, ita & testis qui illi scripturæ simulatæ & fictæ suo testimonio fidem faceret, vel in re dubia non vteretur eadem diligentia qua Tabellionem diximus vti debere.

Circa famulos obseruandum est, Quatuor esse illorum genera. Quidam enim eorum agunt vicem domini, dicuntur agentes, vel factores, habentes potestatem & authoritatem à dominis suis ad celebrandos contractus, & cum eadem authoritate ad compellendos mutuatarios coram iudice ad soluendas vsuras: Alij sunt amanuenses, habentes libros rationum dati, & accepti, in quibus scribunt contractus omnes quos exercent suorum dominorum & quidquid alijs conferunt, vel ab alijs recipiunt. Tertij generis sunt, qui custodiunt pecunias vsurariorum, & eas numerant. Vltimi vero, velut communes famuli, deferentes pecunias ad quoscunque à dominis suis mittuntur, & exigentes ab illis vt soluant, sine authoritate tamen compulsiua, sed eadem ratione qua solent communes famuli cuiuscunque domini, mandata illius ad alios deferre.

De singulis suo ordine dicamus. Primi illi, qui authoritate domini vtuntur ad contractus vsurarios, & executiones vsurarũ, tenentur domino non restituente, in integrum ipsi restituere: Quia eo ipso, quo vice & authoritate domini vsurarij celebrant contractus illius, exiguntque vsuras, cõcurrunt efficienter ad illas. Et de huiusmodi loquitur D. Nauar. in Manu. c. 17. nu. 267. cũ dicit, ministros vsurarij dantes pecunias mutuatarijs, & accipientes pignora ab illis teneri ad restituendas vsuras. Intelligẽdus enim est de his, qui hæc conferunt, & recipiũt vice, & authoritate domini: Quod patet ex argumento quo ibi vtitur, probat enim teneri eos ad restituendum, sicut seruus qui iussu domini aliquem occidit, tenetur quoque ad illud damnũ: certum autem est, seruum ita occidentem concurrere effectiue ad illud homicidiũ, vnde loquitur de ministris vsurarijs effectiue concurrentibus, quales sunt illi primi generis, qui authoritate domini exercent contractus vsurarios. Additque Nauarr. nec obstare non defuturũ domino illi vsurario alium famulum, qui loco ipsius daret ad vsuram, sicut nec obstat, famulum occidentem aliquem iussu domini sui, certo scire non defuturum

rum illi alium famulum illud prestaturum.

In prouincijs in quibus vsuræ soluuntur authoritate Iudicis, & libri illi fidem faciunt, de famulis amanuensibus, & scribentibus libros rationum vsurarij similiter iudicandum est, ac de Tabellionibus: ita vt teneantur huiusmodi amanuenses restituere, eodem modo quo diximus Tabelliones: mercatorum enim libri idem efficiunt in iudicio, habentque eandem vim, quam scripturæ Tabellionum. Vbi vero non permittuntur vsuræ, vel scripta in huiusmodi libris mercatorum non faciunt fidem in iudicio cōtra mutuatarios, non tenentur ad aliquid restituendum, quia cum virtute talis libri non compellatur mutuatarius ad aliquid persoluendum, amanuensis ille non concurrit effectiue ad damnum vsurarium.

Famuli demum custodientes pecunias, nullam tamen habentes authoritatē ab vsurario ad exercendos aliquos contractus, vel aliquid exigendum, sed seruientes illis eadem omnino ratione, qua alij communes famuli, conferentes ijs quibus domini ipsorum precipiunt vt conferant, & recipientes quæ domini ipsorum precipiunt, vt recipiant, sicut non concurrunt effectiue ad contractum vsurarum, vel earum solutionem, sed habent se mere materialiter, ita nec tenentur quid restituere. Et de huiusmodi inquit Paluda. in 4. distinct. 15. quæst. 2. artic. 3. numer. 17. famulum solum denigrantem manus suas in computanda pecunia vsuraria non teneri ad aliquam restitutionem, quia sola & nuda actio computādi sine vlla authoritate exercendi aliquem contractum, non concurrit effectiue ad mutuum vsurarium. Et confirmatur: Ex communi consensu Doctorum famulus simplex, qui nec concurrit ad contractum vsurarium, nec exigit vsuras cum authoritate domini, sed defert solum quæ dominus illi precipit, vt deferat, nec aliud agit quam simpliciter obedire domino suo, nihil curans de contractu domini, non concurrit effectiue, nec tenetur ad restituendum, ergo similiter qui solum denigrat manus suas in custodienda, & conferenda, seu numeranda pecunia domini sui, simpliciter se gerens, nihilque aliud curans quam obedire domino suo. Dices, qui occidit aliquem iussu domini sui, & nihil aliud curans quam illi obedire, peccat grauiter, & tenetur ad damnum illud restituēdum, ergo similiter qui iussu domini confert pecunias vsurarij mutuatario, cum vsura sit intrinsece mala, sicut & homicidium, peccabit grauiter, & tenebitur ad restituendum. Respondeo, disparem esse rationem, nam homicidium cum nulla ratione posset benefieri, neque intuitu obediendi domino, non potest famulus illud perpetrare: at conferre pecunias alicui, deferre illas in domum alterius, secundum se non sunt actus mali, sed possunt bene fieri, ac ita potest famulus illos exercere, non intendens ex eis vsuram domini sui, sed illi tantum obedire, sicut deferens pecunias iussu domini sui ad meretricem non peccat, vbi nō defert illas intuitu fornicationis domini sui, sed vt illi tantum obediat. Ex his patet famulum simplicem, qui nullo modo concurrit ad contractum vsurarium, nec exigit eum authoritate vsuras, sed simpliciter defert pecunias quò dominus eius præcipit, vel simpliciter adit mutuatarium petens illas nomine domini sui, sine vlla authoritate, nec cōcurrere effectiuè ad aliquod damnum mutuatarij, nec teneri ad aliquam restitutionem.

Obseruandum tamen hoc loco est, huiusmodi famulos primi generis liberos esse à debito restituendi, si bona fide gerant negotia dominorum suorum, ignorantes inculpabiliter vsuram quam dominus exercet: Et similiter amanuenses, qui contractus illos bona fide scripserunt, iudicantes licitos & ab omni iniquitate, & vsura alienos, sic enim agentes nec tenentur ratione rei acceptæ, cum nihil vsurarum ipsi acceperint, nec ratione iniquæ acceptionis, cum bona fide illi contractui, vel exactioni interfuerint, sicut diximus de Tabellione.

Obseruandum etiam est, vbi mutuatarius suis precibus inducit famulum vsurarij, roget dominum suum, vt conferat illi mutuò, famulum illum ita rogantem non vt dominus eius lucretur, sed ad leuandam solum mutuatarij, cuius misertus est, indigentiam, quia videt dominum suum nolle aliter misero illi mutuare, non teneri ad aliquam restitutionem: Agit enim in hoc casu partes mutuatarij, & in preces illas, quibus mutuum illud à domino suo obtinere nititur, libere, omnino, ac sine vllo genere vel minimæ coactionis consentit mutuatarius, sicque renunciat spontaneè cuiuis obligationi, quam famulus ille posset ipsi habere, sicut diximus de Tabellione.

Hactenus de vsurario reali, nunc videamus oportet.

Controuersia X.

AN VSVRARIVS MENTALIS teneatur ad restituendum.

OBseruemus initio, duobis modis posse vsuram dici mentalem, aliā purè mentalem, quæ solum dicit institutum & propositum recipiēdi aliquid vltra sortem ex mutuo, in ea tamen neque interuenit pactum, neque recipitur lucrum aliquod, sed solum capitale: imo quandoque neque interuenit mutuū, sed habuit quis illam tantum intentionem & animum, sicut in alijs peccatis dicitur fornicatio mentalis, homicidium mentale solus animus efficiēdi illa, & nullo opere subsequuto. Huiusmodi vsura est quidem peccatum mortale, quia vel sola intentio peccandi sufficit ad peccatum, ad nullam tamen obligat restitutionem, neq; de ea hic loquimur. Alia vero est vsura mentalis, quā uis non pure mentalis, qua reuera non solum habetur intentio & animus recipiendi aliquid vltra sortem ex mutuo, & vi illius mutui, verum etiam actu confertur mutuum, & recipitur aliquod lucrum, nullo tamen interueniente pacto, neque explicito neque implicito & tacito: dicitur hæc mentalis, quia animus ille & spes lucri vsurarij nullomodo exprimitur, sed sola mente concipitur, non tamen est pure mentalis cum exterius detur mutuum, & recipiatur lucrum vsurarium: in quo distinguitur ab alijs peccatis mentalibus, nam alia mentalia solum dicunt interiorem animum, sine vllo actu externo illum comitante, in vsura uero mentali internum illum animi affectum aliquis actus exterior comitatur, sed sine vllo pacto. Quo fit vt pactum tacitum vel expressum quodcunq; illud sit, habeat se in vsura, sicut actus exterior in alijs delictis. Etenim sicut in alijs vbi nullus exterior actus comitatur animi affectum, culpa mentalis esse dicitur, ita vsura vbi nullum interuenit pactum, mentalis est, vbi vero aliquod, realis. Dicimus autem recipi illud ex mutuo, & vi mutui, quia (vt abunde vidimus in superioribus) expectare aliquam vtilitatem ex sola beneuolentia & gratitudine, neque peccatum est, neque vsura, cum adeo naturale sit hominibus benefactoribus suis gratos esse, & benefactores iustè ac honestissimè sperent, eos quibus benefecerunt, sibi gratos futuros. Vnde cap. Cum in officijs Extra De testamen. refertur Canon concil. Lateranens. in hæc verba, *Cum in officijs charitatis, primo loco illis teneamur obnoxij, a quibus beneficium nos cognoscimus recepisse*, & L. Sed & si lege. §. consuluit. ff. de petitio. hæreditat. dicitur. *Vnumquemque ex donatione sibi facta ad remunerandum donatori naturaliter obligari*. Et D. Grego. Epist. 44. lib. 4. Registri. & habetur Cano. Sicut Episcopum. 1. quæstion. 2. ordinatos docet posse aliquid offerre gratię tantummodo causa. Et subiungit: *Hoc accipi nullomodo prohibemus, quia talis obligatio ex gratitudine, & beneuolentia nullam culpæ maculam ingerit*. Simile habetur cap. Dilectus. *El secundo* De Simonia.

Obseruemus secundo. Cum duobus modis possit mutuans sperare lucrum ex mutuo, aut intentione primaria & impulsiua, ita vt non mutuaret, nisi speraret lucrum illud ex mutuo, Vel intentione secundaria & concomitante, nimirum quando mutuaret quidem, etiam si non expectaret lucrū, vel propter solum amorem, quo prosequitur mutuatarium, expectat nihilominus lucrum aliquod ex illo mutuo, & vi illius mutui: Canonistas aliquos vocare tantum vsurarium mentalem, quando mutuans sperat lucrum ex mutuo intentione illa primaria, & impulsiua, non tamen quando ducitur intentione illa secundaria, & concomitante. In quam sententiam ducuntur, quia cap. Consuluit. Extra. De vsuris. Vrban. 3. agens de vsurario mentali, quem obligat ad restituendum, ait: *Si non aliàs mutuo esset traditurus*. Vbi aperte solum illum vocat vsurarium mentalem, qui nisi haberet huiusmodi spem & animum, non mutuaret: huiusmodi autem spem perspicuum est esse intentionem illam, quam dicimus primariam.

Nihilominus tam is qui mutuat sperans lucrum ex mutuo secundaria intentione, quam illa primaria, est vere vsurarius mentalis. Ratio est apertissima. Macula, & iniquitas vsuræ in eo proprie & formaliter consistit, vt recipiatur lucrum vltra sortem ex mutuo & ratione mutui, sed intendens, & sperans lucrum ex mutuo, siue secundaria intentione illud speret, siue primaria, sperat illud ac recipit ex mutuo, & ratione mutui:

mutui: ergo committit iniquitatem vsuræ, estque vere vsurarius mentalis. Secundo, Episcopus conferens beneficium alicui, collaturus quidem illud, etiam si nihil tẽporale ab eo expectaret, expectans tamen illud non ex gratitudine, aut beneuolentia, sed tanquam pretium illius beneficij, omnium consensu verè est simoniacus, ergo & mutuans sperãs lucrum ex mutuo, tanquã pretiũ illius mutui, etiam si nihil tale sperans mutuasset, vere est vsurarius: Verba autem illius cap. Consuluit. vult Soto non esse accipienda de ista secundaria intentione recipiẽdi lucrum ex mutuo, sed de illa qua sperat aliquis se aliquid recepturum ex gratitudine: Ita vt hæc intentio accipiendi ex gratitudine dicatur ibi secundaria, illeq; dicatur alias non mutuaturus, qui aliquo modo sperat lucrum ex mutuo, ille vero alias mutuaturus, qui sperat lucrum aliquod, nõ tamen ex mutuo, sed ex beneuolentia. Cęterum si verba textus attente legantur Pontifex in illo cap. non distinguit inter hanc vel illam intentionem, neque inter aliquã primariam vel secundariam: sed cum dubitaretur, interrogareturque Vrbanus, num is tantum esset vsurarius, qui dabat mutuo constituto pacto cum mutuatario de recipiendo aliquo lucro vltra sortem: Vel is etiam qui sub nullo pacto expresso, vel significato mutuaret, sperãs tamẽ lucrum ex mutuo, & ea spe adductus. Refert Pontifex quæstionem sibi oblatam, illique satisfacit. Sic enim habet: *Consuluit tua nos deuotio: An ille in iudicio animarum debeat quasi vsurarius iudicari, qui non alias mutuo traditurus, eo proposito mutuo pecuniam dedit, vt licet omni conuentione cessante, plus tamen sorte recipiat.* Et respondet: *Huiusmodi homines pro intentione lucri quam habent, (cum omnis vsura & superabundantia prohibeatur in lege, iudicandi sunt male agere, & ad ea quæ taliter sunt accepta restituenda, in animarum iudicio efficaciter sunt inducendi.* Vbi aperte vides, Pontif. illis verbis *qui non alias mutuo traditurus* referre quod ab ipso quæsitum est, nec distinguere inter istas intentiones. Tum etiam, quia vbi deinde definit vsurarium mentalem teneri ad restituendum in vniuersum, ait: *Huiusmodi homines, pro intentione lucri quam habent ex illo mutuo, iudicandos esse male, & vsurarie agere.* Vbi iniquitatem istorum non constituit in primaria vel secundaria intentione mutuandi, sed in intentione recipiendi lucrum ex mutuo, non distinguens inter hanc vel illam, modo sit intentio recipiendi lucrum ex mutuo.

Obseruemus tertio. Hanc mentalem vsuram tribus modis accidere posse. Primo ex parte vtriusque, ita vt mutuans habeat animum deprauatum accipiendi lucrum ex mutuo, & similiter mutuatarius suspicans hunc animum mutuantis, & sub ea specie ipsum mutuare, & non alias, confert illi lucrum ratione mutui, alias non daturus. Secundo potest accidere ex parte tantum mutuatarij: Ita vt mutuans habeat animum sincerum, nec deprauatum, mutuans ex sola beneuolentia & gratitudine, mutuatarius vero existimans illum non mutuare gratis, sed propter spem accipiendi lucrum ex mutuo, conferat illi vltra sortem aliquod lucrum, non ex gratitudine sed ex mutuo, alias non daturus. Tertio ex parte tantum mutuantis, quando solus mutuans habet animum deprauatum recipiendi lucrum ex mutuo, mutuatarius vero non suspicatur talem animum, sed gratis & ex mera beneuolentia sibi mutuari, parique ratione confert illi aliquod lucrum, non tanquam ex mutuo, sed ex sola etiam beneuolentia & gratitudine.

His positis variæ sunt de proposita quęstione Doctorum sententiæ.

Richardus in 4. distinction. 15. quæst. 5. in corpore, recensens varios modos quibus committitur vsura, ait: *Quarto modo aliquid accipere vltra sortem potest fieri aut sine pacto & insinuatione intentionis plus habendi, aut cum pacto: primo modo non tenetur restituere accipiens aliquid vltra sortem, quamuis peccet, si corruptam habeat intentionem plus habendi, corrupta vero fuit, si mutuauit principaliter spe lucri, non autem si secundario.* Hæc ille. Vbi Richardus habet duo: Primo vsurarium mentalem eum tantum esse, qui sperat lucrum intentione illa primaria, quod iam confutatum est. Secundo quamuis sentiat illum peccare, non tamen teneri ad restitutionem: Cuius fundamentum est, illam tãtum vsuram obligare ad restitutionẽ, in qua accipitur aliquid ex mutuo, pacto aliquo interueniente tacito, vel expresso. Eandẽ sententiam sequuti sunt Nicolaus Orbellis vir in Schola Scoti eruditus in 4. distinction. 15. q. 3. §. 7. & Cardinalis Florẽtinus in Clementina vnica. De vsuris. q. 24. vbi ait tutius esse vsurariũ mẽtalẽ restituere, nõ tamẽ esse cõpellendũ si nolit, purgariq; delictum

 illius

illius pœnitentia. Idem sentit Petrus de Ancar. in eadem Clementina vnica. de vsuris. q.9. quamuis oppositum etiam doceat in repetitio. Regul. peccati venia. q.1. in fine. de Reg. iur. in 6. Quod si proponas istis DD. cap. Consuluit. adductum, vbi docet apertissime Vrban.3. vsurarios mentales teneri etiam ad restituendum. Respōdent ibi Pontif. non habere teneri, aut esse compellendos, vel cogendos, vt in capit. Tua nos. eod. tit. dixit Alexan. de filijs & hæredibus vsurariorum, sed tantum dicere esse inducendos: at qui tenetur restituere, non solū est inducendus, verumetiam cogendus, & compellendus. Et confirmatur hęc sententia. Primo: Simoniacus mentalis non tenetur ad restituendum, nec resignandum acceptum beneficium tali simonia, vt habetur cap. Mandato. Extra de symonia, ergo nec vsurarius mentalis: probatur consequētia, quia vt sæpe diximus, quod est simonia in spiritualibus, idem est in tēporalibus vsura.

Secundo nullus tenetur ad restituendum quod nullomodo extorsit, nec per se, nec per alium, quamuis intenderit extorquere: sed vsurarius mentalis nullomodo aliquid extorsit, nec occulte, nec manifeste, nec directe, nec indirecte, cum nullum interuenerit pactum, sed solum habuerit intentionē, ergo nō tenetur restituere. Et confirmatur. Is tantum tenetur ad restituendum, qui intulit damnum actu & reuera, vsurarius mētalis nulli intulit damnum actu, sola enim intentione concurrit, ergo nō tenetur. Eiusdem sententię facit Domi. Soto. Scotum, sed pace quod ipsius dixerim, Scotus, si textus eius consulatur, vt statim videbimus, non fuit huius opinionis.

Oppositum omnino docent pleriq; Canonistarū, & est communis inter ipsos: quēcunq; vsurariū mentalem, eorum quos in tertia obseruatione proposuimus, teneri ad restituendū. Ita docent ex Theologis Paluda. in 3. sent. dist. 37. q.2. ar.2. cōcl.5. Adriā. in 4. de restit. fol.51. col.3. Ioan. Almain. in 4. dist.15. q.2. art. peculiari de vsuris. Ex iurisperitis Hostien. Ioan. Andrea. Panor. in illo C. consuluit. & idem Ioann. Andrea in Mercurialib. cap. Peccatū. in fine. Et ibidē Philip. Franc. De regulis iur. in 6. glos. in illo c. Mandato. & ibid. Cardin. Florent. de simonia. Archidiac. in cap. Si feneraueris. 14. q.3. Lauren. de Rodulfis in repet. dicti cap. Consuluit. q.2. Alexan. concil. 93. lib. 6. Guido Papæ in tracta. de contract. illicitis nu.12. & 13. & alij quos refert Caballinus seu Molineus initio libri seu tractatus de vsuris num.7.

Probaturq; hæc sententia. Primo, Quodcunq; lucrū vsurariū est omni iure, & lege vtriusq; testamenti prohibitum, & consequenter restituendum, sed lucrū quod recipit vsurarius mentalis, quicunq; ille sit, est vsurarium, aliter enim non diceretur illud recipiens vsurarius, nec mentalis nec realis, ergo vsurarius quoque mentalis tenetur ad restituendum. Et confirmatur. Quia Papa in isto cap. Consuluit. Quemcumque vsurarium mentalem obligat ad restituendum, nec distinguit inter hos vel illos.

Secundo contractus à principio & in radice iniquus sortitur effectus iniquos, in vtroque foro, at contractus in quo interuenit vsura mentalis, quodcunque illud sit, est contractus iniquus, ratione illius vsuræ mentalis, ergo effectus ex tali mutuo sequutus, nempe lucrum ex tali mutuo receptū, iniquū erit, & consequēter restituēdū in quacumq; vsura mentali. Addunt hi Iurisperiti potissime Guido Papę & Almain locis citat. restitutionem istam esse faciendam pauperibus, quia vsurarius non potest illa retinere, cum inique acquirat, mutuatarius vero iam abdicauit á se dominium per illam actualem traditionem.

Communis vero sententia Theologorū. Gabri. in 4. dist.15. q.11. dub. penul. D. Antoni.2. part. tit.1. c.7. §.37. & tit.2. cap.5. §. penult. Syluest. vsura. cap.6. quęst.3. & 4. Caiet. in illo opusculo de vsura quæst.3. Soto lib.6. de iust. q.1. art.4. D. Nauarr. in c. 1.14. q.3. num.13. & omnium fere recentiorum interpretum D. Thom. cui & nos etiā subscribemus, habet vsurarium mentalem primo illo modo, quando scilicet animus vtriusque est deprauatus, teneri ad restituēdum lucrum illud vltra sortem ipsi mutuatario, à quo illud accepit. Vsurarium mētalē secundo modo, qui vere vsurarius nō est, quia gratis mutuauit, & tanquam gratis sibi datū accepit aliquid à mutuatario, posse illud retinere, quandiu manet in ipso illa bona fides, teneri vero ad restituendum, cū primum nouerit animum deprauatum mutuatarij, nec gratis dedisse, sed ex mutuo: Vsurarium vero mentalem tertio modo, qui accipit aliquid tanqum ex mutuo, mutuatario tamen lucrū illud conferente non tanquam ex mutuo, sed gratis & ex sola beneuolentia, teneri ad restituendum, quandiu opinatur illud non esse sibi collatū gratis, & libere, sed vi mutui, cum primū vero nouerit

nouerit gratis, & ex beneuolentia tantum mutuatarij fuisse illud sibi exhibitum, non teneri ad restituendum, sed ad pœnitendum tantum de sua iniqua & vsuraria intentione.

Eandem sententiam habuit Scotus in 4. distinct. 15. quæst. 2. art. 2. vbi sic scribit: *Solus animus sine omni pacto verbali, vel alio signo æquiualente ostendente debitori, quod mutuans non mutuaret sine spe lucri, non facit illum recipientem vltra sortem, sine pacto habere alienum, & ideo nec teneri ad restituendum.* Quę verba, licet prima facie videantur habere sententiam, quam diximus sequi Richardum, vt volunt Caiet. & Soto, attamen cum dicat illum mutuantem *non habere alienum*, loquitur profecto de vsurario mentali tertio modo, cui gratuita & libera donatione mutuatarius aliquid contulit. Is enim non recipit, neque habet alienũ, cũ mutuatarius gratuita illa donatione rem sic illi collatam faciat ei propriam, transferatque in ipsum illius rei dominiũ. Soli vero vsurarij mentales primo, & secundo modo dicendi sunt recipere, & habere alienum, cum redditum illis à mutuatario non conferatur ipsis gratis, & libere, sed ex mutuo, & quasi coacte ex vi mutui. Vnde in illis verbis, *solus animus sine vllo pacto verbali, &c.* non loquitur Scotus de animo mutuantis, sed mutuatarij quasi dicat. Solus animus mutuatarij conferentis aliquid non gratis, sed ex vi mutui, qui animus in eo solum est, cum mutuans gratis mutuat, nullum intendens lucrum ex mutuo, non facit accipientem aliquid vltra sortem habere alienum.

Sed iam, vt sententia quam sequimur, magis intelligatur. Sit Prima conclusio.

Vsurarius mentalis primo illo modo, quando animus vtriusq; deprauatus est, tenetur ad restituendum vsuras.

Patet hæc. Imprimis ex illo cap. Cõsulit. nam de hoc potissime vsurario ibi loquitur Papa, cum definiat vsurarium mentalẽ teneri ad restituendum, vsurarius vero mentalis proprie, & perfecte, ac potissime est, quando committitur vsura mẽtalis primo illo modo. Secundo omni iure vsura ita prohibita est, vt per ipsam non transferatur dominium lucri vsurarij in vsurarium, vsura mentalis est vere vsura, conuenitque illi propria & formalis ratio vsuræ, quę consistit in eo quod est recipere aliquid ex mutuo vi mutui: ergo in vsura mentali non transfertur dominium lucri vsurarij in vsurarium, sed tenetur ad illud restituendum, committitur autem vsura mentalis potissime illo primo modo, ergo talis vsurarius tenetur ad restituendum. Tertio. Omne lucrum acquisitum per iniustum & iniquum contractum, cuiuscunque generis talis contractus sit, est obnoxium restitutioni, vsura mentalis est iniustus & iniquus contractus, ergo quodcunque lucrum cũm vsura mentali acquisitum obnoxium est restitutioni. Et hanc partem probant efficaciter argumẽta illa Iuristarum. Vnde Dominus duo præcepta constituit prohibentia damnum temporale proximi: Septimum, quo prohibetur actus; *Non furtum facies.* Et Decimũ quo prohibetur animus. *Non concupisces rẽ proximi tui.*

Secunda conclusio. Quando vsura mentalis cõmittitur illo secundo modo, ex parte solius mutuatarij, Mutuans nullo modo peccauit accipiens vltra sortem lucrum sibi oblatum a mutuatario, nec tenetur illud restituere, quandiu manet in ipso illa bona fides, gratis & beneuole illud sibi datũ esse. Quam primũ vero nouerit animum iniquum, & deprauatum mutuatarij, datumque illud sibi esse ratione mutui, & non ex gratitudine, tenetur restituere id in quo factus est ditior.

Hæc conclusio habet duas partes. Prima, illum non peccasse perspicua est. Quia licet vnicuiq; accipere ab altero, quod sibi gratis, & ex mera beneuolẽtia datur: in hoc autẽ casu mutuans, quę sibi conferuntur à mutuatario, bona fide accipit, tanquã gratis & ex sola beneuolẽtia sibi exhibita. Vnde licite, ac sine vlla culpa accipit; & retinet durãte illa bona fide. Et cõfirmatur. Si mutuatarius nõ dedisset illa ratione mutui, sed ex sola beneuolẽtia & gratitudine, mutuãs tuta conscientia posset illa recipere, ac retinere, sed quãdiu in mutuãte existit illa bona fides, perinde res se habet ex parte mutuãtis, & quo ad cõscientiã ipsius, ac si mutuãs gratis & libere dedisset, & nõ ratione mutui, ergo tuta cõsciẽtiã recipit, ac retinet, quandiu perseuerat in ipso illa bona fides.

Probatur altera pars. Quicũq; tenetur aliquid restituere, aut tenetur ratione iniquæ acceptionis, aut ratione rei acceptę. Mutuãs in casu huius secũdę cõclusionis nõ tenetur restituere ratione iniquę acceptionis, cũ acceperit sub illa bona fide, quę sufficiebat vt licite acciperet: ergo quãdo nouit deprauatum animum mutuatarij licet teneatur quidem restituere, quia per donationem sibi factam non ex liberalitate, sed vi

mutui non est translatum dominium in ipsum, non tamen alio nomine quam sola ratione rei acceptæ: Qui vero tenetur ad restituendum ratione tantum rei acceptæ, non tenetur restituere, nisi res illa apud ipsum maneat, vel ratione illius sit factus in aliquo ditior, ergo mutuans, de quo in hac secunda conclusione agimus, solum tenebitur restituere, quam primum nouerit deprauatum animum mutuatarij, vel rem ipsam si maneat, & sit ex earum genere quę non consumuntur vsu, aut id in quo ratione illius rei acceptæ factus est ditior, si fuerit ex his quæ vsu consumuntur.

Tertia conclusio, *Mutuans tertio modo, animo nimirum & intentione recipiendi lucrũ ex mutuo, siquid illi conferatur a mutuatario, non tamen tanquam ex mutuo, sed ex sola beneuolentia & gratitudine, quandiu ignorat optimum animum illius, existimatque illud sibi datum esse ex mutuo, tenetur illud restituere: Quam primum vero nouit optimum animum mutuatarij, & gratis ac libere sibi datum esse, potest tuta conscientia illud retinere, nec tenetur ad restituendum, sed sufficit pœniteat de illa mala intentione, quam habuit accipiendi ex mutuo.*

Prior pars huius conclusionis patet. Quicunque iudicat ac credit se recipere alienũ tanquam lucrum vsurarium, ratione illius conscientię erroneæ tenetur, quandiu durat in ipso opinio illa, & conscientia, restituere, quia aliter ageret contra conscientiam, quod nullo modo licet, sed in hoc casu mutuans, donec intelligat optimum animum mutuatarij habet hoc iudicium & cõscientiam, nempe illud sibi dari vi mutui, & tanquam lucrum vsurarium, & consequenter iniquè se illud accipere, & esse alienum, ergo tenebitur illud restituere.

Alteram partem, circa quam est tota controuersia inter Theologos & Iurisperitos, docent non solum Theologi quos retulimus, verumetiam Scotus loco citat. sicut à nobis explicatus est, & nonnulli iurisperiti. vt Paul. Leaza. in Clement. prima. De vsuris. Antonius de Butrio. concil. 17. & Carol. Moline. in tractatu de vsuris. numer. 7.

Et probatur primo. Qui accipit alienum, non tenetur illud restituere, eo quod accipiat alienum, cum aliquando iuste accipiatur; sed quia ita accipiens intulit damnum proximo cum iniuria, vel proximus in illa acceptione habet minus quam debet habere: Sed in hoc casu nec est illata iniuria mutuatario, nec habet ipse minus quam debet habere, ergo cum primum nouit mutuans libere & gratis mutuatarium illud sibi dedisse, non tenetur ad restituendum. Maior certissima est ex dictis in materia de Restit. tom. 1. quæst. 62. Minor habet duas partes. Priorem sic ostendo. Nullus patitur iniustitiam, vel iniuriam, in eo quod libere vult, ac sine vllo genere deceptionis vel coactionis: sed mutuatarius in hoc casu confert lucrum illud omnino libere, & gratis, sine vlla deceptione vel coactione, ergo nullam patitur in eo iniuriam, vel iniustitiam: Probatur altera pars: Qui libere, & gratis exhibet alicui rem, quam potest pro libito conferre cui voluerit, non habet minus quam debet habere, quia libera illa ac voluntaria donatione transtulit rem illam à se, & cessit omni iuri, quod in illam habebat: Mutuatarius in hoc casu libera ac voluntaria donatione confert lucrum illud mutuanti, transtulit ergo eadẽ libera sua voluntate id quod dedit à se in mutuantem, & ex consequenti non habet minus quam debeat habere.

Secundo cum in hoc casu mutuatarius neque cogatur lucrum illud dare vi alicuius pacti expliciti, vel impliciti, neque animus eius sit dare illud vi mutui, sed gratis omnino illud conferat, tanquam verus illius rei dominus, & cui liberum est illius rei dominium in quem voluerit transferre, consequenter eo ipso quo gratis illud confert, transfert dominium illius rei in mutuantem, manetque mutuans vere illius rei dominus: nemo autem tenetur restituere rem cuius vere, & realiter dominus est.

Tertio si mutuans in hoc casu teneretur restituere, certe propter malam intentionem & deprauatum animum quem habuit, at propter talem animum in hoc casu non tenetur, ergo simpliciter non tenetur. Probo minorem: Si eo tempore quo recipit lucrum illud à mutuatario, haberet quidem malum animum, concupisceretque illud lucrum tamquam ex mutuo, nihilominus certo sciret mutuatarium gratis, & omnino libere illud dare, non teneretur ad aliquã restitutionẽ, quia recipit alienũ (etsi cũ illo malo animo) domino tamen libere cõsentiente ac volente, ergo eo ipso quo mutuatarius gratis & libere dedit, etsi ipse habuerit malum animum, quã primum vero nouit liberam & voluntariam donationem fuisse, non tenetur restituere, sed potest retinere

tinere

tinere vt vere suum, per contractum quo res illa dari ipsi potuit, & effici sua, solum que tenebitur pœnitere illius mali animi.

Quarto, qui accepit quod antea illi alienum erat existimans adhuc illud sibi alienum esse, ac inique se illud accipere, cū tamen iā in ipsum a vero domino illud translatum sit, vel donatione, vel legato, &c. quamuis peccet quidem ex mala intentione, at cum primum nouit rem illam suam esse, & a vero domino sibi collatam, nō tenetur illam restituere, sed pœnittere tātum illius mali animi, & intentionis. Mutuans autem de quo hęc tertia conclusio eodem omnino modo se habet, accepit enim tanquam alienum & ex mutuo, quod sibi a vero domino qui poterat illud conferre, gratis & libere fuit collatum, & ea donatione effectum vere ipsius ergo licet ipse prius habuerit illum malum animum & intentionem, cum primum tamen nouerit gratam & liberam donationem mutuatarij, non tenebitur illud restituere, sed pœnitere tantum illius iniquę intentionis.

Quinto, hic mutans, vt ex argumento quo probata est prior pars huius tertiæ cōclusionis patet, non alio nomine tenetur, restituere, nisi propter conscientiam erroneam quam habet, iudicans lucrum illud non gratis sibi datum, nec libere, sed vi mutui, at qui tenetur ad aliquid præstandum, non tamē absolute, & simpliciter, & a parte rei, sed ex conscientia erronea, deposita illa conscientia & errore suo, non tenetur, iuxta cōmune axioma Theologorum Conscientia erronea deposita non ligat: deponitur autem, quamprimum nouit gratis, ac libere illud sibi datum esse, & nō ex mutuo, neque ratione mutui: ergo. Explicatur magis maior ex dictis pręcedenti argumento: Etenim qui furatur rem suam iudicans, ac credens alienam, quandiu habet illud falsum iudicium & consciētiam erroneā, quā arbitratur se accepisse alienum, tenetur ad illud restituendum, cum primum vero nouit errorem, ac deceptionem suam, ac illud suum esse, non tenetur.

Aliqui authores oppositæ sententiæ videntes vim harum rationum respondent, mutuantem, de quo nunc agimus, non teneri simpliciter, & a parte rei ad restituendum lucrum acceptum, quando nouit gratis illud sibi datum, teneri tamen ex precepto Vurbani in cap. illo. Cōsuluit. Quę solutio ridicula est, & imperita. Pontifex enim non imponit nouum vinculum vsurariis, sed consultus, an vsurarij mentales teneantur ad restituendum, respondet id quod ex natura rei & simpliciter illi debēt, nempe teneri, non enim fuit postulatum á Papa, vt obligaret eos, sed quæsitum, an tenerētur ex natura contractus, respondet que teneri, quando ex vi mutui aliquid illis datur.

Quarta conclusio. *Vsurarius mentalis, de quo in his conclusionibus, vbi tenebitur ad restituendum iuxta modo dicta, non tenetur restituere pauperibus, (vt volunt nonnulli Iuris periti,) sed ipsimet mutuatario a quo accepit.*

Probatur optime a Caietano. Quando apparet verus dominus, vel hęres rei alienæ, quę restituenda est, restitutio non est facienda pauperibus, sed vero domino, vel hæredibus illius, pręterquām in duobus euentibus communi DD. consensu in 4. dist. 15. quando scilicet aliquid acceptū est a Simoniaco, vel Asasiuo, lucrum vsurarium, nec petinet ad simoniam, neque ad crimen asesini, ergo quando restituendū erit, restitutio illius non est facienda pauperibus, sed vero domino, vel hæredibus illius.

Secundo, acquisitum per simoniam restituendum est Ecclesię, vel pauperibus, & non illi qui dedit, tum quia is qui dedit, abdicauit iam a se illius rei dominium, tum quia in pœnam sui delicti iuste statuit lex Ecclesiastica, vt dominio illius rei priuetur, & ita fit vt non restituatur illi, tanquam iuste re illa exspoliato, sed pauperibus, vel Ecclesię, cui iniuria facta est: At in hoc casu mutuatarius non abdicauit a se dominium illius lucri, cū coacte, & nō volūtarie illud dederit vsurario, nec est aliqua lex Ecclesiastica, vel ciuilis quæ mutuatarium priuet receptione lucri quod dedit, & præcipiat illud dari pauperibus.

Denique non minus committitur iniquitas vsuræ in vsura reali, quam in mentali, sed in reali restitutio non est facienda pauperibus, sed ipsimet mutuatario qui dedit, adeo vt detur ipsi actio in iudicio ad repetendum, ergo & in mentali non erit facienda restitutio pauperibus, sed ipsimet mutuatario qui dedit.

Nunc ad argumenta in oppositum.

Imprimis ad illa Richardi, & Orbellis.

A dprimū ex cap. Mādato. de simonia. respondent quidam, vt refert Soto, Vrbanū in cap. Consuluit. loqui de iudicio animarum, & foro conscientiæ, in quo vsurarius mentalis tenetur ad restituendum, Grego-

rium vero nonum in illo cap. Mandato. loqui in foro exteriori, in quo Simoniacus mentalis non compellitur ad restituendū, cum in foro exteriori, crimina mentalia occulta sint, nec iudicentur. Sed hæc solutio non est admittenda: cum Gregorius 9. absolute loquatur, & a parte rei doceat, simoniacum mentalem non teneri ad resignandum, qui vero ita non tenetur a parte rei, nec tenetur in foro conscientiæ.

Soto respondet cap. illud Mādato. nihil aliud sibi velle, quam vt si quis obsequia, vel munera Episcopo, vel Abbati obtulerit, & illorū intuitu & interuentu obtinuerit beneficium, vel sit susceptus in aliquo Ordine, deinde vero intelligat beneficium illud collatum sibi esse ab Episcopo, vel se susceptum in Ordine, non ratione illorum munerum, sed propter sua merita, vel alia causa, vbi illud nouerit, non teneri ad resignandum beneficium illud, vel egrediendū ab Ordine. Si vero intelligat collatum fuisse sibi beneficium illud, vel se fuisse admissum ad ordinem propter illa munera, teneri ad resignandum beneficium, vel dimittēdum Ordinem illum, sicut diximus de mutuante animo deprauato, cui tamen a mutuatario gratis & libere aliquid exibetur vltra sortem, iuxta tertiam cōclusionem hic positam. Quanuis res (inquit Soto) sit magis dubia in simonia, quam in vsura, cum in simonia mentali transferatur dominium beneficij per collationem Episcopi, in vsura vero mentali non transferatur dominiū lucri vsurarij per exhibitionem mutuatarij, nisi libere & gratis illud conferat.

Sed hæc explicatio licet verum contineat, veruntamen non est accommodata, cū Gregorius in fine illius capitis dicat Monachos qui per simoniam dato aliquo munere Abbati locum in monasteriis sunt adepti, *nullo quidem pacto, sed affectu animi præcedente (ita vt vtrinque,* id est locus spiritualis a monacho, & munera illa ab Abbate *taliter*, id est cum tali affectu animi *acquiratur)* cōmittere quidem simoniam mētalem, sed pro ea non teneri ad aliquā restitutionem, vel resignationem, nec Abbatē ad restituenda illa munera, nec monachū ad resignandum, vel dimittendum locum adeptum in monasterio, *sed sufficere his qui ita deliquerunt, vt per solam pœnitentiam suo satisfaciant creatori.* Vbi aperte Pontif. loquitur de Abbate, qui recepit aliquem ad monasterium intuitu munerum, & de ingresso monasterium offerente munera cū simili intentione deprauata: ita vt ex parte vtriusque, & vtrinque, vt ibi ait Papa, committatur vere simonia mentalis.

Adrian. in 4. in q. de Vsura respondet: Cum restitutio simoniaci pretij sit facienda Ecclesiæ, & conferenda in bona Ecclesię, Papā qui bonorū Ecclesię dominus est, supremusq; administrator, illam remittere: & sic simoniacū mentalem non teneri ad restituendum, restitutionem vero lucri vsurarij Papam non remittere, sed faciendā esse necessario & omnino ipsi mutuatario tanquam vero domino: quia cum vsurariū lucrum sit bonum temporale, cuius Papa neque dominus est, neque administrator, nec remittit illius restitutionem, nec potest remittere, & propterea docet in cap. Consuluit. necessario esse faciendam. Quæ explicatio etsi verum quoque habeat, accommodata tamen non est. Quia in illo cap. Mandato. non petitur a Papa vt remittat illam restitutionem simoniæ, sed an admissus ad religionem per simoniam mentalē possit in ea tuta conscientia permanere, & Abbas qui per simoniam illum admisit, teneatur tanquam simoniacus suæ Abbatiæ renunciare. Respondetque Gregor. simoniam illam mentalem ab vtroque commissam pœnitentia purgari. Neque teneri ob eam, vel Abbatem ad resignandā suam dignitatem, vel monachum illum ad dimittendum locum adeptum in monasterio.

Glosa quę apud Iurisperitos magnę est authoritatis in istud cap. Mādato. habet loqui ibi Gregorium, de eo qui nullo dato pretio, vel re aliqua temporali, nulloq; interueniente pacto, sed solo affectu aliquid dandi commisit simoniam: & hunc, cum reuera nil dederit, declarari a Gregorio fuisse quidem simoniacum mentalem propter illam deprauatam intentionem, & affectum, & teneri ad pœnitendum, non tamen ad resignandum, cum nullum pretiū vel pactum interuenerit. Sed hæc glosa repugnat aperte textui, cum in principio illius cap. dicat Papa se loqui de monachis, *qui per simoniam dato aliquo in monasteriis locum sunt adepti*, quæ vox dato aliquo significat aperte aliquid temporale illos exhibuisse pro ingressu monasterij.

Caietanus, quem sequuntur multi recētiores, respondet, simoniacum mentalem intēdere vendere, & emere, idq; vltronee, ita vt tam qui vendit rem spiritualem, quā qui dat temporalem, voluntarie & nō inuitus illam conferat, quia hoc est proprie vēditio

ditio vel emptio rei spiritualis pro temporali: & cum natura cōtractus emptionis & venditionis sit, vt per illum trāsferatur dominium, in rebus quæ pretio æstimari possunt, ideo vendentem rem spiritualem, cū pretio æstimari posit, transferre dominiū illius in emptorem, & emptorem transferre dominium pretij temporalis, quod pro re illa spirituali dedit, in venditorem, & sic neutrum teneri ad aliquid restituendum, vel resignandum, In vsura autem, quę vere & formaliter est vsura, non transferri (vt vidimus) dominium, & cum vsura mētalis sit vere & proprie vsura, propterea quando id quod datur, non datur gratis, sed ex mutuo, ideo vsurarium mentalem ad restituendum, tanquam habentem rem alienam, cuius dominium in ipsum translatum non est. Sed contra hāc solutionem offert se statim: Verum quidem esse simoniam esse emptionem & venditionem, & in eo cōsistere rationem & iniquitatem ipsius, verū etiam esse per emptionis & venditionis cōtractum transferri dominium rei venditæ in emptorem, & dominium pretij in venditorem, sed hoc tamē habet locum in emptione & venditione iure prohibita, ac nulla, qualis est simoniaca venditio. Tū etiam sicut mutuatarius dat inuitus, ita & simoniacus, quia non potest beneficium gratis obtinere, etenim si gratis posset, reuera nihil tale daret.

Vnde cum Gregorius 9. in isto cap. Mādato, alludat ad Concilium Lateranense, vbi edita fuit Decretalis illa. Quoniam simoniaca labes. Ex illa decretali & quæstione proposita Gregorio in isto cap. Mandato, erit huius difficultatis solutio petenda.

Res ergo sic habet. Cum in nonnullis monasteriis, sub prætextu paupertatis nollent aliquæ Abbatissæ recipere moniales, nisi præter dotem aliquid aliud cōferrent temporale monasterio pro ingressu illius. Et similiter aliqui Abbates nollent recipere aliquos ad monachos, sub eodē prætextu paupertatis, definitum fuit in illa decretali: Quoniam simoniaca labes, sic agentes cōmittere simoniam, & grauiter puniendos, priuandosque officiis ac dignitatibus, & sic receptos ab illo monasterio esse excludendos, & in alio arctiori incarcerādos, &c. Accidit vt in quodam conuentu Cistersiensi quidam Monachi fuerint recepti dato munere temporali pro ingressu monasterij, nullo pacto expresso, vel tacito interueniente committentibus tam Abbate qui illos recepit, quam hi qui monasterium illud ingrediebantur simoniam mentalem, licet non realem. Deinde cōscientia accusante illos de illa simonia mentali miserūt ad Gregorium 9. vt eos absolueret, ac dispensaret cum ipsis in pœnis appositis in illa decretali Concilij Lateranen. Quoniam simoniaca labes. Gregorius mandauit, vel Generali illius Ordinis, vel Episcopo vicinori, vt imposita illis salutari pœnitētia in foro animæ dispensaret cum illis Monachis, Porro cum in illo mandato solum meminisset Gregor. illorum Monachorum, minime vero Abbatis, qui simoniam quoque incurrerat & pœnas illius decretalis, dubitatum fuit, & quæsitum rursum a Gregorio, an dispensatio illa extenderetur etiam ad Abbates, vel pertineret ad solos Monachos receptos. Respondetq; ad omnes pertinere, & animi sui fuisse in illo mādato, committere illi cui mandatum misit, vt non solum dispensaret cum illis Monachis, ne eiicerentur ex monasterio, verum etiam & cum Abbatibus ne tenerentur ad resignanda officia, vel dignitates spirituales, aut temporales, vel restituendas res, quas monasteria illa acceperant. Vnde in illo cap. Mandato, nihil minus habetur, quam simoniacum mentalem non teneri ad restituendum, vel resignandum, sed Gregoriū in casu illo particulari illorum Monochorum, & Abbatum cum vtrisque dispēsasse. Quod (vt videbimus) q. 110. tomo 3. domino sua diuina clementia illud nobis concedente agentes de simonia, optime potuit. Ex quo potius sequitur simoniacum mentalem teneri ad restituendum, & resignandum, cum illi Abbates & Monachi, qui simoniam mentalem commiserant, indiguerint dispensatione ne ad id tenerentur. Cur autem Pōtifex in restitutione simonie posit dispensare, quod non potest in restitutione vsurę explicauit optime Adrianus quol. 9. in solutione, quam iam ex ipso retulimus. Et copiosius explicabitur á nobis in quęstione illa. 100. de Simonia.

Noui recentiores aliquos & peritos viros quæstionem hanc ita explicare, Cum referat plurimū ad Ecclesię vtilitatem, vt ministri ipsius vera conferant sacramenta, quod non facerent multoties, si simoniacus mentalis teneretur ad resignandum beneficium, cum simonia mentalis facile multoties committatur, ideo ob bonum commune Ecclesię, & veram administrationem Sacramentorum Ecclesiam remittere simo-

niaco

niaco mentali resignationem, & restitutionem: vsurario vero non remittere, quia quod pertinet ad vsurarium) nihil facit ad Ecclesiæ vtilitatem, & commodum. Id certe satis acute dictũ est, sed nescio an satis vere, quia simoniacus mẽtalis conferẽs aliquid temporale non gratis & libere, sed tanquam pretium rei spiritualis, ita vt vere & realiter simoniacè recipiat beneficium, & exhibeat pro illo pretium, etiam si nullum pactum tacitum vel expressum, interueniat, tenetur ad resignãdum beneficium sic acceptum, neque ob Ecclesię vtilitatem habet vere titulum, & ius illius beneficij, licet sacramenta quę administrat, vere administret: quia ad exercitium iurisdictionis (vt ibi dicemus) non exigitur titulus, vel ius beneficij, sed sufficit vt toleretur ab Ecclesia, sicut excommunicatus, quandiu ab Ecclesia toleratur, vere confert sacramenta.

Ad secundum Respondeo, lucrum vsurarium quod non exhibet mutuatarius gratis, sed ex mutuo, eo ipso quo non confertur illud gratis, esse extortum per vsuram occultam, & mentalem: ac ita fieri, vt per vsuram etiam mentalem, quamuis interius illa committatur, inferatur damnum, & cũ iniuria, in casu primæ, & secundæ conclusionis a nobis positę: Quia accipitur in tali vsura lucrũ ex mutuo, eo autem ipso quo accipitur ex mutuo, quamuis sine pacto, cõfert illud mutuatarius coactus, & cum iniuria.

Ad argumenta Canonistarum quatenus repugnant tertię conclusioni hîc positæ respondeo. Ad primum, lucrum vsurarium (vt optimè docet Caiet. loco cita.) duplex esse, aliud formaliter & per se, quod scilicet non datur gratis & libere, sed ex mutuo; aliud quod simpliciter & per se non est lucrum vsurarium, sed per accidens & ex falso iudicio & opinione accipientis, vt quod datur gratis omnino & libere, accipiens autem suo falso iudicio existimat dari sibi ex mutuo: Quo posito iura omnia damnant quidẽ prius illud lucrum, quod vere & formaliter est vsurarium, prohibentque translationem dominij in illo, & obligant simul ad illud restituendum: lucrum autem quod reuera nõ est vsurarium, nec datum vi mutui, sed gratis omnino & libere non prohibent, nec dãnant, nec impediunt illud transferri in accipientem, nisi sola ratione conscientiæ suæ erroneę, quandiu iudicabit illud sibi ex mutuo tradi: qua cõscientia deposita & intellecta rei veritate, potest illud vt vere suũ retinere. Eodẽ modo explicandũ est cap. Cõsuluit. Loquitur enim ibi Papa de vsurario mẽtali, cui vere datur lucrum ex mutuo, & cuius lucrum vere vsurarium est simpliciter, & per se, datumq; vi mutui, & non gratis.

Ad secundum respondeo, effectum contractus iniqui esse iniquum, & restituẽdũ: in casu autem tertię conclusionis lucrũ illud a parte rei, & per se non est effectus cõtractus vsurarij, cum non detur a mutuatario vi mutui, sed vt effectus liberę & gratuitę donationis, cum gratis & ex mera beneuolentia conferat illud mutuatarius. Quod si accipiens existimet illud esse effectũ vsuræ, quandiu ita existimat, restituat, cum primum verò nouit non esse effectum vsuræ, & liberatur ab illa deceptione, deponat erroneam conscientiam, & retineat. Vnde lucrum ex contractu iniquo est quidem obnoxium restitutioni, hoc autem lucrum non est ex contractu vsurario, sed ex libera & gratuita voluntate donantis.

Ratio demum, qua ostendebant restituẽdum esse pauperibus, nullam habet vim, cum mutuatarius coacte illud conferens non abdicet à se dominium.

Denique obseruãdum hîc est, quãdo vsurarij, vel ipsorum hęredes vel cooperatores tenentur ad restituendum, ignorant tamen quibus sit facienda illa restitutio, propterea quod non appareant mutuatarij, vel hæredes illorũ, aut illos omnino ignorent, conuertendam esse illam pecuniam in opera pia: ex consilio Ordinarij. Quamuis enim primo tom. q. 62. art. 5. dixerimus in aliis debitis concilium quidem esse optimum, non tamen necessarium conuertere illam in vsus pios ex consilio Episcopi: in vsuris tamen non solum est optimum, verum etiam & necessarium, vt colligitur aperte ex cap. Quamquam. De vsuris in 6.

Denique illud circa hunc art. explicandum manet.

Controuersia Vltima.

QVIS SIT COMPETENS *iudex in causa vsuraria, Ecclesiasticus ne, an secularis?*

AB HAC Quæstione, cum ad Iuristas magis illa quã ad Theologos pertineat, paucis me expediam. Sunt qui existiment ad iudicem

iudicem Ecclesiasticum pertinere quidem definire, ac declarare in re dubia quando committatur vsura, punitionem vero huius delicti ad iudicem secularem spectare, & eiusdem authoritate ac præcepto, vbi solutæ fuerint vsuræ, illas esse repetendas, ac restituendas. Prius illud ostendunt ex cap. Illo vos. De pignor. vbi Innoc. 3. explicat fuerit ne cõtractus quidam vera venditio, vel impignoratio vsuraria, & ex cap. Ad nostrã. De emptio. & vẽditio. explicat similiter idem Innocentius contractum quẽdam vsurarium fuisse, licet sub nomine & prætextu venditionis fuerit celebratus. Posterius vero docent ex cap. Post miserabilem. De Vsuris. vbi præcipit Pontifex cõpellẽdos esse Iudæos vsurarios per Principes Christianos ad remittẽdas vsuras Christianis. Vbi iudicium vsurarium, quo ad illarum repetitionem & restitutionẽ, Principibus & Iudicibus secularibus tribuitur.

Verior tamen & communior DD. tam Theologorum quam Canonistarum sententia docet, vbi fuerit apertum contractum aliquem vsurarium esse, huiusmodi delictũ esse misti fori: ita vt sit locus preuentioni, posseq; huius delicti reũ, vbi non vertitur in dubium illum commisisse vsuram, tam ex mandato iudicis Ecclesiastici, quam secularis compelli ad restitutionem vsurarũ, si quas acceperit, & ratione illius delicti puniri. De iudice seculari probat illud recte textus ille in cap. Post miserabilẽ. De Vsuris. De Ecclesiastico vero, probatur etiam ex illo cap. Tua nos. Eod. tit. vbi Alexand. 3. præcepit, ad vsuras restituendas tam filios & hæredes vsurariorum esse compellẽdos, quã ipsos vsurarios. Neq; in illo cap. Post miserabilem, dicitur Iudæos vsurarios esse compellendos a Principibus Christianis ad remittendas vsuras Christianis; quasi careat Ecclesia authoritate iudicandi vsurarios, & puniendi illos, ac compellendi ad restitutionem vsurarum, sed quia Iudæis, de quibus ibi habetur sermo, viuentibus in locis & Prouinciis Principibus Christianis subiectis, nequit Ecclesia, quæ infidelium iudex non est, iuxta illud B. Pauli. 1. Corinth. 5. *Quid mihi de his qui foris sunt iudicare*, illud præcipere: Cæteris vero fidelibus & propositis pœnis illud præcipere potest. Etenim cũm vsuraria iniquitas omni iure prohibeatur, quatenus naturali & ciuili interdicitur, possunt seculares Principes & Iudices vsurarios punire: quatenus vero diuino & Ecclesiastico prohibetur, possunt etiam Prælati & Ecclesiastici Iudices in eos animaduertere. Vbi res vero dubia fuerit & anceps, vtrumque pertinet ad Ecclesiasticum iudicem, & declarare, an contractus ille in iudicium Ecclesię tanquam suspectus de vsura vocatus vsurarius sit, & reum vsuræ, si in labem iniquitatis vsurariæ inciderit, ad restitutionem compellere, ac punire. Quæ omnia cum communi vsu tribunaliũ Ecclesiastici & secularis ita obseruetur: pluribus in hac parte opus nõ est.

ARTICVLVS IIII.

Liceat ne accipere mutuum ab vsurario.

AD HVIVS Quęstionis (de qua Magister & scholastici in 3. sent. dist. 37. & Iurisperiti in cap. Super eo. De Vsuris) explicationem, cõstituit D. Thõ. hęc duo tanquam certissima fundamenta.

Prius est, nulla ratione licere alicui inducere alium ad peccandum: Dicitur autẽ inducere alium ad peccandum, qui consilio, suasione, vel aliqua alia via occasionẽ offert proximo committendi peccatum, ad quod non erat paratus, nec instituebat illud committere: Hoc primum fundamentum certissimum est. Primo, quia scandalũ actiuum in re graui est peccatum mortale, cũ sit causa ruinæ fratris, inducere autem alium ad peccandum est scãdalum actiuũ. Secundo, quia cooperari peccato alterius, & cõcurrere ad illud est committere idem peccatum, & mereri eandem pœnam iuxta illud B. Pauli Rom. 1. *Quoniam morte digni sunt, non solum qui talia faciunt, verumetiã qui consentiunt facientibus*: Qui vero inducit fratrem ad aliquod peccatum mortale, non solum consentit in illud, verumetiam cooperatur illi, & concurrit ad illud.

Posterius est, licere vti peccato eius qui ad illud committendum paratus est, quando peccatum illius cedit in bonũ aliquod. Probat illud d. D. Thom. Primo exemplo Dei, qui vtitur peccatis hominum ad aliquod bonum iuxta illud D. Augustini in Enchirid. cap. 11. *Summa Dei sapientia nulla in nobis permitteret mala, nisi nosset ex illis maxima elicere bona.* Secundo ex eodem Augustino, qui Epistola 154. quæ est ad Publicolam, quærenti liceat ne vti iuramẽto Pagani,

gani, qui per falsos Deos iurat; & sic iurans peccat, cum diuinum illis tribuat honorem & reuerentiam, respondet: *Qui vtitur fide illius, qui per falsos Deos iurat, nō ad malum, sed ad bonum, nequaquam peccato illius se sociat, quo per dæmonia iurauit, sed pacto eius bono quo fidem seruauit.* Vnde similiter, qui vtitur peccato alterius ad suum bonum, nequaquam seipsum sociat, aut cooperatur iniquitati illius, sed solum vtitur actione illius ad bonum, ad quod illa indiget. Tertio probat ab exemplo: Siccario enim parato ad rapienda bona, vel occidēdum, licet ostenderet bona quæ rapiat, ne occidat. Hoc enim nomine cōmendantur Hiere. 41. honesti quidā ciues Hierosolimitani, qui Ismaeli magno siccario ostēderunt thesauros quos raperet, ne illos occideret: in hoc autem casu ostendēs thesaurum latroni, quem scit certo rapturum illum, non peccat, quia non inducit illum ad rapiendum, sed cum sit ille iam paratus ad rapinā, vtitur iniquitate & cupiditate eius ad bonum, ne scilicet occidat.

Ex his respondet D. Tho. sub duplici cōclusione: prior est.

Nulla ratione licet inducere aliquem ad conferendum mutuum sub vsuris.

Patet ex primo fundamento. Quia dare sub vsuris est peccatum mortale omni iure prohibitum, nulli autem licet inducere fratrem ad peccatum aliquod mortale cōmittendum.

Posterior conclusio.

Ab eo qui paratus est dare cum vsuris, sic illas exerceas, vt non soleat aliter mutuare, licet accipere mutuum sub vsuris: modo accipiatur illud propter aliquod bonum, nempe subuentionem propriæ necessitatis, vel alterius.

Probat hanc D. Thom. Quia accipiens mutuum ab vsurario ita parato, & solito exercere vsuras, nō inducit illum ad fœnerandum, sed vtitur iniquitate, & cupiditate illius ad bonum, quod vt constat ex secundo fundamento, licet.

Circa primam conclusionem huius artic. simpliciter & absolute sumptam, extra casum scilicet extremæ necessitatis nulla est controuersia. Offert se tamen non leuis dubitatio.

Controuersia 1.

AN IN EXTREMA NECESsitate existens, quā euadere nō potest, nisi inducens diuitē ad vsurariam mutuationem, possit illū ad eā inducere?

QVAESTIO Hæc pendet apertè, ex illa quam Caiet. & multi hoc loco disputant, nec præter institutum.

LICEAT NE CONSVLERE minus malum, ad vitandum maius, quod frater paratus est omnino perpetrare?

EXEMPLVM est familiare. Noui Ioannem firmiter deliberasse occidere Petrum, paratumque esse ad committendum homicidium illud, cum primum poterit, licebit ne mihi suadere illi, vt minorem de Petro sumat vindictam, colapho vel fuste, vt hac ratione auertam homicidium illud, cū omnibus prius tentatis, nequeam alia via commodiori illud prohibere.

Partem negantem docet Gabr. in 4. distinct. 15. q. 11. dub. 4. adducitq; in suā sententiam testimonium D. Thom. asserentis præsenti artic. nullo modo licere inducere aliquem ad mutuandum sub vsuris, subscribunt illi Caiet. in commento. huius artic. Conrad. De Contract. q. 26. coroll. 1. Couarr. in Epito. De Sponsalibus. 1. p. cap. 4. num. 9. circa finem, Quam sententiam vt explicet Caiet. cōstituit differe plurimum inducere aliquem ad minus malum committendum, vel offerre, seu proponere alicui materialiter tantum materiam minoris mali, vt auertatur a maiori. Hoc posterius (inquit) licet. Et hoc præstiterunt decē illi viri Hiere. 41. qui Ismaeli volēti ipsos occidere indicarunt thesauros, quos habebant, ne eos occideret: hi enim non consuluerunt Ismaeli rapinam aliquam, sed obtulerunt solum & proposuerunt illi materiam minoris mali, quo auerterent illum a maiori: Quemadmodum cum siccario dicunt, vt solēt, & licite viatores, offeremus tibi nostras pecunias ne occidas nos, non inducunt illum ad rapinam, sed solum offerunt illi materiam minoris mali. Prius vero illud quod est consulere, aut inducere fratrem ad minus malum nullo modo licere, neq; vt ea ratione auertatur a maiori cō mittendo.

Quod ita probant. Primo ex B. Paulo Rom. 3. *Non sunt facienda mala, vt inde veniant bona,* sed consulere, vel inducere aliquem ad quodcūque malū, esto sit minus, quā illud ad quod alter est paratus, est malum: ergo nullo modo licet. Probatur minor,

nor, Quia consulens, vel inducens ad malum aliquod, quacunque ratione inducat ad illud, concurrit efficienter, & est velut causa moraliter influens illius mali, & cooperatur illi.

Secundo, quod non licet alicui facere, nec licet illi consulere, cum is qui consulit (vt modo dicebã) cooperetur, & quod non licet operari, nec cooperari: Sed is cui consulitur minus malum, non potest concilium illud accipere, neque eo vti, cum nullo modo liceat malum aliquod facere, neque minus ad vitandum maius, ergo nec licet illi ita consulere.

Tertiò, si liceret consulere minus malũ ad vitandum maius, liceret quoque facere minus malum sub eodem fine, ad desistendum scilicet a maiori: at hoc non licet, ergo neque illud. Probatur Maior, Quando duo similiter cõcurrunt ad aliquod opus, quod licet vni licet & alteri, sed cõmittens malum aliquod, & inducens suo concilio ad illud concurrunt efficienter ad idem, ergo si consulens illud non peccat, quia sic consulit propter bonum finem, nec exercens illud sub eodem fine, ne scilicet incidat in maius, non peccabit. Et confirmatur. Quia si consulens minum malum eo fine non peccat, quia illud minus malum est bonum alteri, qui grauius ledendus erat, similiter exercere minus malum, desistendo a maiori, bonum etiam est, ei qui maius erat commissurus. Quod si dixeris nullum malum esse licitũ, nec propter finem bonum, & ita nec licere facere minus malum, vt desistatur a maiori, similiter dicam nullum quoque malum consulendum, sed quodcunque dissuadendum omnino.

Quarto Gene. 19. Loth offerens filias suas Sodomitis ne in hospites eius nefariũ illud scelus committerent, eo nomine liberatur, & excusatur a peccato, quia non cõsulebat illis strupum filiarum, neque inducebat illos ad aliquod malum, sed proponebat tantum illis materiam minoris mali, offerens illis filias, vt auerterentur a scelestissimo illo facinore, maioriq; malo: Vnde si factum illud Loth fuisset cõsulere: aut inducere illos ad strupum filiarum: esto ita ageret ad vitandum maius crimen, nõ posset excusari a peccato, Quod autem Loth non intenderit consulere illis strupum filiarum, probat Caiet. Quia si illud consuluisset, non fuisset in eo casu iustus, vocatur autem iustus 2. Petri 2, vbi alludens B. Petrus ad hoc factum Loth, vt habet ibi Glosa, sic de illo loquitur: *Et iustum Loth oppressum a nefandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit: aspectu enim & auditu iustus erat.*

Quinto argumentatur Conrrad. Cõsensus in peccatum alterius, etiam si habeatur propter bonum finem, peccatum est, sed qui consulit alteri minus malum, consentit in peccatum quod ille cõmittet exercẽdo illud minus malum, ergo peccat. Maior certa est: Probatur Minor. Quia is qui consulit, aut vult illud fieri ab eo cui prebet concilium, aut secus: si primum, consentit ergo in peccatum alterius, si secus, non ergo vere consulebat, sed simulatorie, hic autem agimus de eo, qui vere & ex animo consulit minus malum ad vitandũ maius. Adde quod talis simul ratio in re graui nõ est immunis a peccato. Et confirmatur: Qui vult alium peccare peccat, sed qui cõsulit minus malum, etsi nollit fratrem malus peccatum, ad quod perpetrandum paratus erat, committere, vult tamen illum committere, ac peccare illud minus, ergo peccat.

Denique, idem est consulere sibi ipsi, quod consulere alteri; sed qui perpetratur minus malum, consulit sibi ipsi illud minus malum, neque excusatur, quia ita sibi consulat ad vitandum maius, ergo neque qui alteri consulit minus malũ excusabitur a peccato, eo quod ita consulat ad vitandum maius.

Oppositum docent Adria. quol. 1. q. 2. Soto lib. 6. de iust. q. 1. ar. 5. Angel. in verbo Vsura. 2. §. 2. & ex Iurisperitis Innoc. in cap. Super eo. De Vsuris. & ibidem Panormit. Nauar. in Manuali cap. 17. num. 263. & idem Caiet in Summa in verbo Tyrannis, vbi habet expresse: *Luxurioso sancte consulitur, ne adulteretur, sed fornicetur.* Et in opusculo decemet septem Responsionum, Respon. 13. ad tertium dubium, in quo fuit quæsitum ab ipso, qua ratione affirmet in hoc art. nullo modo licere inducere ad minus malum, etiam paratum, inferius vero q. 65. art. 8. in quinta causa duelli, videatur docere licere inducere, vt peccet minus? Respondet his verbis: *Aliud est inducere ad totum hoc, scilicet minus malum, & solum inducere ad minus: Primum nũquam est licitũ, & hoc in priori loco dicitur: secundum non solum est licitum, sed sanctum, & Angelorum officium, & hoc in secundo loco dictum est.* Quasi dicat, non licere inducere proximũ

ad malum aliquod absolute & simpliciter, neque maius neq; minus: at si paratissimus ille sit aliquod malum perpetrare, licere tunc inducere illum ad minus, quia tunc non induco ego illum ad malum, cũ ipse vitio suo paratissimus sit ad illud, sed id tã tũ præsto, vt exerceat minus: Hanc vero esse mentem Caiet. in ista responsione explicant aperte sequentia verba eiusdem, habet enim. *Et hinc fit, vt adulterum, quem aliter non valemus retrahere, ad simplicem fornicationem licite prouocemus, non hortando, vt fornicetur, sed si suæ vult satisfacere voluntati, alieno non iniurietur toro: Nec tamen oportet huiusmodi conditionales semper exprimere, sed sufficit quandoque eas mente retinere, pro loco & tempore, vt sapiens iudicabit: hoc enim non est inducere ad malum maius vel minus, sed est secundum rem retrahere a malo maiori. Fitq; frequentissima exercitatione hoc a redimentibus vexationem suam: vt fecerunt illi decem viri apud Hierem.* 41. Vnde mutauit profecto Caiet. sententiam, aut, cum in hoc art. vtatur verbo isto inducere, in summa vero verbo consulere aliquid aliud forsan voluit (vt inquit Soto) significare hoc verbo inducere, quam significetur verbo illo cõsulere, At cum inter has voces nullum reuera sit discrimen, hoc non est censendum Caiet. excogitasse, sed mutasse omnino sententiam, cum in responsione ista citata vtatur quoque verbo illo inducere.

Cæterum quidquid Caiet. in hac parte senserit, hęc est communis inter recentiores DD. quin potius sanctorum Patrum doctrina, duobis seruatis, quæ recte considerauit Soto.

Prius est, vt is cui malum consulendum est, certo cognoscatur firmiter deliberasse, & omnino paratus esse ad aliud maius committendum, sola enim suspicio, etiam si certis coniecturis illa nitatur, non sufficit ad consulendum minus malum: quia cũ nonnunquam aliter res habeat quam suspicamur, forsan vbi opinaremur auertere nos fratrem a maiori aliquo malo, proposito illi minori, induceremus in malum, cum qui nullum tunc exercere instituebat. Neque sufficit inclinatio sola & propensio in maius malum, siue ex prauitate naturę, siue ex habitu illi insit: Non enim (exemplum est Soti & accommodatum) eo quod aliquis habeat corruptã naturam in alterũ sexũ, licet vt a propensione illa, vel habitu auertatur, suadere illi concubinatum: quia esto talem habeat propensionem, vel habitũ, vbi tamen non est paratus, & in procinctu ad maius delictum, neque de illo cogitat, si quod aliud minus illi suadeas, inducis profecto illum simpliciter & absolute ad malum, quod tunc non instituebat.

Alterum est, vt omnia media, omnesq; viæ tentatæ prius sint, quibus frater a malo illo quod exercere instituit, simpliciter & omnino dissuadeatur, neque aliqua earũ proficiat, sed hęc sola maneat, qua a malo, quod patrare decreuit, auertatur, suadere illi, vt cum ita decreuerit, nec vlla ratione, velit mutare animũ, hoc saltim minori malo contentus sit.

Quibus seruatis illud licere probatur primo. Huiusmodi consilium habet bonũ obiectum & finem, nullaque vitiatur circonstantia, ergo est honestum & licitum: Probatur antecedens; Imprimis de fine nulla est dubitatio, cum finis illius non sit fratrẽ, cui consilium dat, malum aliquod agere, imo optaret ab omni malo illum abstinere, sed cum id nequeat, nititur saltim auertere illum à maiori malo, ac vitare illud. De obiecto vero probo, quia vbi paratissimo ad occidendum fratrem, quem video nulla ratione velle a vindicta cessare, suadeo ne occidat, sed fuste tantum percutiat, obiectum huius consilij non est, percute fuste, hoc enim est malum, sed hoc totum conditionale, posito te nulla ratione velle dimittere fratri tuo iniuriã, qua te affecit, quod certe ego optarem, & conatus sum tibi persuadere, nec valeo, sed omnino vis sumere vindictã ab illo, vel per homicidiũ illius, vel per aliquam percussionem, ne quæso occidas, sed contentus esto percussione: quod ita sumptum non est malũ, sed bonum & rationi consonum, & quod idę cui alter nocere instituit, iudicaret posita ea conditione esse bonum, iuxta regulam topicam. *Ex duobus malis minus est eligendũ.*

Et confirmatur minus malũ, quamuis simpliciter & absolute sit malum, at respectu maioris mali est bonum: sed in hoc casu ego non consulo fratri absolute minus malum, neque simpliciter vt percutiat, sed sub conditione & respectu maioris mali, nempe vt cum constituisset firmiter fratrem occidere, ne occidat, sed solum percutiat, ergo consilium meum non habet malũ obiectum, sed bonum: Minor constat, cum sub ea conditione hic loquamur; Maior est D. Greg. lib. 32. Moral. cap. 18. & habetur Canone Nerui. Distinct. 15. vbi constituit illã regulã, *Ex duobus malis minus esse, eligendũ.*

Vnde

Vnde cum electio sit alicuius boni, & minus malum respectu maioris eligendum sit; consequenter minus malum respectu maioris, & ad vitandum illud, bonum est. Loquiturque ibi D. Greg. non solum de malis pœnæ, verumetiam de malis culpæ: Sic enim ait: *Est tamen quod ad destruendas Beemoth versutias subtiliter fiat, dum mens inter minora & maxima peccata constringitur: Si omnino nullus sine peccato euadendi aditus patet, minora semper eligantur, quia & qui murorũ vndique ambitu, ne fugiat, clauditur: ibi se in fugam præcipitat, vbi breuior murus inuenitur.*

Secundo si huiusmodi concilium malũ esset, ea certe de causa, quia per illud alter inducitur ad peccandum, at nihil tale prestat, ergo non est malum sed honestũ. Probatur minor: Nemo dicitur inducere ad peccandum eum, qui iam apud se firmiter instituit committere hoc, vel simile peccatum grauius, sed in casu de quo loquimur, Petrus iam apud se firmiter constituerat nocere Ioãni, Andreas igitur qui suo concilio hoc tantum nititur, vt minus illi noceat, non inducit Petrum ad peccandum, quin potius ad hoc, vt cum firmiter ille statuerit peccare, leuius peccet. Quod supposito deprauato animo Petri bonum est.

Tertio licet ex Caiet. volenti graue aliquod nocumentum inferre fratri, vt ab eo desistat, proponere illi materiam minoris nocumenti, at proponere talem materiam, moraliter idem est quod suadere illi vel inducere illum, vt desistens ab illo maiori nocumento quod inferre decreuerat, inferat minus illud cuius materia ei proponitur. Ergo licet consulere illi minus malum. V. g. qui volenti occidere Ioannem proponit melius esse fuste illum percutere, quid aliud facit, quam hoc minus malum illi consulere, vt desistat à maiori quod exercere volebat: aliter inutile est omnino, talem materiam proponere, nisi proponens illam simul suadeat, vt dimisso maiori damno quo instituebat fratrem afficere, minori sit contentus. Vnde in materia morali nimia metaphysica est, aut figmentum potius, ita hæc distinguere, vt liceat quidem parato ad committendum maius malum proponere materiam minoris, quo ab illo maiori auertatur, minime vero liceat suadere illi vt desistat à maiori, vt minus tantum committat, cum re ipsa hæc vnum & idem sint omnino.

Denique confirmatur testimoniis Sanctorum Patrum. Imprimis verba illa D. Grego. in illo Cano. Nerui. id aperte docent, & apertius multo D. Augustinus in quæstionibus super Exodum, & habetur 33. quæst. 2. Cano. Si quod verius, vbi agens de viro adulteræ volente omnino alterum è duobus præstare, vel vxorem adulteram occidere, vel ea dimissa & viuente aliam ducere, ac manere cum ea in adulterio. ait: *Si facturus est quod non licet, iã faciat adulterium, & non committat homicidium, licet neutrum debeat facere*: Vbi aperte D. August. consulit minus malum ad vitandum maius. D. etiam Chrysost. homil. 27. ad populum affirmat, viro qui assuetus est iurare, consulendum esse ne iuret per Deum, sed vt iuret per caput suum. Quod iuramentum etiam est dicente Christo Math. 5. *neque per caput tuum iuraueris*: sed leuius multo quam iurare per Deum.

Ex quibus sequitur, honestissimum esse & laudabile huiusmodi opus, & concilium, quo videns fratrem paratum ad aliquod graue malum perpetrandum, cum prius omnem mouerit lapidem ad illud omnino dissuadendum, nec aliam sibi cõmodiorem videat occurrere viam, ne grauius illud committat, quam suadere vt committat leuius, illud ita suadet. Vbi licet hoc fine moueatur, isque sit consulentis animus, non est necesse (vt idem Caietan. in illa responsione 13. obseruat) illud exprimere, aut verbis explicitis sic consulere: Cum velis omnino fratrem tuum vel interimere, vel percutere, obsecro ne interimas, sed percutias tantum, sed sufficit, consulat expresse quod minus malum est. Nam eo ipso quo certo cognoscitur habere illum deliberatum animum occidendi, qui hortatur vt sola percussione sit contentus, perinde se habet, ac si conditionem illam exprimeret. Qua ratione non consulitur (vt antea dicebamus) malum, sed minus, ne inferatur maius, quod totum simul sumptum bonum est.

Sed offert se hic dubitatio, antequã argumẽta aliorũ diluamus. Num hæc doctrina intelligenda tantum sit respectu eiusdẽ personæ, vt cum suadeo Petro volenti occidere Ioannem, ne illum occidat, sed percutiat solum: vel respectu etiam diuersarum personarum, quæ ita affectæ sunt, vt damnum vni earum illatum gra-

cuius multo sit, quam idem damnum illatum alteri. Vt si volenti occidere Principē, aut Clericum, vel virum præstantem necessarium Reipub. suadeam, cum alia via non occurrat qua auertam illum à tali homicidio, vt occidat alium de media plebe Reipub. inutilem.

Ex discipulis D. Thom. sunt qui existimant intelligendam esse sententiam, quam sequimur in vniuersum, tam respectu eiusdem personæ, quam diuersarum. Quod probant ex verbis citatis D. Augustini, vbi posito virū illum deliberate velle vnū è duobus, aut occidere propriā, aut adulterari cum altera, suadendum esse adulteretur, ne occidat. Vbi aperte consulit minus malum cum altera, vt desistat à maiori damno quod volebat inferre proprię.

Secundo volenti furari à domo pauperis, licet suadere vt furetur potius à domo diuitis, & similiter volenti comburere magnum oppidum, in quo multa simul committet homicidia, ne comburat nisi exiguum.

Alij docent licere consulere minus malum respectu vnius personæ, ad vitandum aliud maius respectu alterius, quando nulla alia via illud maius damnum vitari potest, & is, cui illud minus malum inferri consulitur, iam tenebatur alias illud pati. Vt si Petrus firmiter constituisset occidere Regem, aut plebeium, possum consulère Petro vt occidat plebeium, quia tenetur quiuis subditus ad vitandum Regis sui interitum propriam vitam exponere. Et similiter volenti adulterari non licet consulere vt fornicetur cum muliere honesta, cum illa non sit parata ad turpitudinem, licet tamen consulere ne adulteretur, vt fornicetur cum meretrice turpitudini exposita: quia hæc, quandiu sic manet exposita, tenentur facere copiam sui cuicunque poscenti. Consulere autem vt inferatur minus malum fratri, qui non tenetur alias illud pati, vt liberetur alius à maiori malo ipsi inferendo, sentiunt hi, nullo modo licere: quia non licet prospicere bono vnius cum detrimento & iniuria alterius. Huius quoque opinionis videtur esse Dominicus Soto. lib. 4. de Iust. quæst. 7. art. 3. vbi obligat ad restitutionem damni alicui illati, esto quis ita consulerit ad vitandum aliquod grauius damnum respectu alterius. Sed qui ita sentiunt, non considerarunt sicut oportuisset, fratrem cui damnum aliquod infertur, esto sit minus, & eo fine ne alteri grauius noceatur, & in casu in quo teneretur ille ad damnum illud minus ferendum, affici re vera iniuria, & respectu ipsius malum illud absolutè, & simpliciter esse malum: & ex consequenti nec consulendum. Verbi gratia, teneatur quidē diues conferre huic pauperi eleemosynam, consulo pauperi, qui aliunde sibi necessaria rapere omnino instituebat, vt accipiat illa è domo istius diuitis, certè quamuis teneretur ille admonitus de necessitate pauperis ad præstandam illi eleemosynam, nihilominus consulere vt per vim vel rapinam è domo eius, qui gratis forsan illam contulisset, acciperet, negari non potest fieri cum illius iniuria, cum ad ea, ad quæ tenebatur ex charitate, compellatur per vim vel fraudem. Vnde sententia, quam docuimus, licere consulere minus malum ad vitandum maius, intelligenda est respectu eiusdem personę, cui alter omnino nocere instituit. Quia nocumentum, quod alicui infertur, esto ad vitandum maius damnum alterius inferatur, illi simpliciter & absolute nocumentum est, & qui ita consuleret, illi damno profecto cooperaretur.

Ad argumenta in oppositum.

Ad primum dico, D. Augustinum non consulere eo loco, vt vir adulteræ, ne illam occidat aliam honestam ducat, & ex honesta adulteram faciat, tantum illius animæ damnum inferens, sed ne vxorem occidat, adulterium cum alia, quæ suo vitio turpis esse velit, committat. Vnde loquitur respectu eiusdem viri, quid illi magis expediat occidere an mechari.

Ad secundum dico nullomodo id licere, quia fit absolute & simpliciter iniuria, & damnum, ei cui illud infertur, etsi minus sit ac leuius, consulaturque ad vitandum maius. Minus enim damnum, vt ex dictis constat, non licet consulere, nisi quia comparatione maioris bonum est illi, cui minus infertur, quod solum habet locum respectu eiusdem personæ: nam respectu diuersarum, quodcunq; inferatur, siue minus siue maius, recipiēti illud simpliciter & absolute iniuria, & dānū est, ad quod neq; consilio, neq; fauore, neq; vllo alio modo licet alicui cum alio concurrere: sed conādum est fratrē à maiori damno, quod inferre vult, aut honestis viis auertere, vel illud impedire, vel saltim eniti vt minus eidem inferat: suadere verò vt alteri noceat,

noceat; nullo modo liceat, quod si nulla via amoueri potuit ab illo iniquo instituto, culpæ ipsius damnum illud tribuendum erit, non alterius qui conatus est, quãtum potuit, & debuit illum auertere, nec valuit.

Iam ad argumenta initio proposita.

Ad primum respondet recte Soto, verissimum quidem esse dictum Beati Apostoli, *Non esse facienda mala, vt veniant bona*: consulentem vero minus malum ad vitandum maius, eo modo quo diximus, non facere malum, sed bonum, vt abunde constat ex dictis.

Similiter respondeo ad secundum, opus quod non licet alicui facere, nec licere illi simpliciter consulere, licere tamen, quando illo opere quamuis absolute & secundum se illicito, vitatur aliud magis illicitum, quia tunc opus illud non consulitur vt illicitum, sed tanquam deuiatio quædã & auersio à maiori malo; quia alia cõmodior via tunc non inuenitur, ex malitia & iniquitate eius, qui firmiter instituit malum aliquod perpetrare. Quo fit, vt minus illud malum quod simpliciter malum est, in hoc casu, sicut consulitur, ex circunstantia finis sit bonum, vel vt alii dicunt, materialiter quidem sit malum, formaliter vero in consulente sit bonum. Respondeo secundo negando maiorem: Alteri enim neq; maius malum neq; minus facere licet, quia in facultate eius est, & tenetur omnino vtrumque euitare: at mihi, qui omnibus tentatis, vt ab omni malo exercendo illum auerterem, nulla alia occurrit via ad vitandum grauius delictum, quod instituit, quàm suadendo vt committat leuius, licet illud consulere, quia in hoc casu obiectum huius consilii non est absolute illud minus malum, sed hoc totum, vt qui ab omni malo dimoueri non potest, committat minus, ne committat maius: quod obiectum (vt constat) bonum est.

Ex his soluitur tertium. Alteri enim sic cõsulere possum, quia (vt cõstituimus) omnibus prius tentatis propter duritiem, & iniquitatem eius non valeo alia via illum auertere à grauiori malo, quod facere instituit, quam inducẽdo ad minus, Mihi autem simile consilium nullo modo sumere possum, quia mihi liberum est duobus vel pluribus delictis mihi oblatis omnia illa cauere: nullus enim ad eas angustias redigi vnquam potest, vt teneatur aliquod malum prçstare. Vnde ortum est illud commune Theologorum proloquiũ, & axioma, *Non posse dari perplexitatem in lege Dei*. Quasi dicant, Nunquam posse hominem ad eas angustias redigi, vt debeat peccare, vel quidquid agat necessario peccet, cum omne peccatum ex Diuo Augustino, Ideo peccatum, quia voluntarium.

Ad quartum Caiet. vt ex eodem argumento patet, vindicat à peccato factum illud Loth, affirmans illum non consuluisse minus malum ad vitandum maius, sed proposuisse tantum materiam minoris mali: quia vir sanctus & iustus, & qualem Beatus Petrus testatur, non est censendus in illo facto peccasse, peccasset autem, si flagitium flagitio euitare curasset, cum ex B. Paulo *Non sint facienda mala, vt inde veniant bona*. Quo circa solam materiam minoris mali censendus est illis obtulisse, animo placandi hyperbolica quadam submissione populum illum furẽtem. Arbitrabatur enim (inquit) & rationabiliter populum illum oblationem illam non accepturum, sed quod placatus tanta submissione ipsius Loth desisteret à cœpto, & eo rationabilius, quod filiæ eius sponsæ iam essent ciuibus Sodomę. Quemadmodum placaturus lacessitum iniuria, pugionem nudum illi offert dicens, interfice me, non quidem animo vt interficiatur, sed vt tanta submissione placetur læsus.

Hæc tamen expositio Caietan. reiicitur, & merito. Primo, quia nititur illi fundamento, licere proponere materiam minoris mali ad vitandum maius, non tamen consulere, quæ (vt admonuimus) moraliter idem omnino sunt. Secundo, quia si contextum ipsum respicias, non solum proposuit Loth illis filias suas verum & suadebat, & inducebat ciues Sodomæ, vt relicto nefando scelere, quod perpetrare volebant, stuprum potius committerent, ait enim. *Abutimini eis*. Tertio, quia licet iure naturali teneretur Loth hospites suos ab iniuria, quam ciues Sodomæ illis inferre moliebantur liberare, potiori tamen iure & vinculo tenebatur ad filiarum suarum custodiam: vnde nulla ratione licebat ei absque peccato filias stuprandas alicui offerre.

D. Ambrosius & habetur 32. quæst. 7. Cano. Offerebat. Laudat quidem zelum Loth, eumque sanctum vocat, quod filiarum pudorem exponeret, vt hospitalitatis iura suis hospitibus custodiret, videns,

minorem culpam esse filiarum stuprum, quam nefandum facinus, ad quod ciues illos videbat paratos, non tamen explicat aperte num in eo peccauerit: non enim quidquid ex zelo virtutis fit, eo ipso a peccato est immune, cum multa fiant secundum zelum, non tamen secundum scientiam. Nec quod à Beato Petro appelletur iustus, & à Beato Ambrosio sanctus, illum ab omni peccato liberat, potuit enim etsi vir sanctus, in eo tamen facto delinquere.

D. Chrisosto. commendat etiam plurimum hospitalitatem huius viri, qui nec filiabus suis parcebat, vt suorum hospitum seruaret honorem, indeque colligit quanta debeamus in hospites vti clementia & largitate: sed an in eo fuerit nimius, & peccauerit, non explicat. Neque ex laude qua hospitalitatem eius prosequitur, efficitur statim in eo facto non peccasse. Potest enim aliquis in aliquo euentu ita se gerere, vt maximum virtutis alicuius amorem & affectum ostendat, quamuis opus illud imprudens sit, aut temerarium.

Vnde D. August. in quæstio. super Genesim vnde sumpta est Glosa istius loci & habetur distinct. 14. Cano. Quod ait, ita habet; *Quoniam prostituere volebat filias suas, hac compensatione, vt viri hospites eius nihil a Sodomis tale paterentur, Vtrum admittenda sit compensatio flagitiorum, vel quorum libet peccatorum, vt nos faciamus mali aliquid, ne alius grauius malum faciat, An potius perturbationi Loth, non concilio tribuendum, quia hoc dixerit, merito quæritur: & nimis periculosissime hac compensatio admittitur: si autem perturbationi humanæ tribuitur, & menti tanto malo permotæ, nullomodo est immitanda.* Vbi D. Augustin. sentit Loth male egisse prostituendo filias, etiamsi ad seruandum hospitum honorem illas prostitueret, quia non licet nobis aliquid mali facere, ne alius grauius malum committat: excusat vero illum, non quidem à toto, sed á tanto vt dicunt, quod ex animi perturbatione, in qua Populus ille nefanda libidine furens ipsum constituit, vix potuerit secum deliberare honestum aliquod medium, quo & hospitibus suis consuleret, & scelestissimos illos á tanta prauitate auerteret, sed velut oppresus, quod primum illi venit in mentem, obtulit, vt turbam illam tumultumque sedaret: Quam perturbationem admonet Diuus Augustinus immitandam non esse: quia, etsi propter illam posit non à toto delicto sed ab aliqua solum parte excusari, male tamen egit prostituendo filias, ad quarum custodiam potius quam ad hospitum suorum honorem tenebatur. Vnde ad argumentum quod ex facto isto Loth sumebatur, respondeo, non excusari illũ vt vult Caiet. quasi non induceret eos ad peccãdũ leuiore delicto, sed solum proponeret materiam minoris mali, tum, quia hęc (vt ex dictis constat) idem sunt omnino, tum, quia ex contextu ipso patet expresse, ad stuprum filiarum illos induxisse, cum diceret; *Abutimini eis*, Vnde a sanctis Patribus solum extenuatur peccatum eius, excusaturque aliqua ex parte, vel propter nimiam animi perturbationem, vt ab Augustino, vel propter nimium zelum seruãdæ hospitalitatis, vt à beatis Chrisost. & Ambros. Cõmendatur vero à Beato Petro, appellaturque iustus, non quod filias suas prostitueret, cum in eo deliquerit, sed quia moribus erat honestissimis, cum inter ciues adeo impios scelestosque agens nulla ratione fuerit vel in minimo contaminatus.

Ad quintum respondeo, consulentem minus malum ad vitandum maius, quod alia via vitare non potest, non consentire in peccatum aliquod, cum optaret potius vt ab omni peccato frater ille auerteretur, sed in hoc totum consentire, cum velis vel occidere vel percutere, opto vt percutias potius quam occidas, qui consensus non fertur in percussionem illam, vt percussionem, sed vt minus nocumẽtum, vbi maius erat inferendum: & ex consequenti neque fertur in peccatum, neque in malum aliquod, sed in bonum obiectum vt ostendimus.

Ad vltimum constat responsio ex solutione tertii: Alteri namq; licet consulere minus malẽ, quando eũ nulla alia via à maiori valemus auertere, nobis autem ipsis nequaquam ita consulere possumus, cum in nostra facultate sit ab omni malo abstinere.

Ex his facile erit explicare priorem illam quæstionem, liceat ne diuitem, qui non vult extreme indigenti per eleemosynam subuenire, cum debeat, inducere ad mutuandum saltim illi sub vsuris? Responsio est affirmatiua. Ita docent, qui sentiunt licere consulere minus malum ad vitandum maius: plerique enim eorum, cum hoc docent, agunt de huiusmodi diuite.

uire. Idem sentit Ricard. in 4. dist. 15. ar. 5. q. 5. ad 2. affirmans licere rogare vsurariũ ad mutuandum sub vsuris pauperi maxime indigenti, cui diues ille per eleemosynam subuenire non vult, Et probatur. Licet consulere minus malum, ad vitandum maius quod aliquis paratus est perpetrare, sed grauius peccat diues nõ subueniẽs pauperi extreme indigenti per eleemosynam, vel gratuitum mutuum, quam mutuans illi cum vsuris, ergo licet cõsulere illi ac inducere illum in tali casu ad mutuandum pauperi sic indigenti cũ vsuris. Maior constat ex dictis. Minor probatur: quia maius peccatum est homicidiũ quã vsuraria mutuatio, qui vero extreme indigenti non subuenit, cum possit, perinde se habet, ac si pauperẽ illum fame interimeret, vt docet B. Ambrs. 3. lib. de officijs. & habetur distin. 86. Cano. Pasce: *Pasce* (inquit) *fame morrentem, quisquis enim pascendo hominem seruare poteras, si nõ pauisti occidisti.* Neque repugnat his prima conclusio D. Thom. huius art. loquitur enim in ea D. Thom. absolute, & extra casum extremæ necessitatis absolute enim neminem licet inducere ad vsuras, in casu autem extreme necessitatis licet, quia tunc qui diuitem sic inducit, non inducit simpliciter ad vsuram, sed ad hoc totum, cum fratrem tuum interimere fame velis, pręstat, vt sub vsuris illi mutues, quam vt fame interimas.

Circa secundam conclusionem offert se quoque hæc dubitatio.

Controuersia II.

LICEAT NE FORMALITER *& expresse petere mutuum sub vsuris ab vsurario parato ad fœnerandum.*

EX proxime pręced. controu. constat, ab eo qui non est paratus ad fœnerandum, nullo modo licere petere sub vsuris, quia non licet aliquem ad eam iniquitatem inducere, præter quam vbi extreme indigenti nollet gratis subuenire: Nunc de eo, qui paratus est, & quasi ex officio exercet vsuras, disseramus. Cum quo duobus modis potest se habere petens, & recipiens ab illo mutuum sub vsuris: vel ita, vt initio postulet solum ab illo mutuum, tamquam libere, & gratis sibi exhibendum, nulla posita conditione de soluenda aliqua vsura, sed cum vsurarius affirmet, vel saltem significet, se nolle aliter mutuare quam ea lege, & conditione, vt reddatur ei aliquod lucrum extra sortem, tunc mutuatarius vt suę occurrat necessitati, admittit conditionem illam, promittitque vna cum sorte reddere lucrum illud & vsuram. Vel potest mutuatarius, quia nouit vsurariũ à quo mutuum postulat, aliter non mutuaturum quam sub vsuris, statim à principio mutuum petere formaliter, & expresse sub vsuris, & quasi in actu exercito, dicens mutua mihi 100. aureos restituam tibi post anum 110.

Hoc posito varię sunt de hac quæstio. DD. sententiæ. Prima est Durand. in 3. distinct. 37. quęst. 4. Paludani eadem dist. q. 2. & diui Antonini 2. p. tit. 1. cap. 9. §. 14. Qui docent licere quidem petere ab vsurario parato mutuum illo priori modo, minime vero posteriori, præter quam in tribus casibus, Quos statim subiiciemus.

Priorem partem ita ostendunt, Petens à principio mutuum gratis, & libere, & sine vllo pacto vsurario, mutuante verò omnino renuente aliter mutuare quam sub pacto & conditione recipiendi aliquam vsuram, vt suę necessitati succurrat, conditionem illam admittit, hic realiter & vere non inducit vsurarium ad peccandum, neque aliud pręstat, quam vt suam redimat necessitatem & vexationem admittere conditionem illam, hoc autem licet cuicunq; indigenti. Et confirmatur. Iustitia vt docet Aristo. (à quo illud accepit D. Thom. in hoc artic.) non est media inter inferentem iniustitiam & patientem illam quasi inter duo extrema, sed solum repugnat iniustitię quam aliquis infert, & alter patitur: sed in hoc casu vsurarius infert iniuriam, mutuatarius vero solum patitur illam, ergo ex eo solum quod admittat conditionem illam, cum nõ prouocauerit eum ad fœnerandum, sed ad mutuandum tantum, non est censendus iniuste agere, nec peccare.

Dices non licet cõsentire in peccatum alterius, neque propter maximam necessitatem, sicut non licet consentire in fornicationem nec propter periculũ vitæ, cõditio autem ista quã exigit vsurarius est peccatũ vsuræ, ergo nõ licet illam admittere.

Respōdet Duran. In damnis, & pœnis tē poralibus incurrendis sufficere ad excusandam culpam metum maioris dāni, vel pœne, quia secundū rectam rationē in his minus malum & damnū est eligendum, vt viator cui dicit siccarius da mihi 100. aliter exspoliabo te omnibus tuis, licite ac prudenter cōfert illa 100. ne omnibus bonis exspolietur: tunc enim non consentit in iniquitatem illius, sed in hoc tantum quod est pati minus damnum, ne incurrat aliud maius: Pari ratione, qui non postulat mutuum cum vsuris, sed mutuum solum, vsurario vero dicente nolo mutuare nisi vna cum sorte reddas vsuram, vt suæ succurrat necessitati annuit illi, & consentit, non cōsentit in iniquitatē vsurarii, sed in hoc quod est liberari à necessitate qua premitur, quę illi maius dānum est quam solutio illius vsuræ. Ad exemplum vero Respondetur illud non esse accōmodatū, quia quædam sunt sic intrinsecè mala, vt nullo modo possint bene fieri, & in ea nullomodo licet consentire, vt fornicari; alia quę nō sunt mala simpliciter & intrinsece, sed ex circunstantia, & hæc sublata illa circunstātia possunt recte admitti, huiusmodi autem est mutuanti aliquid conferre, hoc enim nō est intrinsece malum, cum posit bene fieri, vt si gratis conferatur; est autem malum ex sola circunstantia, quia mutuans vult illud sibi reddi vt pretium mutui: quocirca potest mutuatarius ad leuandam suā necessitatē illud cōferre, non intendens reddere illud vt pretium mutui, sed vt redemptionem suæ vexationis.

Alteram partem probant: Quia petēs à principio formaliter & expresse sub vsuris, formaliter & aperte inducit illum ad peccandum, quod non licet.

Constituunt tamen tres casus, in quibus sic petens excusabitur à peccato. Primus est: Si vir simplex ex ignorātia ita peteret mutuū ab vsurario, existimans se in eo non peccare, sed illud sibi licere, quia non sunt omnibus maxime viris simplicibus perspectæ huiusmodi subtilitates Theologicæ. Secundus, Siquis ita peteret ex inaduertentia agnoscens illum vsurarium esse, nec aduertens hunc modum petendi esse quoddam genus inducendi ad peccatum, velut repentina quadā oratione diceret, mutua mihi 100. ego reddam tibi illa cum lucro. Tertius est, Siquis certo credat nullomodo illum mutuaturum sine vsuris. Quia intelligens illum nulla ratione aliter mutuaturum, eo ipso nouit frustra postulari ab eo mutuum gratuitum, quin potius conditionem illā & pactum esse habendum tamquam iam sibi ab illo propositum, & expressum, & propterea postulare ab huiusmodi homine statim à principio mutuum cum vsuris, nō esse inducere illū ad fœnerādum, sed idem omnino quod admittere conditionem, sine qua certo nouit illum non mutuaturum.

Secunda opinio est Conradi. De contract. q. 47. conclus. 3. Gabriel. in 4. dist. 15. q. 11. dub. 14. Caietani in opusculo 17. Responsionum. Respon. 14. quæstiuncula 3. & in opusculo de maleficis, Nauarri in suo Manuali cap. 17. nu. 262. & communis inter Iurisperitos in illo cap. super eo. De vsuris. Asserunt hi, licere quidem petere mutuum ab vsurario simpliciter & absolute, & eo nolente aliter mutuare quam sub vsuris posse admitti conditionem nulla au em ratione licere, petere ab illo statim à principio mutuū sub vsuris formaliter, & expresse, etiam si certo intelligat mutuaturius aliter illum non mutuaturum: nec excipiunt authores huius secundæ opinionis casus illos, quos excipiunt Durand. & D. Anton. Imo Nauar. expresse reiicit illos, affirmans in illis quoque casibus peccare petentem ab vsurario mutuum, cū hac conditione à principio expressa, nempe sub vsuris.

Soto videtur in hac parte varius nam lib. 6. de Iust. q. 1. ar. 5. habet hanc sententiam, deinde vero lib. 8. q. 2. art. 3. docet licere petere formaliter iuramentum per falsos Deos, & mutuum sub vsuris, ab eo qui iam est paratus.

Probatur autem hæc secunda opinio à suis authoribus, Primo. Nō licet petere ab aliquo id quod est intrinsece malum, sed dare mutuum sub vsuris hoc totum simul sumptum est intrinsece malum, ergo non licet illud petere, Maior certa est, Minor constat ex contro. 1. art. 1. vbi vidimus vsuram esse prohibitam iure naturali, & intrinsece malam. Et confirmatur à Caiet. Quod licet petere, licet apetere, at quod alius det mutuum sub vsuris non licet appetere, ergo neque petere.

Secūdo, ex illa maxima Theologica, quę inductione constat in omnibus vitijs, Nō licet petere ab aliquo, quod ille licite prę stare nō potest, vt non licet à fure petere furtum

furtum, à ficcario homicidium: Sed vsurario non licet dare mutuum sub vsuris, ergo neque licet ab eo illud ita petere.

Tertio nulli licet complacere de peccato alterius, repugnat enim illud charitati de qua B. Pau. 1. Corint. 11. ait non gaudet super iniquitate, at quamuis petens mutuũ sub vsuris, ab vsurario parato, non inducat illum ad peccatum, sic tamen petens cõplacet, & consentit in peccatum illius, ergo non licet. Probo minorem, quia vbi quis aliquid petit, vult & desiderat illud ita fieri, & cum fit, completurque illius voluntas & desiderium, complacet in eo.

Et confirmatur. Si diuiti volenti pecuniam suam apud aliquem custodiẽdam deponere occurrãt quatuor vel quinque, quibus potest illam commẽdare, quorũ vnus ditior quidem est & securius illã custodiet, vsurarius tamẽ, & qui cũ illa vsuras exercebit, non potest in hoc casu diues ille apud vsurarium istũ (vt inferius dicemus) pecuniam suam deponere, quamuis illi vtilius sit quia exercebit cum illa vsuras, ergo neque licet mutuatario, quamuis illi vtile sit, petere ab vsurario mutuum sub vsuris.

Quarto. Ad redimendam vexationem ea tantum media adhibere licet, quę ordinantur per se ad illam redimẽdã, sed peccatum vsurarij nõ ordinatur per se ad redimẽdam meã necessitatẽ, neq; ipsa petitio exterior potest habere talẽ ordinẽ, ergo neq; secundum externã vocẽ licet ita petere sub titulo redimendæ vexationis. Et confirmatur: Quia videtur certè nimis metaphysicũ asserere, petentẽ expressè, & formaliter mutuum sub vsuris, petere quidem illud, quod in eo à quo petitur, est actus intrinsecè malus, & non petere ab eo realiter & verè peccatum eius, cum sint hæc secundũ se adeò connexa, & coniuncta.

Quinto. Non licet petere opus artis magicę à parato, nec maleficiũ à muliere venefica, etiam si illud esset necessariũ ad soluendũ aliud maleficiũ, & in vtilitatẽ alicuius: Neq; licet petere iuramẽtũ per falsos Deos ab infideli parato ad iurandũ per illos, ergo neq; licebit petere mutuũ sub vsuris ab vsurario parato. Probo cõsequẽtia ex paritate rationis, quia in his omnibus, qui ita peteret, peteret profecto opus omnino prohibitum, & intrinsecè malum.

Tertia opinio est, ab vsurario parato, quẽ certũ est nullomodo aliter mutuaturũ, posse licite postulari mutuũ formaliter, & expresse sub vsuris, seruata duplici cõditione: Prior est, vt mutuatarius nõ habeat aliũ à quo recipiat mutuũ sine vsura; Posterior, vt nullã habeat cõplacentiã peccati, & iniquitatis illius vsurarij, quin potius optaret omnino gratis sibi illũ mutuare: Cęterũ quia indiget pecunia illa, nec habet amicum, ã quo gratis eã accipiat, nouitq; certò illum non aliter mutuaturũ, quã sub vsuris, ad redimendam suam necessitatẽ, nec cõterẽdũ frustra tempus, postulat statim à principio eo modo, sine quo nouit aliũ non mutuaturum. Hæc opinio placuit doctissimo viro Melchiori Cano, quẽ multi ex recentioribus discipulis, & interpretibus D. Tho. in hac parte sequũtur: cõuenitq; illa plurimũ cum prima illa Durãdi D. Antoni. & Palud. Est enim hæc apertè tertius ille casus, in quo authores illius primæ opinionis sentiũt posse peti mutuũ expressè sub vsuris.

Constituũt verò authores huius opinionis ad illius explicationẽ, postulantẽ mutuũ ab vsurario parato, de quo hîc loquimur, expressè & sub hac forma, Mutua mihi 100. restituã tibi 110: duobus modis posse ita postulare, & sub his verbis. Primo, ita vt in petitione illa loquatur formaliter & simpliciter, ac secũdũ propriã significationẽ verborũ, qua ratione petens inducit aliũ ad vsuram, quo iniquũ omnino est, & illicitũ. Secundo vero modo, ita vt petitio illa non significet absolute & simpliciter, quod verba illa exterius sonant, sed hoc totũ, cũ ego nõ habeã, à quo recipiã gratis mutuũ, quo indigeo, nec tu vllo modo aliter mihi mutuaturus sis, quã cũ vsuris, mutua mihi cũ vsuris; Quasi dicat, modo mihi mutues, paratus sũ soluere vsuras, & subire damnũ istud: Quemadmodum diximus præcedẽti controu. consulentem minus malum non consulere simpliciter & absolute malum, sed hoc totum, cum decreueris omnino proximo tuo nocere, ne inferas illi graue damnum, quod instituebas, sed solum hoc leuius. Ita vt quemadmodum obiectum huius concilij non est illud minus malum, sed auertio & euitatio illius maioris, quod volebat inferre, ita huius petitionis, mutua mihi sub vsuris, obiectum proprium & formale non sit actio illa vsurarij dantis sub vsuris, cum mallet omnino gratis sibi mutuari, sed passio dãni cui se offert recipiendo mutuum sub vsuris. Quasi dicat, mutua mihi, & quia certo scio te non mutuaturum, nisi soluam vsuras, patiar hoc damnum meum, & iniquitatem tuam.

Quod autem obiectum hoc sit bonum & licitum, & petitio ista sub hac forma verborum, in hoc casu, & attentis his circunstantiis rerum, & personarum habeat huiusmodi sensum ostendunt primo ex Sacra Scriptura. Nam Math. 23. cum essent parati Iudæi ad occidendum Christum & Apostolos, dixit eis Dominus. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum*: id est, paratus sum pati persecutionem & mortem, qua implebitis mensuram patrum vestrorum. Et Ioan. 13. *Quod facis fac citius*, Id est, suposita iniqua determinatione tua paratus sum tradi à te. Secundo, ex eodem Caiet. infra q. 100. art. 4. quando aliquis redimit suam vexationem, reperiuntur ibi duo, vnum licitum & bonum, & aliud illicitum & malum: licitum vt cũ petit quis libertatem, vitam, vel aliquod aliud bonũ honestum; illicitum verò, conditio iniqua sine qua alter non vult concedere bonum illud honestum, quod gratis debebat, vt cũ siccarius non vult concedere viatori libertatem, aut vitam nisi acceptis pecuniis illius; Circa quę redimens vexationem suam diuersis modis se habet: nam bonum illud & licitum, quod iure petere potest, petit formaliter, & directè, inducens alterum ad illud; circa illicitum verò, & malum non habet se directe, vel actiue, neque tãquam ad illud alterum inducens; sed passiuè tantum, offerens se passurum illud, quod vt bonũ est sibi concedatur, cum alter propter suam iniquitatem nolit aliter illud ei concedere. Vt in exemplo proposito, cum occurrens viator siccario parato ad occidendum illum, nisi pecuniam suam illi tradat, ait, En tibi pecunias, quas mecum defero, accipe illas: in eo casu oratio hæc attentis circunstantiis habet hunc sensum, Cum sis paratus ad me occidendum, nisi tibi pecunias meas tradidero, accipe illas, ne me occidas. Vbi circa vitam, & libertatem habet se actiue, illam directe petens, circa iniquam verò pecuniarum acceptionem faciẽdam à siccario illo passiue tantum: ita vt quamuis secundum exteriorem sermonem videatur illas offerre, reuera tamen nihil minus habet actio illa, quam eas offerre, sed hoc solum, se paratum esse ad patiendum damnum illud, vt à maiori liberetur. Eadem ratione, quando mutuatarius, indigens mutuo, quia nouit certò vsurarium illum non aliter mutuaturum, quam sub vsuris, ait illi, mutua mihi sub vsuris, cum hæc petitio sit quędam redemptio propriæ necessitatis, sunt quoque constituenda & concedenda in ea illa duo, aliud licitum, ad quod habet se actiue, formaliter & proprie illud petens, nempe mutuum quo indiget, aliud vero illicitum, ad quod licet videatur secundum exteriorem vocem habere se actiue, reuera tamen & à parte rei habet se potius passiue, & inuoluntarie. Etenim cum nihil minus velet quam reddere illud lucrum vsurarium, nihil aliud continet illa petitio, quam se paratum esse ad patiendum damnum illud, & solutionem vsurarum.

Quo posito probatur iam hęc tertia opinio à suis authoribus Primo ex isto fundamento. Qui redimit necessitatem, & vexationem suam, quamuis exterius & secundum vocem videatur aliquid mali petere, reuera tamen consideratis necessitate ipsius, & iniquitate alterius, aliisque circunstantiis non petit nisi quod bonum est, nempe liberari ab illa necessitate, patiendo iniquitatem alterius, quia neque illam vitare potest, neque aliter ab ea necessitate liberari: Sed qui indigens mutuo, nec habens amicum à quo illud gratis accipiat, petit illud ab vsurario parato dare sub vsuris, & quẽ nouit nullo modo aliter mutuaturũ, habet se reuera omnino tãquã redimẽs suã necessitatẽ, & vexationẽ: Ergo sic petẽs, licet secundum externam vocem videatur petere mutuum sub vsuris, quod est malum, reuera tamen non petit nisi solum mutuum, quod est bonum: offerens se propter iniquitatem alterius ad illam iniuriam patiendã, quia aliter sibi subuenire nõ valet.

Et confirmatur: Mutuatarius in hoc casu conditionem illam sub vsuris eodem modo apponit, quo in illa cõsentit, eamq; seruabit, quia petitio externa & vocalis est signum & nota interni consensus, sed non consentit in illam actiue, neq; seruabit illã volens, sed coactus, & passiue, ferens tantũ iniquitatem illam & damnum, vt euadat aliquod aliud à se iudicatum maius, ergo circa illam realiter & vere non habet se actiue, sed passiue tantum.

Secundo licet vti peccato eius, qui iam ad illud paratus est ad proprium commodũ, vt docet hic D. Tho. Sed petẽs sub vsuris in casu proposito nihil aliud facit, quã vti peccato vsurarii ad redimendam suam vexationem, ergo licet ita petere.

Tertio probatur à simili. Quando Genes. 25. dixit Iacob Esau fratri suo *Vende mihi primogenita*, licet videretur petitio illa se-

si secundum illam externam vocem continere aliquid simoniacum, reuera tamen nihil tale continebat, sed solam redemptionem suæ vexationis, sensusque legitimus illorum verborum a parte rei & iuxta animū Iacob erat hic: Da mihi gratis primogenituram quæ mea est, & mihi debetur, cæterum quia certo noui te non daturum illā mihi gratis, sicut debes, sed accepto aliquo pretio; paratus sum pati damnum istud & iniuriam, sicut tu paratus es ad illam inferendam, vt sic meam redimam vexationem. Ergo similiter hæc petitio da mihi mutuum sub vsuris habet reuera in casu de quo hic loquimur, hunc sensum, da mihi mutuum, quod deberes gratis dare, cum ego in necessitate existam, & tu habeas pecunias ad mutuandum: cęterum quia scio te non mutuaturum gratis, sed cum hoc damno meo, vt soluam vsuras, paratus sum ad illud sustinendum, & ferendam hanc iniuriam, vt mihi subueniam.

Et confirmatur ex his quę diximus primo tomo quæst. 64. artic. 7. controu. 1. vbi docuimus licere occidere aggressorem, quia occisio illa non est intenta vt finis, neque vt medium, (cum medium solum sit bellum illud iustum ad tuendam vitam) sed solum permissa, vt quidam effectus subsequutus illam defensionem & bellum: Similiter res habet in nostro casu: solutio enim illa pecuniæ, vel lucri vsurarii non est intenta à mutuatario vt finis, cum nihil minus vellet: neque vt medium ad redimendam suam vexationem, quia medium est ipsum mutuum; sed solum est effectus subsequutus ex redemptione propriæ vexationis propter iniquitatem mutuatarii, quod licet, sicut modo dicebamus licere vti peccato, & iniquitate vsurarii ad proprium commodum.

Quarto. Hoc interest inter consulere vel inducere aliquem, & petere, ac redimere propriam necessitatem, vt qui dat consilium alicui, intendat bonum eius cui sic consulit, propterea namque dator consilium, vt recipiens illud melius sese habeat: Qui vero petit, ad redimendam propriam necessitatem, ex propria natura & ratione huius actus, non petit quasi intendens bonum eius a quo aliquid petit, sed intendens bonum suum, & sibi vtile, vel necessarium. Sed in hac petitione, da mihi mutuum sub vsuris, mutuum est quidem bonum petendi illud, solutio vero vsuræ mala & damnum, ergo qui ita petit, ex propria ratione istius petitionis solum petit mutuum, quod sibi bonum est, minime vero solutionem vsurarum, quæ illi damnum est: sed offert se tantum illam pati, & damnum illud subire, cum aliter non valeat propter iniquitatem vsurarii propriam necessitatem euadere: vtiturque solum conditione illa sub vsuris, tamquam circunstantia quadam ex iniquitate vsurarii necessaria ad redimendā suam indigentiam.

Quinto. Qui petit mutuum cum vsuris, in casu de quo hic agimus, si qua ratione peccaret, certe hac, vel quia complacet in peccato vsurarij, vel quia illi aliquo modo consentit, vel quia inducit illum ad mutuum vsurarium, estque illi sic petens scādalum & occasio ruinæ: At nihil horum in hoc casu accidit, ergo non peccat sic petens. Probatur minor. Inprimis mutuatarius in hoc casu non habet complacentiam formalem & expressam, vt initio huius opinionis diximus, neque virtualem & implicitam, quia mutuatarius solum desiderat suum cōmodum proprium, optaretque si posset mutuum illud gratis recipere, & nullam vsuram reddere, cui desiderio repugnat omnino aliqua cōplacentia in oppositum. Et confirmatur: Quia nulli placet quod sibi damnum est, & nouit sibi nocere, sed solum complacet in his quę iudicat sibi bona, & vtilia: vnde nullus est mutuatarius, saltim in casu de quo hic loquimur, cui aliud placeat, quam mutuum quo eget, & cui non plurimum displiceat solutio alicuius vsuræ vt sibi nociuæ. Altera pars, neque consentire illum peccato vsurarii, patet. Quia mutuatarius in hoc casu (vt ex dictis constat) perinde redimit suam vexationem, & perinde se habet ac viator qui videns aggressorem offert illi suas pecunias: quem certum est, non exhibere illas consentiendo iniquitati illius, sed solum tamquam pa ratum pati minus damnum, ad euadendum maius: propter quod à nemine iudicabitur in eo casu peccare. Denique neq; inducit illum ad peccandum, neque est illi scandalum & occasio ruinæ: Etenim cum ille ita paratus sit, à se ipso satis inductus est ad non mutuandum sine vsura, nec vllus est illi occasio ruinæ, sua iniquitate iacet satis prostratus in vsuris.

Dices esto ille iam paratus sit ad fœne-

randum nihilominus petitio ista habet pro obiecto actum qui sine peccato exerceri non potest, vnde natura sua & secundum se est inductiua ad peccandum, & ex consequenti est mala & illicita. Respondent authores huius tertiæ opinionis esse quidē inductiuam ad peccandum secundum se, & simpliciter, non tamen in hoc casu, in quo vsurarius se ipso, & propria iniquitate adeo paratus est, & qui petit certo nouit illum aliter non mutuaturum, nec habet alium à quo gratis accipiat mutuum quo indiget, quibus circunstantiis attentis dicunt non inducere illum ad malum, sed solum vti iniquitate eius ad proprium bonum, & offerre se ipsum ad patiendum damnum illud & iniuriam, vt suæ subueniat necessitati, cui nequit alia commodiori via occurrere.

In hac quæstione vt certa ab incertis separemus, obseruandum prius est conuenire omnes in his tribus.

Primum est, ab vsurario, qui licet cōmuniter paratus sit ad mutuandum cum vsuris, aliquando tamen mutuat gratis, & amice, ac sine vllo fœnore, non licere petere statim à principio formaliter & expresse cum vsuris. Ratio est aperta, quia cum hic aliquando mutuet sine fœnore & vsura, sic ab illo petere sub vsuris, est actiue & formaliter inducere illum ad fœnerandum, & offerre illi scandalum & occasionem ruinæ. Secundo, sicut petere sub vsuris ab eo qui non est paratus est peccatum, ita quoque exponere se periculo petendi peccatum est: at quando vsurarius aliquando mutuat sine vsura, cum forsan eo tempore & casu quo petes ab eo, non esset ita paratus, consequenter vel petis ab eo qui non est paratus, vel certe exponis te periculo petendi ab eo qui tūc non erat paratus.

Secundum est, peccatum quoque esse petere ab vsurario omnino parato, si petens habeat complacentiam peccati quod in vsuraria illa mutuatione committitur ab ipso. Hoc adeo perspicuum est, vt nulla egeat probatione: quia in quocunque genere vitii habens complacentiam de peccato alterius peccat similiter, tamquam cōcurrens & consentiens per complacentiam illam in peccatum illud: Talis enim complacentia non solum est prętér charitatem, verumetiam contra charitatem, de qua dixit Apostolus 1. Corint. 11. *Non gaudet super iniquitate.*

Tertium est, licere petere ab vsurario omnino parato mutuum simpliciter, & absolute, nulla posita conditione de reddendo illi aliquo lucro, eo vero affirmante, vel significante nolle aliter mutuare quam sub vsura, licere conditionem illam admittere, ac promittere illi vsuram. Ratio est aperta. Quia cum vsura sit quoddam rapinæ genus, sicut licet inuaso á latrone & siccario postulare prius ab illo libertatem & vitam, eo vero nolente illam concedere nisi aliqua pecunia ipsi exhibeatur, quamuis siccarius ille in eo peccet, licet nihilominus ad redimendam vexationem illam, eam exhibere: eadem omnino ratione licet mutuatario qui gratis & amice prius postulauit mutuum, vsurario nolenti mutuare nisi aliquod lucrum illi promittatur, promittere illud, ac reddere. Secundo, quia nisi liceret hanc conditionem ita admittere, non à mutuatario, sed ab ipsomet vsurario appositam, nullus est euentus vel casus, in quo liceat accipere mutuum cum vsuris ab vsurario parato; at aliquādo id licere docet aperte hic D. Thom. & communis Theologorum schola.

Vnde tota quæstio versatur circa secundum illū modū petendi cum vsuris statim à principio formaliter, & expresse. Authores primæ opinionis vt Duran. Palud. & Antonin. proponētes casus illos in quibus sentiūt id licere, maximè in tertio, cōueniūt omnino cū authoribus tertię opinionis, vnde vtriusq; idem debet esse iudiciū. Authores vero secundę, qui negant omnino licere vnquam petere statim a principio expresse cum vsuris, quantumuis vsurarius paratus sit, volunt huius quoque sententiæ fuisse D. Tho. Quia docet ille (vt vidimus) licere quidem accipere sub vsuris ab vsurario parato, nullo tamen modo licere inducere illum ad fœnerandum: qui autem statim a principio petit ab vsurario quantumuis parato expresse, & formaliter mutuū sub vsuris, inducit illum ad fœnerandum. Vnde iuxta D. Thom. hoc non licet. Minorem sic probant. Qui petit ab aliquo id quod sine peccato prestare non potest, reuera inducit illum ad peccatum illud, sed petens ab vsurario mutuū sub vsuris petit ab illo, id quod sine peccato & vsura ille præstare non potest; ergo inducit illum ad peccatum vsuræ.

Sed quamuis hęc opinio probabilis satis censeri debeat, tum propter authoritatem DD. qui illam amplectuntur, tum propter argumēta quibus illa nititur, quæ satis videntur

dentur vigere, vltima tamen plerisque recẽtioribus, viris certe eruditis, & grauibus probabilior multo, & verior visa est, ac merito, quam nos etiam amplectendam censemus: quia argumenta quibus illa probatur efficacissima sunt; Et re diligenter, ac attente considerata negari non potest, vbi Ioannes mutuo indiget, nec habet amicũ a quo gratis illud accipiat, sed compellitur vt suæ occurrat necessitati a Petro vsurario illud postulare, nouitque certissimo Petrum nullo modo aliter mutuaturum, quam sub vsuris, ita vt aliter ab eo mutuum petere sit frustra conterere tempus, in hoc casu & cũ omnibus istis circunstantiis negari inquam nõ potest, Ioannem postulantem a Petro vsurario aperte & expresse mutuum sub vsuris, dimittendo omnes illos ambages, & circumloquia, petendi prius simpliciter sine vsuris, & admittendi deinde pactum de illis soluendis, vbi ab ipso vsurario fuerit appositum, licet secundum externam vocẽ videatur petere mutuum sub vsuris, realiter tamen & verè solum petere ab illo mutuum, conditionem vero illam sub vsuris non petere, sed offerre se tantũ ad patiendã illam, & sustinendum damnum illud, vt a maiori liberetur, cũ videat se mutuum illud, quo indiget, ex iniquitate vsurarij aliter obtinere non posse: quemadmodum inter argumentandum diximus de viatore, qui occurrenti sibi latroni statim offert pecuniam, vt seipsum a morte liberet, quem certum est solã vitam a siccario illo postulare, iniquam vero illam pecuniarum acceptionem ab eo faciendam non petere, sed illi tantum seipsum passiue offerre, vt minus damnum sustinens quod multo maius est euadat.

Vnde sic argumentor licet accipere ab vsurario mutuum priori illo modo, nempe petendo prius absolute & simpliciter, & eo nolente aliter mutuare quam sub vsura, cõsentiendo in illam cõditionem, quia in hoc casu admittens huiusmodi conditionem ex iniquitate vsurarij appositam, cum ipse simpliciter petiisset, non censetur concurrere ad illam actiuè sed passiuè tantum, sustinendo iniuriam illam & damnum; at in casu de quo loquimur, concurrentibus omnibus illis circunstantiis, Ioannes Petens a Petro vsurario statim a principio mutuum expresse sub vsuris, quia certissimo nouit Petrum aliter non mutuaturum, licet secundum externum verborum sonum videatur ad appositionem illius conditionis actiuè concurrere, vere tamen & re ipsa non concurrit nisi passiue, ergo quemadmodũ licet illo priori modo petere ab vsurario parato, ita & hoc posteriori, cum idem omnino concurrẽtibus omnibus illis circunstantiis vtrũque reipsa sit, licet in extrema voce diuersitas existat.

Nunc ad argumenta illa secundę opinionis, quæ nostræ sententiæ aduersantur.

Ad primum respondeo, cum duobus modis possit aliquid esse intrinsece malum, vel omnino, tam secundum substantiam actus, quam ex circunstantia, vel ex sola circunstãtia: quod omnino & absolute est intrinsecè malum, nullomodo posse postulari, vt fornicari, mentiri, nam cum hæc secundum substantiam actus mala sint, eo ipso quo aliquis illa postulat, inducit fratrem suum simpliciter ad malum, quod non licet; At quando id quod petitur secundum substantiam actus bonum est, ex sola vero circunstantia malum, & petenti nociuum, petentem illud necessitate aliqua adductum, solum petere in eo casu quod secundum substantiã actus bonum est, circunstantiam vero illam, licet videatur secundum externum sermonẽ petere, re tamen ipsa, cũ illi nociua sit, non petere formaliter, & propriè: sed offerre se tãtum ad illam ferendam & sustinendam, vt suæ consulat necessitati. Et hac ratione se habere eum, qui ab vsurario, quẽ nouit nullo modo mutuaturum nisi accepto aliquo fœnore, petit statim à principio cum vsuris, vt ex dictis in explicatione tertiæ opinionis constat.

Ad confirmationem Caiet. Similiter respondeo, petentem mutuum cum vsuris, concurrentibus omnibus illis circũstantiis quas diximus, nihil minus appetere quam peccatum vsurarii, vel solutionem illã fœnoris quam promittit, cum optaret omnino gratis sibi illum mutuare, sed cum mutuo illo indigeat, nec habeat à quo gratis accipiat illud, nec alium mutuatorem quã vsurarium illum, quem certo nouit nullomodo aliter mutuaturum, quã cum vsuris, secundum externam vocem solam petere sub vsuris, reuera tamen solum mutuum petere, & appetere, cõditionem vero illam sine qua ex iniquitate vsurarii suæ necessitati occurrere non potest per mutuum, nec petere nec appetere, sed passiue tantum se ipsum illi offerre ad redimendam suam necessitatem.

Ad secundum respondeo, in casu de quo hic loquimur, & cum omnibus illis circun-

stantiis, mutuantem optime posse præstare quod mutuatarius actu petit, quia ille actu & re ipsa solum petit mutuum quo eget, quod vero mutuans præstare non potest nempe actionem vsuræ, non petit mutuatarius secundum rem, sed illi tantum passiue se offerens vtens malitia & iniquitate illius mutuantis ad redimendam suam necessitatem.

Ad tertium dico mutuatarium, cum conditio illa iniqua & vsuraria ipsi nociua sit, nec illã appetere, nec in ea complacere, imo optare potius recipere mutuum sine illa: solum verò complacere in eo quod sibi bonum est, & vtile, nempe in receptione mutui, quo indiget, & quia illud aliter obtinere non potest, consentit pati damnum illud, sine quo sibi subuenire non valet.

Ad confirmationem, in 4. Contro. huius art. explicabimus, an liceat deponere pecuniam apud vsurarium, interim ad argumentum dico, non esse simile iudicium de diuite illo, & mutuatario de quo hîc agimus, diues enim ille cum habeat plures, quibus pecuniam suam commendare possit, & securè, non potest deponere illam apud vsurarium, quia materiam peccãdi aperte illi offert, sicut qui furioso gladiũ traderet. Quod si apud vsurarium solum dicas illam secure custodiri, neque in eo casu illud licebit, cum possit domi suę propria diligentia adhibita eam custodire, nunquam enim ad eas angustias moraliter loquendo redigetur, quin possit securè pecunia illa custodiri, etiam si nõ tradatur vsurario: At mutuatarius de quo hîc loquimur, nulla alia ratione potest suæ necessitati occurrere quam per mutuum, & a nullo alio illud recipere valet, quam ab vsurario ita parato, vt aliter quam cum vsuris nullo modo sit mutuaturus.

Ad quartum respondeo, simpliciter & absolute ad redimendam & leuandam necessitatem mutuatarij non esse medium per se ordinatum petere mutuum cum vsuris, imo neque admittere conditionem quam vsurarius ipse apponeret, sed solum mutuũ; & ita illud tantum posse formaliter & actu postulari: ceterum, quia ex iniquitate sua vsurarius non vult mutuare nisi cum vsuris, licet illam conditionem admittere, quando illam exigit, vel illi passiue sese offerre, vbi certo cognoscitur illum non esse aliter mutuaturum, sic enim se offerens non adhibet illam tanquam medium, sed solum exponit se illi, vt obtineat medium, nẽpe mutuum quo indiget. Neque hoc aliquam continet metaphysicam, imo est doctrina maxime moralis, vt in exemplo illo de inuaso a latrone, & offerente illi pecunias suas, vt euadat mortem, quo sæpe vsi sumus, apparet.

Ad quintum. Imprimis ad exemplum illud sumptum ex malefico Angelus in summa. verbo Superstitio. num. 3. & Aureolus in 4. dist. 34. sentiunt, licere vti opera malefici parati, ad soluẽdum maleficiũ aliquod, per aliud maleficium & inuocationem dæmonis, quia licet vti malo & iniquitate alterius ad bonum nostrum. Communis tamen DD. sententia oppositum omnino docet, quod ostendit & recte Caiet. in quæst. illa de Maleficis. tomo. 2. suorum opusculo. tractatu. 11. Vnde a nobis neganda est consequentia argumenti illius, iuxta ea quæ modo in solutione primi argumẽti docuimus. Est namque dispar ratio in malefico & vsurario, nam cum maleficium sit malum intrinsece, & omnino, & secundum substantiam actus, petere a malefico, vt maleficium aliquod per aliud maleficium vt operam dæmonis dissoluat, est petere ab illo formaliter & directe actum intrinsece, & omnino malum, & quod nullum obiectum bonum potest habere, quod nulla ratione licet, neque in bonum finem, neque propter proprium commodum: at mutuatarius postulans mutuum cum vsuris, ab vsurario parato, cum omnibus illis circunstantiis quas cõstituimus, petit actum secundum suam substantiam bonum, nempe mutuum, quem potest mutuans sancte & recte exercere, circunstãtia verò illa cũ qua petit, non est a voluntate petentis, cui nociua est, sed ex iniquitate mutuantis aliter non mutuaturi. Vnde non petit illam, sed solum offert se passurũ illam ad redimendã suam vexationẽ, quod licet.

Ad aliud exemplum de exigente iuramẽtum ab infideli. Occasione huius argumenti disputant nonnulli hoc loco, liceat ne exigere ab infideli iuramentum per suos falsos Deos, quam quęstionem non esse huius loci, sed quæstionis in qua agit D. Thom. ex professo de iuramento, perspicuũ est: propterea eo loco diuino numine nobis fauẽte tertio tomo horum commentariorum illam copiose explicabimus. Interim argumento ex illo exemplo petito respõdeo, licere quidem recipere iuramentum ab infideli, qui postulatus absolute, & simpliciter vt iuret ad firmandum contractum cum illo innitũ, nõ vult aliter iurare, quam per falsos Deos, quia vt docet D. Augustinus ad Publicolam,

lam, cuius testimoniũ adducit hic D. Tho. Christianus in hoc casu non inducit illum ad iurandum per falsos Deos, sed solum ad firmandum iuramento contractum cum illo initum, quod est medium licitum, vtitur vero iniquitate eius cum nolit aliter iurare: nulla tamen ratione licet petere ab eo iuramentum per falsos Deos, sicut licet petere mutuum sub vsuris. Ratio discriminis huius est: Quia contractus, vel dictum infidelis potest aliis viis confirmari, v.g. testibus, scripto, pignore, vel aliqua alia ratione, qua de causa non est dicendus celebrãs contractum cum infideli, exigere iuramentum ab illo per falsos Deos, vt redimat suã vexationem: at qui indiget pecunia, quam non potest alia via habere, quam ab vsurario, qui (vt hic constituimus) aliter non mutuabit quam sub vsuris, quamuis secundum vocem videatur conditionem illam apponere, reuera tamen non apponit illam ipse, sed iniquitas illa vsurarij, circa quam mutuatarius passiue tantum in hoc casu se habet, vt satis ex dictis constat.

Controuersia III.

QVAE NECESSITAS REquiratur, vt liceat accipere, vel petere mutuum sub vsuris?

DVRAN. in 3. dist. 37. q. 4. sentit non licere accipere mutuum sub vsuris, & multominus petere, nisi existente aliqua iusta necessitate: iustam vero necessitatem vocat, quando non accipiuntur pecuniæ ad peccatum aliquod exercendum, nec sola cupiditate lucrandi cum illis; sicut accideret in mercatore, qui cum habeat alias pecunias vnde viuat, vel cum quibus potest commode negotiari, & lucrari, nihilominus non contentus eo lucro, vt magis ac magis lucretur, præter pecunias proprias accipit alias cum vsura, sperans maius futurum esse lucrum, quod ex illis obtinebit, quam sit fœnus persoluendum vsurario. Huiusmodi mercatorem ex sola cupiditate augendi pecunias suas accipientem cum vsuris damnat Durandus: minime vero eum, qui cum non habeat vnde decenter viuat, nisi faciat mercaturã, ad eam verò exercendam non habet pecunias, nisi ab vsurario illas accipiat: quia sic illas accipiens iusta ducitur necessitate.

Huic sententiæ videtur fauere D. Tho. cum affirmet in hoc art. vt acceptio mutui cum vsuris licita sit, requiri vt fiat illa propter aliquod bonum, quod est necessitas ipsius accipientis, vel alterius.

Et in responsione ad secundum explicãs hanc necessitatem, vocat illam indigentiã, dicens non debere propter iniquitatem vsurarij, quam culpa & vitio suo committit nõ inductus a mutuatario, desistere aliquem ab acceptione mutui sub vsuris, si indigeat; indigentia vero non dicit leuem necessitatẽ, sed grauem.

Secundo propterea dicimus posse aliquẽ petere mutuum sub vsuris ab vsurario parato, quia petens non inducit illum ad peccãdum, sed vtitur solum iniquitate illius ad redimendam suam verationem, vexationem autem suam non dicitur vere aliquis redimere, nisi quando premitur graui aliqua necessitate.

Tertio tenemur ex charitate vitare peccatum proximi, quando facile illud possumus: in hoc sensu dicitur Ecclesiastici. 17. *Vnicuique mandauit Deus de proximo suo*, Vsurarius autem, etsi paratus, nihilominus quotiescunq; dat sub vsuris, peccat in illo actu, sicut meretrix, quamuis sit parata ad fornicandum, in quocunque actu committit peculiare peccatum, qui vero non premitur graui necessitate, facile potest abstinere ab acceptione mutui ab vsurario, ergo non potest illud recipere tuta conscientia, nisi graui aliqua necessitate adductus, tanquam iusta causa: quæ est opinio Durandi.

Quarto, D. Thom. in responsione ad lectorem Florentinum habet, non excusari a peccato petentem mutuum sub vsuris ad maiores negotiationes exercendas, id est ad maiora lucra captanda.

Caietanus in commento hujus art. sentit non esse vrgendas nimium conscientias cõfitentium, inquirendo ab eis, an propter vtilitatem aliquam, vel iustam causam accepecerint sub vsuris: constituitque has duas regulas. Prior est. Petens mutuũ sub vsuris propter malum finem, tale peccatum committit, qualis est finis ille: ita vt si finis ille sit peccatum mortale, petitio illa mutui sub vsuris mortale quoque peccatum sit, si vero finis ille sit peccatum tantum veniale, & petitio illa venialis quoque tantum sit. Posterior regula est. Quamuis petens sub vsuris propter malum finẽ peccet, non tamẽ peccato distincto, a peccato quod cõtinetur in illo fine. V.g. petit aliquis, vel recipit mutuum sub vsuris, vt fornicetur, sentit Caiet. hunc non committere duo peccata distin-

cta alterum fornicationis, alterum vero offerendi vsurario materiam peccati, & occasionem committendi illum peculiarem actum vsurarium. Idem docet Soto lib. 6. de iustitia q. 1. ar. 5. quem nonnulli recentiores sequuntur.

Alijs vero placet plurimum opinio illa Durandi, quam volunt maxime conuenire cum doctrina quam hic habet D. Thom. vt argumenta initio proposita videntur probare.

In his opinionibus quędā vera sunt omnino, & amplectenda: quędam vero maiori expositione indigent, & aliqua (vt ita dicā) limitatione. Obseruemus igitur imprimis, non esse similiter iudicandum de eo, qui ita accipit mutuum cum vsuris, vt simpliciter & absolute illud petierit quasi gratis sibi conferendū, deinde vero, quia vsurarius significat nolle se aliter mutuare quam cū vsuris, admittit cōditionem illam: & de eo, qui statim a principio petit formaliter & expresse sub vsuris: Quia licet neuter inducat illum ad peccandum, vt ex præcedenti contro. cōstat, nihilominus prior ille non offert seipsum ad dānū illud patiendū, sed solum admittit, vsurario illud inferente: posterior verò offert seipsum ad illud sustinendum. Vnde re diligenter inspecta dictat recta ratio, vt maior necessitas vrgeat ad petendū expresse & formaliter cum vsuris, quam ad admittendam conditionem de soluenda vsura, quando non offert illam mutuatarius, sed vsurarius ipse illam exigit.

Obseruemus secundo, nomine necessitatis non esse in hac materia intelligēdam extremam aliquam necessitatē, vel grauē indigentiam, qualē patiuntur, qui a nimia paupertate vel ære alieno opprimūtur, sed quā cunque vtilitatem honestam, & sibi pro ratione sui status decentem, veluti si vir nobilis ad aliquos sumptus honestos, & suo statu dignos pecuniis indigeat, etiāsi sumptus illi non sint omnino necessarij, modo honesti sint, nec ab statu in quo existit arbitrio prudentum alieni, censendus est, necessitatem pecuniæ, quam postulat, habere. Dicimur enim communi hominum iudicio earum pecuniarum pati necessitatem, quibus egemus ad quoscunque honestos fines, & sumptus.

Obseruemus tertio non quācunque cupiditatem lucrandi esse peccatum mortale, nam aliter quotquot negotiis incumbunt, & quicunque ludunt, imo & quotquot fere existunt in orbe homines, cuiuscunque ordinis & status essent in statu peccati mortalis: quis enim est qui in suo munere & officio non optet lucrari? sed ea tantum peccatum mortale est, propter quam qui captandis lucris intendit, paratus est per fas & nefas, iuste vel iniuste lucra quærere, & legem Dei, modo lucretur, violare; huiusmodi cupiditas est peccatum mortale auaritię, alia vero qua desiderant quidem aliqui ditescere, sed ita vt cōstituerint simul, quocunque potius lucro priuari, & quodcunque damnum subire, quam iniquitatē aliquam exercere, vel diuinum pręceptum transgredi, poterit quidem peccatum veniale esse ex aliquo nimio affectu, mortale tamen nō est.

His positis sit prima conclusio. *Vt possit aliquis tuta conscientia mutuum accipere cum vsuris, quæcunque necessitas in finem aliquem honestum ordinata sufficit.*

Vnde non solum potest accipere cū vsuris indigens pecunia ad soluēda debita, vel emendas res sibi maxime necessarias, verū etiam ad ornandam domum, vel familiam, vel equos, ad conuiuium quod illum decet, ad delectationes honestas, ad sumptus si vir nobilis sit qui in hastiludis, torneamentis, & similibus ludis militaribus, quos solēt nobiles exercere, exiguntur.

Patet, Acceptio mutui ab vsurario, (sub qua intelligenda etiam est petitio quæ fit simpliciter mutui sine vlla conditione vsuræ, admittitur tamen deinde, quando ab vsurario apponitur) huiusmodi ergo acceptio (vt ex præcedenti contro. constat) est licita, finis quoque, nempe necessitas in finem honestū ordinata, licitus & honestus, ergo huiusmodi acceptio, vel petitio nisi aliqua alia praua circunstantia vitietur, licita est & secura. Hac ratione excusantur a culpa Magnates, & Nobiles accipientes pecunias ab vsurariis, vel petentes illas modo explicato, ad sumptus, qui pro ratione sui status cēsentur vel necessarij, vel decentes saltim, & competentes. Debetq; in his hęc regula obseruari, vt necessitas, vel vtilitas, siue finis & causa quæ illos excusauerit a prodigalitate, excuset etiam a peccato, & culpa petendi mutuum illud sub vsuris: Sumptus dixi, non ludos, nec lasciuiam: de his enim statim dicemus. Hæc prima conclusio, non solū est intelligenda de necessitate propria quam quis patitur, verumetiam de necessitate alterius, cui debemus, vel volumus ex amicitia, vel charitate subuenire: licet enim accipere sub vsuris pecuniam, quam affini vel amico conferre volo, & qua illum

ad

ad similes sumptus video indigere.

Secunda conclusio. *Accipere mutuum sub vsuris, vel petere illud simpliciter, & admittere deinde conditionem de soluenda vsura, sine iusta vel honesta causa, & necessitate, tale peccatum est, qualis fuerit causa & finis, propter quem mutuum illud accipitur sub vsuris.*

Vnde nobilis petens, vel accipiens pecunias ab vsurario ad lasciuiam, ludos, venationes, conuiuia, apparatũ equorum, & famulorum, similesq; sumptus superbos potius & vanos, quam necessarios, vel decentes, tale peccatum committit, qualis iudicabitur esse finis propter quem pecunias illas accipit, vel damnum quod ex illis sumptibus suis suæque familię infert: Hæc enim duo in his diligenter inspicienda sunt, Finis & Damnũ: Nã si finis illius sit peccatũ mortale, veluti fornicatio, vel lasciuia mortalis, acceptio illius pecuniæ cum vsuris mortale quoque peccatum est: Si vero finis illius ad solam prodigalitatem pertineat, quæ ex suo genere venialis tantum est, tunc respiciendum est damnum quod per illam prodigalitatem familiæ suæ infert, nam si damnum illud graue sit, acceptio illa cum vsuris peccatum quoque mortale est, si vero leue, veniale tantum.

Priorem partem huius conclusionis, nẽpe accipientem cum vsuris sine iusta causa & necessitate peccare, probant argumenta illa initio proposita pro opinione Durandi. Posteriorem vero docet Regula illa generalis Doctorum, In omni actu humano malo, & culpabili malitiã, & culpam illius mensurandam esse ex malitia circunstantiarum, quibus vitiatur, & maxime ex malitia & prauitate finis.

Ex hac conclusione sequitur, debere plurimum confessarios Magnatum, & Nobilium inspicere, quę nocumenta & damna illi suę familiæ inferant, vel in sumptibus, & expensis quas ex propriis faciunt in rebus lasciuis, seu vanis, vel accipiẽtes magna mutua cum vsuris: qui enim his, vel similibus viis suis grauiter nocent, vel magna contrahunt debita, nisi desistant, curentq; diligenter, sumptibus suis ad debitum ordinem redactis, debita illa redimere & suæ familię consulere, sunt in statu peccati mortalis, & nulla ratione absoluendi. Ex eadem conclusione sequitur, mercatorem accipientẽ sub vsuris pecunias quibus negotietur, & lucra comparet, licet in eo ducatur sola cupiditate lucri, non semper peccare mortaliter, sicut videtur docere Durandus loco citato; Sed cum duplex sit cupiditas quæ pertingit ad culpam, (vt ex tertia obseruatione constat) quędam mortalis, & alia venialis, mercator accipiens sub vsuris ex cupiditate lucri mortalis, peccabit mortaliter: Qui vero cupiditate lucri venialis peccabit venialiter; Et in hoc sensu intelligẽdus est D. Tho. cum scripsit ad Lectorem illum Florentinum, non excusari a peccato petentem mutuum sub vsuris ad maiores negotiationes, maioraque lucra captanda. Quin & in eodẽ sensu crederem loquutum esse ibi Durandum.

Tertia conclusio. *Ad petendum mutuum formaliter & expresse cum vsuris non sufficit necessitas voluntaria mutuatarij, sed exigitur necessitas quam ille uitare non potest.*

Explicatur hæc conclusio. Quamuis omnis finis vel causa honesta sufficiat ad expẽdẽdas pecunias sine prodigalitate, & vitio, nihilominus quibusdam homines indigent ad fines necessarios, veluti ad sustentationẽ suam suæq; familiæ, ad soluenda debita quę iam contraxerunt, & tenentur soluere, ad emendas possessiones aliquas quæ commode illis emendæ sese offerunt, qua occasione recedente non valebunt ita commode illas vel similes obtinere, ad constituendam dotem filiæ, vel statum filij, ad quod genus etiã pertinet, Magnates in aduentu sui Principis decentius se suosq; ornare: huiusmodi necessitates & his similes non censentur voluntarię, sed necessariæ, & quas moraliter loquendo iuxta humanum morem & consuetudinem homines vitare non possunt: Voluntarias vero appellamus eas, quę licet honestę sint, libere tamen omnino suscipiũtur, ita vt ex defectu illarum, nec status, nec decentia illius vel in minimo minuatur, vt multi sumptus qui a nobilibus honeste quidem fiunt, sine vlla tamen necessitate, vt ludere, venari, plures equos habere, hortos floribus conscitos, tapetibus domos eorum abundare, & his similia. Affirmo igitur, ad accipiendum mutuum, quamcunque causam istarum sufficere, vt ex prima conclusione constat: ad petendum vero statim a principio expresse sub vsuris non sufficere necessitatem quam hic dicimus voluntariã, sed vel priorem illam, vel aliam quam patiens vitare non potest, vel continet seu offert vtilitatem aliquam, cuius carentia censenda est damnum, vt qui amitteret occasionem emendi commode aliquam hęreditatẽ, vel possessionem sibi suisq; vtilem. Probatur hæc conclusio argumentis illis initio

propo

propositis maxime 2. & 3. Quia vt ex precedenti contro. constat, petere formaliter sub vsuris non licet ad redimendam propriam vexationem, vbi vero necessitas mutuatarij voluntaria est, quis dicat illum vexari necessitate mutui, aut iniquitate vsurarij. In his nulla est dubitatio maior vero difficultas est.

AN QVANDO PETENS, *vel accipiens mutuum ab vsurario parato, propter finem qui est peccatum mortale, committat distinctũ peccatum.*

ACCIPIT mutuum cum vsuris adolescens, vt pecuniam illam fœneraticiã cõferat meretrici, cũ qua intendit mechari: constat iam ex dictis hunc peccare mortaliter, cum finis propter quẽ petit ab illo vsurario quamuis parato, sit peccatum mortale, nẽpe Mechia. Quæritur tamen *Sit ne huiusmodi petitio mutui ab vsurario parato peccatum specie distinctum a Mechia, an quædam tantum circunstantia Mechiæ, illam eo nomine grauiorem reddens, quod pecuniam quam meretrici contulit, vt suæ consentiret turpitudini, postulauit ab vsurario?*

Caiet. in summa verb. vsura. cap. 5. & apertius hîc in commento, & Soto lib. 6. de iustitia q. 1. ar. 5. cum doceant petere mutuũ ab vsurario parato non esse mortale ex suo genere, quia seclusa prodigalitate, quæ ex suo genere peccatum veniale tãtum est, nullum aliud reperitur iuxta ipsos peccatum in acceptione, vel petitione mutui ab vsurario parato, consequenter docent, accipientem vel postulantem mutuum ab vsurario parato ad fornicandum committere quidem peccatum mortale ratione finis, non tamen distinctum a fine illo, & fornicatione.

Durand. loco citato, & Sylu. vsura. 7. q. 1. sentiunt esse peccatum mortale distinctũ ab eo, ad quod committẽdum accipitur mutuum: quia sine iusta causa offerre, vel proponere alicui (etiam parato ad peccandum) materiam peccati mortalis est peccatum scãdali, ex suo genere mortale, distinctum specie ab aliis peccatis. Veluti quando mulier formosa sine vlla necessitate offert se conspectui iuuenis, quem scit propensum omnino ad libidinem, & commouendum aspectu ipsius, committit peccatum mortale scãdali: qui vero ex turpi fine postulat mutuũ ab vsurario parato, offert ac proponit illi sine vlla iusta causa materiam peccati mortalis, vnde est illi scandalo, sicque committet duplex peccatum, alterum Mechiæ accipiens mutuum ad mechandum, alterum vero scandali, proponens vsurario, quem nouit paratum, materiam prauitatis vsurariæ.

Sed vtramque sententiam sic conciliare possumus: Vt vel vsurarius ille paratus ad fœnerandum paratus sit, & propẽsus ad omnes vsuras ex quadã malitia, & habitu vsurario: veluti qui cum diues iam sit, nec habeat filios, aut hæredes quibus oporteat ipsum thesaurisare, ex nimia tamen cupiditate quam nulla lucra saturare valent, intendit vsuris: vel est paratus ex passione quadam & fragilitate humana, vt qui licet sufficienter diues sit, habet tamen filios vel hæredes quibus optat pinguem fortunam, ductusq; affectu illo ditandi suos exercet vsuras. Si priori modo se habeat vsurarius, vera est sẽtentia Caiet. & Soti, quia a tali vsurario tantę cupiditatis & auaritię petens vel accipiẽs mutuum, non offert profecto illi scandalum aliquod, cum tanta cupiditate adductus seipso suaque iniquitate iam satis iaceat, & ex consequenti petens ab illo non committet distinctum peccatum, ab eo propter quod mutuum illud accipit: Si vero ob turpem finem; qui peccatum mortale sit, quis accipiat vel petat mutuum ab vsurario parato posteriori modo, vera est sententia Sylu. & Durand. peccanti enim ex passione quadã, vel fragilitate humana proponere materiã peccandi, peccatum est, pertinens ad peculiarem speciem peccati, quam dicimus scandalum oblatum vel actiuum.

Argumenta initio huius controuer. proposita ex his quæ diximus in secunda conclu. & consectariis ex illa deductis manent satis explicata.

In solutione 3. argum. agit D. Thom. de eo qui pecunias suas deponit apud vsurarium custodiendas ab illo, circa quem videamus oportet.

Controuersia. IIII.

AN QVI DEPONIT PECVNIAS *apud vsurarium non habentem alias præter illas, bono tamen animo nimirum, vt apud illum securius custodiantur, cooperetur peccato illius, & teneatur ad aliquam restitutionem?*

CAIETANVS in commento huius art. cui nonnulli recentiores subscribunt, constituit prius, occasione huiusmodi pecuniæ, apud

apud vsurariũ in custodiam depositæ duo peccata ipsum committere, alterum infidelis custodię: Nã cum depositarius debeat custodire fideliter rem vel pecuniam apud se depositam, ita vt in nullos proprios vsus eam conuertat, vel distrahat, vsurarius exercens vsuras ad propria lucra ex pecunia apud ipsum deposita infideliter agit, sicque committit pecatum infidelis custodiæ, erga dominum illius pecunię. Alterum vero iniustitiæ erga mutuatarium cui pecunias illas sub vsuris & fœnore mutuat.

Hoc posito habet duo Caiet. Primo, deponentem pecunias suas apud vsurarium esse participem illius peccati, quod vsurarius committit per illam infidelem custodiam, quia sciens & intelligens illum vsurarium esse, & pecunias suas distracturum, offert ac proponit illi materiam peccati, & infidelis custodiæ: Quo circa debet imputari illi ad culpam, quod exigat actum custodiæ ab eo, quem probabiliter nouit actum illum infideliter præstaturum. Quod si obieceris Caietano: Qui petit mutuũ ab vsurario, esto certo agnoscat eum non pręstaturum actum illum absque peccato, non propterea peccat, ergo neque ille qui deponit pecuniam apud ipsum, vterque enim vtitur iniquitate illius in proprium cõmodũ. Respõdet pętẽtem mutuũ non proponere illi aliquã materiam peccati, sed postulare tantum ab ipso actum quem, honeste, ac iuste exercere potest, nempe actum mutui: quod vero ille nolit aliter mutuare quam sub fœnore, vitio eius fieri, non culpa postulãtis mutuum: At qui tradit pecunias vsurario, quem nouit vsurarium, quamuis eo tantum fine illas tradat, vt securius ab eo custodiantur, offert nihilominus illi ac proponit materiam peccati infidelis custodię, sicut qui traderet gladium furioso, vel cõmendaret virginem viro lasciuo, offerre autem, (vt proxime præced. cõtro. diceba mus) parato ad peccandum materiam peccati, peccatum est.

Docet secundo iniquitatis & iustitiæ quam committit vsurarius per vsuras, deponentem pecuniam apud vsurarium non esse participem, cum non tradiderit illi pecunias suas, vt cum illis exerceat vsuras, sed in custodiam tantum & depositum. Ex quibus infert deponentem pecunias suas apud vsurarium venialiter tantum peccare, quia cum infidelis illa custodia vsurarij non cedat in damnum aliquod deponentis pecuniam apud illum, vt constituimus, venialis tantum culpa est. Sentitque Caieta. (quod certe mirandum est) hanc esse mentem D. Tho. ad tertiũ cum illud nõ habeat apertè Doctor Sanctus.

Nituntur vero Caietanus, & qui illum sequuntur suam sententiam sic probare. Primo. Qui petit mutuum sub vsuris ab vsurario parato, vt qui petit mutuum ab illo conferens illi in pignus rem fructiferam, non peccat, ergo neque qui tradit illi suas pecunias custodiendas: Probatur consequẽtia, quia vterque in hoc casu eodem omnino modo sese habet. Etenim si dixeris deponentem pecunias apud vsurarium offerre illi materiam peccandi, materiam quoq; peccandi offert ac proponit illi petens mutuum ab eo, & conferens illi in pignus rem cuius fructus ipse recipiat pro mutuo. Similiter si tradens illi pecuniam, præuidit ac nouit illum paratum ad exercendas vsuras ex illa pecunia, prędidit etiam ac nouit petens mutuum ab illo, non aliter illum mutuaturum quam sub vsuris: Si petẽs mutuũ non intendit peccatum vsurarij, sed suæ tantum consulere necessitati, neque intendit peccatum aliquod ipsius committens illi suam pecuniam, sed solam securitatem & custodiam illius. Vnde cum eadem sit vtriusque ratio, sicut petens ab vsurario mutuum nullam committit iniustitiam, ita neque deponens apud illum pecuniam suam.

Secundo, si peccaret, profecto non alio peccato, quam peccato scandali, quasi inducens illum ad vsuras, & cooperando illis ac dãno mutuatarij, sed cum vsurarius iste sua prauitate sit satis paratus ad exercẽdas vsuras, nullum illi offert alter scandalum, ergo neque committit iniustitiam.

Tertio. Quando viator confert latroni pecunias ad redimendam suam vexationẽ, esto sciat latronem illis abusurum in iniuriam tertij, non peccat, ergo neque deponens pecuniam apud vsurarium, esto sciat illum vsurariũ esse, censendus est peccare, maxime peccato iniustitiæ, cum id tantum instituat, habere pecunias suas apud illum securius custoditas.

Denique. Quæ est potissima ratio Caietan. qui deponit pecuniam apud vsurariũ, non intendit iniquitatem illius, nec damnum mutuatarij, sed commoditatem suam, quod autem ille iniqueillis vtatur, solius vsurarij vitio accidit, cum ergo liceat vnicuique vti peccato alterius ad proprium commodum, licebit etiam huic deponere

pecu-

pecunias suas apud vsurarium.

Dominus Soto lib. 6. de iusti. q. 1. art. 5. ad secundum, & plerique ex discipulis D. D. Thom. prius illud dictum Caiet. verum indicant; posterius vero omnino falsum, & contra mentem D. Thomæ in hac solutione tertij argumẽti: Affirmat namque deponentem pecuniam apud vsurarium qui nullas alias habeat, ex quibus fœneretur, præter eas quæ apud ipsum deponũtur, peccare contra iustitiam, & teneri ad restituendas omnes vsuras, quas vsurarius ille extorserit a mutuatariis cũ illis pecuniis. Hanc esse mẽtem D. Tho. ex verbis eiusdem solutionis fit perspicuum: constituit enim in ea D. Thom. tribus modis posse pecuniã deponi apud vsurarium. Primo, vt deponatur apud eum qui nullam aliam habeat, prę ter eam quę illi committitur custodiendã, bono tamen animo, quia eo tantum fine, vt securius ab illo custodiatur. Secundo, vt deponitur apud vsurarium habentem quidem alias pecunias, eo tamen animo, vt iũctis illis quæ apud ipsum deponuntur maiores exerceat vsuras. Tertio, quando deponitur pecunia apud vsurarium habentẽ alias proprias, sed eo animo, vt illas tantũ custodiat, quia apud eum securius iudicantur custodiri quam apud alios. Qua distinctione posita ait: deponentem pecuniam apud vsurarium primo, vel secundo modo dare illi materiam peccandi, esseque vtrumque participem culpæ quam vsurarius cõmittit: deponentem vero apud illum tertio modo non peccare, sed vti tantum peccato illius ad bonum finem, suum scilicet commodum & securitatem. Vnde est argumentum. D. Thomas ęquales facit in delicto, & eiusdem culpæ participes deponentem primo modo pecuniã apud vsurarium, & deponentem secundo modo, at qui deponit hoc secundo modo, & cum ea intentione, committit peccatum iniustitię, & vsurę cõtra mutuatarios, ergo & qui deponit illo primo modo committit etiam peccatũ iniustitiæ, & vsuræ. Et confirmatur ex verbis eiusdem D. Thom. ait enim vtrunque esse participem culpæ vsurarij, sed culpa vsurarij simpliciter & formaliter, quomodo loquitur hîc D. Thom. est iniquitas vsuraria, qua extorquet vsuras a mutuatariis, ergo huius iniquitatis & iniustitiæ est particeps, qui deponit pecuniam apud illum tam primo, quam secundo modo.

Secundo. Qui committit gladiũ furioso, aut virginem viro turpi, vel cibum guloso, quibus exẽplis vtitur hîc D. Thomas, peccat grauiter, & tenetur ad compensandum damnum, si fuerit aliquod inde subsequutum, vt si furiosus ille aliquem occiderit, vel lasciuus ille turpisque vir virginem sibi commendatam violauerit: cuius nulla alia ratio est, nisi quia prębuit materiã peccandi, & occasionem inferendi damnum illud, sed qui deponit pecuniam suam apud vsurarium, quem nouit paratum ad fœnerandum, nec habere alias pecunias quibus iniquitatem suam exerceat, pręter eas quas illi tradit, offert illi omnino materiam peccandi, & occasionem proximam fœnerandi, ergo peccat similiter, & tenebitur ad cõpensandas illas vsuras.

Et confirmatur magis ex primo exemplo adducto, qui dat gladium apud se depositum domino suo petenti illum ad inferendam alteri iniuriam, vel damnum (vt vidimus primo tomo 62. ar. 5. contro. 2.) est particeps illius iniuriæ, & culpę, teneturque ad restitutionẽ illius damni, ergo multo magis qui deponit pecunias apud vsurarium, quem scit vsurum illis ad extorquendas vsuras a mutuatariis. Probo consequentiam, quia magis licitum videtur restituere rem depositam domino illius petenti illã, quam deponere pecunias apud vsurarium: etenim qui petit depositum, petit rem suã, & sibi debitam, & quam simpliciter & absolute teneretur depositarius ei restituere, nisi immineret periculum illud nocendi alteri, nullo autem iure, nec simpliciter & absolute, neque ex aliqua circunstantia, tenetur aliquis pecuniam suam apud vsurariũ deponere: Quo fit, vt magis voluntarie cõcurrat deponens pecuniam suam apud vsurarium ad iniquitatem vsurariam, quã qui restituerit gladium apud se depositum domino suo petenti illum in alterius nocumentum.

Tertio, Qui cõferret pecunias vsurario, quibus sciret illum fœneraturum, peccaret mortaliter, & tenetur ad restituendum lucrum vsurarium, quod cũ eis vsurarius ille recepisset, quia conferens vsurario pecunias illas cooperetur culpę, & dãno quod mutuatarij illa accipientes sub fœnore patiuntur, & ex regula illa, *Si tua culpa damnum datum est, iure super eo te satisfacere oportet.* De iniuriis & damno dato, tenetur damnũ illud restituere. Sed idem omnino sunt quantum ad iniquitatem vsurarij, & damnum mutuatarij, cõferre vsurario pecunias quas fœneraturus est, vel deponere suam pecu-

pecuniam apud illum, cum non habet aliã cum qua exerceat vsuras, ad quas est paratissimus, ergo peccat hic, teneturque ad restitutionem, sicut & ille.

Quarto, Qui confert alicui instrumenta quibus alteri noceat, esto iam a seipso ille paratissimus esset ad damnum illud inferendum, cooperatur peccato illius, & tenetur ad satisfactionem damni, quod ille cum illis instrumentis fratri intulerit, sed qui deponit pecuniam apud vsurarium paratum, nec habentem alias proprias quibus fœneretur, prębet illi instrumẽta exercendi vsuras, ergo cooperatur iniquitati vsurarij, & tenetur ad satisfactionem vsurarum quas ille recipiet a mutuatariis. Minor cũ consequentia perspicua est, cum pecuniæ sint instrumenta exercentium negotia cum illis, siue iusta & honesta illa sint, siue iniqua & vsuraria. Maior vero probatur, quia causa instrumentalis reducitur ad genus causę efficientis, qui uero concurrit efficienter ad aliquod peccatum, peccat sicut & præcipuum agens, habeturque in iure. L. Si pignore. §. qui ferramenta. ff. De furtis: Vt si quis latroni parato ad ingrediendam domũ alicuius clauem prębeat adulterinam, aut ferramenta quibus fores effodiat, imputabitur illi furtum a latrone illo commissum.

Denique, Qui præbet consilium minoris mali ad vitandum maius, sed ita vt malũ illud quamuis minus sit in præiudicium tertij, particeps est iniuriæ quę infertur illi tertio, vt superius docuimus contro. prima huius art. ergo multo magis qui deponit pecuniam apud vsurarium, cum per illam depositionem non auertatur vsurarius ab aliquo maiori malo committendo, quin potius offertur illi materia, & occasio inferendi damnum aliis cum illis pecuniis, quod illis carens non inferret.

Sunt qui respondeant his argumentis, maximum esse discrimen inter mutuatariũ soluentem vsuras, & eos quibus infertur damnum aliquod vel iniuria: quia mutuatarius, ipse quærit pecunias ab vsurario, & mouetur ad illas quęrendas á sua necessitate, recipiẽsque illas habet commoditatẽ, cũ per eas occurat suæ necessitati, quæ cõmuniter grauior illi est, quam vsurarum solutio, vnde non conqueritur de eo qui pecunias illas apud vsurarium deposuit, quin potius gaudet se inuenisse vsurarium, a quo mutuo illas accipiat, cum indigeat illis, nec habeat amicum qui gratis sibi velit mutuare. Qui vero damnum aliquod vel iniuriã ab aliquo recipit, vt percussus & exspoliatus ab illo, medio aliquo instrumento ab alio accepto, vtriusque culpa damnum illud patitur, & iuste de vtroque conqueritur: qua de causa conferens alteri instrumenta, vel ferramenta quibus alicui tertio noceat, cooperatur peccato illius; at qui deponit pecunias suas apud vsurarium, eo tantum fine, vt securius apud illum custodiantur, non cooperatur peccato illius. Hac ratione sentiunt sententiam illam Caietani probabilem satis esse, ac teneri posse.

Sed qui ita docent, non satis considerarunt propriam rationem & naturam vsurę, iniquitas namque eius non consistit in eo quod vsurarius præueniatur, vel quæratur a mutuatario, neque in eo quod per vsuras maius vel minus damnum patiatur mutuatarius, quam sint vsurę illæ quas reddit, neq; in eo quod sentiat sibi iniuriam fieri & cõqueratur, vel secus, sed in eo quod recipiatur ab ipso aliquid vltra sortem ex vi mutui: ita vt quantumuis mutuum illud vsurarium vtile forsan illi sit, & gratum, exercet nihilominus vsurarius iniquitatem vsuræ, si quid ratione illius mutui recipiat vltra sortem. Quo fit, vt quicunque concurrit ad mutuum illud mutuatario conferendũ, concurrat etiam ad iniquitatem vsurariã, quæ in illo committitur: negari autem non potest, deponentem pecunias suas apud vsurarium qui alias non habet vnde vsuras exerceat, scientemque certo pecunias illas ab eo sub fœnore esse mutuandas, esto solum intendat illarum custodiam, eo ipso quo illud nouit, & tradit vsurario, perinde omnino se habere, ac qui traderet gladium furioso, vel clauem adulterinam latroni, & cooperari peccato, ac iniquitati illius vsurarij.

Ex his sequitur aperte deponentes pecunias suas apud vsurarios illis duobus prioribus modis, quos hîc proposuimus ex D. Thom. cooperari iniquitati vsurarij, & teneri ad restitutionem vsurarum, quas cum illis pecuniis apud ipsum depositis extorserit a mutuatariis.

Nunc ad argumenta in oppositum. Ad primum respondeo, maximum esse discrimen inter petentem mutuum ab vsurario, & deponentem pecuniam suam apud illũ, nam petere mutuum tantum est velut conditio sine qua non exerceret ille vsuras, vnde non concurrit actiue ad culpam vsurarij, at qui deponit pecuniam apud illum, est causa instrumẽtalis & effectiua peccati vsurarij, & damni quod infertur mutuatario,

Tum

Tum etiam, quia petens mutuum ab vsurario nemini facit iniuriam, sed ipse potius patitur illam, qui vero deponit pecuniã apud vsurararium, facit iniuriam mutuatariis, a quibus vsurarius ille vsuras recipiet, qua de causa huiusmodi damnum illi imputatur, cum posset ac deberet vitare illud.

Ad secundum, respondeo non peccare deponentem pecuniam apud vsurarium de quo hic agimus peccato scandali, cum vsurarius ille sua iniquitate propria, sit satis inductus ad fœnerandum, sed peccare contra charitatem, & iustitiam debitam mutuatariis, quia prębens illi instrumenta & materiam vsurę, concurrit cum illo efficienter ad vsuram illam, & ad damnum quod recipiunt mutuatarij illam persoluentes.

Ad tertium respondeo, maximum esse discrimen inter viatorem tradẽtem pecunias suas latroni, & deponentem illas apud vsurarium, nam etsi deponat illas vt commodo suo consulat, vidẽs ab vsurario securius esse custodiendas quam ab aliis, hęc tamen commoditas non est dicenda necessitas aliqua seu vexatio, ad quam redimendam liceat ei offerre vsurario materiam peccati. Qui vero incidit in latrones, quamuis sciat pecunias suas in alterius damnum conuertendas, cum tamen existat in vrgenti periculo & necessitate, cui debet potius prospicere quam aliene; potest tuta conscientia pecunias illas ad propriam vexationem redimendam latroni conferre, quidquid sit de damno alterius.

Ad vltimum respondeo, vt quemadmodum habens gladium apud se depositum tradens illum domino ipsius, quem nouit iniquo animo illum postulare, cooperatur peccato illius, eo ipso quo nouit tali gladio illum male vsurum, esto nõ restituat illi gladium suum alio fine, quam vt rem apud se depositam domino suo illam postulanti restituat, quia licet finis hic secundum se bonus sit & debitus quando tamen nouit malum animum alterius, tenetur debetq; omnino vitare illud quantum potest, & propterea non restituere. Eadem ratione etsi intendere securiorem suarum pecuniarum custodiam liceat quidem, non tamen cum damno alterius, & cum certum illud sit, si apud vsurarium deponãtur, propterea nulla ratione licet apud eũ illas (modo explicato) deponere: ne offerat illi instrumenta, quibus per mutua vsuraria aliis noceat, & cooperetur iniquitati illius, ac dãnis quę mutuatarij acceptis mutuo illis pecuniis patientur.

Et hæc de tota hac quæstione de Vsuris.

DISPV-

DISPVTATIO DE CENSIBVS AVTHORE EODEM F. MICHAELE SALON.

DISPVTATIONI de Vsuris quam hactenus persequuti sumus proximæ sunt, & affines nõnullæ aliç, de quibus a nobis hoc loco disserẽdum est: veluti de Cẽsibus, de Cambiis, de cõtractu Societatis, Assecurationis, & aliis similibus, in quibus vsuraria iniquitas, vel aliqua alia iniustitia illi similis hominũ vitio, & cupiditate miscetur nonnunquã. Agemus autẽ primum omniũ de Cẽsibus, vt ex his ad difficillem explicationem Cambiorum gradum faciamus: In quibus explicandis singulas dispuationes, methodum D. Thom. imitantes in suos art. distribuemus.

Agunt de Censibus Scholastici Theologi in 4. dist. 15. peculiariter Grab. q. 12. Et Ioan. Maior. Conrradus de contractibus a q. 72. vsque ad quæst. 86. Ioan. Medina Cod. De restit. peculiari quæst. De Censibus. D. Ant. 2. p. tit. 1. cap. 8. Siluester in verbo Vsura. q. 12. & 15. Soto lib. 6. De iust. q. 5. Michael Palat. de contracti. lib. 4. cap. 6. & duobus seq. Iurisperiti in cap. In ciuitate. De Vsuris. potissime Nauar. in Commento. cap. Si fœneraueris. 14. q. 3. num. 69. Couarru. lib. 3. variar. resolut. cap. 7. 8. & 9. Conciuis noster, Petrus Belluga in suo Speculo Principum Rubrica de Censualibus. Franc. Sarmiento libr. 7. Selectarum interpretationũ. Et nouissime vir profecto eruditus, Felicianus Solis in suo opere de censibus. Quorum omniũ & aliorum multorum studiis hoc loco vtemur.

De censibus igitur disputaturi videamus Primo.

ARTICVLVS. I.

Quid sit Census, & quotuplex?

VOCIS huius varię afferũtur a DD. significationes, maxime a Didaco Couar. loco citato initio cap. 7. ita vt primum omniũ dicatur Cẽsus descriptio, seu ęstimatio patrimonij, & bonorũ, quę singuli ciues possident, vt iuxta illorum facultatem ab vnoquoque Reipub. vel Principi tributum aliquod persoluatur: qua ratione sumitur ab Vlpiano in. l. Vitia. & in. l. Forma. ff. de Censibus.

Dicebatur etiã census simili quadã ratione descriptio illa & enumeratio ciuiũ, quæ Romæ fieri solebat ad distinguẽdos status, iuxta quos munia publica tã belli quã pacis tẽpore inter Ciues Romanos distribuerẽtur: vt referũt Budeus in. l. vlt. ff. de Senat. & Couar. loco cita. Vnde & liber huiusmodi descriptiones continẽs, siue patrimoniorũ, siue singulorũ ciuium per Sinecdochen quandã cẽsus etiã appellari cepit: qua ratione Marcel. I. C. ait in. l. cẽsus. ff. De probat. *Cẽsus & monumẽta publica potiora testibus esse.* Dicitur tertio cẽsus quidquid superiori alicui redditur in signũ subiectionis, iurisdictionis, & Imperij, vel dominij, in quo sẽsu sumitur Cano. Quesitum. i. q. 3. diciturq; frequẽtiori voce Tributũ. De qua significatione egimus abũde superius in tract. de Vectig. art. 1. Sumitur quarto maxime in Iure Põtificio pro eo cõtractu, in quo absolutus rei alicuius dominus pleno iure illam alteri tradit, omne dominium illius tam directum, quam vtile in eũ transferens, sub nullo pretio vel saltim exiguo; sed ea lege, vt in illius pretij defectum, vel pristini dominij recognitionem certa pecuniæ quantitas singulis annis sibi perpetuo persoluatur. Vn cũ dominus vineæ valentis 300. illam alteri pleno iure, & cum vtroq; dominio tam directo, quam vtili pro 100. aureis, vel sub nullo confert, sed ea lege, vt perpetuo ex illa vinea 12. aurei annui sibi soluatur. De quo censu agitur in cap. Constitutus. de Relig. domibus. & ibi Glosa, & Panormitanus, Bartolus in l. 1. ff. de publican. Immola in cap. Audiẽtiam. *El segundo* de rebus Eccles.

& alij multi vtriusque Iuris Doctores variis in locis.

Demum dicitur census, Ius, quod aliquis habet recipiendi ab alio pensionem aliquã, siue pecuniæ, siue alterius rei vtilis in annum, mensem, vel aliud tempus. Quam significationem colligit Nauar. in Commento de Vsuris. nu. 69. argum. Ex cap. Peruenit. De Censibus. Et cap. Præterea. De Iure Patro. Quæ significatio est omnium communior: huiusmodi enim iura sunt, quæ communiter dicuntur Census: Appellanturque accommodato certe & significanti vocabulo a nostris *Iuro*, vel annui redditus, quorũ in Hispania tam frequens est vsus. Emuntur autem communiter exhibita & numerata pecunia, tanquam vero huiusmodi iuris pretio. Vt qui vult Valentię in domo, vinea, vel aliis bonis Petri, habere ius recipiẽdi singulis annis 100. aureos collatis Petro mille & quingentis, acquirit sibi illud ius: similiter Castellę, qui vult in bonis alterius habere ius recipiendi. v.g. mille dipondios, collatis illi quatuordecim millibus acquirit sibi illud ius, quod appellamus censum. Differt autem plurimum, vt art. proxime sequenti videbimus a censu, tam in hac vltima significatione, quam in quarta proxime precedenti sumpto, cõtractus ille qui dicitur Emphyteusis: quamuis a plerisque ex vulgo appelletur etiam census quibusdam barbarisimis vocibus illi additis, vocant enim illum censum cum fatica & laudimio.

Ex his significationibus duæ istæ posteriores quarta scilicet & quinta proprię sunt huius loci, & instituti, quamuis nec quæ ad emphyteusim pertinent præterire liceat, tum propter opinionem eorum qui existimarunt non differre censum ab emphyteusi, tum maxime propter similitudinem quam inter se habent in annuis redditibus emphyteusis & census.

DE ORIGINE CENSVS.

VNDE ortum habeat contractus hic, de quo nunc dicere instituimus, res incerta est, loquor de eo cuius frequens est vsus, quem redimibilem dicimus. Nam ille perpetuus in quo res aliqua à vero ipsius domino alteri tradebatur sub certa annua pensione vetustisimus est, huiusmodi enim erat ille cui subiecit Ioseph. Genes. 47. totam terram Aegypti. Hunc vero redimibilem non fuisse introductum iure gentium perspicuum est, cum neque apud omnes prouincias & nationes legatur fuisse antiquitus in vsu, neque vlla mentio ipsius fiat in toto corpore Iuris Ciuilis, vel antiquioribus legibus Regnorum, sed paulatim & sensim videatur incepisse. Prima illius mentio fit, vt refert Molinęus de Vsuris. q. 75. nu. 586. In Nouella constitut. 160. vbi Aphrodiensis Reipub. Pater, id est defensor, & patronus, & primiores eiusdem ciuitatis, vnde oriundus fuit pręstantisimus ille Aristotelis interpres Alexander Aphrodisęus, cum magnam vim pecunię haberent collectam ex legatis eidem ciuitati factis, ne illa inutilis, ac sterilis omnino maneret, sed necesitatibus ciuium salua sorte deseruiret, sub tali forma illam distribuere sanxerunt, vt possent quicunque vellent illius participes esse, ea lege, vt qui sortem aliquam reciperet non compelleretur ad eam restituendam donec vellet, sed ita vt quandiu illam apud se retineret certum aliquem annuum redditum ciuitati penderet: qui contractus est re ipsa iuxta formam censuum, qui adeo nunc sunt in vsu, quos redimibiles dicimus. Vnde tempore clarisimi illius Imperatoris Iustiniani iam extabat census, non quidem inter priuatos ciues, vt recte scribit Franciscus Sarmiento libro. 7. Selectarum interpretat. sed Reipublicæ tantum, vel Principi concessum, vt ex illa nouella colligitur: inter priuatos vero ciues, neque ex Iure, neque ex historiis, vel monumentis DD. fuisse censum apud antiquos in vsu colligere licet, nullibi enim priuatum aliquem, vel re sua alteri collata, vel tradita pecunia, censum ab illo annuumque redditum recepisse legimus, ante duas illas Extrauag. Martini V. & Calixti III. Quarum prior quę Martini est, fuit ædita tẽpore Cõcil. Constans. anno salutis nostræ 1423. Altera vero Calixti III. anno 1455. de quibus inferius dicemus: quamuis & inter has duas fuerit etiam ædita alia a Nicolao V. anno 1452. Kalend. Octobr. sui Pontif. anno 6. specialem constitutionem continens pro Regno Ciciliæ citra & vltra Farum, extatque inter Pracmaticas Alphonsi primi Regis Aragoniæ, Sicilię, & Valentiæ. In Hispania nouus etiam contrãctus censetur, cum neque in legibus quas vocant Partitarum, neque in veteribus Compilationibus legũ Hispaniæ aliqua illius mentio fiat, sed prima, quę de illo àRegibus Hispanię lata est, habea-

habeatur intra leges, quę dicũtur Tauri edi tâ à Regina Ioãna vxore Philippi I. Matre inuictissimi illius, & sanctissimi Imperatoris Caroli V. anno. 1509. post quas extant aliæ latæ à Carolo V. & Philippo II. insertæ in noua compilatione legum Hispaniæ lib. 5. titulo *De los Censos*. Apud Aragonios extat etiam constitutio de annuis redditibus, quæ incipit: *Desseantes prouehir* libr. 4. legum Aragoniæ. titu. De Vsuris. Et in nostro Regno Valentiæ extant in legibus municipalibus huius Regni, quas vocamus Foros, & Priuilegiis Regum variæ quoque leges circa omnia genera censuum latæ à Iacobo I. Petro II. Alphonso III. Ferdinando II. & Carolo V. è quibus illis in progressu huius disputationis vtemur, quas ad iudicium conscientiæ circa censuum institutionem, solutionem, vel redemptionem viderimus spectare.

Quotuplex sit census.

CONRRAD. de contract. q. 72. varias affert (vt habet de more) censuum diuisiones, quas omnes ad hæc capita reducere possumus: Vt diuidatur primo ex modo quo instituitur in Reseruatiuum, & Cõsignatiuũ: Reseruatiuus dicitur, quando transfert aliquis dominium suorum bonorum in alterũ, reseruata sibi aliqua pẽsione in pecunia, vel fructibus singulis annis reddenda: de quo in l. fina. Cod. de rerum permutatione. In qua significatione diximus paulo ante sumi censum quarto loco, assimilatur hic aliqua ex parte emphyteusi, sed ab illa plurimum differt: Consignatiuus est, quando retinet quidem aliquis sua bona, obligat tamen illa ad soluendum aliquem annuum redditum, & hic est qui habetur communiter in vsu.

Diuiditur secundo ex parte rei cui imponitur, & super quam constituitur: qua ratione alius est realis in re aliqua constitutus, alius personalis, qui super personam immediate imponitur: Quibus possumus addere mixtum, siue realem simul, & personalem, quando ita imponitur bonis, vt illis pereũtibus, maneat nihilominus & persona deuincta ad illius census solutionem.

Diuiditur tertio ratione rei in qua annua pensio reddenda est in Fructuariũ, vel Pecuniarium: Fructuarius est, quando pensio reddenda est in fructibus; Pecuniarius vero quando in pecunia. Rursum fructuarius alius certus est, & definitus, vt cũ certa fructuum Cotta assignata est, siue annus fructibus abundet, siue sterilis existat; alius vero incertus, vt cum assignatur tantum quarta, vel quinta pars fructuum, qui colligentur.

Denique diuiditur ratione durationis: sed variis modis. Primo, in perpetuum, & temporalem. Secundo, temporalis, vel certo tẽpore, vt per 20. vel 30. annos: aut incerto, vt cum instituitur durante vita vnius, vel pluriũ, qui dicitur vitalitius. Tertio ex his omnibus quidam redimibiles sunt, alij vero irredimibiles; Redimibilis dicitur cum is qui seipsum ad reddendam annuam pensionem obligauit, reddito eodem pretio, quod pro illa accepit, potest ab illa seipsum suaque bona liberare, & redimere: Irredimibilis vero, quando illud non potest.

Ex his colliguntur potissime quinq; genera censuum, de quibus seorsum, & priuatim dicamus oportet. Primus est reseruatiuus, cuius occasione agemus primo loco de Emphyteusi, tũ propter similitudinem quã habent, tum maxime, quia ex differentiis quibus inter se distinguũtur propria vis & ratio primi census manebit perspicua. Secũdus est consignatiuus & redimibilis, de quo præcipua erit hoc loco disputatio propter frequentissimum illius vsum, & maximas circa illum exortas difficultates. Tertius est consignatiuus, sed irredimibilis & perpetuus. Quartus vitalitius. Vltimus est qui à nostris dicitur debitorium, quod genus quoddam census est impositum rei permanenti & fructiferæ alteri venditæ, quandiu pretium illius priori domino qui illã vendidit, non redditur.

De singulis suo ordine dicamus.

ARTICVLVS II.

QVID SIT EMPHYTEVSIS, *Et qua ratione a censu distinguatur?*

PRIMVM genus, census quod nunc explicãdum se offert, ille census est, quem reseruatiuum dicimus: qui licet non sit ita modo in vsu, vt de nouo à multis instituatur, extant nihilominus multi in diuersis locis antiquitus instituti, possentque similiter nunc etiam institui, re aliqua immobili, & fructifera à proprio illius domino pleno iure alteri tradita, sub conditione, & pacto recipiendi perpetuo

annuam aliquam pensionem in pecunia, vel fructibus. Huic censui similis quidem est aliqua ex parte emphyteusis, distinguitur tamen plurimum ab ea.

Emphyteusis vox Greca est, Latine idē sonans quod plantatio, siue melioratio: Cœpit enim hic contractus, cum plures habens terras quas omnes colere non valebat, ne aliquæ steriles & inutiles manerent, illas alteri cōferret, vt ab illo cultæ variisq; plantis ornatæ meliores redderētur: conferebantur autē non pleno quidē iure, sed ea tantū ratione, vt eas coleret, fructusq; perciperet tanquam vsufructuarius illarū, reddita vero illarū domino singulis annis aliqua fructuū parte, vel in eisdē fructibus, vel in pecunia: Et quamuis antiquitus concederētur hoc modo viles solum terræ, vel quæ alicui plures possidenti redundabant, vsus tamen deinde obtinuit, vt quascunq; possessiones, siue prædia, siue ędificia, & domos per huiusmodi contractum emphyteusis alteri tradantur: vt constat ex l. 1. Cod. De iure emphyteu. Vnde dicitur emphyteuta qui rem immobilem a vero illius domino, aut illius hærede colendam, vel meliorandam sub certo pretio, certisque pactis, & conditionibus perpetuo, vel ad tēpus accipit: vt habetur in Auth. De nō alie. §. Emphyteusim.

Vnde conueniunt census reseruatiuus & emphyteusis in eo, vt sicut per emphyteutraditur alteri res immobilis & vtilis, sub pacto recipiendi ab illo certam aliquam annuā pensionem, ita & in censu reseruatiuo.

Differunt autem in pluribus. Primò, eo quod in emphyteusi solum transfertur in recipientem, & emphyteutam dominium vtile, naturalisq; possessio illius rei, ratione cuius rem illam penes se habere, colere, & fructus illius percipere valet, dominium vero absolutum, & proprietarium quod vocatur directū, manet apud priorem dominū, qui rei suæ solam possessionem naturalem & fructus illius contulit; Que duo dominia distincta & diuersa esse (quamuis nonnulli aliter sentiant) habet communis & recepta omnium fere DD. sententia: constareq; vel ex eo potest, quod vsufructuarius non est dominus rei quam penes se habet, & cuius fructibus vt suis vtitur. l. 1. ff. De vsufructu. l. Rectè dicimus. ff. De Verb. signif. Vsufructuarium vero rei cuius vsufructuarius est, habere naturalem possessionem dominiumque vtile, quod idem est, quod vtilitas rei, experientia ipsa constat: non quidem ita absolutum & perpetuum, vt emphyteuta, verumtamen quandiu vsufructuarius est. In censu autem reseruatiuo, de quo hic agimus, vtrunque dominium tā directum quam vtile, omnisque possessio tam naturalis quam ciuilis transit in eum, cui res illa per huiusmodi censum confertur, quem censuarium appellant, solumque manet apud priorem & antiquum dominum ius illud percipiendi annuam pensionem. Ex hac prima differētia perspicuū fit, Emphyteusim in rebus tantum immobilibus & permanentibus locum habere, tum, quia ius perpetuū est (saltim cōmuniter) tū potissime, quia emphyteutæ conceditur dominiū vtile, siue vsus, manente in alio vero directoq; dominio, quæ duo in rebus vsu consumptibilibus non distinguntur, sed in his tantum quæ non consumuntur vsu, & immobiles sunt, ac permanentes. Conueniunt in hoc primo discrimine quotquot sunt DD. in cap. Constitutus. De relig. domib. & cap. 1. de in integ. restit.

Ex his colli, primo cēsuarium absolute & simpliciter esse dominū rei cui census reseruatiuus impositus est, emphyteutā vero nō esse absolutum rei dominū, sed vtilitatis tātū, & fructuum. Secundo in imphyteusi, esto res illi subiectæ vēditæ, donatę, vel alio quocunq; nomine traditę dicantur, contractū tamē ipsum si recte propria illius vis & natura conideretur, nec venditionem esse, nec donationem rei, nec propriè locationem, vt docet Syluest. verb. Emphyteusis. in princip. sed quid mediū inter venditionem & locationem, accedere tamē magis ad locationem, ita vt sit velut perpetua quædam locatio rei immobilis, & vtilis, ad percipiendos fructus illius sub annua pensione, aliisque pactis & conditionibus tanquam in pretiū illius rei sibi in perpetuum locatę, quam locationem Hispanè dicimus *arrēdamiēto de tierras*. Vnde differt emphyteuta a locatore fūdi vel agri, quia huiusmodi locatio per aliquod certū & prefixū tēpus esse solet; vtilis vero possessio rei per emphyteusim acceptę perpetua. Similiter ab vsufructuario, quia hic ad tempus quoque tantum habet vsumfructum, & gratis: Emphyteuta vero perpetuo, & sub annua pēsione, aliisque pactis loco pretij. Conuenit autem cum illis in eo, vt sicut in locatione, & concessione vsusfructus absolutum plenūque dominiū penes alium manet, ita in emphyteusi.

Vbi antequā ad alia progrediar, hęc duo obseruanda sunt. Prius est, Ius Emphyteusis

ticũ trãsire ad hæredes, etiã extraneos. Est enim in hac parte, quidquid alij sentiãt, tenenda sentẽtia Io. de Imol. in c. fina. De locato. vt admonet Sylu. in verb. Emphyteusis. §. 2. dicto. 7. qui asserit trãsire in illos, etiã in re Ecclesiastica, modo sit illa cũ debita solẽnitate collata, vt cõstat in. 6. De rebus Ecclesiæ non alienã. &. 12. q. 11. Cano. Sine exceptione. Quod autẽ tradit idẽ Ioã. de Immol. eodẽ loco, vbi quis rẽ aliquã in emphyteusim recipit pro se suisq; filiis, solos viros intelligẽdos esse, minime vero fœminas, iuxta regulã illã Archidiaco. in Cano. Si quis suadẽte. 17. q. 4. In cõtractibus masculinũ nõ concipere fœmininũ, iuxta l. Veteribus. ff. de pact. nõ censeo omnino verũ: Sed imprimis, standũ esse verbis cõtractus, ita vt si in eo exprimãtur soli filij viri, & masculi, verũ habeat quod docet Immol. Si vero solũ dicatur filij, nec exprimatur, sermo esse de solis viris & masculis, standũ sit cõsuetudini patriç a rectis iudicibus obseruatæ: vbi vero ex tali cõsuetudine nihil certũ poterit deprehendi, nomine filiorũ intelligẽdæ quoq; filiæ sunt, cum tã in sacris litteris, quã in iure, quã communi omnium hominum sermone, vbi non exprimitur per filios intelligi solos viros, hoc nomen tam viris quam fœminis commune sit, poteritque pater in foro animæ, nisi lege aliqua prouinciç, vel aliquo vinculo prohibeatur, rem quã sibi & filiis suis accepit in emphyteusim, filiabus quoq; suis pro libito mãdare. Obseruandũ secundo est possessiones Ecclesiarũ, vel religionũ (nam de vtriusq; idẽ debet esse iudiciũ, cũ hoc in fauorẽ earũ cedat) in emphyteusim perpetuo dari nõ posse: vt habetur aperte in cap. Nulli. De reb. Eccle. nõ alien. & Glos. in Clem. 1. eod. tit. Vnde cũ in iure, quod traditur per 10. annos vel vltra, cẽseatur quasi in perpetuũ dari, nõ licebit possessionem alicuius Ecclesiç, vel Religionis, ad decẽ annos, vel maius tẽpus tradere in Emphyteusim, & ex consequẽti, nec per tantũ tẽpus locare, cũ emphyteusis in aliquod tantũ tẽpus locatio quędã sit. Vidẽda autẽ in hac parte est Paulina illa Ambitiosse. & respiciendum qua ratione in vnaquaque prouincia vsu recepta sit: nã vbi fuerit vsu recepta, obseruãda omnino est, & sub pœnis in ea cõtentis. Quamuis iuxta varios DD. illa non prohibeat, quin possessio quæ antequã ad Ecclesiç, vel Religionis alicuius dominium perueniret, fuerat emphyteutica, posit rursum in emphyteusim quoq; perpetuo tradi. Ego tamẽ iuxta alios ita sentirẽ: vt quæ in dominium tantũ directũ Ecclesiç peruenit dominio vtili illius apud apud aliquem emphyteutã existẽte, eodẽ modo sese habeat sicut prius: cũ dominus directus qui illã Ecclesiç cõtulit, nõ potuerit emphyteutã suo iure exspoliare, nec ius naturale illud patiatur eo quod res illa Ecclesiæ tradatur. Quod si in liberũ plerumq; dominiũ Ecclesiæ, vel Religionis possessio aliqua iusto aliquo titulo trãsierit, non poterit in emphyteusim alicui perpetuo tradi, esto aliquãdo fuerit alicuius emphyteutæ: quia Ius Canonicũ maxime Paulina illa Ambitiosę. hoc instituit, ne res Ecclesiæ quoquo modo alienentur ab illa: efficitur autem alienũ, quod in emphyteusi alicui perpetuo traditur, saltim quo ad illius vtilitates & fructus, quãuis dominiũ directũ, & aliqua pẽsio annuatim reddẽda penes illũ maneat. Ex quo sequitur, neque per cẽsum reseruatiuum, in locis in quibus Paulina illa est in viridi obseruãtia, posse Ecclesiarũ, vel Religionũ possessiones alicui tradi, cum per huiusmodi cesum, in quo (vt cõstat) omne dominium in alium transfertur, magis alienentur, quã per emphyteusim, in qua non transfertur dominium directum, sed solum vtile & fructuarium.

Secũda differẽtia inter cẽsum de quo hic loquimur & emphyteusim est. Vt cẽsuarius nõ soluens pẽsionẽ debitam per plures annos teneatur quidẽ tam in iudicio animæ, quã in forẽsi illã persoluere, non tamẽ incidit in cõmissum, nec est re illa, cui cẽsus impositus est, exspoliãdus: Emphyteuta verò qui per triẽnium non soluerit, aut per bieniũ si solutio illa Ecclesiæ faciẽda sit, iuxta cõmune ius cadit a iure, & omni dominio illius rei priuatur. In hoc Regno Valẽtię exigitur quadrienniũ ad huiusmodi pœnã cõmissi, vt in legibus municipalibus Iacobi I. quas vocamus foros habetur libr. 4. tit. 23. cap. 34. Quod accipiendũ est, ita vt nõ stete rit per dominũ directũ pensionẽ sibi oblatã recipere. Conueniũt in hac secũda differẽtia omnes ferè iuris Põtificij interpretes, maxime Innoc. & Cardin. in cap. illo Cõstitutus. De Religios. domib. Panor. in eodem cap. & cap. 1. De in integ. restit. Immol. in c. Ad audiẽdam. *El secundo*, De reb. Ecclesi. Couar. loco citato. c. 7. num. 1. & alij quos ibi affert. Cur autẽ emphyteuta per trienniũ vel quadrienniũ, iuxta ius cõmune, vel priuata iura quæ in singulis regnis obseruãda sunt, cadat in commissum disputant, Iurisperiti: num consuetudine? an auctoritate

tate sola DD. vel ex lege aliqua certa illud habeatur, nobis Theologiam profitentibus, & quibus iudicium animæ potissime explicare incumbit, illud certum est, vt quãuis nulla lege illud haberetur, tuta nihilominus conscientia fieri. Partim propter vetustissimam consuetudinem adeo receptam & æquissimorum iudicum vsu confirmatã, vt habens dominium directum in rem emphyteusi obnoxiam, emphyteuta per id tẽpus non soluente illam sibi vindicare valeat: partim quia censendum est, etiamsi nullius tabellionis scriptura illud testetur, emphyteutæ cui a vero domino res illa tradita fuit, sub ea conditione fuisse tradita, vt nisi ipse vel quicunque alius, in quem res illa tansiret, per id tempus, constitutam pensionem non persolueret, eo ipso omni dominio illius exspoliaretur, consolidareturque rursum vtile dominium illius cum directo in primo domino, vel eius successore. Neque exigitur, vt directus dominus pẽsionem debitam exigat, aut requirat, vt emphyteuta censeatur esse in mora qua à iure suo cadat, sed debet ipse & non requisitus statuto tempore soluere, Etenim vt habet commune Iuristarum proloquium, *Dies statutus pro domino interpellat.* Licet hac in parte Ecclesia cum suo emphyteuta mitius agat, aliquod tempus ad purgandam moram illi concedens, donec scilicet fuerit requisitus, vt docet Syluester. Emphyteus. quæst. 5. Quod discrimen accipiendum est absolute & simpliciter iuxta propriam rationem & vim horum contractuum, nam si ex peculiari pacto & conuentione contrahentium, inter eos tempore contractus constituatur, vt rem sub censu accipiens, eo ipso quo per aliquod tempus censum illum non soluerit, omni iure illius exspolietur, & priori domino restituatur, seruanda profecto conuentio illa erit, cadetque censuarius in commissum, non ex natura census, sed ex vi illius conuentionis: cum pacta honesta libero contrahensium consensu inter ipsos constituta seruanda esse omnia iura proclament, vt habet Couarru. loco citato. Vnde illud axioma Iuris: *Nihil tam naturale est, quam vt quod inter partes conuentum est seruetur.* L. 1. ff. De Pactis. l. 1. ff. De Constitutionibus pecuniarum. Sed posrit, ne hęc pœna commisi in omnibus Censibus qui pecunia emuntur, quos redimibiles dicimus, constitui, suo loco inferius videbimus Articulo tertio controuersia. 17.

An autem executio commissi & expulsio auctoritate sola domini directi possit fieri, vel exigatur potius iudicis auctoritas, res est controuersa inter Iurisperitos. Nã glosa in cap. Potuit. De Locato. quam sequuntur Summa Rosella, & Innoc. ac Ioan. Andræ, in l. 2. Cod. eod. tit. sentit sufficere auctoritatem domini directi. Panor. vero in dict. cap. Potuit, cui subscribũt Acurs. eod. cap. Ang. quoq; & Syluest. in verb. emphyteusis. §. 2. dicto. 7. probabilius multo docet auctoritatem iudicis desiderari, Postulat enim illud recta ratio. Primũ, vt tollatur materia rixę, quę in re adeo odiosa facile orirtur. Secũdo, quia emphyteuta habet ius possessionis in illa re, vt patet ex. L. 1. ff. si ager vectig. Vnde nõ est illa actu & de facto exspoliandus, & ab illa expellendus, nisi pręcepto iudicis.

Eadem ratione si emphyteuta non reddẽte pensionẽ debitam per triennium, vel quadrienniũ, aut plures annos, directus rei emphyteuticæ dominus illã non postulauerit, sed solis pẽsionibus redditis contẽtus fuerit, & purgatione moræ, per integrã illarũ solutionem non cadit dominus vtilis a iure suo in re illa. vt in. l. 2. Cod. De iure emphyteutico docẽt communiter Iurisperiti. Qua ratione in cap. Cõstitutus. De relig. domib. de cuius vera intelligẽtia Canonistę adeo litigãt, constituit Innoc. 3. vt Abbas & monasteriũ de quo ibi agitur redditis Episcopo Albanẽ. pẽsionibus 40. annorũ illi debitis, esto iure emphyteutico illi redderentur, ad nihil aliud tenerẽtur: quia etsi in pœnã cõmissi Monasterium illud incidisse iudicari poterat, & propterea a suo iure cecidisse, cũ circa huiusmodi pœnã Ecclesiæ aliquo priuilegio nõ gaudeat, vt habet probabilior & verior DD. opinio, nihilominus Episcopus ille Albanen. nihil aliud ab Abbate illo & monasterio postulabat, quam solas pensiones per tot annos sibi debitas in integrum solui.

Tertia differẽtia. Vt emphyteuta rem emphyteusi subiectã vẽdere, alienare, onere aliquo grauare, vel nouo opere deteriorẽ efficere sine facultate domini directi nõ possit: ita vt si aliter egerit in cõmissũ cadat: censuarius vero libere illud possit inconsulto priori domino a quo rẽ censitã accepit: cuius rei apertissima ratio est, quia cũ emphyteuta solum habeat vtile rei dominium, absolutum vero & præcipuum mãserit penes dominum directũ, postulat recta ratio, ne rẽ quę sub alieno dominio existit incõsulto

vero

vero illius domino distrahere aut minuere posit: censuarius vero cum receperit plenum, perfectum, & absolutum rei sibi traditæ dominium, iure illud posit: nisi tempore contractus inter se conueniant, ne rẽ illam inconsulto priori domino distrahere posit: tũc enim, vt paulo ante diximus, seruanda erit necessario pactio illa. Conueniuntque in hac etiam differentia omnes DD. An autem vbi consuetudo extiterit, vt nec cẽsuarius sine facultate prioris domini posit rem ab illo acceptam distrahere, vel in aliquo minuere, quin cadat in commissum habeat illa vim ad huiusmodi pœnam inferendam, explicabunt Iurisperiti quoad forum exterius, in interiori tamen iniquum illud iudicarem: non enim censenda est consuetudo tantam vim habere in foro animæ, vt contra propriam naturam contractuum aliquid valeat introducere, aliter possent in emptionibus, & mutuis, similibusque contractibus variæ vsuræ, & iniquitates, hominum cupiditate in vsum & consuetudinem conuersa, introduci, & vi consuetudinis iustæ censeri: quod nulla ratione admittendum est: perpetuo enim iudicaui proprias contractuum naturas, sicut & rerum ipsarum nulla consuetudine mutari posse.

Ex hac differentia oriuntur aliæ duæ: Prior est, vt volente emphyteuta dominium vtile, quod in rem habet, alicui vendere, liceat domino directo sub eodem pretio illud sibi retinere, prohibereque ne vlli alteri vendatur: Est enim hæc velut vna ex conditionibus sub qua res emphyteutica censenda est a principio fuisse tradita: quæ barbare dici solet Fatica, cum dicenda esset facultas. Censuario vero, tanquam habẽti in rem censui subiectam plenũ absolutumq; dominiũ, sicut integrũ est incõsulto priori domino illã vendere, eadẽ quoq; ratione potest illud cũ voluerit, & pro libito in aliũ transferre. Posterior: vt censuarius sicut non indiget facultate aliqua, vel approbatione prioris domini, quo rem ab illo acceptam vendere posit, ita nec debet aliquid illi exhibere cum vendit: emphyteuta vero, sicut eget facultate domini directi, vt rem sub emphyteusi acceptam vendere, aut distrahere posit, ita quoque debet aliquid illi persoluere, vt facultatem illam concedat. Ex iure communi & antiquo tenebatur emptor quinquagesimam partem pretij, quo rem illam emebat, domino directo exhibere; vsus tamen obtinuit, vt nunc venditor ipse decimam reddat, emptore ab illo onere manente libero. Quamuis eodem fere modo res sese habeat, cum venditor propterea maius pretium exigat, quam postulasset, si non fuisset ab ipso, sed ab emptore soluẽdum quod ad obtinẽdam facultatem domini directi reddendum est.

Multa circa huiusmodi contractus disputari solent, veluti: An Ius emphyteuticum transeat ad hæredes. Positne dominus directus emphyteutæ rem suam vendere volenti, facultatem & consensum denegare. Teneatur ne emphyteuta, pereunte re cui emphyteutica pensio inest, illam amplius soluere. In quibus casibus cadat in commissum. Liceatne illi purgare solutionis tarditatem & moram, & similia, quorum explicatio ad Iurisperitos pertinet non ad Theologos: De quibus copiose Summistæ in verbo emphyteusis, potissime Syluester. Illud solum nostri muneris erat, quæ propria sunt his contractibus, ostendere, vt inde sint ne iusti, vel iniqui deprehendamus: in quo nullo fere labore opus erit: Nam cum tam emphyteusis, quam census reseruatiuus nihil aliud sit quam annua pensio debita illi, a quo res aliqua, vt vero ipsius domino sub ea conditione accepta est, eidemque rei inhærens iuxta dispositionem legis, & honestas contrahentium conuentiones, perspicuum est, vtrunque contractum istorum iustè, ac honestè exerceri, tam ab his qui primum illos instituerint, quam ab eis in quos iam instituti hæreditario iure, vel quouis alio iusto titulo, & via transferuntur. Quid enim magis naturali rationi consonum, quam vt posit quiuis rem, cuius plenum absolutumque dominium habet. alteri conferre, vel omnino, & pleno iure, vt in cẽsu reseruatiuo, vel quòd ad vsum tantum naturalemq; possessionem, quam dominium vtile dicimus, appositis honestis conditionibus, & a lege tanquam iustis permisis: quales sunt hactenus explicatæ.

ARTICVLVS III.

AN CENSVS CONSIGNATIVUS cum pacto retrouendendi institutus, qui dicitur redimibilis, sit iustus?

DISPVTATIO hæc de Censibus propter eos potissime suscipitur à DD. qui consignatiui dicuntur: qui pecunia tradita instituuntur: suntque adeò in vsu maxime in Hispania, vt nihil magis prę manibus apud cuiuscunque ordinis & status homines habeatur. Quamuis enim ex consignatiuis quidam perpetui sint, & sine vllo pacto retrouendendi alicui rei impositi; frequentes tamen, & circa quos maximę passim occurrunt difficultates, hi sunt quos redimibiles dicimus: de quibus nunc disserendũ est. Ac vt optima methodo procedamus, explicabimus primo, quæ sit propria illorum ratio & natura, & ad quod genus contractus proprie pertineant. Secundo, an sint iusti? Tertio, in quibus rebus institui debeant. Quarto, quod sit iustum illorum pretium. Quinto, an pactum de retrouendendo quod illis apponitur aliquã contineat iniquitatem, & qua ratione apponendum sit, vt iustè adhibeatur. Demũ expendemus reliquas conditiones, seu leges, quas in his censibus Summi Pontif. maxime sanctissimus, idemque nomine & merito Pius. V. obseruari præcipiunt. Vbi bullas eorum referemus & explicabimus.

Controuersia. I.

CENSVS CONSIGNATIuus formaliter & proprie ad quam speciem contractus pertineat?

CENSVS cuius nunc propriam vim & naturam inquirimus (vt primo articulo huius disputationis admonuimus) ita institui solet. Vt Ioannes abundans pecuniis conferat Petro illis indigenti supra domum, vineã, vel alia bona, aut personam ipsiusmet Petri cẽtũ v.g. aureos, ea lege, vt maneat propterea Petrus deuinctus reddere Ioãni singulis annis 6. vel 7. aureos, manẽte facultate ipsi Petro liberandi seipsum, & sua bona ab illa obligatione, & debita, reddita Ioanni integra sorte. Quã facultatem vocant communiter DD. pactum retrouendendi, Hispani *Carta de gracia* ratione cuius facultatis sunt huiusmodi census redimibiles, dicuntur apud nos *Censos al quitar.*

Huiusmodi contractum nonnulli opinati sunt reduci ad quoddam genus mutui, cui opinioni occasionem obtulit, quòd videatur is qui accepta pecunia obligatur alicui annuam pensionem reddere, eandẽ quã ab eo accepit, paulatim illi restituere, propter similitudinem quæ inter acceptam & eam quæ redditur existit.

Sed qui ita iudicarunt, propriam naturã huius contractus ignorarunt omnino. Primum, quia accipiens mutuum tenetur cum effectu ad idem genus rei, siue ad tantũdem in eodem genere restituendum: idque adeo pręcise vt nullo interitu liberetur, vt docet l. 2. in princip. ff. de rebus creditis, in contractu autem census, recipiens pecuniam cũ obligatione reddendi annuam pensionem nullomodo obligatur ad illam restituendã: conceditur quidem illi facultas in eius gratiam & vtilitatem, vt ea restituta possit se & sua ab illo onere & obligatione liberare, at ex natura huius contractus nulla ratione tenetur, qui pecuniam accepit, illam restituere, sed abalienatur prorsus & perpetuo ab eo, qui illam contulit, sine vlla spe repetendi eam, cuius oppositum è diametro existit in mutuo: in quo licet pecunia fiat accipiẽtis, nõ tamẽ ita vt alienetur prorsus à iure illius, qui mutuo dedit: cum adueniente termino iure illam exigere possit, ac repetere. Secundo, quia si hic contractus esset mutuum, esset profecto vsurarius, cum in eo pensio illa tanquam lucrum pecuniæ mutuatę reciperetur, & ex cõsequenti nũquam liceret: neque posset honestari quibusuis circunstantiis, & conditionibus ornaretur, at seruatis debitis conditionibus, (quas progressu huius art. assignabimus) licitum esse, & iustum, & ab omni vsuraria prauitate alienum, & liberum, habet communis DD. sententia. Et quod magis refert, Ecclesiastica Apostolicaq; definitio: cum sit approbatus a Martino V. & Calixto III. vt videre est in prima & secunda extrauaganti de emptione. Et in Bulla Pij. V. quã interius subiiciemus.

Hac opinione reiecta iudicarunt alij pertinere censum ad contractum emptionis & venditionis, at quid in eo ematur & vendatur, non explicatur ab omnibus eadem ratione. Bartholomęus Albornosius in suo opere Hispano de arte contractuum libro 3. tit. 2. *De el censo al quitar:* docet censum de quo agimus & emphyteusim cõuenire inter se & substantia, & nomine, ita vt sit census huiusmodi quædam species emphyteusis sub illa contenta, in eo tantum ab illa differens, quod census hic redimi potest & extingui, quod non licet in emphyteusi: Excogi-

Excogitauit enim Author hic in creatione & institutione census hunc progressum & ordinem contractuum existere, & fingi à lege: Vt Ioannes conferens Petro 1000. aureos supra domum, aut fundum qui censui supponitur, & subiicitur, emat re ipsa à Petro domum illam, vel fundum cum pacto de retrouendendo; & statim implicite, & virtute, ac fictione quadam breuis manus (vt Iuristæ loquuntur) eandem domũ, vel fundum cõcedat iterum Petro in emphyteusim sub illa annua pensione, & alijs cõditionibus, & vinculis, quæ in emphyteusi continentur.

Ex his multa colligit. Primo censum (vt dixit) solum differre ab emphyteusi, quod in hac non reperiatur libera illa redimendi facultas, quæ reperitur in censu. Secundo, Iniquum esse, vt in censu postuletur, vel adhibeatur fideiussor, cum in emphyteusi non sit postulandus, nec offerendus, sed sola res emphyteusi subiecta sufficiat, cum pereunte illa pereat simul & extinguatur emphyteusis. Tertio, censum in re mobili aut persona institui nõ posse, sicut emphyteusis non potest constitui nisi in re immobili, firma, & permanẽte. Quarto, instituentem huiusmodi censum, cum rem illam à se emptam fictione quadam brebis maius iterum tradat in emphyteusim priori domino, & venditori, retinere apud se dominium directum illius, sicut accidit in emphyteusi. Quinto, Infert ex his, quęcũque reddunt contractum emphyteusis iustum, eadem similiter & censum redimibilem iustum efficere. Tandem (vt alia multa quę ibi habet, nũc prætermittamus (suis locis discutienda) docet huiusmodi census ex dictis effici quidem non malos, non tamen bonos, & quos instituens censendus sit absolute & omnino iuste agere. Vlteriusq; progrediens nec sibi constans damnat eos tanquam Reipub. nocios, & quorũ occasione pauperes expoliãtur, cessãtq; diuites & alij artifices ab exercendis honestis negotiis, & artibus Reipub. vtilissimis: Vnde infert omnia Oracula sacra, & Doctorum testimonia, & iura quę damnãt vsuram, hunc contractum similiter damnare.

Vidẽs autẽ cõstitutiones illas Apostolicas Martini V. & Calixti III. sibi pugnare, docet circa illas. Primo, Extrauagantes huiusmodi non habere vim legis generalis, quæ vniuersos fideles respiciat, cũ non cõtineãtur in corpore iuris, vt pote neque in Decretis, neque in Decretalibus, neque in Sexto vel Clementinis. Secundo, Esto haberent vim legis communis, non habere locum in contractu census de quo hîc loquimur, quia in hoc instituens vel emens censum acquirit (iuxta ipsum) dominium directum rei cui census imponitur: in censu autem, de quo in illis Extrauagãtibus agitur, institutor census non acquirit dominium directum rei ipsius, sed solum manet illa in hypothecam census super ea instituti. Tertio, quod pias catholicorum aures non potest non offendere, temerario quodam ausu affirmat extrauagantes istas peiores esse legibus Romanorum concedentibus vsuras, cum leges illæ solũ approbarent Trientalem, & Semissem, Centesimam vero reprobarent omnino, quam tamen Extrauagantes istæ videntur approbaret.

In hanc opinionem seu comentum huius authoris inuehuntur acriter, & merito omnes recentiores tam Theologi, quam Iuris Pontificij interpretes: continet enim multa falsa, & temeraria, pluraque figmenta. Nam imprimis vt ignarus Dialecticæ facit censum & emphyteusim cõuenire substantia, & differre specie: cum vel his, qui prima tantum Dialecticę rudimenta attigerunt, perspicuum sit, quæ differunt specie differre substantia & natura, & è conuerso, cum propria cuiusque rei species ex propria illius natura & substantia desumatur.

Secundo, quia facit censum speciẽ subalternam cuius genus sit emphyteusis, in quo secum etiam pugnat, cum species à suo genere non differat specie, qua ratione sentit emphyteusim & censum differre. Adde, quod iuxta Logicæ præcepta, vna species nõ prædicatur de alia, vt Homo de Leone, genus autem de suis speciebus vere dicitur, vt homo est animal, quo fit vt iuxta authorem hunc ita liceret enuntiare: Census est Emphyteusis, cum sit emphyteusis illius genus. Tum etiam non liceret ita enũciare, cũ sint duo contractus specie distincti, sicut non licet affirmare hominem esse leonem.

Tertio, quod ait legem, quæ census probat, fingere duas vẽditiones illas, priorem, in qua recipiens pecuniam rem suam prius alteri vendit cum pacto de retrouendendo; posteriorẽ verò in qua fictione breuis manus idem qui pecuniam cõtulit, eandem rẽ priori domino statim in emphyteusim tradit, merum cõmentum ac figmentũ est: non legis cuius author & lator nihil tale exco-

gitauit, nec contrahentium quibus nihil tale venit in mentē, sed huius tantum authoris, qui figmenta sua legi falso nititur imponere: propter quod tamen figmentū contractus iste nec honestatur, nec naturā emptionis & vēditionis cēsendus est habere, nisi aliunde illam obtineat. Etenim sicut propter nostrum affirmare vel negare (vt Arist. dixit) rerum naturæ neque existūt, neque mutantur, ita quoque neque propter nostras fictiones, vel commenta: sed ab eo quod reuera & actu inest, quidquid nos fingamus vel affirmemus, sortiūtur res omnes suas naturas & species; pari ratione, cum census, contractus quidam sit, qui reuera in hominū comercijs & bonis existit, & ab ipsis realiter exercetur, suam propriam debet habere rationem & essentiam natura sua illi conuenientem, non fictione vel immaginatione nostra.

Quarto, Si proprias naturas & vires cēsus & emphyteusis inspiciamus, differunt maxime, tantum abest vt substantia & nomine inter se conueniant. Nā imprimis (vt ex præcedenti art. constat) in emphyteusi manet dominium directum penes creditorem, siue recipientem annuam pensionem, solumque dominium vtile existit penes debitorem seu emphyteutam: at in censu nullum dominium rei censui subiectæ recipit vel habet creditor, qui pecuniam censuario contulit, sed omne dominium tā directum quam vtile manet penes cēsuariū, non minus quam prius, & antequam res illa alicui censui subiiceretur. Quod & ratione constat, & experientia, & ex effectu, & pretio ipso quo emuntur: Ratione quidem, quia vt philosophorum axioma habet, & commune Iurisperitorum proloquium in L. Non omnis. ff. Si certum petatur. *Actus agentium nunquam operantur vltra eorum intentionem*, Sed in contractu census, neque conferens pecuniam intendit emere rem, supra quam instituitur census, vel aliquod dominium in illam, sed solum ius recipiendi annuum reditum, neque recipiens pecuniam intendit vendere alteri rem suam, aut aliquod dominium illius in eum transferre, sed solum obligare se ipsum ad conferendum illi annuum reditum, designans rem illam in securitatem, & velut fideiussorem illius census, nullum ergo dominium dominus census in rem illam recipit. Experiētia verò idem apertissime testatur, nam quemcunque hominē roges, quid emerit pecunia ex qua censum instituere intendit alicui rei impositum? num rem illam, an solum ius recipiendi ab eo, cui pecuniam suam contulit, annuum aliq̄uem reditum? respondebit statim, ius istud & obligationem, non rem, licet censui ad securitatem & firmitatem illius supposita sit & subiecta. Ab effectu autem, nam emphyteuta, quia rei emphyteuticæ non habet dominium directum sed vtile tantum, rem illam sine domini directi facultate vendere aut alienare non potest, ac vt facultatem illam obtineat Laudimiū soluit, caditque à iure si per triēnium, (vel quadrienium apud nos) canonē id est annuam pensionem non persoluerit: quę omnia quam aliena sint à censu nemo ignorat, cui tamen conuenirent omnino, si in censu hoc redimibili transferretur dominium directum in creditorem instituentem censum, sicut in emphyteusi.

Denique ex pretio: Accidit enim sępe Petrum imponere censum proprietatis, vt dicunt 100. aureorum fundo, vel vineę valoris mille aureorum: at si in hoc contractu vinea illa venderetur Petro, quid iniquius, quam rem valētem 1000. aureos solis 100. vēdi? Nam licet pactum illud retrouendendi (vt inferius dicemus) pretio ęstimabile sit, at non tanti, vt loco 900. aureorum, qui à iusto illius vineæ pretio deficiūt, debeat illud computari: quod aperte constat ex censibus perpetuis, & qui sine facultate redimendi illos instituuntur: Nam qui in redimibili collaturus erat 100. collatis 200. instituit perpetuum & irredimibilem, quo fit huiusmodi pacti & facultatis iustum pretium, eam tantum pecuniam esse, quæ sorti redimibili æquatur. Vnde conferens centū imponenda vineæ per censum cum pacto retrouendendi perinde se habet, ac si conferret 200. quæ vineæ valentis mille iniustissimum pretium sunt, & cum ingenti defectu infra dimidium, Quod nulla iura paterentur.

Qua de causa merito Nauar. in comento De vsuris. num. 75. reprehendit authorē Summæ Conciliorum, vel correctorem illius (vtitur enim ibi Nauarr. solita & quasi innata sibi honestissima modestia) quod per quādā forsan incogitantiā referens Extrauagantes illas Martini V. & Calixti III. dixerit, primā conditionem iusti census iuxta illas Extrauagantes esse, vt vendens censum vendat predium, super quo census ille imponitur: Tum, quia est contra communē consuetudinem & morem, vt vendens censum vendat prędium, vt optime docent Couarr.

uarr. lib. 13. Varia. Resol. c. 7. num. 6. & Medina Cod. De restitu. cap. De censibus quò ad eorum institutionem, Palatius lib. 4. de Contract. cap. 6. Tertio quia ea ratione census iam non maneret impositus super re & pretio censuarij, sed super re ementis censum, quod ab omnium existimatione & iudicio est alienum. Vnde pie & modeste interpretatur Nauarr. verba ista Sumæ Conciliorum, affirmans mentem eius fuisse dicere, vendentem censum debere designare rē aliquam, super qua censum imponat, quem alius illi rei impositum emat. Qua de causa & leges omnes municipales & priuatæ horum regnorum tam Castellæ, quam Aragonum, quam Valentiæ vbicunque de huiusmodi cēnsibus, qui redimi possunt, loquuntur, numquam dicunt res illis impositas vēdi, sed huiusmodi tantum census illis imponi. Nec tabelliones in scripturis suis (saltem huius Regni Valentini) dicunt conferentē pecuniam in censum, rem cui census ille imponitur, emere, sed tot solidos censuales: qui quamuis non recte dicant emi solidos, vt statim docebimus, ostendunt tamen ex phrasi, & stylo scripturæ suę, non emi rem quæ censui subiicitur.

Denique circa Extrauagantes illas Martini V. & Calixti III. temerè ac irreuerenter se gerit. Nam primum illud, huiusmodi Extrauagantes non habere vim legis communis & generalis, eo quod non contineātur in corpore iuris, ridiculum est & ignorātię plenum: cum omnes constitutiones Pontificum in fine Clementinarum in volumine Extrauagantiū contentę, scientibus Summis Pontif. tāquā non minorē habētes authoritatem quā cęteræ Decretales in scholis, in Iudiciis, & causarum decisionibus à DD. tam Theologis, quam Iuris peritis afferantur, multique viri eruditissimi suis cōmentatoriis illas illustrauerint. Qua de causa vt leges & iura Ecclesiastica recipiunt, ac venerantur illas ex Theologis Maioris in 4. dist. 15. q. 42. Medina Cod. De rebus restituen. Cap. De censibus. Soto lib. 5. de Iust. q. 5. art. 1. Barrholomeus Carrança in Summa conciliorum & omnes recentiores: nec noui aliquem Theologum aliter sentientem. Ex Iurisperitis Casaneus in cathalogo gloriæ mundi, parte 12. considera. 49. Tiraquell. lib. 1. de rectractu §. 1. Glosa 6. num. 15. Nauarr. in commento De vsuris. num. 22. Couarru. lib. cita. cap. 7. num. 2. Sarmiento lib. 7. selectarum interpreta cap. 1. num. 17. & alij innumeri ab his citati. Et quod maxime refert singulare illud pietatis & prudentiæ exemplum Gregor. 13. cū diligentissime curauerit textus Iuris Pontificij emendari, emēdatosq; mandari typis, cū reliquo simul corpore iuris, Extrauagantes huiusmodi voluit excudi: quas tamē vir in omni iure exercitātissimus certe resecasset, nisi ad commune ius canonicum pertinerent, & illius haberent authoritatem.

Nec fauet temeritati huius authoris quod Extrauagantes illæ ad priuata quędam regna dirigantur; Tum, quia plerequę aliorum Pontificum epistolę decretales priuatis etiā Episcopis vel Ecclesiis mittebantur, nec propterea corpori iuris insertæ desinunt ad ius commune pertinere; Tum, quia cum iustitia vel iniustitia contractus ex natura rei sumēda sit, census quos Pontifices in Sicilia, & Germania, vel aliis priuatis Regnis iustos esse definierūt, vbique terrarum sunt iusti. Vnde argumētatur recte Palatius: Aut decisio contenta in istis Extrauagātibus Martini, & Calixti iusta est, aut iniusta; si nō est iusta errarunt ergo Summi Pontifices in re ad conscientiam eorum, à quibus vt Pontifices consultabantur, plurimum pertinente, respondetes de cathedra: quod impium est, sicut & illud quod asserit, Sum. Pontif. in istis Extrauagantibus fauere vsuris, quas leges Romanorum non patiebantur. Quod si decisio in eis contenta iusta est, sicut decet Catholicos sentire, & profiteri, quod in illis Prouinciis, circa quas fuerunt consulti, cēsetur iustum, vbique terrarum debet etiā iustum esse. Quo circa cum contractus de quo fuerunt consulti præfati Pontif. sit reuera census redimibilis, de quo hic agimus, debeatq; de similibus idem esse iuditium, consequenter decisio Apostolica ad illos pertinens de omnibus similibus accipienda est.

Sed obicit Albornosius: in huiusmodi Extrauagantibus non soluentem censum non subiici legi commissoriæ, cum tamen debeat illi subiacere: Tum etiam pertinere ad iustitiam census, vt certū habeat pretiū, Extrauagantes vero istas nullum certū continere. Sed in vtroq; decipitur plurimum; in priori, quia vt ex dictis abunde constat, in censu de quo agimus omne ius, & dominium tam vtile, quam directum manet penes censuarium, qua de causa potest libere vendere rem suam sine facultate eius cui cēsus debetur, & sine vllo laudimio, nec ad aliud tenetur quā ad solā pēsionē, sine vlla alia pena sed cum hoc solo debito soluendi illam,

illam, per totum illud tempus & annorum decursum quibus non soluerit. Neque subijcitur census legi commissoriæ sicut emphyteusis, in quo plurimū Albornosius iste deceptus est. Alterum facile diluitur: Census enim, qui in particulari & in indiuiduo instituitur, certum debet habere pretium, sicut & res omnis quæ venditur; at in communi & in toto genere sumptus varia potest habere pretia, iuxta varietatem temporum & locorū, nisi illi à lege certū aliquod taxatum sit & pręscriptū, vt in Regnis Castellæ: quod omnibus rebus venalibus, quibus certum pretium non est constitutum à lege, conuenit cum pretio fori vendantur, pretium autem fori (vt superius vidimus q. 77. art. 1. controu. 3. Varium sit & multiplex, non solum pro varietate temporum & locorum, verumetiam eodem loco & tempore, quia non consistit in indibisibili sed in ea latitudine quam ibi docuimus. Et hoc est quod docent prefati Pontif. posse emi censum illis diuersis pretijs, vbi non est illi certum à lege constitutum, sed ex vso fori pro ratione temporis & loci sumendū: quia cōtractus hic emptio quędā & venditio est, estq; iuxta leges emptionis & venditionis de illis iustitia vel iniustitia iudicandum.

Hac ergo opinione reiecta, seu temerario potius & impio Albornosij commento. Tertia opinio est Bonauenturæ in tractatu De contracti. Angeli verbo vsura 3. Syluestri eodē verbo 2. quęst. 12. D. Antonini 2. p. tit. 1. cap. 8. §. 10. D. Bernardi. de Euangelio ęterno sermo. 41. cap. 2. & ex Iurisperitis Innocentij, & Ioannis de Ligniano in cap. vltimo De vsuris. Lauren. de Rodulphis in tracta. De vsuris par. 2. q. 12. Francisci Sarmieno lib. 7, selectarum interpret. c. 1. num. 13. & multorum aliorum asserentium in Censu vendi certam partem fructuum illius rei cui census imponitur.

Probant illud potissime: quia propterea Pius V. in sua Extrauaganti de Censibus præcipit, vt huiusmodi census debeat omnino institui super re fixa, immobili, & fructifera, ita vt in quacunque alia re constitutus nullus sit, & inualidus, quia venditur in eo pars aliqua fructuum, eius rei cui imponitur: aliter enim frustra & sine vlla causa illud præciperet: Quod de Summo Pontifice asserendum non est. Habet enim Sedes Apostolica de more nihil definire, aut pręcipere, quod non sit maturè ac prudenter perspectum, firmissimisq; nitatur rationibus & causis.

Vnde colligunt. Primo, quod per se in hoc contractu venditur esse partem fructus rei cui imponitur, & loco illius fructus decerni pensionem pecuniariam: nam cum fructuum abundantia vel penuria subinde mutetur pro varietate temporū, si pars illa fructuum quę emitur, in ipsismet fructibus esset exhibenda, nonnunquam excederet plurimum iustum redditum ipsius census, nonnunquam vero plurimum ab illo deficeret: quod esset maximum incomodum, & propterea conuersam esse in pecuniam æquiualentem iusto valori fructuum, qui per censum in re illa empti sunt: quia hac ratione siue fructus rei abundent, siue deficiāt, semper redditur iustus valor census, iuxta quātitatem pecuniæ siue pretij accepti à censuario; cum redditus pecuniarius idem semper existat.

Ita colligunt secundo in censu duos contractus concurrere, priorem emptionis partis fructuum eius rei cui imponitur, & posteriorem ordine, quamuis simul tempore, cōmutationis illius fructus in pensionem pecuniariam: Quo circa (inquiunt) debet pensio pecuniaria æquari necessario fructibus emptis quorum loco redditur.

Colligunt tertio, exigi necessario, vt res cui census imponitur non solum sit fructifera, verumetiam vt eos nata sit reddere fructus, qui ad minus valeant pensionem ratione illius census præstandam, quia aliter esset iniqua venditio, cum excederet pretium rei venditæ valorem. Huic sententiæ aliqua ex parte similis videtur illa Medinę Cod. De Restit. cap. De Censibus quo ad eorum institutionem, & Nauarr. in commento de Vsuris. num. 69. affirmantium censum esse ius percipiendi fructum, seu rem aliquam vtilem, vel pecuniam ex re in qua ille constituitur: quam definitionem ad pauciora reducentes dicunt, censum esse ius percipiendi pensionem aliquam ex re in qua inest.

Sed neque hæc sententia viris eruditis placet, quibus ego (licet ex eorum numero non sim) subscribere tamen non dubitabo. Etenim quod priores illi docēt, censum esse ius percipiendi fructum, vel rem aliquam vtilem ex re cui imponitur, ita vt formaliter & proprie census sit emptio alicuius partis fructuum, cui succedat tanquam eius loco pensio pecuniaria per secundum contractum commutationis, constare non potest.

Primo, quia si communem vsum & receptum ipsorum contrahentium morem & intentionem spectemus, ementes huiusmodi

census

census communiter nihil aliud solent, vel instituunt emere à primo tempore, quo hic contractus cepit inter homines celebrari, nisi actionem & ius in aliquem annuum reddítum pecuniarium, Actus autem agentium non extenduntur vltra ipsorum intentionem. Scio quidem nonunquam emi aliquā partem fructuum, qua de causa diuiditur cēsus à DD. vt diximus art. 1. huius disputationis in fructuarium, & pecuniarium, attamen quando fructus emitur exprimitur illud in contractu, & illud respicit directe & omnino contrahentium intentio, adeo, vt si venditor census fructuarij vellet illū reddere in pecunia, posit reclamare qui cēsum illum emit, vt sœpe accidit: Quando autem non est animus necintentio contrahentiū emere fructus aliquos, sed redditū pecuniarum, (vt solet cōmuniter, in cēsibus de quibus hic loquimur) sicut in censu fructuario non emitur ius in pensionem pecuniariam, sed in fructus, ita in censu pecuniario non emitur pars aliqua fructuum, sed ius in redditum pecuniarium: Ex intentione enim agentium sumunt contractus, sicut & opera nostra propriam speciem, naturam, & denominationem. Quod adeo certum esse debet, vt sit velut axioma in Iure, In omni contractu mentem contrahentium esse inspiciendam. L. Insulam. ff. De præscrip. verborū. L. Si cum vno. ff. Locati. L. Si olei. Cod. eod. tit. Quod optime obseruauit Couarru. lib. 2. varia resol. c. 4. nu. 9. vbi affert varios Iuris Doctores idem sentientes.

Et confirmatur. Res propria cuiuscunq; contractus, & materia illi subiecta sumenda necessario est vel ex præscripto legis, vel ex consuetudine, communique vsu exercentium illum, vel ex priuata intentione & cōuentione contrahētium: nullum enim aliud caput est præter hæc tria, vnde illa sumi possit: At nulla est lex, neque naturalis, neque Ciuilis, neque Canonica quæ præscribat quod in censu emitur esse ius percipiendi fructus, neque Pius V. licet præcipiat illū non aliter institui quam in re immobili, & fructifera, (de qua conditione inferius agemus quam vim habeat,) non tamen docet emi in censu ius in fructus illius rei; Vnde ex consuetudine & animo contrahentium erit illud necessario desumendum, consuetudo autem & intentio contrahentium nō fertur in fructus, quando illud nō exprimitur, sed in pensionem pecuniariam. Hæc igitur est quę in hoc contractu emitur.

Secundo. Ratio propter quam dicunt fructus in censu emptos conuersos esse in pensionem pecuniariā, nulla est. Nam cū vterq; sit ęqualiter expositus illi damno, vel commodo maioris abundantiæ, vel inopię fructuum, nulla interuenit inæqualitas vel iniustitia, nullūmque incommodum: eidem namque aleæ & fortunæ vterque subiacet.

Quarto, Vt inferius docebimus contro. 5. Ex natura rei, & seclusa omni humana lege census institui potest in sola persona; ergo propria substantia & natura census nō est vt sit emptio iuris in aliquos fructus rei cui imponitur, quia naturę rerum eędē semper sunt, nec humana constitutione mutantur, Potest quidem humana lex vt hominum fraudibus aliisque incommodis occurrat, in contractibus exercendis has vel illas conditiones & circumstantias pro varietate temporum apponere, vel detrahere, at propriam vim & naturam contractuum sicut & rerum mutare nō potest: Vnde cum iuxta naturam census seclusa omni lege humana posit ille institui in nuda persona, census iuxta suam propriam vim & rationem formalem non est emptio iuris in aliquos fructus percipiendos, ex re cui ille imponitur, vna cum commutatione illorum in pensionem pecuniariam. Adde quod omnium gentium existimatione vnicus & simplex contractus est census, simplexque venditio istius iuris percipiendi annuam pensionem, cui res in qua constituitur supponitur in securitatem solam, & tanquam quædam hypotheca, vel fideiussor, vt inferius ostendemus contro. citata.

Quarto, census qui instituitur Castellæ, vbi emitur ius ad mille exhibitis quatuordecim millibus, imponiturque in re aliqua firma, & immobili, & cum aliis conditionibus quas inferius explicabimus, iustus est communi DD. consensu, in quo tamen non emitur fructus aliquis, sed pecuniaria pensio: adeo vt legibus illius Prouincię cautum sit, ne instituatur census cuius pensio sit reddenda in fructibus, in tritico, vino, oleo, vel similibus.

Denique colligitur illud apertissime ex difinitionibus seu Extrauagantibus illis Martini V. & Calixti III. in quarum priori affirmat Pontifex. *Accipientem pecuniam vendere annuum censum siue redditum, vnius aut plurium Marcharum, aut Grossorum Pragensium nummi Polomei, ad rationem & pro qualibet Marcha annui census decem, vndecim, tredecim, quatuordecim, aut plus, & minus secundum*

cundum temporis qualitatem. In posterior. vero Calixti III. habetur: *Super eorum bonis, domibus, agris, prediis, possessionibus, & hæreditatibus annos marcharũ florenorum, seu grosorum monetæ in partibus illis currentis redditus, seu census vendentes, &c.* Ex quibus perspicuum est non esse de ratione census vt vendatur in eo aliquis fructus, sed ius tantum in pensionem aliquã, imo quia communiter emitur ius istud in pensionem pecuniariam, illius tantum meminerunt Summi Pontif. in his locis, fructuum vero nequaquam, quod tamen non pretermisissent, si ad iustitiam census illud pertineret, aut propria vis & ratio huius contractus exigerent censum pecuniariũ institui pro ratione fructuũ, qui in eo emuntur, quasi sit illorum emptio. Regula autem iuris est in L. Item apud Labeonem, §. Ait prætor. ff. De iniuriis. vt ea quæ notabiliter fiũt, nisi specialiter notentur videantur quasi neglecta.

Quod vero docent Medina, & Nauarrus censum esse ius percipiẽdi fructus, vel rem aliquam vtilem, aut pecuniam ex re cui imponitur, qua parte dicunt posse percipi fructum, vel pecuniam, recte docent, non enim sentiunt quod priores illi DD. facientes censum emptionem solius fructus, cum addant in pecunia quoque redditum emi posse: Nam esto in Castella illud nõ liceat lege illius prouinciæ ex iustis causis illud prohibente, & incolas illorum Regnorum obligante: in Prouinciis vero vbi Superiorum præcepto & lege id non prohibetur, potest ita institui, vt ematur annuus aliquis redditus in fructibus exhibendus, qua ratione nouimus in variis locis institui. Hac ergo de causa, cum iuxta propriam vim & naturam census licet emere annuum redditum vel in fructibus, vel in pecunia recipiendum, ex hac parte Medina & Nauar. non sunt reprehendendi.

Qua parte tamen agentes de contractu census definiunt illud esse ius percipiendi &c. non rectè nec propriè loquuntur differunt enim plurimum contractus, & ius seu obligatio quæ ex illo nascitur, sicut effectus à sua causa, vel vt Iuristę dicunt, sicut filius à matre à qua nascitur. Quo circa census, si de contractu ipso loquamur, non est dicendus ius percipiendi, sed contractus emptionis & venditionis, in quo reddita aliqua pecunia tanquam pretio, emitur & venditur ius percipiendi aliquẽ annuum redditum, re aliqua ad securitatẽ illi subiecta, & supposita.

Ex hac definitione perspicuum est, Primo, censum non esse mutuum, nec emphyteusim, sed contractum emptionis & venditionis, non pecunię alicuius, vt perperam nostri tabelliones in suis scripturis dicunt, asserentes conferentem pecuniã emere tot solidos censuales, quia pecunia quocunque nomine donetur, vt pecunia non potest esse materia emptionis & venditionis, cum ipsa sit publicum instrumentum, quo res omnes emuntur, vt commune illarum pretium; sed est contractus emptionis & venditionis, in quo res ab vno empta & ab alio vendita est ius istud percipiendi annuam pensionem: quod ius pretio æstimabile esse, ac vendibile proxime sequẽti contro. ostendemus. Et in hoc sensu non dubitarem Medinam & Nauarr. definisse censum: sicut enim à Iurisconsulto definitur contractus: *Vltro citroque obligatio.*, definitione ab effectu, quia ex contractu illo nascitur, ita quoque licuit his Doctoribus, cẽsum ab effectu diffinire, & à re quæ in eo venditur, asserentes illum esse ius percipiendi &c. Exacte tamẽ, & diffinitione petita ex proprio genere & differentia definiendus est sicut modo dicebamus: *Contractus in qua reddita aliqua pecunia tamquam pretio, emitur ius percipiendi aliquam annuam pensionem, re aliqua illi supposita:* Habet enim hæc definitio verum genus census, nempe *Contractum*: reliqua vero loco differentiæ, quæ propriam illius vim & naturam declarant.

Hanc esse propriam naturam formalemq; rationem census, & consequenter diffinitionem istam exactam & accõmodatam, preter ea quæ ex progressu huius articuli constãt, ostendi commode potest, Primo à definitione emptionis & venditionis, cuius propria ratio est, vt in ea aliquid pretio æstimabile pro pretio alteri pleno iure tradatur, quod huic contractui ex dictis satis constat conuenire.

Secundo, quia actus agentium (vt dicebamus) operantur secundum eorum intentionem, maxime honestam & licitam, in hoc autem contractu conferens pecuniã hoc directe instituit, emere ius illud recipiendæ alicuius annuæ pensionis, recipiens vero illam, pro ea vt iusto pretio sibi tradito, vendere alteri illud ius.

Tertio, scripturę publicæ, authoritate publica institutæ, sic cõtractum hũc appellãt, emptionis & venditionis annui redditus, id est iu-

est iuris recipiendi illum.

Quarto, Cum nec mutuum sit, nec depositum vt constat, nec cambium rerum, siue illarum commutatio, quia fit interueniente pecunia, nec emphyteusis vt demonstratum est, nec commodatio, vel locatio, seu conductio, vt voces ipsę insinuant, à sufficienti diuisione constat ad nullam aliam speciē contractus posse pertinere, quam ad emptionē, & venditionem. Iam cum non vendatur res quæ illi supponitur, & nō fructus illius, vt ostendimus, consequenter debet necessario esse emptio & venditio iuris percipiēdi annuum reditum, & pensionem.

Quinto, Confirmatur communi consensu grauissimorum DD. Nauarri, Couarruuiæ, Francisci Sarmiento, Conradi, Medinæ, Dominici Soto, & aliorum quos in hoc artic. retulimus locis ibidem citatis, estque receptum inter omnes discipulos D. Thom. qui nostra ætate vel in scholis de hac materia egerunt, vel editis cōmentariis scripserunt, hanc esse naturam propriamq; rationem census.

Denique omnium efficacissime illud ostendit Apostolica decisio Martini V. Calixti III. & Sanctissimi Pij V. qui in suis Extrauagantibus curarunt diligenter respicere propriam vim huius contractus, vt de illius iustitia iudicium ferrēt, & sub quibus conditionibus exerceri debeat explicarent, perpetuoque illum emptionem & venditionem alicuius annui redditus appellarunt.

Ex his sequuntur duo, quæ optime authores citati obseruarunt. Prius est, in censu non posse reperiri vsuram, nec contractū census fœneraticium esse posse. Quia vsura (vt abunde vidimus quæstione præced.) solum habet locum in mutuo, vbi aliquid ex vi mutui exigitur, vel recipitur vltra sortē: in venditione vero potest quidem locū habere iniquitas aliqua, & iniustitia, aut propter vitiū rei quę venditur, aut propter excessum vel deffectū à iusto pretio, vsura tamen in illa locū non habet, præter quam in ea quę fit anticipata vel expectata solutione, sed neque in ea committitur vsura ratione illius emptionis aut vēditionis, sed quia talis venditio, vt optimè admonuit D. Thomas, est quoddam mutuum occultum, & simulatum: vnde cùm cēsus nec mutuum sit, nec emptio aut venditio, in qua mutuum latere possit, vel simulari, quia fit pecunia presenti, & re quæ sub hoc cōtractu emitur iure scilicet illo statim accepto, & acquisito, nullum locum habet, neque habere potest in huiusmodi contractu labes & iniquitas vsuræ. Alterū est, cum census verè ac re ipsa emptio sit & venditio, de illius iustitia, & æquitate necessariò iudicandum esse iuxta regulas, & leges emptionis & venditionis. Ita vt quotiescunque in censu aliquid acciderit, quod efficeret iniquam venditionem, census ille iniquus cēsendus sit, & similiter quæ venditionem redderent nullam vel rescindendam, eadem quoque si in censu aliquo extiterint, reddant illum nullum, & inualidum, & ratione cuius non liceat annuos census exigere, vel recipere.

Controuersia II.

AN CENSVS REDIMIBILIS *sit contractus iustus, & licitus?*

QVAESTIO hæc videbatur certè manere satis explicata ex pręcedenti controu. Qua enim ratione emptio, & venditio rei pretio æstimabilis, & quam nulla lex vendere prohibet, reddito iusto pretio iusta est, & honesta: eadem pariter ratione cōstare debet, contractum census secundum se iustum esse, & honestum collato iusto pretio, cùm non sit aliud re ipsa (vt vidimus) quàm venditio iuris illius percipiendi aliquem annuū redditū, quod ius pretio ęstimabile est, & venale, & quod nulla lege vendi prohibeatur. At quia nonnullis viris grauissimis, tam ex Theologis, quàm ex Iurisperitis hic contractus iniustus, vel maximè saltim periculosus visus est, de illius iustitia, & ęquitatē nunc in particulari est dicendum.

Henricus Ganden. quodl. 8. q. 22. Gregor. de Arim. quem refert, & sequitur Salicet. in Authent. Ad hęc. De vsuris. Innocent. Ioan. Andreas, & Anton. de Butrio (quos refert Siluester loco citato) in cap. In ciuitate. De vsuris. censent, licere quidē emere censum iam constitutum, à nouo vero recenter constituendo admonent abstinēdum esse. *Non enim* (Inquit Ioannes Andr.) *video, quomodo sine fraude hoc fieri possit.* Addunt, solius tamen donationis via & titulo constitui de nouo posse, aliter omnem institutionem noui census vt iniquam, periculosam, & Reipub. maxime nociuā ab illa omni iure exterminandam esse. Anchar. verò, vt ibidem refert Siluester, sentit fructuarios census vendi ac de nouo institui posse, minime vero pecuniarios: quin & Innocentium, ac Ioannem Andream cum pecuniariis quo

que

que crederem litem habere, non cũ fructuarijs. Vtuntur DD. hi varijs argumentis, quorum potiora hæc sunt.

Primo. Numisma non est inuentum, nec constitutum in Repub. vt ipsum sit vendibile, sed vt eo ceteræ omnes res emantur ac vẽdantur, sitque ipsum commune & publicũ quoddam omnium rerum pretium, at hic contractus census pecuniarij nihil aliud est quam emptio numismatis, ergo est contractus illicitus. Maior perspicua est L. 1. De contrahen. emptio. L. 1. ff. De rerum. per mutatione, docueruntque illud Aristot. 1. Polit. c. 6. & Plinius lib. 33. c. 1. Minor probatur, quia emens cẽsum (vt ex præced. controu. constat) non emit rem illam, vel bona, quibus imponitur census, nec vsum fructum illorum, neque aliquid aliud quã annuum redditũ, qui re ipsa nihil aliud est quam pecunia illa singulis annis reddenda in pensionem. Confirmaturque ex communi stylo nostrorũ Tabellionum, qui in suis publicis scripturis, & instrumentis censuum, dicunt censuarium vendere censualistæ tot solidos, singulis annis illi reddẽdos.

Secundo. In hoc contractu existit reuera iniquitas vsuræ, ergo est illicitus. Probatur antecedens. Vsura est cum Petrus confert Ioanni centum, recepturus ab eo candẽ quãtitatem post aliquod tempus, & aliquid amplius vltra sortem: sed quando in censu confert Petrus Ioãni 100. recepturus ab eo singulis annis v. g. 5. percontor, vel redimet Ioannes censum, vel non? si redimat, recipit Petrus illa 100. quæ Ioanni cõtulerat, & præterea omnes illas annuas pensiones, quas Ioannes illi contulit per totũ illud tẽpus, quo non redemit censum illum; si verò non redimat, recipit tunc Petrus per spatiũ illud 20. annorum eãdẽ pecuniam, quã Ioãni contulerat in sortem, & præter eam quid quid deinde sequẽtibus annis ipsi exhibebitur in annuis pensionibus: Vnde quacunq; ratione sesse habeat, recipit Petrus vltra sortem aliam pecuniam, quod est vsura.

Tertio Vsura (vt q. præced. vidimus artic. 1.) dicitur partus, vel fetus per anthytesim, quia efficit vt pariat, fœtumq; reddat, res quæ natura sua sterilis est & ad partũ fœtumque omnem inepta, qualis est pecunia, quo nomine non solum iuri humano & diuino repugnat, verum & naturali, quia pecuniam, quæ natura sua sterilis est, pecuniã parere, natura ipsa reclamat, nisi fuerit negotio alicui exposita, vt docet Aristot. 1. Polit. c. 6. & 7. & Plutarcus in libello: *Quod non oporteat fœnerari*, Sed in censu pecunia extra omnem negotiationem parit pecuniã, confertur enim pecunia, vt ex ea recipiatur annuus census in simili pecunia.

Quarto, Vsura non solum versatur circa mutuum apertum, & explicitum, verumetiam circa fictum & simulatum, vt vidimus, sed in cẽsu interuenit mutuum simulatum cum lucro vltra sortem, ergo in censu excercetur verè vsura. Maior cõstat satis ex præced. quæst. art. 2. contro. 18. & habetur in cap. Ad nostram. De emptio. cap. Illo vos. De pignor. cap. In ciuitate. de Vsuris. Probatur minor. In mutuo debitor tenetur reddere non idem numero, vel idem specie (vt dicunt Iuristæ) sed idem genere, id est rẽ eiusdem generis, vt si recepisti triticum, debes restituere triticum, L. 2. ff. Si certum petat. tum etiam res mutuata transit in dominium recipientis illam, & in periculum ipsius L. Incendium. Cod. eod. tit. L. In ration. *La secunda*. §. Diligenter. ff. Ad legem Falcidiã. L. Inter stipulantem. §. Sacram. ff. De verbo. obligatio. Hæc autem existunt in censu pecuniario, Petrus enim recipiens à Ioanne 100. aureos, tenetur illi reddere singulis annis aliquot etiam aureos, quod est reddere acceptum in eodem genere, tum etiam si illi 100. aurei traditi Petro pereant, uel consumantur, ipsi pereunt, non Ioanni, vnde census mutuum quoddam est fictum, & simulatum.

Quinto. Si hic contractus esset licitus, certe eo nomine quo ab authoribus contra sentientibus probatur, nempe titulo emptionis & vẽditionis, sed vera & formalis ratio vẽditionis illi cõuenire nõ potest: Patet, quia in omni venditione, iuxta propriam illius vim & naturam, debent reperiri hæc duo omnino diuersa, & distincta, tã specie quã genere pretium & res quæ venditur, seu merx; Habẽt illud innumera iura. De pretio L. 2. ff. De contrahen. Emptio. L. emptionis fides. Cod. eod. tit. Institut. De emptio. & venditio. §. Pretium. & §. Item. De merce autem, vel re quæ venditur, L. 1. & L. Neque emptio. ff. De contrahen. emptio. L. vltima. Cod. De pretiis. Decurio; At in censu, licet existat pretium, quia redditur pecunia ab emente illum, at non existit merx, & res venalis distincta, emitur enim annuus redditus, qui pecunia quædam est, & eo ipso res quæ nulla ratione venalis esse potest, vt constat ex 1. argumento.

Sexto. Esto annuus redditus, & pecunia illa, in qua redditur, esset res venalis debe-

ret nihilominus emptio illius iusto pretio fieri, ita vt inter id quod à censuario redditur, & id quod à censualista accipitur, esset æqualitas: at perpetuo in huiusmodi censibus inter pretium redditum ab vno, & pecuniã seu pensionem quæ redditur ab alio, est inequalitas: ergo & iniustitia. Probatur minor: Quia vt dicebamus in secundo argumento, si Petrus conferat Ioanni 100. Ioannes vero censum illum post aliquot annos redimat, quibus acceperit Petrus in annuis redditibus. v.g. 50. emit profecto in hoc casu Petrus à Ioãne 150. datis solis 100. Si vero Ioannes illum censum non redimat, post plures annos recipit Petrus & 100. quę contulerat & sequentes pensiones, sicq; quacunq; ratione Ioãnes se habeat, emit Petrus ab illo centum & multo plura, datis solis 100. quod perspicuuum est maximam continere inæqualitatem. Et confirmatur. Si quis conferret alteri 100. hac lege, vt per 10. annos redderet ipsi singulo quoque anno 10. vltimo vero anno restitueret illi integram sortem, nempe illa 100. hic contractus esset reuera vsurarius, at vt ex modo dictis constat, eadem omnino ratione res sese habet in huiusmodi censibus.

Denique per hunc contractum grauantur magis ciues, quam vsuris; est ergo repellendus omnino à Repub. Probatur antecedens: Nam imprimis, si quis conferat alteri 100. intra 15. vel 14. annos recipit illa, sorte sua integra manente, cum tamen in vsuris quas leges Romanorum permittebant, multo pluribus annis opus esset ad recipiendum ęquale cum pecunia. Quin & in triplum, & quadruplum, & plures ac maiores excessus augetur census, per vsuras vero legibus illis permissas nunquam perueniebatur ad duplum.

Et confirmatur, Sequuntur enim ex hoc contractu varia incommoda: Primo occasione illius cessant multi ab honestis negotijs & laboribus, multoque otio torpẽt. Secundo, grauantur plurimum pauperes, multorumque possessiones & hæreditates exauriuntur, & consumuntur varijs grauibusque censibus, quorum solutioni bona vel lucra ipsorum non sufficiunt illis impositis. Tertio, cessat eorum occasione pia Christianaque mutuatio adeo inter amicos solita, cum mutuo indigens si à diuite & potente illud postulet, vix inueniat amicum mutuantem, affirmantibus omnibus se habere pecunias suas censibus expositas, neque alia ratione posse illius necessitati occurrere quam per censum. Mitto nunc innumeras fraudes, vsurariosque dolos, qui cauillis & arte aliquorum tabellionum, & aliorum qui cupiditate sua execati diuini iudicii omnino obliuiscuntur, sub titulo censuum cum graui egentium damno & iactura passim exercentur. Ita colligunt citati authores, loquunturque potissime de censibus pecuniarijs, inter census antiquos & eos qui de nouo constituuntur ita distinguendum esse, vt antiquos emere quidem liceat, de nouo autem constituere nequaquam, nisi per viam liberę donationis. Ita vt possit Ioannes liberè concedere Petro censum aliquem super bona sua, deinde vero cum iam ille constitutus est, liceat Petro illum alteri tertio vẽdere. Similiter licebit iuxta hos DD. emere tributa Regia quæ ab antiquo soluuntur à ciuibus, emere autem ea, quæ de nouo imponerentur, non licere. Est enim tanquam fundamentum opinionis huius, in quacunque emptione & venditione oportere mercem quæ venditur, & pretium esse res distinctas, ita vt merx iam actu existat. Vnde inferunt antiquum iam antea institutum iuste emi, quia annuus ille redditus, vel ius ad illum est res distincta à pecunia qua emitur tanquam pretio, & illi prę existens; at quando de nouo instituitur, neque est res distincta, cum detur pecunia pro pecunia, nec præexistens, cum tunc de nouo producatur, & instituatur.

Oppositum docent ex Theologis Maior. in 4. distinct. 15. quæst. 42. Ricardus quodlib. 2. quæst. 23. artic. 2. Conrradus quęst. 75. 79. & 83. Angelus verbo Vsura. primo, num. 44. Syluester Vsura. 2. quęst. 12. Medina Cod. De restitut. cap. illo De censibus quo ad eorum institutionem. D. Antonin. 2. parte tit. 1. cap. 8. §. 7. Soto lib. 6. de Iustit. quæst. 5. artic. 1. Palatius lib. 4. De contract. cap. 6. Mercatus De contract. lib. 4. cap. vltimo. quod est de censibus. & omnes rescentiores discipuli D. Thom. vel in publicis lectionibus, vel in cõmentarijs seu tractatibus recenter æditis. Ex Iuris Pontificij interpretibus Hostiens. Cardinalis, Panormit. Ioannes de Annania, & Rauena in cap. In ciuitate. De vsuris. Tiraquell. De retracta. §. 1. Glosa 6. nu. 15. Rebuffus 2. tomo ad constitutio Gallicas, tractatu De constitu. redditus Glosa 1. Cathalogus gloriæ mundi par. 12. consideratio. 99. fallentia 25. D. Nauarr. in commento De vsuris. nu. 70. & sequen. Couarr. loco sępe citato lib. 3. varia resolut. cap. 7.

nu. 2. Sarmiento lib. 7. Selectarum cap. 1. Molineus De vsuris. in principio num. 20. & deinde quest. 10. num. 104. & omnium nouissime Felicianus de Solis in suo erudito opere de censibus lib. 1. cap. 7. num. 2. vbi affert innumeros Iurisperitos in eandem sententiam. Docent ergo hi omnes, censum, de quo hic agimus, seruatis debitis conditionibus, quas inferius subijciemus, contractum esse iustum & honestum, & à Sede Apostolica approbatum tamquam licitum, & ab omni iniustitia vsurariaque labe alienum. Quę sententia vt vera & certissima tenenda est.

At quã intelligẽdam obseruemus primo, Constituendum esse, quod ex proxime pręcedente controuersia satis constat, censum non esse mutuum, sed vere ac re ipsa emptionem ac venditionem, & pecuniam quæ censuario confertur non mutuari illi, sed absolute & simpliciter transferri omnino in illum pleno iure, vt pretium census, sine vlla alia obligatione, quam conferendi tradenti illam, ius, & actionem percipiendi singulis annis pensionem aliquam: ita vt in huiusmodi contractu neque vendatur, res illa, cui census imponitur, neq; fructus illius, neque pecunia ipsa, sed ius tantum istud, & actio quæ (vt ibi diximus, & nunc ostendemus) pretio æstimabilis est, & consequenter natura sua vendibilis.

Obseruemus secundo, quod optime docet, & probat Couarru. loco citato: Annuũ redditum esse mercem, computarique in iure inter bona immobilia, vt videre est in Clementina Exiui. §. *Cumque annui reditus*. De verborum significatio. vbi dicitur: *Cumque annui redditus inter immobilia censeantur a iure &c.* Quibus simile habetur in Authent. De alienand. aut premutand. rebus Ecclesiasticis. in principio, in l. Si quis inquilinos. ff. De legibus. in principio. in l. Iubemus nulli. in verbo. *ciuiles annonas*. Cod. De Sacrosanct. Eccles. & in alijs multis, quæ ibi afferuntur à Couarruuia. Quod etiam docuerunt vt idem ibi refert Alexand. Iason, Alciatus, & Tiraquellus in locis ibi citatis. Quamuis enim inter Iurisperitos controuersum sit, vt ibi insinuat Couarruu. sit ne census inter bona mobilia vel immobilia computandus, illud tamen omnibus est in comperto, esse mercem, & ex consequenti prætio ęstimabilem, & quæ vendi potest. Idem censent Molinæus in consuetud. Parisien. tit. 1. §. 13. Glos. 5. num. 10. Rebuffus in l. Mouentium. ff. De verb. signific. pag. 561. & alij multi quos refert Felicianus de Solis De censibus lib. 1. cap. 7. num. 2.

Tertio, obseruandum est ex eodem Couarru. loco citato, vsum fructum posse pecunia emi, l. Necessario, §. vltimo. ff. De Periculo & comodo rei vendit. l. 3, De vsufructu. §. vltimo. Instit. eod. tit. Vnde est communis & rectæ rationi maxime consona, posse Petrum vsumfructum sibi à Ioanne legatum alteri vendere: Est enim vsusfructus bonum quoddam temporale hominum vsibus vtile, vt nomen ipsum significat, & eo ipso pretio æstimabile, iuxta ea quæ docuimus ex communi DD. sententia initio huius operis quæst. 77. artic. 1. contro. 1. Confirmaturque experientia, constituitur enim sepe vsusfructus in domibus, alijs ve rebus, quæ non reddunt nisi vsumfructum pecuniarum, vt constat ex varijs legibus quæ afferuntur à Feliciano de Solis loco citato. Conueniunt in his duabus obseruationibus plerique vtriusq; Iuris DD. quorum sententia in hac parte non solum in iuditio forensi magnæ debet esse authoritatis, verumetiam in iuditio animę, vt tuto dicernat Theologus, quę ad iustitiam huius contractus pertinent.

Denique licet de censu pecuniario præcipue ac potissime hic agere instituamus, de fructuario quoque, siue perpetuus sit, siue qui redimi etiam possit, simul dicemus, vt ex alio ad alium gradum faciamus.

Sit ergo. Prima conclusio, *Census fructuarius in re fructifera constitutus, quo emitur ius percipiendi aliquam partem fructuum ex illa, simpliciter & natura sua iustus est, & licitus.*

Dixi natura sua & secundum se, quia si lege priuata Regni ex iustis causis prohibeatur, erit illicitus, & nullus, quia prohibitus. Habẽt enim Princeps & Respub. authoritatem ad prohibendos contractus, vel ferendas leges circa illos, quatenus bonum commune suorum ciuium postulauerit, neque hoc vlla probatione indiget. Vnde in Regno Castellæ non licet constituere censum fructuarium reddimibilem, cum sit illud iustis de causis ibi prohibitum lib. 5. Recopilat. factæ sub Rege nostro Phylippo 2. titul. 15. qui est de censibus. leg. 4. Vbi cautum est, ne census fructuarius fiat, iamvero factus, siue factus fuerit ante legem illam, quę fuit condita circa census Anno Domini 1534. siue post, commutetur

tetur in pecuniarium, iuxta formam & æstimationem taxatam pecuniarijs, nimirum, vt ematur ius vt mille, datis quatuordecim millibus eiusdem sortis, & rationis. Quæ lex congruens est, Nam cum fructus non sint semper eiusdem valoris, vix potest pretium iustum omnibus annis illis competens assignari.

Vbi autem lex illum non prohibet, vt in nostro Regno, conclusio posita est vera, & communis inter omnes DD. Nam qui censum pecuniarium damnant, hunc fructuarium damnare non audent. Probaturque illa à Conrrado quæst. 72. varijs rationibus. Primo sic. Venditio huiusmodi iuris est actus cadens super debitam materiam, & obiectum, nempe fructus, qui sunt debita materia venditionis, ergo seruatis aliis circunstantiis nempe, vt fiat iusto pretio, & à personis legitimis ad contrahendum, ac sine vlla fraude, vel dolo iuxta leges Prouinciæ, iustus est, & licitus. Quid enim aliud exigitur ad iustam & honestam venditionem?

Secundo. Si huiusmodi venditio non esset actus secundum se & ex suo genere licitus, nũquã posset ex circunstãtia honestari, sicut odiũ Dei, fornicari, & mẽtiri, quę nũquã honestari possunt, quia sunt intrinsece mala: at emptio perpetua vel ad tẽpus fructuũ alicuius rei, aut partis eorum non solum potest ex circunstantia honestari, verum etiam actu & re ipsa fit sępe licitè, & honestè, ergo census fructuarius, qui nihil aliud est quam emptio iuris percipiendi aliquos fructus, licitus est, & iustus. Maior cum consequentia perspicua est. Probatur minor varijs exemplis: Imprimis instituuntur & recte nonnulla Beneficia Ecclesiastica, quorum redditus sunt fructus, imponiturque ius super re fructifera percipiendi illos, licetque beneficiato ius illud alicui vẽdere ad tempus, imo nisi lex Ecclesiastica illud prohiberet, & merito, posset ius illud vendi alicui in perpetuum. Et confirmatur. Quia ius percipiendi decimas, & primitias Clericis debitas, licet sint bona Ecclesiastica, venditur licite ac honeste per aliquot annos ab Episcopis, & Clericis, contractu illo quem Hispane dicimus *Arrendar*: vt constat ex Clementina 1. De rebus Eccles. non alienan. Quanto ergo potius licebit vendere accepto pretio ius in fructus, qui sint bona mere secularia, & profana in tempus, vel in perpetuum, vbi lex illud non prohibuerit.

Tertio. In emphyteusi nihil aliud fit, quam domino directo tradente agricolæ fundi sui dominium vtile, agricolam vendere illi partem fructuum pro dominio illo vtili sibi tradito, tanquam pretio fructuum, ad quos per singulos annos illi tradendos se ipsum obligat: quod genus venditionis per emphyteusim nullus vnquam damnauit, cum illud omnia iura probent. Qua ratione Genes. 47. emit Ioseph Regi Aegypti quintam partem fructuum omnium agrorum, collatis agris illis singulis ciuibus, tamquam iustis pretijs illorum fructuum.

Quarto. Passim accidit Petrum legare Ioanni vsumfructum suarum possessionum, Ioannem vero eundem vsumfructum iustè ac licitè alteri vendere, vel locare, quem vendens aut locans nihil aliud illi vendit, quam ius percipiendi fructus illos. Eandem conclusionem probat idem Conrradus deinde quæst. 78. sed similibus argumentis.

Secunda conclusio. *Census pecuniarius, quo emitur ius percipiendi annuum aliquem redditum pecuniarium seruatis conditionibus, quas subijciemus, contractus est iustus, & licitus.*

Probatur hæc à DD. citatis maxime Conrrado & Couarruuia efficacissimis rationibus. Primo. Vt contractus venditionis iustus sit, hæc quatuor tantum exiguntur. Primo, personas esse legitimas ad contrahendum, nempe vendentem esse dominum absolutum rei quam vendit, & ementem similiter esse dominum pretij, quod reddit. Secundo, rem esse venalem, tam natura sua quam iure, id est vt nulla lege prohibeatur illa vendi. Tertio, vt pretium sit iustum. Quarto, vt nulla fraus vel dolus misceatur: vel ex defectu rei, vel ex dilatione solutionis, vel aliqua alia circunstantia: Sed in censu pecuniario, de quo hic potissime agimus, & cuius modo vsus adeo frequens est, concurrunt hæc omnia: Supponimus enim primo contrahentes habere dominium plenum & absolutum, alterum rei cui census imponitur, & bonorum suorum, è quibus redditus, in quos aliter emit ius, singulis annis soluat, alterum vero pretij quo emit istud ius & censum; Secundo, pretium esse iustum; Tertio, nulla fraude, vel dolo, aut aliqua circunstantia vitiari, sed seruari in eo omnes

nes conditiones requisitas. Quarto, rem quę venditur, nempe ius istud percipiendi aliquem annuum redditum esse rem pretio ęstimabilem, & venalem, ergo est contractus iustus & honestus.

Hoc argumentum quod huius sententiæ fundamentum est, & basis, est certe in hac materia efficacissima demonstratio, si quęcunque in eo sumimus certò & euidenter constent. Ac de tribus prioribus, quæ hic sumimus, nulla est dubitatio: tota difficultas consistit in quarto. An istud ius percipiendi pecuniarium redditum vendi possit & emi: hic enim impingunt authores alterius opinionis, existimantes in hoc contractu pecuniam emi, quæ tamen vendibilis non est, cum sit instituta, non vt ipsa ematur, sed ad omnes alias res emendas. Cōstat autem ex præcedenti controu. in censu non emi nudam pecuniam sub ratione pecuniæ, sed ius & actionem percipiendi illam, & obligationem quæ censuario manet reddendi illam singulis annis, quod ius pretio æstimablile esse, & vendibile natura sua ostendo: posito, quod certum est, nulla lege illud prohiberi quin potius illis probari.

Primo. Licet emere (vt ex tertia obseruatione contat) vsum fructuum cuiuscunque rei fructū ferentis, veluti vsum fructum domus quę locatur: at huiusmodi fructus experientia teste redditus pecuniarius est, ergo licet emere ac vendere ius in redditum pecuniarium.

Secundo. Licet emere ius in aliquam partem fructuum vineæ, vel agri, & conuenire cum venditore, vt loco illorum fructuum certam pecuniam conferat, qua ratione plerique DD. existimant institui census: licet ostenderimus non semper ita fieri, nec esse hanc naturam census; Sed quidquid sit de hac quæstione, illud tamen modò certum est ex præced. conclus. posse institui censum fructuarium, & cum fructus res venalis sint, posse conuenire inter se vt loco fructuum reddat agricola certam pecuniam, quo casu, ius quod fuerat emptum in fructus, manet titulo eiusdem venditionis in redditum pecuniarum: est ergo venale, aliter non posset hæc commutatio fieri.

Tertio. Annuus redditus siue ius in ipsum, (nam hęc pro eodem nunc sumuntur, vt ex prima obseruatione constat,) est merx, quæ computatur inter bona immobilia in illa Clementina: Exiui, alijsque iuribus, ergo potest vendi pro pretio. Repugnaret enim talem redditum mercem esse, & non esse preiio æstimabilem, ac venalem, vt optime colligitur ex l. 1. ff. De contrahen. emptio. & ex dicto illo Diui Augustini 1. quæst. 3. Cano. Totum. vbi dicitur: *Totum quidquid homines habent in terra, omnia quorum domini sunt, pecunia vocatur: seruus, vas, ager, arbor, pecus, quidquid horum est pecunia dicitur: ideo autem pecunia vocata est, quia antiqui, quod habebant, in prioribus habebant.*

Quarto, Vt vidimus quæst. 77. artic. 1. Res eatenus venales sunt, quatenus deseruiunt in vsus & vtilitatem hominum, modo non sint spirituales sed temporales: ad hoc ius, de quo agimus, est quid temporale, & hominibus vtile, ergo pretio ęstimabile, & venale.

Quinto. Fatentur authores alterius opinionis, licere Ioanni constituere Petro titulo donationis super domo sua ius percipiendi singulis annis decem aureos, vel in perpetuum, vel ad tempus: posseque deinde Ioannem idem ius alteri vendere, ergo potuit & Petrus illud à principio vendere ipsi Ioanni, Probo consequentiam, Idem omnino ius est quod Ioannes alteri confert, & quod fuit à principio collatum ipsi, neque in aliquo mutatum: Sed quando Ioannes illud alteri confert, est pretio ęstimabile, & venale, ergo quando Petrus illud ipsi contulit, erat quoque pretio æstimabile, & venale. Certè alienum est à ratione, vt ius quod penes vnum fuit venale, existens idem omnino, penes alterum non possit vendi. Quod enim aliqua res ab vno vendi possit, & non ab alio, nunquam illud prouenit ex parte rei: Nam quæ semel venalis est, quandiu eadem manet, semper vendi potest, sed ex parte habentis illam; vel quia non sit illius dominus, qua ratione res furtiua vendi non potest à fure, vel quia esto sit illius dominus, non tamen possit exercere contractus, vt pupillus.

Respondent huic argumento, qui aliter sentiunt, ex illo fundamento suo, de ratione venditionis esse, vt res vendenda præexistat venditioni: in censu autem quando de nouo instituitur, & creatur, res quæ vēditur nēpe illud ius, siue annuus redditus nō præexistit cōtractui, quin potius per illū producitur, & cōsurgit, & propterea tūc vēdi nō posse, postea vero cum iam existat, vendi posse.

Sed

Sed hæc solutio non tollit vim argumenti, cum constet tam in iure, quam experientia, multa quæ non dum actu existunt, sed esse possunt, pretio æstimari posse, & vendi, qua tenus sunt in potentia, vt iactus retis l. Si iactus retis. ff. De actionibus Empt. partus ancillæ futurus, l. Neque emptio. ff. De contrahenda emptio. Et confirmatur. Nam in censu fructuario qui ab omnibus conceditur, non emitur res actu existens, sed in potentia tantum, nempe fructus futuri. Qua propter non dubitauit affirmare Syluester verbo Vsura. Secundo. quæst. 12. falli oppositam opinionem, eo quod non dignoscat in hoc contractu mercem à pretio distinctam esse. Quia sicut dum emuntur annui redditus iam constituti, emitur ius in illos, quod natura sua pretio æstimabile est, & vendibile, quia est re ipsa bonum quoddam temporale, & merx: ita quoque cum à principio constituitur non habet aliam rationem & naturam, ab ea quam habet iam institutum, & antiquum. Et confirmatur: Si census, quando fuit ab initio institutus accepto pretio fuit iniquus, ergo emens illum non acquisiuit ius vel dominium aliquod in illum: quia per contractum qui iniquus est, non ratione pretij sed ratione rei, quia illa vendi non potuit, non acquiritur ius: Quod si non acquisiuit ius in illum, quia census ille non potuit vendi, & emi, ergo neque deinde, esto iam aliquo temporis progressu efficiatur antiquus, poterit habens illum alteri vendere: quia nemo potest vendere rem quam iniuste possidet, & in quam non habet verum dominium, sicut diximus de fure, & vsurario. Perperam ergo affirmant authores alterius opinionis, non posse institui de nouo contractum venditionis census, posse tamen iam constitutos emi & vendi. Etenim si prima institutio fuit iniqua & inualida, non potest tractu temporis valida effici. & aliquod ius vel dominium conferens, iuxta illam regulam iuris in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod ab initio iure non subsistit.*

Sexto. Quia ratione potissime vtitur Conrradus. Si census pecuniarius iniustus esset, id certe esset, quia in censu solum emitur aliqua pars fructuum eius rei cui imponitur, res autem cui imponitur vt vinea, vel ager, non est nata ferre pecuniam, sed fructum: at hæc ratio nullius est momenti: Nam imprimis constat propriam vim & naturam census non consistere in emptione alicuius fructus, sed annui redditus, vel in fructibus, vel in pecunijs, sicut contrahentes interse conuenerint: Secundo, esto census emptio fructum esset, potest simul valor fructuum statim conuerti in redditum annuum pecuniarium. Tertio, falsum est rem fructiferam, cui imponitur census, nunquam ferre redditum pecuniarium, cum fructus domus quæ locatur, communiter alius non sit quam pecuniarius aliquis redditus.

Septimo, Iure tam Ciuili quam Canonico res quę emuntur & venduntur, constituuntur dupplices, alię corporales, aliæ vero incorporales: quam diuisionem vtriusq; Iuris DD. vt bonam & maxime congruentem admittentes, nomine rerum incorporalium intelligunt iura, & actiones ad exigēda, & percipienda bona aliqua temporalia, vel res corporales: huiusmodi autem sunt annui redditus, siue in fructibus reddendi sint, siue in pecuniis, ergo iura ad huiusmodi redditus iuste emuntur & venduntur in censibus.

Denique vtroque iure perhibetur vendi posse. Iure ciuili in Authenti. Vt hi qui obligat. se habere perhibent res minorum. §. Quoniam autem. in fine, iūcta glosa traditur licitum esse curatoribus pecunijs minorum annuos redditus emere. Et inter nouellas constitutiones Iustiniani: constitutione 40. cuius meminere Carol. Molinæ. q. 75. num. 586. & Couarr. loco citato approbatur hic contractus census, in quo emitur huiusmodi ius, distinguunturque ibi omnino à mutuo, & vsurario. Sed apertius in Iure Pontificio in illis duabus Extra uag. Martini V. & Calixti III. quæ habentur inter Extrauagantes communes tit. De emptione. & nostris temporibus in Extrauaganti Pij V. quam inferius referemus. Nec distinguunt Pontifices inter census fructuarios & pecuniarios, imo in specie & in particulari loquuntur de pecuniarijs, maxime Martinus V. & Calixtus III.

Nunc ad argumenta in oppositum. Ad primum respondet Couarru. loco citato, proprium & primarium vsum pecuniæ in hunc finem institutum esse, vt sit cęterarum omnium rerum pretium, & ęstimatio, secundario tamen & improprio vsu posse sui quoque ipsius pretium esse; sicut proprius ac primarius vsus calcei est ad tegendum pedem, secundarius verò & improprius ad cōmutationes: vt cum calcei permutantur

pro gladio, & ita posse pecuniam vt 100. permutari cum pecunia vt 5. singulis annis reddenda. Hæc tamen solutio præsenti instituto (quod pace tanti Doctoris & de omnibus studiosis adeo benemeriti dixerim) accommodata non est. Nam quanuis posit pecunia cum alia pecunia commutari, vt in Tractatu proxime sequenti de Cambijs dicemus, & in quo sensu loquuntur Aristotel. D. Thom. Caietan. & Syluest. quos ibi Couarru. citat: Nullus tamen vnquam docuit, pecuniam eiusdem rationis & sortis in eodem loco posse emi simili pecunia, constat autem censum esse contractum emptionis & venditionis. Vnde Respondet secundo, & recte, in censu non emi pecuniam, nec illam esse sui ipsius pretium, sed emi tantum ius illud percipiendi aliquam annuam pensionem, quod ius (vt vidimus) pretio æstimabile est, & venale, sicut ius percipiendi aliquod tributum, vel ius percipiẽdi fructus alicuius rei: quam solutionem sumpsit ex Carolo Molinęo De vsuris. num. 20.

Ad secundũ respondeo, cum eodem Couarru. in contractu census nulla ratione vsurariam prauitatem reperiri posse, quia vsura non habet locum (vt vidimus) nisi in mutuo vero & explicito, vel simulato & interpretatiuo, quale existit in emptione rei alicuius anticipata, vel expectata solutione: in censu autem nullum interuenit mutuum vt ostendimus, quia in mutuo compellitur qui sortem recepit illam restituere, sicque in eo præcipua obligatio respicit sortem, accessoria vero vsuras; in censu autem qui recipit sortem, potest quidem illam restituere, vt redimat censum, non tamen tenetur, neque ad id compelli potest: nec pręcipua obligatio huius contractus aliud potissime respicit, quam annuam pensionem. Nec obest, quod progressu temporis qui pecuniam contulit, recuperet quantum à principio cõtulit, & plura, nam in omni emptione rei fructiferæ ita accidit. Etenim qui emit agrum fructiferum pretio vt mille, si singulis annis deductis expensis colligat fructus vt 50. intra 20. annos recuperat pretium, quod pro eo contulit, & quid quid recipit sequentibus annis, recipit vltra pretium. Id ipsum accidit in censu: est enim emptio rei fructiferæ, iuris scilicet illius percipiendi annuum redditum, qua de causa non exigitur, vt pretium census equetur omnibus pensionibus recipiendis, sed solum iuxta valorem illius iuris, vel iuxta præscriptum legis, vbi illud taxatum fuerit, vt Castellæ, vel iuxta communem vsum fori, vt apud nos, vel arbitrio prudentum, vbi neque lege neque vsu fori aliquod pretium eius haberetur: etiã si pretiũ illud multæ pensiones per longa tempora perceptæ excedant.

Eadem ratione soluitur tertium: In mutuo enim vsurario pecunia parit pecuniam, quod naturæ repugnat, in censu autem pecunia non parit pecuniam, sed solum parit ius illud, ratione cuius pensiones annuæ recipiuntur, quod pretio æstimari & vendi posse, nec ipsius rei natura vetat, nec vlla lex prohibet; traditurque in pretium illius iuris, quod licet sit actio in pensionem pecuniariam, non tamen est pecunia, sed merx quædam inter bona immobilia computanda, vt ex Clementina citata constat.

Ad quartum constat satis ex dictis, in censu nullum mutuum existere: Quamuis enim videantur census & mutuum in eo conuenire, vt in vtroque recipiens pecuniam fiat illius dominus, ita vt si pereat, accipienti pereat: Tum etiam vterque videatur reddere acceptum in eodem genere, plurimum tamen reuera differunt: quia in mutuo redditur tantum, ipsum capitale acceptum, at in censu non obligatur ad restituendum tantundem, nec capitale, sed solum annuam pensionem, in quam recepit ius, capitali illo tamquam vero pretio illius iuris exhibito.

Ad quintum respondeo, Reperiri reuera in hoc contractu, illa duo quæ exiguntur in omni emptione & venditione tanquã diuersa & distincta, nempe pretium & mercem: censuarius enim vendit alteri in suis bonis ius recipiendi annuam pensionem, quod ius, cum computetur vt constat inter bona immobilia, est vere merx, & res venalis, censualista verò reddit in pretiũ illius iuris sibi venditi pecuniam, quam illi confert.

Sextum soluitur vt primum: Non enim emitur in censu maior aliquã pecuniæ quantitas oblata minori, sed ius illud in annuos redditus prætio iusto, iuxta ea quæ inferius dicemus agentes de pretio, census.

Ad confirmationem dico non esse parem rationem. Etenim qui ita confert alteri pecuniã, vt 100. vt per decem annos redderet ei singulo quoque anno 10. & in vltimo anno integram sortem, non institueret cẽsum, sed mutuum vsurarium & iniquum, cum non abalienaret à se sortem, sed illam esset recep-

ceptiuus: in censu autem conferens sortem illam omnino à se abdicat, & alienam facit, transferens illã omnino in censuarium: sicut in quauis venditione pretium rei emptæ alienatur omnino ab emptore, & transfertur pleno iure in venditorem.

Ad vltimum respondeo, quod in censu recipiantur progressu temporis varij redditus æquantes sortem, & illam excedentes in duplo, vel triplo, conuenire illud (vt in secundo argumento diximus) cuicunque rei fructiferæ emptæ, sicut accidit emi equũ iusto pretio, & eodem sepius locato pretium illius, & multo plura per aliquod tempus recuperari, ius autem quod emitur in censu (vt ibidem diximus) res fructifera est, vel saltem habens se ad modum fructiferæ.

In confirmatione quæ ibidem adhibetur, afferuntur varia incõmoda, quę videntur oriri ex contractu census, quæ tamen hominum vitio tribuenda potius sunt, quam iniquitati huius contractus. Nam primum incommodum, quod occasione censuum multi otio torpeant, vitio ipsorum accidit, quis enim prohibet, ne in honestis negotijs se ipsos exerceant. Iam, si quęcunque hominum culpa vitio vertuntur, damnanda essent, multa honestissima & sancta essent damnanda, quorum occasione, non quidem ab illis oblata, sed hominum iniquitate accepta, vitia committuntur. Ad secundum incomodum respondet Ioannes Medina loco citato: Esto homines frequenti vsu vẽdendi censùs efficiantur pauperiores, non tamen propterea censùs esse iniquos, vel culpam esse in censibus, sed in praua gubernatione suorum bonorum, quæ si rectè ac prudenter administrassent, non compellerentur tot censibus bona sua extenuare, Sicut qui illa sæpius distrahere aut vendere compellitur, pauperior efficitur, nec proterea contractus ementium illa iusto pretio iniquus est, aut damnandus. Tertium ex hominum etiam cupiditate & impietate nascitur, non ex censibus, sicut ex cupiditate lucri efficitur sæpius, ne diuites amicis mutuẽt, nec pauperum misereantur, omnia bona sua mercaturæ tradentes, nec propterea mercatura & negotiatio debitis circunstantiis seruatis, quas superius quęst. 77. art. 4. proposuimus, iniusta est vel iniqua. Denique quòd mille fraudes ac dolos exerceant homines sub titulo censuum, aut in ipsis contractibus censuum, perspicuum est iniquitate ipsorum fieri, non censuum, Nam eadem ratione mille dolos ac fraudes in venditionibus exercẽt, nec propterea contractus emptionis, aut venditionis secundum se iniquus est, vel à Republica relegandus: actiones enim honestæ, quod illis homines suas iniquitates misceant, damnandæ non sunt, sed iniquiquitates tantum, quæ illis miscentur.

Controuersia. III.

QVAE CONDITIONES EXIgantur *in censu consignatiuo & redimibili iuxta constitutiones Martini V. & Calixti III. vt sit iustus?*

SVMMI Pontif. vel de iustitia huius contractus interrogati, vel propria sponte & motu illius iustitiam docere, pro ratione sui muneris & officij cupientes, varias asignarunt conditiones, vt rectè & iustè à fidelibus exerceatur: alij plures alij vero pauciores. Nicolaus V. proponit nonnullas, plures illis proposuerunt olim Martinus V. & Calixtus III. & plures quam cæteri omnes Pius V. Doctores tam Theologi quam Iuris Pontificij dimissis his quę olim à Nicolao V. proponuntur, expendunt diligenter eas quas postulant Martin. V. & Calix. III. & potissime quas constituit in suo Motu proprio Pius V. Nos eãdem methodum obseruabimus.

Primum igitur Author Summæ Conciliorum referens vitam & acta Calixti III. meminit duarum Extrauagantium, quæ habentur inter Extrauagantes communes tit. De emptio & venditio. Quarũ prior est Martin V. posterior Calixti III. colligitque ex illis, in censu de quo loquimur obseruandas esse has sex condition-s.

Prima, vt venditor censùs asignet certum aliquod predium, vel possessionem firmam, & immobilem, in qua censùs constituatur: Ita vt solutioni illius censùs maneat tantum obligatum prędium illud, vel possessio, cui imponitur, minime vero venditor ipse illius censùs, aut alia bona illius.

Secunda. Vt reddatur pretium iustum, tradaturque illiud statim in integrum, & in numerato.

Tertia. Vt in ipso contractu detur expressa facultas venditori censùs, vt possit illum liberè, & quando voluerit, redimere, tradito eodem pretio in toto, vel in parte.

Quarta. Vt ad redimendum censum nulla ratione venditor illius compelli possit.

Quinta. Vt prædio illo, vel possessione, in qua fuit impositus census omnino pereunte, vel reddita inutili & infructifera, census quoque ille pereat, maneatque illius debitor omnino deobligatus ab illius solutione.

Sexta. Vt res cui census imponitur, sit fructifera, ita vt annui census qui illi imponuntur, non excedant valorem frctuum.

D. Nauarr. in commentario suo de vsuris. nu. 72. easdem affert solo numero à Bartholomæo Carrança differt: nam quas hic proponit sub senario, Nauarrus proponit sub octonario. Primam enim ex propositis diuidit Nauarrus in duas: ita vt prima sit, vt venditor certum prædium in quo census constituatur assignet, secunda vt illud solū maneat censui obligatum, minime vero venditor ipse census, vel alia illius bona. Similiter secundam partitur in alias duas: ita vt sit tertia vt soluatur iustum pretium. Quarta verò vt reddatur statim integrum, & in numerato, qua ratione cōditiones seruandę in censibus efficiuntur octo.

His positis antequam accedamus ad constitutionem Pij V. expendamus oportet.

AN OMNES CONDITIONES *istæ, quas summa Conciliorum, & Nauarrus proponunt, sint necessariæ, vt census sit iustus?*

(*)

FRATER Bartholomeus Carrā ça, author illius Summæ, propositis illis 6. conditionibus subiūgit? *Seruatis conditionibus prædictis, vtcunque tolerandos iudico tales contractus, aliqua vero earum omissa nulla ratione puto tolerandos.* Subscribit illi Nauarr. loco citato. Et per singulas discurrens omnes iudicat necessarias, ita vt licet Octaua aliquibus non videatur necessaria, tum quia illa in fauorem emptoris potius est, quam venditoris: tum etiam, quia non colligitur ex illis Extrauagantibus, in qua etiam sententia fuit ipse Salmanticæ, dum prędictas Extrauagantes publice explicaret: Hoc tamen loco sentit, illam quoque necessariam esse, adductus quibusdam rationibus, quas inferius referemus, dum de ista conditione seorsum disseremus.

Volunt autem Frater Carrança, & Nauarrus omnes istas conditiones necessarias esse; Primo, quia putant saltem Carrança colligi illas ex istis Extrauagantibus Pontificum. Secundo. Emptio census maxime redimibilis in pecunia habet maximam similitudinem cum vsura, adeò vt concurrentibus etiam in eo istis conditionibus, adhuc iudicaretur ab aliquibus contractus iniustus, & vsurarius, quousque à Summis Pontif. fuit declaratum, cum istis conditionibus nōn esse iniustum, vel vsurarium, ergo sunt in eo seruandæ omnes istæ conditiones. Tertio, quia licet hæc sententia, nempe omnes istas conditiones necessarias esse, non possit necessario probari contra eum, qui mordicus defenderet contrariam, sed neque contraria efficaciter probari potest contra defendentem illam: vbi autem res æque dubia est, ea opinio est tenenda, quæ magis tollit occasionem peccandi, & quæ magis fouet Rempub. Cap. Ex parte. De consuetudiue. l. Conueniri. ff. De pactis dota. Cap. Si diligenti. De foro compet. l. 1. ff. Soluto matrimonio. At institutio census, attenta aliquorum cupiditate, & aliorum otio & inertia, est quibusdam occasio miscendi fraudes & dolos, aliis vero occasio dissipandi bona sua, illisque consumptis vagandi per orbem, proprio solo familiaque relictis, & perpetrandi multa damna: vnde tenenda erit hęc pars, omnes istas conditiones seruandas esse. Etenim hac via efficitur, ne tam frequens sit censuum emptio & venditio in Republica. Denique Innocentius 4. grauissimus author licet videatur primus esse inter Doctores, qui censuit licere huiusmodi census de nouo institui, addidit tamen debere Christianos ab hoc contractu abstinere, abstinebunt autem plurimum, si doceamus non posse iuste institui nisi seruatis omnibus istis conditionibus.

Oppositum docent Conradus de contract. quæst. 74. Soto lib. 6. de Iusti. quęst. 5. art. 1. Palatius lib. 4. de contract. cap. 6. & omnes recentiores discipuli D. Thom. qui de censibus aliquid docuerunt, vel scripserunt, asserentes non esse necessarias omnes conditiones illas, pręter tertiā & quintam, iuxta seriem earum quas proponit Nauarrus: nempe vt pretium sit iustū, ac vt venditori census liberū sit illum redimere, & ab illo onere reddito eodē pretio se ipsum liberare. Quin & ipse Nauarrus fatetur, se in duabus prioribus editionibus sui Manualis huius quoque fuisse sententiæ,

Quam

Quam & nos veriorem certe iudicamus, Commisso nunc Motu proprio Pij V. de quo infra agemus) stãdo solum in istis duabus extrauagan. Martini V. & Calixti III. quod Quia patet neque definitione Apostolica istarum Extrauagantium, neque iure naturæ sunt necessariæ in iusto censu omnes istæ conditiones, ergo non exiguntur. Probatur antecedens.

Imprimis in illis Extrauagantibus nõ apponuntur conditiones illæ à Summis Pontif. tanquam necessariæ, sed author tantum Summæ Conciliorum colligit eas, tanquam suo iudicio ibi contentas, cum tamen Pontif. ipsi, si textus illi attente legantur, & considerentur, hoc solum ibi præstent. Referũt primo conditiones, cum quibus, qui illos cõsultarunt, affirmant census in illis Prouinciis solitos esse institui, & emi. Secundo, quas vtilitates Ecclesiis, & ciuibus census illi soliti essent afferre. Tertio definiũt, cẽsus illos de quibus sunt consulti, cum illis conditionibus non esse iniquos, nec vsurarios. Nunquam tamen docent illas ita necessarias esse, vt aliqua earum deficiente sint iniusti, & iniqui: quod oportuisset ipsos explicare, vt ex illorum definitionibus recte colligeretur, omnes condiones istas necessarias esse. Argumentum enim ab authoritate negatiua ductum nullam habet vim. Vnde affirmat ipsemet Nauarrus, etiam post istas constitutiones, ad iustitiam census eadem esse perpenda, quę ad iustitiam cuiuslibet contractus considerantur iuxta ius naturæ. V. g. super qua re imponatur, quo pretio, cum quibus cõditionibus onerosis: Et quia omnia ista varia esse solent, & quę hominũ cupiditate passim vitiantur fraudibus, & dolis, propterea sapienter Pium V. ad obuiandum fraudibus edidisse constitutionem illã, in qua explicauit aperte conditiones omnino necessarias ad iustum censum, non solum in his qui de nouo sunt instituendi, verumetiam in antiquis, si de nouo vendãtur.

Iam si iure naturæ standum sit, perspicuũ est, non esse necessarias omnes illas conditiones. Nam vt videbimus sequentibus controuersiis, stando in solo iure naturę, in quibuscunque bonis etiam incertis potest cẽsus institui, quin & in nuda persona, vel in pecuniis: Potest etiam venditor pretij solutionem, sicut & in aliis rebus quę venduntur, per aliquod tempus expectare. Quin nec quinta illa conditio est omnino necessaria, nam aucto pretio potest emptor conuenire cum venditore census, ne possit illum redimere, sicut accidit in perpetuis: vel contra, vt teneatur redimere illũ intra certum tempus. Etenim cum obligationes istę ciuiles sint natura sua, & pretio æstimabiles, possunt aucto pretio mutuo cõtrahentium consensu imponi censui.

Quæ vero in oppositum afferuntur à D. Nauarro nullam habent vim, Primum ex dictis manet solutum, constare enim cuiuis potest, extrauagantes illas attente legenti facile Summos Pontif. approbare quidem cẽsus cum illis conditionibus constitutos, non tamen reprobare eos, quibus aliquæ illarũ defuerint, neque definire illas esse necessarias. Ad secundum constat etiam ex dictis, censum, esto iniquus contractus esse possit ex defectu alicuius cõditionis, earum quas dicemus in eo desiderari, vt recte ac iuste cõstituatur, nullam tamen habere similitudinem cum vsura, quia vsura solum exercetur in mutuo, aut vero & explicito, aut simulato: census autem distat maxime a mutuo. Quod autem aliqui DD. opinati sunt esse mutuum, & vsurarium, decepti sunt in eo, neque propter deceptionẽ eorum exigendæ sunt in eo conditiones, quas non postulat, vel natura & propria ratio talis contractus, vel constitutio aliqua Apostolica, aut lex Principis. Ad vltimum respondeo opinionẽ illam Bartholomæi Carrancæ & D. Nauarri non probari, nostram vero vt ex dictis patet recte ostendi. Adde casu quo neutra efficaciter ostenderetur, cum tot conditiones exigere onerosum sit, restringẽdum esse iuxta regulas Iuris ad eas tantum conditiones, quas vel natura ipsius contractus secundum se postulauerit, vel aliqua lex Apostolica, vel Ciuilis. Incommoda autem illa quæ affert Nauarrus vt contro. proximè præced. dicebamus, vitio hominum accidunt, nõ ex natura huius contractus, nec propterea constituendæ sunt in eo tanquam conditiones necessariæ, quæ neque ex propria illius natura, neque alicuius legis præscripto in illo exiguntur. Denique Author Summæ Conciliorum opinatus censum esse venditionẽ illius rei, cui imponitur, & fructuũ illius, huic opinioni innixus, & suo ingenio censuit omnes illas conditiones desiderari: quæ certe maxima saltim ex parte exigerentur, si census, rei fructiferæ cui imponitur, emptio esset, & fructuũ illius: at cum longe aliter res habeat, quia vt prima contro. huius art. vidimus, & ipsemet Nauarrus loco citato num. 75. admonet, census non est emptio rei cui imponitur, nec fructuum illius, sed

iuris percipiendi aliquā annuam pensionē, in cuius securitatem res illa quasi in fideiussorem offertur, consequenter plereq; conditiones istarum ex natura contractus non sunt necessariæ in censu.

Hactenus de conditionibus, quas videbatur exigere iustitia census iuxta duas illas Extrauagantes Martini V. & Calixti III. Nunc de his quas Pius V. in sua Constitutione Apostolica, siue Motu proprio præcipit obseruari, dicamus: In his enim maior est difficultas, oportebitque nunc singulas priuatim & accurate explicare. Quod vt commodius præstemus, placuit illam integram & in propriis vocibus hîc apponere.

BVLLA SANCTISSIMI PII V. CIRCA CONSTITVTIONEM CENSVS.

Pius Episcopus Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

CVM onus Apostolicæ seruitutis obeuntes cognouerimus, innumeros celebratos fuisse, & indies celebrari censuum contractus, qui nedum non continentur, intra limites a nostris antecessoribus eisdem contractibus statutos, verumetiam quod deterius est, contrariis omnino pactionibus propter ardentem auaritiæ stimulum, legum etiam diuinarū manifestum contemptum præ se ferunt: non potuimus, animarum, prout tenemur, saluti consulentes, & piarum mentium petitionibus etiam satisfacientes, tam graui morbo, lethiferoq́ue veneno salutari antidoto non mederi. Hac igitur nostra Cōstitutione statuimus censum seu annuum redditum creari, constituiue nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sua natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus designata sit: Rursum nisi vere in pecunia numerata præsentibus testibus, ac notario: & in actu celebrationis instrumenti, non autem prius: recepto integro iustoq́ue pretio. Solutiones, quas vulgo anticipatas appellāt, fieri, aut in pactum deduci prohibemus. Conuentiones directe, aut indirecte obligantes ad casus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus: quemadmodum nec pactum auferens, aut restringens facultatem alienandi rem censui suppositam: quia volumus rem ipsam semper & libere, aut sine solutione laudimij, seu quinquagesimæ, aut alterius quantitatis, vel rei tam inter viuos, quam in vltima voluntate alienari. Vbi autem vendenda sit, volumus dominum census aliis omnibus præferri, eiq́ue denuntiari conditiones, quibus vendenda sit, etiam per mensem expectari. Pacta continentia morosum cēsus debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seu certas expensas, aut certa salaria, aut ad salaria seu expensas medio iuramento creditoris liquidandas, aut rē censui subiectam, seu aliquam eius partem amittere, aut aliud ius ex eodem contractu, siue aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto irrita sint, & nulla. Imo & censum augeri, & nouum creari super eadem, vel alia re in fauorem eiusdem, aut personæ per eum suppositæ pro censibus temporis, vel præteriti, vel futuri omnino prohibemus. Sicut etiam annullamus pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem alias de iure & ex natura contractus non spectarent. Postremo census omnes in futurum creandos, non solum re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extingui: non obstante etiam longissimi temporis, ac immemorabili, imo centum & plurium annorum præscriptione: non obstantibus aliquibus pactis directe, vel indirecte talē facultatem auferentibus quibuscunque verbis, aut clausulis cōcepta fuerit. Cum vero traditione pretij redditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denuntiari, cui

precium

pretium dandum erit: & post denunciam intra annum tamen etiam ab inuito pretium repeti posse: & vbi pretium, nec volens intra bimestre soluat, nec ab inuito intra annum exigatur, volumus nihilominus quandocunque redditum extingui posse, præuia tamē semper denuncia, de qua supra: & non obstantibus his de quibus supra, idque obseruari mandamus, etiam quod pluries ac pluries denunciatū fuißet, nec vnquam effectus secutus fuisset. Pacta etiam continentia pretium census extra casum prædictū ab inuito, aut ob pœnam, aut ob aliam causam repeti posse, omnino prohibemus; contractusq; sub alia forma post hac celebrandos fœneraticios iudicamus. Et ita illis propterea non obstantibus, quid quid vel expreße, vel tacite contra hæc nostra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat a fisco volumus posse vindicari. Hanc autem salutiferam sanctionem, nedum in censu nouiter creando verumetiam quod in creato quocunque tempore alienando, modo post publicationem constitutionis creatus sit, perpetuo & in omnibus seruari volumus. Declarantes pretium semel censui constitutum, nunquam posse ob temporum aut contrahentium qualitatem, seu aliud accidens, nec quo ad vltimo contrahentes minui, vel augeri. Et licet legē ipsam ad contractus iam celebratos non extendamus, illos tamen omnes, in quos sub alia forma præuenerunt census, hortamur in domino, vt singulos contractus censuræ bonorum religiosorum subiiciant & animarum saluti consulant. Non obstantibus, &c. Dat. Romæ anno 1568. 14. Kal. Februarij.

IVXTA hanc constitutionem Pij V. exiguntur in iusta & recta constitutione census hæ quatuordecim conditiones.

Prima, Vt non imponatur nisi in re immobili, vel quę pro immobili habeatur, & quę natura sua sit fructifera, certaq;, ac certis finibus contenta & designata.

Secunda, Vt fiat in pecunia vere & realiter numerata coram testibus, & tabellione, ita vt totum integrumq; & iustum pretium census instituendi in illa contineatur.

Tertia, Vt nō admittantur solutiones anticipatæ, aut aliqua obligatio ad illas exhibendas.

Quarta, Vt nulla constituantur pacta, vel obligationes, quibus teneatur aliquis contrahentium ad casus fortuitos, qui alias ex natura contractus ad eos non teneretur.

Quinta, Vt nullo pacto priuetur vēditor census libera facultate vendendi rem illi cēsui subiectam, vel libere transferendi illam, siue donatione, siue vltima voluntate, siue alia via. Nec teneatur reddere emptori illius census cotam aliquā, vt facultatem vendendi, vel transferendi rem illam concedat, quam vocant laudimium.

Sexta, Vt debeat nihilominus venditor census, vbi rem illi suppositam vendere voluerit, admonere emptorem, vellit ne illam emere, quam ille volens est cæteris præferēdus: expectandaque illius deliberatio per mensem.

Septima, Vt irritentur, ac tollantur omnino pacta illa, quibus obligabatur morosus debitor census ad reddendum aliquid, vel ratione lucri cessantis, vel alicuius cambij, aut expensarum, aut ad aliquam aliam pœnam.

Octaua, Ne augeatur census, vel de nouo creetur in eadē re, vel aliqua alia, in fauorē emptoris, vel alterius personæ ab eo suppositæ ex pensionibus debitis, vel debendis.

Nona, Tollenda esse omnino pacta, quibus alter contrahētium obligetur ad aliqua onera, ad quæ alias, vel iure, vel ex natura contractus non teneretur.

Decima, Vt re illa fructifera, cui census impositus est, pereunte in totum, vel ex parte, siue reddita inutili & infructifera in totum, vel ex parte, similiter census ad ratam debeat cessare, & perire in totum vel ex parte.

Vndecima, Vt posit venditor census illum extinguere, ac redimere reddito eodem pretio, non obstante quacunque præscriptione, etiam longissimi temporis, vel 100. annorum, qua videatur effectus perpetuus, & irredimibilis.

Duodecima, Vt volens redimere censum reddito illius pretio debeat antea per bimestre illud emptori denuntiare, qua denuntiatione facta, posit intra annum, qui pretium illud recepturus erat, compellere venditorem ad illud reddendum, redimedumq; censum.

Decima tertia, Vt si venditor census non redimit

redimit intra duos illos menses, nec emptor intra annum illum compulit ad redimendũ, maneat venditori eadem facultas quam antea habebat, redimendi illum quando ipsi libuerit, præuia tamen semper denuntiatione illa per bimestrem.

Decima quarta, omnia pacta, quibus venditor compelli poſsit ad censum redimendum, pręterquam in casu qui in duodecima conditione continetur, tanquam iure prohibita, nulla esse omnino.

Positis his conditionibus subiungit Pontifex nonnulla. Primo omnes contractus, censuum, qui post hanc constitutionem fuerint celebrati, vsurarios ac fœneraticios esse, nisi conditiones istæ in eis reipsa obseruentur. Secundo, vt si quid contra hanc sanctionem amplius receptum fuerit, aut dimissum vel remissum, poſsit fiscus illud sibi vẽdicare. Tertio hanc sanctionem seruandam esse in omnibus censibus post illius promulgationem creandis, non solum quando de nouo instituuntur, verumetiam quotiescunque ille idem census alteri vendendus, transferendus, vel alienandus fuerit: ita vt pretiũ quo semel census institutus fuerit, idẽ semper seruetur, nec minuatur, vel augeatur propter temporum vel personarum qualitatem. Vltimo non vult hanc sanctionem ad census ante illam constitutos extendi: hortatur tamen omnes, qui census antiquiores hac constitutione poſsident, vt circa illos Religiosos, probos, ac eruditos consulant, & iuxta illorum censuram & concilium saluti animarum suarum prospiciant.

Sed antequam priuatim & seorsum singulas conditiones istas expendamus, explicemus prius oportet.

CONTROVERSIA. IIII.

AN HAEC CONSTITVTIO *Pij V. obliget in conscientia omnes fideles: ita vt debeat obseruari in iudicio animæ non solum in terris Ecclesiæ Romanæ quo ad temporalia subiectis, verumetiam in omnibus Prouinciis & Regnis Christianorum.*

MVLTIS visum est & viris quidem peritis hãc constitutionem Pij V. omnes vbique obligare, nec leuibus rationibus in eã ducuntur sententiam: Nam in primis Lex à Roma. Pontif. lata, circa ea in quibus versatur animę periculum, etiam si non contineat legem naturalem aut diuinã, seruanda est in vtroque foro ab omnibus fidelibus, & vbique gentium. Cap. vltimo. De prescriptio. Cap. Cum sit generale. De foro compet. Cap. Nouit. De iudicijs. Cap. Cum contingat. De iure iurando, & multis alijs textibus. At constitutio hæc Pij V. de creandis censibus lata est circa ea, in quibus vertitur maximum periculum animæ, nimirum, ad tollendas varias fraudes vsurarias, quæ sub titulo censuum sæpe exercentur: obligabit igitur vniuersos Christi fideles in toto orbe.

Secundo. Licet vtriusque potestatis sit & Ecclesiasticę, & Ciuilis condere leges, quibus decernatur quid iustum, vel iniquum sit, at quid peccatum mortale sit, vel secus, solius est potestatis Ecclesiasticæ & spiritualis, quam Christus B. Petro, & illius Successoribus Roman. Pontif. reliquit, vt constat ex Euangelio. Matth. 16. & 18. Luc. 22. Ioan. 21. & Cano. In nouo. dist. 21. Can. Ita Dominus. Dist. 19, Cano. Cum ad verum. & Cano. Benequidem, Dist. 96. Et in cap. Solitæ. De maiorit. & obedien. Cap. Nouit. De iudiciis. Cap. Per venerabilem Qui filij sint legitimi: In hac autem extrauaganti hoc pręstat Pius V. explicare quando in censu committatur iniquitas & peccatũ vsuræ, & quæ conditiones seruandę sint ne illud incurratur, vnde erit ab omnibus fidelibus illa obseruanda.

Tertio, Explicare qui cõtractus sint vsurarij, qui vero nõ, omniũ DD. tã Theologorum quam Iurisperitorũ consensu pertinet ad Roman. Pontif. debentque omnes fideles in hac parte illius iudicio stare: quod adeo certum, vt nulla egeat probatione, qua de causa videmus in hac eadem quæstione de censibus fuisse Martinum V. & Calixtum III. interrogatos a fidelibus, vt illorum iudicio starent. Hoc autem facit Pius V. in ista Extrauagãti, explicãs quę conditiones exigantur in censu ne vsurarius sit, erit ergo necessariò ab omnibus fidelibus illi standũ & obediendũ. Confirmantur hęc Ex variis locis vtriusq; testamenti. Deut. 17. vbi Sũmi Sacerdotis decretis præcipitur sub pœna mortis standum esse. Matth. 23. vbi facienda esse & obseruanda, quæ sedentes in Cathedra iusserint, Christus præcipit. Pręterea innumera alia testimonia his similia. Quibus consonant verba illa Gregor. 4. in Cano. Præceptis. dist. 12. vbi dicitur: *Præceptis Apostolicis non dura superbia resistatur,*

statur, sed per obedientiam, quæ a S. R. Ecclesia & Apostolica auctoritate visa sunt salutifera, impleantur, si eiusdem Sanctæ Dei Ecclesiæ (quæ est caput vestrum) communionem habere desideratis.

Denique, vt docet Hostiens. in Cap. 1. De tregua & pace. Lex superioris præcepti ua non desinit obligare, eo quod non recipiatur ab inferioribus & subditis. Quin & Bartho. in. l. omnes populi. num. 53. ff. De iusti. & iure. cui omnes fere Iuris DD. subscribunt, docet appellationem non impedire, neque suspendere vim & effectum statuti, quod respicit totam cõmunitatem, & nõ aliquem in particulari. Quod si huiusmodi statutum appellatio non impedit, erit profecto Constitutio hæc Pij V. obseruanda in vniuersum ab omnibus fidelibus, etiamsi in aliqua Prouincia vel Regno illa recepta nõ sit, nec in vsum redacta. Etenim vis quam habent leges superiorum ad obligandũ nõ nititur voluntati subditorum, sed auctoritati quæ residet in ipsis superioribus: aliter non esset gubernatio humana tam ecclesiasiastica quã ciuilis bene instituta. Vnde cũ in Papa resideat plena auctoritas, ad definiẽdum quæcunque concernunt salutem animarum, ad salutem vero animarũ pertineat explicare, qui contractus sint iniqui, qui vero iusti, & quas exiguant conditiones, muneris Pontificij est illud explicare, ac definire, quod præstat Pius V. in hac sua Apostolica constitutione: tenenturque ex consequenti omnes fideles illi stare, nec aliter post illam census constituere quam iuxta illius formã.

Cæterum non desunt ex nostris, qui doceant oppositum duplici argumẽto. Primo, quia vt constat ex cap. Nouit de Iudiciis. non intendunt Summi Põtifices in suis Cõstitutionibus Apostolicis perturbare iurisdictionem Regum circa gubernationem ciuilem, & temporalem suorum ciuium. Vnde Glosa in cap. 2. De arbit. in 6. & Glosa in capit. Cum Contingat. De iure iurand. docẽt leges Summorum Pontif. quę non cõtinẽt, vel declarant ius aliquod naturale, vel diuinum non esse necessario seruandas extra statum, & forum Ecclesiasticum: sed celebratio censuum pertinet ad iurisdictionem & gubernationem ciuilem & temporalem, constitutio autem hæc Pij V. continet multa, quæ nec iure naturali, nec diuino sunt necessaria in censu ad iustitiam illius, ergo hęc constitutio saltim quo ad omnes conditiones in ea contentas non obligabit extra terras, quę in tẽporalibus Ecclesię subiiciũtur.

Secundo affirmant hanc constitutionem in Hispania non esse iuridice, nec sufficienter promulgatam, nec receptam, sed ab ea ad eundem Pium V. rescriptum & supplicatũ, & eo consentiente, vel saltim non reclamante non esse in vsu: Vnde inferunt non esse necessario seruandam in Hispania, sed sufficere vt seruentur in singulis Prouinciis & Regnis iustæ illarum leges & statuta. Quia omnis lex humana, tam Ecclesiastica quam Ciuilis, esto iusta sit, vt obliget, debet recipi, & acceptari a cõmunitate: Adeo vt si nõ acceptetur, & consentiente vel non reclamãte Sum. Pontif. præualeat consuetudo in oppositum, non obliget illa in conscientia. Cõfirmantq; illud imprimis communi consensu omnium fere DD. affirmantium ad legẽ superioris tria requiri, vt illam vim habeat: Primo vt instituatur ab habente auctoritatem: Secudo, vt sufficienter ac iuridice promulgetur: Tertio, vt moribus vtentium approbetur: ita vt si quid horum desit, nõ obliget inferiores. Ita docet Innoc. Ioan. Andr. Panormit. Felinus & alij non pauci in cap. 1. De tregua & pace: Præpositus in capit. Quia circa. De consangui. & affinit. Petrus Ancharran. Concil. 278. Immola in cap. 1. & cap. Vt quisque. De vita & honest. Clericor. Anania in Cap. 1. De torneamentis. Alexand. consil. 6. num. 2 Volum. 1. Bald in. l. Rem non nouam. in fine. Cod. De iudiciis. Bartol. in. l. 1. §. Sed cum antiquitas. Cod. De curato. furiosi. Siluest. in verb. Lex. §. 9.

Confirmant secundo. Ex Canon. In istis §. Leges. Distin. 4. Vbi dicitur: *Leges instituuntur, cum promulgantur: firmantur cum moribus vtentium approbantur.* Adduciturque ibi in exemplum Decretum illud Thelesphori Papæ, vt clerici omnes a Quinquagesima ieiunium inciperẽt, quod tamẽ quia moribus vtensium receptum non fuit, non obligauit. Simile decretum constituit B. Gregor. vt habetur eadem Distinct. Cano. Vltimo. quod tamẽ eadem de causa nõ obseruatur.

Alij quasi media via incendentes, quia difficile est extra terras Summo Pontifici in tẽporalibus subiectas dignoscere, in qua Repub. vel Regno constitutio ista recepta sit, & posita in vsu (nam inter Hispanos nõ seruatur in vniuersum apud omnes, saltim quo ad omnes illius conditiones) docent primo: Vt census redimibilis quantum fieri possit, instituatur seruatis conditionibus istius cõstitutionis; sed ita, vt neque dãnemus illos, qui bona fide existimant ab illa fuisse supplicatum,

plic atum, nec esse in viridi obseruantia, instituunt suos census iuxtas leges & consuetudines patriæ, consultisque viris peritis & probis. Docent secundo, si ab ista constitutione supplicatum sit, non incidere in grauem pœnam, vel delictum instituentem censum sine aliqua istarum conditionum: veluti qui eo tempore, quo illum instituit, non redderet totum integrumq; pretium in numerato, sed solam partem, aliam deinde redditurus sine vlla fraude & dolo, ac ita vt venditor non teneatur ad annuam pensionem, nisi ab eo die quo recepit integrum pretiū, ad partē vero pensionis ab eo die, quo cœpit recipere pretium, pro rata & ratione eius partis & pecuniæ, quam tunc recepit. Docent tertio, si supplicatum non sit seruandas esse necessario re ipsa omnes conditiones in Constitutione ista propositas: Quin etiā vbi res dubia fuerit, nec certo constet sit ne supplicatum, inclinandum esse in fauorē istius Cōstitutionis, & affirmandum illam obseruandam esse. Sed authores huius tertiæ opinionis, licet sentiant hanc constitutionem Pij V. obligare vbi non fuerit ab illa supplicatum, non tamen explicant fuerit necne: Vnde nihil certo docent, sed sumunt quod incertum est & maxime dubium, si supplicatum sit illam non obligare, quasi vis legis pendeat ex acceptatione subditorum.

D. Nauarrus in suo commento nu. 105. &. 106. omnium optime hanc quæstionem diluit, cuius sententiam amplectendam in hanc partem censeo, Constituit enim quæ in hac Constitutione continentur in triplici esse differentia. Quædam enim (inquit) sunt iuris naturalis & diuini declaratoria, quod constat ex principio & prooemio ipsius Cōstitutionis, vbi Pius V. affirmat se motū esse ad hanc legem condendam, ad tollendos contractus censuales qui fiebant in contemptum legum diuinarum: in contractibus autē, quod legi diuinę repugnat, naturali etiā aduersatur. Continentur secūdo in illa quędam, quæ inducuntur ad tollendum proximum periculum vsuræ, vel iustam pręsumptionem illius, propter affinitatem quam sine tali conditione census haberet cum vsura. Tertio alia, quę neque iure naturali neq; diuino exiguntur ad iustitiam census, neq; sine illis existit periculum aut suspicio vsuræ, sed Pontifici visa sunt optima, & accommodata, vt cōtractus hic melius celebretur. Qua de causa voluit idem Pontif. hanc Sanctionem non extendi ad præterita, quia nō omnia quæ in ea continentur sunt iuris naturalis vel diuini, sed nonnulla humani & Ecclesiastici. Etenim si omnia quę illa habet, essent declaratoria iuris naturalis vel diuini, deberet etiam extendi ad præterita, cū ius naturale & diuinum morale, omnes vbique & semper obliget; Vt docēt optime Panormitanus in cap. Fina. De pręscrip. & Felinus in cap. fina. De constitut. Imo est Axioma DD. omnem constitutionem declaratoriam iuris antiqui, & à fortiori naturalis, vel diuini extendi etiam ad præterita. Cano. Ex antiquis. Dist. 54.

Hoc posito sit prima conclusio.

Hæc constitutio Pij V. circa conditiones, in quibus est declaratoria iuris naturalis vel diuini seruandi in iusto censu, simpliciter & absolute obligat omnes fideles in vniuersum, vbique terrarum existant.

Patet ex dictis. Quia quod iure naturali vel diuino iustum est, vbiq; & ab omnibus seruandum est. Canon. Quod iure. Distinctio. 8.

Secunda conclusio. *Eadem constitutio, circa conditiones illas sine quibus census periclitatur esse vsurarius, vel inducere iustam suspicionem vsuræ, ab omnibus etiam seruanda est in Regnis, & Prouinciis, in quibus fuerit sufficienter promulgata.*

In sensu huius conclusionis procedunt recte, habentq; vim argumenta illa primæ opinionis: Cæterum quia auctores illius omnino volunt illam obligare erunt inferius diluenda. Sed probatur iam hęc secunda conclusio. Leges Ecclesiæ latæ circa ea quæ possunt cedere in periculum animę, etiam si nō contineant ius naturale vel diuinum, obligant omnes Christianos in vtroque foro, ergo hæc costitutio Pij V. qua parte continet conditiones illas, sine quibus census periclitatur maxime esse vsurarius, vel talem inducere suspicionem obligabit omnes Christianos, vbicunque existant; Consequentia necessaria est, Probatur antecedens a D. Nauarro loco citato nu. 106. multis, Primo ex Glosa celebri & recepta in cap. 2. de Reg. iuris in 6. cui fauent cap. Final. De præscrip. Cap. Cum cōtingat. De iure iurādo, & multi alij textus.

Secundo. Lex Papæ circa spiritualia seruāda est in vtroque foro, Cap. Vt inquisitionis. §. fin. Et cap. penul. & vltimo. De hæreticis in 6. ita videmus leges latas circa matrimonia cap. penul. & vlt. De secundis nupt. esse semper obseruatas vsq; ad Cōciliū Triden. & similiter deinde obseruari ab omnibus quæ in Concilio Triden. circa matrimonia

nia constituta sunt. Eadem ratione obseruatur quædam Extrauagans eiusdem Pij V. quæ incipit Intollerabilis; pertinens ad symoniæ probationem per testes; Sed asignare leges quibus in contractibus obuietur vsuris, & illarum periculo ac suspicioni, spirituale est, plurimumq; pertinens ad spiritualem animarum salutem; ergo quantũ ad huiusmodi conditiones obligabit omnes hęc lex & Constitutio Pij V.

Tertio quod docet Glosa in cap. 2. de arbitris. Et aliæ illi similes, leges Canonicas in foro Canonico esse obseruandas, & leges Ciuiles in foro Ciuili, intelligitur ab omnibus DD. quando lex Canonica non fertur circa aliquid spirituale, vel circa ea in quibus imminet periculum animæ, vel spectantia ad Religionem Christianam, sed fertur circa aliqua prophana vtrique foro subiecta: at hæc Constitutio Pij V. fertur circa spirituale ad salutem animæ plurimum pertinens, qua parte proponit conditiones quibus in censu obuiatur proximo periculo exercendi vsuram. Ergo obligabit vbi fuerit sufficienter promulgata.

Dices vbi cõtractus est iustus secundũ se, & a parte rei, nõ tollit illius iustitiã periculum aliquod, vel suspicio vsuræ, ergo conditiones quæ solum aponuntur ad tollendum istud periculum, vel suspicionem vsuræ, nõ erunt necessariæ, vt census sit iustus, nec obligabunt absolute. Respõdeo, conditiones, quæ solum apponuntur ad tollendum periculum, vel iustam suspicionem vsuræ, secundum se sumptas, & citra omnem legem supe rioris non esse absolute necessarias, quando contractus secundum se & re ipsa iustus est: at si lege superioris potentis illas apponere contractui illi apponantur, sub pœna nullitatis, vel iniquitatis, seruandę sunt in eo, aliter erit iniquus vel nullus, prout superior constituerit. In summo autem Pontifice est authoritas ad præcipienda ea, quibus directe obuiatur non solum vsuris & peccatis lethalibus, verumetiam proximo periculo & iustæ suspicioni vsuræ, quia ad salutem animæ fidelium spectat, non solum abstinere à peccatis, verumetiam recedere a proximo periculo committendi illa, vel offerendi suspicionem & scandalum eorum. Sicq; est muneris & authoritatis Appostolicæ, tales conditiones in censibus aliisq; contractibus cõstituere, quibus non solum vitentur apertæ & verę vsurę, verumetiam fictæ & simulatę, & quodcunque proximum periculum, vel iusta illarum suspicio, tenenturque omnes Christiani in vtroque foro legibus Pontificiis: quibus ita prospicitur saluti spirituali ipsorum, omnino obedire.

Secunda conclusio. *Hæc constitutio Pij V. circa eas conditiones, quæ nec sunt declaratoriæ alicuius iuris naturalis, vel diuini, neque exigun tur ad tollendum imminens periculum vel suspicionem vsuræ, sed solum adhibentur tanquam accommodatæ & dignæ, quæ in censu seruentur, erit seruanda in terris subiectis Papæ quo ad temporalia, & in Prouinciis, vbi Constitutio ista simpliciter & omnino fuerit non solum promulgata, verumetiam omni ex parte recepta, & posita in consuetudine. In Prouinciis autem, in in quibus ab hac Constitutione proclamatum est, nec tales conditiones obseruantur, non obligabit.*

Hanc habet Nauar. loco citato nu. 107. & 108. Et probatur, quia huiusmodi conditiones non apponuntur, eo quod contractus cẽsus ipsis deficiatibus vsurarius sit, aut periclitetur vsurarius esse, sed ad maiorẽ quãdam commoditatem, & vt commodius exerceatur, ergo illarum defectus non erit peccatum, neque quo ad illas lex Papę obligabit sub peccato mortali, vbi lex eius non est recepta, & redacta in vsum. Nec est censendũ fuisse animum Pontificis cum tanto cõscientiarum damno obligasse ad conditiones, quę ad iustitiam contractus non exiguntur, sed ex quadam tantum cõmoditate, & congruẽtia, siue vrbanitate.

Vltima conclusio. *Hæc constitutio, qua parte est declaratoria iuris naturalis vel diuini, per nullam dissuetudinem, vel contrarium vsum, aut non vsum potest tolli, vel abrogari: Quo ad alias vero cõditiones, quæ adhibentur in ea, vel ad obuiãdum periculo vel suspicioni vsuræ, aut ad maiorem tantum æquitatem vel commoditatem contrahentium, potest per dissuetudinem vel contrarium vsum abrogari & tolli.*

Probatur prior pars. Quia qua parte est declaratoria iuris naturalis vel diuini, habet in cõstitutione census eandem vim & rationem quam ius naturale & diuinũ, quod nulla dissuetudine abrogari potest. Canon. iam citato. Quod iure. Distin. 8. Probatur altera pars: Quia hæc Constitutio, respectu cæterarum conditionum, quę nõ sunt declaratorię iuris naturalis vel diuini, est lex humana Ecclesiastica, omnis autem lex humana tam Ecclesiastica, quam Ciuilis per contrariã cõsuetudinem, vel non vsum amittit suam vim. Vt habetur Canon. In istis. §. leges. Distinct. 4. Et cap. Final. De consuetudine, maxime Papa illud sciente & consẽtiente.

Ex

Ex hac conclusione sequitur hanc constitutionem Pij V. quod ad eas conditiones quæ sunt declaratorię iuris naturalis & diuini, obligare absolute & omnino, quo ad alias vero tam quę apponuntur ad obuiandũ dolis & vsuris, quã ad quandã congruentiã absolute & omnino nõ obligare, vbi illa promulgata & recepta nõ est (quęnam istę sint, dum singulas seorsum percurremus, indicabimus) Quia licet existat in pectore & scrinio Summi Pontif. omnẽ ius Canonicũ, omnes tamen mores, consuetudines, priuata statuta, & necessitates omnium Prouinciarum & locorum non possunt illi esse perspectæ: Qua de causa, vt constat ex tit. de Rescriptis maxime ex illo cap. Si quando. vbi mandata & litterę Sedis Apostolicę ad aliquorum Pręlatorum vel Principum manus peruenerint, quamuis sint ab omnibus reuerenter sicut Catholicos decet, recipiendę, & animo ad obediendum illis paratissimo, integrum tamen est, si mandata illa vel præcepta aliqua incommoda iuxta priuatas huius vel illius Prouinciæ consuetudines, necessitates, vel statuta iudicentur cõtinere, illud Sanctitati suæ rescribere, & indicare, vt ex Apostolica benignitate illi incommodo, mandato illo moderato, vel declarato dignetur prouidere. Et interim, donec Summus Pontif. illi consultationi & rescripto respondeat, animumq; suum magis explicet, nec tenentur Principes illi, vel Pręlati mandata illa promulgare, nec redigere in vsum: sed pristinis consuetudinibus & statutis modo iuri naturali vel diuino non aduersentur, possunt optimè & tuta conscientia stare.

Quod in hac Constitutione Pij V. de qua agimus accidit. Etenim cum illa fuisset lata anno domini. 1579. in Publicis, deinde Regnorum Commitiis habitis Madriti anno 1586. Proceres obsecrarunt Regem nostrũ Philippum, vt in eis explicaretur, An huiusmodi Motus proprius Pij V. esset in Regnis Hispaniæ receptus, & obseruandus, propterea quod innumeræ passim occasione illius in omnibus tribunalibus occurrebant lites, variæque & contrarię à iudicibus ferebantur circa census sententiæ, quibusdam asserentibus illum obseruandũ & esse obligare, aliis contra, eo quod non esset receptus, nec redactus in vsum, quin potius ab illo supplicatum. Quibus Catholicus Rex noster respondit in hæc verba: *A esto vos respondemos, que el Motu proprio que dezis, no esta recebido, antes se ha suplicado del por el Fiscal de nuestro Consejo, adonde se ha hecho iusticia en los casos que se han ofrecido, y se hara en lo de adelante, y con su Sanctidad la instancia que parecera necessaria.* Ex quibus constat hũc Motum proprium, licet priuatim ad multorum manus peruenerit, non tamen fuisse neque a Prælatis, neque ab aliquo Superiore iuridice & Canonice in Hispania promulgatum, nec iuxta verba, quibus Rex ipse Catholicus respondit, receptum, quin potius de eo fuisse supplicatũ & rescriptum: Nec vlli dubiũ hoc esse debet, cũ existat Romæ Orator Regis Hispaniæ, qui omnia, quæ a suo Rege ad Summum Pontificem per illum deferenda committuntur, fideliter & diligenter deferat.

Vnde cũ ab hoc Motu proprio fuerit supplicatum (quod dubitãdum nõ est) nec idẽ Pius V. illius author, vel aliquis successor illius rescripserit, constitutionem illam cõfirmans, & executioni mandari præcipiens, nõ tenentur Hispani ad illam absolute & omnĩ ex parte obseruandam: Quin potius tanquã per contrarium vsum post illam obseruatũ censenda est nõ obligare. Dixi omni ex parte. Nam circa conditiones quę iuuant plurimum ad obuiandum proximis periculis vsurarum, & quas communior opinio DD. censet seruandas esse, non dubito huius constitutionis Pij V. maximam habendam esse rationem: & authoritatem illius iunctam communi DD. opinioni, argumentum esse, saltim apud timoratos & optantes saluti animarum recte consulere, efficacissimum.

Ad argumenta vero initio huius quæstionis proposita, quæ nituntur ostendere hanc constitutionem absolute & omnino obligare, respõdeo: Ad primum dico, legem latam a Sum. Pontif. seruandam esse absolute, vbi iuris naturalis vel diuini fuerit declaratoria, vel vbi obuiat alicui proximo periculo peccandi, quia a tali periculo iure etiam naturali & diuino cauere debemus: in aliis verò nõ obligare, nisi fuerit sufficienter promulgata, & vsu recepta.

Ad secundum respondeo, Ad Summũ Põtif. pertinere, explicare, qui cõtractus sint liciti, qui vero illiciti, & quas conditiones debeant habere vt iusti sint, iuxta præscriptũ iuris naturalis & diuini, quod dum præstãt statuta eorum omnes obligant, sicut ius ipsũ naturale vel diuinũ: Sed quia sępe in his explicandis miscent nonnulla, quę sunt iuris humani, & secundum se rectè & sapienter, in aliquo tamen loco ex peculiari illius loci necessitate vel consuetudine non ita expediũt, ex decreto & facultate ipsiusmet Sedis

Aposto-

Apostolicę licere illos de huiusmodi consulere, nec statuta illa quatenus ius humanum continent obligare, donec ab eodem Pontifice vel successore fuerit illi consultationi responsum.

Eodem modo diluitur tertium, Ad Papā pertinere explicare, qui contractus sint vsurarij iuxta ius naturale, vel diuinū, quod ita explicātes omnes obligāt: atvbi miscētcōditiones, quę soliiuri humano nitūtur, nō obligāt nisi vsu & consuetudine illæ recipiātur.

Ad confirmationem, & alia quę subiiciūtur in eiusdem rei probationem: non dicimus obligationem obediēdi pēdere ex volūtate inferiorū, sed ex authoritate a Deo superioribus tradita. Cęterū ita est illis tradita, ipsismet Pōtificibus illud in tit. de rescriptis explicātibus, vt liceat inferioribus indicare illis incōmoda, quę in suis locis acciderent, si eorum mandata ad vnguem omnique ex parte essent obseruanda: sicut in hac Constitutione Pij V. re vera accidit, vt ex illa, dū eam seorsum expendemus, cōstabit.

Nunc singulas conditiones expendamus quam vim habeant.

Circa primam videamus.

CONTROVERSIA. V.

AN CENSVS NECESSARIO *sit constituendus in re immobili, & fructifera, certis limitibus designata? vel possit etiā institui in nuda persona, vel quibuscunq; bonis.*

QVAESTIO hęc duo potissime cōtinet capita: Prius est. An possit institui super nuda solaq; persona Alterū est, Possitne institui in quibus suis bonis. Quod pertinet ad prius caput, varij sunt DD. tā Theologi quā Iurisperiti. Nā ex his Panor. in. c. vlt. De Vsur. Disput. 5. Ioan. de Ligniano in eodem cap. q. 1. & in c. In ciuitate. Eod. tit. Laurent. de Rodulph. in c. Cōsuluit. eod. tit. 2. p. q. 12. Cassane. in cathalogo Gloriæ mūdi par. 12. cōsider. 98. Fracisc. Sarmiēto lib. 7. Select. interpret. c. 1. nu. 31. Nauar. in suo cōmento de Vsuris nu. 81. vbi refert Innoc. Hostiens. Ioan. Andr. Anchar. & alios multos in eandē sententiā: Ex Theologis D. Bonauent. in Tracta. de cō tract. peculiari tract. de cēsibus. D. Bernard. Senens. De Euāgelio ęterno. Serm. 41. c. 2. quos refert Moline. De Vsuris numer. 22. D. Antoni. 2. p. tit. 1. c. 8. §. 10. Angel. verb. Vsura. q. 78. Author Summæ Conciliorum loco citato in vita Calixti 3. volunt seclusa etiam omni Constitutione Apostolica ex natura cōtractus non posse institui censum in nuda solaque persona. Quod probant his potissime rationibus.

Primo. Quāuis in censu (vt cōstat) nō vēdatur res cui ille imponitur, manet tamē illa subiecta cēsui tanquā illius hypotheca, & pignus, in quo omnes cōueniūt, at personā liberā supponi & constitui tanquā pignus vel hypothecā alicuius debiti, est in iure omnino prohibitū, ergo nō licet ex natura census in nuda persona illū constituere: Consequētia perspicua est: quia maius onus existit in iure cēsus quā in iure pignoris, in iure enim pignoris non tenetur homo aliquid soluere, sed pignus tantū aliquod tradere, in rei propterquā traditur securitatē, at in iure census tenetur non solū emptorē illius securū reddere, verūetiam & annuā pensionem illi soluere: Minor patet, in Iure Canonico cap. 2. Extra De pignorib. Et in ciuili in. L. Ob æs alienū. C. de actio. & obligat. L. Qui filios. C. Quæ res pignori obligari possunt. L. Senatus. §. vlt. ff. De legatis. & alijs locis Iuris. Neque dubitandum est inquit Nauar. quin interrogatus legislator idem de censu, quod de pignore respondisset, & ita erit habendū pro lege, iuxta Glos. sing. L. tale pactum. §. Qui prouocauit. ff. De pactis.

Secūdo. Estq; precedētis cōfirmatio: Quāuis aliquādo fuerit apud Hebreos in vsu, homines se & suos in seruos creditoribus suis tradere, vt habetur Leuit. 25. & 4. Regū. 4. (quę tamē nō erat vera seruitus vt docet D. Tho. 1. 2. q. 105. ar. 4.) Et similiter apud Romanos eo tēpore quo leges 12. tabularū fuerūt Romę institutę, & Resp. illa adhuc erat minus culta, minusq; humana, vt refert Budeus in Annot. ad Pādectas tit. De in diē addictū: quia tamē ex ea seruitute multa proueniebāt mala & incōmoda, cū magno Reip. detrimēto, cōstitutum fuit, vt scribit Titus Liuius li. 8. in Senatu, vt bona debitorū nō corpora accipi posset. Et Solon, vt referunt Plutar. in lib. de vitāda vsura, Diodor. Sicu. lib. 1. & Couar. lib. 2. var. resol. c. 1. nu. 1. vidēs, propter facilitatē quā homines se ipsos tradētes in pign⁹ inueniebāt diuites, qui illis darēt ad vsuras, cōstituit, ne quis corpus suū alteri sibi mutuāti in pignus tradere posset. Vnde cū apud Paganos ipsos adeo iniquum iudicatum sit seipsum in pignus cōstituere, in censu autem personali constituatur persona ipsa in pignus, damnandus huiusmodi census est velut contractus rectę rationi & iuri

iuri naturali repugnans, nisi velimus nos ipsos ad illam antiquam duramque seruitutem, magnorum malorum fontem reducere.

Tertio. Si stando in solo iure naturali, census in nuda solaque persona liceret constituere, certe illud fuisset aliquando in vsu apud Romanos, apud quos vsus pecunię, & lucra ex illa quærere solitum fuisse, & legibus permissum, ex legibus illis, quibus tot genera vsurarum conceduntur satis constat: at nunquam Respublica Romana saltim post receptam ab ea fidem passa est, vt census, id est pensio in persona libera constitueretur, eo modo quo in prædio aliquo constituitur. Erit ergo huiusmodi census tanquam res noua, & insolita, & tanquam rectæ rationi repugnans relegandus, iuxta ea quæ habentur Cap. Ex parte. De consuet. Et Canone, Qui nesciat. dist. 11.

Quarto. Census qui maxime redolet vsuram, cēsendus est eodem iure prohiberi, quo prohibetur ipsa vsura: Vnde illud proloquium Antiquorum, *Nec malum, nec frontem*: Quo significabant eadem ratione fugiēdam esse speciem mali, qua ipsummet malum. Sed census pecuniarius constitutus super personam habet apertam speciem vsuræ, & apertum scandalum illius: Etenim si census constituti in prædiis, aliisque rebus immobilibus tantam generarunt vsurę suspicionem, vt illos tanquam vsurarios damnent multi grauissimi DD. oportueritque, cum iam essent sub certis conditionibus à Martino V. approbati, iterum atque iterum à Nicolao V. & Calixto III. approbati, vt iusti censeantur, nec desunt adhuc qui illos non satis tutos suspicentur: Quid queso de personali iudicandum erit? nisi esse illum aperte vsurarium, vel saltim maximè periculosum, vehementēque ac iustam suspicionem & scandalum vsuræ continere?

Quinto. Si liceret constituere censum super persona, liceret etiam obligare simul & bona & personam, hoc consequens est falsum, ergo & antecedens illud. Consequentiam probo, quia, bona consequuntur personam, & respectu personæ sunt illi accessoria, vnde cum accessorium sequatur rationem & naturam sui principalis, si liceret constituere cēsum in persona, liceret etiam in persona vna cum bonis; Hoc autē consequens falsum esse ostendo. Quia communi vsu omnium gentium, & nationū, vbi existunt bona, nunquam visum est vel auditum constitui censum super persona, vel illam obligari.

Sexto. Si admittamus census in persona, cum facile ille sic constitui posit, quia est vnicuique in promptu sua persona ad illam obligandā, nullus esset qui indigenti mutuaret, sed cuicunque mutuum petenti diceret diues, constituamus ex pecunia quam postulas censum supra tuam personam: sicque occluderetur via gratuitæ mutuationi, aperireturque cupiditati & vsuris magnus aditus, sequerēturque alia multa incommoda, quæ in suo Manuali Hispano affert Nauar. loco citato.

Septimo. Calixtus III. in illa Extrauag. vbi habet expresse census constituendos esse in domibus, hæreditatibus, vel aliis possessionibus, subiungit, pereuntibus huiusmodi bonis non debere manere obstrictam & obligatam personam: quod etiam præcipit Pius V. in sua cōstitutione: quod tamen non preciperent, si posset census in persona cōstitui.

Octauo. Non licet constituere censum in re mobili, & vsu consumptibili, censeretur enim talis census vsura; sed census personalis est huiusmodi: perinde enim se habet conferre Petro. 100. in censum personalē, quod obligare illum ad annuam pensionem pro vsu illius pecunię, qui vsus siue pecunia est res consumptibilis, ergo census personalis continet vsuram.

Nono. Quo argumento tanquam efficacissimo vtitur Sarmiento: Census est contractus emptionis, at in persona nō potest vera fieri emptio, ergo neque constitui census. Maior satis constat ex superius dictis: probatur minor. In emptione debent reperiri necessariò illa duo diuersa, nēpe pretium & merx, quę certe reperiuntur in censu constituto in aliquo bono certo & firmo, emitur enim fructus illius: at in censu personali, cū pretium sit pecunia, nec ematur persona, sed solum pecunia illa, ad quam singulis annis reddendam ille se obligat, pretium & merx non distinguūtur, & ex consequenti talis census non est vera emptio, sed ficta & simulata, continens vsuram.

Denique. Emptor debet subire periculum rei a se emptę. l. 1. C. De peric. & commod. rei venditæ. &. §. Cum autem. Instit. De emptio. at in censu personali periculum omne manet penes venditorem, & nullum penes emptorem, nam etiam si pereant omnia bona illius, emptor manet securus de solutione pensionis, quia manet semper persona obligata ad illam soluendam: constituto

to autem censu in bonis certis, pereuntibus illis perit census emptori: cum ergo census quadam emptio sit, vt iuste fiat, debet constitui in bonis certis, minime vero in persona. Hac ratione videtur vti Author Summæ Conciliorum, existimans (vt in prima conditione quam exigit ad censum indicat) in censu emi rem illam cui census imponitur, & statim eandem iterum ab ipso vendi priori possessori venditori census pro illo annuo reddituu, quæ fuit opinio Bartholomæi Albornos vt vidimus 1. contro. huius art. vbi illa satis a nobis confutata est, & explosa.

Alij DD. non minoris nominis docent stando in solo iure naturæ (nam de Extrauagantibus illis Martini V. & Calixti III. ac Pij V. statim dicemus) recte posse constitui censum super solam nudamque personam, modo illa aliquam vtilitatem sua arte, vel labore comparare possit, vnde annuũ redditum sibi impositum persoluat. Ita docent ex Theologis Ioan. Maioris in 4. distinctio. 15. q. 44. Conrradus De contract. quæst. 74. & 75. pluribus adductis rationibus, & quęst. 83. conclusione. 13. Medina Cod. De restitutio. q. illa de censibus quò ad eorum institutionem. Dominicus Soto libro. 6. de iustit. q. 5. artic. 1. Palatius libr. 4. De contract. capit. 7. & plerique ex recentioribus discipulis D. Thomæ, qui de censibus aliquid tradiderunt. Ex Iurisperitis Carolus Molinus de Vsuris in initio. num. 22. Couarru. libr. 3. variar. resolutio. capit. 7. numer. 5. vbi & si oppositam sententiam fateatur communiorem, hanc tamen vt veriorem amplectitur, & alij multi quos refert Felicianus Solis lib. 1. De censibus. cap. 8. nu. 5. Quæ ita probatur. Primo, potest quis se ipsum gratis obligare ad reddendam alteri annuam aliquam pensionem, obligatione illa suæ personæ imposita, huiusmodi verò obligationem cum temporalis sit, ac ciuilis, & pretio æstimabilis, potest ex consequenti, pretio, quo prudentium iudicio æstimaretur, vendere, census autem personalis nihil aliud est quam emptio & venditio huiusmodi obligationis, ergo secundum se & sola natura rei attenta potest sic constitui: Simili enim argumento probauimus controuersia secunda censum pecuniarium iustum esse.

Respondet tamen huic argumento Franciscus Sarmiento loco citato, non quidquid gratis possumus alteri dare posse similiter illi vendi accepto pretio: potest enim Petrus promittere, ac dare Ioanni gratis, & libere 10. & ad illa conferenda se ipsum obligare, non tamen potest promittere, aut obligare seipsum ad conferendum illa Ioanni ex mutuo, vel alio contractu qui reducatur ad mutuum, & in quo lateat vsura. In censu autem personali latet inquit vsura, quia recuperat emptor capitale, licet non expresse, nec simul, sensim tamen & per partes, dum singulis annis pecuniam illam soli personę datam, recuperat sensim cum lucro ex manu eiusdem personæ. Sed hęc solutio non eneruat argumentum propositum. Nam imprimis, in censu tam personali quam reali (modo non obligetur venditor ad pecuniam acceptam intra certum tempus, vel statim restituendam velut mutuatam) cum sit vera & realis emptio iuris percipiendi annuam pensionem (vt ex superioribus constat) nullum interuenit mutuum, neque tacitum, neque expressum, & ex consequenti, neque vsura. Præterea differunt plurimum, quod sumitur in argumento proposito, & exemplum quo vtitur Sarmiento: Nam ex mutuo nihil recipi potest vt prætium, quia natura mutui est, vt gratis fiat, qua de causa vsura repugnat etiam iuri naturali: at obligationem ciuilem, & temporalem potest quilibet sibi imponere, vel gratis, modo sit absolutus dominus suorum bonorum, vel accepto pretio, quia talis obligatio, eò ipso quo temporalis est, & ciuilis, est pretio æstimabilis, & venalis. Denique, eò quod in censu personali recipiat emptor per partes, & sensim, ac progressu temporis eandem pecuniæ quantitatm, quam contulit, non propterea pecunia parit illi pecuniam, neo committit vsuram ex natura contractus, quia ille solum emit ius recipiendi annuam pensionem, sola fide, & obligatione illius personæ contentus. Etenim si ex eo census personalis esset vsurarius, quia sensim & per partes recipitur pecunia pius tradita, omnes census essent eadem ratione iniqui, cum in omnibus idem, contingat: imo, & omnes emptiones rerum afferentium fructus eadem iniquitate (vt superius dicebamus) laborarent, cum in omnibus pretium pro re fructifera exhibitum progressu annorum recupere.

Secundo, potest quiuis accepta pecunia locare suas operas, l. Qui operas. & l. In operis. ff. locati. ergo & eas vendere, & ex consequenti partem valoris illarum, hoc autem facit Petrus imponens sibi censum personalẽ, vendit enim constituenti in eius per

sona censum illum partem valoris suarum operarum, & vtilitatis earum. Sed huic quoque argumento occurrunt authores alterius opinionis, asserentes censum in perpetuum manere posse, venditore nolente illum redimere, liberum tamen hominem non posse operas suas locare in perpetuum, imo illud multis legibus esse prohibitum. Vnde inferunt argumentum istud, sumptum ex facultate quam habet quilibet locandi operas suas, in censu non habere vim: Attamen neque hæc responsio huius secundi argumenti vires infringit. Primo, quia non est inter Iurisperitos vsque adeo certum, an homo liber posit operas suas in perpetuum locare, quin multi eorum amplectuntur partem affirmantem, saltem quo ad operas artificiales, quas exercens non priuatur sua libertate, neque per eam obligationem incurrit seruitutem: non enim loquuntur de huiusmodi operibus iura illa, quæ docent non licere homini libero operas suas in perpetuum locare, sed de illis, quas in perpetuum locans seruum alterius se constituit, suæque renuntiat libertati. Adde, posse quemlibet valoris, seu stipendij, aut lucri, quod suis operibus sibi comparabit, partem aliquam alteri vendere, quòd nullo iure prohibetur: & huic facultati naturali qua potitur quicunque valens suis operibus aliquid lucrari, & lucrum illud alteri vendere, nititur argumentum propositum: hoc enim præstat imponens sibi censum personalem, vendit alteri in perpetuum partem eorum quę arte, industria, vel labore suo obtinebit.

Tertiò. Potest census ita constitui super certis bonis, vt illis pereuntibus maneat, nihilominus obligatus venditor ad soluendum redditum, qua conditione secuta, ita vt omnia illius bona pereant, obligatio quę illi manet, est actu & re vera census personalis, ergo census personalis non est secundum se illicitus. Consequentiam probo, quia quod secundum se & natura sua iniquum est, & illicitum, sicut ex nulla circunstantia honestari potest, ita neque vlla conditione apposita vel sequuta iuste fieri. Maiorem verò colligit optime Couarru. ex illis Extrauagantibus Martini V. & Calixti III. vt peremptis bonis, in quibus census constitutus est, salua nihilominus maneat obligatio ad annuum redditum, eo quod dicant non posse venditores cogi ad solutionem sortis, & capitalis, siue pretij, quod à principio datum fuit pro iure illo percipiendi annuos redditus, etiam cum pacto redimendi. Etenim si peremptis rebus illis, periret simul obligatio illa soluendi annuum redditum, explicuissent profecto illud Romani Pontifices, sicut explicarunt non teneri venditorem ad reddendam sortem & pretium, imo magis illud explicassent. Quia nemini dubium est, venditorem census redimibilis de quo nunc loquimur, siue res cui imposita est maneat integra, siue pereat, non posse compelli ad restituendam sortem & pretium: poterat autem dubitari, an illa pereunte periret simul obligatio reddendi pensionem, cum ergo illud tantùm dicant cessare, obligationem vero reddendi annuam pensionem non dicant cessare, relinquunt tanquam certum illam non cessare. Neq; hoc argumentum est ab authoritate sola negatiua, sed ab authoritate, qua duobus positis quæ poterant cessare, cum alterum exprimant cessare, alterum verò taceant & relinquant intactum, eo ipso docent, illud quod intactum relinquunt, non cessare.

Quartò. Si hunc contractum census diligenter & recte consideremus, ait Couarru. deprehendemus iuxta propriam illius vim, & naturam, in eo non obligari ad solutionẽ annui redditus fundum, vel domum, aut similem rem cui ille imponitur, sed personam venditoris, rem vero illam cui imponitur, assignari solùm tanquam pignus & hypothecam in securitatem solutionis illius census, vt docet textus in lege Fundus quem. ff. De annuis legatis. ubi illud Barthol. & alij adnotarunt: Qua de causa, etiam si res illa perierit, manet nihilominus semper obligatio venditori census ad solutionem illius, vt habetur in L. Creditor qui non idoneum. ff. Si certum petatur. & in. l. Aduersus. Cod. De actio. & obligatio. quo ostenditur rem illam censui subiectam in pignus tantùm & hypothecam ad securitatem debiti esse designatam, hæc enim est iure communi pignoris natura, vt etiam si illud perierit, teneatur nihilominus debitor æs alienum soluere: Nisi ita census in re aliqua certa constituatur, vt conueniant inter se contrahentes, ea perempta non teneri venditorem, vel hæredes eius amplius ad solutionem pensionis, in hoc enim casu ex isto peculiari pacto & conuentione contrahentium re perempta nulla maneret personalis obligatio venditori census, seclusa autẽ hac conuentione, ex communi constitutione census iuxta propriam illius rationem

re

re perempta manet adhuc obligatio personalis venditori soluendi annuum redditum, Quamuis vt obseruat ibi Couarru. hoc genus pignoris & hypothecæ, quod in censu offertur, differat ab aliis pignoribus & hypothecis, quę communiter traduntur, in eo, quod in aliis, pignore illo in alterius domi nium translato, creditor non potest agere in possidentem pignus illud, sed in suum tantùm debitorem; in censu verò potest creditor agere & in primum debitorem seu venditorem census, vel illius hæredes, quia se & sua omnia ad illud debitum in institutione census obligarunt, vel in eum, ad quem fundus, vel domus, cui census impositus est, translata fuerit, quia defert secum res illa, cui census impositus est, hoc onus, vt sit hypothecata illi censui. Vnde obtinuit censûs saltim internos, vt cum res illa venditur a censuario vel in alium transfertur, transferatur semper cum illo onere, significetur que illud ei cui confertur. Eademque ratione inualuit etiam consuetudo, vt censualista ab eo exigat redditum annuum, apud quem rem illam conspicit existere, vi illius specialis & certæ hypothecę sibi designatæ, quamuis seclusa hac consuetudine, quæ iam videtur obtinere vim legis, ex natura contractus possit emptor census, in eũ quoque agere qui illum primo vendidit, illiusque solutioni se ipsum primo ac per se obligauit.

Quinto, Census personalis constitui potest lege Principis, nam 2. Nehemiæ. 10. constituerunt Hæbręi super se tertiam partem sicli tanquam annuum censum personalem: Quin & modo in nonnullis prouinciis, ex his quæ artifices & exercentes negotia lucrantur, exiguntur ab eis decimæ personales, quarum fit mentio in Capit. Ad Apostolicæ. De decimis, quas cum censibus personalibus perspicuum est maximam habere similitudinem, ergo licebit similiter, stando in solo iure naturę constituere censum personalem. Etenim si ius naturæ illud prohiberet, certe neque lege Principis posset constitui, cum in iure naturæ nulla humana potestas dispensare possit, cum ergo lege Principis possit constitui, poterit, si solam naturam contractus respiciamus, & priuata conuentione contrahentium: Nam quæ possunt fieri per statutum, fieri etiam possunt pacto ciuium, vt habet Glosa in Rubri. Cod. De Decurioni. libr. 10.

Et confirmantur hæc omnia ex communi styllo tabellionum a Superioribus approbato, in quorum instrumentis & scripturis frequenter continetur, venditorem census se ipsum ad illius solutionem obligare cum omnibus bonis suis possessis, & possidendis. Vbi primaria obligatio est ipsius venditoris, secundaria vero & quasi accessoria bonorum illius ad securitatem contractus: imò si propriè loquamur, bona ipsa non sunt capacia obligationes, nisi metaphoricè, & in ordine ad dominum eorum sic obligatum.

Ita colligunt plerique recentiorum, censum personalem posse & modò tuta conscientia constitui, quia ex natura contractus, vt argumenta secundo loco proposita, docent, illud licet, Extrauagantes etiam Martini V. & Calixti III. illud non prohibent, Constitutio autem Pij V. licet illud aperte prohibeat, non tamen (inquiunt) obligat nisi in his tantum locis, & Prouinciis, in quibus illa recepta est, & redacta in vsum, minime vero vbi recepta non est, nec executioni mandata, vt in Regnis Hispaniæ, sicut ex supradictis constat. Quin & nonnulli, ex his qui paucissimis ab hinc annis scripserunt, (quod certe mirandum est) illius in hac parte nullã faciunt mentionem, cum certe quam vim illa circa hæc habeat, debuissent explicare: Docere enim contractum aliquem natura sua licere, qui tamen lege superioris interdicitur, nulla illius legis facta mentione, vel explicatione, est rem difficilem difficiliorem relinquere.

Vt in hac controuersia, cuius vtraque pars tot authores habet, & adeo graues, totque nititur rationibus, quod probabilius, ac verius est explicemus, Obseruandum est, aliter necessario iudicandum esse de contractu census iuxta solam, nudamque illius naturam, & vim, aliter verò stante constitutione Apostolica Summorum Põtif. Multi enim contractus sunt, quos, sola illorum natura pensata, celebrare licet, lege autem Principis illos prohibente illiciti sunt, & nulli: Similiter distinguendum esse inter personam vtilem & frugiferã, quę aliquam artem, vel negocium exercens, siue aliquod obsequium alteri pręstans valet aliqua lucra, & bona comparare, & eam quæ ea ætate, vel infirmitate, siue paupertate præmitur, vt sit omnino inutilis, nullum omnino lucrum acquirere valens.

Obseruem⁹ secũdo, cõstitutiones apostolicas

circa institutionem census a Summis Pontif. editas plurimum inter se differre, nam illæ duæ priores Martini V. & Calixti III. (vt vidimus) referunt quidem census, de quibus fuerunt consulti cum conditionibus illis sibi propositis, & sub ea ratione probãt illos, non tamen definiunt conditiones illas ita esse necessarias, vt illis deficientibus, aut aliqua earum, census iniquus sit, & illicitus. Similiter iudicandũ est de Cõstitutionibus Nicolai V. cum illa pauciores exigat, imo vt statim referemus, videatur probare censum personalem: Constitutio vero Pij V. aperte exigat omnes conditiones illas, quas retulimus, aperteq; exprimat illas adeo necessarias esse, vt qui sine illis fuerit constitutus, iniquus sit, & fœneratitius.

Obseruemus vltimo quod ex contro. proxime præced. satis constat, Ex cõditionibus quas constitutio Pij V. continet, quasdam esse declaratorias iuris naturalis & diuini, alias adhibitas ad prohibenda pericula vsurarũ, quæ censui facile hominum cupiditate misceri possunt, alias vero quæ solum sunt appositę ad maiorem quandam commoditatem, & congruentiam: Eas uerò sic distinguendas esse, vt quæ sunt declaratorię iuris naturalis & diuini, absolute & omnino vbique obligent, sicut ius ipsum naturale & diuinum omnes & vbique obligat, Quæ vero solum conferunt ad obuiandum periculis vsurarum, vel quæ solum dicunt quandã congruentiam, nec alio nomine exiguntur, quam sola voluntate Superioris, cum sint merum ius humanum, non obligent vbi tale ius non est in vsu, sed consuetudo habet oppositum, vt in Regnis Hispaniæ, in quibus (vt vidimus) illa recepta nõ est, imo vsus habet oppositum.

His positis tanquan regulis seu clauibus ad iudicandum de censibus, & conditionibus, quæ in illis exiguntur maxime accommodatis.

Sit Prima Conclusio. *Stando in solo iure naturæ, probabilior ac verior multo est secunda opinio, quæ asserit posse constitui censum in sola persona, modo illa vtilis sit & frugifera, veluti qui artem aliquam vel scientiam, siue industriã, habet, aut vires ad aliquem laborem, vel obsequium, ex quibus lucra sibi comparet.*

Hanc conclusionem, sicut a nobis proponitur, ostendunt efficaciter argumenta in eius probationem adducta. Et confirmatur: Quia, cum in hoc contractu census periculũ, vel suspicio vsurę non existat ex parte venditoris, qui sua necessitate compulsus pecuniam accipit, & pecuniarum pensionem est redditurus, sed ex parte emptoris, qui pecunia data pecuniariam emit pensionem, potius est in illo prospiciendum vtilitati miseri venditoris, quam commodo & securitati emptoris: at si census asseratur non posse constitui in sola persona, sed in re immobili & firma, prospicitur potius vtilitati emptoris quam venditoris, iuxta oppositam verò sententiam, è contrario prospicitur potius vtilitati & necessitati venditoris quã emptoris, ergo hęc opinio stando in sola natura contractus est multo verior. Nã quidquid minus grauat debitorem, & deteriorẽ reddit conditionem creditoris, in contractibus in quibus pecunia est pretium, & eadem videtur esse merx, minuit etiam periculum, & suspicionem vsuræ, si sola natura ipsius contractus respiciatur.

Secundo confirmatur ex illa Extrauagan. Nicolai V. in qua agens Pontifex de rebus, in quibus potest constitui census solam illius naturam respiciens, aperte insinuat, posse constitui in personis, in redditibus in iurisdictionibus, in iuribus, in proprietatibus, & in quibuscunque bonis, siue mobilibus, siue immobilibus: verba illius sunt: *Cum opportuna contrahentium securitate, tuitione, & indemnitate, ac cum potestate vendentis, personas, eorumque proprietates, redditus, iura, iurisdictiones, census, & omnia & singula mobilia, & immobilia bona obligandi, & obligare faciendi, &c.*

Denique in censu (vt ostendimus) non venditur res illa, cui imponitur, neque aliquis fructus illius, sed solum assignatur illa in securitatem ementis censum, tanquam in pignus & hypothecam, quia licet ementi rem fructiferam, & quę solum est in potentia, illius securitatem, quantum rei natura patitur, exigere: At sicut licet ementi rem in potentia exigere in illius securitatem, pignus, vel fideiussorem, ita quoque licet nullo pignore, vel fideiussore postulato, soli fidei venditoris, seu debitoris stare, hac gratia & liberalitate illi prestita, vt cum sui iuris, sueque potestatis sit nullum aliud pignus vel hypothecam ab eo exigat; quam solam illius fidem, obligationemque personalem: modo, propterea quod hãc gratiã in eum exerceat, neque iustum census pretium augeatur, neque aliqua alia obligatio imponatur venditori, vel redimendi illum citius, vel aliquid aliud præstandi, sed solum teneatur ad redden-

reddendam annuam pensionem iustam, & debitam, perinde ac si præstantissimę fœcundissimæq; possessioni census ille impositus fuisset.

Dixi in persona vtili & frugifera, sunt enim qui affirment, in persona etiam omnino innutili & infrugifera censum constitui posse, his adducti rationibus. Primo, stando in solo iuræ naturæ, quæuis persona quantumuis inutilis potest seipsam vendere, & fieri seruus, ergo & vendere alteri supra seipsam istud ius. Secundo, quia nulla persona est adeo inutilis, quin posit prestare alteri aliqua obsequia, vt committare dominum, illi asistere, vel similia. Tertio potest se obligare quiuis ad reddendam pēsionem, vel exibendam seruitutem alteri, quæ obligatio pretio ęstimabilis est, poterit ergo illa vēdi. Denique nemo est tam inutilis, vel pauper, quin posit ęleemosynas postulare, & ex illis annuam pensionem soluere, eaq; rationę censum sibi imponere.

Sed propter hęc non est recedendum a communi peritorum sententia, in persona infirma, debili, & omnino inutili nulla ratione posse censum constitui, etiam si solum ius naturę respiciamus. Quia in cēsu emitur ius ad aliquid recipiendum, siue in fructibus, siue in pecunia, sed qui omnino pauper est, debilis, & inutilis, nullum fructum, aut pecuniam præstare poterit, ergo neque supra illum census constitui. Patet consequentia, Quia venditio est contractus, in quo nisi res quæ venditur vere & realiter existat, aut in actu aut in potentia morali, est fictus & iniquus, pauperē vero, debilē, & omnino inutilem fructum reddere posse, vel pecuniam, etiam si dicas ex eleemosynis collectis, fictitium est, tū quia ęleemosynæ quas pauper infirmus, & debilis, de quo loquimur, colligere potest, adeo tenues esse solent, vt victui & vestitui necessario vix sufficiant.

Argumenta in oppositum nobis non aduersantur. Non primum. Quia licet stando in solo iure naturæ, posit quiuis se ipsum in seruitutem tradere, attamen sicut nullus recipietur ab alio in seruum, nisi aliquam vtilitatem domino suo afferre posit, ita nec censum sibi imponere, nisi potens sit arte sua, vel industria lucra comparare. Nec secūdum, Etenim qui potest aliqua obsequia prę stare, ex quibus mercedem recipiat, iam nō est omnino inutilis. Nec tertium, quia hic loquimur moraliter, ad reddendam vero pēsionem aliquam, vel exibendam seruitutem qui infirmus est, ac debilis, & omnino inutilis, ineptus est: vnde obligatio quam talis offerret, ficta esset, ac vacua, & nullo pretio æstimanda. Vltimum solutum manet, cum pauper infirmus, & debilis ex ælecmosynis vix sibi sufficiat. Quod si loquaris de paupere qui valet, potestq; huc illucq; discurrens varias colligere: huiusmodi pauper certè, vel aliis veris pauperibus iniuriā facit, inique eleemosynas eorum recipiens, quo circa ex his quæ aliis restituere tenetur, non potest ad pensionem soluendam seipsum obligare, vel si verus etiam pauper sit, & mendicans varias colligere potest, actuque & re ipsa experitur se illas colligere, iam non est persona inutilis, cum mendicitas illa perinde lucra illi afferat, sicut cuique artifici sua ars. Vnde semper stat sententia, in sola persona vtili, & frugifera censum instituі posse, minime vero in ea, quæ omnino inutilis est.

Secunda conclusio. *In locis & prouinciis, in quibus constitutio illa Pij V. recepta est, & posita in vsu, nullomodo licet constituere censum in nuda persona, vel alia re quam immobili, fixa, & frugifera.*

Patet, Quia vbi constitutio ista recepta est, & redacta in vsum, obligat in vtroque foro cum omnibus conditionibus quas continet, vna autem & prima illarum est hęc, vt non instituatur census nisi in re immobili, certis limitibus designata, & fructifera.

Tertia Conclusio. *Post Constitutionem Pij V. in locis & Prouinciis, in quibus illa recepta non est, vt in Regnis Hispaniæ, securius quidem est tam conscientiæ, quam vtilitati temporali instituentis censum, consituere illum in re aliqua immobili, & fructifera: Nihilominus tuta etiam conscientia potest constitui in aliis bonis possessis, vel posidendis, siue certis, siue incertis, cum sola obligatione vendentis censum, modo ille vtilis persona sit, & frugifera.*

Prior pars aperta est: Quia cum nullus neget posse constitui censum in re immobili, & Constitutiones Apostolicæ hanc conditionem probent, adeò vt Pius V. illam exigat, qui sic instituit censum, securius agit in iudicio animæ, censum quoque ipsum securius emit: sicut qui rei pro qua pretium contulit deinde recipiendę, pignus aliquod habet vel fidelem fideiussorē, quam is qui nullum.

Altera pars probatur ex dictis. In censu enim & quolibet contractu, vt iuste fiat, ea tantum seruare tenemur, quę vel propria ratio, & natura ipsius contractus exigit,

vel lex superioris habens vim ad obligandum: Sed stando in solo iuræ naturæ, & propria ratione census, licet illū constituere in quibusuis bonis, quin & in sola persona, nulla vero alia lex illud prohibet quam Motus proprius Pij V. qui tamen vt constat non est receptus in Hispania, nec redactus in vsum, sed præualuit consuetudo in oppositum, qua de causa non obligat, ergo tuta conscientia potest institui census in quibusuis bonis, & in sola nudaque persona, modo illa vtilis, sit & frugifera.

Quod autem super quibusuis bonis institui posit, sola natura contractus attenta, & omnia bona in genere vel in specie obligari posse habet communior tam Theologorum, quam Iuristarum sententia. Ita docent ex nostris Conrrad. q. 38. conclus. 13. Medina, Dominicus Soto, & Palatius locis citatis, & omnes fere recentiores: Ex Iurisperitis Innocent. Panormitan. & Anani. in capit. In ciuitate. De Vsuris. Laurent. de Rodulph. in capit. Consuluit eod. titul. Ioan. de Ligniano in Capit. Vltim. eod. titul. Petrus Belluga in suo Speculo Principum. Rubric. de Censualibus. Sarmiento libr. 7. Selectarum Intepret. Capit. 1. numer. 25. & Couarru. loco toties citato: Habetque illud communis consuetudo in Regnis Hispanię, quibus non repugnāt constitutiones illæ Martini V. & Calixti III. cum in eis cōditiones illæ approbentur quidem, non tamen præcipiantur vt necessarię: Motus vero proprius Pij V. repugnat quidem, sed non obligat eos apud quos non est receptus, nec in vsu. Quod vero spectat ad personā, constat satis ex prima conclusione.

Obseruandæ tamen semper sunt in singulis locis, & Prouinciis priuatæ illarum leges, & consuetudines: ita vt vbi soliti sunt viri optimi & timorati census suos etiam in quibusuis bonis, vel personis constituere, probantque illos iudices periti & probi, tuta conscientia sic institui posint. Vbi vero viri timorati non solent illos ita constituere, & a iudicibus damnantur, qui illud nosceт, mala fide & conscientia illos sic institeret. In actionibus enim humanis, & contractibus ciuilibus proborum vsus & consuetudo est præstantisima regula bonæ fidei, iustæque conscientię.

Ex his sequitur, primo, Ioannem Medinam virum certè magnæ in his auctoritatis & eruditionis, non tamen rectè docere cum ait, non posse institui censum stando in solo iure naturæ, in his rebus quæ vsu consumuntur. Nam si potest constitui in sola nudaque persona, & illa obligari, cum obligationem personæ sequantur omnia bona illius, cuiuscunque generis sint, consequenter poterit constitui in quibusuis bonis.

Sequitur secundo, Stando in eodem iure naturali, posse constitui censum super fundo aliquo, vel possesione, etiam si fructus illius non equentur censui, quia cum obligetur precipue persona, & vna cum illa cætera omnia bona illius, quod videtur deesse in valore fundi, adimpletur a persona & aliis bonis illius. Neque oppositum conuincit Nauarr. loco citato num. 87. Vbi sic argumentatur: Ex Angelo Vsura. 1. §. 7. Maiori. in 4. distinct. 15. q. 46. Siluest. Vsura 2. q. 6. & communi sententia DD. vendens possesionem alienam, vel rem alienam quā re vera non habet, vel certe valet minus quàm vendit, committit venditionem fictam, & vsurariam, ergo similiter qui vendit v. g. pensionem vt 10. per contractum census constituti in fundo, qui non reddit communiter nisi fructus, vt 6. vendit minus quam habeat in illo fundo, est ergo venditio hæc siue census fictus, & vsurarius. Ratio enim hæc nititur falso fundamento, nimirum emi in censu fructus, cum re vera non ematur (vt constat ex superioribus) nisi ius recipiendi ab illo venditore census illa 10. annua ex quibusuis bonis, fundus verò solum sit asignatus in pignus, & hypothecam, ad contractum autem venditionis, iuxta propriam illius naturam, non exigitur vt pignus quod traditur sit æqualis valoris, cum re, in cuius securitatem traditur, cum posit sine illo quoque pignore fieri emptio & venditio, sola fide contrahentium, ex mutuo ipsorum consensu.

Sequitur tertio, teneri venditorem census, etiam si bona illa in quibus census constitutus est, perierint ad soluendum nihilominus ipsum censum, si aliunde posit, quia pręcipua obligatio in censu personalis est, semperq; manet, nisi in limine ipso contractus, & illius institutione, seu scriptura ita conuenerint inter se emptor, & venditor illius, vt ea tantum res illi censui obligata existat, minime vero persona ipsa: tunc enim, quia sic partes inter se conuenerunt, re illa pereunte perit omnis obligatio, cum in illa sola re fuisset imposita.

Nunc argumenta prioris opinionis, quæ nostræ

nostrę sententiæ aduersantur, dissoluamus.

Ad primum respondeo, Imponentem censum, sibi ipsi, & supra suam personam nõ tradere se ipsum, in pignus, neque aliud prestare, quàm obligare se ipsum, suamque astringere fidem obligatione personali ad illius pensionis solutionem. Etenim cum duobus modis accidat aliquem se ipsum alteri tradere in pignus: vel quando illi debitor est, & quia non habet vnde soluat, tradit se illi in pignus, donec debitum reddat, vel ad securitatem datę fidei, vt cum Reges, vel Duces ad securitatem eorum, quæ inter se quandoque pasciscuntur, maximè dum bellis finem imponere instituunt, proprios filios, vel quos habent charissimos, in pignora, & obsides sibi vicissim exhibent, Quacunque ratione istarum illud accidat, is qui datur in pignus, manet apud eum, cui traditus est, nec potest sine iniuria & dolo ab illo recedere: at qui supra se ipsum censum constituit, non manet, nec detinetur apud emptorem census, sed manet liber domi propriæ, sui suarumque actionum dominus, cũ solo debito reddendi censum constitutum, nec habet emptor census aliam actionem in eum, quàm repetendi censum ab illo. Poterit quidem cõijcere illum in carcerem authoritate iudicis, sicut & quemcunque debitorem non habentem bona potest creditor illius in carcerem agere. Sed curabit censualista ab hac actione abstinere, cum coniectus in carcere, ad suam artem vel industriam exercendam, & ex consequenti ad solutionem census magis ineptus efficiatur. Vnde in Iuribus quibus argumentum illud nititur, solum interdicitur ne persona libera tradatur alicui in pignus per modum mancipij, & serui; minime vero prohibetur, quin possit censum sibi imponere, sicut potest quiuis se ipsum obligare ad alia debita, & contractus.

Ad secundum respondeo dimissis his, quæ à Conrrado, Medina, & alijs hîc afferuntur, constituentem censum supra se ipsum, suamquè personam non tradere se ipsum in seruum, neque subire duram illam seruitutem, quam Romanorum, Atheniensiumq́; leges merito prohibuerũt, erat enim illa vilis status, & corporalis captiuitas: quia constituens cẽsum supra se ipsum, (vt modo dicebamus) manet omnino liber, sui suarũq́; actionum verus absolutusq́; dominus, neq; vilem statum, aut captiuitatem suscipit, quin potius à vili miseroq; statu tali censu sibi imposito quãdoq; liberatur. Veluti si ob debita esset in carcerẽ diuturnum conijciendus, aut alicuius seruitutis, vel mortis periculũ subiturus, prętantius, prudentiũs, ac nobilius agit, ab huiusmodi periculis & damnis se ipsum per censum sibi, sueque industriæ, impositũ se ipsum liberans, quàm manens illis obnoxius, & expositus; sicut maioris certè misericordiæ, ac pietatis est, fratri, quẽ pecunia egere vides, sub censu soli fidei illius credito, illam exhibere, quàm accepto pignore, vel hypotheca.

Ad tertium respondeo, multa posse de nouo institui, quæ in Repub. Romana non fuerun in vsu, modo illa prudentum & peritorũ iuditio iusta censeantur: alioqui si moribus Romanorum esset in omnibus standum, non liceret in singulis Regnis, vel Prouincijs alias leges condere, vel obseruare, pręter eas quas Romani receperunt: quod quam alienum sit à recta ratione, perspicuum est.

Ad quartũ respõdeo. Si propter suspicionẽ vsurę nõ liceret cõstituere censum in persona, neq; liceret in re immobili, quia suspicio vsurę in contractu cẽsuali (vt vidimus) non oritur ex eo quod imponatur in hac re vel illa, sed ex eo quod detur pecunia, & recipiatur similiter pecunia, quod omni cẽsui pecuniario commune est, siue in persona sola, siue in bonis illius, cuiuscunq; generis sint, constituatur. Cõstatq; illud, quia census de quibus Martinus V. & Calix. III. fuerũt cõsulti, in rebus immobilibus erant constituti, nec propterea desierũt esse suspecti. Vnde sicut huiusmodi suspicio, cũ illa, nec iusta sit. nec prudens, non reddat iniquos cẽsus constitutos in bonis immobilibus, ita neque constitutos in persona vtili, & frugifera: imo cum in his emptor maiori periculo se exponat, reperitur in his minor suspicio vsuræ, quam in alijs qui in domibus, vel fundis constituuntur.

Ad quintũ dico, nullum esse incommodũ, quod in argumẽto illo tãquã incõmodũ infertur. Est enim falsum quod ibi sumitur, nõ obligari personã vbi existunt bona, cũ contra res habeat, vt primò & per se obligetur persona ex natura cõtractus, bona vero asignẽtur tanquam in pignus, & hypothecã, vt ex dictis constat. Præterquã, vbi cõtrahẽtes ita inter se conuenirent, vt sola res, cui cẽsus impositus esset, maneret obligata.

Ad sextum respondeo. Ocludi potius viam charitati, & subuentioni indigentiũ si census in sola re immobili constituendus sit, quam si possit etiam super persona: quia cum res immobiles & fructiferas, quibus ille imponi possit, pauci habeant, plerique ad

leuandas necessitates illis occurrẽtes nõ possent sibi per censum subuenire, sed oporteret eos vel supellectilem suam vendere, vel recedere, aut aliquod aliud grauius damnum sustinere, à quibus incommodis censu super eorum personis constituto liberantur.

Ad septimum, constat iam ex dictis, Martinũ V. & Calixtum III. non docere vel precipere, vt census debeat necessario in re immobili constitui, ita vt illa pereunte similiter census pereat, sed referre tantum cõditiones censuũ, qui tunc erant in vsu in illis partibus Germanię, à quibus fuerunt consulti, eosque cum illis conditionibus probare, docentes cõditiones illas optimas esse. Nõ tamen habent in illis Extrauagantibus eas ita necessarias esse, vt illis, vel aliqua earum deficientibus iniusti essent census illi, vel iniqui. Quod vero spectat ad constitutionem Pij V. non est dubium, in ea conditionem istam exigi omnino tamquam necessariam, non tamen obligat constitutio ista in locis, in quibus recepta non est, sed est ab ea supplicatum, sicut diximus accidisse in Hispania.

Ad octauum. Constat etiam ex dictis, cẽsum in quacunque re siue mobili, siue immobili, siue vsu consumptibili constitui posse, cum precipua obligatio sit in persona, in rebus vero accessoriè, & secundum quandam consequentiam.

Ad nonum. Constat similiter ex dictis, in hoc contractu census neque vendi rem, cui ille imponitur, neque pecuniam, sed ius recipiẽdi annuum redditum, cui iuri assignatur tamquam pignus & hypotheca res illa, cui imponitur. Qua ratione in censu personali nec vẽditur persona, nec pecunia ab illa reddenda, sed ius recipiendi ab illa annuum redditum, cum hoc tantum discrimine, quod in censu reali recipit emptor pignus & hypothecam, in personali vero soli fidei debitoris credit sine pignore & hypotheca, quod cedit quidem in maiorem venditoris gratiam, sed in maius emptoris periculum. Quo fit, vt cẽsus personalis ex hac parte censeri debeat contractus iustior, ac vt dicebam minus redolens vsuram.

Vltimum sumit duo: Prius est, emptorem census rem illam emere cui census imponitur, ac propterea subire ipsum illius periculum, ita vt ea pereunte pereat quoque cẽsus. Posterius est, in censu personali emptorem illius nullum subire periculum, sed manere illud penes venditorem, cũ maneat ille semper obligatus ad solutionem pensionis: Sed vtrumque horũ falsum est. Prius illud, quia in censu neq; emitur res, neque pensio, sed ius tantum percipiendi illam; Posterius verò, quia maius periculum subit emẽs cẽsum personalem, vita hominum adeo incerta existente, quam realem, cum in reali esto venditor moriatur, maneat tamẽ res illa semper tamquam pignus, & hypotheca in securitatem census.

Ex dictis in hac contro. sequitur Primo, non oportere ad iustitiam census, vt constituatur super re fructifera, neque in certa & definita, certisque limitibus contenta, cum possit institui super persona, & quibusuis illius bonis, iuxta priuatas leges & consuetudines singularum Prouinciarum, & Regnorum. Quod si ad iustitiam census non exigitur constitui illum in re fructifera, neq; exigetur conditio illa, quę in eadem constitutione Pij V. apponitur, nempe vt fructus rei excedant, vel saltim æquentur pensioni annuatim reddendæ: nisi vbi constitutio illa recepta est, & obseruatur, vel in limine contractus, & ipsa constitutione census inter cõtrahentes ita conueniat: Nam ex natura sola census nihil aliud exigitur, quam vt dato pretio ematur ius percipiendi annuam pensionẽ, ab eo qui illam reddere poterit, iuxta Prouinciæ leges, & cõsuetudines, ex quibuscunque bonis illam reddat.

Sequitur secundo (licet Casanæus & nõnulli de eo dubitauerint, sed immeritò) posse constitui censum vnum in alio censu: Primo, quia vt ex Clementina illa Exiui cõstat, census computatur inter bona immobilia & fructifera, licet autem & iuxta constitutionẽ Pij V. instituere censum in bonis immobilibus & fructiferis, vel quæ pro immobilibus & fructiferis habentur. Neque his repugnat census redimi posse, nam esto ita sit, attamen quandiu nõ redimuntur bona sunt certa & fructifera, vbi vero redimuntur, redimitur simul & census supra illum constitutus, recipitque emptor illius pretiũ quod dederat: quo fit, vt quicunq; cẽsus, siue perpetuus sit, siue redimibilis, respectu eius qui supra ipsum constitutus est, velut res firma & permanens sese habeat. Secundo, quia si rectè constitutio vnius census supra alium concideretur, huiusmodi contractus nihil aliud re ipsa est, quam emptio partis illius cẽsus, supra quem constituitur: censum autem antiquum vel in totum vel in partem vendi posse nullus vnquam dubitauit. V. g. habet Petrus in bonis Ioãnis censum mille aureorum, venditque Andreę supra illum censum

100. au-

100. aureorum, quibus eget; hæc costitutio census vt 100. supra censum vt mille re ipsa quid aliud est quam Petrum vẽdere Andreę partem illam vt 100. census quem habet vt mille in bonis Ioannis. Denique vsus ipse receptaque in omnibus Regnis & Prouincijs consuetudo constituendi censum supra alium illud omnino confirmat. Eadem ratione potest quoq; cõstitui in Tributis, Vectigalibus, & quibuscunq; Gabellis, & Iuribus, siue Iurisdictionibus, cum hæc inter bona vera & realia, siue mobilia, siue immobilia cõnumerentur. Quod & Nicolaus V. in sua Extrauaganti loco superius citato aperte docuit.

Sed iam ad alias conditiones progrediamur.

Controuersia VII.

AN SECVNDA CONDITIO *quam habet constitut io Pij V. vt fiat census in pecunia numerata coram tabellione, & testibus, exigatur necessario.*

DOMINICVS Soto lib. 6. de Iust. q. 5. ar. 1. circa finem sentit conditionem hanc licet ab authore Summæ Conciliorum apponatur, tamquam vna earum quas idem colligit ex illis Extrauagantibus Martini V. & Calixti III. necessariam tamen non esse: Primo, Quia cum contractus hic sit quędam emptio & venditio, sicut in omni venditione licet venditori credere emptori totum pretiũ, vel partem illius, ita quoque licere illud in censu. Secundo, Quia citati Põtifices in Extrauagantibus illis, licet in narratione petitionis sibi propositę conditionem illam referant, in approbatione tamen non pręcipiunt illam tamquam necessariam.

Communis tamen DD. opinio iudicat hanc conditionem tam ex natura contractus, quam propter magna pericula vsurarũ, aliarumque iniquitatum, quas in censibus humana cupiditas passim exerceret, necessariam esse, debereque illos non aliter celebrari quam in pecunia numerata. Quãuis quod additur in Motu proprio Pij V. vt huiusmodi numeratio pecuniæ fiat coram Tabellione, & testibus, non iudicent necessariũ, stando in iure naturæ, nec obseruandum nisi vbi constitutio illa Pij V. recepta est, redactaq; in vsum, vel priuatæ leges aut consuetudines patrię illud habeant. Ita docent ex Iurisperitis Rebuffus tomo 2. ad constitutiones Gallicas Tractat. de constitutione reddituũ. art. 1. Glosa 5. Nauar. in commento De vsuris post bullam Pij V. Glosa 3. siue num. 88. Palatius lib. 4. cap. 6. & plerique recentiores, & omnium nouissime Felician. de Solis De censibus lib. 1. cap. num. 10. & cap. 8. num. 11.

Quæ sententia ita probatur: Census est contractus, in quo accepta pecunia tamquã pretio venditur ius percipiendi annuam pẽsionem illi pretio commensuratam, siue proportionatam vel iuxta leges Regni, vel iuxta communem loci vsum, & consuetudinem; vt docebimus controu. 9. In qua agemus de iusto pretio censuum: At nisi in constitutione census pretium reddatur in pecunia actu & in præsenti numerata, pensio, ad quã venditor ab eo tempore in quo fit contractus, obligatur, non esset commensurata pretio, sed maior illo, ergo ex natura cõtractus debet fieri in pecunia statim actu numerata. Maior certa est ex his quæ diximus contro. 1. Minor patet: Etenim si Petrus vẽdat, fiatq; contractus Kal. Ianuarij, à quo die cõstituitur Petrus debitor illius pensionis, Ioannes autem non tradat Petro pretium illud 1500. aureorum statim, sed 1000. ad festum vero D. Ioannis proxime sequentis reliquos 500. efficitur necessario vt eo anno recipiat Ioãnes à Petro pẽsionem commensuratã 1500. aureis, cum pensio illius non deberet à Kal. Ianuarij vsque ad festum B. Ioann. commẽsurari, nisi solis mille aureis, qua ratione emptio pensionis illius primi anni vel saltim dimidij effecta fuit multo viliori pretio, quam deberet, & ex consequẽti sit iniquia.

Vnde Palatius loco citato recte argumẽtatur. Census non est quælibet venditio, sed de præsenti, & non in diem, cum ab ipsa hora initi contractus venditor census maneat debitor soluẽdi pensionem annuam, (quod certe non recte conciderauit Dominicus Soto, pace tanti Doctoris illud dixerim) debet ergo vt iusta sit huiusmodi emptio, iustũ integrumq; illius pretium statim actu reddi.

Vnde si nomine pecuniæ numeratæ intelligant Pontifices præsens rei pretium, tam Constitutio Martini V. quam Pij V. quę illud exigit, nihil nouum postulat, sed quod ex natura contractus desideratur.

Ceterum cum pecunia in comercijs contractibusq; humanis quandoq; dicatur metallum principis authoritate effectum numisma, quãdoq; verò quidquid pretio ęstimabile est, nonnullæ sese offerunt iuxta hanc secundam conditionem dubitationes.

Prima

Prima est.

Controuersia VII.

AN POSSIT INSTITVI CENsus redditis in pretium illius aliquibus mercibus, vel alijs rebus, quæ pretio æstimantur, vel debeat necessario institui reddito pretio in proprio veroq; numismate?

VBI constitutio Pij V. obseruanda est, quia recepta & redacta in vsum, affirmandum est censum non posse aliter constitui, quam in propria pecunia veroque numismate actu numerato in iustum, integrumq; illius census pretium: cum verba huiusmodi constitutionis illud aperte habeāt, neque debeant in aliū sensum torqueri: merces enim vel quæcunque res venditori oblatę, si proprie loquamur, non dicuntur pecunia numerata, maxime vbi numeranda est coram testibus & Tabellione; imo si cōmunem hominum sermonem attendamus, qui rem aliquam sibi comparant alia similiter exhibita, solent affirmare se absque pecunijs illam obtinuisse. Quæstio ergo proposita in his tantum Prouincijs & locis locum habet, in quibus illa cōstitutio neq; recepta est, neq; obseruatur: vt in Regnis Hispaniæ.

In his ergo sunt qui existimant, non posse aliter censum constitui, quam pecunia ipsa veroque numismate numerato: Quorū præcipua ratio hæc est. Census est vera & realis emptio & venditio, sed in vera emptione & vēditione debet pretium esse pecunia aliqua numerata, non merx, ergo in censu pretium non potest reddi in mercibus, sed necessario ex natura contractus & seclusa omni constitutione Apostolica debet reddi in pecunia. Maior certa est: Probatur minor. Primum, quia de propria ratione emptionis & venditionis est vt in ea reperiantur illa duo realiter distincta, nēpe merx & pretium, at si ius percipiendi annuum redditum, quod est in hoc contractu velut merx, emeretur reddita alia merce, non reperirentur in contractu cēsus merx & pretium, sed duæ merces quarū vna commutaretur cum alia, qua ratione nō esset hic contractus vere & realiter emptio, sed permutatio.

Secundo, Quia in iure pretium quod exigitur in emptione & venditione, debet esse in pecunia numerata, vt habetur l. 1. ff. De contrahen. emptio. l. Pacta conuenta. eodi. tit. l. 1. ff. De rerum permutatione. Institut. De emptio. & venditio. §. Pretium. & §. Itē pretium. alijsque textibus, in quibus illud communiter docent Iurisperiti.

Deniq; quia licet motus proprius Pij V. non vbique obseruetur, at constitutiones illę Martini V. & Calixti III. sunt in viridi obseruantia, in quibus tamen continetur censum esse necessario instituendum in pecunia numerata.

Ex hac sententia seu fundamento, censum, cum sit vera & realis venditio, non posse institui nisi in pecunia numerata, colligūt. Primo, non esse censum, si venditor offerat oleum, triticum, pannos, massam auream, vel argenteam, aut quiduis aliud his simile, etiā si huiusmodi res à principio, & antequā cēsus instituatur, in suo vero ac iusto pretio ęstimatæ sint citra omnem fraudem & dolū, sed teneri emptorem, quascunque pensiones ex censu ea ratione constituto receperit, in sortem & capitale computare.

Colligunt secundo, Neq; ex consensu partium, censum traditis mercibus institutū posse habere verā naturam emptionis & vēditionis, in qua vt constat consistit propria ratio & essentia census, quia iuxta communem sententiam DD. in l. Insulam. ff. De pręscrip. verb. parum refert, quo nomine contrahentes vtantur, vbi natura conuentionis, pacti, vel contractus quem celebrant, alia est: Vnde cum tradere mercem aliquam pro iure censitico, quod habet etiam rationē mercis, non sit propriè & verè emptio & vēditio, sed permutatio, quod à contrahētibus dicatur emptio & census, non efficit vt sit emptio & census, definatq; esse permutatio.

Oppositum docent Nauarr. in commento De vsuris. num. 105. & Concil. 1. tit. De emptione & venditione. Ludouicus Lopez in suo instructorio negotiatorum lib. 1. cap. 59. Molinæus De vsuris. q. 22. num. 225. & nonnulli recentiores, affirmantes seclusa cōstitutione Pij V. attentoque (vt ait Nauar.) solo iure naturali, & diuino, iuste posse constitui censum in foro animæ soluto pretio illius in alia re quam pecunia numerata, vbi res illa verè & in oculis Dei citra omnē fraudem, & dolum esset vtilior, aut æque vtilis venditori census, sicut pecunia numerata, Exhibereturque in pretio iusto, moderato, & honesto.

Probatur. Quia cum iuxta commune vulgareque proloquium apud omnes receptum, pecunia sit, quidquid pecunia æstimari potest, qui reddit vinum, triticum, pannos, vel similes merces, quibus tunc venditor census eget

eget in pretio iusto, & in eo, in quo si pecuniam numeratā accepisset, oporteret ipsum ab alio mercatore merces illas emere, perinde omnino se habet, quo ad vtilitatem venditoris, ac si pecuniam numeratam illi tradidisset, ergo hic contractus nullam continet iniquitatem, nullumq; dolum, vel fraudē. Probo consequentiam. Quia emptor census in hoc casu reddit iustum pretium, & præsens, quibus seruatis iuste emitur. Quod autem non reddat pretium in pecunia, sed in re quę vere ac realiter illud valet, posset quidē aliquam iniquitatem cōmittere, si venditor census illa re non indigeret, sed pecunia sola, oporteretque illum rei acceptæ emptores quærere cum aliquo labore, & dispendio, vt pecuniam, qua eget, obtineret: at cum constituamus ipsum re illa egere, ita vt si pecuniā accepisset oportuisset in similem mercem & sub eodem pretio statim illam conuertere, nulla in hoc casu ex parte emptoris existit iniquitas, vel dolus.

Secundo. Quemadmodum in iure dicitur pretium reddendum esse in pecunia numerata, ita quoque in l. Pretij. Cod. De rescindenda vendit. habetur Cęsares Diocletia. & Maximia. sic rescripsisse: *Pretij causa, non pecunia numerata, sed pro ea pecoribus in solutum consentienti datis, contractus non constituitur irritus.* Vbi aperte docetur loco pecuniæ numeratæ res æquiualentes iuste exhiberi posse. Nec obstat quod Francis. Sarmiento lib. 7. selecta. interpreta. c. 1. nu. 39. & nonnulli alij docent, textum istum intelligendum esse, quando à principio fuit constitutum inter contrahentes de pretio in pecunia numerata, deinde verò loco illius pecunię confertur res aliqua, quę in pretio iusto ęstimata illi æquiualet. Nō inquam obstat, quia sicut reddens rem aliquam loco pecuniæ illius à principio constitutæ, cum pecuniam illam non debeat vt pecuniam acceptā mutuo, sed tanquam pretiū rei, quam emit, quando illā deinde persoluit, siue in simili pecunia siue in re iustè ac vere æquiualente, persoluat, persoluit reuera pretium illud, in quo, tempore emptionis conuenerunt, & ex mutuo ipsorum consensu res illa suscipitur, vt pretium, vereque fatetur pretium sibi ex precedenti contractu debitum esse iam persolutum, ita in censu, cum pecunia qua emitur, non reddatur vt mutuata, sed vt pretiū, potest illud exhiberi traditis citra vllā fraudem vel dolum mercibus, quibus venditor eget, sub iusto pretio. Potestq; illud confirmari ex l. 1. Cod. De rerum permutatione. in verbo. *Licet non taxatā quantitate*: vbi Acursius Barthol. & Bald. docent insinuari eo loco, tradita in rei alterius pretium aliqua merce, taxata à principio illius quantitate, iustoque pretio, recte fieri emptionem & vēditionem. Quod etiam docuerunt Paulus de Castro l. 1. ff. De rerum permutatio. Decius Concil. 160. Tiraquell. de Retract. §. 1. Glosa 14. num. 19. Alciatus in l. 1. ff. Si certū petatur. num. 23. & Molinę. in consuetud. Parisien. §. 13. Glos. 5. nu. 47. vbi quamuis authores hi sic doceant, ex verbis illis: *Licet non taxata quantitate* argumento adducto à contrario Sensu, quod apud Iurisperitos est frequentissimum, non tamen omnino efficax, saltim illud certum est, non negare illos in contractu emptionis rem aliquam, taxata illius quantitate, designatoque iusto eiusdem pretio, posse in pretiū alterius exhiberi. Denique cum dicunt DD. censum contractum esse emptionis in quo vēditur ius percipiēdi annuum redditum tradita pecunia, explicant quidem communem & frequentiorem modum constituendi censum, non tamen negant ius illud posse haberi redditis rebus, & mercibus, quarum iusto valori annuus ille redditus cōmensuretur.

Et confirmatur. Posset Petrus, redditis Ioanni varijs mercibus, obligare illum ad reddendū sibi singulis annis certam partem fructuum, quos colligit, modo tam in mercibus quas Petrus Ioanni confert, quā in fructibus quos annuatim Ioannes promittit reddere Petro, iustum pretium debitaq; ratio & proportio obseruetur: Quo facto licet etiam Petrum conuenire cum Ioanne, vt loco fructuum certam aliquam pecuniam iudicio prudentum ęquiualentē illi exhibeat: Quod adeo certū est vt multi DD. (sicut superius vidimus) existimarint censum pecuniarium hac ratione institui, vt emantur primo & implicite fructus, & deinde loco fructuum recipiatur pecuniaria pensio, & in Regnis Castellæ lege cautum fuit, vt census fructuarij reuocarentur ad pecuniarios, iuxta pretium illud ab eadem lege taxatum, vt pro 14. reddatur vnum eiusdem sortis. Quemadmodum ergo liceret datis mercibus emere redditum annuum recipiendum in fructibus, & illorū valorem in pecuniariam pensionem commutare, ita quoque licet stando in solo iure naturali, datis mercibus in suo iusto pretio, (quando venditor census illis ita indiget, vt si pecunia illi daretur esset necessario ab ipso statim in similes merces apud alium mercatorem commutanda,) censum ab illo emere.

Ex

Ex his duabus opinionibus hæc posterior probabilior est seruatis illis duabus conditionibus. Quarum prior est, vt rerũ, siue mercium, quæ traduntur in pretium census, nulla ratione pretium propterea augeatur, sed taxentur in certa quantitate & pretio moderato intra latitudinem iusti pretij: Posterior, vt venditor census sic rebus illis indigeat, vt easdem esset aliunde quæsiturus, & empturus, si pecuniam numeratam ab emptore census accepisset: quacunque enim harum duarum conditionum deficiente, venditor census iniustitiam & grauamen pateretur, vel ratione iniusti pretij, vel si mercium quas reciperet, cum illis non indigeret, deberet quærere emptores.

Cæterum, quia frequentius cupiditate ementium census, ac vendentium necessitate, & imprudentia, si liceret in mercibus pretiũ illorũ reddere, traderẽtur illę à mercatoribus in pretiis iniustis, & excessiuis, reciperentque illas indigentes pecunijs ad easdem statim vendendas cum qualibet iactura, & detrimento, per contractum illum quem Hispane dicimus *Mohatra*, propterea sanctè & iustè optimi iudices, quorũ est, vsuris & iniquitatibus, quæ in commune ciuium dãnum vergũt, obuiare, & ea quæ frequentius eueniunt respicere, in quibusdam Regnis census ita institutos reuocant, & damnant, irritosq; ac nullos esse suis sententijs declarant: sicut in Suppremo Senatu Regis nostri, & in Cõcilio Regio huius Regni, vbi de censibus huiusmodi lites & causæ sese obtulerunt, fuit obseruatum, & declaratum. Quamuis enim neque Castellæ, neq; apud nos leges priuatæ Regnorum huiusmodi census prohibeat, vel nullos esse decernant, licet nihilominus iudicibus, cũ nec lege aliqua priuatim & in specie illi probentur, eos tamquam Reipub. nociuos damnare, ac irritare: cum frequentius inique fierent, si authoritate iudicũ permitterentur, esto quandoque recte fieri possent. Iudex enim optimus quidquid lege superioris non conceditur, si in damnum ciuiũ accidere illud quandoque possit, & soleat, prohibere potest, & debet.

Ex his colligo, Primo, ementem censum reddito illius pretio in mercibus, seruatis illis duabus conditionibus, in foro conscientiæ recte illum constituisse, ac tutà conscientia recipere pensiones illius, donec sententia iudicis contractus ille rescindatur: Quod si venditor apud iudicem fuerit cõquęstus, cẽsum illum ex mercibus fuisse creatum, & iudicis sententia rescindatur, quia huiusmodi sententia iusta est, iuxta modo dicta, non potest à die latæ sententiæ pensiones illius amplius recipere: præcedentes verò, in foro quidem contentioso propter suspicionem & presumptionem iniqui contractus, compelleretur à iudice restituere, in foro tamen animæ non tenetur. Tum, quia tuta conscientia illas recepit, tum quia talis sententia quo ad præcedentes pensiones fundaretur in falsa pręsumptione.

Colligo secundo, creantẽ censum ex mercibus sine illis duabus cõditionibus, ante sententiam iudicis non teneri ad rescindendum contractum, cũ nulla lege ille prohibeatur, vel reddatur nullus, teneri tamen ad reducẽdum illum ad iustum & moderatum pretium illarum mercium quas contulit, & ad reficiẽda omnia damna, quæ venditor illius census passus est, tam in excessu pretij quo res illas accepit, quã in eisdem mercibus, quas alijs, vt pecuniam qua egebat haberet, minoris oportuit illum vẽdere, quam in excessu pensionum quas propter pretia illa inique aucta per aliquos annos reddidit: In quibus Cõfessarios oportet plurimum cautos esse, ac solertes, si quos deprehendant, qui traditis mercibus census aliquos emerunt sine illis duabus conditionibus. Adueniente autẽ iudicis sententia, tenetur illi omnino obedire, quia iusta est, & quæ veræ nititur presumptioni, cũ reuera fraudulenter & inique creatus sit sine illis conditionibus.

Nunc ad argumenta initio proposita quatenus nostræ repugnant sententiæ.

Ad primum constat ex dictis in primo & secundo argumento, quibus opinio secunda confirmatur, pecuniam esset quidquid pecunia æstimari potest, adeò vt in iure non solũ censeatur verum rerum pretium pecunia numerata, verumetiam quæcũque, merces modo in certa ac definita quantitate tradantur, & in pretio iusto, seruatisque illis duabus cõditionibus. Quod adhuc confirmare possumus, quia iudices non damnant, nec rescindunt huiusmodi census, eo quod merces traditæ non possint esse pretium census sicut & pecunia numerata, sed quia tradito pretio in mercibus, facile ac frequenter committuntur iniquitates & fraudes, quæ tradito illo in pecunia numerata non ita habent locum. Tũ etiam, quia omnium hominum iudicio & cõsensu, quando ego ita egeo tritico, vt illum quæram, & in illum, pecuniam quæ mihi esset in promptu, conuerterem, conferre mihi tunc temporis vel 100. aureos, vel triticum pro quo ego 100. aureos à quocunque illos acci-

acciperem lubens ac letus redderem, idē omnino sunt nec minus tunc triticum illud pecunia numerata mihi est, quam 100. aurei.

Ad secundū constat ex superioribus, Martinum V. & Calixtum III. in illis Extrauag. referre quidem in narratione petitionis sibi propositæ hanc cōditionem inter alias, quod emerentur census illi, de quibus consultabātur, in pecunia numerata, in approbatione tamen illorum nec docent, nec præcipiunt hanc conditionem esse necessariam, ita vt ea defficiente census iniustus sit vel nullus.

Ita fit, vt primum illud consectariū, quod authores primæ opinionis ex illa inferunt, non habeat locum, nisi quādo census ex mercibus creatus fuerit sine illis duabus cōditionibus appositis à nobis, adueneritque Iudicis sententia, iuxta ea quæ modo dicebamus.

Secundum vero consectarium nobis non repugnat. Non enim asserimus naturam cōtractuum ex consensu contrahentium mutari, vel ipsos propria eorum nomina inuertere, sed esse verum censum, veramque emptionem iuris percipiēdi annuum redditum tradito illius pretio in mercibus, seruatis illis duabus conditionibus, stando in solo iure naturæ & foro animæ. Licet iudicibus, ad vitādas fraudes quæ passim occurrerent, in censibus, hominum iniquitate, si ita libere instituerentur, integrum sit suis sententijs illos rescindere, ac irritare, eo modo quo paulo ante dicebamus propter bonum commune.

In calce huius quæstionis obseruandum est, quod recte animaduertit Nauar. loco citato num. 88. In locis in quibus constitutio illa Pij V. seruanda est, non sufficere ostendere notario & testibus pecuniam, sed oportere vt coram ipsis illa numeretur: Tum, quia illud expresse pręcipit Papa, Tū, quia cōditio hęc apponitur ab illo ad obuiandū fraudibus, quibus certe non ita occurritur illa visa sicut ea numerata: cum possit, esto magna illius quantitas ostendatur, non esse tota & integra. Nec sufficere vt tradatur vendenti censum totum integrumque illius pretium in pecunia, nisi absolute & simpliciter in verum plenumque illius dominium transeat: Accidit enim nonnunquam, vt totum, illi in presentia notarij & testium tradatur, sed ita, vt conuenerit prius inter eos, vt teneatur vēditor census post initū contractū partē illius emptori reddere, quod est in fraudem legis & contra naturā census, quia hac ratione nō redderetur integrum iustumque pretium in pręsenti, quod initio huius quæstionis vidimus contra Dominicum Soto ex propria ratione & natura census in hoc contractu desiderari.

Huic quæstioni hęc alia proxima est, & affinis.

Controuersia VIII.

AN EX PECVNIA IAM ANtea *debita ex aliquo præcedenti contractu, vt emptionis, vel mutui, vel expensionibus non solutis possit institui census.*

VBI constitutio illa Pij V. in viridi est obseruantia, perspicuum est id non licere, cum iuxta illam nō possit aliter creari census quā ex pecunia presenti actu & re ipsa coram tabellione & testibus numerata. Vnde pręsens questio sicut & præcedens ad ea tantùm loca & Regna pertinet, in quibus illa nec recepta est, neque in vsu, vt in Hispania.

In quo sensu duas circa presentem quæstionē video existere DD. opiniones: Prior est Michaelis de Palatios in suo opere de cōtractibus lib. 4. cap. 6. Et Feliciani de Solis De censibus lib. 1. cap. 8. num. 13. & sequen. & lib. 2. cap. 5. num. 17. & nonnullorum Iuristarum quos ibi refert, affirmantium ex natura huius cōtractus, & seclusa omni lege ac constitutione Pij V. non posse institui censum ex quantitate aliqua, vel pecunia iam antea debita, quacunque ratione illa debeatur. Potissima ratio horum est, quia iure naturali & diuino, id est ex propria natura huius contractus, debet census creari pretio illius actu reddito in pecunia numerata & præsenti, debita vero præcedentia, esto vera debita sint, & citra omnem iniquitatem & fraudem contracta, non sunt tamen pecunia pręsens, & ipso tempore contractus numerata actu.

Secundo. Census est vera & realis emptio & venditio, qui vero imponit sibi censum, vt ea ratione & via debitum soluat, non est dicendus celebrare emptionem aut venditionem, cum solutio debiti neq; emptio sit neque venditio, ergo neque census. Et confirmatur. In censu, venditor, sicut confert actu emptori ius recipiendi annuum redditū, ita quoque debet actu recipere ab illo pretium, quo emitur illud ius: ita videmus in instrumento & scriptura census confiteri venditorem se illud recepisse, at si instituatur ex quātitate vel pecunia antea debita, venditor census actu & reuera non recipit tunc aliquod

pretium,

pretium, nec potest illud in scriptura contractus vere affirmari, imo falsò, ficteq; & dolose illud dicitur, ergo ex debitis non potest creari census: repugnat enim Iuri naturali, vt venditor reddat censum pretij quod non accepit, Similiter neq; ex pecunia mutuata, quod probant in particulari.

Sitque tertium argumentum. Census est verè ac realiter emptio & venditio, solutio pecuniæ mutuatę, vel vt Iuristæ loquuntur datio in solutum non est realiter & verè emptio aut venditio, ergo non potest ex solutione pecuniæ mutuatę constitui census. Maior sępe repetita est: minorem probant, Primo, quia in iure datio in solutum, siue solutio debiti dicitur similis emptioni & venditioni, vt in l. vltima. ff. Quibus ex causis in possessionem eatur. Vbi dicitur, *Qui rem permutatam accepit, emptori similis est: Item is qui rem in solutum accepit*: Simile habetur, l. Apud Celsum. §. Si quis autem. & l. Senatus. in princip. ff. De legibus. At si datio in solutum esset emptio aut venditio, non diceretur similis emptioni & venditioni. Iura enim cõsueuerunt curare plurimum proprietatem sermonis, nihil autem propriè loquendo dicitur sibi simile.

Et confirmatur. Quia non reperietur in toto Iure siue Canonico, siue Ciuili, ubicunque agitur de emptione & venditione verè & propriè sũptis, aliquod ius vel statutũ pertinens ad emptionis & venditiones contractum, quod pertineat etiam aliquo modo ad solutionem debiti. Tum etiam in emptionibus & vẽditionibus rerum soluitur semper, ac debetur aliqua Gabella: at quando debitum aliquod soluitur, nulla soluitur, neque auditum à seculo est ex datione in solutum solui aliquam Gabellam.

Quarto. Ex natura contractus censitici, quam, & ante constitutionem Pij V. explicarunt Martinus V. & Calixtus III. in suis Extrauagantibus toties citatis, cẽsus debet creari in pecunia presenti, & actu numerata ipso tẽpore cõtractus at debita præcedentia, vel pecunia antea mutuata nõ sunt pecunia pręsens, nec numerata tempore contractus.

Quinto. Vbi aliquid verè ac re ipsa exigitur, fictio vel pręsumptio illius nihil operãtur, aut præstant, vt habet commune proloquium DD. in l. Cornelia. ff. De testamentis. & l. Gallus. §. Videndum. ff. De liberis & postumis: Sed Pontifices in suis Constitutionibus, cum proprie loquantur, volunt institui censum in pecunia verè & realiter numerata: debita verò præcedẽtia, etsi verè debita sint, & iustè cõtracta, non sunt tamẽ tẽpore contractus verè ac propriè pecunia numera, sed finguntur tantum ac sumuntur velut pecunia numerata, ergo ex illis non potest institui census.

Sexto. Si liceret ex debitis præcedentibus constituere censum, liceret etiam ex pecunijs creditis & deinde numerandis, sicut venduntur plerunque merces expectata ac credita solutione, hoc autem nullomodo licet, neque vllus est Doctorum qui illud hactenus affirmauerit, ergo neque licet constituere cẽsum ex debitis præcedentibus. Minor certissima est: probatur maior. Tota ratio, proter quam non potest constitui census pretio credito & expectato, est, quia ex proptia vi & natura huius contractus, (cũ ius annui redditus cõmensuretur pretio accepto, & ex illo procedat) sicut emptor census, cum primum ille instituitur, acquirit sibi illud ius in venditorẽ, pari ratione debet venditor ipso tẽpore contractus recipere ab illo pecuniam, & pretiũ, cui nititur, & ex quo nascitur illud ius: sed quando instituitur census ex debitis pręcedentibus, venditor illius non recipit tempore contractus ab emptore pretium, vel pecuniam aliquam, cui innitatur ius illud annuæ pensionis, ergo non licet.

Ita colligunt authores huius sententiæ maxime repugnare iustitię & ęquitati, vt eius quod quis non accepit, redditũ censumq; persoluat: & ex consequenti trium rerũ omnimodam actualemque præsentiam requiri in constitutione census. Primo bonorum in quibus ille constituitur, & imponitur. Secũdo Iuris percipiendi annuam pensionem. Tertio, pretij ac pecunię, qua ius illud censiticũ emitur à censuario.

Oppositum docet Nauar. in commento de vsuris. num. 88. cui subscribunt Ludouicus Lopez in suo Instructotio negotiantiũ lib. 1. cap. 59. conditione 4. census. Barthol. Medina in sua Summa, & alij recẽtiores discipuli D. Thom. Idem prius docuerunt Tiraquel. lib. 2. de rectractu. num. 137. Molinæ. q. 22. nu. 225. & multi ex Iuris peritis, quos refert Felician. Solis loco citato. affirmantes ex debitis pręcedentibus quocunque genere contractus illa debeantur, rectè posse titulo dationis in solutum, censum constitui, seruatis his conditionibus. Prima est vt debita illa verè debita sint, & iustè contracta. Secunda vt in constitutione census nulla interueniat vis, nulla fraus, vel dolus: sed cum creditor termino solutionis adueniente optaret debitum in pecunia sibi reddi, illudque à debito-

re

re postulat, exoratus ab illo, & in eius vtilitatem & cōmodum, ne grauiora damna patiatur, ex debito illo vero & subsistente, perinde ac si pecuniam illam ab eo accepisset, cum verè & iustè illi debeatur, essetq; reddenda, constituit censum.

Addnnt quidam ex nostris, vt creditor haberet in animo pecunia illa, si à debitore suo illam accepisset, censum emere. Sed conditio hæc non est omnino necessaria: hæc namque non tam videtur desiderari, vt ratione & titulo census posit creditor pensionem à suo debitore recipere, quam ratione lucri cessantis: nimirum quia detineat apud se debitor pecuniam, ex qua creditor censum instituisset: hic autem non inquirimus, an ratione lucri cessantis posit creditor à debitore morosso interesse exigere, sed an ex debitis liceat censum constituere: Vnde si hoc licet, duæ tantum priores conditiones sufficient.

Probatur autem hæc sententia à suis authoribus, Imprimis, quo argumento vtitur Nauarr. Quia ex natura huius contractus illud tantum exigitur, vt emens censum verè & realiter totum integrumque pretiũ soluat, ne venditor teneatur reddere pensionem eius quod non accepit, quod esset in illius damnum & nocumentum; at quando constituitur census ex debitis, verè debitis, & iustè contractis, & in eius institutione nulla vis, vel dolus interuenit, sed creditor exoratus à debitore censum illum constituit, emptor census totum integrumque pretium realiter & verè coram Deo soluit, cum transferat in dominium sui debitoris omnem pecuniam, quæ ipsi reddenda erat, & quam poterat ab illo exigere, & quæ verè est totum integrumque illius census pretiũ; neque inde aliquod sequitnr damnum venditori census, imo maior vtilitas & commodum: Tum, quia si creditor noluisset ex debito illo censum instituere, sed in numerato illud recuperare, oporteret debitorem aut bona sua vilius vendere, vel ab altero cum vsuris, alijs ve expensis similem pecuniam querere. Tũ quia habet iam apud se pecuniam, qua prius per aliquod tempus sine vllo censu vsus est, Vnde ex natura contractus non repugnat censum seruatis illis duabus conditionibus constitui ex debitis præcedentibus.

Quod autem neque lege superioris prohibeatur, ostendere nos illud possumus, quia Motus proprius Pij V. (vt sepe diximus) in Hispania non est receptus, neque redactus in vsum: Extrauagantes vero Martini V. & Calixti III. narrant quidem conditionem istam, (nempe fieri censum in pecunia actu & integraliter numerata,) vt propositam in petitone sibi oblata, non tamen illam pręcipiunt, aut definiunt esse necessariam, nec prohibent quin possit institui census ex debitis verè ac iustè contractis citra omnem fraudem, vel dolum. Nauarrus verò cũ existimet constitutionem Pij V. vbique obligare, partem hanc sic ostendit: Lex fundata in præsumptione non obligat in foro conscientiæ, quando veritas est in contrarium, vt habetur Cap. Is qui. & cap. Tua. De sponsabilibus. at Constitutio Apostolica præcipiens totum pretium in constitutione census exhiberi in pecunia numerata, hoc solum intendit, occludere viam dolis, & fraudibus, quibus ementes census non reddebant integrum pretium, sed malè illud soluebant, vel in pannis, siue alijs mercibus, vel in pecunijs diuisim, & per partes exhibitis, vel ea numerata ad ludendum, aut alios malos fines, vbi ergo quis bona fide citra omnem fraudem & dolum anticipauit totum pretium census, vel partem illius, mutuata debitori pecunia, vel alijs rebus illi iustè venditis, & in vtilitatem ac commodũ illius, & ex debitis iuste contractis constituit censum, in foro animæ, & stando iuri naturali ac diuino, recte illum constituit, non minus ac si tunc pecuniam illi numerasset: cum debitum illud verum sit & non fictum, sed iustè contractum, & quod poterat creditor commode statim recuperare agens apud iudicem, desinit vero ita agero in vtilitatem debitoris.

Secundo. Si hic contractus iuri naturali aut diuino repugnaret, certe aut ratione alicuius vsuræ in eo ocultæ & simulatæ, aut ratione alicuius iniustitiæ & iniquitatis in eo contentæ: Non primum, quia creditor non auget debitum rationæ morossæ solutionis, neque aliquid exigit vltra sortem, sed verum iustumque debitum confert in pretium, quod non minus valet quia illi creditum est, vel mutuatum, quam si tunc actu in nnmerato exhiberetur. Etenim si tibi ex amicitia mutuaui 100. post annum mihi reddenda, num quia ego eo beneficio in te vsus sum, adueniente termino debent illa valere minus quam 100? aut debent aliter se habere quam si tunc temporis in numerato illa contulissem? Quod autem nec vlla interueniat iniustitia eadem ratione

 patet:

patet: Quia cum debitum illud verum sit, & iuste contractum, nec in alia quantitate tradatur quam in ea quam vere valet, confertur iustum pretium; vbi vero iustum pretiũ est, & vere ac realiter traditum, quod fuerit anticipatum nullam cõtinet iniquitatem vel iniustitiam ex parte emptoris.

Respondent huic argumento qui contra sentiunt, hunc contractum non esse illicitum eo quod aliquam habeat vsure suspicionem vel iniustitiam, sed quia natura ipsa cẽsus sic exigit, vt in pecunia numerata illum constitui, vt reluctetur creari ex debitis, vel aliter quam non numerata actu pecunia. Sed qui ita respondent, petunt imprimis principium, reddunt enim in solutionem argumẽti quod est in quæstione positum: hoc enim disputamus, an ita sit de intrinseca ratione census cõstitui in pecunia actu numerata, & præsenti tempore cõtractus, vt nõ possit aliter creari. Secundo contractui ciuili non potest aliquid repugnare, quin illud aliquam contineat iniquitatem & iniustitiam, aut ex natura ipsius contractus, aut iuxta præscriptum alicuius legis: sed quod census constituatur sine vlla fraude ex pecunia mutuata, aut ex aliquo debito præcedenti iuste ac rite contracto nullam continet vsuræ suspicionem, vel iniquitatem, neque prohibetur aliqua lege habente vim obligandi vt constat, saltim in Hispania, quid ergo obsecro est quod reluctatur censum ita constitui seruatis illis duabus conditionibus.

Nos huic etiam sententiæ subscribendũ censemus: Ad quam magis explicandam, est confirmandam obseruemus Primo: Non esse de intrinseca ratione emptionis & venditionis, si solã naturam cõtractus moraliter spectemus, saltim in foro animę, quidquid sit de foro iudiciali & contentioso, vt pretium rei exhibeatur in pecunia, vel n qiuacunq; alia re valente illam. Crimen namq; symoniæ dicitur, & definitur communiter à DD. emptio & vẽditio rei spiritualis pro pretio, iuxta illud B. Petri Acto. dictum Symoni Mago, à quo delictum hoc denominationem accepit: *Existimasti domum Dei pecunia æstimari*: perspicuum autem est committi symoniam, quotiescunque aliquid spirituale vel spirituali annexum pro re temporali confertur, siue illa pecunia sit, siue id quod pecunia æstimari potest. Etenim cum homines à principio per contractum commutationis sibi necessaria compararent, crescente vero humano genere modus ille habendi sibi necessaria varia contineret incommoda, vt initio huius operis docuimus, fuit inuentum numisma quasi publicum & commune omnium rerũ pretium, cœpitque reddi loco earum, quas antea pro alijs virisim: Est mutuo homines sibi exhibebant, sicque contractus emptionis & venditionis successit cõtractui commutationis in eundem omnino finem & scopum: Vnde cum ratio mediorum sumenda sit ex fine, licet hi duo contractus nempe emptionis & venditionis, & commutationis re ipsa distinguantur, si materiam subiectam spectes, cum in alio res pro re tradatur, in alio vero pecunia pro re, at si hominum institutum & animum à quo actiones humanæ potissime desumendæ sunt respicias, vna debet esse vtriusque ratio & ęquitas. Ita vt sicut in emptione traditur pecunia tanquam pretium, & recipitur res empta tãquã merx, essetque iniquus contractus nisi pretiũ valori mercis & valor mercis pretio commensuretur, ita in commutatione traditur mutuo & vicissim vna res tanquam pretium, & recipitur alia vt merx essetque iniquus cõtractus, nisi valor vnius valori alterius æquaretur. Iam si cõmunẽ hominũ cõceptionẽ & sermonem attendamus, (dimissis iuris apicibus) vbi quis accipit vinum quo eget, in ea ęstimatione & pretio, quod valet triticum quod alteri tradit, vterque alter vinum alter vero triticum cõcipit, affirmatque se emisse. Quo fit vt si materiam subiectam in his contractibus (sicut dicebam) spectes, diuersi quidem sint, si vero mores, iustitiamq; & ęquitatem, eadem sit vtriusque ratio & ius: neque in foro animæ aliter de vno iudicandum sit quam de alio, neque minus in commutatione vna res alterius pretium sit quam in emptione pecunia ipsa. Ita obtinuit vsus, vt agricola qui à mercatore merces aliquas emit ad creditum, adueniente termino pretiũ debitum verè ac realiter censeatur persolue re reddito tritico in ęquiualenti valore, quãuis tempore contractus in pecunia numerata vterque concepisset prætium illarum mercium esse persoluendum. Efficitur ex his ad iustitiã emptionis & venditionis, moraliter loquendo, & in foro conscientię, qua ratione hic loquimur, parum referre reddatur ne pretium in pecunia, vel mercibus, aut debitis antea cõtractis, modo nulla interueniat vis sed libero & grato animo vterq; cõtrahẽtiũ in illud cõsentiat, nulla fraus aut dolus in ęstimatione rerũ quę loco pretij conferũtur. Qua de causa merito in iure rem permutuatam accipiens emptori soluenti, vel in solutum similis dicitur: quia licet si naturas

ipsas

ipsas rerum physice spectes, differant pecuniæ & merces, at si mores ipsos & iustitiam in contractibus seruādam: pecunia est, quidquid pecunia æstimatur, vera ac iusta æstimatione, neq; in his similitudo repugnat identitati quæ exigitur in contractibus, ad illorū æquitatem & iustitiam, imo propter similitudinē quę inter eos existit, similiter est in foro saltem animæ de illis iudicandum. Aliter enim Phylosophus naturalis qui solas naturas & essentias rerum spectat, aliter vero Moralis & Theologus iudicat, qui naturas rerū eatenus tantum respicit, quatenus ad mores hominum & honestatem vel iustitiam referūtur. Qua de causa ille, quęcunque specie differunt & natura, tanquam diuersa sumit. Phylosophus vero moralis & Theologus si in eūdem finem tendant, eandemq; omnino rationem in moribus habeant, pro eodem recipiunt.

Obseruemus secundo, censui repugnare quidem expectatam solutionem pretij, Nam cum in eo ab ipso tempore cōtractus, habeat emptor ius percipiendi annuam pensionem propter pretium datū, esset omnino iniquū, venditorem ab eo tempore manere iā ad illā obligatum, propter pretium quod nondum accepit. Qua parte verum docēt alterius opinionis Authores, repugnare omnino rationi & æquitati, vt teneatur venditor ad soluendum redditum pretij quod non accepit: Non tamen repugnat censui vt solutione anticipata constituatur. Quid enim vetat vt cōferam tibi hodie mille in pretium census creandi post mensem? Siquidem propter anticipatam solutionem vilius illum emerem, vel ad vendendum censum cogerem, inique certe agerem: at cum seruandum sit iustum omnino pretium, & liber omnino maneas ad vendendum mihi censum, vel secus, anticipataq; solutio nullum tibi afferat nocumentum, quin potius vtilitatem & commodum, cum toto illo tempore mea pecunia sine vllo interesse vtaris, nequit profecto intelligi, qua ratione solutio sic anticipata repugnet naturæ census, aut aliquam contineat iniquitatē. Quod ex superius dictis q. 78. art. 2. controu. 23. confirmari potest. Vbi solutionem anticipatam tunc tantum vsurariam & iniquam esse docuimus, quando per eam venditor aut sua libertate expoliatur, aut compellitur vilius vendere, quam sit iustum rei pretium. Vnde cum census emptio & venditio sit, sicut solutio anticipata, per quā vēditor nec priuatur sua libertate, nec minuitur iustū rei pretium, non repugnat naturæ contractus, nec vllam continet iniquitatem, ita in censū.

Obseruemus vltimo, Authores prioris opinionis existimare in constitutione census ex debitis antea contractis fingi numerationem pecuniæ, illique fictioni huiusmodi contractum inniti: Vbi (quod pace eorū dixerim) plurimum decipiuntur, saltim quæstione hac in foro animæ conciderata. Quemadmodum enim in foro animę idem sunt accipere vel retinere alienum, qua de causa apud Theologos ad idem peccatum furti pertinet recipere vel retinere alienum inuito domino, ita quoque quod spectat ad mores, & contractus humanos & ciuiles, idem quoque omnino sunt, ac pro eodem debent reputari, conferre tibi mille actu & innumerato, vel cum vere deberes mihi mille, adueniretq; iam solutionis tēpus, consentire vt hoc vel illo modo illa mihi persoluantur: modo illud solutionis genus neq; ex natura rei aliquam habeat iniquitatem, neq; lege aliqua Superioris, quę vim habeat ad obligandum, prohibeatur.

Ex his constat aperte, secundam opinionē quam sequimur, veritati & rationi magis cōsonam esse, quam sit illa prior. Nam censui repugnat quidem expectata & credita solutio pretij, non tamen anticipata, sicut nec vēditioni, in qua & venditor manet cum plena libertate, & pretium iustum omnino seruandum est; pecunia verò antea mutuata, vel iā debita ex contractu iusto, quando ex ea constituitur census sine vlla fraude vel dolo, moraliter ac ciuiliter loquēdo, nihil aliud re vera est quam solutio anticipata, ergo non repugnat censui, & iustitię illius, ex veris & iustis debitis precedentibus seruatis illis duabus conditionibus institui censum. Maior constat ex dictis: minorem probo. Si mutuē tibi hodie 50. aureos reddendos ad festum Natiuitatis Domini, vel illos mihi ex aliquo iusto contractu debeas, adueniente autē termino ego egeam aliqua merce, quam à te vel alio mercatore licet mihi emere, emā autem illam à te 50. aureis, eodem nimirum pretio iusto & honesto in quo mihi à quocuq; alio traderetur, num quia illi 50. aurei iam apud te existebāt, mihiq; debebantur, desinunt esse pretitum iustum illius mercis, & vere anticipata solutio illius? Nisi dicant qui contra sentiunt, oportere in censu, vt debitor in pecunia numerata persoluat vna manu debita creditori, & alia deinde manu recipiat eandē pecuniam ab illo creditore ad constituendū censum: sic enim vidētur docere. Sed hic circulus ridiculus est, & rebus moraliter cōciderātis inutilis, nullaq; ratione necessarius: Imo

illud licet, sicut vere liceret, licet & quod nos docemus. Quid enim aliud est ex datione in solutum censum instituere, quam pecuniam debitam conferre venditori census in pretium illius? perinde ac si vna manu illam â debitore creditor accepisset, & eandem alia manu eidem statim tradidisset.

Denique quod naturæ alicuius contractus intrinsece repugnat, nulla authoritate potest effici, sicut nulla authoritas potest efficere vt res iniusto pretio iustè vendantur, at potest authoritate Principis vel Iudicis præcipi vt debita pupillorum vel aliorũ soluantur constituto censu ex illis, quando illud cernitur in eorũ vtilitatem cedere, & in conseruationem hęreditatis, quod neque authores alterius opinionis negare possunt: Potest enim per sententiam Iudicis condemnari aliquis ad soluendum mille, vel annum cẽsuum, donec illa reddat, vt docet Nauarrus. dic. comen. num. 99. non ergo repugnat intrinsice naturæ census ex debitis subsistentibus iuste antea contractis illum constituere, nulla vi vel fraude interueniente, sed in gratiam & commodum ipsius venditoris, vbi cõsuetudo, vel leges priuatę Regni, & proborũ Iudicum sententię illud nõ prohibẽt, & dãnant: quæ (vt sepe diximus) in singulis Prouincijs in vtroque foro obseruãdę sunt, iuxta ea quę preced. contro. docuimus.

Argumenta vero prioris opinionis, à qua recedimus, facile ex dictis diluuntur.

Ad primum quod inter omnia potissimũ est, & velut illius sententiæ fundamentum, constat satis ex obseruationibus hic positis, maxime ex secunda, ex natura cẽsus illud tãtum exigi, ne constituatur pretio & solutione, expectata minime vero repugnare illi, cũ sit in venditoris commodum, creari illum solutione anticipata: debita autem pręcedentia iustè contracta eandem omnino vim habent, re moraliter inspecta, in contractibus ciuilibus, quam haberet pretium pręsens, vel pecunia anticipatè numerata, vbi nulla interuenit vis, nullaque fraus, vel dolus.

Ad secundum constat ex eisdem obseruationibus, dationem in solutum sine vlla fraude, & dolo in genere moris, & contractus eãdem vim habere ad rem aliquam comparandam, quam haberet realis exhibitio pretij: & ita vel esse emptionem & venditionem, aut illi adeo similem, vt de vtraque eadẽ debeat esse ratio, & ius, saltim quò ad illius æquitatem, & iustitiam in foro animæ.

Ad confirmationẽ respondeo, desiderari quidẽ in cõstitutione census, vt venditor sicut confert actu emptori ius percipiendi annuũ redditũ, ita quoq; recipiat actu pretiũ, quo emitur illud ius, nisi iam illud verè & in totum sine vlla fraude, vel dolo apud se habeat: nã quod iam habet apud se, non minus pretiũ est, & pręsens, quã si tunc actu illi innumerato traderetur: Vnde in huiusmodi cõstitutione census venditor non reddit cẽsum pretij, quod non accepit, imo reddit censum pretij quod anticipatè & cum suo commodo accepit.

Ad tertium patet iam ex dictis, dationem in solutũ, esto non sit omnino emptio & venditio, esse tamẽ illis adeo similẽ, vt moraliter & quantũ in ratione contractus ciuilis exigitur, eandem habeat vim, eademq; omnino ratione sit de vtriusque æquitate, & iusticia iudicandum.

Ad primam confirmationẽ respondeo, Nõ oportuisse, vt in iure, vbi agitur de emptione & venditione, exprimeretur datio in solutũ, vel solutio debiti redacti in censum: quia eo ipso quo ex eodem iure constat, cõtractus istos esse omnino similes, & operari eundem effectum, constat simul statuta & leges quæ feruntur circa iustitiam emptionis & venditionis, respicere similiter dationem in solutum, vt seruetur in ea ęquitas & iustitia.

Ad secundã verò cõfirmationẽ dico, Imprimis, non solui gabellam in omni emptione & venditione, nam apud nos cum merces lineæ minutim ciuibus venduntur, nulla redditur Gabella, quin neq; in censibus qui cõstituũtur ex pecunia actu numerata, tẽpore cõtractus illa soluitur: huiusmodi autem emptionem & vẽditionem esse, superius ostẽdimus. Conueniuntq; nobiscum in hac parte authores alterius opinionis. Demũ, quod ex datione in solutũ in constitutione census non soluatur Gabella, non prouenit ex eo quod datio illa nõ habeat eandẽ vim, quã emptio & venditio, sed quia ius censuale quod in hoc contractu emitur, non est merx cui sit imposita Gabella aliqua, saltim apud nos.

Ad quartum, Sepius in hac controu. repetitũ est, Martinũ V. & Calix. III. in narratione conditionũ, sub quibus census de quibus fuerũt consulti, instuebãtur in illis locis, refferre quidẽ hanc cõditionẽ inter alias, & approbasse census qui cũ illis creabantur, nõ tamẽ pręcepisse illas, aut definisse illas esse necessarias aliter neq; liceret census instituere nisi in domibus, predijs, & aliis rebus immobilibus, cum & hanc conditionem ibi dicti Summi Põtif. referant. Cuius oppositũ vidimus controu. proxime præced. censentq; illud

lud similiter authores alterius opinionis.

Ad quintū, iam constat in constitutione census ex debitis antea iuste contractis nullā interuenire fictionem, sed habentem pecuniā aliquam antea mutuatam, vel debitam, tēpore contractus censitici vere illam recipere, cū ante contractum census non esset ipsius, sed deberet creditori restitui, initio autem constitutoque censu illa sit omnino ipsius, maneatque verus & absolutus dominus illius, sine vlla obligatione restituendi illam.

Sextum solutum quoque manet ex dictis. Nam qui non recipit pretium, sed expectat illud, iniquè obligaretur ad soluendam pensionem, eius quod nec habet, nec accepit ab alio, at cū constituitur census ex debitis præcedentibus, venditor obligatur ad reddendā pensionem eius quod iam accepit, non quidē tāquam de nouo, & tēpore cōtractus, sed anticipatè cum suo commodo. Vnde in huiusmodi creatione census ex debitis pretium cēsus presens est, & actu interuenit ipso tempore contractus, cum debita illa iuste contracta sint, & vere debita, actuq; exoluenda, & vere ac realiter in pecunia numerata essent tunc à creditore recipienda.

In eadem clausula, siue conditione qua præcipit Pius V. totum, integrumque pretium actu tempore contractus exhiberi, præcipit simul vt tradatur iustum: quam partem vnico verbo vt satis perspicuam proponit. Circa illam tamen videre oportet.

Controuersia IX.

QVOT SIT PRETIVM IVSTUM IN CONTRACTU CENSUS?

IN Hoc contractu pretiū iustū reddendum esse venditori census omni iure tam naturali, quam diuino adeo perspicuū est, vt nulla egeat probatione. Est enim census emptio & venditio, in omni autem emptione & venditione seruandum esse iustum pretium, rei quę venditur, omnia iura proclamant. Quale autem illud esse debeat, & vnde sumendum, vt iustum censeatur, explicandum modo à nobis est.

Quidam ex Iurisperitis, vt refert Couarru. lib. 3. varia resolut. cap. 10. num. 1. docebant, considerandum esse in singulis Prouincijs, quo pretio vendantur census perpetui, qui redimi non possunt, & detracta ad summum tertia parte illius pretij, propter pactum redimendi, vel paulo minus quam sit illa tertia pars, reliquum esse iustum pretium census redimibilis. Conueniunt enim omnes DD. in eo, pactum de retrouendendo diminuere iustum pretium, quo census estimādus esset sine tali pacto constitutus. Quia pactum quodcunque in fauorem venditoris in contractu appositum, pars pretij censetur. l. Fundi partem. ff. De Contrahen. emptio. Hac autem ratione constituendum esse iustū pretium census redimibilis, detracta scilicet tertia parte pretij quo iuste costituitur census perpetuus, docuit etiam Carolus Molinæ. De vsuris q. 5. num. 117. & quæst. 35. num. 267. Quod si emptori census huiusmodi æstimatio iniqua videatur, & vtilis venditori plus iusto, erit inquit loco citato num. 120. saltim censendum iustum pretium census redimibilis ad minus dimidium pretij cēsus perpetui: ita vt si perpetuus vendatur ad rationem vnius pro 25. redimibilis vendatur ad rationem vnius pro 12. vel 13.

Ioan. Gerson De contract. consideratione 5. 9. & 19. D. Antoni. 3. p. tit. 5. cap. 8. §. 14. Conrrad. De contract. q. 84. & omnes fere recentiores qui de cēsibus his temporibus scripserūt (nam antiquiores de illis priuatim parum aut nihil scriptum reliquerūt) docet, cum sensus sit emptio & venditio, de pretio census eadem omnino ratione iudicandum esse, qua de pretijs aliarum rerum & merciū: Vnde cum in cæteris rebus quæ communiter & passim emuntur ac venduntur, iustum rei pretium sit, quod lege Principis vel Reipub. taxatur, vel quod fuerit receptum consuetudine, aut communi vsu fori, vbi lex illud non præscribit, eadem omnino ratione iustū pretium census sit, quod in singulis Regnis & Prouincijs lex superioris constituit, vel cōmuni vsu & consuetudine in eo loco obseruatur. Quam sententiam amplectuntur etiā ex Iuris peritis Couarru. loco citato, vbi citat in eādem Guidonē Papæ Concilio 180. Nauarr. in coment. De vsuris. num. 104. in fine operis. Carolus Molinę. loco cita. Francis. à Ripa. lib. 1. responsionum cap. 19. Petrus Rebuff. in commento ad constitutio. Gallicas tractatu 2. de constitutione reddituum art. 1. & alij, quos refert; & sequitur Felicianus Solis De censibus lib. 3. cap. 1. num. 17. Hac ratione docet Guido loco cita. in Delphinali Prouincia censum non posse iustè constitui minus quam ad rationem vnius pro viginti, quia ita habet communis illius Prouinciæ vsus. Similiter docet Corradus q. citata in aliquibus Germanię locis iustum pretium esse vt 20. pro vno reddantur,

quia sic in illis consuetum est; quam consue tudinem testatur ibi Vermaciési statuto fuisse comprobatam. Et q. 83. refert in alijs eiusdem Germaniæ ciuitatibus cóstitui ad rationem vnius pro 15. quia sic ibi obtinuit vsus. Idemque apud Gallos fuisse olim seruatū scribit Carol. Molinæ. dicta q. 5. nu. 225.

Ioan. verò Andræas in suo speculo tit. De vsuris, prima additione censet duodecim esse accómodatum, & moderatum pretium pro vno: Quod ita apud Gallos cepitesse in vsu, vt sicut refert Couarru. loco citato nostra ęta te apud Regia Gallorum Tribunalia census instituti ad rationem vnius pro 12. tollerentur; instituti verò ad rationem vnius pro 10. vel 11. reducantur ad rationem vnius pro 15. quasi in pœnam defectus à 12. instituti verò minori pretio quàm ad rationem vnius pro 10. omnino improbentur, & rescindantur, & pensiones acceptæ cóputentur in sortem, perinde ac si contractus ille non fuerit census, sed impignoratio quædam, vel depositum feneraticiū idē Tiraquell. lib. 1. de Retractu. §. 1. Glosa 6. num. 19. & Carol. Molinæ. De vsuris. q. 5. num. 122. & nu. 146. & alij quos loco citato affert Couarr.

Confirmant hanc doctrinam Extrauagantes illę Summorum Pontif. propterea nāq; Martinus V. non designat certum pretium, sed refert vendi apud illos, à quibus consultabatur, vnā Marcham nummi Polomei annui census acceptis à vēditore 10. 11. 13. 14. vel pluribus Marchis eiusdē monetę, & sub illa incertitudine, variaque pretiorum differentia census illos probat, quia pro temporum & locorum varietate varia apud illos habebāt pretia, erantque à singulis obseruāda, quę apud illos communi ciuium vsu in singulis ciuitatibus vel locis erant recepta. Non enim significat ibi Pontif. posse in eodem loco omnibus illis pretijs vendi cēsum, sed cum apud eos à quibus consultabatur varia existerent, pro varietate locorum omnia illa probat, iuxta vsum & consuetudinem singulorum. Ita vt vbi vsus habebat vendi 10. Marchis, illud esset iustum pretium: vbi 11. illud quoque esset iustum, & sic de cæteris. Et ita vbi aliquod ex inferioribus esset in vsu, non propterea alia maiora, & quæ magis cedunt in venditoris vtilitatem, debeant censeri iniusta: quia in hoc contractu semper est prospiciendum vtilitati venditoris, in cuius leuamen Respub. illum potissime admisit: qua de causa merito censetur à DD. iustum, quidquid in illius commodum cedit. Eadem quoque ratione Nicolaus V. in sua Extrauaganti probat census, qui in partibus Ciciliæ vltra & citra Forum vendebantur ad rationem vnius pro 10. quia sic erat communi vsu ibi receptum.

Ex his quæ ad Hispaniam pertinent facile erit explicare. In Regnis Castellæ varia olim erant pretia. Quodam enim pretio constituebantur in Regnis vltra Tagum, alio maiori in Regnis citra Tagum: & quamuis Sanctissimus ille Christianissimusque Cesar Carolus V. in conuentu habito Madriti anno 1534. l. 117. constituerit, vt annui census non aliter constituerentur, quam ad rationem vnius pro 14. non modo pecuniarij, verum etiam ita vt fructuarij qui redimi possent, in pecuniarios sub eadem ratione & taxa redigerētur. Et l. 10. intereas quę Toleti deinde conditę fuerunt ab eodem Cesare anno 1539. legem illam Madritiam extenderat ad omnes annuos redditus, in quibuscunque rebus persoluendos: nihilominus erat adhuc inter DD. controuersum, num leges huiusmodi respicerent census pecuniarios, eo tempore quo instituuntur, ita vt nō possint minus emi, vel solos fructuarios quādo ad pecuniarios reducuntur, affirmātibus quibusdā omnes census respicere, alijs vero ē, quorū numero est Ioannes Medina Cod. De restit. cap. De censibus. fol. 178. solos fructuarios respicere, Tum quia pretia rerum & fructuum, ab eo tempore quo huiusmodi census fuerunt instituti, maxima subinde receperunt incrementa: Tum vero, quia huiusmodi emptio fructuum in posterum multarum fraudum capax esse solet. Sed hāc controuersiam & litem sustulit omnino Catholicus Rex noster Philippus 2. vt verus omnis ęquitatis & iustitię amator in comitijs habitis Madriti anno 1563. vbi expresse, ita vt nullus iam supersit dubitandi locus, sanciuit, annuos redditus redimibiles non posse aliter emi, & constitui quam ad rationem vnius pro 14. ita vt census aliter constitutus in posterum nullus esse decernatur, præcedentes verò & antea cōstitutos ad hoc quoque pretium debere reduci. Vbi aperte de pecuniarijs lata est lex, maximè cum fructuarij sint ibi prohibiti: habeturque illa lib. 5. nouę copilatio. tit. 15. *De los contratos de censo.* l. 6. Quæ lex omnino obseruanda est in vtroque foro, ita vt qui villius emerit censum, teneatur in foro animę vel ad cōferendum compensandumque defectū pretij à lege præscripti, vel ad computandum in sortem excessum redditùum, si quos accedit, vel redditus ipsos, iuxta ea quæ proxime sequenti

quenti controu. explicabimus.

In nostro Regno Valentiæ leges municipales huius Regni nihil cōstituunt circa pretia huiusmodi censuum, sed peculiares consuetudines ciuitatū obseruandæ sunt. In hac Valentina quæ totius Regni caput est & Metropolis, cui loca confinia stare debent, emūtur communiter ad rationem 16. denariorū pro 20. solidis: hoc .n. pretio Magistratus ipsi, cū pecunijs egēt ad cōmunes huius Reipub. vel Regni necessitates, hos redditus annuos & redimibiles vendunt, & viri timorati illos immitantes eodem pretio ab alijs priuatis similes census emere quoque solēt. Sunt etiam multi qui illos emunt ad rationē 18. denariorum pro 20. solidis, quod pretium, quia apud multos quoque obseruatur, iustum censeri debet, & quasi consuetudine receptum. Audio alios illum quoque emere ad rationem 20. denariorum vel plurium pro 20. solidis, sed illud profecto Valentiæ & in confiniis nō probarem: Quia licet pretia quę sumuntur ex consuetudine, & communi vsu fori, habeant quandam latitudinem, vt q. 77. art. 1. vidimus, at non licet illam excedere, & infra pretium quod infimum est aliquid emere: infimum autem pretium apud nos in communi vsu fori est, cum emitur redditus annuus 18. denariorum pretio 20. solidorū. Quod autem inter aliquos venditores necessitate compulsos & emptores cupiditate excæcatos vilius quandoq; vendatur, vel ematur, nihil omnino refert, paucorum enim abusus nec consuetudinem efficit, nec communem vsum fori.

In alijs ciuitatibus vt Orcellensi, & oppidis illi vicinis obtinuit vsus, vt vilius emantur census, nempe ad rationem duorum solidorum pro viginti. In alijs vt Cetabi similē audio esse consuetudinem. Seruanda sunt in singulis locis ea pretia quę communi vsu fori recepta fuerint, nec vllo titulo minuenda in venditorum damnum, etiam si ipsi propria necessitate compulsi libere in illud affirment se consentire. Quamuis enim in alijs mercibus & rebus quæ emuntur & venduntur, passim pretia mutentur ex earum & emptorū abundantia, vel deffectu, vt in nundinis solet accidere, in censibus tamen non ita facile pretia mutare licet, Tum quia contractus est pecuniarius, maximā vsurę suspitionē pręse ferens: Tum quia pretia, quibus cōmuniter vēduntur, vt experimur, semel à Magistratibus vel iudicibus admissa non mutantur, saltim in communi vsu fori, & frequentiori cōsensu celebrantium hunc contractum: quod autem pautiores nitantur illa mutare, & minuere sua cupiditate adducti, excogitatis quibusdam titulis, vel pauciores pecuniæ in illis locis, vel varietatis temporum, aut similibus, quibus fallacia hominum ingenia nitūtur, nec consuetudinem inducere valet, nec habere vim communis vsus fori, cum ille ex pluribus sumendus sit in singulis locis. Maxime quia si varietas temporum, cui istorum cupiditas adeo nititur, atendenda sit, non ipsis sed venditoribus potius censuum debet illa fauere: Nam cum in contractu emptionis & venditionis valor pecuniæ nō sit auctus, sed rerum ipsarum & mercium, si propterea quod pretia omnium rerum aucta videamus, pretia censuum mutare oportet, non essent ita mutanda, vt vilius annui redditus & minori pretio emātur, sed carius & maiori, cum census sit velut quædam merx. Sed quamuis hæc certissima sint communiter loquendo, videamus nihilominus oportet.

Controuersia X.

POSSIT NE ALIQVANDO *census vilius emi, quam sit pretium taxatum a lege, vel receptum communi vsu fori?*

CVM duobus modis census emi possit, vel ita, vt de nouo cōstituatur, ac creetur, vel ita, vt cū iā antea fuerit constitutus, dominus illius iuris pecunia egens illud accepto pretio in alium transferat, de vtroq; hic agēdū est.

Vbi illud obseruādū est, Authores qui præsentē quæstionē disputant, solum expendere pretium à lege taxatū, nos vero vt ex titulo huius quęstionis patet, vtrūq; cōplectemur, & taxatū à lege, & receptū cōmuni vsu fori: quia vbi lex nihil circa pretia rerū præscribit, vsus fori habendus est pro lege. Quāuis enim illud (vt q. 77. art. 1. vidimus) consistat in indiuisibili, pretium vero sumendū ex vsu fori habeat eam latitudinem, quam ibi exposuimus, nihilominus vtrumque eodem iure coscientiæ obseruandum est, illud in ea taxa quam lex constituerit, hoc vero intra eam latitudinē quam habuerit vsus fori. Ita vt ab ea non liceat per excessum vel deffectū recedere: In mercibus, per excessum pretij à venditore exacti, in censibus vero, per deffectum pretij ab emptore redditi. Quemadmodum enim (vt ibi docebamus) leges taxantes pretia rebus, quædam constituunt illud in vtilitatem emptoris, vt in tritico, & similibus quibus egemus ad victū, & vestitum, in quibus

taxa illa solum prohibet excessum, minime vero deffectum & recessum versus minus: Aliæ vero constituunt pretium in vtilitatem venditoris, vt in censibus, in quibus taxa solum prohibet deffectum illius pretij, minime vero excessum & recessum in maius: Similiter communis vsus fori in tritico, vino, similibusque rebus illud tantum exigit, ne â latitudine pretij in eo recepti recedatur per excessum, & maius: in cēsibus verò ne ab eo recedatur per deffectum, & minus: ita vt sicut non licet triticum, vinum, aut similes merces carius vendere, quam ferat supremum & rigidum pretium communiter receptum in foro, ita neque liceat censum, ubi lex non præscribit illi pretium, vilius emere, quam ferat infimum pretium communiter receptum in eo loco.

Hoc posito, Quidam recentiores Thomistæ docent legem latam Castellæ, ne census aliter ematur quam ad rationē 14. pro vno, & similiter vbi lex non præscribit pretia cēsibus, vsum fori siue patriæ consuetudinem seruandam esse, tā in censu qui de nouo constituitur, quam in eo qui prius fuerat constitutus, neque esse varianda pretia censuum, eo quod iam sint prius constituti, vel tūc primum instituantur. Ita docent Thomas Mercatus in suo opere De contractibus. cap. De censibus. Palatius in simili opere lib. 4. cap. 7. Cordoua in opere Hispano De casibus conscientiæ q. 79, & nonnulli alij, eandēq; tribuunt Medinę Complutensi Cod. De restit. Cap. De censibus quo ad eorum institutionem, cum tamen apud Medinam illud re vera non habeatur, quia ętate illius nec erat adhuc lata lex ista Philippi secundi, quam citauimus, nec illa prior Caroli V. quæ pręcipiebat census fructuarios reduci ad pecuniarios ad rationem vnius pro 14. sed tantū erat huius legis quidam (vt ipse Medina refert) rumor sparsus inter gentes, communiter autem vendebantur census redimibiles varijs pretijs, quandoq; maiori, quandoque viliori: Sed quidquid senserit in hac parte Medina habent illam authores modo citati, & ante illos Carolus Molinæus De vsuris. q. 62. num. 411. vbi illam copiose prosequitur: probaturque illa varijs rationibus, quas ibidem Molinæus recenset.

Primo emens Caius à Titio censum iā cōstitutum minori pretio, cum nemo huiusmodi census & iura soleat vendere, nisi compulsus egestate, nouit aperte Caius se minoris emere, quam sit iustum pretium illius census, & Titium in illud consentire propter egestatem qua premitur: huiusmodi autem egestas (vt dicebamus quæst. pręced. De vsuris. art. 4.) tollit voluntarium, iuxta Aristot. 3. Ethicor. Scotum in 4. dist. 15. q. 2. artic. 3. & communem tam Philosophorū, quam Theologorum doctrinam, ergo sic emens, cū emat minori pretio quam sit iustum, & sine libero animo voluntarioque consensu vendentis, non est tutus in conscientia.

Secundo census qui de nouo instituitur, & qui iam erat constitutus, secundum veram rei substantiam & effectum nō differunt, vt docet Conrrad. De contract. q. 79. neq; aliā vtilitatem habet vnus quam alter, sed in genere moris & contractus sunt vna & eadem merx, volensque illos distinguere solā verbalem & nominis adducit differentiam, non rei; at census qui de nouo constituitur, non potest aliter emi, quā pretio legis vel fori, ergo neque qui iam prius fuerat constitutus. Probo consequētiam: Quia res eatenus sunt venales, & habent pretium, quatenus deseruiunt hominum vsibus, cum ergo census iam constitutus eandem omnino afferat vtilitatē ementi, quam afferret si de nouo institueretur, non potest alio pretio emi.

Tertio, in quocunque genere mercium, quæ non redduntur deterioris, aut minoris æstimationis, vt in massa argenti, vel auri, in pannis, vel lineis, quandiu nullus illis vtitur, sed suam retinent nouitatem, primā q; bonitatem, quod pretium est iustū cum primo venduntur, illud idem est iustum & seruandum, siue secundo, siue tertio, siue millies vēdatur: ergo cū ius censuale sit quædā merx, quæ progressu temporis non redditur deterior, nec veterascit, sed semper retinet eandē bonitatem & vtilitatem, eodem omnino pretio debet emi, siue cum primum constituitur, siue deinde iam constitutum iterum atq; iterum vendatur.

Quarto, Secunda aut tertia venditio census, quamquam non sit noua illius creatio, & institutio, est tamē vera vēditio ipsius, at lex in vniuersum pręcipit, censum qui venditur, hoc pretio emi, ad rationem 14. pro vno: similiter vsus fori nō habet hoc vel illud pretiū, saltem inter viros probos & timoratos, quorum in his habenda ratio est, cum primum census cōstituitur, sed quotiescunq; emitur, ergo debet eodem pretio emi, qui iam constitutus est, quo emeretur iuste, si de nouo ille crearetur. Probo consequētiam, quia lex nō distinguit pretia inter nouum censum vel antiquum: Vbi autem lex non dinstinguit, neque nos distinguere debemus.

Quinto,

Quinto. Si censum iam constitutum liceret vilius emere, aperitur via magnis fraudibus & iniquitatibus, nam cum habentes huiusmodi iura censualia, nunquam fere illa vendant, nisi propria necessitate compulsi, viri cupidi & auari ab his tantum emerent census, nec quocunque minori pretio, sed quantùm minus possent citra omnes metas æquitatis & iustitiæ.

Oppositum docent D. Nauarr. in suo cōment. De Vsuris. num. 112. Franciscus Sarmiento lib. 7. Selectarum interpret. capit. 1. num. 40. & nonnulli alij Iurisperiti, quos refert Felician. Solis de censibus. libr. 2. cap. 1. num. 43. Docent ergo Nauarr. & alii quibus nonnulli etiam ex recentioribus Theologis subscribunt, inter censum qui de nouo instituitur, & eum qui iam existit prius constitutus, hoc interesse: vt cum prior ille instituitur, incipiat ac creetur de nouo ius illud recipiēdi annuam pensionem pecuniariam, qua de causa emptio census de nouo constituendi videtur spectare ad interusuria pecuniaria, fuitque propterea de illa adeo à tot Doctoribus dubitatum, vt vidimus contro. 2. huius art. Census autem iam constitutus, cum sit ius recipiendę annuæ pensionis iam actu præexistens, & quod iure hæreditario a maioribus in posteros potest transferri, habet se sicut alia bona temporalia immobilia, vt dicitur in illa Clementina Exiui. venditioque & emptio illius non pertinet ad interusuria, sed ad contractus commutatiuos rerum & mercium, habetque se omnino sicut venditio fundi, vel alterius mercis existentis.

Ex quo fundamento sic argumentantur. Merces omnes vel vltroneè venditæ, vel cū existit illarum ac venditorum copia, vilescunt, sicut redduntur etiam cariores, quando existit illarum penuria, & emptorum abundantia: sed census iam constituti & præexistentes non emuntur tanquam noua iura pecuniaria, vel tanquam interusuria, sed vt quædam merces, & sicut venduntur fundi, aut alia bona siue mobilia, siue immobilia, ergo licebit illos vilius emere, si fuerit venditorum copia, vel vltroneè vendantur: Licebit etiam carius eos vendere, vbi extiterit venditorum paucitas & ementium abundantia. Aut certe reddenda ratio est, cur illud liceat in aliis mercibus, minime vero in censibus iam existentibus, & prius constitutis.

Secundo, cōsuetudo est optima legum interpres, at videmus (inquit Nauarrus) Romę, vbi Constitutio Pij V. fuit promulgata, habentes census emptos in montibus Pietatis, si vltroneè & rogantes illos vendant, vilius eos vendere, quam fuerint a principio constituti, si vero rogati carius, ergo licet illud saltim (inquit) in foro conscientię. Quia in foro exteriori, forsan propter constitutionem illam Pij V. quæ prohibet censum vilius aut carius vendi, quam sit constitutū, aliter iudicaretur. Quamuis (addit) ex bono & æquo idem quoque posset dici in foro exteriori, quando pretium census communi vsu creuit, vel decreuit post illam constitutionem, propter rationem propositam.

Tertio, Lex quæ constituit pretium census, solum constituit illud cēsui redimibili, qui de nouo fundatur, nec est extendenda ad iam constitutum, ergo licet iam constitutum vilius emere. Probatur antecedēs: Quia huiusmodi lex aperte loquitur de censu, in quo venditor tenetur soluere pensionem emptori: at quando venditur census iam constitutus, venditor illius nullam tenetur emptori soluere pensionem, sed solum transfert in illum, ius quod ipse habebat percipiendi annuam pensionem a priori eiusdem census vēditore. Et confirmatur, Qnia illa lex solum fuit condita ad cauenda damna vendentiū census redimibiles, solebant enim egestate oppressi exiguo pretio accepto magnas sibi imponere pensiones, quod tamen damnum non habet locum, quando venditur census iam constitutus, cum in hoc casu venditori nulla maneat obligatio soluendi aliquā pensionem.

Quarto. Emens censum de nouo vnicum tantum subit onus, vt possit scilicet ille redimi & a primo venditore: qui vero emit censum iam constitutum, subit duplex onus, cū possit ille redimi & a primo venditore, & a secundo, a quo ipse proximè emit: qui vero rem aliquam emit plura apud se suscipiens onera, omni iure potest illam vilius emere, ergo emptor census iam constituti potest illum saltim in iudicio animæ vilius emere.

Quinto, Emptio census noui non potest fieri minori pretio, quam sit taxatum a lege vel receptum in foro, eo quod venditor sit pauper, nec habeat fideiussores, vel quia moretur in loco distanti, vel propter quid simile, at census iam constitutus, si debitor illius non sit optimus solutor, vel census ipse non sit in loco tuto constitutus, potest minoris vendi, pro ratione periculorum, quibus expositus est: ergo differunt plurimum hi census, nec debet esse idem vtriusq; pretiū:

sicut debita dubia non debent habere idem pretium, quod certa & secura, vt superius vidimus agentes de pagis acerbis.

Denique illud pretium habendum est iustum, quod a peritis & prudentibus censetur iustum, sed a peritis & prudentibus, si cēsus iam constitutus vilius ematur, non censetur talis emptio iniusta, nec a iudicibus puniuntur tabelliones conficientes scripturas huiusmodi contractuum, quia non iudicantur agere aliquid in eis contra illam Regiam Legem, licet ergo tuta conscientia census iā constitutos vilius emere.

Alij ex recentioribus tam Theologis quā Iurisperitis media via incedunt.

Constituunt imprimis, cēsus, tam eos qui de nouo constituuntur, quam alios iam constitutos, bifariam posse se habere. Vel ita vt redditus sit liquidus, & liber ab omni lite, tā ratione ipsius redditus, quam ratione soluentis illum, & census ille in loco tuto collocatus: Vel ita vt redditus sit litigiosus & incertus, siue ratione ipsius redditus, siue ratione persoluentis illum, vt cum est pauper, vel difficilis conuentionis, aut malę fidei, aut res ipsę, quibus census impositus est, minus securę.

Constituunt secundo, censum, licet postquam constitutus est, sit ius quoddam iam adquisitum in annuam pensionem, & velut quoddam bonum inter mobilia vel immobilia computandum, semper tamen esse ius in pecuniariam pensionem, certam, & definitā, & emptionem eius siue de nouo constituatur, siue iam existat constitutus, esse emptionem iuris recipiendi aliquam certam pecuniam: quo fit vt sicut valor & ęstimatio pecuniæ in eodem loco non mutatur secundū se, siue illa abundet siue deficiat, siue quis pecuniam ab alio quęrat, siue alteri illam conferat, nisi Regia lege apud omnes ciues mutetur, ita quoque hoc ius ab alijs mercibus ita distingui, vt alię non habeant certum valorem, sed subinde mutabilem, penes earum abundantiam vel penuriam, & ex consequēti mutabile quoque pretium, vbi abundant, vel deficiunt, aut vbi rogatur venditor, & quęritur, vel ipse quęrit rogatque emptores: Ius autem recipiēdi pecuniariū redditū, nisi ratione dāni alicuius vel periculi mutet valorem, secundum se tamē ex abundantia sola vel penuria emptorum non mutare illū, nisi lex illum mutauerit, aut communis vsus fieri. Et ratio est aperta, quia sicut docebā q.78.ar.2.contro.17.agentes de pagis acerbis, ius ad 100. quæ ab omni lite & periculo libera sunt, semper valent 100. & eodē modo ius in annuam pensionem vt 10. certum & securum tam ratione pensionis, quā debitoris, quam rei super qua illud impositum est, semper valet 10. & quod valebat decem, 30. vel 40. ante nos annis, idem omnino valet hodie, & valebit semper in posterum, nisi lex Principis aliter constituat, aut mutetur circa emptionem censuum vsus fori.

Ex his colligunt & recte authores huius sentētiæ, quam post recitatas illas duas priores amplectitur etiam Molineus loco citato, & quam nos sequendam quoque cēsemus, hęc tria.

Primo. Si census litigiosus sit, vel difficilis, aut alicui periculo expositus, posse non solum quando iam cōstitutus est, verumetiā quando de nouo constituitur, vilius emi, quam sit pretium legis, vel receptū communi vsu fori: Quia lex & vsus fori solū constituūt pretiū censibus firmis & fixis, ab omnique periculo liberis, ementi autem rem cum periculo alicuius damni & nocumenti licet illa vilius emere, pro ratione illius periculi, ad arbitrium peritorum & prudentum in eo genere rerū, sicut ementi rem deffectuosam licet vilius eam emere, pro ratione illius defectus. Obseruāda autē sunt circa hoc primū dictū, quæ superius docuimus agentes de vēdente cū periculo recuperandæ solutionis, & accommodanda hoc loco ementi censum cū istis periculis. Dices, emptor sciens, & volens huiusmodi periculis se exponit, non ergo licebit ei minuere pretiū. Respondeo ex his quę ibi docuimus, non vltro se exponere, quia debet rogatus emere, consentire vero in beneficium venditoris: sicut mercator vendens ad creditū cum periculo recuperandę solutionis, si rogatus vendat, non vltro se offert, sed consentit solū in vtilitatem emptoris. Qua ratione sicut vendens merces nō vltro, sed rogatus, potest carius vendere, cū exponat se variis periculis, ita emēs cēsum, cū rogatus illum emit, potest quoque illum vilius emere, si census ille aliqua habeat vera pericula, ratione pensionis, vel sortis.

Colligunt secundo censum ab omni periculo, & lite, seu labore recuperandæ pēsionis liberum, non posse vilius aut minoris emi, siue de nouo instituatur, siue iam sit constitutus, quam sit pretium legis, vel receptū communi vsu fori tali loco & tempore. Hāc partem probant optime argumenta primæ opinionis, & in hoc censu efficaciter profecto concludunt. Ius enim recipiendi red-

ditum

ditum pecuniarium certum, & definitum, ab omnique periculo, lite, & labore liberum idem semper valet, idemque semper debet habere pretium, vel iuxta præscriptum legis vbi illud a lege taxatur, vel iuxta vsum fori. Vbi non significo legem non posse mutare pretia pro diuersitate tẽporum, vel vsum fori idem semper debere seruare pretiũ, sed significo sicut in secunda obseruatione modo posita dicebam, vt sicut pecunia secundum se non mutat valorem & pretium, nisi lege Regia illud mutetur, census ab omni lite & periculo liberos, siue de nouo constituãtur, siue iam existant constituti, nõ alio pretio iuste emi posse, quam vel pretio legis, vel iuxta vsum & consuetudinem patrię tali tempore.

Colligunt tertio. Si quidem accidat, censum vno tempore communi vsu fori carius emi, deinde vero eodem communi vsu fori similes census emi vilius, tunc sicut liceret censum de nouo constituere pretio præsenti & currenti, ita quoque licere censum carius alio tempore constitutum vilius deinde emere, pretio scilicet tempore contractus in eo loco recepto: in hac namq; parte emptio censuum emptionibus aliarum mercium similis est, & eiusdem rationis: ita vt illud sit iustum pretium, quod tali loco & tempore habet lex, vel patriæ recepta consuetudo, esto alio tempore eadem carius aut vilius vẽderentur.

Nunc argumenta secundæ opinionis, quę nobis aduersantur, diluamus.

Vbi obseruandum initio est, discrimen quod authores illius sententiæ constituunt inter censum de nouo constituendum, vel iã constitutum, esto illud admitteremus, parũ facere (quod pace illorum dixerim) ad ferendum iudicium de iustitia pretij in emptione census: quia ad iustitiam pretij hęc duo tantum debent considerari, rei bonitas & vtilitas, ne defectum aliquem, propter quem valor illius minuatur, contineat, & præsciptũ legis vel vsus fori. Ex his duabus radicibus colligitur sit ne iustum vel iniustum in omni contractu emptionis & venditionis rei pretium, siue contractus ille ad commutatiuos pertineat, siue ad fœneraticios, siue ad quodcunque aliud genus quod excogitari posit. Vnde vbi idem ius in annuum redditum venditur & emitur, eiusdem bonitatis, & vtilitatis, & securitatis, idem necessario debet esse pretium, aut iuxta legis præscriptum, aut iuxta communem vsum fori: repugnatque omni ęquitati & rationi, vt vendatur eadem res in suo valore omnino immutata, maxime pecuniaria, non seruata eadem ratione & lege pretij: Adde, quod inter hęc, vt recte docet Conrradus q. 79. non potest realis & vera differentia constitui secundũ substantiam, & effectum, si moraliter hæc sicut debemus, respiciamus. Nam esto quando de nouo creatur census tunc ius illud incipiat, quando vero iam est constitutus, iam posideatur vt res quædam immobilis, attamen idem omnino ius est, & eiusdem valoris & vtilitatis, quod emitur iam constitutũ, cum eo quod fuerat emptum a principio, quando de nouo constituebatur, sicq; eodẽ debet vtrunque pretio emi.

Ad primum igitur argumentum respondeo, tam census iam constitutos, quam eos qui de nouo constituuntur (vt vidimus contro. 2.) huius art. habere rationem mercis, & primam illorum constitutionem esse veram quoque emptionem, quo fit, vt si liceret iam cõstitutos propter eas rationes vilius emere, liceret & eos qui de nouo cõstituũtur, quod tamen authores illius opinionis de nouo cõstituendis non concedunt. Dico secundo, cẽsum, cum sit ius in pecuniam certam & definitam, non aliter mutare pretium & valorẽ, quam vel constitutione legis vel consuetudine prouinciæ, sicut & pecunia ipsa, & in hac parte differt plurimum a pretiis aliarũ mercium, quæ facilius mutari possunt.

Ad secundum respondeo, forsan sic emẽtes Romæ nõ bene agere, sed iniquè, nisi vbi census illi quos vilius emunt alicui periculo sint expositi, nec crederem Iudices illud pati, maxime vbi Constitutio Pij V. promulgata est, & obseruatur, quæ adeo expresse vult, census non emi vilius postquam constituti sunt, quam a principio empti fuerint. Et quidquid sit de ea consuetudine, illa non repugnat nostræ sententiæ, quia si ita solet fieri Superioribus sciẽtibus, & consentientibus, erit iam pretium illud cẽsendum iustũ, tanquam receptum communi vsu fori, & quod lex non prohibet. Si vero ita fiat Superioribus ignorantibus, nec expresse consentientibus, non est vsus sed abusus, & ementes census omnino securos & optimos minoris quam a principio fuerint constituti, inique agunt.

Ad tertium constat ex quarto argumento, quo probatur prima opinio, legem nõ distinguere inter census qui de nouo instituũtur, & iam constitutos, sed in vniuersum pręcipere omnes census, qui aut constituuntur, aut venduntur, ita debere emi, ad rationem

vnius

vnius pro.4. Et cum idem sit iudiciũ de vsu fori, vbi lex nihil constituit, eodem pretio emendus est census iam constitutus, quo fuerat emptus a principio. Quod autem adducitur in confirmationem illius argumenti, nostrę sententiæ fauet: Quia si illa lex Regia lata est ad obuiandum fraudibus, & dolis ementium census, ab his qui aliqua necessitate premuntur: debet illa similiter obseruari, quando emuntur iam constituti, cum huiusmodi nunquam fere vendantur, nisi ab his qui aliqua etiam necessitate opprimuntur, à quibus si liceret vilius emere, fraudibus & iniquitatibus, emptores illorum vterentur, sicut habent Quintum, & Sextum argumentum primæ opinionis.

Ad quartum respondeo, vẽdentem censum iam constitutum transferre in emptorẽ illius omne ius, quod habebat ratione illius census: ius autem quod ipse habebat solum erat recipiendi annuos redditus, & ita illi nulla manet facultas ad illum sibi redimendum, nisi ex peculiari pacto conuenerit cum secũdo emptore, vt restituta illi sorte posset recuperare censum illum, ex communi tamẽ vsu, & natura census solum habet facultatẽ redimendi illum primus venditor illius, & qui illi succedunt, aut hi ad quos onus illud & obligatio censitica transierit.

Ad quintum constat ex dictis, non solum quando emitur census iam constitutus, cui aliqua pericula & damna coniuncta sunt, posse illum vilius emi, verumetiam quando de nouo instituitur, si similia patiatur: seruatis legibus illis & conditionibus, quibus diximus posse vendentem ad creditum carius vẽdere, propter pericula quibus se exponit.

Ad vltimum dico, aliquos peritos ita sentire, & ex ipsis iudicibus, alios tamen forsan peritiores contra, saltem ex Theologis, plures sententiam quam sequimur amplectuntur, vt rectæ rationi & ęquitati magis consonam.

Duo hic in calce huius quæstionis explicanda se se offerunt. Prius est.

AN LEX REGIS. VEL REIP. *constituens pretium censibus per consuetudinem abrogari possit?*

OMISSIS multis quę de efficacia consuetudinis hoc loco a nonnullis afferuntur, variisque Iuristarum opinionibus, Medina Cõplut. Cod. de restitut. in Tractat. De Censibus. cap.2. cui subscribunt Palatius de contract. lib.4.c.7. & cõmuniter Theologi, docet & recte, pretium constitutum a lege, per consuetudinem contrariam, quam superior nouit, nec reprimit, tuta conscientia minui posse, sed esse tunc standum communi vsu fori tali loco, & tempore: legem enim humanam per non vsum & contrariam consuetudinẽ abrogari, non modo sentiunt Theologi, verum & innumeri Doctores Iuris, quos referunt Belluga de Censualibus num.14. Tiraquel. de Retractu Lignagier in Præfatione, num.17. & Couar. libr.3. Var. resolut. cap. 13. nu.4. Confirmatque illud maxime Glosa in Clementina Statutum. verbo. Consuetudine. De electione.

Dixi autem consuetudinem contrariam, quam nouit nec reprimit Superior: quia abusus quos subditi contra leges & mandata Superiorum nituntur introducere, nec ab illo prohibentur, aut puniuntur, propter cautelas quibus illis occultantur, non sunt dicendi cõsuetudo, nec vllam vim habere: At quãdo illo sciente, & consentiente, id est nõ prohibente, nec reclamante solent ciues aliter agere, quam leges præcipiant, etsi priores qui à præscripto legis recedunt, non sint immunes à delicto, alij vero qui vsum, & consuetudinem cum scientia & consensu Superiorũ introductam sequuntur, absque culpa sunt. Alterum est.

AN CLERICI, ET ECCLESIÆ *teneantur eodem pretio census emere, quo seculares, & Layci?*

EX HIS quę superius diximus quęst. 77. articul. 1. Contro. 10. constat teneri etiam Clericos in suis contractibus, & commerciis ciuilibus ad obseruandas leges, & statuta Principis, & Reipubl. & communem vsum fori, ac pretia lege vel vsu fori iusta, non minus quam seculares: Vnde non licet eis alio pretio census emere, quam eo quod secularibus licebit, eo tempore & loco vbi illos constituunt.

Maior autem difficultas existit, circa hæc quæ de pretii censuum inquirimus.

Controuersia. XI.

AN QVANDO CENSVS *constituitur minoris, quam sit iustum pretium illius, contractus sit rescindendus, & nullus? ad Vel sufficiat æqualitatem illum reducere?*

DIXI

DIXI in titulo huius contro. minoris quam sit iustum pretium legis, vel fori, quia si emptor maius pretium venditori census contulerit, vt qui Castellę emeret vnum pro 16. vel 20. aut apud nos emeret 8. vel 10. denarios annuos pro 20. solidis, is certe neque in iudicio audiretur tanquam læsus, vel deceptus, neque in foro animæ venditor esset compellendus ad augendum redditum, quia huiusmodi pretia tam præscripta a lege, quā recepta vsu fori solam (vt diximus) respiciunt vtilitatem venditorum, qui communiter necessitate aliqua cogente vendunt ditioribus huiusmodi census, & iura: & ex consequenti solum efficiunt ne census vilius emātur, minime vero prohibent quin carius vēdi possint. Quemadmodum leges constituētes pretia tritico & similibus rebus, cum solum respiciant ementium vtilitatem, illud tātum prohibent, ne merces illæ carius vendātur, minime vero quin vilius emi possint. Solum ergo hic disputamus de emptore cēsus, vilius emente quam sit pretium legis vel fori: Num quia minoris emat, reddatur contractus inualidus, & nullus? vel sufficiat, vt reducatur ad æqualitatem iusti pretij?

In hac quæstione quid in foro iudiciali & contentioso debeat rectus Iudex decernere, non est mei muneris explicare, maxime cum neque inter Iurisperitos vna sit in hac parte omnium sententia. Existimant enim quidam eorum, ementem censum, qui de nouo instituitur, minoris (etiam si non deficiat infra dimidiū) quā sit iustum pretium, contractum esse nullum. Vbi vero emitur census iam constitutus, rescindendum quidem esse contractum, si defectus accidat infra dimidium iusti pretij, quod si non adeo exorbitet, sed maneat intra dimidium, reducendū esse ad iustum pretium, ita vt quidquid pensionum vltra rationem iusti pretij a creditore acceptum sit, restituatur venditori, vel cōputetur in sortem.

Huius discriminis causam reddunt, quia sicut in proxime præced. contro. ijdem Authores docebant, census qui de nouo instituitur non videtur spectare ad contractus commutatiuos, sed ad fœneraticios, & pensio illa ad interusuria pecuniaria, & propterea sicut contractus, in quo reciperetur aliquod interusurium iniquum & fœneraticium, esset iniquus & inualidus, & tanquam vsurarius rescindendus, ita quoque & census de nouo sub iniusto pretio constitutus; Emptio vero census iam constituti, cum pertineat ad contractus commutatiuos, in quibus venditur res aliqua, & non interusuriū pecuniarium, sicut in omni venditione cuiuscunque mercis, si pretium excedat vel deficiat vltra medietatem iusti, est rescindendus contractus, iuxta L. 2. Cod. De rescindenda vendit. Si vero non excedat a mediate iusti pretij, non est rescindendus, sed reducendus ad rationē iusti pretij, ita quoque in emptione census iam constituti.

Alij verò affirmant, & probabilius certe, In omni censu, siue de nouo instituatur, siue iam constitutus existat, celebrari contractū commutatiuum verę ac realis emptionis & venditionis iuris percipiendi annuum redditum, & ex consequenti in omni emptione cēsus facta sub pretio deficiente a iusto infra dimidium, contractum esse nullum & rescindendum, & omnes redditus vi illius perceptos esse in integrum computandos in sortem: Quod si intra dimidium iusti pretij defectus ille existat, esse reuocandum ad æqualitatem ad arbitrium venditoris, qui in eo deceptus est & læsus. Quam partem dico probabiliorem esse, quia vt vidimus contro. proxime precedenti, distinguere census qui de nouo constituuntur ab eisdē iā constitutis, in quibus eadem est vtilitas & securitas, in genere moris, & contractus, ac iudicio conscientiæ, est fictitia quædam differentia, & nomine tenus, non substātia & effectu: qua de causa similiter iudicandum est de vtrisque, cum iusta, vel iniusta eorum pretia exploramus.

Vnde Ioannes Medina, Dominicus Soto, & Palatius locis superius citatis, & alij Theologi, quibus, quæ iudicium animæ concernūt, commissum est. Sic de proposita quęstione docent. Vt expēdamus prius, An lex circa censum iniusto pretio emptū, aliquid constituat, quia iuxta illius præscriptum erit de illius firmitate vel nullitate iudicandum: Quod si lex nihil certo constituerit, quid optimi rectique iudices, maxime qui Regibus sūt à cōciliis, vel in Supremo Senatu, vel in proprio cuiusque Regni, soleāt in his causis suis Regiis sententiis iudicare: ita vt si plures similiter ab illis eodem modo & tenore latę sint, illæ pro lege habeantur, saltim in foro animæ: Debet enim Theologo esse velut Axima & Regula circa commercia, & contractus humanos, potissime circa pecuniarios mutui, depositi, census, & similes: *Illud in conscientia seruandum esse tanquā iustum, & æquum, quod recti, optimique, & periti Iudices perspecta rei veritate soliti sunt iudicare.*

vare, Qua ratione docet Carolus Molinæus de Vsuris. q. 10. numer. 139. a quo cęteri illud acceperunt, apud Gallos census constitutos ad rationem vnius pro 12. iustos esse, quia sic habet apud illos cõmunis vsus fori Iudicum sententiis cõprobatus. Quod si quis minus emat, nempe ad rationẽ vnius pro 10. vel 11. contractus ille non rescindatur, sed in pœnam defectus iusti pretij reducatur ad rationem vnius pro 15. Quod si iniquitas emptoris tanta sit, vt emerit ad rationem vnius pro 8. vel 9. ita vt pretium deficiat a decima, iudicetur nullus & inualidus: refertque illud in Regiis tribunalibus a multis annis ibi obseruari, veluti ab anno domini 1500. in posterum. Ibi ergo, & vbi similes sentẽtiæ Superiorum iudicum extiterint, sępius eadem ratione latę, habendæ sunt tanquam leges ęquitatis & iustitiæ in censibus: sed ita, vt census & contractus quem iudicant nullum propter exorbitatem illius iniquitatẽ, sit etiam cẽsendus nullus & inualidus in foro animæ iuxta regulã propositã.

Census verò, quem in pœnam iniusti-pretij iudicant reducendum ad pretium multo minus, magisque exiguum, quam sit solitum, & receptum communi vsu fori, debeat ita reduci adueniente iudicis sententia: quia illa iusta est, obligansque in vtroque foro. Ante iudicis vero sententiam & condemnationem sufficiat illum reducere ad pretium solitum, & receptum cõmuni vsu fori: quia reductio illa v.g. vnius pro 15. est pœnalis, ad pœnam vero luendam nullus tenetur, vt docuimus abunde 1. tomo nostrorum commentariorum q.62.artic.3.controuer.1. donec iudicis sententia, & condemnatio accesserit.

Quod si neque ex lege Superiorum, neq; ex optimorum Iudicũ sententiis aliquid circa validitatem, & nullitatem contractuũ censualium decerni possit, obseruandum est in eis, siue de nouo constituantur, siue secũdo, vel tertio iam constituti emantur, quod in emptionibus & venditionibus aliarum mercium habet ferè omnium gentium & nationum consuetudo: cum hic contractus (vt cõstat) sit vera & realis emptio & venditio iuris percipiendi annuum redditũ, in quo huiusmodi ius vere ac realiter est merx, & pecunia quæ ab emptore traditur vere illius pretiũ: Vt si deceptio accidat infra dimidiũ, & adeo miser venditor lædatur, contractus sit nullus, & ipso facto inualidus, debeatq; quidquid pensionum emptor huiusmodi receptum habuerit, coputare in sortem, ita vt si pensiones perceptæ æquentur sorti & pretio, nihil amplius recipere possit, si excedant & superent, debeat venditori excessum illũ restituere, si vero aliquid a sorte desit, debeat illud a venditore recipere, perinde ac si mutuo illud tradidisset sine vllo reddituvel fructu: quia ex cõtractu vel solo dictamine rectæ rationis adeo iniquo nullum potest in foro saltim animæ lucrum comparare. Maximè quod non dubitem peritos & rectos iudices perspecta rei veritate ita iudicaruros, vel forsã acrius, eis poenis illi impositis, quibus vsurarium mulctarent. Etenim cẽsus pretio adeo exorbitanti constitutus censendus potius est ad naturam & rationem mutui vsurarij pertinere, quam ad naturam iniquæ emptionis, & ideo merito tanquam vsurarius puniendus.

Similiter esset iudicandum de censibus deficientibus a iusto pretio, etiam si defectus ille non descẽderet infra dimidium, vbi Constitutio illa Pij V. obseruatur, cum illa aperte definiat, census aliter quam cum illis conditionibus constitutos foeneraticios esse, & & vsurarios: vna autem ex pręcipuis conditionibus illarum sit, vt iusto pretio emãtur. Vbi vero Constitutio illa non obseruatur, vt in Regnis Hispaniæ; si pretium census nõ deficiat infra dimidium, erit in foro animæ, reducendus ad iustum pretium, vel legis, vel communi foro magis receptum & vsitatum, ad arbitrium & electionem ipsius venditoris, qui damnum illud passus est, ita vt nõ sit in facultate emptoris pretij defectum addere, & compensare: quia forsan venditor non vult ad tãtum redditum manere deuinctus, sed debet esse in optione ipsius, vel exigere ab iniquo illo emptore defectum iusti pretij, pręter restitutionem excessus quẽ in pensionibus iam traditis passus est, vel vt excessus ille computetur in sortem, detractoq; illo a sorte quod reliquum sortis fuerit, reducatur ad iustum honestumq; pretiũ: Hac enim ratione inter vtrumq; recta ratio ęquitatis & iustitiæ obseruabitur.

Ex his sequitur tam in Regnis Castellę, quam in hoc nostro Regno Valentino iuxta regulas modo traditas, censum cuius pretium deficiet infra dimidium esse nullum, & inualidum, & omnino rescindendum, & omnes pensiones vi illius perceptas esse computandas in sortem: constitutum vero pretio iniusto, sed quod non deficiant a dimidio, esse reducendum ad iustum pretium, & restitendum excessum pensionum perceptarum ad arbitrium venditoris, In hoc quidem

hoc Regno, quia nulla est lex quæ ita censibus pretium constituat, vt aliter institutos efficiat inualidos, aut nullos, neque iudices de illis & eorum pretiis aliter iudicant quā de emptionibus & venditionibus aliarum mercium. In Regno autem Castellę sunt qui sentiunt (& ex Theologis) censum constitutum minori pretio quam à lege perscripto nimirum minus quam ad 14. pro vno esse contractum ipso facto nullum, lege ita constituente, illumque irritante: at si verba legis illius quæ sexta est titul. 15. libr. 5. nouæ compilationis recte expendantur, non illud docent: habet enim lex illa: *Que las ventas, y contratos, y censos que en otra manera se hizieren: sean en si ningunos: y de ningun valor, y effecto*: Sed subiungit statim, *y no se pueda por virtud dellos pedir, ni cobrar en juizio, ni fuera del, mas de a la dicha razon, y respecto*. Vbi posteriora verba priora explicant, ita vt census minori pretio constitutus sit nullus, ac nullius effectus ad exigendam integram pensionem, sed ad eam tātum quæ iuxta pretium legis debebitur, tam in iudicio quam extra iudicium: nisi adeo defectus ille iusti pretij exorbitaret, vt defueret a dimidio, tunc enim (sicut dixi) contractū adeo iniquum, cum sit ad leges venditionis ille reducendus, nullum & omnino inualidum in foro animæ licet censere: quemadmodum & apud iustos, probosque iudices censetur.

Nunc ad alias conditiones accedamus.

Controuersia XII.

AN OBLIGARE VENDITOREM *census ad solutiones anticipatas. sit iniquum?*

TERTIA conditio quam exigit Pius V. in suo Motu Proprio est, vt non obligetur venditor cēsus ad aliquas solutiones anticipatas. Hęc conditio sanctissime, a Pontif. Exigitur: est enim illa aut de iure naturę, aut saltim iuri naturę maxime consona: Etenim si huiusmodi pacta de anticipandis solutionibus semel in hoc contractu admittātur, cum non soleant homines vendere census, & huiusmodi onera sibi suisque bonis imponere, nisi aliqua necessitate compulsi, modo habeant pecunias in promptu ad illam leuādam, obligarent se ad anticipandas solutiones, quantum cupiditas emptorum optaret: sicque mille modis illos vexarent, ac opprimerent: repugnat autem iuri naturæ, vt contractus quos Respub. admittit, vt per eos homines propriis subueniant necessitatibus, in eorum, qui illas patiuntur, maiora grauamina, & damna conuertantur; sicut repugnat eidem iuri ac rectę rationi, vt quod pro charitate, vel iustitia institutum est, contra charitatem vel iustitiam hominum vitio debeat militare.

Præterea in hoc pacto contineretur manifesta iniustitia: Nam cum debitum soluendi censum in hoc contractu sit per singulos annos, ideo namque dicitur proprio nomine annuus redditus, propriaque obligatio venditoris ex natura talis contractus sit, per singulos annos illos redditus, quos pro ratione pretij aliter emit, illi reddere, pactum anticipandę solutionis est obligare venditorem ad soluendum quod nondum deberet, quod ius naturę, & omnis recta ratio negat.

Ad hęc, cum illa obligatio anticipandę solutionis sit pretio ęstimabilis, venditor census plus aperte redderet, quam vleat pretium quod recipit: quia reddit pensionem & obligationem illam anticipandi eam.

Ex his sequitur, Primo, hanc conditionē vbique seruandam, cum ea quę iuris naturæ sunt, aut illi maxime consona omnes obligent. Secundo, contractum cum tali pacto initum esse ipso facto nullum, nullūque ius tribuens emptori, quia pacta, quæ naturę cō tractus cui apponuntur, omnino repugnāt, non solum ita vitiant illum, vt efficiant iniustum, verumetiam inualidum & nullū: hoc autem pactum vt constat; repugnat naturæ census, cum sit proprie emptio annui redditus, pactum vero anticipandæ solutionis efficiat ne redditus ille sit vere annuus, id est post decursum singulum quęque annum, sed citius plus iusto, & quam natura contractus patitur.

Posset autem huiusmodi pactum ex mutuo & libero vtriusque contrahentis cōsensu apponi, emptore pretium augente propter illam obligationem, quantum prudens & peritus iudicaret obligationem illam ęstimari debere, ac ita vt venditor nullum propterea damnum, vel detrimentum patiatur, quod non compensetur illi. Quod intelligēdum est in Prouinciis, & locis, vbi Constitutio ista Pij V. non obligabit, nam vbi illa recepta est, & obligat, nullomodo neq; aucto pretio illud licebit, lege ista illud omnino prohibente.

Controuersia XIII.

AN RENVNTIATIO CASVS *fortuiti in contractu census sit licitus.*

QVARTA conditio iuxta constitutionem Pij V. est, ne vllus cõtrahentium teneatur ad casus fortuitos, præterquam ad eos qui naturę contractus conuenerint. Hæc conditio, sicut & aliæ in eadem Constitutione Apostolica contentæ, vbi illa obseruatur, necessaria est in censibus: vbi vero illa recepta nõ est, nec in vsu, necessaria non est. Quia licet inter Iurisperitos controuersum sit, an possit fieri renuntiatio exceptionis casus fortuiti in genere, vel debeat fieri in spetie, huiusmodi tamen renuntiationem fieri posse iuxta humana iura docet abunde Nauar. in cõmento illo de Vsuris num. 90. Ex quo sequitur, nec repugnare iuri naturę, nec continere proximum periculum vsuræ. Quo fit, vt vbi Constitutio illa Pij V. non obseruatur, & leges patriæ illud non prohibent, possit ita constitui census, vt venditor obliget seipsum ad exoluendam semper annuam pensionẽ, etiam si res cui census ille a principio impositus fuerit, pereat, donec ipse, ex facultate quã vendentes census redimibiles habẽt, illum libere & ex suo beneplacito redimat: Imo cum in omnibus fere censibus huius generis prima, & præcipua obligatio personalis sit, (vt superius vidimus contro. 5.) in huiusmodi contractibus, esto non exprimatur, implicite tamen obligant se communiter venditores ad istos casus fortuitos, nẽpe vt etiam si res, cui census imponitur, pereat, debeant nihilominus, quia manet semper illis obligatio personalis, redditum annuum soluere.

An autem possit ita census constitui, vt vẽditor seipsum obliget, ad reddendum pretium quod acceperat, si res illa cui fuerat impositus, perierit, facile explicari potest. Nã cum ex natura sua contractus hic, quia emptio est illud necessario habeat,, vt pretium redditum sicut in omni alia venditione transeat in absolutum, merumque dominium vẽditoris, non potest obligari, siue res illi subiecta maneat, siue pereat, ad restituendũ pretium: conuerteretur enim iam per tale pactum in mutuum vsurarium, & desineret esse census, aut saltim sicut in proxime preceden. conditione dicebamus, reciperet emptor a venditore vnico pretio tradito & ius percipiendi annuam pensionem, quandiu res illa maneret, & obligationem restituendi sibi pretium vbi illa periret, quę obligatio digna est alio pretio distincto. Quod certe est iniquum, & in illis Extrauagantibus Martini V. & Calixti III. prohibitum. Quare poterit quidem, vbi census hi redimibiles constituuntur pretio cõmmuni & solito, obligari venditor illius ad casus fortuitos hac ratione: Vt quamuis res censui subiecta pereat, teneatur nihilominus annuam hanc pẽsionem reddere, vt communiter in his censi implicite fit, in quibus pręcipua obligatio personalis est. Ad casum verò fortuitum, nempe, vt re censui subiecta pereunte teneatur pretium reddere, obligari nõ potest, nisi præter commune, & solitum pretiũ census, eidẽ venditori pro illa obligatione aliud pretium iustum, & honestum, arbitrio peritorum, & prudentium taxandum, conferatur.

Hæc autem omnia intelligenda sunt, quãdo census de nouo constituitur & emitur, nam vbi emptor ipse illum alteri secundo, vel tertio vendit, neque ista Constitutione Pij V. neque vllo iure humano, vel naturali prohibetur, quin seipsum obliget ad casum fortuitum quo periret census ille, nempe ad illum tuendum, efficiendumque semper validum, & firmum: quod communiter dicitur, teneri illum de euictione. Ita Nauarrus in commento citato num. 133. Quia nec Constitutione ista Pij V. nel vllo iure tollũtur, quæ sunt naturalia & propria cõtractui emptionis & venditionis, quale illud est, vt venditor maneat semper obligatus de euictione rei venditę. Vt habetur L. Si fundus. Et toto tit. ff. De exactionibus. Et L. Pacta cõuenta. iũcta Glosa. ff. de Contrahẽ. empt. Cũ ergo hęc obligatio omni emptioni & vẽditioni insit, nihil prohibet, quin illa exprimatur in contractu census antiqui, qui alteri venditur, iuxta commune proloquium & regulam Doctorum, *Eorum quæ tacite insunt, expressio nihil nocet.*

Non erit alienum ab instituto explicare hoc loco occasione huius quartę conditionis.

Controuersia. XIIII.

LICEAT NE IN CONTRA- *ctu census exigere fideiussores, vel pignora, aut apponere conditionẽ adeo in hoc Regno Valẽtiæ vsitatam, vt teneatur vẽditor post quatuor annos nouã hypothecã, siue specialem obligationẽ assignare?*

QVAE-

QVAESTIO hæc nostris temporibus fuit maxime agitata, in variasque sententias vidimus tã Theologos quam Iurisperitos diuidi: nec mirum, quia difficilis est, propter maximam speciem mali & iniquitatis quam videtur habere pactum istud.

Ludouicus Lopez libr. 1. sui instructorij negotiatorum: cap. 57. Constituit prius quatuor de causis posse fideiussores, vel pignora in contractu cẽsus postulari, imprimis ad parandam securitatẽ, ita vt casu quo res sub posita censui pereat, maneant fideiussores, vel pignora illa solutioni census obnoxia: Secundo, vt si venditor census efficiatur impotens ad soluendum, vel sit in mora, liceat emptori ad fideiussores, vel pignora illa, se conuertere: Tertio, vt emptor maneat securus, casu quo res sub posita censui timeretur esse aliena, vel aliis oneribus grauata. Quarto, si præter hæc damna aliqua alia timeantur in possessione illa occurrere posse, propter quę census illi impositus efficeretur minus securus.

His positis per quasdam conclusiones & cõsectaria suam proponit sentẽtiam. Docet ergo imprimis, non licere in contractu cẽsus exigere fideiussores, vel pignora, ita vt re censui subiecta pereunte, possit emptor census ad illos fideiussores, vel pignora recurrere. Quod probat authoritate Nauarri illud docentis in commento de vsuris num. 83. Et ratione: Quia census est emptio & venditio, repugnat autem naturę venditionis, vt venditor seipsum & bona sua obliget in securitatem census ab alio empti, cũ de natura emptionis sit, vt periculũ rei emptę maneat penes ipsum emptorem, & illi pereat, quia per emptionem est iam effectus verus illius rei dominus, quidquid autem perit, domino suo perit. Et ita habetur in iure, toto titul. ff. & Cod. de periculo & commodo rei venditæ. Secundo, quia aliud est venditorẽ teneri de euictione rei quæ censui subiicitur, si ab ipso euincatur: Quod est iustum & consonum naturę contractus, vt habetur tot tit. de euictio. ff. & Cod. Et cap. fin. De emptio. aliud vero teneri venditorem ad securitatem rei venditę, quod repugnat naturę cõtractus venditionis. Quamuis alio inquit contractu distincto, nempe assecurationis, posset emptor cum eodem venditore conuenire de securitate census, peculiari & distincto pretio illi reddito, pro ratione illius assecurationis arbitrio prudentum iusto. Nõ tamen explicat author hic, quando non liceat emptori census recurrere ad fideiussores, vel pignora, re illa censui subiecta deperdita, Num vbi illa sola deperditur? vel cum omnia quoque alia bona venditoris pereunt? Quia si intelligat cum res illa sola deperditur, manent autem venditori census alia vnde soluat recte docet, tunc enim iniquum esset recurrere ad fideiussores, vel alia pignora: at si omnia bona venditoris ita perierint, vt non sit soluendo, licet profecto tunc ad fideiussores recurrere, vel ad alia pignora, cum in hunc finem illa offerantur, vt statim docebimus.

Habet secundo, iniquam esse consuetudinem eorum, qui pręter specialem hypothecam postulant a venditore census generalem omnium bonorum illius obligationem, affirmatque per Extrauagantes illas damnari: Vbi si loquatur de Motu proprio Pij V. verum docet, si vero de aliis Martini V. & Calixti III. falsò illud affirmat. Quia vt sępe diximus, Extrauagantes illæ probant quidem census constitutos cum conditionibus ibi relatis, minime vero definiunt illas ita necessarias esse, vt constituti sine illis iniqui sint & illiciti. Vnde, vbi Constitutio Pij V. obseruatur, non licebit alia bona obligare pręter rem illam immobilẽ & fructiferam, quæ censui subiicitur: at vbi illa non obseruatur, licet rem vnam obligare in specie, & cętera omnia bona in genere: imo cum stando in iure naturæ prima & pręcipua obligatio in huiusmodi censibus sit personalis, esto res aliqua in specie censui subiiciatur, manent nihilominus simul cętera omnia bona personę illius simul obligata, etiamsi non exprimatur.

Docet tertio, & vere, posse in hoc contractu emptorem exigere a venditore census pręter specialem obligationem, & hypothecam fideiussores, & pignora, tam ad securitatem pensionis suo tempore soluendæ, quam ad securitatem rei censui subiectæ, vt maneat indemnis si forsan res illa ab altero euincatur, vel aliis oneribus, aut antecedentibus censibus subiecta sit, vel aliis damnis, & periculis in detrimentum emptoris exposita, & obnoxia appareat. Quod ita licere ostendit, & recte, quia licet vnicuique se ipsum seruare indemnem, vt quemadmodum venditor optimam, probatamque recipit pecuniam in pretium, ita & emptor rem sibi securam, & vtilem emat, nec a venditore

decipiatur, quod non repugnat naturæ contractus, imo illi maxime consonum est.

Docet quarto, vbi possessio, quæ tempore contractus assignatur censui, est omnino secura, illudque certò constat, ita vt nulla laboret suspicione in contrarium, estque sufficiens, vt sors tanti census illi imponatur, postulare vt preter huiusmodi hypothecam adeo securam, & sufficientem, teneatur venditor post quadriennium aliam de nouo offerre, vel restituere pretium, esse iniquum, & illicitum, ac repugnare naturę huius contractus. Primò, quia exigere duas speciales obligationes & hypothecas, quarum vnaquęque vel se sola satis sufficiens est, aduersatur iustitię: cum ex natura contractus emptor nihil aliud exigere possit, quam debitam securitatem, qua seruetur indemnis, ad quam abunde sufficit prima illa hypotheca, vt constituimus. Secundo, quia cum talis obligatio sit pretio ęstimabilis, & extra propriam rationem huius contractus (cum ad illius securitatem sufficit prior illa at in limine contractus assignata) obligare venditorem ad offerendam aliam post quatuor annos, est re vera exigere ab illo aliquid pretio æstimabile, quod est extra rationem & propriam naturam contractus, & ex consequenti iniquum, & vsurarium. Qua parte verum quidem hic author docet, efficaciterque istis rationibus illud confirmat.

Docet vltimo, vbi dubium fuerit, & suspectum, an illa specialis obligatio in limine contractus designata sit grauata aliis oneribus, conditionem istam, vt teneatur venditor census aliam de nouo, qua efficiatur securus, post quadriennium conferre, vel pretium census restituere, illumque diluere, ac redimere, si ius tantum naturæ respiciamus, esse suspectam de vsura, si verò constitutionē Pij V. esse prohibitam: Quod pertinet (inquit) ad constitutionem Pij V. perspicuum est, cum dicat: *Pacta etiam continentia pretium census ab inuito, aut ob pœnam, aut ob aliam causam repeti posse, omnino prohibemus, contractusque sub alia forma post hac celebrandos fœneraticios iudicamus.* Vbi Pontifex ex nulla causa vult posse constitui pactum, quo venditor possit compelli ab emptore ad diluendū, & redimendum censum. Quod autem stando in solo iure naturę contractus, cui hoc pactum apponitur, sit maxime suspectus de vsura, ostendit, quia multi possent contingere casus, in quibus miser venditor, eo quod non posset aliam securiorem hypothecam assignare, cogeretur ex vi huius contractus, & pacti restituere emptori pretium quod acceperat cum lucro, nempe cum pensionibus per illos quatuor annos ei redditis: quod certe vsurarium est, cū hac ratione perinde profecto se haberet emptor iste, ac si contulisset venditori pecuniam cū lucro post quadriennium recipiādam: Repugnatque maxime naturæ huius contractus, qui est vera venditio, cum in omni venditio ne pretium sic transeat in plenum absolutū que dominium venditoris, vt non teneatur illud restituere ementi, neque possit ad id compelli.

Carolus Molinæus de vsuris quæstio. 8. numer. 431. disputans de pacto, seu vulgari clausula in huiusmodi contractu Galliæ apponi solita, qua venditor promittit hypothecas in futurum fore idoneas, habet hęc tria, quę ad intelligentiam huius quęstionis plurimum faciunt. Primum est, Quando census non est limitatim constitutus in aliquo certo prędio, & possessione, sed simplicitur in omnibus bonis, esto ex illis aliqua sint illi censui specialiter hypothecata, clausulam illam, & pactionem, qua venditor promisit hypothecas in futurum fore idoneas, nihil operari, ad quod iam non teneatur venditor ex natura huius contractus: Quia per huiusmodi clausulam non obligatur venditor, vt si perierint omnia bona illius, tam ea, quę illi censui in specie hypothecata fuerunt, quam cætera, quibus in genere fuerat census ille impositus, nisi alias hypothecas, vel fideiussores obtulerit, teneatur censum redimere. Primo, Quia pretium, & sors illi tradita omnino, & perpetuo est ab emptore alienata, ita vt nunquam possit, neque directe, neque indirecte ab illo repeti, sed transierit in solum absolutumque omnino venditoris dominium. Secundo, quia huic periculo emptor seipsum ex natura huius contractus, qui vere emptio est, exponit, vt empto semel, ac constituto huiusmodi reditu, quamuis bona venditoris ipsi venditori pereant, (quoniam & post constitutum censum manent verus illorum dominus) nihilominus non possit emptor compellere venditorem ad restitutionem sortis, quę illius fuit omnino effecta, neque ad nouam assignationem hypothecę, quasi nouam constitutionem census.

Docet secundo, Siquidem venditor census tēpore cōtractus decipiat emptorē, affirmās se esse soluēdo, cū non habeat vnde redditū soluat,

soluat, aut mentiatur possessionem quam offert suam esse, cum sit aliena, vel liberam cũ aliis oneribus in damnum emptoris sit grauata, posse ab illo tanquam doloso venditore exigere vel fideiussores, vel hypothecam optimam & sufficientem, vel vt redimat cẽsum, soluatque simul pensiones decursas: quia non debet fraus & dolus, quo vsus est, illi patrocinari in damnum alterius, qui bona fide emit ab illo censum.

Docet tertio, quando venditor non constituit censum in omnibus bonis suis, sed limitatim. & in specie, ac in particulari in aliquo certo fundo, & possessione, clausulam illam rectè ac iustè adhiberi in hoc contractu, operarique hæc duo: Primo vt ratione huius clausulæ, teneatur venditor etiã si fũdus ille pereat, vel sterilis inutilisque omnino efficiatur, non quidem ad restitutionem sortis & pretij, sed ad solutionem redditus ex aliis bonis, quia quod promisit hypothecas in futurum fore idoneas, non promisit quasi obligans se pereuntibus illis ad restitutionem sortis, cum naturę contractus illud repugnet, conditiones autem repugnantes naturæ contractus habendæ sint pro nõ appositis, sed quemadmodum hypotheca illa fuit assignata, vt emptor de solutione pensionis sibi debitæ esset securus, ita clausula, qua promisit venditor illam in futurum fore idoneam, solum etiam respicit securitatem eiusdem solutionis, & illam operatur, minimè vero restitutionem sortis & pretij prius accepti. Secundo vt successor in illo fundo & possessione specialiter hypothecata teneatur etiam ad eundem redditum persoluendum, maxime admònitus de illo onere & debito, quia nisi de eo admoneatur, tenebitur ad redditum illũ primus vẽditor, aut saltim poterit successor, quidquid ratione illius oneris persoluerit, a priori uenditore vel illius heredibus exigere. Ex quibus aperte liquet iuxta Molineũ (Qui si tantum habuisset religionis & fidei, quantũ habuit in his eruditionis & peritię, melius illi fuisset) in hoc contractu nullo pacto nullaq; de causa posse obligari venditorem cẽsus ad restitutionem pretij accepti.

Doctores quos superius retulimus controuers. 1. huius articul. opinione 3, cum existiment censum esse emptionem partis fructuum, eius rei cui ille imponitur, iudicant simul, aut saltim debent iuxta illam opinionem sentire, & asserere, in censu de quo hic loquimur, iniquum esse exigere a venditore illius fideiussores, vel pignora, aut nouam obligationem & hypothecam. Quod ex illa sententia ita probatur. Cum census sit emptio partis fructuum rei cui imponitur, obligatio ex illo consurgens est realis, fideiussoris verò, aut pignorum, vel nouæ hypothecę traditio solum habet locum, quando obligatio est personalis, ergo in hoc contractu census illa non habet locum.

Secundo, si in hoc contractu haberent hæc locum, nempe fideiussor, pignus, vel alia noua hypotheca, certe traderentur ad assecurandos fructus illius fundi, qui per contractum census emuntur; at huiusmodi assecuratio, & cautio rei adeo incertę prohibetur in iure variis in locis, maxime. L. Non moriturum. Cod contrahend. & committend. stipulatio. vbi Cæsares Dioclétian. & Maximian. ita rescripserunt: *Non moriturum præstari seruum impossibilis promissio est.*

Denique periculum rei emptæ ex natura contractus emptionis, perfecto consumatoque contractu non pertinet iam ad venditorem sed ad emptorem. l. final. Cod. De periculo & commod. rei venditæ. l. Necessario. eodem tit. l. Si emptione. §. si emptio. ff. De contrahend. emptio. & multis aliis legibus, ergo venditor census non tenetur tradere emptori illius in securitatem fructuũ, quorum periculum ex natura contractus debet iam ad ipsum emptorem pertinere, securitatem aliquam per fideiussores, aut pignora, aut nouam hypothecam.

Alij vero qui censent & multo probabilius, ac verius, censum non esse emptionem fructuum rei, quæ censui subiicitur, sed iuris percipiendi annuum redditum, siue in pecunia, siue in fructibus ille persoluatur, quorum sententiam eadem controuersia prima huius articuli vltimo loco retulimus, docent recte ac iuste fideiussorem, & pignora habere locum in censu. De hypotheca vero, an pręter illam quæ a principio, & in limine contractus assignatur, possit constitui pactum, vt post quadriennium, vel aliquo alio tempore debeat venditor aliam assignare, quæ consuetudo adeo in hoc nostro Regno inoleuit, nihil docent, cum hoc pactum apud alios non sit in vsu, pręter clausulam illam quam ex Molinæo diximus Galliæ apponi in scriptura huius contractus, quæ clausula continet quidem securitatem recipiendæ solutionis, vt ex eodem vidimus, minime vero exhibendi fideiussorem,

rem, vel pignora, aut nouam hypothecam.

Noster Petrus Belluga in suo speculo Principum Rubric. De censualibus nu. 12. habet hæc. 3. Distinguit primo hunc contractum cẽsus ab emphyteusi, eo nomine quod emphyteusis in re certa, ac definita, immobili, & fructifera imponatur, obligatione tantum reali, & trãseunte in quemcunque illius rei possessorem, censum vero redimibilem cum sola obligatione generali omnium bonorum, quę obligatio personalis est, sustineri posse. Infertque non solum ex mutuo, verumetiam ex censu obligationem personalem oriri: Vnde (inquit) in censu duplex obligatio reperitur, personalis, qua venditor tenetur nomine proprio ex quibusuis bonis pensionem soluere, & hypothetica qua bona sua censui subiecit.

Secundo ait, neutra istarum obligationũ dari emptori census actionem ad recuperandum pretium, & compellendum venditorẽ ad illum redimendum, propter rationẽ sæpe hic repetitam, quia contractus hic est vera, ac realis venditio, de cuius propria, & intrinseca ratione est, vt pretium illius trãseat perpetuo in absolutum plenumque dominium venditoris. Nisi in vnico (inquit) casu, nimirum ex defectu specialis obligationis, vel quia debitor sit effectus non soluendo, idque non ex natura ipsius cõtractus, sed quia emptor præuidens periculum, vel non recipiendæ pensionis, vel interitus ipsius censu, conuenit cum venditore de pacto illo, & clausula, siue conditione, quæ dicitur in iure *de faciendo habere, licere, tenere, & possidere*: virtute cuius tenetur venditor census ad efficiendas hypothecas securas, vel semper idoneas, aut nisi illud præstiterit redimere censum ratione istius clausulę, & conditionis.

Ex his colligit tertio Iurisperitos huius Ciuitatis & Regni qui Iudicibus assident, & quorum concilio illi sententias ferunt, iustè pronuntiare, quando pręcipiunt, vt venditor census, qui aliquam obtulit specialem obligationem, si fuerit illa ab alio euicta, teneatur ad redimendum censum illi impositum, vel si facta discusione in bonis illius deprehendatur non esse soluendo: Aut quãdo non iubent absolute re euicta pretium cẽsus restitui, sed sub distinctione, nimirum vel illud restitui, vel tradi aliam rem æquivalentẽ in specialem obligationem & hypothecam, iuxta ea quę habentur in l. Si quis. ff. De conditione causa data. Et in Capit. Ecclesia Sanctę Marię. *El segundo*. Vt lite pendente nihil. Vbi admonitos opto Iurisperitos nostros, apud quos Petri Bellugę in his magna est authoritas, & merito, nunquam illum asserere, vt in limine & ipso tempore contractus posßit absolute, & in vniuersum, ac semper apponi iuste ista clausula de offerenda & tradenda post quadriennium noua hypotheca, & speciali obligatione; Sed hoc tantùm, vt teneatur venditor de faciendo habere, licere, tenere, & posßidere; quæ clausula (vt dicebam) eadem est omnino cum illa quam dixit Molineus loco citato esse in vsu apud Gallos, vt venditor promittat in constitutione census, hypothecas quas tradit in futurum fore idoneas, quasi dicat sibi incumbere, vt illæ firmę semper sint, ac validæ: quãuis hoc inter Molinæum & nostrũ Bellugã intersit, vt ille virtute illius clausulæ sentiat quidem venditorem census semper teneri ad solutionem pensionum, quando ille in specie huic vel illi tantum possessioni & hypothecę impositus est, nunquam verò ad redimendum censum, esto hypotheca pereat, vel euincatur: coueniunt tamen in eo, vt neuter eorum doceat clausulam de offerenda noua hypotheca post quadriennium esse iustam, vel rationi aut iuri consonam.

Nos vt tam circa fideiussores, & pignora, quam circa illam clausulam de faciendo habere, tenere, & posßidere, quam in particulari circa hanc, cuius tam frequens est vsus in hac Ciuitate Valentina, de tradenda noua hypotheca post quadriennium, quod verius ac probabilius censemus, apertius explicemus.

Obseruemus primo, cum res quæ emuntur duplices sint, alię quæ statim & ipso tempore contractus, tam de iure, quam de facto traduntur, vt cum emuntur triticum, vinum, panis, merces lineæ, & similia, quæ iam actu existunt, quando venduntur: Aliæ verò, in quas traditur quidem ius emptori tempore contractus, nontamen res ipsæ, quia nondum actu existunt, nec sunt presentes, sed futuræ, & in potentia tantum. Inter eas hoc interesse, vt cum priores illæ, tam de iure, quam de facto transeant omnino in dominium ementis, ita vt nihil earum maneat penes venditorem, periculum illarum ad solum emptorem pertineat, illique soli pereant, apud quem iam omnino existebant: qua de causa iniquum esset, huiusmodi rerum quę plene, & perfecte traduntur emptori, aliquam

quam securitatem circa illos a venditore postulare, sicut esset iniquum, accepto actu integro rei quæ venditur pretio, aliquam securitatem solutionis exigere ab emente. Et de huiusmodi rebus loquuntur omnia illa Iura, in quibus habetur periculum rei emptę perfecto absolutoque cōtractu ad emptorem spectare. Posteriores verò, cum non cōferantur actu, & ipso tempore venditionis secundum se suamq; substantiam emptori, sed solum secundum ius, quod ius licet tribuat actionem in rem illam, minime vero actualem illius possesionem, posśintque vel culpa & vitio venditoris, vel aliqua alia ratione varia impedimenta occurrere, quibus habens illud ius non recipiat suo tempore rem quam emit, & actualem illius traditionem & possessionem, cuius ipse actu & fideliter integrum totumque pretium iam contulit: quo iure licet vnicuiq; se ipsū indemnē seruare, & damnis quę in contractu quem exercet euenire possunt occurrere, eodem omnino licet, vbi per emptionem quā exercet, solum recipit ius, minime vero rem, nisi decurso aliquo tempore, securitatem exigere actualis receptionis illius, ne pecuniam suam & pretium frustra contulerit, venditore infideliter vel negligenter se habente, ac vt in prouerbio habetur *oleum simul & operam perdat.*

Emit Petrus a Ioanne ius in fructus, quos fūdus eius anno sequēti feret, aut lanas post semestrem tondendas, redditque statim velut anticipata solutione illorum fructuum, vel lanarum, iustum, integrumque pretium: periclitatur verò vel ob infidelitatem aut negligentiam Ioannis, aut aliquo alio casu ne fructus illos vel lanas recipiat, quid magis ęquitati & rationi consonū, quam posse Petrum exigere a Ioanne, cui iustum integrumque pretium iam actu contulit, vt rerum illarum quas nondum recipit nisi solo iure, de facto verò & quo ad substantiam manēt apud ipsum Ioannem, debitam illi conferat securitatem? Confirmat illud recepta vbique terrarum inter prudentes probosque viros & obseruata consuetudo, exigendi securitatem rerum quas in futurum emunt recipiendas: esto statim conferatur eis ius in illos, vbi de illarum receptione prudenter potest dubitari. Hoc primum fundamentū adeo perspicuū est, vt maiori probatione non egeat.

Obseruemus secundo, Cum hoc ius exigendæ securitatis a venditione circa rem, quę recipitur quidem statim de iure, non tamen de facto, nascatur ex iure naturali, quo licet vnicuique seipsum indemnem seruare, in contractu quem exercet, vbi aliqua pericula imminent, in contractibus vero humanis & ciuilibus ea tantum censenda sint dāna imminere, quæ peritus & prudens timeret, minime vero quę quilibet contrahens ex ingenij sui pusillanimitate, vel ex prauo cupiditatis suę affectu suspicatur: Consequenter non licere ementi, vbi prudens & peritus nullum censeret imminere periculum, aliam securitatem a venditore exigere, preter eam, quam in limine contractus sufficientem iudicauit: Vbi autem prudenter iudicabitur damnum aliquod occurrere posse, licebit quidem securitatem exigere, non tamen ea, quibus, iniquitatibus, vel vsuris via paretur, maxime in contractibus, in quibus facilis est ad vsuram transitus, sed ea solum, quibus illi periculo & damno occurratur. Ratio est apertissima: Quia cum omnis facultas nascatur ex aliquo iure iustaque causa, non potest illa amplius extendi, quam ius illud & causa contulerit: facultas autem exigendi securitatem in contractibus nascitur ex iure naturali, quo licet vnicuique se ipsum seruare indemnē, non poterit ergo hæc facultas nisi ad ea tantum extendi, quibus opus fuerit, vt contrahens seruetur indemnis circa rem, quam emit, vel vendit.

Ex his fit prima Conclusio. *Quando census, ita constituitur in re aliqua immobili, & fructifera, vt peritorum, prudentum iudicio nullum immineat periculumq;, vel non recipiendi annuum redditum, vel interitus ipsius census, iniquum est aliam securitatem a venditore illius exigere, ita vt neque fideiussores, neque alia pignora, vel hypothecam emptor iuste postulare possit.*

Patet ex fundamentis positis. Propterea enim potest emptor securitatem exigere, quia potest, vbi periculum imminet, illi occurrere, & seipsum seruare indemnem: at vbi census ita constituitur, vt peritorum & prudentum arbitrio nullum immineat periculum, censendum est nullum ibi imminere, quia in his illud censendum est certum & firmum, vel incertum & dubium, quod prudens iudicauerit, non quod huius vel illius contrahentis ingenium, cupiditas, vel dolus suspicabitur: ergo in casu huius conclusionis iniquum est aliquam aliam securitatem exigere, preter primam illam hypothecam in limine contractus oblatam, & traditam.

Secundo. Sicut argumentabatur Molineus, Iniquũ est in eiusdem rei securitatem duas vel plures hypothecas postulare, quarũ vnaquęque se sola sit abunde sufficiens, sed prima illa oblata & tradita tempore contractus est sufficiens, ergo iniquum est aliam exigere, vel fideiussores, aut pignora.

Denique in emphyteusi, propterea inter alia nõ habet locum fideiussor, vel pignus, aut alia hypotheca, pręter rem emphyteusi subiectam, quia per illam dominus directus, eo ipso quo habet directum illius dominiũ, habet simul plenam sui redditus securitatẽ, ergo & in hoc casu, vbi per primam hypothecam habet emptor census plenam securitatem, non potest absque iniquitate & iniuria miseri venditoris aliam ab illo exigere. Vnde damnanda maxime est, & quæ Iudicũ authoritate prohiberi deberet tanquam maximẽ iniusta, & iniqua quorundam nostrorum tabellionum praua consuetudo, qui in vniuersum & promiscuè in scriptura & instrumento cuiuscunque census, esto rei immobili, fructiferæ, & sufficientissimę imponatur, adhibent nihilominus clausulam de offerenda post quadriennium noua hypotheca.

Secunda conclusio. *Quando census ita instituitur, vt licet imponatur rei immobili & fructiferæ, peritorum tamen & prudentum iudicio aliquod imminet probabile periculum, vel non recipiendæ solutionis, aut interitus ipsius census, licet ementi exigere a venditore in sui securitatem fideiussores, vel pignora, quatenus peritorum etiam & prudentum arbitrio ad securitatem recipiendæ solutionis, pro ratione talis census, & aliarum circumstantiarum censebitur desiderari.*

Ita docẽt & rectè multi viri periti tam ex Theologis, quam Iurisperitis. Dixi ad securitatem recipiendi redditus & solutionis, quia (vt statim dicemus) ad redimendum cẽsum, non potest venditor, qui non decepit emptorem, vlla de causa obligari, nec licet ex consequenti securitatem ab ipso exigere respectu redemptionis census, sed solius pẽsionis fideliter reddendæ.

Qua ratione intellecta conclusio probatur ex fundamentis positis. Iure naturæ licet vnicuique seipsum seruare indemnem a periculo non recipiendi rẽ emptã, quam nõ statim nec actu accipit, sed in contractu census emitur quidẽ ius in annuũ redditũ, qui non recipitur nisi in futurum, futura autẽ possũt hominum iniquitate & dolis defraudari, ergo vbi peritorum & prudentum iudicio tale periculum extiterit, æquum est, vt liceat emptori census seipsum seruare indemnem, & reddere securum, hoc autem non potest nisi postulando a venditore, vbi res dubia est, congruentem securitatem per fideiussores, vel pignora, ergo licet.

Et confirmatur. Census est vera & realis venditio iuris in annuum redditum, vnde si respicias rem venditam, nempe istud ius, cũ illud possit expositum esse variis damnis & impedimentis, vbi vere illa imminent, licebit securitatem eius exigere: Si vero respicias contractum ipsum, illud quoque non repugnat. Quia emptioni & venditioni non repugnat accedere fideiussores, vel pignora, vt docent lex 1. & 2. ff. de fideiusso.

Secundo. Ratio potissima, propter quam quidam existimant, in censu non posse habere locum fideiussores, vel pignora, ea est, quia putant obligationem quę consurgit ex hoc contractu esse realẽ, & nullo modo personalem, at vt constat ex superioribus, iuxta sententiã Conradi, Medinæ, Soto, Michaelis de Palatio, & communem Theologorũ, quã etiam amplectuntur Couar. Ioan. Garcias, Molinęus, & multi Iurisperiti, potissima & pręcipua obligatio ex hoc contractu consurgẽs personalis est, ergo vbi prudẽter ac probabiliter aliquod imminet in ea periculum, licebit fideiussores, vel pignora postulare, sicut in quacunque alia obligatione personali, de cuius fideli executione prudenter dubitabitur.

Denique in censu non emitur res cui imponitur, sed ius illud percipiendi annuũ redditum, res autem cui imponitur traditur tanquam fideiussor, vel pignus in securitatem, sed quando res quæ datur in hypothecam, se sola non est sufficiens ad reddendum censum omnino securũ, potest in ipso limine cõtractus alia exigi, qua reddatur securus, ergo potest similiter exigi, vbi res dubia est, fideiussor, vel pignus in eundem finem.

Ex hac conclusione sequitur. Primum illud dictũ Ludouici Lopez initio huius quæstionis relatũ falsum esse: Vbi asserit, nõ licere in cõtractu cẽsus exigere fideiussores, vel pignora, ita vt re cẽsui subiecta pereũte possit emptor ad illos recurrere: Cõstat enim vẽditorẽ posse obligari per fideiussores ad securã traditionẽ rei emptę, quã nõ statim emptori tradit, sed solum ius in illam. Quo fit vt cũ census vẽditio sit & nõ actualis traditio annui redditus, sed solius iuris in illũ in futurũ exhibendũ, possit a vẽditore per fideiussores vel pignora illius securitas postulari. In his enim & similib⁹ rebus, quę actu nõ tradun-

traduntur, sed emuntur velut in potentia, periculum rei emptæ penes venditorem est, apud quem illa manet: qua ratione argumenta illius nullam habet vim, sed possunt in hoc contractu recte & tuta consciencia fidei iussores interuenire, posteq; emptor ad illos recurrere, vbi venditor census non fuerit soluendo, sicut in omnibus aliis contractibus, in quibus illi offeruntur ad securitatem contrahentium.

Tertia conclusio. *Quando venditor census cũ fraude & dolo offert in hypothecam rem immobilem, & fructiferam, vt domum, fundum, vel quid simile tanquam rem suam, & quam ipse, vt sibi propriam tradere potest, & subiicere censui, deprehenditur autem deinde esse aliena: vel offert in hypothecam, siue cum fraude, siue cum bona fide rem multis oneribus, vel anterioribus censibus, aut vinculis grauatam, tanquam liberam & omnis oneris census vel vinculi expertem, cum primum deprehenditur illa non esse libera, potest compelli (esto a principio non fuerit inter eos conuentum) vt aliam tradat liberam & propriam, cui census ille commode ac secure imponatur, vel ad redimendum censum, sub optione ipsius venditoris.*

Sunt qui existiment, si census imponatur super re aliena, & postea euincatur, posse emptorem libere recuperare pretium quod dedit, ac interesse sibi debitũ ratione illius euictionis. Ita Felicianus Solis de censibus libro. 1. c. 4. nu. 12. & Belluga loco citato, cũ dicant Iudices ita pronuntiantes iuste agere. Quę sententia, quod spectat ad damna, & interesse ex euictione illa emptori census illata restituenda esse, verissima est, ex Regula illa Iuris, *Si tua culpa damnum datum est, iure super his te satisfacere oportet.* Quod vero spectat ad pretij restitutionem, intelligendũ est nisi aliã propriã, liberamq;, & sufficientem hypothecam contulerit, iuxta hanc conclusionem tertiam.

Conueniũt, in hac vt ex dictis constat omnes DD. Primo, quia fraus, & dolus, siue deceptio in cõtractu nemini debet patrocinari. Secundo, quia cõtractus sub conditione honesta effectus, ea deficiẽte, rescindendus est, aut conditio illa cõmodiori via adimplãda, emptor autẽ census contulit pretiũ pecuniamq; suã sub hac cõditione, hypothecã illã esse propriã venditoris, & liberã, aliter enim nõ contraxisset cũ illo vẽditore: vnde si decipiatur ab illo, est cẽsendus rationabiliter inuolũtarius. Demũ huiusmodi hypotheca traditur in cõtractibus tanquã pignus in securitatem, at qui offerret in pignus rem alienã, vel aliis debitis anterioribus obligatã, iure compelletur vel ad rescindẽdum cõtractum, restituendumque accepta, vel ad conferendum in pignus rem aliam liberam, & propriam conferentis illam.

Quarta conclusio. *Quando res quæ offertur in hypothecam, sufficiens quidẽ est secundũ se ad cõstitutionẽ census, qui illi imponitur, quamuis nõ reddat omnino securũ censum illũ, & pensionis solutionẽ, quin probabiliter aliquod periculũ vel damnũ timeatur, nõ potest venditor obligari absolute & simpliciter ad aliam de nouo post quadriennium conferendam, sed ad hoc tantum, vt quotiescunque illa euincatur, aut perierit, teneatur venditor in deffectũ & subsidium illius aliam tradere, & offerre.*

Dico hypothecã oblatã esse sufficientẽ, quia si illa quæ a principio traditur, non sit sufficiẽs, possunt inter se cõtrahẽtes de cẽsu ita cõuenire, vt aliqua alia deinde cõferatur, quæ cõiuncta priori efficiat vna cũ illa vnã hypothecã sufficientẽ illi censui. Quẽadmodũ qui ad sui securitatẽ potest exigere pignora ab alio cõtrahẽte, si a principio non cõferat sufficiẽtia debito, potest cõuenire cum illo, vt tradat deinde alia quæ vna cũ prioribus illi debito sufficiant. At quando, quæ a principio tradita est, se sola sufficiẽs est, propterea quod aliquod posſit deinde periculũ vel dãnum occurrere, nõ licet eã pactionem apponere, vt simpliciter & asolute teneatur venditor aliã nouam post quadriennium tradere, sed sufficit obligetur, vt si illa ab alio euincatur, vel pereat, tunc aliã offerat illi vẽditor, aut eam securitatem quam probus, rectusque iudex pronuntiarent, aliud vero exigere iniquum est, & naturę huius cõtractus, rectæque rationi aperte repugnans.

Probatur: Emptor census illud tantũ potest tuta cõsciẽtia exigere a vẽditore, quo se ipsũ immunẽ ac securũ cõstituat de solutione pẽsionis, cũ per huiusmodi cõtractũ nihil aliud emat, quã ius percipiẽdi annuatim illã, sed cũ offertur illi a principio in hypothecã res propria venditoris, & sufficiẽs censui, quãdiu illa nõ euincitur ab alio, vel redditur inutilis, habet securã pẽsionis sibi reddẽdæ solutionẽ, nõ minus quã habebat a principio, ergo cum apposita hac obligatione, & pacto, vt si illa euincatur, vel perierit, tũc teneatur aliam de nouo offerre illi similem, & ęquiualentem, constituat se immunem, & securum, non potest tuta conscientia aliud exigere: Et ex consequenti, absolute & simpliciter postulare a venditore, vt teneatur post quadriennium nouam hypothecam of-

ferre, aut redimere censum, iniquũ est, & cõtra naturam & vim huius contractus.

Secundo. Vt dicebat Molinæus, cuius sententiam in hac parte omnes periti amplectũtur, nam sicut fauum mellis ex ore Leonis mortui non respuit Samson, ita neque Catholici quę ab hoc Iurisperito quamuis impio & hęretico verè tamẽ & acutè circa iura ciuilia & humanos contractus dicuntur, reiiciunt. Sicut ergo hic dicebat, iniquũ est, & huic contractui repugnans, duas securitates, quarum vnaquęque se sola sufficiat, exigere: sed apponere hanc conditionem de cõferenda noua hypotheca post quadrienniũ, quando prius oblata sufficiens est, est exigere duas hypothecas, quarum vnaqueq; se sola sufficit, est ergo iniquum.

Tertio. In hoc contractu non est grauandus venditor (qui satis profecto sua necessitate opprimitur) vltra ea, quæ hic cõtractus ad securitatem emptoris exigit, sed apposita illa conditione, vt teneatur offerre aliã hypothecam, vbi tradita a principio fuerit euicta, vel perierit, habet hic contractus, quidquid iuxta ipsius propriam vim & naturam ad securitatem emptoris exigitur, ergo non potest conditio ista de noua hypotheca apponi: nisi sub hoc pacto, vbi tradita a principio pereat, vel euincatur.

Dices vt solent, qui iniquam istam conditionem tuentur. Si quidem emptor eo animo illam apponat, vt virtute eius cum ei libuerit, compellat venditorem ad redimendum cẽsum, iniqua est, at si apponatur eo tãtum animo, vt si illa minus vtilis vel sufficiens appareat, tueatur seipsum indemnem, non est censenda iniqua. Ego ex hac eadem responsione sic Theologicè argumentor. In contractibus, quin & in omnibus humanis actionibus illud tantum licet exterius operari, & exercere, quod licet interius velle, & intendere, imo actus exterior debet bonitati vel malitiæ interioris cõmẽsurari; Sed nõ licet apponere istam cõditionem eo animo, vt eius virtute compellatur venditor ad redimendum censum, vel tradendam nouam specialem obligationem & hypothecam, quandiu ea quæ a principio oblata est, sufficiens est ad securitatem: sed eo tantum animo, vt vi istius clausulæ, si illa pereat, vel euincatur, aut reddatur inutilis securitati census, emptor alia accepta seruet se indemnem; ergo similiter cum contractus exterior debeat commensurari animo interiori, non licebit apponere in illo conditionem illam, qua obligetur venditor absolute, & simpliciter ad tradendam nouam hypothecam post aliquod tempus, sed sub hoc pacto, si illa prius tradita euicta fuerit, vel destructa.

Quinto. Hæc obligatio tradendi nouam hypothecam post quadriennium, vel post aliquod tempus absolutè & simpliciter facta, & non cum ista conditione quam nos exigimus, nẽpe si prius oblata euincatur, vel pereat, est pretio æstimabilis, quia est obligatio ciuilis & onerosa, & cum non sit intrinseca huic contractui, imo vt ostendi illi repugnans, meretur suum peculiare pretium, distinctum a communi pretio census, ergo emptor qui reddito communi pretio census illam exigit, aliter quam nos hic docemus, exigit profecto aliquid pretio æstimabile vltra sortem, quod pertinet ad vsuram, vel saltim est iniquus emptor, vnico, & simplici pretio adquirere volens duas res diuersis, distinctisque pretiis dignas.

Denique, In contractu census, qui pecuniarius est, & ad vsuram facile declinare potest, conditio quam natura contractus respuit, potius quam amplectatur, & qua posita, qualis est hominum cupiditas maxime diuitum, & potentium, apud quos crescit sæpe amor nummi quantum & ipsius lucra, iniqua est, sed posita ista conditione vt teneatur venditor census præter hypothecam a principio oblatam, aliam post aliquod certum tempus offerre vel redimere cẽsum illũ aperitur ianua vsuris, & extorsionibus, quibus miseros pauperes compellent ad redimendos census, quos necessitate compulsi sibi imposuerunt.

Certe esto hęc conditio non esset adeo iniqua, quantum ex argumentis propositis constat, vel propter hęc incommoda, quæ nunc referimus, esset, grauissimorum Iudicum authoritste prohibenda. Vnde licet de ea (vt dicebam) pauci Doctores differant, quia apud alias Prouincias non est in vsu, quicunque verò illam attigerunt, vel in specie, vel in genere, dum alia quę illi assimilatur docent, omnes vno ore præter paucissimos illam damnant. Quin & Petrus Belluga qui ex nostris omnium optime (etsi succinte) de hac re agit (vt antea admonebam) nusquam illius meminit, nec certe simpliciter & absolute illam approbasset, cum solum doceat, venditorem posse compelli ad redimendum cẽsum virtute clausulę illius: de faciendo habere, licere, tenere, & possidere, quando vel deficit specialis obligatio,

tio, & hypotheca asignata censui, quia euincitur, vel debitor efficitur non soluēdo. Vnde colligit iudices huius Ciuitatis recte iudicare, quando hæc occurrunt, compellentes venditorem ad redimendum censum, vel præcipientes, vt vel illum redimat, vel aliam rem æquiualentem illi censui supponat, Vbi per deffectum specialis obligationis non intelligit hanc iniquam conditionem de noua hypotheca tradenda post quadrieniū, cuius nec meminit, sed quādo illa ab initio tradita deficit, vel euicta, vel perierit, ita vt per illam emptor non sit securus. Quod patet ex consequentibus, non enim probat morem iudicum, qui, ex eo quod non tradatur noua hypotheca, precipiunt censum redimi, eius nec meminit, sed consuetudinem, vel eorum, qui euicta ea quæ fuerat obligata, vel venditore effecto non soluendo, precipiunt tunc censum redimi, vel aliorum, qui in eodem casu non precipiunt absolute redimi, sed vel equiualentem rem eidem censui supponi, vel illū redimi. Denique neque aliam clausulam proponit quam illam, de faciēdo habere, & possidere: quæ clausula si recte expendatur, nihil minus continet quam nouam hypothecā esse tradendam post aliquot annos, priori ab initio oblata manēte in eodem statu: sed hoc solum, hypothecas traditas (vt fit in Gallia) non solum tunc & eo tempore quo instituitur census, verumetiam in futurum fore idoneas, ac vt apertius loquamur, venditorē seruaturum semper emptorem ipsum securum de solutione redditus: Quod cum præstet (vt constat ex argumentis propositis) obligans se ad similem hypothecam, vel aliam securitatem exhibendam, quotiescunque prior illa à principio tradita euincatur, vel perierit, consequenter clausula ista de faciēdo habere, & possidere, nihil minus continet quam iniquam istam cōditionem, de tradenda simpliciter & absolute noua hypotheca post quadriēnium, sed id solum quod in hac nostra quarta conclusione docemus licere.

Ex his sequitur in summa, Primo, neque posse à venditore census aliquam aliam obligationem aut securitatem postulari, præter eam quā à principio obtulit, quando illa tūc temporis iudicata est sufficiens, nec posse ad aliud obligari quam ad exhibendam securitatem annui redditus, cum nihil aliud in hoc contractu ematur quam ius percipiendi illum, nisi quando actu prior illa hypotheca perierit, vel fuerit euicta.

Secundo, neque posse vnquam compelli ad redimendum pretium census, cū in ipsius dominiū absolute plenoq; iure translatū fuerit, præter quam vbi euicta vel pereunte prima illa hypotheca, non vult aliam illi similē vel congruentem securitatem offerre, cū possit. Etenim cum obligatio ex huiusmodi censu nata personalis sit, tenetur semper ad annuum censum (vt inferius videbimus) reddēdum, etiam si res, cui ille impositus fuit, pereat, & consequenter ad efficiendum illum securum emptori, maxime cum illud in ipso cōtractu promisserit. Vnde non solum in foro exteriori per sententiam iudicis, verumetiā in interiori ex natura contractus cui promissio ista apposita fuit, potuitq; recte apponi, de faciendo habere, & tenere, prima hypotheca actu deficiente, tenetur non quidem absolute & simpliciter censum redimere, sed vel nouam hypothecrm tradere, aut aliam congruētem securitatem solutionis redditus offerre, vel pretium acceptum restituere, vt fraudulētus contrahens, qui promissis quæ adimplere potest, stare renuit.

Sequitur tertio, argumentum illud Ludouici Lopez, quo nititur probare vltimum dictum quod ex eo retulimus, quatenus probat non posse exigi à venditore census hoc pactum, vt absolute & simpliciter teneatur post quadriennium nouam obligationem specialem conferre, vel redimere, iuxta ea quæ hic docuimus, verum docere: Si vero intelligat non posse apponi conditionem, vt teneatur illam tradere, vel aliam congruentem securitatem, si acciderit illam perire vel euinci, falsum docere, vt ex dictis cōstat. Per tale enim pactum sic appositū nulli iniquitati vel vsuræ sternitur via, sed soli securitati emptoris, quam illum sibi curare posse satis ostendimus.

Sequitur quarto, primum illud dictum Caroli Molinæi quod retulimus, vbi asserit venditorem census cum clausula de faciendo habere, tenere, & possidere, velut ille loquitur, cum promissione hypothecas in futurum fore idoneas, quando obligat omnia bona cēsui, si inter ea aliqua in specie illi sint hypothecata, virtute huius clausulę non teneri, vbi illa in specie hypothecata perierint, vel euincātur, neq; ad offerēdas alias hypothecas, vel fideiussores, siue congruentem securitatem, neque ad redimendum censum, explicandum esse. Quia si intelligat, quādo omnia bona venditoris illius pereunt, ita vt in omnimodam pauperiem redigatur, perspicuum est in tanta pauperie constitutum ad nihil horum teneri, quia nihil eorum potest, & sic impotenti omnia iura parcunt. Si vero

loquatur, pereuntibus tãtum bonis illis quæ fuerunt censui in specie hypothecata, & alijs manentibus, falsum docet, quia virtute illius clausulę, quæ recte potuit apponi, cum vnicuique liceat se ipsum in contractu seruare indemnem, obligauit se vẽditor, ad hypothecas quas obtulit, in futurum fore idoneas: vnde aut tenetur illud præstare illis pereũtibus, ex alijs bonis quę ipsi supersunt, debita securitate emptori tradita: aut vt fraudulentus vir, qui non vult stare promissis, cum possit, restituere pretium acceptum. Et confirmatur. Nam in tertio dicto fatetur Molinæus, venditorem, qui non obligauit omnia sua bona censui, sed aliqua tantum in specie & definite, illis pereuntibus, clausulam istam, hypothecas traditas in futurum fore idoneas recte apponi, & operari, vt virtute eius teneatur venditor illis hypothecis in specie assignatis pereuntibus, reddere securam emptori solutionem pensionis reddendæ; quam tamen securam reddere non potest, nisi oblatis alijs similibus hypothecis, vel fideiussoribus, vel aliqua alia congruenti firmitate debiti. Vnde tenetur in eo casu ad hæc præstanda, cũ possit: & eodem iure ac vinculo, si nolit, cũ possit, tanquam iniquus & fraudulentus debitor potest compelli ad restitutionem pretij accepti.

Argumenta etiam illorum qui sentiunt emi in censu fructus rei, in qua ille imponitur, quorum periculum debet ad emptorem pertinere, & propterea iniquum esse exigere in hoc contractu à venditore fideiussores, vel pignora, aut aliam nouam hypothecam, quatenus his quæ docuimus pugnare videntur, facile quoque diluuntur.

Ad primum enim constat satis ex dictis, præcipuam ac potissimam obligationem, quę ex hoc contractu consurgit, personalem esse, qua tenetur venditor reddere annuos redditus: qua de causa, sicut in alijs contractibus solutionis in futurum faciendæ potest exigi à debitore securitas per fideiussores, vel pignora, aut aliquid aliud simile, ita quoque in censu.

Neque secundum vrget. Quia fideiussor, aut pignora, vel noua hypotheca prima deficiente, non exiguntur, vt fructus eius rei, quæ prius tradita fuerat, securi ac certi reddantur, quod nullus promitere potest in re adeo incerta, totque periculis, & iniutijs temporis exposita, vt recte docet illa l. Non moriturum: sed solum in securitatem recipiendi pensionem in futurum reddendę, & in quam emitur ius in hoc contractu, non in fructus aliquos. Quin etiam possent illa postulari in securitatem fructuum, vbi illi emerentur, ne ab infideli & doloso vẽditore fraude aliqua ocultarentur, vel negarentur.

Ad tertium perspicua est solutio ex illis duabus obseruationibus positis, ex quibus constat, rei emptæ, quæ non statim traditur, sed in futurum, cum maneat illa apud venditorem, posse exigi securitatem: neque de huiusmodi rebus loquuntur iura illa, quæ ibi afferuntur, sed de his, quas actu & re ipsa emptor integras recipit, & in plenũ perfectũq; ipsius dominium, & possessionem tam de iure, quam de facto omnino transeunt.

Iam ad alias conditiones progrediamur, videamusque.

Controuersia XV.

AN VENDITOR CENSVS *possit rem illi subiectam vendere, donare, & in alterius dominium libere transferre?*

QVINTA conditio quam exigit Pius V. in suam Extrauag. est, vt nullo pacto priuetur venditur censu libera facultate vendendi, donandi, vel transferendi rem illi censui subiectam, in quemcunque voluerint, nec teneatur ab emptore, facultatem ad eam sic trãsferendam postulare, vel aliquam cotam, quam laudimium vocant, ratione illius facultatis conferre Hanc, in locis vbi constitutio ista promulgata est, & recepta, obligare, nulli dubium est. In locis autem vbi illa neque promulgata est, neque in vsu, neque alia lege superiorum præcepta, sed iuri tantum naturali circa eam standum, dubium est, An sit in foro animæ obseruanda.

Ioann. Medina Cod. De restit. cap. De cẽsu redimibili. sentit iustum esse hoc pactum in contractu census, ne venditor rem illi subiectam sine ipsius facultate vendere, aut distrahere possit. Idem habent Dominicus Soto lib. 6. de Iust. q. 5. ar. 2. circa secundũ argumentum, & Palatius lib. 4. cap. 6. in fine illius cap. Addunt tamen, non teneri venditorem census ad conferendã propterea emptori illius aliquam cotam, vel laudimium, sicut fit in emphytheusi. Eadem sentẽtiam tribuũt nonnulli Didaco Couarr. lib. 3. varia resolutionum cap. 7. num. 6. ibi tamen nihil tale docet, saltim in libro excusus Lugduni anno 1557. quo ego vtor. Reffert etiam in eadem sententia Fælicianus lib. 1. de censibus c. 10. nu. 8. alios Iurisperitos.

Nitun-

Nituntur autem authores huius opinionis probare illã; Primo â simili. In emphytheusi valet hoc pactum, quia domiuus rei emphytheuticæ habet directũ illius dominium, sed in censu habet similiter emptor directum dominium rei illi censui subiectæ, ergo debet etiam in censu simile pactum locum habere. Nam *Vbi eadem ratio, eadem quoque debet esse iuris dispositio*. l. Illud. ff. Ad legem Aquiliam.

Secundo. In contractu census potest venditor obligare se ipsum, non solum ad reddẽdam annuam pensionem, verumetiam ad imponenda quæcunque onera rebus suis, cum suarum rerum quilibet sit liber moderator, & arbiter, l. In re mandata. Cod. Mandati. etiã si libertate illa abutatur, & prodige agat, l. Sed etsi in lege. §. Consuluit. ff. De pretio hęredit. Ergo potest venditor cẽsus, rem quam illi subijcit, ita deuincere emptori, vt nequeat illam in alterius dominium transferre, aut distrahere sine illius facultate, & consensu. Et confirmatur. Quia contractus omnes, sicut celebrantur mutuo contahentium consensu, ita quoq; ex mutua cõtrahentium conuentione legem accipiunt, vt habet communis Iurisperitorum & Theologorum sententia, ergo ex consensu venditoris potest in cẽsu res illi subiecta ita affecta manere, vt nequeat sine emptoris consensu distrahi, vel alienari.

Tertio. Omne pactum, quo emptor census constituit se ipsum securum & indemnẽ à periculis, quæ in sorte ipsa vel solutione pẽsionis accidere possunt, iustum est, & licitũ: at si rem illam in qua census constituitur, libere posset venditor distrahere, & alienare, poterit in eum illa transire, qui infideliter & morosse se habeat in solutione annui redditus, cum damno & nocumento emptoris, ergo æquum est, ne sine illius consensu distrahatur, aut transferatur in alium. Et confirmatur. Huiusmodi res & hypotheca traditur in securitatẽ census, velut quidã fideiussor, vel pignus illius, at æquissimum est, & habet illud consuetudo, ne possit debitor alium fideiussorem, aut pignus offerre, vel substituere, nisi creditore consentiente.

Quarto. Videtur ita haberi in iure, ne fundus hypothecæ suppositus distrahi possit sine assensu eius, in cuius gratiam fuit suppositus, l. Res. Cod. De remissione pigno. l. Debitorem Cod. De pigno. Rem autem censui subiectã in hypothecã illi suponi satis cõstat.

Oppositum docent Nauarrus in commẽto De vsuris. num. 91. & 114. Felicianus de Solis loco citato, & multi recentiores discipuli D. Thom. asserentes huiusmodi conditionem simpliciter & absolute appositam sola virtute contractus censualis, & communi tantum pretio iniquam esse, & iuri, ac naturę cẽsus repugnare. Quorum sentẽtia tenenda est, adeò vt mirandum certe sit, Medinam, Sotum, ac Palatium viros prudentes & peritos oppositum sensisse.

Vbi obseruandum est, plurimum hæc differre, venditorem census vno cõtractu & pretio imponere sibi suęq; rei censum aliquem, & alio cõtractu, vel saltim pretio diuerso, & distincto à communi pretio census obligare se ipsum ad non vendendam neç alienãdam à se rem illi censui subiectam sine consensu emptoris: Vel eodem contractu eodemq; tantum pretio accepto, quo venditur communiter vel ex præscripto legis, vel vsu fori ius censiticum in annuos redditus, eam obligationem suscipere.

Nam prius illud, stando in solo iure naturæ, ita vt nulla lege humana, quæ ad obligandum vim habeat, prohibeatur, licet profecto. Quid enim prohibet, vt constituto venditoque censu suo iusto pretio, conueniant deinde emptor & venditor illius in eo, ne rem illi censui subiectam sine emptoris consensu vẽdere, donare, vel quoquomodo alteri tradere possit, reddito venditori illi pro huiusmodi obligatione & onere alio peculiari pretio, iusto distincto ab eo, quo census ille eidẽ vẽditus est. Nam cum hęc obligatio ciuilis sit, & onerosa, & eo ipso pretio æstimabilis, vendi potest, & iusto pretio pro illa accepto rei suæ à venditore imponi: cum propterea non desinat emptor iustum census pretium seorsum pro illo conferre. Per contractum naq; posse vnumquemque se ipsum obligare, ad non alienandam rem suam sine alterius consensu, non modo pretio accepto, verumetiam gratis, communis est DD. sententia: docetq; illud varia iura. l. Si ita quis. §. Ea lege. ff. De verbo. obligatio. l. Ea lege. Cod. De conditio. ob causam. Et alia multa. Adeò vt si dominus alicuius rei ad non distrahendã, neque alienandam illam se obligauerit sine alterius cõsensu, alienatio illius rei aliter facta inualida sit, & nulla, vt docent communiter Iurisperiti in l. Si creditor. §. Vltimo. ff. De distractio. pigno.

At nisi hac via, vel cõtractu vel saltim pretio distincto in huiusmodi obligationem vẽditor census consentiat, per solum contractũ census, & collato tantum iusto pretio census, huiusmodi conditionem exigere, ne rem illam.

illam sine emptoris consensu vendere, aliena re, aut distrahere posit, iniquum est, & naturæ census repugnans.

Probatur. Ex propria vi & natura huius contractus pretium commune census debetur pro solo censu, & iure quod in illo emitur in annuum redditum, obligatio autem ista est onus, & grauamen distinctum ab illo iure cẽsitico, & onus pretio æstimabile, ergo aut est emendum à venditore distincto contractu & pretio, aut exercetur hęc aperta iniquitas, vt pro vnico pretio exigantur duę obligationes valentes distincta pretia, quod sapit vsuram: quia accedit ad id quod est exigere lucrum, & aliquid pretio ęstimabile vltra sortem.

Secundo. Hæc obligatio, & conditio est propria contractus emphytheusis, propterea quod rei emphytheusi subiectæ habet dominus illius emphytheusis dominium directũ, alter verò solum vtile: at in censu redimibili, de quo hic agimus, emptor & dominus census non habet dominium directum rei illi censui suppositæ, cum omne dominium tam directum quam vtile maneat penes vẽditorem census; cum ergo sit alia natura census à natura emphytheus, & ab illa longe diuersa (vt vidimus art. 2. huius quæstionis,) iuxta ea quæ habentur l. 1. & 2. Cod. De iure emphyt. & in cap. Cum dilectus. De religio. domibus. consequenter in censu nõ habet locum ista conditio.

Et confirmatur. Iniquum est, vt priuetur aliquis libera facultate disponendi de re sua, nisi vbi ipse vel per aliquem contractum, vel gratis illa se ipsum priuare voluerit, quia vt habent varia iura, & communis consensus DD. nihil magis naturale, quam vt posit vnusquisque de re sua, cuius plenum absolutumq; dominium habet, pro libito disponere, cum in hoc consistat vis & ius dominij: at venditor census in hoc contractu non vendit rem quã censui supponit, nec aliquod dominium illius transfert in emptorem census, sed retinet integrum perfectumque illius dominium penes se, eadem omnino ratione plenoque iure sicut antea habebat, ergo nisi ipse in illud consentiat quasi distincto cõtractu, distinctoq; pretio pro tali pacto ipsi reddito, non potest ad illud solo contractu & communi pretio census obligari.

Tertio. Quia census carius multo venderẽtur, quam habeat vsus fori, vel lex Regni, nisi maneret venditori ista libertas & facultas, vnde propter illam detrahitur à pretio, quod sine illa redderetur, habetque illa rationem cuiusdã pretij, cũ illa pretio ęstimabilis sit.

Quarto. Quia si emens censum reciperet dominium directum eius rei, quæ censui illi subiicitur, sicut posset exigere hanc conditionem, ne res illa sine ipsius cõsensu vendatur, aut alienetur, ita quoque & hanc, vt ratione illius cõsensus redderetur laudimium: at hoc non licet exigere, vt fatentur Soto, Palatius, & quotquot sunt DD. ergo neque istam cõditionem. Probatur autem consequentia. Ratio propter quam in emphytheusi debetur laudimium est, quia concedens facultatem ad rem illam vendendam habet dominium directum in illam, ratione cuius potest prohibere ne vendatur sine suo consensu, quæ facultas cum sit ius ciuile & tẽporale, est bonum quod potest pretio ęstimari, sed per authores alterius opinionis potest emptor census exigere conditionem istam, ne sine ipsius assensu res censui subiecta vendatur, vel alienetur, quia habet dominiũ directũ illius, ergo sicut potest conditionem istam exigere, ita & laudimiũ. Nam *Vbi eadem existit ratio, eadem quoque debet reperiri Iuris dispositio*. Ex quo sequitur, vt si venditor cẽsus rem illi subiectam alteri vẽdiderit, donauerit, vel quauis ratione distraxerit, non posse emptorem census illam retrahere, aut prohibere quo minus translatio illius rei in alterius dominiũ firma sit, & rata.

Argumenta in oppositum nullam habent vim. Ad primum enim constat emptorẽ census, de quo hic agimus, nullum habere dominium in rem illi censui suppositam, neq; vtile neq; directum, sed omne dominium illius pleno absolutoque iure manere penes ipsum venditorem, perinde ac si nulli censui res illa subijceretur.

Secundum argumentum & illius confirmatio solum probant, posse venditorem cẽsus, rei, quam illi supponit, alia quoque onera adijcere suo consensu, & varijs contractibus, siue gratis, siue accepto iusto illorum onerũ pretio: non tamen probant in ipso contractu & communi pretio census ad aliud onus venditorem illius se ipsum obligare, quam ad præstandum annuum redditum.

Ad tertium respondeo, Constituto censu in re immobili, & fructifera, quæ venditoris propria sit, & ab aliis anterioribus debitis & oneribus libera, ac valori censui in ea constituti sufficiens, manere emptorem illius cẽsus satis securum, quantum natura huius contractus exigit, nec priuandum esse venditorem, qui absolutus illius rei dominus est, libera facultate disponendi de re omnino sua, propterea quod is in quem illa transierit, periclitetur morose, aut infideliter se habere in soluendo

uendo reddítu: hoc enim periculum accidere etiam potest re illa apud primum venditorẽ manente, occurrendumq; illi est, apud quẽcumque res illa maneat authoritate Iudicis compellentis, aut primum venditorem, aut possessorem hypothecę ad pręstandum illum annuum redditum, sicut in alijs debitis exigẽdis, vbi debitor morosse vel infideliter se habet, vtendum est authoritate Iudicis.

Ad confirmationem Respondeo. Non licere quidem mutare fideiussorem, vel pignus oblatum pro debitis sine consensu creditoris, Tum, quia esset noua & altera obligatio, nouusque contractus, qui sine consensu vtriusque contrahentis de nouo iniri non potest: Tũ, quia forsan quod de nouo offeretur, non erit ita sufficiens, vel non ita gratũ creditori; at cum res hypothecata censui venditur, & in alium transfertur, nec mutatur contractus, nec pignus, nec hypotheca, eadem enim semper manet illi censui subiecta & obligata.

Ad quartum respondeo, Iura illa nihil aliud continere, quam venditionem pignoris, vel hypothecæ factam sine consensu creditoris, neq; disoluere, neque tollere ius, quod in illã creditor habebat, quod similiter obseruatur in censu, vbi res illi subiecta venditur, quamuis sine consensu creditoris vendatur.

In altera parte huius quintæ conditionis propositæ in constitutione Pij V. ne possit ab emptore census cota aliqua, vel laudimiũ exigi, si acciderit rem illi suppositam alteri vendi, omnes conueniunt; cum certissimum sit hanc obligationem soli emphytheusi conuenire, naturæ autem & propriæ rationi census redimibilis repugnare. Quãuis, quemadmodum posset venditor census contractu ac pretio distincto obligare se ipsum ad nõ vendendam, neque alienandam rem illi subiectã sine consensu ac facultate emptoris, ita quoque posset stando in solo iurę naturæ obligare se ipsum, ad conferendam aliquam cotam & laudimium pro illo consensu, & facultate: vel gratis, vel reddito sibi cõgruo pretio pro illa obligatione. Ceterum vbi cum his obligationibus & oneribus census institueretur, certè pertineret potius ad naturam cuiusdam nouæ emphytheusis redimibilis, quã census.

AN VOLENTE CENSVARIO *vendere rem censui subiectam sit præferendus emptor census alijs emptoribus?*

(†)

SEXTA conditio quam exigit Pius V. est, vt debeat venditor cẽsus, qui rem illi subiectam vendere voluerit, significare illud prius emptori census, ita vt sit ille alijs præferendus, expectandaq; per mensem illius deliberatio. Hæc conditio sicut cæteræ eiusdem Extrauagant. habet quidem vim, vbi cõstitutio ista recepta est, & in vsum redacta, in alijs autem Prouincijs nequaquam: Adeò vt D. Nauar. qui constitutionem Pij V. absolutè omnes obligare censuit, expendens hanc sextam in commento de Vsuris. num. 92. sentiat hãc iuste posse dimitti, Primo, quia nulli alteri iuri neque naturali, neque diuino, aut humano innititur, Secundo, quia hæc conditio est aliena à natura census, cum per eum nullum dominium transferatur in emptorem census, propria vero emphyteusi, propter dominium directũ quod ille habet in rẽ emphytheuticã iuxta ea quæ habẽt DD. in cap. Cũ dilectus. De religiosis domibus. & in l. 1. ff. Si ager vectigal. vel emphyt. petatur. & Instituta. De locato. §. Adeò, Adiectam vero illã putat ex quadam congruentia, eo quod minuatur per eã facilitas imponendi census prædiis, aliisq; possessionibus, quæ multorum malorum occasio esse solet.

Pręterea, obligare venditorem census, vt rem illi subiectam vendere non possit, quin prius illud domino census significet, ita vt debeat illum alteri præferre, & voluntatem illius per mensem expectare, repugnat naturæ huius contractus. Primo, quia per hunc contractum venditori cẽsus nec tollitur, nec minuitur plenum absolutumque dominium illius rei, ad plenum autem absolutumq; dominium pertinet, vt habens illud possit, de re cuius pleno iure dominus est, libere disponere, & in quem voluerit dominium illius pro libito transferre. Secundo, quia cũ per obligationem istam reddatur deterior conditio venditoris census, & rei illi subiectę, est onus & grauamen pretio æstimabile, & quod ex consequenti debet diuerso contractu, aut diuerso saltim pretio emi, & non reddito tantũ communi pretio census, sicut paulo ante dicebamus de grauamine illo, quo obligaretur venditor census, ne rem illam vendere aut alienare possit sine consensu emptoris census. Negari tamen non potest, posse hanc sextam conditionem, de qua nunc agimus, apponi in contractu census ex mutuo & libero vtriusque contrahentis consensu, reddito pro ea aliquo iusto pretio seorsum, & distincto ab eo, quo

eo, quo census secundum se emẽdus est, quia vt proxime præced. controu. vidimus, licet vnicuiq; rebus suis quęcunq; onera, vel grauamina imponere, cum possit & illas distrahere, ac consumere.

An autem si posita in contractu census ex mutuo contrahentium consensu ista sexta cõditione, de qua hic agimus, acciderit vendito rem census illa neglecta & violata rem censui subiectam alteri vendere, possit dominus census contra huiusmodi venditionẽ agere, illamq; inualidare, & rem sic venditam retrahere, explicabunt Iurisperiti, quorum est decidere qui contractus in foro contentioso rati sint & firmi, qui vero nulli, vel rescindẽdi. In foro autem conscientię (quod nostri muneris est) venditor census, qui accepto pretio pro illa obligatione illam promisit, nec seruauit, peccauit peccato mortali, non seruans fidem proximo datam in re graui, tenebiturque ad reficienda domino census damna ex venditione illius rei ipso inconsulto facta, si quæ ille propterea patiatur, quia nocuit illi cum iniuria: Omnẽ autem nocumentum illatum proximo cum iniuria reficiẽdum illi est. Vẽditio autem facta, donec iudicis authoritate rescindatur, valida est, quia promissio rei futurę alicui facta non efficit, vt traditio actualis eiusdem facta alteri non sit efficax, quamuis peccet non seruans promissa, & teneatur ad damna ex violata fide subsequuta reficienda.

Controuersia XVI.

AN VENDITOR CENSVS *possit obligari ad aliquas pœnas, si fuerit morossus in soluendo annuo reditu?*

SEPTIMA conditio, quam sanctissimus Pius V. in sua constitutione exigit in contractu census, est, vt nulla ratione admitantur in eo pacta, quibus obligetur morossus debitor cẽsus ad aliquid vltra pensionem censiticam persoluendam, vel ratione lucri cessantis, vel alicuius cambij, aut expensarum, vel ad aliquam aliam pœnam.

Hæc conditio bifariam intelligi potest, vel ita, vt morossus solutor annui redditus obligetur ad aliquid persoluendum tamquam lucrum cessans, vel damnum emergens in pœnam illius moræ, ita vt quamuis creditor census nullum patiatur re ipsa lucrum cessans, vel damnum emergens, nihilominus ex pacto propter morossam solutionem, quantitatem illam reddat vltra pensionem, perinde ac si creditor damna illa pateretur, vel expensas fecisset: In quo censu conditio ista iusta est, Propter solam namque moram illud exigere, & in pactum ducere est contra ius naturæ, & merito à Summo Põtif. prohibitum. Primũ, Quia ex natura huius contractus communi pretio constituti ad nihil aliud potest obligari venditor census, quam ad præstandam annuam pensionem, efficiendamque illam securam. Secundo, quia quæuis alia obligatio, pręter eam quę respicit solam annuam pensionem, est onus, & grauamen pretio æstimabile, & ex consequenti exigere illam est exigere aliquid pretio ęstimabile vltra sortem.

Potest secundo modo conditio illa ita accipi, vt non teneatur morossus debitor quamuis ex mora sua fuerit vere ac realiter causa emptori census alicuius lucri cessantis, vel damni emergentis, aut aliquarum expensarum, damna illa reficere, & cõpensare, in quo sensu conditio ista sexta non esset iusta; cum iure naturæ dãna illata ex morossa solutione reficiẽda sint, siue ducatur illud in pactũ, siue non: neq; hoc modo pacta illa prohibet. Etenim vbi lucra quæ dominus census vere habuisset, culpa morosi debitoris illi cessant, patitur ille damnum, & cum iniuria, & multo potius si aliqua dãna inde illi proueniãt, vel aliquas oportuerit in recuperanda pensione expensas ipsum facere. Damna autem creditori culpa debitoris illata esse â debitore compensanda, & restituenda, omnia iura proclamant. Vnde non est de his Pius V. in sua Extrauag. locutus: neque enim credendum est voluisse Summum Pontif. eximere debitorem â compensatione damnorum, quæ vere creditori inferret, ad quam adeò iure naturali tenetur.

Solum ergo prohibet Papa, vt optime obseruat Nauarr. in commento illo num. 93. Glosa 9. conuentiones quasdam duras, quæ solebant imponi venditoribus censuum, nisi ad diem soluissent: nempe reddendi statim expensas, & salaria, & alia similia, etsi creditor nihil adhuc damni passus esset, præter solã debitoris moram, quod certę iniquum erat.

Ex his multa colligere licet cum Nauarro loco citato, & alijs DD. Primo, iniquum esse pactum, vt propter moram venditor census priuetur re illi subiecta, vel aliqua illius parte, quia hæc esset grauissima pœna, & quacũque mora multo grauior Vnde iure ipso prohibetur imponi Cano. Suam. De pœnis. & l. Stipu-

l. Stipulatio ista. §. aliter. ff. De verbo obligat.

Secundo, Iniquum esse pactum, quo venditor census obligetur absolute vel propter moram ad alia onera, quæ non debet ex natura census, veluti ad suscipiendos hospitio familiares emptoris, donec pensionem soluat, vel censum redimat, vt habet idem Nauarr. eod. loco. num. 94. Glosa 11.

Tertio, Damna quæ verè ac realiter creditor census passus fuerit, aut expensas quas in recuperatione debiti fecerit, non esse illi persoluendas sola fide ipsius, etiam iurata, sed ex his tantū quæ debitis instrumentis & probationibus constiterint: omni enim iure debitor, vbi res dubia est, non tenetur stare soli fidei aut iuramento creditoris, sed prę cepto iudicis, certisq; probationibus, quod significat ibi Pontifex.

Quarto, Iniustum esse pactum, quo censuarius obligaret seipsum ad reddendam pēsionem in forma camerę: Primo, quia solutio in forma cameræ distat plurimū in quantitate, & onere à communi solutione annui redditus, quę ex natura huius contractus debetur. Secundo, quia obligat se, ad pœnas, & incommoda quę incurruntur, per obligationem in forma camerę, quę sunt extra naturam census, & ad quæ venditor illius iure communi non tenetur, vt optime Nauarr. loco citato num. 116.

Quinto, Iniquum esse pactum, vt teneatur debitor census, si fuerit in mora, ad pœnā dupli: quia hæc pœna grauissima est, & multū superans culpam moræ: vnde nō solum illud censendum est prohibitum, vbi cōstitutio ista Pij V. obligat, verumetiam absolute. Nec iudico verum, quod in hac parte sentit D. Nauarr. loco citato num. 136. ante huiusmodi Extrauagantem Pij V. pactum illud potuisse apponi, quia pœnę, (vt ipsemet docet loco citato num. 93.) debent esse moderatę, ita vt aliter sint iniquæ, nec soluendæ: pœna autem dupli propter solam moram non est moderata, sed grauissima.

Eadem ratione iniquum etiā erit pactum, quo vēditor cēsus obligauerit se ad soluēdū post terminum lapsum singulo quoque die ducatum, vel dimidium ducati, vel quid simile procuratori, aut nuntio creditoris, ad recuperandam pensionem misso, Iniquum autem est vbiq; tam in locis in quibus Constitutio ista Pij V. obseruatur, quam in alijs vbi recepta non est, quia esset pœna grauissima & multum excedens. Poterit autem constitui, vt sumptus, quos procurator ille vel nuntius fecerit ad pensionem recuperandam propter illius moram, teneatur persoluere, nam hos sicut alias expensas (vt ex dictis constat) persp picuum est omni iure à debitore, cuius culpa fiunt, deberi. Cętera vero pacta, ex quibus creditor aliquid recipiat vltra iustam pensionem, vel damna, quę vere passus est, siue expensas quas vere fecerit, iniqua sunt & vsuraria. Quia perinde se haberet emptor census in illis, ac si exigeret illud vltra sortem.

Denique postulat hic locus explicemus.

Controuersia XII.

AN IN CENSV REDIMIBILI *de quo hic agimus, possit ex mutuo consensu contrahentium imponi morosso debitori, vt incidat in pœnam commissi?*

DOMINICVS Soto lib. 6. de Iust. q. 5. ar. 2. habet non esse illud ex suo genere iniquum, vt qui vno vel duobus annis non soluerit annuum redditum, possessionibus censui obligatis expolietur: quia potest mutuo contrahentiū consensu hęc pœna imponi. Barthol. Albornoz lib. 3. de arte contractuum tit. 2. qui est de sensu redimibili doctri. 3. censet pactum commissi in contractu census nullum vitium, aut iniquitatem continere, cui in hac parte subscribunt nonnulli Iurisperiti Hispani in explicatione legis Taurinę, quam statim afferemus.

Ducunturq; in hanc sententiam duplici potissimum ratione, Primo, Quia vnicuique licet de bonis suis disponere, & quibus ipsi libuerit pactis, & oneribus illa subijcere, poterit ergo inter emptorem & venditorem census ita constitui, ac pacisci, vt si tanto tempore fuerit in mora, res censui illi subiecta cadat in commissum. Et confirmatur communi vsu multorum Tabellionum, qui in Regnis Castellæ instrumentis censuum hanc pœnam & conuentionem adhibent.

Secundo, lib. 5. nouæ recopilationis tit. 15. l. prima, quę est l. 68. Tauri. habetur, vt si quis suis fundis censum imposuerit sub ea conditione, & pacto, vt si in hoc vel illo termino non soluerit, cadat à iure quod in illos fundos habebat, & subijciantur legi commissi, seruetur contractus & conditio, & iuxta illam pronuntient Iudices: Vbi aperte habetur sententia quam isti DD. amplectuntur.

Denique si hæc conditio admitti non posset, id certe esset, quia huiusmodi pœna est grauissima, & nimium excedens; ad iuxto commu-

communem doctrinam Iurisperitorum pœna conuentionalis, quantũuis grauis sit constitui potest ex mutuo contrahentium consensu, & seruanda est.

Oppositum docent Nauar. in Manuali Latino cap. 23. num. 68. & in commento de vsuris num. 93. vbi quamuis non agat expresse de pœna commissi, satis tamen illud insinuat, cum constituat debitorem census non posse obligari, vt ex mora expolietur re censui subiecta, vel aliqua illius parte. Couarru. lib. 3. varia resolut. cap. 7. num. 1. aperte docet in his censibus non habere locum pœnam commissi: quod iam ante hos docuerat Cõradus. Idem sentiunt multi Iurisperiti, & est inter eos communis hæc pars.

Potestq; efficaciter probari, Primo, Quia vt recte argumentatur Couarru. Hæc pœna commissi est odiossa, habetq; rigorem â quo æquissime fugitur, iuxta regulam Iuris *Odia restringere &c.* Confirmaturque ex eo, quod etsi in Canonico iure statutum sit non esse admittendas constitutiones quæ Ecclesiis damnum aliquod inferant cap. 1. De consuetudine. Nihilominus valebit consuetudo, quã alicubi inductum fuerit, emphytheutam Ecclesiæ non cadere â iure circa rem emphytheuticam, etiamsi per triennium pensionem soluere omisserit, vt docent Abbas Concil. 72. col. 2. lib. 1. Decius in dicto cap. 1. De consuetud. & alij quos ibi reffert Couarr.

Secundo, Quotidie fit, vt censui cuius sors est 100. aurei suponatur prediũ valẽs 1000. quid autem magis iniquum? quam vt pro omissione solutionis pensionis 6. vel 7. aureorum per tres, vel quatuor annos, expolietur debitor pretio valente 1000. aureos, cuius ille absolutum plenumque dominium habebat?

Tertio, Omne pactum, quo emptor census recipit lucrum aliquod vltra sortem iniquũ est, & vsurarium; at si propter moram, vel omissionem solutionis per aliquot annos, res censui subiecta esset emptoris census, vides quantum lucrum hac via reciperet vltra sortem.

Quarto, Census de quo hic agimus, & emphytheusis differunt maxime interse, adeò vt preter id quod est tam per emphytheusim quam per censum obligari debitorem ad per soluendum annuum redditum, in alijs conditionibus, quæ sunt propriæ emphytheusi propter dominium directum, quod conuenit domino emphytheusis, quod tamen non conuenit domino census, differat adeò cẽsus ab emphytheusi, vt repugnẽt ille, naturę census. Perspicuum autem est, ex his quæ secundo art. huius questionis diximus, exphytheutam non soluentem propterea cadere â iure, quia illius rei, quę emphytheusi subiecta est, habet dominus emphytheusis dominium directum, ita vt emphytheuta non soluente consolidetur rursum in creditore dominium vtile cum donimio directo.

Denique consuetudo, quæ optima legum interpres est, maxime quæ â peritis optimisque iudicibus obseruatur, hanc sententiam maxime confirmat. Refert autem Couarru. loco cita. iuxta praxim & forensem vsum in supremo Regis nostri tribunali legem illam citatam ab authoribus alterius opinionis circa huiusmodi contractus, & cum ea conditione, licet expresse illud habeat, nõ tamen probari, neque obseruari, nisi in censu perpetuo & irredimibili, quando fundus vel possessio illi suposita eius erat, qui pensionem sibi ex eo soluendam in ea constituit: In alijs vero censibus quamuis illa pœna cõmissi ex mutuo & libero contrahentium consensu imposita sit, & in instrumento & scriptura contractus expresse habeatur, creditorq; illam seruari postulet, non obseruari, optimis Iudicibus legem illam â recta ratione & equitate alienam iudicantibus, nec legislatoris animũ alium fuisse, quam circa solos census perpetuos illis rebus impositos, quarum domini cẽsuum veri domini erant, legem illam ferre.

Ex his facile est diluere argumenta quæ ab alijs afferuntur.

Ad primum respondeo, quo iure naturæ licet vnicuique de suis bonis disponere, & quibusuis oneribus ac pactis illa subijcere, eodem quoque iure naturæ dictari ne pacta iniqua, & â recta ratione maxime aliena contractibus humanis adhibeantur, quale esse huiusmodi pactum de incurrenda pœna comissi in censu redimibili, ex dictis constat. Ad cõfirmationem dico, non esse probandam consuetudinem istam tabellionum, conditionem adeò iniquam apponentium, & propterea merito â iudicibus nullã rationem illius haberi.

Ad secundum ex dictis patet solutio. Lex namque illa non obseruatur in tribunalibus Regijs vt aliena â recta ratione, preter quam in censibut perpetuis, impositis rebus quarũ, domini census, domini quoque antea erant, tradideruntque illas censuariis sub ea conditione, vt si per aliquot annos solutionem pensionum omitterent, caderent â iure, quod recte potuerunt, censuario in eam pactionem consentiente, sicut poterant cum illarum rerũ absolutum plenumque dominium haberent,

tradere

tradere illas sub contractu emphytheusis.

Ad vltimum. Quam vim habeat pœna conuentionalis in foro exteriori & contentioso, non est mei muneris disputare. Iurisperitorū illud proprium est: at in foro cōscientiæ pœnæ conuentionales nisi moderatæ sint, ac æquitati rectæque rationi consonę, non sunt censendę obligare, sed tanquā iniustæ & iniquæ, nec imponendæ, nec executioni mandandæ, imo debet peritus prudensq; cōfessarius quotiescunq; deprehenderit, in contractu aliquo humano & ciuili appositam esse pœnam rectæ rationi, & ęquitati pugnantem, debet admonere pœnitentem, vt illa ab istrumento contractus deleatur, vel saltim per chirographum securumreddere alterum contrahentē, illam nunquam esse executioni mandandam. Quod si aliquando executioni illa mandata sit, restituendum est alteri, quidquid ea ratione persoluerit, & omnia damna ex ea solutione subsecuta.

Ex his constare poterit, verum quoq; esse, quod docet Nauarr. in commento de vsuris. nu. 138. affirmans iniquum esse pactū & clausulam, qua venditor census faceret copiā emptori, capiendi authoritate propria rem cēsuariam ob cessationem solutionis. Nam sequeretur, vt propter omisionē solutionis 10. vel 12. aureorum expoliaretur censuarius fundo valoris mille aureorum, & quod peius est sine sententia iudicis, quod est iniustū, & multarum iniquitatum occasio, & merito iure prohibitum. Licebit emptori census, exigere apud iudicem pensiones sibi debitas, ita vt nisi alia bona habuerit, vnde illa recuperētur, tunc authoritate iudicis vendantur, quæ immobilia habet, potisimè si illa subiecta cēsui, existunt, ita vt ex illorum pretio sors vna cum pensionibus debitis restituatur, sicut refert Nauarrus in commento citato fieri in Regno Nauarræ, esseq; sancitum legibus illius Regni.

OCTAVA CONDITIO.

QVAM exigit Pius V. in sua Extrauagan. est, ne augeatur census, vel de nouo creetur in eadem re vel aliqua alia in fauorem eiusdem emptoris, vel alterius ex pensionibus debitis, vel debendis. Hæc conditio, sicut in singulis dicimus, obseruāda est, vbi cōstitutio hæc recepta est, & obseruatur. In Hispania verò, & alijs Prouincijs vbi recepta non est, constat iam ex his quæ diximus cōtro. 8. huius articuli, posse institui censum ex debitis verè ac re ipsa subsistentibus, seclusa omni fraude, & dolo: Qua ratione poterit etiam constitui ex pensionibus verè ac realiter debitis, si eas recepisset creditor, cum illi verè debeantur, in similem vsum & censum paratus erat illas conuertere: Ex debendis verò, nec dum actu & re ipsa debitis nullomodo licet censum constituere, Tum, quia pretium census debet esse presens, quod autem nondum debetur presens non est dicendum, Tū, quia esset aperire viam pluribus dolis, & vsuris. Vnde neque in contractu poterit apponi conditio, vt ex eis quando fuerint in termino, & actu debitæ, constituatur, vel augeatur census: quia esset priuare venditorem facultate soluendi liberè pensionem in numerato, sine noua constitutione vel augmento census, qua facultate illum priuare, est cōtra naturam huius contractus, & peculiare onus, & grauamen extra natiuam & propriā obligationem, quam natus est hic contractus inducere, & ex consequenti diuerso pretio ęstimabilis.

NONA CONDITIO.

QVAE exigitur in eadem Extrauag. est, tollenda esse omnia pacta, quibus alter contrahentium obligetur ad aliqua onera, ad quæ alias, vel iure naturæ, vel ex natura contractus non tenebatur. Quæ conditio iustissima est secundū se, & natura rei, & ideo vbiq; vel solo iure naturali illud precipiēte, obseruanda est, non solum in constitutione census, verumetiam in omni contractu: nisi ratione illius oneris, quod in contractu superadderetur, nouum distinctumque pretium, illi oneri & grauamini iustū, & arbitrio prudentum commensuratum redderetur: vt ex superius dictis constat.

Controuersia. XVIII.

AN RE ILLA, CVI CENSVS *impositus est, in totum vel ex parte pereunte, vel fructibus illius, debeat etiam simili proportione census perire?*

EXIGIT Pius V. in sua Extrauagan. quam hic percurrimus hāc cōditionem tamquam 10. Vt re illa fructifera, cui census impositus est vel parte eius pereunte, siue infructifera & inutili reddita, tantundem quoque pereat cēsus illius. Quæ conditio vbi viget constitutio Pij V. obligabit quidem omnium consensu,

vbi autem illa non obseruatur, vt in Regnis Hispaniæ, An absolute, & stando in solo iure naturę obliget? cōtrouersum est inter DD.

Nam Author Summæ Conciliorum loco superius citato in vita Calixti III. & Nauarrus in cōmento de vsuris. nu. 115. q. 19. quibus nonnulli recentiores subscribunt, sentiunt vbique esse illam seruandam ex natura & propria ratione huius contractus: Quod his potissime rationibus confirmant.

Primo, ex illis Extrauagantibus Martini V. & Calixti III. quibus consonat Motus proprius Pij V. habent enim illæ, pereuntibus fundis, & bonis obligatis censui, non esse compellendum venditorem ad soluendum censum. Vnde quatenus perierint, eatenus etiam secundum proportionem, & ratam liberabitur venditor census à solutione annui redditus.

Secundo, ex censu nascitur quoddam ius reale in rem illi suppositam, vt multi iurisperiti sentiunt, ius autem reale perit, perempta ea re quam illud respicit, ergo & census pereunte re illi subiecta peribit. Et confirmatur ex illo Axiomate, quod habetur Cano. Cum Paulus. 5. q. 1. *Destructo fundamento corruit ædificium.* Sed census constituitur & fundatur in re illi subiecta, ergo ea pereunte necesse est illum quoq; similiter perire, in totum, vel in partem, pro vt res illa perierit.

Tertio, Quæ ratio est emphytheusis ad rem emphytheuticam, eadem quoque est census ad rem illi suppositam, at pereunte re Emphytheutica, vel ea destructa, aut reddita inutili, perit ius emphytheusis, ergo & pereunte re censui subiecta, debet quoque ille similiter perire, vel minui.

Quarto, Licet venditor teneatur de euictione rei, cui census imponitur, & ad efficiēdas idoneas in futurum (vt superius dicebamus (hypothecas, non tamen tenetur ad efficiendos securos fructus illarum, quia hoc est alienum à recta ratione: at census est emptio rei cui ille imponitur, aut saltim fructuum, vel partis fructuum illius, ergo ea, vel fructibus in totum, vel in partem pereuntibus, debet simul & census in totum, vel in partem perire.

Oppositum docent Conrra d. De contract. q. 74. conclus. 4. Carolus Molinæus de vsuris. nu. 22. quem sequitur Couarru. lib. 3. Varia resolut. cap. 7. nu. 6. Dominicus Soto. lib. 6, De Iustitia. q. art. 1. Palatius lib. 4. De contract. cap. 6, Felicianus de Solis lib. 1. De censibus. c. 8. nu. 19. & pleriq; recentiorum, qui de his scripserunt: affirmantes in huiusmodi censu redimibili, de quo hic loquimur, non perire censum & obligationem persoluendi annuum redditū, etiam si res illi subiecta omnino pereat, & destruatur. Quia obligatio, quæ consurgit ex huiusmodi censu, precipuè & potissimè est personalis, qua venditor illius obligat se ipsum ad persoluendum annuum redditum, licet assignet in securitatem rem illam, super quam constituitur, sicut posset assignare fideiussores: Quo fit vt sicut pereuntibus fideiussoribus, nō periret census, quia semper manet debitori obligatio personalis, eadē ratione, esto pereat res censui subiecta, manet semper venditori census, vt personæ illi obligatæ, obligatio persoluendi redditum. Vnde omnia argumenta quibus probauimus controu. 5. huius art. posse constitui censum in persona, & in quibusuis bonis, & obligationem consurgentem ex contractu census personalem potius esse quàm realem, probant similiter hanc sententiam.

Quam nos etiam censemus veram, vbi constitutio ista Pij V. recepta non est, nec obseruatur: vt pereunte re censui subiecta, non pereat census. Confirmatque illud consuetudo omniū Tribunalium, & Iudicum, qui quantūuis hypothecę perierint, obligant nihilominus vēditores censuum, & hæredes eorum ad persoluendos annuos redditus.

Peribit nihilominus census, & obligatio reddendi pensionem in triplici tantum euentu. Imprimis, quando census fuerit fructuarius, ita vt venditor solum vendiderit partem fructuum quos fundus aliquis reddiderit, cū in eo casu solum obligauerit se ad reddēdam partem eorum quæ res illa contulerit, consequenter vbi nihil illa tulerit, vel omnino perierit, ad nihil tenebitur vēditor ille huiusmodi census fructuarij: Quia vendidit sub ea cōditione, qua cessante cessat pariter obligatio.

Secundo, quando esto census qui constituitur pecuniarius sit, conuenit tamen venditor illius cum emptore, se obligare tantum illi cēsui rem illi suppositam, illiusq; fructus: Tunc enim illa omnino pereunte, cessabit simul omnis obligatio, cum sub ea conditione fuerit inita. Pereunte verò parte fructus, si quæ manet, sufficiat toti pensioni, reddenda erit in integrū, cum supersint fructus illi obligati, illique sufficientes: Quod si ea quæ manet, non sit sufficiens, ad integram pensionem exhibendam, ad id tantum tenebitur, ad quod illa sufficiet, & nō amplius: cum iuxta solum valorem fructuum obligauerit se venditor ad pręstandam annuam pensionem.

Tertio, quando venditor census pecuniarij rem

rij rem illā alteri tertio vendiderit consentiente domino illius census, tunc si res illa perierit, non tenetur amplius illius rei emptor ad censum: quia hic sola ratione & titulo illius rei à se emptæ se ipsum obligauerat, qua pereunte vel destructa in totum cessat titulus ille & ratio, virtute cuius erat obligatus.

Dixi cum consensu primi emptoris & domini census, quia si illo inscio & inconsulto fuerit vendita, quamuis secundus emptor illius rei (vt modo dicebamus) non teneatur amplius, prior tamen venditor semper manet obnoxius solutioni annui redditus; quia obligatio personalis illi imposita ex prima constitutione census non tollitur, eo quod rem censiticam vendiderit, nisi quando dominus census ita consentit in venditionem illam, vt simul consentiat, primum venditorē census ad illū amplius nō teneri. Dixi etiā re illa in totum pereunte, quia si ex parte tātum pereat, tenebitur ad persoluendum ex remanente, quantum ex illa poterit, sicut in proxime præcedenti casu dicebamus.

Preter hos tres casus, pro vt à nobis explicati sunt, tenetur venditor census ad annuum redditum persoluendum, etiam si res illi subiecta omnino pereat. Neque argumenta in oppositum adducta aliquid efficaciter probant.

Etenim quod spectat ad Extrauagantes illas Martini V. & Calixti III. illæ solum referunt conditiones, cum quibus census de quibus fuerunt consulti, constituebantur: probantque illas, (vt sepe diximus) minime vero præcipiunt, aut definiunt illas tāquam necessarias. Adde quod ad presentem quæstionem spectat Summos Pontif. non habere, vt re, censui subiecta pereunte, pereat simul census, & obligatio prestandi annuum redditum, sed id solum, ne teneatur venditor census, ad restituendum pretium illius; Vbi enim res peribant, compellebant emptores censuum, venditores ipsos, vt pretium quod acceperant illis restituerent, quasi venditor census ad illius rei perpetuam consistentiam se ipsum obligasset, sub pœna restituēdi pretium. Hoc pactum tamquam iniquum reicit ibi Martinus V. cuius verba sunt de restitutione pretij agens: *Sed ad hoc, huiusmodi censuum venditores inuiti nequaquam per emptores arctari, vel astringi valerent, etiam ipsis possessionibus, & bonis obligatis penitus interemptis, vel destructis.*

Ad secundum respondeo, ius reale, quod ex censu nascitur in rem illi subiectam, non tollere obligationem personalem, quam venditor census per eundem contractum sibi imponit, datum fideiussorem sui debiti, non eximitur ab obligatione personali persoluendi illud. Ad confirmationem dico, fundamentum huius obligationis soluendi annuū redditum, non esse rem illi censui subiectam, sed contractum inter vtrumque initum, quo venditor census ad illum præstandū se obligauit, contulit vero in eius securitatem rem illam, & hypothecam: vnde semper manet fundamentum istius obligationis, nempe vis illius contractus inter eos initi, ex quo precipue ac potissime nata fuit obligatio personalis.

Ad tertium respondeo, non esse eadem rationem census & emphytheusis, Quia in emphytheusi totum ius est reale, in solam rem emphytheuticam, sub eaque ratione constitutum, vt illa tantum res illi obligatur, vt constat ex his quę diximus art. 2. huius q. in censu vero obligatur precipue persona, & ius percipiendi annuum redditum potissime est in persona venditoris.

Ad quartum constat satis ex dictis, censum non esse emptionem rei cui imponitur, nec fructuum illius, sed iuris percipiendi, â venditore illius ex quibuscunque bonis ipsius, annuum redditum, quod ius cum precipuè sit in personam, non perit, etiam si pereat res quæ censui fuit subiecta tamquam illius hypotheca, & fideiussor.

VNDECIMA CONDITIO.

QVAM habet constitutio Pij V. est, vt possit venditor census illum extinguere, ac redimere quotiescunque ei libuerit reddito eodem pretio, non obstante quacunque prescriptione, etiam longissimi temporis, vel 100. annorum, qua videatur effectus perpetuus & irredimibilis. Circa hanc conditionem multa sese offerunt discutienda, quibus explicatis, quę ad illam pertinent simul explicata manebunt.

Primum igitur videamus.

AN FACVLTAS REDIMENdi censum, venditori in hoc contractu concessa, quæ dicitur pactum deretrouendendo, reddat illum iniustum?

CONRRADVS quæst. 83. cōclus. 1. in fine refert testimonium Baldi affirmantis in cap. 1. col. vlt. De iureiurando, quæstionem hanc

 fuisse

fuisse maximè controuersam, & agitatam inter Theologos sui temporis. Et conclus. 3. & 4. refert quēdam Iurisperitum hoc pactum de retrouendendo damnasse tamquam iniustum, confirmasseque illud authoritate eiusdem Baldi loco citato. Et in l. Emptione. Cod. Plus valere. & Hostiensis in Summa tit. De vsuris §. Qualiter. & cuiusdam Federici de Senis, qui in suo Concilio vltimo. affirmabat errorem esse iudicare hoc pactum iustum, & licitum. Quam opinionem his rationibus Iurisperitus ille probare nitebatur.

Primo, Hic contractus aut est vera emptio & venditio, aut mutuum: si mutuum, cum ex eo conferens pecuniam recipiat lucrum pensionū, erit aperte vsurarius: Quod si vera emptio & venditio iuris percipiendi pensionem, debet necessario pretium illius ita transire in venditorem, vt non teneatur illud vnquam restituere, & similiter, ius illud ita pleno perpetuoque iure transire in emptorem, vt nunquam illo expolietur: cui tamen iuri emptoris repugnat pactum illud.

Secundo, In omni contractu debet esse par & æqua conditio vtriusque contrahentis, at emptor non potest apponere pactum retroemendi, ita vt quando ipse voluerit, teneatur venditor censum illū redimere, ergo neque venditor poterit apponere pactum de retrouendendo, ita vt quotiescunque ipsi libuerit, teneatur emptor, restituto sibi pretio quod contulerat, resignare ac restituere venditori ius illud percipiendi annuum redditū, quod ab eo emerat.

His tamen non obstantibus communis tam Theologorum, quam Iurisperitorum sententia habet, pactum huiusmodi iustum esse, & honestum. Ita docet Ioan. Maior in 4. dist. 15. quæst. 43. vbi affirmat hanc opinionem communē esse. Conrrad. De contract. quest. 83. conclus. 1. Ioan. Gerson. Cancel. Parisien. De contract. p. 1. consideratione 6. & 7. & p. 2. propositio. 1. 2. 3. & 4. vterque Medina, Compluten. Cod. De restit. cap. De censibus, quo ad eorum institutionem. Et Salmanticen. in sua summa cap. 14. §. 25. regul. 7. non enim negat ibi hoc pactum iustum esse, (vt opinatur Petrus Nauarra lib. 5. De restitutio. cap. 2. num. 93. & 94. vbi immerito illum reprehendit) sed nonnunquam ex circunstantia aliqua illud vitiari, efficique iniustum, quod est verisimum. Soto lib. 6. de iust. quæst. 5. ar. 3. Nauarr. in manuali. cap. 17. num. 248. & in commento De vsuris: num. 78. 96. & 115. & vbicūque huius pacti meminit, & omnes recentiores Theologi qui de censibus, & huiusmodi pacto scripserunt. Ex Iurisperitis Ancharra. Abbas. Immola in cap. Ad nostram. De emptio. & venditio. Angelus & Paulus de Castro in l. 2. Cod. De pactis inter emptor. & vendit. Tiraquell. in lib. de Retractu in princip. & alij multi; quos refert & sequitur Didacus Couarru. lib. 3. varia Resolut. cap. 8. num. 4. Quin & Conradus loco citato refert Martinum V. quæstionem hanc cōmisisse Guillermo præsbitero Cardinali tituli 5. Marci, illumque cum in ea examinanda multorum peritorum consilio fuisset vsus, vt idem Martinus in sua Bulla testatur, affirmasse contractum census cum huiusmodi conditione iustum esse, ac licitum, edidisseque de ea re tractatum qui incipit: Abbas sancti Iacobi &c. Tum etiam in Concilio Constantiensi cui adfuit idem Martinus V. assertionem istam multorum Cardinalium, Episcoporū, peritissimorumq; DD. tā Theologorum quam Iurisperitorum subscriptione fuisse confirmatam.

Probatur vero illa efficacissimè & authoritate, & ratione. Imprimis authoritate Sedis Apostolicæ, Nam Martinus V. & Calixtus III. consulti, An census cū hoc pacto de retrouendendo, & aliis conditionibus, quas superius retulimus, constituti sint liciti, respondent, ac definiunt in suis Extrauag. iustos esse, & nullam vsurariæ iniquitatis labem cōtinere, & Pius V. non solum probat illud in sua constitutione, verumetiā pręcipit ac vult, non esse iustum censum, nisi cum tali pacto & conditione celebretur.

Vtor iam ratione. Si hoc pactum & facultas redimendi censum, quotiescunque venditor ipsius illud voluerit, esse iniqua & turpis, certe id esset vel ratione alicuius vsuræ, vel ratione alicuius iniustitiæ, quæ contractui census propter hoc pactum misceretur: at neutrum horum accidit ratione huius pacti, & conditionis, ergo licet illam adhibere. Probatur minor. Imprimis non interuenit ratione illius aliqua vsura, quia vsura solū habet locū in mutuo vel implicito & palliato, vel aperto & explicito, census autem ratione huius pacti nullo modo potest reduci ad mutuum; cum sit de intrinseca ratione mutui, vt illud recipiens teneatur aliquando restituere acceptum, ei à quo illud accepit, possitq; ad illud compelli, per huiusmodi autem pactum, manet quidem facultas venditori qui pretium census accepit, redimendi illud restituto

stituto eodem pretio, minime vero tenetur ad illud, neque potest ad id compelli, vnde per hoc pactum nullomodo census efficitur mutuum, & ex consequenti neque habet ibi locum vsura.

Neque iniustitia aliqua. Probatur, cum hic contractus (vt constat) sit reipsa emptio & venditio, pactum huiusmodi vitiare illum aliter non potest, nisi quia vel repugnet illud naturę emptionis & vēditionis, vel quia propter illud desinant reddi iustum pretium, vel tandem quia imponatur alicui contrahentium aliquod onus & grauamen, quod non liceat: sed nihil horum accidit in censu propter facultatem quæ manet venditori redimendi illum. Patet. Imprimis, ex natura ipsa contractus emptionis & venditionis illud non repugnat, passim enim venduntur fundi domus, aliæque possessiones cum hoc pacto, vt quotiescunque primus illarum venditor pretium earum restituere voluerit, valeat illas recuperare, quod Hispane dicimus *Con carta de gracia*. Fuitque illud vt honestum inter Romanos receptum, habeturque l. 2. Cod. De pactis inter emptor. & vendit. Quid enim rectæ rationi magis consonum, quam cum sepe huiusmodi possessiones propter debita, vel alias necessitates dominorum vendantur, ne miser venditor perpetuam faciat rerum suarum iacturam, vt maneat illi facultas ad recuperandam rem suam, pretio quo fuerat vendita restituto. Quod & in censu locum habere similiter recta ratio docet, cum ille communiter non vendatur nisi à venditore indigente. Confirmaturque illud apertissimo Sacræ scripturæ testimonio, Leuitic. 25. vbi dicitir: *Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos aduenæ & coloni mei estis: Vnde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur*: Nec est dicendum, Deum illud potuisse præcipere, quia supremus erat verusque dominus illius terræ Israëlitis concessæ, quasi non liceat idem in alijs Prouincijs, cum *Domini sit vniuersa terra, & plenitudo orbis terrarum*: aut præciperet Deus Israëlitis quod in alijs locis sit iniquum, absint hæc à fidelium mentibus. Constat ergo ex hoc Sacræ Scripturæ testimonio, pactum istud neque iniquum esse secundum se, neque naturæ emptionis & venditionis repugnare.

Iam neque ratione huius pacti minuitur vel augetur iustum pretium: Quia iustum pretium census perpetui, & qui redimi non possit, (vt artic. sequenti videbimus) iuxta leges aliquarum prouinciarum, vel communē vsum fori, vbi nihil lex præscribit, est, vt pro vno aureo annui redditus persoluantur 28. vel 30. parum plus vel minus, iuditio autem peritorum, & prudentum in his commertijs & contractibus pactum hoc, & facultas, quæ ius quoddā est & obligatio imposita emptori, est pretio æstimabilis, censeturque æstimanda pretio vt 14. vel 15. vel saltim in medietate pretij, quod in eo loco & patria, in qua census instituitur, solet emi census perpetuus, & irredimibilis Cum ergo pretium census, qui constitueretur sine hoc pacto, iustū & debitum sit, v.g. 28. pro vno, reddantur autem, vbi constituitur, cum hoc pacto, 14. pro vno, huiusmodi verò pactū æstimetur valere alia 14. seruatur profecto omnino iustum pretinm.

Et confirmatur, iustum pretium est, quod habetur aut lege, aut communi vsu fori, sed tam legibus regnorum. vbi huiusmodi censibus leges pretia præscribunt, vt in Castella, quam communi vsu fori, vt in hoc regno Valentino, & alijs similibus, venduntur huiusmodi census redimibiles, in medietate eius prerij quo emeretur cēsus perpetuus, tamquam iusto pretio, ergo ratione huius pacti de retrouendendo non desinit hic contractus sub iusto pretio exerceri. Vnde Martinus V. & Calixtus III. pretia quibus vendebantur in illis regionibus, à quarum incolis fuerunt consulti, cum isto pacto, iudicarūt iusta, nec ratione huius pacti à ratione iusti pretij recedere.

Denique neque imponitur per hoc pactum alicui contrahentium grauamen aliquod, vel onus, aut iniustum, aut naturæ huius contractus repugnas: propterea quod facultas hæc quæ manet venditori, vt possit censum redimere, imponat simul emptori obligationem, qua tenetur quotiescunque venditor censum redimere voluerit, iuri illi censitico renuntiare, ac eo priuari. Quia licet obligatio hæc onus quoddam sit, ea tamen non repugnat (vt ex dictis constat) contractui emptionis & venditionis, neque huic in particulari, cum propterea dicatur census redimibilis, quasi institutus cum hac facultate venditoris, & obligatione emptoris, vt possit redimi: neque suscipit emptor hoc onus gratis, vel inique, cum ratione illius non conferat nisi medietatem eius pretij, quod debuisset conferre, si fuisset census sine tali onere ipsius & venditoris fauore constitutus.

Vi de qui hoc pactum damnant, vel ini-

 quitatem

quitatem aliquam in eo latere suspicantur, non recte considerarunt quanto pretio fuisset census sine hoc pacto constituendus, & quantum ab illo ratione huius conditionis & pacti detrahatur. Quemadmodum ergo licet emere censum perpetuum pretio. v. g. vt 30. licet & redimibilem pretio vt 15. cum illa 15. quæ detrahuntur, sint iustum pretium istius pacti, & facultatis redimendi, aut nisi hoc liceat, neque illud.

Præterea venditio iusta est & optima, etiamsi venditor non transferret in emptorem rem venditam secundum omne ius, sed retento apud se aliquo iure, vt in contractu emphytheutico, & fœudali accidit, in quibus venditur res aliqua pro pensione illa emphytheutica, seu fœudali, venditore tamen illius retinente apud se dominium directum, transferenteque in emptorem vtile tantùm illius dominium, ergo similiter in censu redimibili potest absque vlla iniquitate, & iniustitia tradi emptori ius percipiendi annuum redditum, retinente venditore penes se hanc facultatem redimendi illud, cum ratione huius facultatis detrahatur à pretio, quod valeret idem census sine tali facultate institutus.

Iam, constituto censu sine hac facultate, posset venditor rogare emptorem vt liceret sibi illum redimere, possetque emptor illam concedere, ergo hæc facultas non est iniqua, nec repugnat naturæ census, cum possit vnus illam precibus postulare, & alter concedere. Nunc sic, hæc facultas non est iniqua, nec repugnans naturæ huius contractus, potest autem quiuis pretio accepto obligare se ad conditionem, quæ neque iniqua est, nec contractui repugnans, hoc verò faciunt emptor & venditor census redimibilis in hoc contractu, interueniente tamquam iusto pretio tota illa parte quæ detrahitur à pretio census perpetui, & irredimibilis, ergo hic concontactus non vitiatur per huiusmodi pactum.

Denique confirmantur hæc omnia ex cap. Ad nostram. De emptione & venditione. vbi damnatur emptio facta cum pacto redemptionis, si interueniat pretium nimis modicum. Vnde à contrario sensu, si pretium fuerit iustum, contractus non vitiatur propter pactum retrouendendi. Et in cap. Illo vos. De pignoribus. Damnatur emptio facta cũ pacto de retrouẽdendo, apposita conditione, vt debeat venditor ad redimendum cõferre maius pretium quam acceperat, etiam si emptor obligauerit se ipsum ad computandos fructus in sortem. Vbi pactum redemptionis non damnatur, sed conditio illa restituendi maius pretium quam fuerit prius à venditore acceptum. Qua ratione textus isti intellecti optime probant nostrum institutum: quamuis videatur Conrradus loco citato opinari ex illis non sumi efficax argumentum.

Neque his repugnant authores, vel argumenta, quæ Iurisperitus ille cuius meminimus initio huius controu. afferebat. Nam imprimis Baldus (vt recte Conrrad. ibi docet) solum damnat censum cum hoc pacto constitutum minori pretio quam iusto. In eodem sensu & multo apertius loquitur Hostiensis, Alterius Doctoris non est habenda ratio: sunt enim illi præferenda tot Pontificum decreta, & aliorum DD. sententiæ, quas retulimus.

Ad primum argumentum patet solutio ex dictis, non enim propterea quod hic contractus vera emptio & venditio sit, repugnat illi pactum de retrouendendo, nam sicut potest venditor rem suam alicui vendere, trãslato in illum solo dominio vtili, & retento penes se directo, ita etiam potest vendere retenta sibi hac facultate, vt possit rem prius venditam restituto pretio accepto recuperare: non enim est necesse in venditione, rem venditam secundum omne ius in emptorem transferre.

Ad secundum respondeo, vt in sequentibus videbimus, plurimum differre inter pactum retrouendendi vel retro emendi, nam per hoc posterius contractus census fieret mutuum vsurarium, cum teneretur is qui pecuniam recepit, eandem post aliquod tempus restituere, & cum lucro pensionum quas illi interim persoluisset: per pactum autem retrouendendi, cum non obligetur qui pecuniam accepit ad illam vnquam restituendam, contractus hic nullo modo fit mutuum, neq; recipit aliquam labem vsuræ, vel iniquitatis seruato iusto pretio.

Ex his facile explicantur duę quęstiones huic contro. affines. Prior est.

AN PROPTER PRETIVM NI- *mis modicum, cum pacto tamen de retro emendo, contractus census efficiatur vsurarius?*

DOCTOR Nauarrus in Manuali cap. 17. num. 149. sentit paruitatem pretij inducere quidem præsumptionem, ac suspicionem vsure: in

ræ: In commento tamen De vsuris. num. 78. licet idem quoque sentiat, addit tamen conciderandum esse contrahẽtium animum, ita vt si animus eorum vere fuerit emere ac vendere ius istud censuale, contractus sit quidem iniustus ex deffectu iusti pretij, minime vero vsurarius: si vero animus vnius fuit recipere pecuniam quamuis cum iactura, alterius verò ex modica pecunia multum lucrum facere, esse vsurarium.

Couarru. lib. 3. varia resolut. c. 8. num. 4. refert sententiam multorum Iuristarum asserentium, contractum huiusmodi vsurarium esse tribus concurrentibus. Primo, pacto isto de retrouendendo, Secundo, paruitate pretij, Tertio, emptorem solitum esse fœnerari. Et in hoc sensu accipiendum esse cap. illud Ad nostram. De emptio. & venditio. vbi Innocentius venditionem quarundã possessionum factam cum hoc pacto, & cum deffectu iusti pretij (ait enim *quæ vix dimidiam iusti pretij contingebant*) iudicat vsurarium, quia emptor ille noluit gratis mutuare domino illarum possessionum, sed in fraudẽ vsurarum, (vt qui fœnerari solitus,) sub titulo illius iniquæ venditionis, pecuniam qua alter indigebat cum iniusto lucro conferre.

Glosa verò in cap. Conquæstus. De vsuris, quam sequitur magna Iurisperitorum turba, quos ibidem recenset Couarru. hanc tertiam conditionem vt emptor solitus sit fœnerari, non iudicat necessariam, sed illas duas sufficere, vt fiat cum pacto de retrouendendo, & pretio nimis exiguo, cum has duas tantum cap. illud Ad nostram recenseat.

Couarru. tamen eo loco rem diligentius considerans duplici nomine censet Innocentium illo cap. damnasse contractum illum tamquam vsurarium. Primo, quia obligabatur venditor illarum possessionum ad eas redimendas intra 7. vel 9. annos, ita vt nisi intra illud tempus eas redimisset, manerent perpetuo penes dominium emptoris pleno absolutoque iure; Et cum obligare venditorem ad redimendum intra certum tempus, acceptis interim ab emptore fructibus sit mutuum, & cum lucro vltra sortem, propterea contractus ille fuit iudicatus & merito non solum iniquus propter tenuitatem pretij, verumetiã vsurarius. Secundo, quia vbi pretium illud adeò exiguum, vt vix dimidium iusti contingeret, reddebatur, & cum pacto, vt nisi intra 7. vel 9. annos possessiones illæ redimerentur, manerent omnino emptori, erat proprie velut contractus pignoris, ita vt possessiones illæ essent obligatæ in pignus pecuniæ acceptæ sub ea conditione, vt nisi pecunia accepta intra illud tempus restitueretur, manerent pleno absolutoque iure penes eum, qui illam contulerat, vel saltim fructus pignoris illius, toto illo tempore quo non restitueretur: quòd genus pignoris iniquum est, & vsurarium: quia quacunque via istarum, qui dedit pecuniam, recipit ex illa sub tali pignore talique conditione collata, lucrum vltra sortem. Ex huiusmodi explicatione istius capitis Ad nostram. quam reddit Couarru. quæ vel textu ipso attente lecto optima & genuina esse deprehenditur, perspicuum fit, Imprimis, non esse necessarium tertium illud vt contractus censeatur vsurarius, nempe emptorem solitũ esse fœnerari, quia esto quis ita solitus sit, si contractus ipse à parte rei vsurarius non sit, praua consuetudo exercentis illum non efficit eum vsurarium. Sequitur secundo, non censeri in illo textu contractum vsurarium, eo quod fieret cum pacto retrouendendi, & pretio nimis exiguo, sed quia venditori facultas redimendi possessiones illas arctabatur ad certum tempus, ita vt illo expleto non posset amplius illas redimere: qua ratione reducebatur contractus ille ad mutuum, & pignus vsurarium. Vnde de proposita quæstione censerem, iuxta ea quæ superius dixi controu. 11. agens de pretio iniusto, hac ratione. Vt si pretium illud exiguum non deficiat infra dimidium iusti pretij census, contractus sit iniquus, & reducendus ad iustum, communeque pretium, iuxta quæ ibi docuimus: si vero deficiat infra dimidium, sit inualidus, & nullus, omninoque rescindendus ad arbitrium venditoris, qui in eo fuit deceptus, & læsus, & pensiones omnes ab emptore antea receptæ sint computandæ in sortem, ea ratione qua ibi expossuimus, perinde ac si fuisset re ipsa mutuum vsurarium.

Altera quæstio est.

AN SVFFICIAT OBLATIO *pretij ad redimendum censum, vel exigatur potius actualis illius traditio?*

QVAESTIONEM hanc disserit copiosse Carolus Molineus De vsuris. quæst. 39. num. 296. à quo illam cæteri mutuati sunt, reffertq; ibi varias de illa DD. opiniones & maxime

maxime controuersas: nobis qui iudicium cõscientiæ potissime respicimus, pauca sufficient. Sed imprimis illud obseruandum est, oblationem pretij duobus modis fieri posse, aut verbo solo, quæ dicitur oblatio pretij verbalis, aut actu & re ipsa oblata pecunia, & in præsentiã domini census adducta, quę dicitur oblatio realis, ad quam reduci debet consignatio, & depositio actualis illius in loco publico, vbi facta ea consignatione, & depositione perinde dominus illius eam habet, ac si actu illi & re ipsa tradita fuisset. Rursum hæc consignatio, seu depositio potest adhuc bifariam fieri, aut propria authoritate debitoris constituentis illam in eo locõ, aut decreto Iudicis. Porro dominus census redimendi, vel est perfectę ętatis vir, aptusque, & idoneus ad exercendos, celebrandosque contractus, vel est pupillus in minori ętate existẽs, & sub tutorum cura.

His positis dico tria: Primo, ad redimendum censum, ita vt annui redditus illius amplius non protrahantur, non sufficere oblationem verbalem, qua solo verbo significat venditor census emptori illius, se paratum esse ad illum redimendum. Tum, quia posset caute, & fraudulenter oblationem illam proponere, & differre actualem illius traditionem cum damno emptoris: fraus autem & dolus nemini debent fauere, vel patrocinari: tum maxime, quia sicut emptio non potuit fieri nisi in pecunia, vel pretio actu, & re ipsa tradito, ita quoque debet etiam illius redemptio ex natura contractus actu fieri.

Dico secundo, cum primum venditor actu affert pecuniam, adducens illam in præsentiã emptoris, vel consignat illam, seu deponit, vel in curia, vel in publico Reipublicę ęrario, admonetque ipsum emptorem illam iam ibi existere sub ipsius dominio, verè redimit censum, neque posse emptorem tuta conscientia ab eo die aliquas pensiones amplius recipere: quia realis oblatio vera & actualis pretij restitutio est, obligauit autem emptor se ipsum per pactum illud retrouendendi, cum primum actu pretium a se collatum sibi restitueretur, ad renuntiandum, & irritandum ius illud percipiendi annuum redditum.

Dico tertio hoc intelligendum esse, vbi dominus census est perfectæ ætatis suique iuris ad celebrandos contractus, quia si pupillus sit, & sub cura tutoris, exigitur pręter actualem & realem oblationem pretij decretum pretoris, nec ante illud, ius annui redditus pupillo cessat, non solum in foro exteriori, verumetiam in interiori: Quia Iura Ciuilia in fauorem pupillorum, ne bona illorum male distrahantur, volunt & iuste, ne circa bona immobilia minorum, illorum tutores contractus aliquos exercere valeant nisi interueniente Iudicis decreto, aliter esse illos omnino inualidos, & nullos. l. Si prędium. Cod. De prędiis mino. l. Lex quæ tutores. Cod. de administatio. tutorum. l. Si curatores habens. Cod. De integr. restitutio. minor. & per totum. ff. De rebus eorum. Ex consequenti tutor, qui sine decreto iudicis redemptionem alicuius census sui minoris celebraret, exerceret contractum inualidum & nullum: per contractum autem ipso iure inualidum & nullum, nullum ius acquiritur, vel amittitur. Sunt autem vna cum pretio census quod actu & realiter offertur, simul quoque offerendi redditus debiti, & decursi, adeo vt nisi illi simul cum sorte actu tradantur, non censeatur cessare ius illud censiticum, nec impediri cursus annui redditus.

Disputat hoc loco Ioan. Medina Cap. de censu redimibili fol. mihi. 163. §. *Esset dubium*: An facultate redimendi censum existente in potestate venditoris, teneatur emptor illius tempore redemptionis, fructus & pensiones receptas computare in sortem? Vbi affert Panormitan. in capit. Illo vos. De pignoribus. ita distinguentem: Vt si resolutio contractus & actualis redemptio pendeat ex libera voluntate venditoris, emptor census iustè pensiones acceptas retineat, nec debeat eas computare in sortem, si vero pendeat ex alio, ita vt venditor non possit censum redimere nisi adueniente alio emptore melioris conditionis, non possit prior ille emptor census, pensiones, aut fructus acceptos retinere, sed debeat illos computare in sortem. Multa quoque de eadem quæstione habet Couarru. lib. 3. Variar. resolut. capit. 9. numero. 1. & 2. circa venditiones rerum, sed illa ad forum cotentiosum potius pertinent. Nos quantum hic locus postulat, illud tantum cum Medina dicamus, emptorem, qui pretio iusto, seruatisque aliis conditionibus debitis censum emit, cum pacto retrouendendi omnes pensiones, quas ab illius venditore recipit, donec ille censum illum redimat, quacunque ratione in resoluendo, ac redimendo censum sese habeat, iuste retinere pensiones illius vt vere suas, nec debere illas computare in sortem: adeò (vt sicut paulo ante dicebamus) non habeat

beat locum redemptio cẽsus, quin omnes pẽsiones & redditus decursi in integrum emptori actu persoluantur, cum verè emerit ac contractu iusto & valido ius in illos, toto eo tempore quo census ille non redimeretur: acquisita vero iusto ac valido cõtractu, & iure, vere sunt eius, qui habebat, illud ius.

Difficilior tamen quæstio est.

Controuersia. IX.

An posit constitui census cum pacto retroemendi, ita vt obligetur venditor eius ad illum redimendum, quando emptori placuerit?

QVIDAM recentiores Thomistę ita circa propositam quæstionem distingunt, vt vel census qui creatur sit mere realis super re fructifera, certa, & definita constitutus, ita vt ea sola sit censui obligata, minime vero persona ipsa, vel alia illius bona, vel ita, vt persona quoq; venditoris obligata maneat, & vna cum illa alia ipsius bona, quę obligatio dicitur personalis. Quo posito docent. Primo, Quando in censu manet persona obligata, vel alia bona illius ad solutionem cẽsus, non posse absque vsura institui, vel emi censum cum huiusmodi obligatione & pacto retroemendi, non cõputatis omnibus pensionibus receptis in sortem & pretiũ, quo census ille redimẽdus est. Quia cũ hoc intersit (vt sepe diximus) inter censum & mutuum, vt in mutuo pecuniã acceptam teneatur mutuatarius restituere mutuãti; positq; ad id compelli, in censu vero, quia est vera, & realis emptio & vẽditio pecunia tradita, pretium abalienetur omnino ab emptore, & transeat in plenum absolutumque dominium venditoris, si census institueretur cum tali pacto, & obligatione redimendi illum, quando emptori placeret, vel in aliquo termino, re ipsa pecunia illa nõ esset pretium census, sed mutuum, & cum propter illã reciperet emptor census omnes pensiones sibi iam collatas, esset ex consequenti cõtractus, in quo reciperet ex mutuo, qui prius illã contulit, lucrum vltra sortem, quod est aperta vsura. Quod si non obligetur persona, sed sola res illi censui subiecta, & hypothecata, censent licitum esse emere censum cum tali pacto, vt posit emptor exigere à re illa post aliquot annos pretium quod dederat, non computando pensiones receptas in pretium, modo pro tali obligatione, & pacto reddatur venditori census peculiare pretium, iustum & equiualens vltra commune pretium census.

Quam partem ita probant. Primo, In hoc contractu ratione istius pacti nulla interuenit vsura, vel iniustitia, ergo licet constituere censum cum isto pacto, reddito iusto pretio pro illo. Probatur Antecedens. Imprimis nulla hic interuenit vsura: Quia vsura versatur circa mutuũ, in hoc autem casu nullũ est mutuum, nec implicitum, nec explicitum, ergo nec vsusura. Probatur Minor. In mutuo obligatur mutuatarius obligatione personali ad reddendum mutuum, in hoc autem casu venditor non manet obligatus ad reddendũ pretium, sed solum tribuitur emptori actio, qua posit ex re ipsa illud recipere, quia sola res manet obligata, nullo autem modo persona. Et confirmatur, quia mutuatarius in quocunque euentu manet deuinctus ad reddendum mutuum, etiã si res illi mutuata pereat, in hoc autem casu, de quo nunc loquimur, si res supposita censui pereat, venditor census, nec tenetur reddere pretium, nec soluere censum, nulla ergo hic existit ratio mutui, vel vsuræ. Neque iniustitię. Quia cum pactũ hoc sit obligatio ciuilis, quæ pretio æstimari, & vendi potest, reddito iusto pretio pro illa nulla interueniet iniustitia. Constituimus autẽ hic, ementem censum cum tali pacto, preter iustum pretiũ census, reddere aliud seorsum ab illo distinctum, iustum quoque, & cõmensuratum isti pacto.

Secũdo, Census est merx quędam inter bona immobilia computãda, at aliæ merces vel res possunt vendi cum huiusmodi pacto retroemendi, modo pro illo iustum, debitumq; pretium illi commensuratum seorsum tradatur, distinctum a iusto rei pretio; potest enim Petrus emere a Ioanne domum, aut vineam ea lege, vt post decenniũ teneatur Ioãnes eandem emere a Petro: habetque illud cõmunis DD. sententia, vt docent Silu. verbo Vsura. 2. §. 19. & Couarru. lib. 3. variar. resolutio. c. 9. nu. 3. ergo licebit quoque cum huiusmodi pacto censum vendere reddito iusto pretio illius. Ioan. Medina Cod. de contract. cap. De censu redimibili, fol. 168. §. *Quæ de pacto redemptionis, &c.* licet non afferat distinctionem istam (quãdo obligatur persona, vel quãdo obligatur sola res) habet nihilominus eandem sententiam, loquiturque aperte, vt ex contextu illius patet, de censu cui sola res obligata est: ita vt ea pereunte pereat similiter census, vtiturque eisdem rationibus, quibus authores isti vtuntur. additque alias.

Sitque teertiũ argumentũ in fauorẽ huius opinionis. Possum a te emere domum ea le-

ge, vt tenearis tu aliam domum quam alibi habeo, cũ mihi placuerit a me emere. Possum similiter vineam meam pro tuo horto commutare, sub ea conditione, vt cum mihi placuerit, rescindatur contractus non computatis in sortem fructibus receptis, ergo similiter licet in censu. Consequentia patet ex paritate rationis, cõtractus enim isti a contractu census de quo hic loquimur materialiter tantum differunt, quę differentia solius materiæ nõreddit diuersam iustitiam cõ tractuum: Antecedens autem ptobatur. Quia omnia ista pacta, & conuentiones sunt obligationes, & onera ciuilia, quæ pretio ęstimari possunt, & illo reddito iuste apponi in contractibus, modo non interueniat scandalum, infamia, aut dolus aliquis, vel deprauata mens, quæ solent contractus humanos vitiare.

Denique, vtrumque pactum de contractu rescindendo, tam in fauorem emptoris, quam in fauorem venditoris in iure approbatur: vt refert Panorm. in cap. Illo vos. De pignorib. & ibidem Glosa, & habetur in l. Quod si nolit. §. Si quid ita. ff. De ædil. edic. & in l. Si ita res. Cod. De cõtrahend. emptio. Eandem sententiam videtur habere Ioan. Immol. in dicto capit. Illo vos. De pignoribus: & Alexan xander concilio. 54. volumine. 6. vt refert Couar lib. 3. Variar. resolu. c. 9. in principio.

Ex his colligit Medina nonnulla, Primo tẽ pore redemptionis non debere venditorem census restituere emptori omnem pecuniam ab illo acceptam, sed solum pretium nudi census: nam quod accepit in pretium illius obligationis, in eius dominium fuit omnino, & absolute translatum pro obligatione illa, quã actu suscepit. Secundo, quando pactum apponitur in fauorẽ venditoris, rem censui subiectam minus valere, vbi vero apponitur illud in fauorem emptoris, retinere illam suũ valorem; quia in priori casu, venditor habet actionem ad rem traditam emptori, & ratione illius actionis valet minus, in posteriori verò non habet venditor talem actionem, sed manet libera penes emptorem in suo proprio valore. Colligit tertio iniquum esse contractum, in quo vtrunque pactum apponeretur, vt posset venditor redimere quando vellet, possetq; similiter emptor compellere ad redimendum, quando sibi placeret: quia per pactum retrouendendi acquiritur actio personalis, per pactum retroemendi actio realis illi opposita, absurdum autem est, vt ex eodem contractu duę actiones adeo sibi oppositę cõ surgant.

Oppositum docent Conrrad. de contract. q. 84. Soto lib. 6. De iustitia. q. 5. art. 3. Nauar. in commentario de Vsuris. num. 72. Palatius lib. 4. suæ praxis Theologicæ. capit. 6. Estque communis inter Theologos, quibus subscribunt Couarru. lib. citato cap. 4. numero. 4. Carol. Molinęus De Vsuris q. 51. nu. 355. & plerique Iurisperiti quos refert Couarru. loco citato num. 1. Qui sicut sentiunt non posse rem emi cum pacto retroemendi, quin fructus illius sint primi venditoris, & computentur in sortem, similiter iudicandi sunt sentire de censu. Docet ergo communis Theologorum sententia, nullum censum posse ita constitui, vt teneatur venditor illum redimere, positque ad illud ab emptore cõpelli, nisi computatis pensionibus receptis in sortem. Quod probant eo argumento, quo authores prioris opinionis docent, non posse hoc pactum adhiberi in censu ad cuius solutionem obligatur persona, quia tali pacto apposito contractus huiusmodi iam non esset census, sed mutuum cum lucro vltra sortem, quod est aperta vsura. Quæ ratio non solum procedit, habetque vim in censu ad cuius solutionem obligatur persona, verumetiam in censu reali cui sola res maneret obligata. Quod vt recte & exacte intelligatur, quasi per anatomen ad praxim contractum cũ huiusmodi pacto initum reuocemus: sic ergo argumentor.

In cẽsu redimibili (de quo hîc loquimur) vbi apponeretur pactum istud retroemendi, percontor, aut obligatur venditor ad restituẽ dum pretium, quod accepit, quotiescunque emptori placuerit, aut non obligatur vẽditor ipse, sed res tantum subiecta censui manet obligata, vt authores illius opinionis affirmãt. Quod si res sola, percontor rursum, quã do emptor census virtute istius pacti voluerit, pretium census quod dederat, recuperare, qua ratione illud recuperaturus est: Certe aliqua ex tribus viis, vel compellens venditorem, vt restituto pretio quod ei collatum fuerat, rem illam eximat ac liberet ab illo censu, vel compellens eundem vt re illa alteri vendita, ex pretio eius cẽsum redimat, aut propria authoritate, & sine interuentu censuarij illã sibi accipiens loco pretij, vel alteri vendens vt ex pretio illius recuperet pretium census: alia via vel modus nequit excogitari, qua ex re hypothecata emptor census posit pretiũ ab illa recipere; At nulla ex his viis liberabitur contractus iste a labe vsuraria: quod ordine quodam retrogrado procedens facile ostẽdo. Imprimis non potest emptor census, quãtumuis

tumnus ille realis constituatur, & sola re manente obligata, rem illam propria authoritate sibi vsurpare, aut alteri vendere, quia census (vt ex prima contro. huius artic. constat) non est emptio rei aut fructuum, sed iuris percipiendi annuum redditum a venditore census, in cuius securitatem & hypothecam offertur res illa: vnde in rem illam emptor census nullum acquirit dominium, neque vtile, neque directum, sed manet illa penes dominiũ venditoris pleno iure, non minus ac si nullus census fuisset illi impositus, rem autem alienam nullus potest sibi propria authoritate vsurpare, vel alteri vendere, Esto dominus illius illi debitor sit, sed sola authoritate iudicis res debitorum vendi possunt, quando illi debita sua nolunt persoluere; quod non accidit in hoc casu, distat enim toto celo pactum hoc retroemendi a debito annui redditus decursi, & non soluti. Progrediamur. Emptor census per pactum de retroemendo non potest authoritate propria ex illa pretium collatum recuperare, sed debet adire iudicem, vt compellat dominum illius rei, vel ad redimẽdum censum ex propriis, vel ad illam vendẽdam, vt inde pretium census primo emptori illius restituatur: obligatio igitur ex isto pacto consurgens necessario respicit personam venditoris, ita vt vel teneatur ipse pretium, quod acceperat restituere, vt rem illam a censu liberet, aut illam alteri vendere in eundẽ finẽ: Sed hec obligatio est personalis, vbi autem interuenit obligatio personalis, pactum de restituendo pretio (vt docent authores alterius opinionis) census non est census, sed mutuum vsurarium, ergo quacunque ratione census cum isto pacto constituatur, committitur vsura, nisi apponatur ea conditio, vt pensiones receptæ computentur in fortem: hac enim conditione adiecta, neque erit census, neque mutuum fœneraticium, sed impignoratio quedam illius hypothecæ, in securitatem pecuniæ mutuatę: qui contractus licitus est & honestus.

Et confirmatur. Obligatio omnis ex contractu aliquo consurgens nõ respicit res, quę sunt materia illius contractus, sed contrahentes ipsos, vel eos qui loco illorum succedunt: Sunt quidem res velut pignora, & hypothecæ, at, qui per contractum obligatur ad pactũ seruandum, & standum promissis, persona contrahentis est, aut is qui ratione illius rei illi succedit. Nam accidat obsecro contrahentem non stare pacto, a quo obsecro illud exigitur, siue priuatim siue apud iudicem illud exigatur? certe non a re hypothecata, quæ non est capax conuentionis alicuius, vel contractus, sed a persona quæ contractum exercuit, & in illud pactum concensit: Nisi iam in contractu census apponeretur pactum istud sub hac alia conditione, vt liceret emptori rẽ hypothecatam propria authoritate, ac sine interuentu iudicis, vel concensu venditoris sibi accipere, vel alteri vendere ad recuperandũ pretium a principio collatum: quę tamen cõditio non apponitur in censu redimibili, cum ea apposita iam non esset contractus census, seu venditio potius illius rei sub ea lege, vt venditor census rem illi subiectam apud se retineret, pensionesque solueret, donec placeret emptori illam sibi accipere, aut alteri tradere. Quę omnia a ratione census maxime aliena sunt, imo in genere census figmenta quędam.

Secundo, Docent authores illius opinionis, ratione istius obligationis conferendũ esse pretium aliquod iustum, distinctum a pretio illius census, ex quo principio sic argumẽtor. Pretium iustum, & ęquiualens commensuratum isti obligationi sumendum necessario est ex pensionibus, quas venditor redditurus est, donec censum redimere compellatur, reddere autem pretium huiusmodi pensionibus & oneri commensuratum, & æquiualens idem profecto est, quod valorem illarum anticipata quadam via restituere, ac illas cõputare in sortem: ergo pactum istud non potest apponi, nisi fructibus & pensionibus computatis in sortem, imo solutis antequam recipiãtur, aut in integrum aut fere æquiualenter: Quia pretium alicuius obligationis iustum & æquiualens illud est, quod commensuratur damno, quod vni contrahenti, & lucro, quod alteri ex ea obligatione prouenit. Vnde hoc pactũ tali pretio a principio reddito, constituere, re vera est pensiones recipiẽdas, vẽditori a quo recipiendæ sunt, anticipatẽ restituere. An non quiuis prudens iudicabit, vel hoc genus contractus figmẽtum esse? vel contrahentes nihil minus instituere, quam quod re ipsa in eo exercetur?

Fauet denique huic sententiæ communis Iurisperitorum doctrina, affirmant namque, vbi reuenditio in his contractibus commutatiuis confertur in voluntatẽ ipsius emptoris, fructus interim perceptos nõ effici ipsius, sed in sortem computandos esse: quia aliter contractus esset re ipsa mutuum vsurarium. Ita Panormitanus, & Ioan. Andr. in dicto cap. Illo vos. De pignori. Anton. Burgens. In cap. Ad nostram. De emptio. & venditio. Tiraquel. lib. 2. de Retractu. §. 5. Glos. 2. & alij

non

non pauci. Vnde pactum istud, nisi sub ea cō ditione constituatur, vt pensiones perceptę computentur in pretium & sortem, vsurariū est. Quod si computentur, iustum quidem, sed ad contractum potius impignorationis quam censūs pertinens, neque tunc aliquod pretium reddendum est pro tali obligatione, cum res illa tradatur in pignus, sintque fructus computandi in sortem.

Argumenta in oppositum facile ex dictis soluentur.

Ad primum respondeo, Reperiri in isto cō tractu verum mutuum, & ex consequenti vsu ram, quia obligatio ista (vt constat) licet imponatur rei vt hypothecæ, respicit etiam per sonam: cum semper maneat hypotheca illa penes dominium venditoris cēsus, non enim vendidit rem illam, neque vllum dominium illius in alterum transtulit, sed solum contulit illi ius censiticum, re illa in securitatē oblata. Quo fit, vt cum possit emptor cēsus per pactum redimendi, & antequam res illa pereat, & quotiescunque voluerit, vel obligare venditorem ad reddendum pretium si rem illam vellit sibi retinere, vel ad vendendam illam, vt inde sortem census ipsi restituat, contractum census cum tali pacto eodem omnino modo esse quoddam mutuum vsurarium, quando hypotheca ipsa & res censui subiecta, est obligata, sicut quando persona ipsa: cū non possit per huiusmodi pactum res illa obligari, quin maneat etiam obligata persona venditoris, penes cuius dominium & custodiam illa actu manet.

Ad secundum respondeo, Non posse rem fructiferā iuste ac recte emi cum isto pacto, quin fructus recepti ab emptore sint primi venditoris, & computentur in sortem, & pretium, vt habet communis DD. opinio, quam refert Couarru. loco citato. cap. 1. numer. 1. Quia si Petrus emat a Ioanne vineam cū hoc pacto, vt quotiescunque sibi placuerit, teneatur Ioannes vineam suam recuperare, emereque illam à Petro, reddito illi pretio quod ac ceperat, nō computatis in pretium fructibus vineæ toto illo tempore perceptis à Petro, perinde re vera hic contractus se haberet, ac si Petrus mutuasset Ioanni pecuniam illam, quę sub nomine pretij ipsi collata est, ea lege, vt cum primum illam vellet recuperare, posset, vna cum fructibus illis, velut quodā lucro vltra sortem sibi acceptis, quod neminem latet vsurarium esse, & iniquum.

Ad argumentum Medinæ quod est tertiū in ordine respondeo, Commutationes illas domus pro domo, vineę pro horto cū pacto retroemendi bifariam fieri posse, aut ita, vt vnusquisque contrahentium retineat fructus ex re sibi tradita toto illo tempore acceptos, V. g. Tu retineas fructus vineæ quam tibi cō tuli, ego fructus collectos ex horto quem mihi cōtulisti: Vel ita, vt tu solus illas retineas, ego vero non faciam illos meos, sed debeam vna cum horto illos tibi restituere. Si priori modo res sese habeat, permutatio quędam tē poralis est iusta, & licita, modo vtriusque rei eadem sit vtilitas, & ęqualis fructuum valor. Hîc tamen contractus maxime differt a censu, qui est re vera venditio, qua de causa argumentum inde petitum, nec huic instituto accōmodatum est, nec vllam habet vim. Quod si commutatio fiat secundo modo, iniqua est, & illicita. Quia pro horto tradidi tibi vineā meam simili tempore vna cum fructibus pos sidendam, tu vero solum hortum sine fructibus, quę maxima est inæqualitas & grauamen, quod si addas pretium ęquale fructibus horti, tunc perinde res se habet, ac si priori illo modo facta esset commutatio, quæ a cōtractu census longissime distat.

Ad vltimum respondeo, Huiusmodi pactum in iure approbari in fauorem venditoris absolute, quia propterea quod illi conceditur, nullum interuenit mutuum, vel vsura, aut iniustitia, vt ex proximè præced. contro. constat; In fauorem autem emptoris vbicunque in iure concedatur, intelligēdum est sub ea conditione, fructibus rei venditæ aut pen sionibus receptis computatis in sortem. Quia aliter (vt ex dictis in hac contro. constat) esset mutuum vsurarium: Iura autem nō fauēt vsuris; quod si aliquod reperiatur Ius illis fauens, reiiciendum est, saltim in foro animæ.

Ex traditis in hac contro. perspicuum imprimis fit, plurimum decipi nonnullos Iurisperitos quorum meminit Felicia. libro. 1. De censibus cap. 7. num. 18. affirmantes, posse cē sum sub ea conditione institui, vt venditore non reddente pensionem intra biennium, vel triennium, possit compelli ad illius redemptionem, & restituendum pretium. Quia hac conditione apposita solutio (inquiunt) annui census redditur expeditior, & facilior: curabit namque venditor, ne ad redimendū censum compellatur, pensionem illius fidelius, ac diligentius reddere. Quod & in Regno Nauarrę frequenter ita fieri referunt.

Cęterum quidquid hi affirment, conditio huiusmodi iniquum & vsurarium efficeret contractum, tum, quia redduceret illum ad quoddam mutuum cum lucro, cum omne pactum

ctum de retroemendo in facultate emptoris positum, etiam si sub ratione pœnæ apponatur, reducat censum ad mutuum : tum, quia tale pactum & obligatio repugnat naturæ cẽsus, qui vera ac realis venditio est, transferẽs pretium in plenum ius venditoris, ita vt possit quidem venditor compelli ad reddendum rem venditam, minime vero ad restituendum pretium: Quod priuatim in hoc contractu cẽsus maxime obseruandum est ex natura rei, iuxta constitutiones Martini V. Calixti III. Nicolai V. & Pij V. Nec ratio illorum aliquam vim habet: ad recipiendam enim solutionem annui redditus, sicut & cuiuscunque alterius debiti a moroso debitore via debita, & iusta ea est, quam habet communis omniũ gentium vsus, agere apud iudicem, hoc enim est illorum, qui ciuiles causas iudicant, proprium munus, suum vnicuique reddere, & morosos debitores ad solutionem eorum, quę debent publicatis ac venditis illorum bonis compellere. Quod vero pertinet ad consuetudinem Nauarrę, refert Nauarrus in suo Manuali Hispano, in additione ad cap. 23. num. 66. & 67. legem illius Regni esse, vt debitoris non soluentis bona, in publica subastatione vendantur, maxime quæ censibus hypotheca ta sunt, ita vt ex eorum pretio pensionibus, vel aliis debitis creditori redditis, quæ super sunt debitori ipsi exhibeantur.

Sequitur secundo ex dictis in eadem contro. quid sentiendum sit in quęstione illa.

POSSIT NE ITA CONSTItui census, vt nisi redimatur intra certum tempus, maneat irredimibilis?

DISPVTAT hanc quæstinnem Molinæus in tractatu de Vsuris. q. 66. num. 430. vbi admonet prius, quęstionem hanc non esse intelligendam de censu qui constitueretur eodem pretio, quo solent vendi communiter census redimibiles, nam in huiusmodi cõmuni pretio venditis pactum hoc repugnare naturæ contractus censitici, reducique illum ad mutuum vsurarium, perspicuũ est ex dictis. Sed quæstionem esse de censu, cui apponeretur hoc pactum, reddito propter illud multo maiori pretio, quam sit commune & vsitatũ: ita vt si exhibitis venditori 100. ematur communiter ab illo ius in annuum redditum vt 5. vel 6. ad emendum idem ius in 5. vel 6. cum isto pacto reddantur illi 130, vel plura. Qua ratione proposita hac quęstione videri (inquit) potest hoc pactum non esse iniquũ: Quia hoc grauamen potius est in fauorẽ venditoris, quam in damnum illius, tum quia nõ compellitur statim redimere, sed post 10. annos, intra quod tempus & quandoque breuius solent venditores censuum illos redimere: tum, quia collato tanto pretio v. g. 130. pro annuo redditu vt 5. vel 6. redimit se ipsũ venditor a necessitate aliqua grauiori, a qua nisi per censum illum se liberasset, recepisset multo grauius nocumentum in bonis quam sint illa 5. vel 6. per decennium, singulo quoque anno reddenda.

Vnde iuxta suum errorem de vsuris illis moderatis, quas putat licitas esse, de quo egimus q. 78. ar. 1. contro. 1. sic distinguit: Vt vel annua pensio quę emitur sub isto pacto, de quo hic agimus, habeat se velut vsura duodecima, siue quadrante, vel triente, aut semisse: vel ita, vt sit infra semissem, de quibus diximus loc. cita. ar. 1. contro. 3. Siquidem habeat se priori modo, pactum esse iniquũ, quia huiusmodi vsuræ licet exercentibus negotia cõcedantur in iure, eo modo quo ibi explicauimus, in hoc tamen contractu census, qui propriè negotiatio nõ est, sed emptio redditus pecuniarij data simili pecunia, vsurę istę non sunt moderatæ. Quod si infra semissem redditus ille constituatur, ita vt pretio vt 100. nõ ematur nisi annuus redditus vt 5. vel 6. licitũ esse cum tali pacto censum constituere, quia licet per pactũ istud reducatur census ad mutuum, & redditus iste sit quædam vsura, est tamen moderata, & in maximam vtilitatem venditoris, ac boni communis, & quæ moderamen vsuræ legalis plurimum superat. Primo, quia creditor non potest per totum illud decennium sortem repetere, debitor autẽ potest cẽsum illum redimere: quod est (inquit) magni ponderis. Secundo. Quia vsura lege permissa æquatur sæpe sorti, & illam quandoque excedit, vsura vero in censu cum hoc pacto constituto, neque excedit sortem, neq; illi ęquatur. Denique per hoc pactum habet venditor census multum tempus, intra quod non tenetur censum redimere, potestque interim rebus suis commode consulere.

Sed quamuis conetur Molinęus hanc opinionem tot rationibus in debitoris vtilitatẽ propositis munire, nõ est a Catholicis in hac parte audiendus. Constat enim satis ex contro. citata, quãcunque vsuram, esto moderatissima illa sit, iure naturali ac diuino esse prohibitam: & oppositum esse hęresim. Quo fit, vt cum contractus cui pactum istud apponeretur esset vere mutuum, vt ipse Molinęus fatetur, & omnes pensiones ex eo receptæ lucrum

ctum vsurarium, quantumuis moderatū sit, & in vtilitatem venditoris redundet, sit iniquum, & omni iure prohibitum: Neque in hac quæstione oportet nos amplius immorari, omnia enim argumenta, & testimonia quæ vsuram formalem, quęcunque illa sit, conuincunt esse iniquam, & illicitam; ostendunt similiter pactum istud iniquum esse, & omni iure prohibitum.

His explicatis videamus iam.

Controuersia. XX.

POSSIT NE ITA INSTITVI *census, vt nisi redimatur intra certum tempus, maneat irredimibilis?*

DVAE in hac questione sunt inter se pugnantes DD. sententiæ. Couarr. lib. 1. Variar. resol. c. 9. numer. 9. & lib. 3. cap. 8. num. 6. & 7. sequutus Innocentium in Cap. In Ciuitate. De vsuris, Carolum Molinæum de contra. q. 50. num. 352. & Andream Tiraquellum libro 2. de de Retractu in principio. num. 30. quos ibi refert & Nauarrū in commento de Vsuris num. 7. Glosa. 16. quibus subscribunt nonnulli Iurisperiti, docent censum sub ea conditione institutum iniquum esse. Quamuis Couarru. non censeat illum esse vsurarium, Nauarr. vero vsurarium appellet.

Ducunturque hi in eam sentētiam, Primo, Quia in Extrau. Martini V. & Calixti III. approbatur census sub ea conditione, vt semper maneat venditori libera facultas redimē di illum: & quod magis viget, Pius V. in sua constitutione præcepit, ne apponatur pactū, quo directe vel indirecte venditor census priuetur libera facultate redimendi illum quocunque tempore, aliter esse fœneraticium.

Secundo, Emptio annui census (inquit Couarruuias) odiosa est, non ergo est admittendum pactum, quod illā magis onerosam reddat: illam namq; aperte vitiaret. Confirmatur demum illud, authoritate & vsu Pertorij Granatensis, in quo sæpe pronuntiatum est, pactionem istam a contractu reiiciendam fore, liberamque vēditori competere annui redditus redemptionem, post tempus a contrahētibus redemptioni præfinitum.

Conrradus de contract. q. 83. conclusione 8. Ioan. Medina Cod. De restit. cap. De Censu redimibili. Soto lib. 6. De iustitia. q. 5. art. 3. conclu. 3. F. Ioan. Orellana vir nostro seculo in his rebus aprime eruditus in quodā breui tractatu de Censibus, & nonnulli recentiores discipuli D. Thom. docent contractū, de quo hic inquirimus, licitum esse, modo iustū pretium ratione istius conditionis arbitrio prudentis constituatur. Eandem sententiam habuit Innoc. in Cap. In ciuitate de Vsuris. quam amplectendam iudico.

Primo, Quia si licet emere redditum perpetuum & irredimibilem, (vt art. sequenti videbimus) reddito iusto pretio, potiori ratione ac multo iustius licebit illū emere data libertate venditori redimendi illum intra certum aliquod tempus, seruato iusto pretio ad arbitrium prudentis. Et confirmatur. Quia hic contractus est vtilior, & minus onerosus venditori, quam vbi census perpetuus & qui nunquam redimi possit, instituitur, quā rationem vidit, & proponit Couarru. nec dissoluit.

Secundo, Hic contractus est emptio & venditio, cui illud proprie cōuenit, vt pretiū omnino transferatur in venditorem, & merx in emptore: sed per hoc pactum, vt nisi intra certum tempus census redimatur, maneat irredimibilis, pretium magis transfertur in venditorem, & ius censiticum in emptorem, quam in censu quocunque tempore redimibili, ergo hoc pactum non repugnat naturę census, imo illo apposito maior & perfectior ratio emptionis, & venditionis in eo reperitur.

Tertio, Ratione huius pacti nulla interuenit vsura, aut iniustitia, ergo licet apponere aucto communi pretio census & reddito iusto, Probo antecedens. Imprimis nulla hic interuenit vsura; quia vsura solum habet locū (vt sæpius diximus) in mutuo, per huiusmodi autem pactum venditor non tenetur restituere pecuniam acceptam emptori, quod exigitur ad mutuum, imo abalienatur magis ab illo quam in cēsu simpliciter redimibili. Neque reperitur iniustitia: cum debeat emptor census pręter commune pretium census redimibilis, aliud pretium distinctum seorsum reddere, huic pacto arbitro prudentis iustū.

Denique pactum commissi in pignoribus odiosū est, & iniquū, ac prohibitū in iure, at mutuo creditoris & debitoris consensu, reddito pro illo iusto pretio constitui potest, vt docent Immola & Panorm. in cap. Significātē. Tiraquel. lib. 2. De retractu in fine. & idē Couarru. fatetur esse communem lib. citat. 2. num. 8. ergo & pactum istud de quo loquimur, seruato iusto pretio non vitiat, nec reddit censum cum eo institutū iniquū. Erit autem iniustus contractus, si communi eodemque pretio census constitueretur cum isto pacto.

cto, quo alij tale pactum non habentes, sed absolute & omnino redimibiles constituuntur. Quia pactum hoc est onus, & obligatio pretio æstimabilis, qua de causa iniuste ageret illam venditori imponens, nec iustũ illius pretium reddens.

Cæterum quamuis iniustitiam quidem cõmitteret hanc conditionem apponens nõ reddito iusto illius pretio, vsuram tamen (vt recte docet Couarr. loco citato) non exerceret, Quia in hoc contractu non interuenit ratione istius pacti, esto non reddatur pro eo iustũ pretium, aliquod mutuum, nec aliud vitium, quam solus deffectus iusti pretij, & intra dimidium, quia commune pretium census absolute & omnino redimibilis est medietas perpetui, & omnino irredimibilis: qui vero instituitur cum pacto de quo hic agimus, non debet ad pretium perpetui peruenire: Vnde eo ipso quo institueretur communi pretio redimibilis, manet deffectus iusti pretij in eo intra dimidium, qui deffectus quidem reddit contractũ iniustũ minime vero vsurariũ.

Ex quo sequitur in vtroque foro, tam fori quam poli, ementem censum cum hoc pacto, teneri quidem ad conferẽdum quidquid defuit a iusto pretio, ac detrahendum a pensionibus eam partem, quæ illi deffectui arbitrio prudentis censebitur commensurari, minime vero ad rescindendum contractum, vel restituendas in integrum pensiones acceptas, vel cõputãdas in sortem, cũ ex deffectu iusti pretij contractus ille iniquus tantùm fuerit, minime vero vsurarius, aut nullus.

Ad argumenta initio proposita. Ad primum constat satis (vt sępe diximus) Martinum & Calixtum approbare quidem in illis Extrauagantibus census sibi propositos cum illis conditionibus, minime verò pręcipere, aut definire eas ita necessaris fore, vt illis deficientibus census iniquus censendus statim sit. Constitutio verò Pij V. in locis vbi recepta est, prohibet quidem hoc pactum, vbi vero non est, neque in vsu, vt in Hispania, non prohibet huiusmodi pactum adhiberi. Quin etiam affirmare possumus loqui Pium V. de censu qui communi eodemque pretio constitueretur, quo solent institui qui absolute & omnino irredimibiles sunt.

Ad secundum dico multa esse odiosa, quę iusto pretio mutuo contrahentium consensu possunt in contractibus apponi, vt ex vltimo argumento, quo hic vsi sumus, constat.

Huic quęstioni similis est, & affinis.

Controuersia XXI.

POSSIT NE INSTITVI CENsus, vt venditor intra decem annos, vel aliud certum tempus illum redimere non possit, post illud vero tempus possit?

COVARRV. libr. 3. c. 8. num. 8. sequutus Molinæum de Vsuris. q. 50. num. 352. & nonnulli Iurisperiti quos ibi refert, censent huiusmodi pactum iniquum esse, & vsurarium. Primo, quia prohibetur aperte Constitutionibus illis Apostolicis, quibus cauetur, ne venditor priuetur libera facultate redimẽdi, quotiescunque illi libuerit. Secundo, Quia per huiusmodi pactionem emptor census efficitur certus de lucro vltra sortem, quod sapit vsuram. Tertio, Quia l. 1. tit. 2. lib. 8. Ordinatio, Regal. quę repetitur l. 4. tit. 6. lib. 8. Nouæ Copilatio. iudicatur vsurarius cõtractus constitutus cum pacto retrouendendi post certum tempus, v. g. post decennium & non antea, ita vt emptor toto illo tempore faciat fructus suos: Et in Senatu Parisiensi refert Molinæus loco citato, in multis Arestis pronuntiatum esse censum cum hoc pacto constitutum nullum esse, & inualidum.

Oppositum docent Conrrad. De contractibus. q. 83. conclusione. 8. Medina Cod. de restit. Cap. De censu redimibili. col. penult. Soto libr. 6. de iustit. q. 5. artic. 3. conclus. 3. & multi ex recentioribus Thomistis quibus subscribunt nonnulli Iurisperiti quos sequitur Felicianus lib. 1. cap. 7. num. 9. affirmantes huiusmodi pactum, nec iniquum esse, nec vsurarium reddere contractum cẽsus, modo ratione illius reddatur venditori, qui obligationem illam & onus in se suscipit, iustum pretium arbitrio prudentis, sicut dicebamus in proxime præcedenti contro. de eo qui se ipsum obligat ad redimendum intra certum tempus, ita vt illo elapso maneat census perpetuus & irredimibilis.

Vnde probatur hæc sententia iisdem argumentis quibus præcedentem ostendimus. Primo, Licet instituere censum perpetuũ, & omnino irredimibilem reddito iusto illius pretio, ergo licebit similiter instituere illum sub ea conditione, vt non possit redimi intra certum tempus, reddito etiam iusto pretio ratione huius obligationis. Probo consequentiã, quia quę est ratio totius ad totum, est partis ad partem, ergo sicut potest institui irredimibilis per omne tempus, reddito iusto pretio cõmensurato tanto oneri, poterit etiam institui irredimibilis per aliquod tempus, reddito similiter

similiter iusto pretio commensurato arbitrio prudentis huic minori oneri.

Secundo, Pactum retrouendendi est onus, & grauamen emptoris, ratione cuius (vt diximus contro. 19.) huius ar. non reddit tantùm pretium, quantū reddidisset pro censu perpetuo & nunquam redimibili, sed dimidium solum illius, licebit ergo emptori aucto pretio census minuere grauamen illud, hoc autem pręstat, quando constituitur cum huiusmodi pacto, vt nequeat venditor per aliquod tempus illum redimere, pactum ergo huiusmodi neque iniquum est, neque repugnat naturæ contractus censitici.

Tertio, Ratione huius pacti nulla interuenit vsura, aut iniquitas, ergo licet illud apponere. Probatur antecedens. Imprimis non interuenit hic vsura, quia neque mutuum, cum per pactum huiusmodi non compellatur venditor ad restituendum pretium, quando emptor voluerit, quin potius ad illud non restituendum per totum illud tempus, de quo inter se conueniunt. Neque iniustitia, cum hęc obligatio ciuilis sit, & pretio æstimabilis, red datque emptor census vt constituimus iustū illius pretium, distinctum a communi & iusto pretio census ipsius. Quod si non reddatur iustum pretium, erit contractus iniustus ex deffectu pretij, & ad iustitiam ac æquitatē reducendus, vt optime docet Soto, non tamē vsurarius, aut nullus, vt opinatur Couarr. cū in hoc contractu nullum interueniat mutui genus, nec aliud vitium, quā solus deffectus iusti pretij, & ita vt non deficiat a latitudine illius.

Vnde mirandum certe in hac parte est, Couarru. in contro. proxime pręced. pactum de quo ibi agebamus, vbi deficeret a iusto pretio non iudicasse vsurarium, sed iniustū tantum, pactum vero de quo hic disserimus, propter deffectum iusti pretij censere vsurariū, cum in vtroque, vbi non redditur pretium iustum, & commensuratum arbitrio prudentis, nullum aliud vitium existat, quam solus deffectus iusti pretij, non tamen deficiens a latitudine. Vbi autem eadem existit ratio, idem ferendum est iudicium, saltim in foro conscientię.

Ad argumenta in oppositum. Ad primum millies dictum est, Extrauagantes illas probare quidē census cū conditionibus illis a Martino, & Calixto propositis, non tamen præcipere, vel definire esse omnino & absolute necessarias, ita vt illis, vel aliqua earum deficiētibus, contractus sit iniquus, & vsurarius. Vbi verò Constitutio Pij V. obseruanda est non licebit hoc pactum apponere, cum illud omnino prohibeat: at vbi recepta non est neque in vsu, sicut in Hispania, licebit reddito iusto pretio pro illo.

Ad secundum respondeo, certitudinem illam esse quid temporale pretio æstimabile, & ita sicut emitur cēsus suo iusto pretio, posse quoque ab eodem venditore census, alio pretio seorsum exhibito pro huiusmodi certitudine, arbitrio prudentis iusto, & commensurato, illam emi.

Ad tertium Couarru. loco citato docet legem illam non censere contractum cum hoc pacto vsurarium in emptione aliarum rerū, & mercium, propterea quod venditor obligetur ad non redimendum intra decennium, vel propterea quod faciat emptor fructus illius rei suos, quandiu illam habet, cum iure naturę quæcunque res domino suo fructificet: sed ex eo, quia cum sit de natura contractus, vt fructus rei emptæ, sint ipsius emptoris, exprimere illud in contractu cum non oporteat, offert magnam vsurę suspicionē. Insolitæ enim cautiones (vt habet communis Iurisperitorum doctrina) simulationem fraudis præ se ferunt. Quod si in aliis rebus (inquit) exprimere illam cōditionem, vt fructus sint emptoris, quandiu res empta apud illum manet, tantam offert vsuræ suspicionem, vt lex propter huiusmodi conditionem contractui appositam iudicet illum vsurarium, quātò potius damnandus erit contractus census, cum simili pacto constitutus, de vsura, vbi data pecunia emitur ius in redditum quoque pecuniarum? Sed quid sit de huiusmodi lege & illius pręsumptione, seu suspicione in foro exteriori & contentioso, in foro interiori animæ, in quo nō iuxta præsumptionem, sed iuxta rei veritatem ferendum est iudicium, vbi census cum isto pacto instituitur reddito iusto illius pretio, contractus est iustus, & licitus, nullamque vsurę vel iniquitatis labem continens. Leges enim quæ in sola suspicione, & pręsumptione fundantur, vbi rei veritas oppositum habet, non obligant in conscientia, vt docent omnes fere Iuris Pontificij interpretes in cap. 1. De constitutio. & in cap. Quia plerique. De immunitate Ecclesiarum, Iuris etiam Ciuilis DD. in l. Si post diuisionem. Cod. de iuris & facti ignoran. & in l. 2. Cod. De fideicommis. & idem Couarru. in Cap. Cum esses. De testamen. num. 5. & ex Theologis Adrianus quolib. 6. art. 1. Medina Cod. de resti. q. 23. Soto lib. 4. de iustitia. q. 5. art. 3. Ledesma in secunda parte sui quarti q. 18. art. 1. dubio. 12. Possumus etiā dicere legem

legem illam maxime circa census loqui de emptore non habente animũ vere ac realiter emẽdi, sed solam intentionem percipiendi fructus toto illo tempore, ac recuperandi pecuniam suam eo elapso: Tũc enim esset reuera quoddã mutuum, in quo rem illam sub titulo emptionis re ipsa non emeret, sed acciperet solum in pignus, vna cũ fructibus, quod aperte est vsura. In censu autem de quo hic loquimur est vera emptio census, & translatio omnimoda illius pretij in venditorem, ita vt non possit vnquam compelli ad illud restituendum, possit autem ipse post decennium quotiescunque ipsi placuerit illud restituere, & ab illo onere censitico se ipsum liberare. Quod autem antea non possit, onus est, & obligatio temporalis, & pretio ęstimabilis, quam potuit alter reddito pro ea iusto pretio tuta conscientia emere, vbi nulla lege, quæ vim habeat ad obligandum, illud prohibetur. Dixi ad certum tempus, quoniam si ematur in incertum, vt in vitalitijs, de quibus agemus artic. 4. huius quæstionis, dubium non est, vbi periculum ex vtraque parte ęqualiter imminet, posse illud emi pretio aliquando minori, quam sint pensiones per aliquot annos receptę, in vnũ collectę, veluti (sicut ibi videbimus) eo in cuius vitam census constituitur diutius viuente.

Dubitatio ergo quam hic inquirimus est.

Controuersia XXIII.

POSSIT NE CONSTITVI CENSUS *vsque ad certum tantum, & præfinitum tempus?*

(?)

Et quando Petrus confert Ioanni centum aureos ea lege, vt reddat illi per vndecim annos decem aureos, singulo quoque anno: quo tempore expleto nihil vltra illi reddere teneatur, nec sortem, nec redditum aliquem. An huiusmodi contractus iuste valeat exerceri?

Dominicus Soto lib. 6. de Iust. q. 5. art. 2. circa finem habet duo. Pius est. Censum fructuarium, vbi aliquod fructibus periculum imminet, nec lege prohibetur vt in Castella, posse cum hoc pacto emi, veluti si fructus agri soleant valere singulis annis vt 10. posse ab agricola iuste illos emi, per tempus vndecim annorum recipiendos pretio vt 100. Quia cum fructus illi alicui periculo subijciantur, sicut emptor iste exponit se commodo, si nullum damnum illis accidat, similiter exponit se, propter periculũ cui fructus illi obnoxij sunt, damno, nec recipiendi forsan toto illo tẽpore suam sortem, sicut cõmuniter accidit inquacunque emptione fructuũ. Vnde similiter esset iudicandũ de cẽsu, cuius solutio dubia esset, & periculosa illius recuperatio. Habet secundo. Vbi solutio certa est, & secura, licere quidem cõferre pecuniam per partes recuperandã, ita vt illę simul sũptæ nõ excedãt sortẽ, veluti si conferas 100. recepturus 10. singulo quoq; anno, per spatiũ 10. annorũ, nec vlterius: conferre autẽ pecuniã quãuis per partes recuperandã, sed ea ratione, & progressu tẽporis partes illæ in vnum collectæ sortem excedãt, vbi nullũ est periculũ, nec solutio dubia, non posse excussari ab vsura. Quia vix potest hic contractus discerni à mutuo: perinde enim re ipsa se habet, ac si cõferas Ioanni 100. recepturus ob eo post aliquod tẽpus eadẽ 100. & preterea 10. tãquam lucrũ vltra sortẽ. Quod. n. pecunia accepta restituatur per partes, vel simul in termino, hoc parum inquit refert, imo cedit in maiorem vtilitatem eius qui contulit & mutuauit, cum illa sic per partes recepta possit paulatim vti, quod non posset, quando non esset illi restituenda nisi simul in termino.

Conradus de contract. q. 80. concl. 4. sentit oppositũ, affirmans hunc contractum esse licitum, posseq; (vt ille loquitur) emi centũ florenis ius precipiendi singulo quoq; anno 10. per spatium vndecim annorum; Ratio eius est, quia 100. floreni simul habiti in presenti tantum ęstimãtur, quantum 110. habendi diuisim, & per partes progressu tot annorum.

Quam tamen rationem loco citato reprehendit Soto, quia hac ratione liceret similiter mutuare 100. cum pacto recipiendi post decẽnium 110. cum pecunia presens vtilior sit, & magis æstimãda, maxime apud eos qui exercent negotia, quã absens, & post tempus habẽda, quod tamen nulla ratione licet. Qua de causa idem Conrad. subiungit hunc contractum cẽsendũ licitũ, quando is qui confert alteri pecuniã, mallet eam non conferre, rogatus vero ab alio in eius vtilitatem sub tali contractu & genere census illam confert: quia in hoc casu, qui sic censum per certũ tempus emit, licet recipiat aliquid vltra sortem, potest illud recipere ratione lucri quod ex illa pecunia alicui negotio per totum illud tempus expositã habuisset, cessat tamen ipsi, sicut qui rogatus ab alio mutuat, potest aliquid exigere ratione lucri cessantis. Sed neque hanc admittit Soto: Quia lucrum cessans iuxta ipsam maxime suspectum est, vbi quis sponte mutuat, in hoc autẽ casu qui pecuniã alteri cõfert, esto rogatus illam conferat, propria tamen spõte, &

 volun-

voluntariè, ac sine vlla coactione, vel necessitate sua illam confert. Tum etiam, quia illam accipiens non iudicat se mutuo illam accipere, sed in pretium census: Vnde hic non est recurrendum ad lucrum aliquod cessans, sed ad æquitatem & iustitiam pretij. Iniquum autẽ est, vt collato pretio vt 100. emas pecuniam sine periculo vel dubio recipiẽdam, quę excedat à 100. cum centũ aurei sine dubio recipiẽdi, siue presentes sint, siue absentes, vt vidimus q. 78. art. 2. controu. 17. agentes de pagis acerbis, valeãt re ipsa alia 100. & nihil amplius, vel minus. Eiusdem sententiæ videtur etiam fuisse Ioannes Medina Cod. De restit. cap. *De censu temporali determinata temporalitate*, cẽsiẽs huiusmodi contractum non esse satis securum, sed continere quandam mutui, & vsuræ suspicionem: subiungit tamen deinde, præfatis non obstantibus in rigore Scholastico defendi posse Cõrradi sententiam.

Posset autem illa sententia Dominici Soto præter rationem qua ille vtitur, sic confirmari. Primo. De natura propriaq; ratione census est iuxta Extrauag. Martini V. Calixti III. & Pij V. in huiusmodi censibus qui non sunt perpetui, & irredimibiles, vt sit in libera facultate venditoris redimere illos, quotiescunq; voluerit, hac vero facultate priuatur, in censu qui institueretur ad certum tempus, est ergo cõtra ctus naturæ census repugnans, & illicitus. Antecedens patet, quia in huiusmodi cõtractu vẽditor census non potest redimere illũ, nec reddito tantundem quantum ab initio recepit, sed tenetur per totos illos vndecim annos restituere singulo quoque anno decem.

Secũdo, In censu, cũ sit vera venditio, pretiũ abalienatur absolute, & omnino ab emptore, transferturq; dominiũ illius pleno iure in venditorẽ, ita vt nisi ipse vellit, non possit emptor illud recuperare, at in cõtractu de quo hic agimus recuperat emptor (quãuis per partes) integrũ pretiũ, ergo cõtractus hic potius est mutuũ in quo recipitur sors cũ lucro, quã census. Nec refert, qua forma verborũ vtantur cõtrahẽtes, appellẽt ne huiusmodi contractum vẽditionẽ, vel mutuum, cum re ipsa sit mutuum, in quo pecunia simul mutuata intra certum tempus diuisim recipitur, teneturq; ad illam intra tempus illud per partes restituendam is cui prius fuerat collata: In contractu autem suspecto de vsura, qualis est contractus censiticus, non tã verborum forma quam effectus illius respiciẽdus est, vt habet commune DD. proloquiũ in cap. Ad nostram. De emptione & vendit. & in cap. Illo vos. De pigno, re autem diligenter inspecta, etsi contractus hic census apelletur, re ipsa tamen & secundum effectum perinde se habet, vt dicebat Soto, ac si pecuniam quam simul alteri mutuatus es, post certum tempus diuisim cum lucro & fænore recipias.

Denique in contractu census venditor libere vtitur tota sorte, quandiu census durat, nec redimitur, in hoc autem contractu per partes desinit illam penes se habere.

His tamen non obstantibus amplectuntur sententiam Conrradi D. Antoni. 2. p. titul. 1. cap. 8. §. 10. Couarru. lib. 3. Varia resol. cap. 7. num. 4. sequutus Molinæum idem sentientem De vsuris q. 63. (quamuis citetur ab ipso Couarr. saltim in æditione qua ego vtor q. 62. & 71. vere tamen illud habet Molineus q. 63.) Nauar. De vsuris. num. 98. Glosa. 18. Michael de Palatio de Contract. lib. 6. cap. 7. & pleriq; recentiores discipuli D. Thom. in quã etiã sententiam afferunt Medinam Complutensem, dicam tamen statim quid ille sentiat attente lectus. Hi ergo DD. admonent quidem hoc genus census non esse consulendum fidelibus, quin & Couarru. addit esse illud à Repub. relegandum, volunt nihilominus cum Conrrado non cõtinere aliquam iniquitatem, vel vsurã, quamuis adducti, rationibus longe diuersis ab eis quibus illud ostendit Conrradus, illas enim non probant: Horum potiores sunt.

Primo, Licet emere ad tempus fructus alicuius fundi, & minori pretio quam illi valeant, modo deffectus pretij à solito valore illorum moderate deficiat, iudiceturq; prudentum arbitrio satis congruum, vt habetur L. 4. & 5. ff. De vsufructu, alijsq; iuribus, ergo licebit similiter emere censum ad tempus aliquo minori pretio, moderato, & parum deffiсiente à pensionibus recipiendis in vnũ collectis, eadem enim est in vtraque emptione ratio.

Secundo. Contractus census tanto iustior est, quãto vẽditor minus in eo grauatur, sed in hoc contractu de quo hic agimus, venditor minus grauatur, quam in censu redimibili qui communiter instituitur, ergo hic contractus non est iniquus. Probatur minor, quia in censu redimibili, venditor per pensiones quas reddit, quibuscunq; annis illas reddat, non liberatur ab onere vel restituendi integram sortem, & pretium, vel soluendi semper annuatim similem pẽsionem, donec integrã sortem restituat, at in hoc contractu si accepit 100. intra decẽ annos liberatur ab omni debito, tam sortis quam cuiusuis pensionis, reddita solum pensione illa vnius anni, vt 10. quæ licet videatur excedere à communi pensione census redimibilis, inspecta tamen vtilitate ista venditoris, vt hac sola pensione reddita nihil vlterius debeat, neque

neq; capitalis, neq; pẽsionis exiguũ profecto est quod reddit. Et confirmatur. Contractus census cepit esse in vsu ad leuandas indigẽtiũ necessitates, & in eorũ commoditatem: at quid commodius indigẽtibus, quam vt acceptis in censum. v.g. 100. aureis, quibus presenti necessitati, quã patiũtur, occurrant, paulatim illum redimant tot annorum progressu, ita vt deinde nullũ illis onus vel debitum maneat? An hæc cõmoditas, & vtilitas temporalis non est pretio æstimabilis? quod si pretio æstimari potest, quod minus esse potest, quam vndecima ista pars sortis, quæ vltra capitale redditur?

Tertio, hic cõtractus (inquiũt) nõ est mutuum, vt opinatur Soto, sed vera emptio, & venditio illius iuris, percipiendi annuatim 10. aureos per vndecim annos reddito pretio vt 100. quod autem videatur emptor hac ratione lucrum aliquod recipere ex huiusmodi iure, nullũ est incõmodũ, vel iniquitas, cũ hoc freqũes sit in omni emptione mercium, vt maiorẽ emptor ex re illa cõmoditatẽ accipiat, quã sit pretium quod pro illa reddit, imo nisi ita accideret, nullæ fere exercerentur emptiones à mercatoribus. Quod autem hic contractus non sit mutuum, vt opinatur Soto, patet: quia in mutuo non abalienatur omnino res mutuata, sed post certũ tempus eadẽ specie vel æquiualens mutuanti restituenda est, in hoc autẽ contractu sors nunquã est restituẽda, nec pensiones illę quę annuatim redduntur, reddũtur tamquã in partem sortis vt putat Soto, sed tamquam verę pensiones, & annui redditus, in quos emptor accepit ius reddito illis 100. aureis tanquam iusto illius iuris pretio.

Quarto, Census perpetuus maioris ęstimationis re vera est quam quilibet census certi ac determinati temporis, sed licet emere censum perpetuum, quãuis certissimum sit intra aliquot annos pensiones ex illo recipiendas excessuras sortẽ: imo illud est certum, nam cum intra 30. annos ęquẽtur sorti, quod per reliquos deinde annos recipitur excedit sortẽ, ergo licebit similiter in hoc casu, censum ad certũ tẽpus eo pretio emere, quod pensiones ex illo recipiendæ moderate excedant sortem. Et confirmatur quasi vice versa. Si census, de quo hic agimus, non posset constitui nisi vt vult Soto, ita vt pensiones reddẽdæ per tempus illud 10. vel 12. annorũ ęquẽtur sorti, nullum erit discrimẽ inter huiusmodi censum, & perpetuũ ac irredimibilẽ, quod est absurdũ: Quid. n. magis alienum à recta ratione, quam vt eodẽ pretio emas censum qui post aliquot annos omnino cessabit, & cẽsum perpetuũ ac nunquã cessaturum? Quod autem sequatur ostendo. Pretiũ census perpetui & irredimibilis est, vt reddantur 28. vel 30. pro vno, est. n. duplum quã sit pretium census redimibilis, vnde intra 30. annos recipitur integra sors: Constituamus Petrum, in forma contractus de quo hic disserimus, emere à Ioanne exhibitis 30. aureis vnum aureũ singulo quoq; anno sibi reddendũ, si quidem Petrus non potest emere à Ioãne huiusmodi ius recipiẽdi ex bonis illius vnũ aureum annuum per 32. vel 33. annos, sed solum per 30. vt vult Soto, efficitur necessario, vt recipiat Petrus intra 30. annos sortẽ quã Ioanni cõtulit, & ita idem sit pretium census perpetui, & census ad certum tempus, quod (vt modo ostẽdi) maximum est absurdum & rectę rationi aperte repugnans.

Quinto, omne periculũ & grauamẽ quod sibi alter contrahentium imponit pretio ęstimabile est, sed in censu de quo hic agimus emptor imponit sibi hæc onera, & grauamina. Primo, vt sine recuperatione sortis census ile omnino extinguatur intra certum tẽpus. Secundo, vt pecuniam quam habet congregatã diuisim & per partes ac per multũ tempus sit recepturus, quod certe perspicuũ est aliquod genus detrimenti esse, sicut pecunia in vnũ congregata cuiuis vtilior multo est, & his qui nulla negotia exercẽt. Tertio, quia hic census cõstituitur super re aliqua, vel persona, quibus pereuntibus emptor illius nullam iam recipiat pensionem, nec forsan eas quibus opus esset ad integritatẽ sortis, cum possit res illa vel persona intra terminũ illorũ annorum perire, ergo quod aliquid tanto tẽporis decursu vltra sortẽ recipiat, nõ accipit illud tãquã lucrũ ex mutuo, sed velut iustũ ac debitũ pretiũ istius oneris & grauaminis. Hoc nãq; saltim negari non potest, cũ res humanę successu temporis tot mutationibus & vicissitudinibus subiectæ sint, ementẽ cẽsum, cuius sortẽ non est recuperaturus, sed pensiones solas tanto tẽporis progressu, alicui periculo & incõmodo se ipsũ exponere. Vnde si iuxta Sotũ vbi periculũ imminet cõtractus hic iustus est, erit profecto simpliciter censendus iustus, cum moraliter loquẽdo nũquã desinat carere aliquo periculo. Qua etiam ratione Medina loco statim citando, cum fatetur licere emere pensiones ad longũ tempus, pro minori pretio quam sint illę in vnum collectæ, nõ innititur longitudini temporis, sed periculis &

mutationibus personarum, bonorũ, & temporum, quæ per illud longum tempus accidere possunt.

Deniq; Martinus V. & Calixtus III. approbarunt census redimibiles, & temporales eo modo & pretio quo essent in vsu, at sicut est in vsu cẽsum redimibilem iustè emi pretio. v. g. 14. vel 15. pro vno, vitalitium pretio vt 100. pro 15. ita quoque cẽsum ad certum tempus, in Prouincijs in quibus est in vsu, solitus est ita emi, vt collatis. v. g. 100. florenis ematur ius recipiendi annuatim 10. florenos per tempus vndecim annorum; est ergo hic cõtractus saltim vbi est in vsu, & cum pretio ita moderato & accomodato, in illis extrauagantibus implicite & virtute approbatus.

Vnde authores huius sententię profitentur illam cum hoc moderamine, & conditionibus, Prima, vt reddatur pretium accomodatum, & quod arbitrio prudẽtis censeatur iustum. Secunda, vt cõtractus hic non exerceatur, tamquam vnus alteri pecuniam mutuet, nam ea ratione vera esset Dominici Soto opinio, sed vt vera ac realis emptio & vẽditio, qua vnus redditis alteri 100. v. g. aureis tamquam vero pretio emat ab alio ius percipiẽdi ex bonis illius 10. aureos annuos per spatium vndecim annorũ. Tertia, vt excessus pensionum quæ reddendę sunt progressu temporis inter contrahentes constitutus, sit exiguus, & moderatus.

Ex quibus sequitur rationem illam Conradi, cõtractum hunc esse iustum, quia 100. presentia, vel in vnum congregata tantum valent quantum 110. absentia, & diuisa in partes, vel quia per hunc contractum cessat illius emptori aliquod lucrum, nõ esse accomodatas, sed recte impugnari à Soto, cum abunde docuerimus in contro. illa de pagis acerbis, pecuniam in cuius receptione ac solutione nullum imminet periculũ, labor, aut expensæ nõ minus valere absentem quã presentem.

Nobis satis probabilis profecto videtur illa opinio Magistri Soto, & in praxi certe obseruanda, & consulenda, quod & authores alterius opinionis vt D. Antoni. Medina & Conrradus admonent, cum hoc genus census recte perspectũ maximam habeat cuiusdam mutui effigiem, & vsure suspicionẽ: Quin etiam volũt, & recte quidam eorũ, vbi nulla fuerit illius cõsuetudo, & vsus, omnino & absolute dissuadendũ, vbi tamẽ aliqua fuerit illius consuetudo & cũ illis conditionibus propositis, si à quo fuerit institutus, dãnandus non esse, Tũ propter authoritatẽ tot DD. qui ita cẽsent, Tũ quia ex argumẽtis in illius confirmationem adductis, certe dẽpto primo quod imbecille est, quia in emptione fructuũ per aliquod tempus semper existit periculũ, hic vero cẽsus potest institui, imo frequenter instituitur, cũ magna emptoris securitatie, alia in hac materia maximã habent vim, potissime 3. & 4. Est naque hic census vera & realis emptio iuris recipiendi pẽsionem illam per aliquot annos, oblato illo pretio, quod omnibus pensatis quiuis prudens iudicabit iustum, & accomodatum: aliter enim vt recte in 4. argumento habetur, idem oporteret esse pretiũ huius cẽsus qui temporalis est, & perpetui: quod est maximum absurdum.

Ita facile soluuntur argumenta quæ huic opinioni videbantur obstare. Ad rationem enim illã Magistri Soto. Respõdeo, ex modo dictis, hunc contractum non esse mutuum, sed veram & realem emptionẽ iuris percipiẽdi annuã illam pensionem. Quod si progressu annorum illa æquetur sorti, vel sortẽ in aliquo excedat, nullũ esse incõmodum, cũ similiter accidat in censu perpetuo, & cũ maiori excessu, nec propterea dicitur census perpetuus esse mutuũ, sed verus census, veraq; illius iuris censitici emptio.

Ad alia argumenta quę deinde adiecimus in fauorem opinionis Soti. Ad primũ dico, illud esse de propria ratione census redimibilis, minime, vero huius qui redimibilis nõ est, sed toto illo tempore prefixo habet se ad modum perpetui.

Ad 2. dico, in hoc quoque censu abalienari absolute & omnino pretium, & trãsferri pleno iure in venditorem, quod autem singulis annis reddit, non reddit tanquam partes pretii, sed vt veram pensionem annuatim reddendam, in qua emptor ille, pretio quod contulit habet verũ ius; Nec forma qua vtũtur, appellantes hunc contractum emptionẽ & vẽditionem huiusmodi iuris ficta est, vel simulata, sed vera, id continens quod significat: cum in eo realiter & verę acquirat emptor iste tale ius.

Ad vltimũ patet iã venditorẽ huiusmodi cẽsus libere vti sorte, & pretio sibi collato, nec illud vnquam restituere, neque pensiones annuas quas per tempus illud prefixum & inter vtrumque constitutum exhibet, illius pretij partes esse, sed veras pẽsiones annuosque redditus, in quos per huiusmodi contractum emptor ille ius sibi cõparauit. Vnde in hoc contractu, neque venditor

venditor reddit aliquid vltra pretium neq; emptor recipit aliquid vltra sortem tanquã lucrum pecuniæ mutuatæ? Occasione huius quæstionis explicemus breuiter.

POSSIT NE ITA CENSVS *constitui, vt debeat redimi maiori pretio, quam fuerit antea constitutus?*

IOAN. Medina Cod. de restit. cap. de censu redimibili existimat posse ita constitui, quod non est absolute intelligẽdum, quasi simpliciter liceat ita pacisci, vt census emptus, v. g. pretio, vt 100. non possit redimi nisi pretio, vt 120. vir enim in his rebus, adeo versatus non est censendus contractum, cuius iniquitas adeo perspicua est, probasse: sed loquitur habita ratione varij tẽporis, quo mutato accidit sæpe rerũ pretia varia esse, & cẽsum, qui modo cõmuni vsu fori vẽdebatur, vt 100. propter pecuniæ penuriã alio tẽpore in quo pecunia abũdat, vẽdi eodẽ vsu fori pretio, vt 120. in hoc ergo sensu sentit ibi Medina posse ita cõstitui cẽsum, vt non redimatur nisi maiori pretio quã sit a principio emptus, si tempore redemptionis illius, ita habuerit communis vsus fori.

Cõrrad. q. 84. Et Couarru. sequutus Molineum lib. 3. var. resol. c. 3. n. 4. & nonnulli recentiores absolute docent oppositũ: quorũ potissima ratio est, Quod Martinus V. & Calixtus III. in suis Extrauagãtibus cõstituãt hanc conditionẽ velut omnino necessariã, vt cẽsus possit redimi pro eadẽ summa, Quos immitatus Pius V. in sua Extrau. habet, vt possit cẽsus eodẽ pretio extingui.

Nobis saluo peritorum iudicio sic videtur sentiẽdũ, vt in locis, in quibus cõstitutio Pij V. obseruatur absolute & omnino, debeat in cẽsu manere vẽditori facultas ad illũ eodẽ pretio extinguẽdũ, etiã si tẽpore redẽptionis illius sit mutatum, & auctũ illius pretiũ: in aliis vero prouinciis, vbi illa recepta non est, nõ sit ita absolute sentiendum, quia extrauagantes illæ Martini, & Calixti (vt sæpe diximus) referũt quidẽ cõditiones illas sibi propositas, tanquam iustas, non tamen definiunt eas ita necessarias, vt cẽsus sine illis institutus iniquus sit. Erit ergo vbi soli æquitati naturali stãdũ est, sic distinguendũ. Vt in locis in quibus pretia censuũ propter variã pecuniæ abundantiã, vel penuriã mutantur, & in maius, & in minus, ita vt vtrũq; similiter accidere possit, liceat cẽsum sic instituere, vt vẽditor possit illũ redimere pretio tẽpore redẽptionis cõmuni vsu recepto, siue maius illud sit, siue minus, quã pretiũ quo fuit cõstitutũ: tũ, quia hac ratione vterque eidem fortunæ eidemq; periculo se exponit, tũ etiam, quia cum census sit merx quædam, pactum istud est, vt sicut a principio emitur pretio cõmuniter recepto, ita quoque quando deinde redimitur, quæ redemptio vera quoque emptio est, in qua qui prius fuit venditor suscipit personã emptoris, emat illum pretio similiter tunc communiter recepto. In locis autem, in quibus nón existit hæc varietas & mutatio in vtramque partem, sed probabilius est, & certius, augeri pretia censuum quam minui, instituendũ est sub ea conditione, vt redimatur eodem pretio quo fuit constitutũ, aliter enim emptor esset in tuto recipiendi ad minus idem pretium quod dedit, venditor vero in periculo reddẽdi in maius, si tẽpore redemptionis maius existeret, quod repugnat iustitiæ & æquitati, vt vnus sit in tuto alter vero in periculo. Ex quo sequitur, nulla ratione posse constitui censum cum hoc pacto absolute & simpliciter, vt debeat redimi maiori pretio, quam fuerit a principio constitutus.

Nũc videamus qua ratione redimi debeat?

Controuersia XXIIII.

AN CENSVI REDIMIBILI *intrinsecum sit, vt possit redimi per partes?*

VNA ex conditionibus quæ referuntur in illis Extrauag. Martini V. & Calixti III. quã & Pius V. omnino in sua constitutione exigit, est, vt possit redimi ac extingui in toto vel in parte: quæ nunc diligenter a nobis examinanda est.

Nauarrus in suo commento de Vsuris nu. 95. Glosa. 12. & deinde nu. 102. docet hanc conditionem ita esse necessariam, vt census cui opposita cõditio apponeretur, veluti ne possit per partes redimi, iniquus sit ac illicitus. Probat illud nu. 101. Primo ex constitutione Pij V. quæ illud habet apertissime.

Secundo, quia in L. Quidam existimauerunt. ff. De rebus creditis. habetur in vniuersum, ac sine vlla distinctione, Prætorem humanius facturum, si coegerit creditorem ad accipiendã debiti partem, quæ illi offertur, Vbi cum in vniuersum loquatur lex de quocunq; genere debiti, idem erit cẽsendũ de censu. *Vbi enim lex non distinguit* (ex regul.

gul. Iuris) *neq; nos distinguere debemus.* Et cõfirmatur. Quia debitor Reipub. potest illi diuisim, & per partes soluere, vt habetur in L. vltima Cod. de Apoch. public. lib. 10. & in L. Placuit Cod. De collat. fũdi patrimo. Quod si in debitis Reipub. id obseruandum est, à fortiori in censu debito priuato ciui, argumento ex cap. Cũ in cunctis. De electio.

Tertio, quia in iure obligatio conferendi aliquam quantitatem est diuidua, tam natura sua quam in effectu. L. 2. §. Et harum. ff. De verborum obligatio. & l. Si stipulatus sum. §. Qui decẽ. ff. De solutio. vbi in vniuersum & sine vlla exceptione habẽtur hæc verba: *Qui decẽ debet, partem soluendo liberatur.* Neq; est dicendum leges istas accipiendas esse creditore consentiente, leges enim non decernunt quæ perspicua sunt, sed quæ habent dubitationem. Cui autem perspicuũ non est, creditore consentiente posse debitorem quacunq; ratione soluere? imo & liberari ab omni debito sine vlla solutione, per solam debiti remissionem? Vnde leges istæ accipiendę sunt & creditore nolente.

Quarto, Quo argumento vtitur Alciatus in dict. l. Quidã existimauerũt. Nisi liceret debita per partes soluere, esset profecto iniqua lex illa duodecim Tabularũ, in qua decernitur, *vt debitum defuncti diuidatur inter hæredes illius proportionibus hæreditarijs*, iuxta hanc enim legem nõ potest creditor nisi per partes debitum illud recipere, quando scilicet vnusquisq; hęredũ partẽ quę illi incumbit, persoluet: nõ enim potest dicere creditor vni soluẽti, nolo hanc partem à te recipere, quin alii simul suas quoq; exhibeant.

Eandem sententiã amplectuntur Palatius de contract. lib. 4. c. 6. explicans quintã cõditionem, & multi recentiores Theologi. Primo, quia census est emptio & venditio, de essentia autem emptionis & venditionis non est, vt pretium in integrũ reddatur, sed potest reddi per partes. Secundo, quia licet videatur rationi consonum, vt sicut emptor census in prima illius constitutione totũ integrumq; pretium contulit, ita quoq; venditor in redemptione illius totum etiam integrumq; restituat, at cum hic contractus census in fauorem venditorum introductus sit, & admissus, est illi velut intrinsecum, quidquid in venditoris vtilitatem cedit, eiq; repugnans quidquid in eius grauamen & dãnum redundat, esset autem maximum ventoris grauamẽ, vt non posset cẽsum per partes redimere: maxime cũ vendãt frequẽtius census huiusmodi pauperes, & qui necessitatibus premuntur, quibus difficile est totum pretium habere in promptu, vt ab illo onere se liberent, facile autem partes illius.

Addũt tamen authores hi hæc duo: Prius est, nõ esse facultatẽ hanc quacunq; ratione venditori census concedendam, quasi liceat ei & per minutissimas partes redimere, cederet. n. in illud in maximũ emptoris detrimẽtum, venditori autem non est fauendum cũ tanta emptoris iactura: sed intelligendã esse hanc facultatem, quam venditori concedũt, per partes maiores, veluti dimidiam, vel tertiam, aut ad summũ quartam, vel quintam, iuxta maiorem vel minorem quantitatem pretij census: nam neq; Pontifices nomine partis minutissimas censendi sunt significasse. Alterũ est, posse nihilo minus apponi in contractu conditionem, qua obligetur venditor ad non redimendum nisi in integrum, aucto cõmuni pretio census: quia ista obligatur ciuilis est, & pretio ęstimabilis, qua de causa reddito iusto aliquo pretio pro illa nõ erit iniquum, neq; naturæ census, aut legi Põtificiæ repugnans illam adhibere in contractu, quia Summi Pontificies loquuntur seruato communi pretio census.

Ludouicus Lopez in suo instruct. lib. 1. cap. 59. distinguit plurimum inter censum, cuius venditor diues est, & potens cõmode illum integrũ redimere, & census cuius venditor est pauper, & quẽ moraliter ac probabiliter certũ est, prę sua indigentia nunquã habiturũ congregatum totũ pretiũ census ad illum in integrũ redimendũ. Vbi vẽditor census (inquit) diues est, & potens, iuste potest constitui census cũ hoc pacto, ne possit aliter redimi quam restituto toto integroq; pretio, quia cũ sit diues & poteẽs, nullũ fere onus vel grauamen illi ex hoc pacto accrescit: quod si pauper sit & ita egens, vt moraliter censendus sit præ sua inopia nunquã habiturus tantã pecuniã congregatã, quanta exigitur ad illũ vno tractu redimendũ, iniquũ esse apponere tale pactũ, vt nõ possit ab illo redimi per partes: nisi propter hoc pactũ, quod paupere ita egẽti maximum onus est & grauamen, prætium aliquod seorsum reddatur iustũ, & cõmensuratũ illi oneri arbitrio prudentis, distinctũq; à communi & iusto pretio ipsius census. Hanc sententiam inquit videtur habuisse grauissimus ille Doctor, & in his rebus moralibus maxime exercitatus Fr. Ioannes de la Peña.

Probat autem illam his argumentis. Primo, vbi cẽsus natura sua redimibilis ex circunstantia aliqua per pactum appositũ ex redimi-

redimibili efficitur quasi perpetuus, & irredimibilis, tale pactum est iniquum, & repugnans naturę contractus, nisi preter commune & receptum pretium reddimibilis reddatur prætium æquiualens illi pacto, quod, cũ sit onus & obligatio ciuilis, pretio æstimabile est, sed quando venditor census est ita pauper & egens sicut constituimus, census quem vẽdit qui natura sua redimibilis est, ex circunstantia personæ & indigẽtia illius efficitur moraliter quasi perpetuus, & irredimibilis, vbi apponitur pactum ne possit illum per partes redimere, vel priuatur ea facultate, ergo vbi venditor ita eget, hoc pactũ iniquum est, & naturæ census redimibilis aperte repugnãs, aut est pro illo aliquod iustum & cõmodum pretiũ seorsum necessario reddendũ. Et cõfirmatur. Si ab huiusmodi paupere emeretur cẽsus perpetuus, reddẽdũ esset illi multo maius pretiũ, quã sit commune pretiũ census redimibilis, sed supposita paupertate & indigẽtia huius venditoris, census hîc nisi possit per partes redimi, est velut perpetuus, & irredimibilis, ergo est augendũ pretium necessario, ita vt recipiat vẽditor iste, & iustum pretium census, & iustũ ac commensuratnm pretium istius pacti, aliter iniquum est omnino priuare illum libera facultate redimendi per partes.

Secũdo cõtractus census, cũ sit emptio & venditio, seruare debet leges iustitiæ cõmutatiuæ, quarũ illa potissima est, vt seruetur æqualitas inter contrahentes, at vbi venditor ita pauper est & ægens, vt moraliter non speretur posse illũ in integrũ redimere, reddito solo pretio communi cẽsus redimibilis, non est ęqualitas inter contrahentes, quia emptori ex circunstantia paupertatis illius venditoris, ius illud censiticum quod acquirit, est velut perpetuum, & cũ magno ipsius commodo, venditori autem quanuis cẽsus ille secundum se sit redimibilis, efficitur tamen propter ipsius paupertatem velut irredimibilis, cũ magno ipsius damno, est ergo hic cõtractus iniquus, vel debet pro isto onere peculiare aliquod pretiũ huic pauperi reddi, distinctũ à cõmuni & iusto pretio cẽsus.

Dominicus Soto lib. 6. de Iust. q. 5. art. 3. concl. 4. habet tria. Primum est, cõdicionem hãc, vt debeat cẽsus simul & in totũ redimi, nec vsurariã esse, nec repugnare naturę huius contractus, quia contractus hic vera emptio & venditio est, non modo in prima sui constitutione, verumetiam cũ redimitur, at neq; repugnat naturæ emptionis & vẽditionis, neq; aliqua vsuræ suspicio vel labes in contractu emptionis & venditionis continetur, eo quod vbi res quæ emitur cũ pacto retrouendendi, cõstituatur nõ posse aliter redimi, quã restituto eodẽ pretio toto & integro sicut passim fit in emptionibus agrorum & aliarũ rerũ immobiliũ, quę venduntur quãdoq; cũ simili pacto & cõditione. Cõfirmatque illud, quia sicut potest emi cẽsus perpetuus & irredimibilis, ita quoq; potest emi redimibilis & tẽporalis cũ hoc pacto, ne possit redimi nisi in integrũ, cũ maius onus & obligatio imponatur vẽditori per cẽsum perpetuũ, quã per redimibilẽ cum hoc pacto. Secũdo quia aliter posset emptor grauissimũ dãnum recipere, & in maximo cẽsu, redempto illo per minutissimas partes, quibus consumeretur sine vlla ipsius vtilitate, venditor contra maximũ recipere cõmodum: Veluti emẽs ex pecunia sub censu accepta prædiũ ex quo aleretur, & paulatim ac minutim illa restituta manens cũ pleno & libero illius predii dominio. Censendũ ergo est, posse in hoc contractu adhiberi pactum quo occurratur tantæ inæqualitati, tanto nimirũ vẽditoris commodo, cum tanto emptoris damno & iactura.

Habet secundo, Ratione huius pacti augendum esse pretiũ, & reddẽdũ aliquod peculiare illi iustum; quia negari non potest, hoc pactũ cedere in vtilitatẽ emptoris: Etenim vbi census non potest nisi in integrũ redimi, tardius & difficilius redimetur, & ex consequenti obligatio illa imposita emptori per pactũ de retrouendendo, quę pretio estimabilis est, fit leuior: qua de causa hæc alia conditio, quę pactum de retrouendendo leuius efficit, pretio quoq; digna est. Vnde licet per hoc pactum de redimẽdo in integrũ non committatur vsura, committeretur tamen inquit iniustitia, nisi peculiare ac iustum pretium pro illo exhiberetur.

Habet tertio, huic cõtractui, & iustitię illius accidẽtariũ esse, venditorẽ cẽsus diuitẽ esse vel pauperẽ, posse simul & in integrũ redimere censum vel per partes tantũ, parũq; illud facere ad iustitiam huius contractus, sed eam pensandam esse ex his quæ illi propria sunt, & potissime ex vsu & consuetudine loci in quo hi contractus exercentur, seclusa omni vi & dolo. Ita concludit posse censum cum hoc pacto constituti.

Franciscus Sarmiento lib. 7. selectarum interpret. c. 1. num. 28. vt in iure maxime peritus, & in ea parte quæ iustitiam contractuum respicit, satis versatus, sentit, absolute & simpliciter posse censum recte ac iuste

 institui

institui sub eo pacto, vt non possit redimi nisi toto integroq; pretio restituto, nec distinguit inter venditorem diuitem vel pauperem, nec iudicat ratione huius pacti augẽdum esse pretium. Eandem sententiam amplectitur Fr. Iosephus Angles in suis floribus Theologicis Quęstion. de Censibus, conditione 7. & multi ex Theologis qui in hac nostra Vniuersitate Valentina floruerunt, quorum memini primo tomo horum commentariotum in epistola dedicatoria, habetq; illud huius Regni consuetudo, cõtra quam neminem adhuc vidimus vel Prelatorum, vel Theologorum, vel Iudicũ quibus peritissimis ac sanctissimis hæc Ecclesia ac Ciuitas Valentina singulari quodam Dei beneficio sępe floruit, aliquãdo reclamasse.

Franciscus Sarmiento vir peritissimus iuris, sententiã suam ea potissime ratione cõfirmat, quod sit maxime consona Iuri communi: ius enim ciuile licet non sit regula morum in foro animæ, est nihilominus regula rationi & æquitati maxime consona. Quod autem cum iure communi eius sententia maxime cõueniat, docet ex l. Tutor. §. Lucius. ff. de Vsuris. vbi habetur: *Soluta parte sortis adhuc decurrere vsuras minori debitas, nisi in contractu habeatur posse sortem diuisim solui.* Et l. 2. §. Et harum. ff. de verbo. obligatio. habetur: *Debitorem quantitatis inuito creditore non posse solutionem diuidere, neq; partem prestare*, præterquam in fauorem libertatis vt dicitur L. Cum hæres. §. penult. ff. De statu liberi. Deniq; in l. Consignatio. Cod. de solutio. Docent communiter Iurisperiti debiti solutionem inuito creditore non posse diuidi: quod velut cõmune DD. axioma haberi docet Tiraquel. De retractu conuentio. §. 4. Glosa 4. at census debitum est verum, & reale, non ergo poterit redimi per partes creditore inuito.

Vt in tanta circa presentem quæstionem opinionum varietate quid verius sit, inuestigare valeamus. Obseruemus primo, pactum de facultate redimẽdi censum his quatuor modis fieri posse. Primo, ita vt concedatur venditori census facultas redimẽdi illũ, sine distinctione aliqua exprimente possitne illum redimere per partes, vel non posse aliter quam in integrum. Vel secũdo, concessa venditori facultate reddimendi illum per partes, non tamen expressa quantitate partium, per quas est redimendus. Vel tertio designata quantitate partium, vt redimatur per dimidiam, aut tertiam, vel quartã partem in singula quaque illius redemptione exhibitam. Vel quarto, sub ea conditione, vt non possit redimi nisi toto integroq; illius pretio restituto.

Obseruemus secundo, Intelligentiam huius quæstionis pendere plurimũ à vero sensu illorum verborum, quæ habentur in Extrauagantibus Martini V. & Calixti III. dum dicunt *Censum redimi posse in toto aut in parte.* Possunt enim hęc verba duplicẽ sensum habere: vel ita vt significent intrinsecũ esse censui, & de propria illius ratione, vt vẽditor possit illum redimere per partes, vel ita vt significent non repugnare naturæ huius contractus, vt ita redimi possit. Ex quibus sensibus hic posterior genuinus est, & verus: nec prior ille constare potest: Tum, quia consuetudo est optima legũ interpres, habet autẽ multarum prouinciarum saltim in Hispania probata consuetudo, vt nõ possit redimi creditore inuito per partes, Tum, quia si illud repugnaret naturæ huius contractus, non posset constitui in censu, neque libero contrahentium consensu, neque reddito iusto pretio ratione talis pacti, at mutuo contrahentium consensu pactum hoc apponi posse nullus inficiabitur: Tum etiã reddito aliquo iusto pretio posse adhiberi plerique Doctorũ quos retulimus censent. Vnde verba Pontificum in hoc sensu sunt necessario accipienda, vt significent, non repugnare naturæ huius contractus censitici, vt redimatur per partes, quod in aliis mercibus quæ cum pacto retrouendendi emuntur non ita habet locum, sicut in censu. Cuius discriminis ratio est: quia in censu singulæ partes pensionis proportione quadam respõdent singulis partibus pretij, vt si emi annuum redditum vt 5. aureorum pretio vt 100. aureis, singuli aurei pensionis huius respõdent 20. aureis illius pretij, quod in alijs rebus non ita accidit: Etenim si emi domum 100. aureis non respondent singulę partes illius singulis partibus pretij, sed tota domus toti pretio, qua de causa in emptione domus cum pacto de retrouendendo, non fit illius redemptio, pretio reddito per partes, ita vt reddita parte pretij prior venditor recuperet partem domus, sunt enim huiusmodi bona & merces maxime alienæ ab is diuisionibus; at in censu constituto cum isto pacto, cum res empta sit diuisibilis in partes, iuxta varias partes pretij, ex natura rei emptę, efficitur, vt huic contractui non repugnet redimi censum per partes, & liberari vẽditorem à solutione partis pẽsionis reddita parte pretii.

His

His positis separemus prius certa ab incertis, vt sic cōmodius explicemus deinde quæ dubia sunt, & controuersia.

Primum ergo illud certum est, posse hūc censum mutuo contrahentium cōsensu cōstitui concessa facultate venditori ad redimēdum illum per partes: Probant enim illud Constitutiones Apostolicę, & recta ratio idem suadet. Nam cum ius censiticum onerosum sit, nihil magis rationi cōsonum, quam vt posśit venditor huiusmodi onus à se excutere via sibi commodiori, in totum vel per partes, consentiente emptore, ac volente tali beneficio in illum vti. Et hoc probant argumenta illa quibus vtitur Palatius.

Secundo certum etiam est apud omnes, emptorem census posse hanc conditionem in contractu exigere, vt venditor, cui fit facultas redimendi illum per partes minutiores, sed per certas ac definitas quantitates: vt si pretium census sint mille aurei, non posśit illum redimere nisi per partes, quarū vnaqueque sint ducenti vel trecenti aurei. Hoc namque exigit etiam recta ratio, quia aliter posset, vt argumentabatur Dominicus Soto, census magnæ quantitatis per minutiores partes redemptus consumi cum graui creditoris damno, & iactura: licet autē vnicuique, in cōtractu quem exercet, se ipsum seruare indemnem, maxime sine alterius cōtrahentis detrimento, quod certe in hoc casu venditori non sequitur, cum concedatur illi, vt per aliquotas partes censum venditū redimere posśit, nec teneatur in integrum, quod esset illi maximum onus.

Tota ergo difficultas est, quando census constituitur cum facultate redimendi illū, neque tamen exprimitur sit ne redimendus in totū, vel per partes, aut exprimitur vt sit ne redimendus in totum, vt habet communis tabellionum vsus, maxime in plerisque Prouinciis Hispanię. Quam litem vt dirimamus.

Sit Prima conclusio. *Pactum hoc, ne posśit census redimi per partes, sed restituto toto integroq; pretio, non est secūdum se iniquum, vel vsurarium, si iustum accomodatumq; pretium pro illo reddatur.*

Conueniunt in hac omnes DD. quos presenti controuersia retulimus, præter D. Nauarrum, & Franciscū Sarmiento, qui in hac quæst. velut extremas secuūtur sententias, Cum Nauarrus nulla ratione admittat hoc pactum vt sit redimendus in integrum, Sarmiento verò illud adeo iustum se solo existimet, vt nullius pretii pro illo reddēdi meminerit, Cōmunior autem sententia Soti & aliorum quos retulimus, & quam ducimus amplectēdam media graditur via, probātq; illam optime argumenta Dominici Soto: Et confirmatur: Licet non repugnet contractui census vt posśit redimi per partes, non tamē est de intrinseca ratione illius, vt constat, quia est emptio & venditio, in qua, si aliarū mercium sit, fiatque cum pacto de retrouendendo, obseruatur illud, vt redemprio rei prius venditæ non aliter fiat, quam restituto toto integroque illius pretio, cum ergo non repugnat substantiæ cōtractus pactum hoc, poterit illud apponi. Dices est maximū grauamen vēditoris. Huic incommodo iam occurritur reddito illi pro eo iusto & accomodato pretio.

Secundo facultas redimendi per partes, esto non liceat per minimas, est in damnum emptoris, Tum, quia census sic diuissus inutilior est, Tum quia facilius potest cōsumi, & distrahi pecunia illa, potest ergo obligare venditorem, vt se ab illo damno eximat, ne posśit redimere per partes, reddito illi iusto pretio pro tali obligatione, cum illa ciuilis sit, & quæ pretio æstimari potest.

Hanc conclusionem intelligo absolute & simpliciter, quicunque sit ille venditor census, siue diues siue pauper. Hoc enim (vt recte obseruat Soto) maxime accidentarium est contractui, & quanuis sit circunstantia personæ, non tamen est circunstantia quæ afficiat contractum. Etenim si pactum hoc secundum se iniquum est, nunquam poterit apponi, siue à paupere siue à diuite census vendatur, si vero iniquum & iniustū ex natura rei non est, potest apponi aquocunque census vendatur. Similiter si pactū hoc onerosum est, & obligatio ciuilis, ac pretio æstimabilis, reddendum est pro eo iustum pretiū suscipienti illud supra se, à quocunq; suscipiatur. Etenim sit ne pro re aliqua reddēdū pretiū, non desumitur ex qualitate vēditoris, sed ex rei valore: quis enim dicat mercem emptam à paupere non esse recipiendā sine pretio, emptam vero à diuite posse recipi sine pretio secluso illius libero consensu, nisi rusticus & ignarus? qui putat furari à paupere esse peccatum, minime vero furari à diuite.

Quæres tamen statim occasione huius cōclusionis, cum in hoc Regno Valentino, & aliis multis Hispanie locis census redimibiles cum hoc pacto expresso constituantur, vsu tabellionum, ne posśint redimi per

partes, nec tamen videamus huiusmodi censuum emptores aliquod pretium seorsum ratione huius pacti reddere, sed illud tantum, quo vel lege, vel communi vsu fori huiusmodi census vendi solent, erunt ne hi contractus ex deffectu huius pretij cēsendi iniqui, & iniusti? Ego certe in hac parte optarē peritorum audire responsum, neminem tamē video ex Doctoribus habentibus sentētiam quam sequor in cōclusione proposita, qui illud explicet: hoc solum docent licitum esse istud pactum reddito pro illo iusto pretio: ceterum an redatur, vel qua ratione, re ad praxim redacta, non explicant.

Sentirem ergo pro ingenij mei tenuitate, & saluo meliori iuditio, vbi à lege censui redimibili pretium taxatum est vt Castellæ, & vbi communi vsu fori introductum est, vt apud nos, tam legis illius conditores quā primos inttoductores pretij fori in ipso pretio quod taxarunt, vel introduxerunt, conclusisse etiam pretium ratione huius pacti de non redimendo per partes. Ita vt Castellę vbi vnum emitur pretio vt 14. si quidem liceret censum redimere per partes, non fuisset taxatum nisi pretium forsan vt 12. Et similiter apud nos vbi commune pretium fori sunt 15. pro vno, si liceret communi quoque vsu contractus redimere cēsum per partes, non fuisset introductum nisi pretium vt 12. vel 13. pro vno. In quam existtmationē ducor, quia tam cōditores illius legis, quam introductores pretij in foro recepti fueruut viri prudentes, omnes circunstantias, & onera huius cōtractus, tam quæ emptorem quā quæ venditorem concernunt, diligenter cōciderantes, inter quę impossibile erat, vt lateret ipsos hoc pactum de non redimendo censu per partes maximum onus esse venditoris, sicut posse redimere per quascunque partes esset maximum grauamen & damnū emptoris, & cum pretium constituendum censui debeat omnia grauamina & onera vtriusq; coutrahentis seruata debita æquitate complecti, pretium istud 14. pro vno apud Castellam, vel 15. pro vno apud nos, & similia quibus aliæ Prouinciæ, vel loca vtūtur complecti simul ac includere & pretium debitum obligationi & oneri de non redimendo per partes, & commune pretium quo emuntur, ita vt contineat vtrunque, & pretium census & pretium istius pacti: licet non exprimantur seorsum quasi diuersa, & distincta pretia, sicut in emptione vasis argēti sub vnico pretio continentur duo vere diuersa, alterum argenti ex quo vas illud confectum est, & alterum operę & laboris quē in eo conficiendo artifex suscepit, licet multoties nō exprimantur, nec postulentur tanquam duo pretia diuersa. Vnde infero tuta conscientia posse emi censum in cuius constitutione concederetur venditori facultas redimendi illum per partes minori pretio, quam sit cōmune. Minori inquam arbitrio prudentis. Quia sicut pactum de nō redimēdo per partes est vtilitas emptoris, & grauamen ac onus venditoris pretio æstimabile, contentum in communi pretio fori, vel legis, ita facultas redimendi illum per partes est vtilitas temporalis venditoris, & grauamen emptoris: Sentiunt autem omnes Doctores censum, in quo venditor magis grauatur, carius esse emendum, contra vero cēsum, in quo magis grauatur emptor, vilius; dictat enim vtrunque recta ratio.

Secunda conclusio. *Si constituatur census cum facultate redimendi illum, non tamen exprimatur in contractu qua ratione redimendus sit, in integrum, an per partes, seruanda est loci consuetudo, & illi standum.*

Quia sicut recepta probataque consuetudo est optima legum interpres, ita & contractuum, in quibus aliquid exprimi poterat, nec fuit expressum. Vnde vbi habuerit patriæ consuetudo censum non redimi inuito creditore per partes, non poterit redimi nisi in integrum, quando in contractu nō fuit conuentum qua ratione esset census ille redimendus: vbi vero consuetudo est, redimi quoque posse per partes, etsi non exprimatur, poterit ita redimi & reclamante emptore. *Consuetudo enim recepta in comertijs contractibusq; humanis pro lege habenda est.* Et in hoc sensu dixit recte Soto standum esse Prouincię cōsuetudini seclusa omni vi, & dolo.

Nunc argumenta aliorum authorū, quæ cum his conclusionibus pugnare possunt, diluamus. Imprimis ea quæ à D. Nauarro afferuntur. Primum solum probat pactū de non redimendo per partes iniquū esse, quia prohibitum vbi constitutio illa Pij V. recepta est, & obseruanda: quod nos non diffitemur, hic autem solum loquimur vbi illa recepta non est, neq; in vsu, sed standum circa contractum census in solo iure naturę.

Ad secundum respondeo, in debitis contractis, aut quę per iudicis sententiam persoluenda sunt, posse Prætorem secundum qualitatem personarum, & iuxta varias locorum & temporum circunstantias, pro vt recta ratio dictauerit, illud pręcipere vt diuisim soluantur debita: qua ratione debita

Reipub.

Reipub. à suis ciuibus diuisim solui possunt, quia illa in suos ciues benigne debet se habere, & illorum facultatibus se accommodare: Non tamen repugnat naturæ debitorum, quin possint contrahentes ita inter se conuenire, vt in integrum soluantur, nec posit creditor compelli ad recipiendum debitum diuisim, vt docent alia iura, quę afferuntur à Francisco Sarmiento, quæ hic ex eo retulimus, habetq; ita vsus.

Similiter dico ad tertium, In iure obligationem confereddi quantitatem aliquã diuiduam esse, ideſt non repugnare, quin illa diuisim & per partes reddatur, quod non tollit quin indiuidua quoque sit, & in integrum reddenda, vel ex pacto mutuo cõtrahentium consensu constituto, vel iuxtra patrię consuetudinem.

Ad quartum dico, maximum esse discrimen inter debita reddẽda ab heredibus deffuncti, & alia ab vno tantum per soluenda: illa enim necessario diuidenda sunt in partes, cum hæredes non teneantur ad debita deffuncti, nisi iuxta partem hæreditatis acceptæ, quod recte disponunt & cum omni ęquitate leges illę duodecim Tabullarum, at cum vnus solus est debitor, vt in censu redimibili, potest debitum illud in integrum vel per partes solui, pro vt cõtrahentes interse conuenerint, iuxta ea quæ hic tradita sunt.

Ad argumẽta Palatij. Primũ solum probat nõ repugnare naturę cẽsus, vt possit redimi per partes, quod nos nõ diffitemur, sed neq; repugnat illi vt venditor obligetur ad redimendum illum in integrum, vt ex dictis constat.

Ad secundum respondeo, grauamen quidem esse obligare venditorem census, vt debeat illum in integrum redimere, attamen pro eo, in ipso pretio communi census, redditur illi pretium istius grauaminis, quod pretio ęstimabile est: cum non tanti emeretur census, quanti communiter solet, vel lege, vel vsu fori, si venditori maneret facultas redimendi illum per partes. Vnde idem Palatius senset, posse hoc pactum apponi in cõtractu, reddito iusto aliquo pretio ratione illius.

Ad opinionem illam quam Ludouicus Lopez habet, & authoritate viri illius doctissimi Fr. Ioannis à Peña confirmat, constat iam accidentarium maxime esse huic cõtractui, venditorem census diuitẽ esse vel pauperem, nec attendenda esse in contractibus, quæ adeo illis accidentaria sunt, ad illorum iustitiam & æquitatem, quam hic inquirimus: quamuis iuxta pietatem Christianã respiscienda quandoque sit huiusmodi circunstantia personæ: Vnde argumenta illius, cum sumantur ex hac differentia & circunstantia personæ diuitis, vel pauperis, imbecillia sunt, sicut & fundamentum cui nittuntur.

Ex his explicare potest quæstio illa, quam proponit Nauarr. in commento De vsuris num. 113. quæst. 14.

Controuersia XXV.

AN VENDENS CENSVM *posit partem pretij pro eo accepti dare alteri, ea lege, vt partem quoq; pensionis illi respondentem debeat soluere emptori?*

NAVARRVS eo loco tenet partem negantem, quia conferẽs partem illam pretij accepti alicui alteri simpliciter, ac sine alio contractu census inter ipsos inito, vere pecuniã illam ei mutuat, per mutuum autem obligare alterum ad soluendam partem pensionis, quam ipse emptori debet, est quęrere lucrũ ex illo mutuo, quod est vsura. Respondendum tamen est cum hac distinctione: Vel is qui censum vendidit, minus quidem ius cõtulisset emptori & sub minori pretio accepto, quia minor pecunia sibi sufficiebat, vẽdidit autem illi maius ius, maiusq; accepit pretium, vt haberet pecuniam ex qua nõ solum sibi verumetiam alteri consuleret, rogatus ab illo cui partem illius pretii accepti cõfert: In hoc 2. casu cũ non suscepisset tãtum onus, neq; ad tantum redditum se obligasset, nisi in vtilitatem alterius, tenebitur hic cui venditor census partem pretij accepti confert, partem quoque pensionis illi respondentem soluere: cum venditor census tãta pecunia non egert, neq; alia de causa illã sub onere censitico acceperit, quam in vtilitatem eius, cui illam deinde confert: Vnde causa huius onus illi parti respondens vere sibi imposuit, damnumq; illud recipit: qua ratione, quo iure licet vnicuiq; se ipsum immunem tueri, & damnum alterius causa sibi emergens, ab eo cuius causa recipitur, exigere, licet similiter pacisci cum eo, vt partem pensionis parti illius pretij sibi traditi respondentem persoluat: non enim exigitur in hoc casu tamquam ex mutuo, sed vt damnum vere emergens. Quod si venditor census simpliciter totam illam pecuniã, & pretium

tium ab emptore census decreuerat sibi acci pere, deinde vero rogatus ab amico partem aliquam ei mutuat, tunc non potest obligare amicum illum mutuatarium ad soluendā partem pensionis illi parti mutuatæ respondentem, vt recte docet Nauarrus, sed poterit solum ratione damni emergentis, aut lucri cessantis, si vere illud interueniat, aliquid ab eo exigere, iuxta ea quę superius tradidimus q.78. De vsuris art. 2. contro. 8. & 9. agentes de damno emergente, & lucro cessante in mutuo.

Hac occasione explicemus.

Quando duo in solidum censum vendūt, sed ita vt alter totam pecuniam pretij in suā vtilitatem recipiat, alter vero accipit ab eo cui tota pecunia traditur, instrumentum indemnitatis, quo promittit censum illum intra certum tempus redimere, vel ab ea obligatione illum eximere, liceat ne huic, adueniente termino, compellere verum illum debitorem ad redimendum censum, aut eximēdum illum ab illo onere, sicut instrumento indemnitatis promisit? Quod si nollit debitor ille, vel neutrū posit, licebit ne huic ex proprijs censum illum redimere, & compellere rursum eundem debitorem ad illum redimendum, ac ita, vt quandiu nō redimit, pensiones decurrentes accipiat, sicut accipiebat prior ille emptor.

Circa priorem partem huius dubitationis nulla est difficultas: Etenim cum is qui nullam pretij census partem accepit, personam nihilominus venditoris exercuerit, & ad illum soluendum se obligauerit, quæ obligatio ciuilis est & onerosa, potuit recte, cum vero venditore census, & cui pecunia vtilis futura erat, ita pacisci, vt vel intra certum aliquod tempus censum illum redimeret, vel ab illo onere & debito ipsum liberaret: vnicuiq; enim omni iure conceditur, vt cū in gratiam & vtilitatē alterius aliquod onus sibi imponit, posit de propria indempnitate curare, & pacisci vt ab illo onere liberetur.

Circa secundam vero partem maior est difficultas: & ratio dubitandi est, Quia in eo casu qui censum illum à primo emptore redemit, videtur habere duo iura, alterum velut fideiussoris cum instrumēto illo indemnitatis, & pacto, vt post certum tempus liberaretur ab illo onere, censu redempto, quod ius non amittit, eo quod censum illum redimit: alterum vero emptoris illius, qui accepto pretio transtulit in illum idem ius, quod ipse habebat, sicut transtulisset in quēcunque alterum cui illud censuale vendidisset: Vnde cum habeat hæc duo iura, ratione prioris poterit compellere verum debitorem vt redimat, ratione vero posterioris poterit quandiu illum non redimit, pensiones decurrētes recipere, sicut poterat prior emptor quādiu illi debebatur, vel potuisset quiuis alius cui primus emptor ius illud censiti cum vendidisset. Et confirmatur, quia vero venditori ac debitori census nullum inde damnum sequitur, quid enim illi refert quā diu non redimit, soluatur huic fideiussori, qui à principio gratiam illi contulit, pro illo se ipsum obligans in solidum, vel priori emptori, cui se à principio obligauit?

His tamen non obstantibus oppositum docet Molineus, cui cęteri in hac parte subscribunt de vsuris. q. 29. num. 245. & verè, saltim in iudicio animæ, quid enim in foro contentioso iudicabitur non est meum explicare: Quod autem in foro animæ non posit vtrumq; recta ratio docet: quia hæc duo iura in eodē creditore maxime sibi pugnāt: Nam vel hic qui pro vero debitore se vna cum illo in solidum obligauit, & censum postea à primo emptore redimit, vult agere personā fideiussoris, & iure illo, quod per instrumentum indemnitatis in illum habet, omnino vti, vel agere personam creditoris & primi emptoris: vtrumq; enim simul non potest, Tum quia circa idem debitum repugnat maxime eundem creditorem esse, & sibi ipsi fideiussorem aut debitorē: Tum quia cum de propria ratione census, de quo hic agimus sit, ne posit venditor ab emptore illius compelli ad redimendum, siquidem vt fideiussor vult compellere ad redimēdū, non potest pensiones exigere, aut recipere vt emptor, quia emptori repugnat compellere venditorem ad redimendum: si vero vult recipere pensiones quandiu debitor non redimit, non potest compellere illum ad redimēdum, sicut nec prior emptor poterat, nec potuisset quiuis alius cui ius illud cēsiticum venditum fuisset, vel traditum à primo emptore. Et confirmatur ex ipso iure ciuili, iuxta quod sicut duæ obligationes nō possunt simul concurrere, nempe principalis & accessoria, puta fideiussoria, sed principalis extinguit accessoriam L. Si reus promittendi. ff. De duobus reis. l. Hęres. §. seruo. ff. De fideiussor. maxime quando fideiussor creditori succedit, ita neq; possunt duę actiones respectu eiusdem debiti eidem simul cōuenire, altera creditoris ad exigēdas pensiones, & altera fideiussoris cum instrumento indemni-

indemnitatis, cuius vi possit compellere verum debitorem ad redimendum: liberum tamen videtur ei esse, vti iure & actione qua voluerit, cum ab initio ita conuenerit: Sed tutius est in iuditio animę, vt vtatur sola actione emptoris, Tum quia vere iam censum illum emit, Tum quia in iure actio precipua extinguit minus præcipuam: & ita est consulendum.

Aliæ tres cōditiones quas habet Pius V. in sua constitutione, & superius retulimus post relatam illius constitutionem, nō sunt de propria ratione & natura census, neque iuri naturali, aut diuino nituntur, sed ex solo iure humano ex dispositione ipsius Pij V. qui illas non sine aliqua iusta causa expedire censuit, obligabunt quidem vbi Cōstitutio ipsius obseruatur, minime vero vbi recepta nō est neq; in vsu: Qua forsan de causa. Nec D. Nauarrus, nec alij qui post illā constitutionem de hac materia scripserunt, in illis explicandis laborarunt.

In fine huius artic. duo manent explicanda. Prius est.

AN IN CENSV, VT VIM HAbeat, sit necessaria scriptura, Vel instrumentum Tabellionis?

VBi constitutio illa Pij V. obseruatur, perspicuum est, scripturā necessariam esse, cum censum aliter constitutum nullū decernat, adeo vt in presentia testium & notarij pecuniam pretij numerari precipiat: Vbi vero constitutio illa recepta non est, neq; in vsu, licet nonnullis iurisperitis videatur illam necessariam esse absolute, & ex natura cōtractus, ita vt non liceat redditus annuos aliter computare, quam à die quo scriptura & instrumentum census cōfectum fuerit, quia cōstituūt hi censum, inter contractus ad quorū substantiam exigitur scriptura, de quibus Glosa in cap. 1. §. post quam autem. in verbo *Scripturis*. De cēsibus. in 6. Probabilior autem & verior sentētia est, absolute & simpliciter non esse necessariam scripturā. Etenim cum hic contractus sit vera emptio & venditio, sicut in quacunq; emptione & vēditione alicuius mercis, cum primum contrahentes interse conueniunt, & mutuo consensu alter pretium alter rem actu tradit, manet effecta & firma illius rei venditio, vereque est trāslatum dominium pretij in venditorem, & dominium rei venditæ in emptorem, esto nulla interueniat scriptura, cum illa non tanquam necessaria ad substantiam contractus, sed ad rei tantum memoriam & fidem inter homines introducta sit, vt habetur in l. contrahatur Cod. De pigno. (licet animaduertat & recte ibi glosa requiri scripturam, circa ea pacta quæ emptionis & vēditionis cōtractui extra illius naturā adicerentur) ita in hoc contractu census, cum primum contrahentes interse conuenerunt, & consenserunt de illius constitutione, quo tēpore venditor actu pretium recipit, trāsfert simul in emptorem ius censiticū annui redditus, manetque ex inde in posterum illius redditus debitor, etiam si nulla scriptura inter eos cōficiatur, teneturque, ab eo die, quo pretium accepit, annuum redditum computare. Hanc doctrinam videtur habere aperte Bartho. l. 1. Cod. de iure emphyt. saltim Theologis certissima est. Dixi absolute & simpliciter, quia si iure Regni cautum esset, ne census constitueretur sine scriptura, aliter esset nullus, aut communi loci & patriæ consuetudine ita obseruaretur, aut à probis peritisq; iudicibus communiter census sine illa decerneretur nullus, in huiusmodi casibus nullus censendus est, nec liceret in foro animæ aliter pensiones recipere, quam post confectam scripturam: quia tam communis loci consuetudo, quam commune iudicum decretum pro lege habenda sunt.

Alterum est.

AN PRAESCRIPTIONE LONgi, vel longissimi temporis validetur census, vel efficiatur irredimibilis?

HAEC questio ad iurisperitos videtur magis pertinere quam ad Theologos, attamen cum quandoque & Theologus de ea consulatur, saltim à fidelibus timoratis qui lites exortas non admittent, quin prius intelligant, quid circa illas in foro animę sentiendum sit, quę circa propositam quæstionem Theologum nosse oportet, vt consultus respondeat, paucis aperiam.

Titulus ergo præscriptionis in censibus adduci non potest nisi ex præcedentibus solutionibus per aliquot annos, solutiones autem huiusmodi tribus modis factæ esse possunt, Primo explicata aliqua causa, quæ à iure census lōgissime distet, veluti si ex scripturis solutionum constat illas factas esse vel ex beneuolentia, vel ex legato defuncti præcipientis illas per aliquot annos fieri, vel ratione

ratione alicuius debiti diuisim & progressu temporis soluti, aut ex alia simili causa à iure census aliena. Secūdo, sine vlla expressa causa, vel explicata, quæ solutiones dicūtur informes. Tertio, explicata causa, quæ ius censiticum designet, vt cum creditor affirmat se recepisse hanc vel illam pecuniā iure censitico sibi debitam. Porro quę sine vlla causa expressa fiunt, aut ostenduntur factæ per aliquot annos qui hominum memoriam non excedant, aut præstantur à tēpore immemoriali, neque in eis designatur aliquis terminus quo finiatur obligatio pręstandi illas; sed simpliciter semper redditæ sunt a tempore supra hominum memoriā.

His positis quinque assertionibus hanc quęstionem absoluam.

Sit prima. *Si solutiones factæ sint explicata causa a iure censitico aliena, esto per longum, vel longissimum tempus factæ sint, nō potest vir tute earum iure præscriptionis census constitui.* Ratio est aperta, Cum ex eisdem constet ex alio titulo & debito solutionē illam factā esse quam iure censitico.

Secunda assertio. *Solutiones factæ nulla causa explicata per tempus quod non superat homi num memoriam, neque valent ad instituendum censum, neque aliquam aliam obligationem titu lo præscriptionis, saltim in foro animae.* Quia redditę forsan sunt ex beneuolentia, aut ex alia causa quę præscriptionem non admittat: quin & Iurisperitos idem sentire credere teste Saliceto in.l. Cum de in rem verso.ff. de Vsuris.q.4.

Tertia assertio. *Solutiones factæ continuatæ per annos præstatione à tempore immemoriali, quamuis nullam causam contineant, iure præscriptionis inducunt obligationem, vt in posterum etiam fiant.* Quia immemorialis illa & continuata ipsarum solutio habet vim causæ, & tituli, vt optime docet Couar. in Regul. Possessor. de Reg. iur. in.6. part.2.§.4. num.4.

Quarta assertio. *Si ex solutionibus redditis constet causa, quæ ius censiticum designet, titulo præscriptionis vi illarum solutionum huiusmodi causam explicantium manebit census constitutus.* Sufficiunt vero ad huiusmodi præscriptionis titulū solutiones decem annis continuis factæ. Ita enim habet communis Iurisperitorum sententia, cui circa hęc standum quoque est in foro animæ. Quamuis vbi causa hæc ita exprimitur, vt ex iure cēsitico solutiones illas factas esse constet, nō tam titulo pręscriptionis manere illum debitorem census, quam ex perspecta rei veritate propria illius confessione dicendum est, vt recte admonet noster Belluga de materia censualium numer. 12.§. *Et quod iste.* Quacunque vero ratione teneatur, certum sit illum in vtroque foro teneri ad pensiones illas in posterum persoluendas. Nam & emphyteuta, cuius onus grauius est & odiosum magis, qui per multos annos redditum quem canonem vocant persoluit, tenetur deinde in futurum illum soluere, vt habet communis Iurisperitorum opinio, quanto magis censuarius, cuius onus leuius est, & minus odiosum.

Vltima assertio. *Vbi dubium fuerit, obligatio illa, qua aliquis tenetur ad annuum redditum, qualis sit, num canon & emphyteusis, vel pensio simplicis census, similiter num census redimibilis, an irredimibilis & perpetui, ita vt neque ex scriptura aliqua, nec ex forma solutionū antea redditarum illud certo constare possit, inclinandum est in vtroque foro in fauorem venditoris, censendaque est obligatio illa ad censum minus onerosum pertinere.*

Quia & in his locum habet regula illa Odia restringere, &c. Ita Nauarrus in cōmento de Vsuris num. 109. Couarru. libr. 5. var. resolut. c.10. nu.4. vbi affert plures DD. in eandem sentētiam. Quamuis admoneat ibi, & recte, nisi consuetudo regionis aliud induxerit: quia iuxta eam dubij contractus erunt intelligendi, & explicandi, cū illa in his legis vim obtineat. Qui plura circa hæc desiderat legat Caballinū, siue Molinęum de Vsuris. quæst. 17. numero. 194. & q.20. numer. 205. Ex his sequitur nulla pręscriptione censum fieri irredimibilem & perpetuum, nisi illud certo constet scriptura aliqua, tum quia in dubio fauendum est debitori, tum quia de natura census est, vt redimi possit, vt ostendit abunde Molinęus loco citato nu. 194.

ARTICVLVS QVARTVS.

QVID SIT CENSVS PERPETVVS, *Et qua ratione constituatur, Et quo pretio?*

CENSVS Perpetuus, de quo nunc agere instituimus, ab emphyteusi de qua art. 2. huius quæstionis disseruimus, plurimum differt. Cū in emphyteusi rei illi subiectæ emphyteuta solum habeat dominium vti-

vtile, neque illam sine facultate domini directi vendere, vel alienare valeat, cadatque à iure, vel vt dicunt; in cōmissum, nisi canonem, ut ibi exposuimus, soluat, quæ omniá a censu perpetuo de quo nūc agimus maxime aliena sunt. Nā in hoc censu rei illi suppositæ vtrunque dominium censuarius habet, & vtile & directum, potestque rem illam pro libito vendere, vel alienare, nec cadit a iure suo ex aliqua mora solutionis. Est ergo eiusdem rationis, & naturæ cum redimibili, de quo preced. art. egimus, ea tātū ratione ab illo diuersus, quod ille instituatur cum libera facultate redimēdi, quotiescunque venditori libuerit, hic vero sine tali pacto & facultate.

Constituitur autem huiusmodi census duobus modis. Primo, ita vt vendat quis alteri super fundum suum, vel domum ius recipiendi in perpetuum certam aliquam pēsionem, qua ratione vendens censum non vendit domum, nec fundum, sed ius tantū illud censiticum perpetuum, quod & in hæredes ipsius transibit, eo modo quem inferius explicabimus. Et huiusmodi cēsus est, quem dicimus esse eiusdem naturæ cum redimibili, solumque distingui ab eo, quod ille redimi possit hic vero nequaquam. Constituitur etiam aliquando hoc secundo modo, vt tradat Petrus Ioanni suum fundum, vel domum, ea lege, vt reddat ipsi annuatim 10. vel 12. in perpetuum, in qua constitutione census perpetui, fundus ille vel domus transit absolute, & omnino, ac pleno iure tam vtili quàm directo in Ioannem cēsuarium, ita vt deinde siue pereat, siue efficiatur vtilior, in Ioannis cedat vtilitatem, vel damnum: Petrus vero collato illo fundo emit a Ioanne ius illud recipiendi in perpetuum annuum redditum 10. vel 12.

Huic censui hęc conueniunt, Primo, vt quocunque modo ex his duobus census iste instituatur, sit vera emptio, & venditio perpetui iuris in aliquem annuum redditum. Quod ius merx quędam re vera est, hoc enim ius est quod præcipue, ac propriè connumeratur in Clementina illa *Exiui* inter bona immobilia. Secundo, vt non possit cōstitui super nuda persona, aut bonis mobilibus, sed exigit necessario ex sua propria ratione & natura, vt imponatur alicui rei immobili & permanēti. Ratio est aperta, Quia cum sit ius perpetuum, debet etiam fundari in re perpetua, persona vero vēditoris morti obnoxia est, & bona immobilia mille casibus, quibus facile consumuntur, & pereunt. Tertio, vt possit census huiusmodi sicut & redimibilis duplex esse, pecuniarius vel fructuarius: potest enim vel data pecunia, vel oblata possessione aliqua, emere Petrus a Ioanne ius percipiendi perpetuo ex bonis illius redditum aliquem pecuniariū, vel aliquos fructus ex prædiis, quę habet Ioannes, nisi lege Prouinciæ prohibeatur census fructuarij, tam redimibiles quam perpetui. Ex his satis constat quid sit census perpetuus, de quo hic agimus, quæ propria illius ratio, & qua ratione cōstituatur. Est enim emptio & venditio iuris percipiēdi redditum aliquem pecuniarium, vel fructuum in perpetuum. Constituitur autem, vel data pecunia, vel oblata re aliqua immobili in pretium illius iuris, ita vt quacūque ratione pretium illius exhibeatur, ius illud in re permanente & immobili imponatur.

His ita cōstitutis, circa quę nulla est dubitatio, de iustitia & pretio huius census dicamus.

Controuersia 1.

AN CENSVS PERPETVVS *sit contractus iustus?*

HENRICVS Ganden. quolib. 8. q. 22. iudicauit huiusmodi censum, contractum esse maxime periculosū & iniustum. Refert etiā Conrrad. de contract. q. 82. quendam Iurisperitum Viennensem, asserentem in quodā tractatu seu opusculo, censum redimibilem iustum quidem esse contractum, Censum vero perpetuum, qui redimi non potest, iniustum & iniquum.

Ducebatur autem in eam sententiam his rationibus. Primò, hoc contractu magis grauatur vēditor quā vsuris, quia ab onere vsurarum potest se ipsum reddito capitali liberare ab onere vero census perpetui nunquā potest, erit ergo contractus hic in maius nocumentum venditoris, quam sint vsurę, & ex consequenti iniquus.

Secundo, in censu perpetuo non emitur res illa immobilis, cui imponitur, tum, quia sępe res illa valet mille, pretium autem census qui super illam emitur, sunt sola 100. tum, quia manet illa pleno iure penes dominium censuarij: nec vēditur redditus ille pecuniarius perpetuo persoluendus, hic enim redditus pecunia est, quæ non est vendibilis: nec venditur ius aliquod in illum redditum, quia hoc ius nihil aliud est quam re

latio quædam in illum, relatio autem est accidens quoddam, quod nequit esse materia emptionis, aut venditionis.

Tertio, In contractu iusto debet esse æqua vtriusque contrahentis conditio, at in hoc contractu census perpetui emptor securus est, & in tuto, & recuperandi sortem progressu annorum, & recipiendi semper vltra illam annuum illum redditum: venditor vero in damno & sub onere illo, quod à se nũquam valet excutere soluendi scilicet illum redditum. Et confirmatur, quia emptor cũ progressu temporis sit recepturus plusquã sortem, & vẽditor similiter eodem progressũ redditurus plusquam sortem, habet ille per hunc contractum plusquam debet habere, alter vero minus quam debet habere.

Denique, exigit propria negotiationis ratio, vt exercens illam alicui periculo se ipsũ exponat, emens autem censum perpetuum nulli periculo manet expositus, cũ sit securus de solutione illius in perpetuum.

His tamen non obstantibus, cõmunis omnium tam Theologorum, quam Iurisperitorum sententia habet huiusmodi censum seruato iusto pretio, contractum esse iustum, & honestum, neque vllus Doctorum oppositum vnquam censuit præter Enricum, & illum Iurisperitum Viennensem.

Probaturque efficacissimè. Primo, in hoc contractu nulla interuenit ratio vsuræ, vel iniustitiæ, ergo licet illum exercere: Probo antecedens, imprimis in hoc contractu cum pecunia & pretium redditum venditori nũquam sit recipiendum, sed pleno iure & irredimibili transeat in venditorem, nulla apparet in eo, vel potest excogitari ratio mutui, & ex consequenti neque ratio vsuræ. Quod autem neque iniustitiæ, ostendo: Hic contractus est emptionis & venditionis, ad cuius æquitatem & iustitiam hæc tantum exiguntur. Primo, vt res quæ venditur sit pretio æstimabilis. Secundo, vt nullo iure vendi prohibeatur. Tertio, vt pretium sit iustum. Quarto, vt contrahentes sint veri domini, alter rei quam vendit, alter pretij quod pro illa confert, & personæ habiles ad contrahẽdum: In hoc contractu ius illud percipiendi in perpetuum aliquem annuum redditum est res pretio æstimabilis, & quæ connumeratur (vt diximus) in illa Clementina *Exiui* inter bona immobilia pretio æstimabilia: nulla est lex vel communis, vel particularis quæ prohibeat huiusmodi iura vendi, & imponi, constituimus autem hic vendi pretio iusto, & inter personas suarum rerũ dominas, & ad contrahendum habiles. Est ergo iustus & honestus contractus.

Et cõfirmatur census redimibilis emptus iusto pretio, & cum aliis conditionibus requisitis, vt vidimus ex decreto Martini V. & Calixti III. iustus est, licet habeat aliquã speciem vel effigiem mutui, propter pactũ illum retrouendendi, quia est vera emptio & venditio: sed in censu perpetuo nulla existit species vel effigies mutui, imò apertior est in eo propria ratio emptionis & venditionis, cum pretium nũquam sit reddendũ, ergo seruato in eo iusto pretio & aliis requisitis iuxta propriam illius naturam & rationem contractus est iustus, apertioremque habens honestatem, & iustitiam quam census redimibilis. Conditio enim quæ illi apponitur, vt sit perpetuus, neque efficit quin ius illud quod in huiusmodi contractibus emitur sit vera merx, & res venalis, neque obligatio quam sibi quis imponit efficitur iniqua, vel prohibita, eo quod sit perpetua, cum nil magis in vsu, quã Ecclesias, & Respub. accepto iusto pretio aliquas perpetuas obligationes sibi imponere.

Secundo, licet emere fundum, domum, & quamcunque aliam rem in perpetuum, ergo & huiusmodi censum, & ius, cum sit illud, vt diximus cõnumerandum inter res, & bona immobilia.

Tertio, licet instituere censum reseruatiuum perpetuum traditis propriis bonis, reseruataque sibi aliqua perpetua pensione illis imposita, recipienda in pecunia vel fructibus, sed census perpetuus etiã si instituatur oblato pretio super bona alterius, eadẽ omnino ratione se habet, & simile omnino ius est, ergo licet illum ita instituere. Confirmaturque communi omnium nationum vsu, & potissime ex Cap. Conquæstus. de Religios. domibus, vbi census huiusmodi aperte approbatur.

19 Quarto ius percipiendi fructus decimales, quod habet Ecclesia in prædiis laicorũ, est redditus perpetuus & irredimibilis, huiusmodi autem ius secundum se, iureq; naturali & diuino non prohibetur licite vendi, sed solo iure Pontificio, qua de causa communi DD. consensu posset Papa in eo dispensare, ac concedere alicui Ecclesiæ vt venderet alicui, ipsi & suis in perpetuum, ius percipiendi fructus decimales illi Ecclesiæ debitos, ergo potest similiter emi ius perpetuum recipiendi annuum redditum ex fructibus, vel bonis alicuius collato illi iusto pretio.

Deni-

Denique, si huiusmodi census perpetuus non esset contractus iustus, profecto, vt recte argumentatur Conradus loco citato, essent damnandi innumeri Prælati, Beneficiati, Religiosi, & alij Ecclesiarum ministri, quorum innumeri doctrina & sanctitate excelluerunt, quod vixerint ex iniuste acquisitis, cum in variis Ecclesiis, & Monasteriis, redditus ex quibus Prælati, & Clerici, ac Religiosi sustentātur, sint census perpetui: quidam à fidelibus bonis suis impositi, alij & non pauci ex aliis bonis Ecclesiarum, & Monasteriorū pretio iusto cōparati: Quod certe prohibuissent, ac correxissent Sancti Pontifices Romani, & Concilia generalia, si huiusmodi census iniqui essent & illiciti. Nec est audiendus in hac parte Henricus Ganden. qui huius argumenti vim subterfugiens ait, dicendum esse ad illud sicut alibi dictum est, alibi autem intelligit quolib. 2. q. 15. vbi agens de censu vitalitio, de quo etiam male iudicauit, (vt art. proxime sequenti videbimus) habet duo: Primo, huiusmodi censibus, vitalitio scilicet & perpetuo nullum contradicere, quia in iudicium non deducuntur, & mala per patientiam tollerātur: Secundo, Theologos, & Religiosos consulentes fidelibus huiusmodi census iuste constitui posse, in hac parte, nec sapientes esse, nec recte consulere. In vtroque autem grauiter errat, Summi namque Pontifices, quod mille exemplis possem ostendere, cū primum norunt iniquum aliquem contractum multorum vsu inter fideles exerceri, & eorum conscientias illaqueari, non expectant duci illud in iudicium, sed ex pastorali affectu, paternaq; solicitudine, qua Spiritusancto ipsis assistente communi fideliū saluti inuigilant, illi damno diligenter & cito curant occurrere, ęditis statim Constitutionibus Apostolicis, quibus contractus ille aut omnino prohibeatur, aut ad debitā formam æquitatis reuocetur. Vnde cū nec Sūmos Pontifices, nec vllum hominum lateat constitui sępe census perpetuos, & Eccesias ac monasteria multos huius generis possidere, & à multis tēporibus, si aliqua inesset iniquitas fuissent certissimo à Sāctissimis Romanis Pōtificibus aut omnino extincti, & imposterū prohibiti, aut ad debitā iustitiæ regulam reuocati. Ex quo sequitur Theologos, & Religiosos, consulentes huiusmodi census recte, ac sapienter consulere.

Argumenta in oppositum ex dictis facile diluuntur.

Ad primū respōdeo, argumēto illo omnē venditionem esse dānandam, cū in quacunque venditione res vēdita sic trāseat in plenum & perpetuum emptoris dominium, vt nunquam possit siue eius cōsensu venditor illam recuperare. Quare sicut emptio aliarū rerū iniqua nō est, eo quod res empta in perpetuū dominiū emptoris transeat, ita neque hic cōtractus est iniquus, eo quod ius illud cēsiticum quod emptor cēsus iusto pretio oblato emit, in perpetuū habeat; cū sit contractus hic vera & realis illius iuris venditio. Neq; aliqua est iniquitas, vt venditor maneat hoc onere in perpetuū grauatus, cū sit illi iuri cōiunctū: potueritq; vēditor illud sibi libere imponere per contractū vēditionis, quæ omnia lōge distant ab onere vsurarū: hoc enim etsi leuius videatur, quatenus redimi potest, at cū imponatur per mutuū, cuius propria natura exigit, vt gratis fiat, nulli cōtractui iusto nititur, sed iniustum omnino est.

Ad secundū constat iā in hoc cōtractu, neque emi rē, cui huiusmodi cēsus imponitur: nec pecuniā, sed ius percipiēdi redditū illū in perpetuū: quod ius, & si dicat relationē ad personā, vel redditū, qua parte accidens quoddam est, dicit nihilominus simul actionem ad exigendum, & recipiendum illum redditū, in emptorē, & obligationem ciuilē reddendi illū in venditore, quę duo sibi inuicem relata pretio æstimabilia sunt, & venalia, & ex consequenti ius censiticū quod illa in se continent venale etiam est.

Ad tertiū dico, Ex natura emptionis & vēditionis hanc tantū securitatē desiderari in vtroq; cōtrahēte, vt sicut vnus est securus de pretio, ita & alter de merce, & è cōuerso: quod obseruatur omnino in hoc cōtractu, cū & venditor cēsus perpetui actu recipiat pretiū in omne cōmodū suū, emptor similiter actu recipiat ius illud. Quod autem progressu multorū annorū recuperet diuisim, pretiū quod dedit, & vlterius pensiones in posterū prouenietes, nullū est incōmodum: Primo, quia hoc est cōmune omni emptioni rei vtilis: emēs namq; agrū, vel aliā rem fructiferā progressu tēporis recipit ex fructibus, & pretiū quod dederat, & alios fructus. Secūdo, quia esto multi redditus in vnū collecti ęquentur quantitati pretij collati, emptor tamen illius non recipit illos, vt partes pretij, sed vt veras pensiones annuas iure cēsitico sibi debitas. Ita fit, ad cōfirmationē quę subiūgitur, vt nec vnus habeat plusquā debet habere, nec alter minus, quia in hoc cōtractu pretiū nō commēsura-

tur pēsionibus per innumeros annos recipiē di, sed iuri quod adquiritur in illas: tū, quia pecunia præsens & in vnum cōgregata pluris æstimatur, quam eadem vel maior diuisim & per longa tempora habenda: tum potissime, quia pretium solum debet commensurari rei quę emitur, in his autem contractibus (vt sępe diximus) non emuntur pensiones, sed ius censiticum in illas, cuius pretium iustum est quod redditur, vel ex præscripto legis, vel cōmuni vsu fori, sicut contro. proxime sequenti explicabimus.

Ad vltimum respōdeo imprimis, aliquod etiam imminere periculum in censu perpetuo, quia cum debeat imponi in re firma, & immobili, illique hęreat, ac illam ita committetur, vt ea pereūte, pereat similiter census illi impositus: cui periculo expositæ sūt quęcunq; possessiones, & bona quoq; quātumuis immobilia pro temporū, & rerum varietate, eidem & census perpetui sunt obnoxij. Respondeo secundo, non esse de intrinseca ratione omnis cōtrāctus, vt contrahentes periculis se exponant, maxime in cōtractu emptionis & venditionis, in quo pretio actu recepto à venditore, & merce venali actu recepta ab emptore, manet vterque omnino securus, quantum propria ratio huius contractus videtur postulare.

Controuersia. II.

QVOD SIT IVSTVM PRE- *tium census perpetui?*

COPIOSE de hac re Couarru. lib. 3. Variar. resolut. c. 9. n. 5. vbi varias Iurisperitorum recenset opiniones. Quidam enim eorum affirmarunt iustum pretium esse, si 20. pro vno reddantur, rationem reddunt, quia multorum iudicio (quos ibi refert) censetur iustum pretium fundi iure communi; quantū fructus illius deductis expensis ęstimabuntur, iuxta Glosam in Authent. Perpetuo. Cod. de Sacrosanct. Eccles. Reiicitur tamen hæc opinio, & merito, quia ex variis causis fundorum pretia variantur veluti vel ob periculum hostium, aut ob vicinum flumen, vel alia similia, pretium autem census perpetui non ita debet esse incertum & varium.

Iudicarunt alij pretium iustum cēsus perpetui, quātum annui redditus illius per 15. annos in vnum collecti efficient.

Aliis visum fuit iustum esse, si reddantur 25. pro vno: Alij 30. dixerūt, alij aliter senserunt. Quorū sententias hic referre ac explorare nec legentibus aliquam afferret vtilitatem, nec meo conuenit instituto, quia ea tantum mihi afferenda esse censeo, quę ad iudicium animæ pertinent, & in quibus variæ DD. sententiæ diuersis rationibus munitę rem difficilem efficiunt, vt nostro labore & opera quæ illarum verior sit, possit studiosus facilius deprehendere.

Pretium ergo census perpetui iustum, & ęquū illud est, quod vel lege Principis, siue Reip. constitutū fuerit, vel vbi lex illud nō præscribit, quod fuerit cōmuni vsu loci receptū: vt optime docet eodē loco idem Couar. nu. 6. sequutus Frācíscū de Ripa, & Carol. Moli. quos ibi refert. Potest vero regula hęc probari: quia cū hic cōtractus sit vera emptio & vēditio, eisdē regulis vtendum est circa iustū illius pretiū, quibus vtimur in emptionibus & vēditionibus aliarum rerū: sunt autē præcipuæ ac potissimę regulæ iusti pretij in his quæ nō vendūtur raro, vt vidimus q. 77. ar. 1. cōtrou. 1. Lex siue statutū Principis, vel Reipub. l. 1. C. de Episc. audien. Et ca. 1. de Emptio & vēditio: Et Prouinciæ cōsuetudo, siue communis hominū æstimatio. l. Pretia. rerū. Ad legem Falcid. Quare, ex eisdem erit iustū pretium census perpetui desumendū. Quod etiā docuit D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 8. §. 14. quē cęteri ex Theologis in hac parte sequūtur. Vnde cū in Hispania huiusmodi cēsibus leges Principū, vel priuata Regnorū statuta nulla certa pretia assignent, standum erit in singulis locis cōsuetudini patriæ. Habet autem frequētior (saltim in plerisq; locis Hispaniæ) vsus, vt vendatur in perpetuo cēsu, vnum pro pretio vt triginta, quod est velut duplū pretij quo frequentius census redimibiles vendi solēt. Quāuis & illud obseruandū sit vt recte admonent Medina, Soto, Palatius, Couar. & pleriq; DD. locis citatis, cū res & bona in quibus cēsus perpetui cōstituūtur, nō habeāt omnia eandē firmitatē & cōstantiā, sed quędā aliis firmiora sint, & magis secura, in cōstituendo pretio huiusmodi census, nō esse respiciendā solam quātitatē annui redditus, in quā ius illud emitur, verum etiā & firmitatē rei, cui ille imponitur: ita vt qui firmiori rei imponitur carius, qui minus firmę minusq; securę, vilius, iuxta loci, & tēporis vsum arbitrio prudentū ematur.

Ita fit, vt nec sit recipienda eorum sententia, qui existimant, cum iuxta nōnullas leges in pretium huiusmodi videātur assignari 35. pro vno, in aliis 25. sumēdum esse medium nempe 30. pro vno, quia nulla est lex, saltim quæ obseruatione vigeat, ad huiusmo-

huiusmodi pretia obligans. Neque aliorum opinio, qui volunt sumendum esse pretium census ex reddito fundi, vel possessionis cui ille imponitur. Tum quia possessionum & fundorum pretia sæpe mutantur ex variis rerum, & temporum euentibus, pretia vero census non debent eisdē mutationibus subiacere: cederet namq; illud in maximam litium occasionem, & perturbationem Reip. Tum maxime, quia census non est emptio illius fundi, vel possessionis cui imponitur, sed iuris percipiēdi annuum redditum: quocirca huic tantum iuri debet huiusmodi pretium arbitrio prudentum & recepto patriæ vsu commensurari.

Illud tamen maiorem hoc loco habet difficultatem, quam disserit Nauarrus in cōmento de Vsuris nu. 120. quæst. 30.

AN CENSVS CONSTITVTVS *in fructibus, quorum pretium nimium creuit, debeat reduci ad pecuniam numeratam, vel ad minorem quantitatem fructuum, iuxta pretia horum temporum?*

EMIT Petrus à Ioāne ante 100. annos censum perpetuum reddendum in fructibus, v.g. duas mensuras tritici, quas dicimus *caizes* singulis annis sibi reddendas, redditis Ioanni 100. aureis, quod pretium eo tempore iustum erat, cū singulæ mensuræ illarum eo tempore cōmuni vsu fori non valerent ad summum nisi duos aureos, cēsus autem qui redditis 100. aureis commensuratur, fit 5. vel 6. aureorum in singulos annos. Progressu vero tēporum pretium tritici ita creuit, vt modo vendatur vnaqueq; mēsura illius 6. vel 7. aureis, etiamsi segetum abūdantia existat; nam si fructus sterilitate deficiant, venditur pluris. Conqueruntur passim qui huiusmodi census perpetuos & fructuarios ita vendiderunt, vel eorum hæredes, inique secum agi, quod pro pretio vt 100. cuius annua pensio vix perueniet ad 6. vel 7. aureos annuos, teneatur reddere duas mensuras tritici, quarum valor nunc ad minus erunt 10. vel 12. aurei. Expendamus ergo oportet, nū iuste hi conquerantur, vel temere & imprudenter?

Quod iuste conquerantur, videtur hęc ratio suadere: quod licet in censu perpetuo fructuario emantur fructus, emuntur tamen in ea quantitate, quę respondet, & commensuratur pēsioni pecuniarię, perinde ac si in pecunia numerata pensio illa reddenda esset: quocirca erit quoq; per singula tēpora ea quātitas fructuū exhibenda in censum, quæ pensioni pecuniariæ pro eo tempore commensurabitur, vt semper ęqualitas seruetur. V.g. si pretium fuit 100. cuius iusta pensio perpetua, & pecuniaria sunt 5. vel 6. ea tritici mensura vel fructuum quantitas erit singulo quoq; anno exhibēda, quæ pro tēporis, & loci ratione valebit cōmuni vsu, vt 5. vel 6. Et cōfirmatur, quia in quibusdam Prouinciis, vt in Castella, ne incōmodum illud, & inæqualitas inter pretium a principio redditum, & valorem fructuum adeo per tempora auctū diutius maneret, lege cautum est, vt cēsus fructuarij reducantur ad pecuniarios iuxta cōmune, & receptum pecuniarij census pretium: ita vt fructuarij amplius non constituantur.

Nauarrus loco citato habet duo, & recte. Prius est. Posse Principes, & Resp. quibus authoritas condendi leges ad suorum ciuiū gubernationem incūbit, constituere vt census fructuarij, siue perpetui sint, siue temporales, reducātur ad pecuniarios, iuxta pretiū eorū qui pecuniarij sunt. Alterum est. Ante quā huiusmodi reductio fiat per legem, vel vbi illa non fit, soluendum esse censum fructuarium in ea quantitate fructuum, in qua fuit a principio constitutus: siue pretiū illius fructus progressu tēporum auctū sit, siue diminutū, modo â principio sub iusto pretio pro eo loco & tempore fuerit census ille constitutus. Dixi iusto pretio, quia si iniusto reducendum erit ad iustitiam & æqualitatē, iuxta ea quæ superius docuimus, agentes de iusto pretio census redimibilis.

Quod autem in eo fructu, & in ea quantitate debeat persolui, in qua fuit à principio constitutus, probatur Primo. Quia vbi pretium rei venditæ tempore contractus iustū est, non debet deinde augeri, vel minui, eo quod post aliquod tempus pretium eiusdē rei augeatur, vel minuatur: alioquin omniū fere rerum immobilium, quæ olim venditæ fuerunt, oporteret pretia nunc augere, cum paucissimæ sint, quę non æstimentur nunc multo pluris, quā olim ęstimarentur: cō sule antiquas scripturas varias agrorum, domorum, & aliarum possessionum emptiones, & venditiones continentes.

Secundo, in omni genere mercis iustum illius pretium, iustaque venditio non sumūtur ex tempoee futuro, sed ex ęqualitate inter rem & pretium eo tempore, & loco in quo celebratur contractus, iuxta l. Pretia

rerum. ff. ad leg. Falcid. erit ergo similiter de censu perpetuo iudicandum, cũ ille inter merces, & res immobiles connumeretur. Confirmaturque ex. l. Sancimus. C. de admi. tuto. l. Qui furere. ff. de testa. l. Si quis alicui. ff. de acquir. rer. hæredit. Ex quibus colligit optime Couar. loco citato. ca. 6. nu. 8. quod semel legitime factum est, non debere retractari, ex his quæ postmodum acciderint.

Denique iuxta cõmune proloquiũ oppositorũ eadẽ debet esse ratio. l. Etsi cõtra tabulas. ff. de vulg. at si pretium fructus reddendi in censu progressu temporis fuisset diminutũ, non posset compelli censuarius ad exhibendum maiorem quantitatem fructus, quam a principio fuit constituta: ergo neque propterea quod pretium illius creuerit, poterit reddere minorem.

Hęc ratio in oppositũ vllã habet vim. Nã quãuis a principio & tẽpore contractus, ita res habeat, vt ad designandam commodam quãtitatẽ fructus reddẽdi in censum, consideratũ fuerit, quę pẽsio pecuniaria illi pretio responderet, at mutuo ac libero vtriusq; cõtrahẽtis consensu pactũ, conuentuumq; inter eos fuit, vt eo pretio tũc vere iusto cõpararet sibi emptor ius illud percipiendi imposterũ perpetuis tẽporibus illã quãtitatẽ fructuũ, tenereturque venditor iure censitico ad eã in perpetuũ exoluẽdã. Vnde aliud est quod fuit cõsideratũ, & aliud quod vere ac re ipsa emptũ, & venditũ: consideratũ quidẽ, quanta foret pecuniaria pensio, si in pecunia census fuisset persoluendus, emptum verò ius in eam quãtitatem fructuũ, de qua conuenerunt, siue pretium illius augeretur in posterum, siue minueretur.

ARTICVLVS QVINTVS.

QVID SIT SENSVS VITAlitius, & qua ratione constituatur?

CENSVS vt ex superioribus cõstat duplices sunt: quidã perpetui, vt emphyteusis, & qui simpliciter dicitur perpetu⁹, de quo egimus art. proxime præcedenti, & alij tẽporales: qui rursum diuidũtur, in eos qui instituuntur ad certũ tẽpus, vt cũ exhibeo Petro 100. aureos ea lege, vt per 10. vel 11. annos teneatur reddere mihi annuũ redditũ, vt 10. de quibus agũt nõnulli hoc loco, nos verò egim⁹ ar. 3. huius quęst. cõtro. 23. Alij sunt tẽporales cõstituti sub incerto tẽpore, durãte scilicet vita huius vel alterius qui sũpto nomine à tẽpore ꝙ illis assignatur, nempe vita alicuius, appellati sunt cũmuni sermone vitalitij: qua voce nos hic vtemur.

Quæ sit propria vis & natura huius census, nõ explicatur ab omnibus eadẽratione. Quidã enim putant illum esse quoddã genus mutui, qua de causa (vt statim videbimus) illũ damnant: Alij, & ex Doctoribus qui illũ probant, censent esse quandã commutationẽ, in qua cõmutatur pecunia iunctim exhibita, in eã quæ diuisim & per partes recipietur durante vita alicuius. Alij vt D. Anto. 2. p. tit. 1. c. 8. §. 10. volũt esse quẽdam contractũ innominatũ, qui reducatur ad illud genus cõtractuũ, qui exprimuntur per has voces do vt des. Dat enim vnus 100. vt alter durãte vita alicuius det singulis annis 10. vel 12. aut 15. Quibus illud etiã placet, vt si ad aliquem contractũ nominatũ reducendus sit, reducatur ad contractũ aleę, vel fortunæ: quia in eo vterque eidem fortunæ damni, vel lucri maxime se exponit, cũ nihil magis incertum vita humana. Etenim si is cuius vita in hoc contractu assignatur, diutius viuat, emptor huiusmodi cẽsus lucrabitur plurimum, si contra celerius moriatur, lucrabitur venditor qui pecuniam illam recepit.

Aliis visum est, & recte, huiusmodi censum contractum quoque esse emptionis, & venditionis, in quo traditur pecunia tanquam pretium, & emitur ius percipiendi certam aliquam pensionem, quandiu vita alicuius permanserit. Quorum sententiam verissimam iudicamus: non enim est mutuum, cum in mutuo res mutuata recipienda sit, in hoc autem censu pecunia tradita in pretium nunquã sit recipienda, neq; est cõmutatio, nam in ea debet seruari ęqualitas, in vitalitio autẽ illa nõ desideratur: Nec est dicendus contractus innominatus, habet enim proprium nomen census vitalitij. Quod autã in eo aliquid detur, vel aliquid quid recipiatur, omnibus fere contractibus est commune, maxime in emptione & venditione, in qua traditur res, vt accipiatur pretium. Neque est contractus aleæ, vel fortunę, quãuis enim vterque eidem periculo se exponat, qua parte habet quandam rationem aleæ, & fortunæ, formaliter tamen & secundum suam propriam rationem & essentiam emptio est, & venditio: cũ in hoc contractu sit assignare pretium & mercem

cem, siue rem, Ius enim quod emitur percipiendi certam pensionem durante vita alicuius, est pretio estimabile, & verè quædã venalis merx, pecunia vero quæ pro illo iure acquirẽdo redditur, verum illius pretiũ: Quemadmodum quando emitur iactus retis, etsi vterque periculo se exponat, & cuidam fortunæ, est nihilominus vera emptio & venditio: quia interuenit ibi res vendita, nempe pisces illo iactu capiendi, & pecunia quæ piscatori confertur in pretium. Vnde reperiuntur in hoc contractu census vitalitij hæc quatuor. Primo sors illa, nempe pecunia quæ redditur tanquam verum pretiũ. Secundo pensio pecuniaria, siue fructuaria singulis annis reddenda à recipiente illud pretiũ & pecuniam, potest enim in vtrumque ius aliquod emi durante vita huius vel illius, nempe & in pensionem pecuniariam & in redditum fructuariũ. Tertio reperitur ius percipiendi huiusmodi pẽsionẽ, quod ius est id quod proprie emitur in hoc contractu, sicut & in aliis censibus, tam redimibilibus quam perpetuis. Quarto duratio huius iuris, quę temporalis est, nimirum quandiu durabit vita alicuius, mutuò vtriusq; cõtrahẽtis cõsensu designata: qua de causa dicitur hic census temporalis incerta temporalitate, cum nil magis incertum vita hominis, quantumuis optima ac robusta videatur preditus valetudine.

Circa huiusmodi census duo explicanda sunt, Prius est.

AN HVIVSMODI CENSVS, *quem vitalitium dicimus, sit contractus iustus, & honestus?*

VARIAE sunt de proposita quęstione DD. sententiæ, nam Henricus Gandensis quolib. 1. q. 39. & quolib. 2. q. 15. Et Iurisperiti quidam, veluti Glosator, Raymundus, & Goffred. quos refert Conradus de contract. q. 81. huiusmodi contractum & genus census damnarunt vt iniquum & illicitum. Panor. quoq; in suis disputationibus disputatio. 5. Quãuis non damnet illum in vniuersum, iudicat tamen clericis interdictum esse & prohibitum.

Vtuntur vero Henricus & Gotfred. non nullis rationibus, quibus hic contractus iniustus ostendatur. Primo, Qui confert alteri centum ea lege, vt per vndecim vel plures annos conferat illi pensionem, vt 10. exercet vsuram, vt multorum DD. habet sentẽtia, quia vult recipere sortẽ, & lucrum aliquod extra illam, sed emens censum vitalitiũ perinde omnino se habet, ergo est cõtractus similiter iniquus & vsurarius. Probatur minor: quia emẽs vitalitium cõfert alteri 100. aureos, recepturus singulo quoque anno vitæ Petri 15. sperans Petro viuente 10. vel pluribus annis, recipere ea ratione 150. vel plura: Quo fit vt emptio vitalitij saltim includat iniquũ propositũ & spem recipiendi aliquos redditus vltra sortẽ: Etenim nisi illud speraret curasset potius emptor huiusmodi census pecuniã suam saltim apud se in loco tuto retinere.

Secũdo emptio cẽsus vitalitij procedit ex iniqua radice, ergo est contractus iniquus: consequentia patet ex Paul. Rom. 11. *Si radix sancta & Rami; si radix mala & iniqua & rami.* Antecedens vero probo, quia emptio huiusmodi census semper procedit vel ex diffidentia diuinæ prouidentiæ, cõtra illud Psal. *Spera in domino, & fac bonitatẽ, & pasceris in diuitiis eius*, vel ex timore deficiẽdi in necessariis, aut ex nimia solicitudine circa temporalia, aut ex prudentia carnis, aut ex cupiditate lucri, quę omnia motiua quædam radices sunt vitiosæ & infectæ.

Tertio, hic contractus non potest reduci ad emptionem & venditionem, quod fatentur & multi ex DD. qui illum probant, vnde necessario vel est reducendus ad mutuũ, vel vt pleriq; sentiunt ad contractũ fortunæ & aleæ, cũ vterq; se exponat magno periculo lucrandi vel perdendi, Nam vt diximus, si is, quo viuente census iste persoluendus est, diutius viuat, lucrabitur emptor illius, si vero citius moriatur, lucrabitur venditor, quod est velut quidam aleę & fortunę ludus; at contractus fortunę omni iure damnatus est, non solum Canonico & Ciuili, vt patet ex multis textibus, verumetiam diuino Esaię. 65. *Qui ponitis fortunæ mẽsam.* Nec obstat quod aliqui ludi, & qui subiiciuntur fortunę, permittatur: tum quia permittũtur hi ludi non tamen contractus, tũ etiam, quia permittuntur ludi fortunę expositi recreationis causa suscepti, & qui ad virtutem Eutrapelliæ reduci possunt, non tamen contractus subiecti fortunę ex sola cupiditate initi.

Quarto Contractus, per quem offertur alicui ex contrahentibus occasio captandæ mortis alicuius, iniquus censendus est, & talis iudicatur in iure. l. Inter stipulantem. §. Sacra. ff. de verb. signi. l. Ex eo. Cod. De inutilibus stipulatio. Cap. Dispendia. &

cap. Ne captandæ. de concesſio prebend. in 6. at censſus vitalitij eſt huiuſmodi, quia vẽditori offertur occaſio captandę & deſiderandę mortis eius, quo viuente tenetur ipſe redditum illum ſoluere, & quo moriẽte liberabitur à tali onere, & debito.

Deniq; in quocunq; cenſu, prꝭter emphyteuſim & cenſum perpetuum, debet vẽditori manere libera facultas redimendi illum, at in hoc cenſu vitalitio communiter non manet venditori hæc facultas, ſed tenetur perſoluere, quandiu viuet ille, cuius vita deſignata eſt, ergo eſt iniquus.

Panormit. loco citat. laicis hunc contractum concedit, Clericis vero iudicat non licere, niſi cauſa neceſsitatis. Primo, quia propter lucrum non licet Clericis conducere alienas poſſeſsiones, quamuis liceat recreationis cauſa, vt habetur in Cano. Perueniit. Diſt. 66. at Clericus qui non premitur neceſsitate, ſi conſtituat cenſum vitalitium, non videtur alio fine duci quam cupiditate lucri. Secundo, quia huiuſmodi cenſus eſt quoddam negotiationis genus, Clericis vero interdictum eſt negotiari. Tertio, quia audit male inter fideles conſtitui cenſus vitalitios maxime à Clericis: at hi ratione ſui ſtatus tenẽtur potiſsime, & maiori vinculo quam cæteri Chriſtiani, abſtinere non ſolũ à malis, verumetiã ab omni ſpecie mali.

Communis autem DD. ſententia habet hunc contractum, ſi iuſto pretio conſtituatur, iuxta ea quę contro. proxime ſequenti docebimus, eſſe iuſtum & honeſtum: adeo vt Couarru. & multi alij nullum cenſum exiſtiment, iuſtius & ſecuriori conſcientia conſtitui. Ita docent ex Theologis Ioann. Maio. in 4. diſt. 15. q. 34. Gabriel eadem Diſt. q. 12. concluſione 3. D. Antoni. 2. p. tit. 1. cap. 8. §. 11. Angel. verbo vſura. primo §. 44. Conrrad. de cõtract. q. 81. concluſio. 1. & ſequen. Ioann. Medina Cod. De reſtit. cap. de cenſu temporali indeterminato. Soto lib. 6. de Iuſt. q. 5. art. 2. ad finem, Palatius de contract. lib. 4. cap. 8. eſtq; communis inter omnes Theologos, adeo vt vix inuenias inter eos aliter ſentientẽ præter Hẽricum Gandẽſ. Ex Iuriſperitis Baldus Cõcil. 292. lib. 5. & concil. 18. & 410. lib. 5. & Concil. 144. lib. 2. Innocentius, Antonius de Brutio, Panormit. in cap. In ciuitate. Hoſtienſis in Summa de vſuris §. In alijs autem. Archidiaco. in Cano. Quicunq; 14. q. 4. Ioannes de Ligna. in Clementina vnica de vſuris. Molineus de vſuris. quęſt. 72. adeo vt inter ipſos ſit quemadmodum & inter Theologos hæc communis, ſicut affirmant Couarru. lib. 3. Varia. reſolutio. cap. 7. num. 9. & D. Nauaraus in commento de vſuris. nu. 71. vbi affert in eandem ſententiam Philipum Decium Concil. 123. licet nonnulli vt Couarru. loco citato exiſtimauerint Decium oppoſitũ ſenſiſſe, Nec iudicamus profecto immunem à temeritate, qui contra torrentem tot & tam grauiũ DD. oppoſitum modo ſentiret.

Sed probatur iam rationibus. Imprimis contractus cum pari incertitudine lucri & damni cenſetur in iure maxime iuſtus, l. Si ea lege. Cod. de vſuris. L. De fideicõmiſſo. Cod. de tranſactio, notaturq; illud à. DD. in l. Si pater puellæ. ff. de inofficioſſo teſtamen. Sed in hoc cõtractu interuenit ex parte vtriuſq; contrahentis par & æqua incertitudo, cum poſsit ille in cuius vita cenſus aſsignatur ex æquo diutius viuere, & celerius mori, eſt ergo iuſtus & honeſtus maxime hic contractus. Et cõfirmatur, quia iuxta ea quę ſuperius vidimus q. 78. art. 2. controu. 22. explicãtes cap. In ciuitate. De vſuris. contractus qui alias iniquus eſſet & iniuſtus, propter periculum, cui contrahentes in illo ſe ipſos exponũt, iuſtus eſt & licitus: nullibi autem magis periculo & incertitudini celebrantes aliquem cenſum ſe ipſos exponunt, quam in hoc quem vitalitium dicimus. Quam rationẽ tanti põderis iudicat Molineus loco citato, vt huiuſmodi cẽſum propter incertitudinem lucri & damni omniũ DD. conſenſu, nemineq; eorum cõtradicẽte iuſtũ dicat, neq; aliquẽ iniquitatẽ in eo reperiri poſſequã ex deffectu iuſti pretij.

Secundo, ſi hic contractus iniquus eſſet, certe, vel quia haberet aliquam rationem mutui, vel quia reciperetur in eo aliquid vltra ſortem, at neutrum horum in eo reperitur: non prius illud, cũ de ratione mutui ſit vt res mutuata debeat neceſſario mutuanti reſtitui, poſsitq; ad illud mutuatarius compelli, in hoc autem contractu neq; pecuniã traditam tenetur reſtituere qui illam recepit, neque poteſt ad illud cõpelli, vnde nullũ mutuũ hic inuenitur: Neq; recipitur aliquid vltra ſortem, quia in hoc cenſu, ſicut in cęteris omnibus, quod ſingulis annis durante vita illius in quam deſignatus eſt, in penſionem recipitur, nec traditur, nec recipitur tamquã aliqua pars ſortis à principio acceptę, ſed tamquam vera pẽſio, annuuſq; redditus in quem alter habet ius, emptum pecunia illa quam à principio tradit, tamquam vero illius pretio.

Ter-

Tertio, sicut vsusfructus est res pretio æstimabilis, & venalis, ita & ius percipiendi aliquem annuum redditum, ergo qua ratione potest vendi vsusfructus seruato iusto pretio, poterit etiam vendi & ius percipiendi annuum redditum seruato similiter iusto pretio, sed potest emi & vendi vsusfructus alicuius fundi, vel alterius rei fructiferæ ad vitam vsufructuarij, ergo similiter & ius percipiendi aliquem redditum pecuniariũ durante vita alicuius. Minor habetur in L. Necessario. §. Cum vsumfructum, ff. De periculo & commodo rei venditæ. Docentq; illud abunde Iason in L. Cum dubitatur. nu.106. Cod. De iure Emphyteu. Et Couar. lib.1. var. resolut. c.8. nu.7. Et in Clementina prima De rebus Ecclesiæ non alienand. expresse dicitur, Existēte vtilitate, vel necessitate Ecclesię posse Prelatum non seruata debita solemnitate locationes seu redditum & fructuum venditiones ad longũ tempus facere. Et in Canon. Precarię 10. q. 2. apparet in rebus Ecclesiarum posse constitui ius percipiendi redditus, & fructus illorum bonorum ad vitam accipiētis, ergo poterit similiter constitui census ad vitam venditoris, vel emptoris, vel alicuius alterius.

Deniq; probatur argumēto quo sæpe vsi sumus: Quia in hoc cōtractu reperitur realiter & verè res pretio ęstimabilis quæ venditur, nempe ius illud percipiendi aliquem annuum redditum, quandiu hic vel ille vixerit, non enim est minus pretio æstimabile huiusmodi ius, propterea quod sit incertum, quã si certum esset, quamuis pretium debeat esse diuersum, vbi illud certum est, & vbi incertũ: reperitur etiam realiter & vere pretium, nimirum pecunia illa quæ ad cõparandum huiusmodi ius a principio redditur: Contrahentes vero cõstituimus esse habiles, & personas idoneas ad sic contrahendum, est ergo hic contractus secundũ suam propriam vim, & naturam iustus, & honestus, nisi vel ex deffectu iusti pretij, vel aliqua alia circunstantia, iuxta ea quæ statim docebimus, vitietur.

Ad argumenta in oppositum. Ad primũ iam constat ex art. 3. huius quęstionis contro. 23. quando conferens 100. ea lege vt recipiat per vndecim annos singulo quoque anno 10. inique agat, quando vero illud liceat, cæterum quod ad hunc locum pertinet, esto qui ea lege 100. alteri cõferat inique agat, iuxta ea quæ ibi docuimus, nõ est idem iudiciũ de censu vitalitio, neque hic contractus est eiusdem rationis cum illo, nã in illo lucrum est certum, & liberum ab omni periculo, cũ sit recepturus intra 10. annos illa 100. quę tradidit & præterea illa 10. anno vndecimo: in contractu verò de quo hic agimus, ex æquo exponit se ipsum & commodo recipiendi plura quam contulit, & damno minus vel nihil omnino recipiendi, cum humanę vitę cuiuscunque quantumuis robusti, & sani, tanta sit incertitudo.

Ad secundum respondeo, per accidens illud esse, vt ementes census vitalitios aliqua illarum causarum ducantur ad eos constituendos: quæ vero per accidens sunt, & nõ ex iniquitate contractus, sed vitio contrahẽtis, non reddunt illum secundum suam substantiam, & in genere ęquitatis & iustitiæ, quam hic respicimus, & inquirimus, iniquũ vel iniustum, maxime cum hic contractus possit ex bono etiam fine institui, nempe vt cum facultates personæ honestę & quæ proprio labore, vel alia industria victum decentem habere non valet, illis sub genere census alicui traditis habeat sibi necessaria. Adde, quod ea ratione omnes census, omnes contractus, omniaque negotia quantumuis licita, & honesta damnare possemus, cum in omnibus possint contrahentes, aliquo fine ex illis qui in isto argumento afferuntur, adduci, & omnia ab aliqua radice illarum procedere.

Ad tertium constat satis ex dictis, hunc contractum realiter, & vere esse emptionem, & venditionem, quamuis habeat admixtam maximam incertitudinem, & periculum ex parte vtriusque contrahentis, propter quod vterque æqualiter eidem fortunæ sese exponit, hoc autem genus incertitudinis, & periculi non est ludus ille aleæ, vel fortunæ qui in iure prohibetur, & in Sacra scriptura damnatur, sed est incertitudo, & periculum, quod maxime illum iustum, & licitum, facit, sicut in mercatura nihil magis mercatorem in suis negotiis tutum in cõscientia reddit, quam incertitudo & periculum damni, vel commodi, cui in illis se ipsum exponit.

Ad quartum respondeo sicut ad secundũ, hunc contractum non offerre illam occasionem directe & per se, quasi sit scandalum actiuũ, & actiua occasio ruinæ exercēti illũ, quod sufficit ne secũdum se iniquus & prohibitus habeatur: quamuis negari non possit venditorem huiusmodi census occasionẽ inde quandoque accipere, ad optandã mortem illius: in cuius vitam designatus est:

Hæc autem occasio scandalum est passiuũ, & culpa eius, qui illud optabit, acceptum, non ex natura, vel iniquitate contractus procedens.

Ad vltimum dico, quandoque manere venditori facultatem redimendi censum vitalitium, sic enim instituuntur communiter in hoc nostro Regno Valentino, & habet illud recepta huius Regni consuetudo; quod si constituatur pactum, vel in aliqua prouincia habeat illud consuetudo, vt non possit redimi, non propterea redditur iniquus contractus, quia sicut licet constituere censum perpetuum & irredimibilẽ dato iusto pretio, similiter potest constitui census vitalitius irredimibilis tradito iusto pretio. Vnde contractus hic, siue instituatur vt redimibilis, siue vt irredimibilis, ex sua propria ratione & natura iustus est, & honestus, modo seruetur in eo iustum pretium.

Controuersia. II.

QVOD SIT IVSTVM PREtium census vitalitij?

DIDACVS Couarru. lib. 3. variar. resolut. cap. 9. num. 7. sequutus Carolum Molineum de Vsur. q. 72. in qua copiose de hac quęstione disputat, refert varias de pretio census vitalitij Iurisperitorum sententias, quarum nonnullas Molineus amplectitur alias respuit: similiter & Couarru. Referunt ergo vterque imprimis Oldrad. q. 206. in qua agit de censu vitalitio empto a quodam Archiepiscopo, iudicasse iuste emi huiusmodi censum redditis sex pro vno, quam sententiam vel le ipsa falsam ex apertissimo defectu iusti pretij reiiciunt. Romanus Concil. 332. assignat tanquam iustũ pretium, octo reddita pro vno, quamuis illum sic limitandum putet Molineus vt sit iustum hoc pretium in vitalitio censu constituto ad vitam duorum tantum, viri scilicet & vxoris qui iuniores non erant sed mediocris ætatis, quam sententiam & pretium probat etiam tanquam iustum Couarru.

Raphael Cuman. consil. 181. cui subscribit Fulgosius iudicarunt iustum pretiũ 10. pro vno in censu instituto ad vitam patris emptoris & duorum filiorum, quorum alter natus tantum erat 17. annos: Quod tamẽ pretium in censu per tot vitas instituto maxime duobus eorum in tanta adolescentia existentibus, non potest haberi iustum.

Baldus Concil. 272. lib. 5. asserit pretium iustum esse 9. pro vno in censu decurrente ad vitam viri & vxoris, quorum vterq; mediocris erat ætatis. In concilio tamen 210. lib. 2. constituit iustum pretium 10. pro vno ad vitam vnius, quamuis idem etiam pretium constituat iustum ad vitam duorum in Concilio 154. Eodem libr. quam partem amplectitur ibi Molinæus, probatque post longum de hac re habitum sermonem, quasi hac potissime vtatur ratione. In omni genere rerum, quod precipuum, & potissimum est in eo genere, debet esse aliorum metrum & mensura, inter census potissimus & præcipuus est perpetuus, ab illo ergo erit desumendum iustum aliorũ pretium: ita vt quãto vnusquisque census a perpetui certitudine & firmitate recedit, & deficit, tanto minus debeat esse illius pretium: pretium autẽ iustũ census perpetui est illud quod spatio triginta annorum recuperatur, qua ratione in censu perpetuo constituendo reddenda sunt 30. pro vno, erit ergo pretium census redimibilis, qui perpetuo minus certus est, vel dimidium pretij quod redditur pro perpetuo, vel quod duas partes illius cõtineat, ita vt recuperetur illud intra 15. vel 16. annos, aut quod videtur multo æquius Molinæo intra 20. qua ratione pretium census redimibilis erunt 20. pro vno. Et similiter cum census vitalitius adeo incertus sit, propter nimiam vitæ incertitudinem, oportebit illud multo minus esse, ita vt redimibilis excedat illud in duplo, perpetuus vero in triplo, qua ratione erit iustum pretiũ cẽsus vitalitij quod intra 10. annos recuperetur, nempe 10. pro vno.

Aliis Doctoribus, quin & plerisque Iurisperitorum, quos ibi Couarru. & Molinæus referunt in eam sententiam, videntur inclinare, vt iustum pretium huiusmodi census habeatur 20. pro vno, quia in L. Hæreditatum. ff. ad legem Falcid. annui redditus relictus ad alimenta homini 35. annorum æstimantur quãtus fuerit cumulus 20. annorũ: videtur autem huiusmodi doctoribus eadẽ ratione iudicandum esse de pretio census vitalitij, sicut & de annuo reddita relicto alicuius iam ætatis perfectæ in alimenta. Vnde sumpta occasione, multa & erudita proponunt Couar. & Molinæus ad interpretationem dictæ L. Hæreditatum. spectantia, quæ non est mei muneris hic referre, cum illa ad intelligentiam tantum illius legis qua Iurisperiti indigent, pertineant, ad inuestigandum vero iustum pretium census vitalitij

litij, quod hic inquirimus, parum faciant.

Sed quamuis tanta sit in hac parte opinionum varietas, nobis, qui iudicium animæ potissime respicimus, eędem regulæ obseruandæ sunt ad discernendum iustum pretium census vitalitij, quibus in assignando iusto pretio aliorum cēsuum vsi sumus: Vt quemadmodum in cæteris omnibus mercibus, quæ multoties emuntur & vēduntur, circa illarum pretia standum est vel pręscripto legis, vbi Princeps vel Respub. pretiū illis constituunt, vel communi vsu fori, & prudentum æstimationi vbi lex nihil pręscribit, pari ratione illud sit in omnibus locis & Prouincijs iustum pretium census vitalitij, quod in singulis Regnis lex Principis, vel Reipub. constituerit, vel vbi lex illud non pręscribit, quod habet communis vsus fori, & prudentum æstimatio, iuxta quas regulas optime & erudite hoc pretiū constituendum esse iudicauit etiam loco citato Didacus Couarru. Adiecimus & prudentum æstimatione, quia vt omnes docent tam Theologi quam Iurisperiti, cum hic cēsus ad vitam alicuius constituatur, licet nihil magis incertum quam vita humana reperiatur, nihilominus quia moraliter loquendo, qui prouecta sunt ætate, aut variis morbis affecti, minus credūtur victuri, est propterea in constituendo pretio huiusmodi cēsus habenda ratio ętatis, salutis, laborum, & aliarum circunstantiarum, eorum ad quorū vitam census vitalitij constituuntur ad arbitrium prudentum. Iuxta propositas regulas, & qualitatem eorum, ad quorum vitam hic census instituitur, prudens discernere facile poterit in singulis Regnis, & Prouincij, quo pretio constitui debeat.

DE CENSV VITALITIO *iuxta leges huius Regni Valentini.*

IN hoc Regno Valentino tā pretium, quam cæteræ conditiones in hoc censu seruandæ, & quæcūque ad illum spectant lege cauta sunt. Nam cum anno 1494. Ferdinandus Catholicus lege à se lata Madriti 20. die Octobris in vniuersum & omnino prohibuisset ne in posterum huiusmodi census vitalitius ab vllo in hoc Regno Valentino quoquo modo constitueretur: Deinde anno 1499. cum ex huiusmodi contractus prohibitione varia damna & incommoda ciuibus huius Ciuitatis acciderēt, sublata enim hac via, qua commodè frequenter suis consulunt necessitatibus, cogebātur sępe quęrere, ac recipere pecunias cū vsuris, vt huic dāno sapiētissimus ille Christianissimusq; Rex occurrens, cōcessit legē à se lata Granatæ die 4. Octobris, vt liceret omnibus communitatibus, singulisq; ciuibus huius Regni constituere census vitalitios sub hoc pretio, & conditionibus.

Imprimis vt pretium illius sit septē pro vno, ita vt redditus septem annorum æquetur sorti. Noui hoc pretium nonnullis ex nostris iniustum & inæquale videri rei emptæ. Primo, quia hac ratione non exponitur vterque contrahentium ex ęquo eidem fortunæ damni & commodi, quamuis enim periculum aliquod propter incertitudinem vitæ humanæ vtriq; immineat, attamen cū per tam breue tēpus sors recuperetur, emptor securior manet de illa recuperanda, & aliquod lucrum vltra illam, quam de damno aliquo recipiendo. Venditorem quoque probabilius est redditurum sortem & aliquas præter illam pensiones, quam lucraturum aliquid per huiusmodi contractum. Ex quo sequitur secundum, Censum vitalitiū pretio adeo exiguo constitutum esse quoddam mutuum vsurarium, propterea quod habet emptor propter breuitatem temporis in quo pretium recuperabit spem moraliter certam se recepturum illam & aliqua lucra, quæ spes vsuraria est, & efficiēs contractū, cui illa miscetur, vsurarium.

Sed his non obstantibus, pretium hoc, quo apud nos census vitalitij constituūtur, censendum est iustum. Primum & potissime, quia lege regia sic est constitutum, Reges autem & Principes habere facultatem ad constituenda pretia rebus venalibus cōstat satis ex sæperioribus q. 77. art. 1. controu. 2. His accedit, non esse credendū Regem Catholicum Ferdinandū, in quo pietas, religio, prudentia, & æquitas cum cæteris virtutibus quæ in optimo principe desiderantur, adeo excelluerūt, temere hoc pretium probasse, sed matura deliberatione, & multorum peritorum & prudentum concilio: maxime cum ageret de approbando cōtractu, quem idem ante quinque tantum annos prohibuerat.

Secundo, In omni genere rerū (cui principio illa ratio Molinæi recte nitebatur) quod est præcipuum, & potissimum, debet aliorum esse mensura, census perpetuus est velut pręcipuus in hoc genere contractuū: erit ergo ab illo pretium in cęteris proportione quadam desumendum, experimur au-

tem dimidium pretij quo constituitur census perpetuus esse optimum pretium census redimibilis, ita vt si perpetuus constituatur pretio vt 28. vel 30. habeantur vt iustũ pretium census redimibilis 14. vel 15. pro vno: ergo cum sit eadem ratio & velut proportio quędam vitalitij ad redimibilẽ, quę est redimibilis ad perpetuum, sicut iustũ pretiũ redimibilis est dimidium perpetui, similiter iustum pretium vitalitij erit dimidium redimibilis: constituitur autem apud nos redimibilis pretio vt 15. vel 14. recte ergo & seruata ęquitate fuit constitutum, & vsu receptũ, vt pretium vitalitij sint 7. pro vno.

Denique ex D. Thom. 1. 2. q. 67. art. 3. ad 3. quod etiam fatentur authores alterius sententię, consuetudo tollerata per Principem vel per Rempub. habentem potestatem cõdendi legem obtinet vim legis, quatenus ab ea tolleratur; at hoc pretium in hoc Regno non solum tolleratur a Principe, sed ab eodem assignatur vt iustum, non ergo recte, nec sapienter illud condemnant, vel de illius iustitia dubitant.

Argumenta autem quibus nituntur leuissima sunt, Ad primum enim dico, esto videatur tempus septem annorum breue in aliis rebus, & negotiis, in his autem quę durationi vitę humanę innituntur nõ esse breue, ad reddendũ illius negotij damnum, vel commodum dubium, & incertum, cum nihil in rerum natura magis incertum reperiri possit vita humana: quam certe nec ætas, nec salus, nec viriũ robur, nec ratio victus, neque vlla alia circunstantia securam reddit: imo experimur eos, quos diutius victuros credebamus, celerius interire. Vnde semper ęquali fortunæ & sorti vterque cõtrahentium in hoc genere census manet expositus, non enim in quacunque ætate (vt statim dicemus) iuxta eiusdem Regis Alphonsi pracmaticam licet illum instituere, sed in ea, iuxta quam non protrahatur in longa tempora.

Ex his patet, nec ratione huius pretij hũc censum esse mutuum vsurarium, cum in eo (sicut superius diximus) non recuperetur sors, sed illa tantum recipiatur pẽsio, in quã ius emptum est: tum etiam in mutuo vsurario sors certa est, & lucrum ex illa, in hoc autẽ censu quamuis durante vita illius, vel eorum quæ assignata est, intra 7. annos redditus, sorti & pretio æquentur, cum tamen vita hęc adeo incerta sit, nec certum est lucrum, nec certa recuperatio sortis per illas pensiones diuisim; & per partes. Est ergo cẽsendum iustum hoc pretium.

Nunc ad alias conditiones, quas in censibus vitalitiis Rex ille Catholicus exigit progrediamur.

Secunda igitur est, vt non possint ad plures vitas constitui quam duas, aliter constituti ipso facto sint inualidi & nulli.

Tertia, ne constituantur pignore aliquo accepto, sed accepto pretio in pecunia, quia cum propterea concedatur, vt per huiusmodi contractum, qui aliqua præmũtur necessitate, possint illi commode subuenire, illud vero nequeat fieri ex pignore, sed ex pecunia, alienum maxime erat à fine huius contractus, vt reddito tantum pignore aliquo venditori constitueretur: tum etiam, quia pignus sic oblatum non est pretium, hic vero census est vera emptio & vẽditio, quæ aliter fieri nequit quam accepto pretio.

Quarta est, ne in constitutione vitalitij apponatur pactum aliquod, vel cõditio turpis, aut iniusta, & signanter vt debeat aliqua alia persona illi præter venditorem obligari.

Quinta, ne venditor possit compelli ad redimendum huiusmodi censum, nisi propria sponte illi ita placuerit. Quia est vera venditio, in qua sors & pretium transit pleno iure in absolutum dominium venditoris: vnde non potest ex natura ipsius contractus compelli ad illum redimendum per restitutionem pretij, maxime, cum hic census & ius percipiendi illum extinguatur omnino morientibus illis, ad quorum vitã institutus est.

Sexta, ne quis in minori ætate constitutus possit aliquem censum vitalitium sibi imponere sine cõsensu tutoris, & Pretoris decreto, ac ita vt certo constet pretium illius census conuerti, ac cedere in vtilitatẽ, ac commodum hereditatis illius: aliter à minori venditus nullus sit, & tabellio qui scripturam illius census cõfecerit, vsu artis suę priuetur per decennium.

Septima, vt minor 25. annis nec huiusmodi censum sibi imponere, nec alteri in simili contractu fidem suam iubere, sine consensu, ac facultate patris sui possit, vel duorũ consanguineorũ qui illi cõiunctiores sint, si patre caruerit, aliter constitutus nullus sit & irritus, & tabellio qui in scripturam illum redegerit, priuetur etiam vsu suæ artis per decennium.

Octaua, vt hi quibus interdicitur huiusmodi census vitalitios sibi imponere, nisi

seruata

seruata forma eis præscripta, nulla ratione possint per interpositam aliquam personā illos suscipere sub promissione, scriptura tabellionis, aut priuato chirographo firmatos seruandi illam indemnem: sed hæc omnia ita esse inualida & irrita, vt nec census ille per interpositam personam constitutus alicuius sit roboris, vel tribuat aliquod ius cō tra minorem, cuius intuitu ab alio fuit venditus, nec virtute illius promissionis, de seruando illum indemnem, possit ab illo minore aliquid exigi.

Hæ sunt conditiones, quę in illa Regia lege, siue pracmatica obseruari pręcipiuntur, vt obseruatis illis sicut communi vsu huius regni obseruantur, hic contractus iustus sit.

Solet & in eius constitutione & scriptura pactum quoddam apponi, vt liceat vitas quandoque mutare, quæ conditio & pactū si ex mutuo & libero vtriusque contrahentis consensu apponatur, fiatque mutatio in vitas aliorum qui eiusdem sunt ætatis, salutis, roboris, & exercitationis, ita vt simili & ęquali periculo diutius viuendi, vel celerius moriendi probabili prudentum iudicio existant, conditio est quæ nullam continet iniquitatem, cum in hoc cōtractu incertitudo vitæ sit quæ potissime attenditur: Qua de causa vbi eadem est ętas, salus, robur, & victus ratio, eadem quoque est incertitudo, idemque ius: nec lege illā regia alia pacta prohibentur, quā quæ prudentum arbitrio aliquam continebunt iniustitiā, vel iniquitatem.

ARTICVLVS SEXTVS.

AN CENSVS, QVI APVD nos *dicitur debitorium, sit iustus?*

ACCIDIT, & frequētius quam deceret, vt vendat Petrus Ioanni fundum, vel domū suam, vel aliquam aliā rem fructiferam, cuius non statim pretium accipiat, sed promittat venditor, emptore in eam dilationem consentiente reddere illud intra quatuor, vel quinque annos. Post constitutam autem inter ipsos talem venditionem ad tempus, conueniunt simul, vt quandiu pretium illud Ioannes non reddit Petro, teneatur persoluere illi eandem, vel similem pensionem, quam esset redditurus, si ex pretio illo fuisset census super ea re constitutus: qui census, propterea quod ex pretio debito & non soluto constituitur, appellatur a nostris, communi voce debitorium.

Reperiuntur ergo in hoc contractu hæc quatuor: Primo, res vendita, non quęuis, sed fructifera: nam ex pretio aliarum, quæ non sunt natę secundum se aliquos fructus ferre, non constituitur. Secundo, pretium expectatum per aliquod tēpus, ex quo hic census constituitur super re vendita. Tertio, pensio iuxta quantitatem pretij annuatim reddenda. Quarto, pactum reddendi pretium illud intra tempus, de quo vterque cō uenerunt, ita vt possit in termino compelli venditor ad illud persoluendum, quo pacto & conditione differt maxime hic cēsus a redimibili. Quęrimus ergo an ex pretio rei fructiferæ non soluto sed debito, cū huiusmodi pacto & conditione, vt teneatur illud post certum tempus persoluere, possit constitui census persoluendus per aliquot annos, antequam sit in mora, vel aduenerit terminus illi solutioni pretij vtriusque cō sensu designatum.

Huiusmodi contractum & censum probant Couarru. lib. 3. variar. resolut. c. 4. nu. 5. vbi de illo abunde disserit & obiter cap. 11. num. etiam 5. Sequitur enim in hac parte sicut in multis aliis Carol. Molinæū, qui de eodem genere census (quamuis a nullo eorum sub nomine debitorij appelletur) disputat etiam de Vsuris. q. 74. numer. 541. & apertius num. 545. In eandem sententiam refertur a D. Antonino inferius citādo fuisse Baldus, referuntur ab eodem Couarru. num. 6. Paulus Parisiensis Concil. 60. nu. 21. lib. 1. Et Soci. consil. 176. & consil. 188. lib. 4. Quamuis consil. 130. eodem lib. oppositum doceat sequutus Panormitanum sibiq; ipsi repugnet, eiusdem facit Siluestrū in verbo vsura. q. 11. dicto 2. Angelum, Petrum Ancharranum & nōnullos alios, quos tamen ipse non sequitur. In hac ciuitate Valentię habetur in vsu, & communi fere omnium Iurisperitorum consensu probatur, nec video damnari illum à nostris Theologis, forsan quia vel de illius iustitia non cō sultantur, vel de ea exploranda pauci aut fere nulli vt deberēt, curarunt, præter quosdam Patres Societatis Iesu viros eruditos, & in his quæ ad fidelium conscientias pertinent plurimum exercitatos. Nos aliquando ne communem vsum facile damnaremus, probabile iudicauimus propter Couarru. & Iuris

Iurisperitorum authoritatem hunc contractum exerceri, quamuis de illius iustitia sẽper (vt verũ fatear) maxime dubitauerim: nunc autem quando iam hęc in lucem mittimus in communem omnium vtilitatem, quid verius videtur diligentius inuestigauimus, & explicabimus.

Couarruuias, & qui hunc contractum fouent, vtuntur in eius fauorem his potissime rationibus. Imprimis (quod est pręcipuum illorum fundamentum) In L. Curabit. C. de actio. empt. & vend. sic inquiunt Cæsares: *Curabit præses prouinciæ compellere emptorem, qui nactus possessionem fructus percepit, partem pretij, quam penes se habet, cum vsuris restituere: quas & perceptorum fructuũ ratio, & minoris ætatis fauor, licet nulla mora intercesserit, generauit.* Vbi lex ista, de cuius ęquitate & iustitia nunquam est inter doctores dubitatum, apertissime constituit, vt emptor rei fructiferæ, cuius pretium nõ statim soluit, quandiu illud non reddit, tantã reddat pensionem (quam ibi lex vocat vsuras) quantum fuerit pretium illud, vel pars pretij, cuius debitor est.

Secundo quę videtur huius legis ratio esse, & iusta. Cum contractus emptionis & vẽditionis pertineat ad iustitiam commutatiuam, debet in eo inter contrahentes seruari ęqualitas, ita vt neque habeat vnus minus quam debet habere, neque alter plusquam debet habere: at si emptor rei fructiferę, quandiu pretium illius non reddit, nullam solueret vsuram & pensionem, non seruaretur profecto debita æqualitas, sed emptor haberet penes se & rem, & fructus, & pretium, & vsum illius, venditor vero nec haberet rem qua libere se expoliauit, nec fructus, nec pretium, nec aliquem vsum vel vtilitatem ex illo, toto illo tempore: in summa emptor haberet plurimum, venditor nihil, & ex consequenti vnus plus quã debet habere, alter vero multominus, quod est iniquum, & contra rectam rationem: æquum ergo est & rectę rationi maximeconsonum, vt emptor qui fructus percipit nondum soluto pretio, illius vsuram pro ratione fructuum soluat venditori, qui re sua se ipsum expoliauit, quam non tenebatur tradere nisi accepto pretio. Quod si illud & rationi, & æquitati adeo consonum est, poterit à principio & tempore venditionis duci in pactũ, & sub eo pacto ex pretio debito hic census constitui.

Confirmatur illud ex L. 2. C. de Vsuris. vbi dicitur: *Aequitatis ratione, præstare emptor vsuras pretij non soluti cogitur.* Et L. Iulianus. §. Ex vendito. ff. de actio. empt. & vendit. sic ait Iurisconsultus: *Cum re ipsa emptor fruatur, æquissimum est eum vsuras pretij depẽdere*: Simile legitur L. vltima. ff. de fundo dota.

Tertio, inter vsuras lucratorias (inquit Couarru.) & compensatorias hoc interest: vt illæ sint propriæ & formales vsuræ, quæ omni iure prohibentur, at compensatoriæ, cum non sint veræ vsurę nisi materialiter tantũ, quia habent quandam rationem lucri, cum tamen re ipsa non sint lucrum, sed receptio & compensatio quędam rei sibi debitę, licitę sunt & iustę omnium tam Theologorum quam Iurisperitorum consensu, vt nos superius docuimus q. 78. art. contro. 1. at vsurę quæ exiguntur ex pretio rei fructiferę non soluto, non sunt lucratoriæ, sed compensatoriæ: redduntur enim in compẽsam fructuum, quos percipit emptor rei, cuius pretium nondum soluit, quo pretio certe loco fructuũm venditor eiusdem in suum cõmodum fuisset vsus, aut saltim potuisset vti ergo non sunt iniquæ.

Quarto, (quo argumento vtitur Molinæus) Iurę naturæ licet cuique contrahenti se ipsum seruare indemnem, & ex consequẽti apponere in contractu pactum quo illud obtineat: at si venditor rei fructiferæ non posset recipere pensionem pretij non soluti, pateretur damnum, cum & re ipsa, & fructibus illius, & pretio careret, potest ergo tempore contractus, vt ab isto damno se ipsum indemnem seruet, ita pacisci: Cum huius rei fructus tu statim sis percepturus, ego vero nec pretium recipiam, nec vsum illius, vendam tibi hac lege, vt quandiu pretium non persoluis pensionẽ illius loco fructuũ mihi exhibeas: census autem debitorij nil aliud est quam venditio sub hoc pacto, est ergo contractus iustus. Quod enim vsu tabellionum duo contractus conficiantur, alter venditionis, alter census debitorij, propterea fit, ne in vno eodemque instrumento plures contractus distincti videãtur inculcari, nihilominus re ipsa vnicus est contractus sub isto pacto & conditione, qua vult venditor se ipsum seruare indemnem, emptore libere in illud consentiente.

Quinto ex Caiet. vt supra vidimus q. 78. art. 2. controuer. 22. venditio non perficitur ante solutionem pretij, sed manet imperfecta, & pendens vsque ad actualem illius solutionem, vnde fructus illius rei sic venditę, ante solutionem pretij non sunt absolutè,

lute, & omnino, ac pleno iure ipsius emptoris, sed vēditoris, vt opinatur Couarruuias: potest ergo venditor tāquam verus adhuc dominus illius rei, & fructuum eius, in compensam illorum fructuum recipere pensionem annuam, illamque in pactum ducere, quousq; soluto actu pretio transeat res illa cum suis fructibus in absolutum, perfectumque dominium emptoris.

6. Si dominus vineę locaret illā per aliquot annos agricolæ, potest pretiū fructuū, quos illa nata est ferre deductis laboribus & expensis, ab illo exigere: at maiorem gratiam (inquit) Molineus confert, qui vendit rem fructiferam alicui, cū transferat in eū & rei & fructuum dominium, quam qui solum locat, cum hic solum trāsferat fructus, ergo sicut potest ille exigere pretium fructuum, ita & venditor, cui non numeratur pretium, poterit illorum compensam exigere, & recipere: quod fit in isto contractu.

Confirmat illud, quia sors siue pretium quando res vendita fructifera est, debet similiter non esse sterile sed fructiferum, reprehenditque ibi maxime Panormitanum contra sentientem, concluditque in hęc verba num. 547. Quia ergo id quod ob dilationem pretij penditur, concurrit cū fructibus rei traditæ, nullo modo est vsura, nec spectat ad negotiationē fœneraticiā, nec principalem nec incidentem, sed est vera rei prosecutio, & cōpensatio sortis cū sorte. Quod si res vendita & tradita fructifera non sit, vel nullos interim puta ob calamitatem illius temporis affert redditus, tunc si quid venditor ob dilationem recipiat, non est cōpensatio sortis cum aliqua sorte æquali, sed vera vsura: Hæc ille.

Oppositum omnino docent Siluester loco citato Maior in 4. dist. 15. q. 12. Gabriel eadem dist. q. 11. conclu. 4. D. Anton. 2. parte tit. 1. cap. 8. §. 20. In eandem sententiam refert Siluelster Franciscum de Mayro. D. Bernardinum, Summam Rosellam vsura 1. §. 47. & Archidiaconum. Idem docuerunt ex iurisperitis. Panormit. concil. 5. concilio 66. & concilio 76. dub. 2. lib. 1. Socinas (qui in hac parte vt antea dicebam sibi non constat) concilio 176. lib. 2. & cōcilio 103. lib. 4. Alexander concilio. 119. 120. & 121. lib. 4. & concilio 121. lib. 5. Decius concilio 119. num. 4. Antoni. Rebe. concilio 88. Aymon concil. 189. casu 3. & alii quos sibi in hac parte repugnare Molinæus & Couarruuias ingenue fatētur. Est ergo cōmunis omnium tam veterum quam recentiorū Theologorum qui de hac re scripserūt preter vnum Angelum & Iurisperitorum sententia, iniquum esse, & vsurarium interesse aliquod vel pensionem exigere, quando res fructifera actu & re ipsa venditur, expectata ex consensu venditoris per aliquod tempus illius solutione. Qua ratione cōtractus hic, quē debitorium dicimus, iniustus etiam erit, & pēsiones vi illius receptę erūt in conscientia computandæ in sortem, vel restituendæ.

Quam sententiam verissimam esse, & tenendam re diligenter inspecta non dubito: nititur enim illa firmissimis rationibus. Primo, in emptione & venditione transfertur omnino dominium rei venditę in emētem, contractus de quo nunc loquimur est vera ac realis emptio & venditio, constituto enim ac perfecto huiusmodi contractu, iam non potest venditor rem illam sibi retinere, aut alteri tradere, sed ita pertinet ad emptorem, vt si pereat emptori pereat, quæ omnia docent esse veram ac realem venditionem: ergo in huiusmodi contractu res illa fructifera transit omni iure in plenum absolutumque dominium emptoris, & ex consequenti fructus illius iam non sunt venditoris sed emptoris, cum iure naturę vnaqueq; res domino suo fructificet. Docetque illud apertissime lex Fructus. C. De actio. empt. & vendit. vbi habetur *Vt fructus post perfectam venditionem ad emptorem pertineant, maxime post factam rei traditionem.* Quod si fructus illi, emptoris re vera sunt, sicut & res empta, iniquum est, vt teneatur emptor reddere aliquid venditori ratione fructuum, in quos ille nullum iam habet dominium vel ius.

Et confirmatur interesse illud siue pensio quę exigitur ab emptore vineæ, quādiu non reddit pretium illius, vel exigitur ratione fructuum quos percipit, vel ratione alicuius census cōstituti ex pretio ipso, vel titulo locationis illius vineę donec reddatur eius pretium, vel ratione alicuius moræ in qua sit emptor, aut demum ratione pretij nōdum soluti & expectatę solutionis. Singula expendamus. Imprimis nōn potest illud exigi, vel recipi ratione fructuum, quos ex vinea illa emptor illius percipit: quia post perfectam semel consumatamque venditionem, sicut vinea illa pleno iure emptoris est, ita & fructus: nemo autem ratione rei cuius verè dominus est, tenetur aliquid alteri soluere, vt paulo ante ostendimus: Nec ratione alicuius census ex illo pretio consti-

constituti. Primo, quia in censu potest quidem debitor redimere illum cum voluerit minime vero compelli, in contractu autem debitorij obligatur debitor ad soluendum pretium intra certum tempus, potestq; compelli. Secũdo quia, sic cõtrahentes nõ instituunt constituere censum redimibilem, sed hunc contractum ab illo lõge diuersum, actus autem agentium iuxta illorum intentionem operantur. Nec ratio locationis hic locum habet, cũ in locatione res locata maneat penes dominium prioris domini, & ipsi pereat, in hoc autem contractu res fructifera quæ venditur, transit in plenum dominium emptoris, ita vt si pereat ipsi pereat, non priori domino qui vẽdidit. Nec potest exigi ratione alicuius moræ cũ dilatio illa solutionis mutuo vtriusque consensu constituatur, in mora autem debitor nõ est, nisi quando adueniente termino sibi concesso, non soluit. Reliquum ergo est, vt exigatur recipiaturque interesse illud vel pensio sola ratione dilatę solutionis: hac autem ratione aliquid vltra iustum pretium exigere, vel recipere vsura est, & iniquitas, nisi intercedat aliqua ratio damni emergentis, vel lucri cessantis, quę ex eodem Couar. & aliis hic non attenduntur, cum exigatur hæc pensio, etiam si venditor pretium illud in nullum vsum esset conuersurus, ergo contractus huiusmodi vt à nostris exercetur iniquus profecto est, & vsurarius.

Et confirmatur amplius. Si Petrus emẽs v. g. hanc domum 100. aureis, illos statim solueret nihil aliud ab eo deinde exigeretur, neque pro domo ipsa, neque pro vsu illius, cũ sit illud iustum pretium istius domus vt constituimus, emens autem domum habet ipso facto ex vi illius contractus dominiũ & vsum ipsius: ergo quod, titulo isto debitorij exigitur, quando non reddit statim pretium, non alia profecto ratione, neque alia de causa ab eo exigitur, quam ratione dilatæ solutionis, quod est iniquum. Quod si dicas non est ęquum venditorem illũ & re sua carere, & illius vsu ac pretio: Certe si hoc titulo liceret aliquid exigere quandiu non soluitur pretium, in omni emptione & venditione quę fit expectata solutione, liceret similiter, quandiu emptor non reddit pretium, recipere aliquod interusurium, cum in omni venditione, quæ fit in diem, venditor & re sua, & vsu illius, ac pretio similiter careat: quod tamen est aperte falsum. Sed dices statim cum authoribus alterius opinionis, non licere illud in venditione rei & mercis quę non est fructifera, licere autem in venditione rei fructiferæ, & ita in his tantum rebus constitui huiusmodi contractus, quia non est æquum, vt dominus ac venditor & re, & fructibus illius, & pretio careat. Hoc iam confutatum est: Quia sicut non potest recipere aliquid, eo quod careat pretio, quia esset vsura, ita neque eo quod careat fructibus, cum fructus rei venditę iam sint emptoris, qui verus illius dominus est, ex eo autem quod careas fructu, qui tuus re vera iam non est, sed meus, non sum tibi alicuius pecuniæ debitor.

Nec valet dicere venditori cessare lucrũ in hoc casu, quia si recepisset illud pretium domus statim & in numerato, constituisset ex illo censum, aut exposuisset illud alicui negotio lucratiuo. Primo, quia (vt iam admonui) si hac ratione aliquid exigeret, iam non exigeret illud per contractum debitorij, de quo hic agimus, sed titulo lucri cessãtis, qui titulus plurimum distat à contractu debitorij, & diuersę plurimum rationis, & considerationis est. Secundo quia, ad lucrũ cessans exigitur, vt venditor habeat actu paratum alium emptorem reddentem pretium in numerato, aliter lucrum non cessat, constituens autem debitorium non habet talem emptorem: Etenim iuxta ea quę experientia docet, si talem haberet, non exerceret huiusmodi contractum, sed venderet ei qui solueret in numerato, vel constitueret cẽsum. Quod si habens qui solueret pretiũ in numerato nollet illi vendere, sed huic alteri ad terminũ, rogatus ab illo, vel in eius vtilitatem & gratiam, posset tunc lucrum sibi propter illum cessans exigere, ac recipere, sed hic titulus (vt dixi) plurimum distat à contractu debitorij, cuius iustitiam hic exploramus. Ex his sequitur falsa esse omnino quæ habet Molinæus loco citato numero 545. ad diluendas propositas rationes. Quis enim nõ videat quam falsum sit quod ait: iustius posse recipi interesse propter dilatã solutionẽ quã si nõ esset dilata. Primo, quia si nõ esset dilata, emptor qui nõ statim solueret esset culpa sua in mora, ratione cuius iustè ab illo exigeretur interesse. Secundo, quia dilata solutio (vt satis ex his quæ D. Tho. q. 78. ar. 1. docuit) est mutuum tacitum & implicitũ, quo fit, vt idem omnino sit ratione dilatę solutiones aliquid recipere, quod recipere illud ex mutuo, in quo iniquitas vsuræ consistit. Iam quod secundo affirmant, fundum venditum emptoris quidem

dem esse, fructus verò venditoris, donec sol uatur illi pretium. Huic dicto repugnat ius naturæ, quo *vnaqueq; res domino suo fructificat.* Vnde pugnant rem esse emptoris, fructus vero nō esse illius, donec soluat pretiū, cum damnum illius rei fructiferæ non pendeat à solutione pretij, vbi venditio semel perfecta, firmaque existit.

Deinde ad tertiam rationem Gabrielis quam hic attigimus, periculū rei emptæ esse penes emptorem, qua ratione res illa ipsius omnino esse comprobatur, & ex consequenti fructus: Respondet duo Molinæus: Prius est, idem periculū habuisse antequā illi traderetur: Alterum est, venditorem nō recipere illud ratione alicuius periculi in alterum translati, quod est de natura emptionis, sed quia trāstulit in illum fructus quos poterat sibi retinere. Neutrum, tamen horū instituto est accommodatum. Prius enim illud falsum est, nam periculum rei antequā illa emptori vendatur, & tradatur, penes vēditorem est, post venditam vero & traditā, penes emptorem, ex quo sequitur emptorē verum esse tunc illius dominum, & similiter fructuum, quod est argumentum Gabrielis & Theologorum, quod Molinæus non diluit: Nunquam enim respondet, nec potest respondere huic principio iuris naturalis *quamcunq; rem domino suo fructificare, non alteri.* Quod secundo ait, venditorem iuste recipere interusurium, quia contulit ementi perceptionem fructuum, quam non tenebatur dare, nullius est pōderis: Primo, quia eo ipso quo dominus rei fructiferę voluit illam vendere expectata solutione, voluit simul & fructus illius similiter tradere expectata quoque solutione, cum non possit tradi res fructifera, quin simul tradantur vna cum ea naturales illius fructus, vi huius principij toties repetiti *Fructus rei ad verum eius dominum pertinere, non ad alium,* sunt enim velut accessorium rei, debentq; illam sequi.

Secūdo, quia in omni venditione ad creditum venditor libere vēdit rem quam poterat sibi retinere, nec propterea licet illi ob dilatam solutionem aliquid exigere, cū dilata solutio quoddam mutuū sit, quę est quarta Gabrielis ratio. Quod autem respōdet in huiusmodi emptionibus non reperiri mutuum, quia mutuum non est negotiatio, sed officium, hic vero contractus negotiatio est, ridiculum est, stat enim semper doctrina D. Thom. in solutione dilata mutuum contineri. Quamuis enim mutuum diuersus contractus sit, diuersumq; negotij genus à venditione, at quod pertinet ad solutionem pretij, illam expectare nō minus est officium, & in re fungibili, quā mutuū, cum expectans solutionem perinde re ipsa se habeat, ac si pretium quod in numerato erat accepturus, emptori mutuasset vsq; ad tempus illud, in quod dilata solutio est, tūc illud tamquam sibi mutuatum redditurus, quod & pluribus alijs locis eiusdem tractatus fatetur Molineus.

Dicamus igitur quatuor modis posse fieri huiusmodi venditionem: Primo absolute & simpliciter vendendo ad creditum propria sponte venditoris, veluti non habentis alium qui eandē emat in numerato. Secundo, ita vt cum haberet quidē qui actu rem illam in numerato emeret, institueretq; pretium illud in presenti recipiendum in aliquod negotium sibi vtile & lucratiuū conuertere, rogatus tamen ab alio, in eius vtilitatem & gratiam vineam quā poterat actu & statim pecunia presenti vendere, & negotio sibi vtili tradere, vendit huic alteri ad creditum. Tertio, ita vt ex pretio illo citra omnem fraudē & dolum constituatur census redimibilis, eadem omnino ratione qua cōstitueretur, si pretium illius vineę, vel fundi fuisset à venditore in presenti, & ipso tēpore contractus vna manu receptum, & eidem emptori alia manu simul traditum, tamquam pretium iuris censitici in illa re constituti. Quarto & vltimo, vt venditio non fiat absolute & simpliciter, sed sub cōditione & dependens à tempore solutionis faciēdæ: ita vt quāuis res illa emptori tradatur, tradatur tamen in vsum tātum & possessionem vtilem ipsius, minime vero actu illi vēdatur, vel transferatur in eum plenum perfectumq; illius rei dominium, donec actu & reipsa pretium de quo inter vtrumq; cōuentum est, exhibeat, qui contractus proprie continet hæc duo. Primo sponsionem, siue promissionem absolutam, & firmam de venditione illius rei actu faciēda, sub certo iam inter eos cōstituto pretio, cum primum actu & innumerato illud reddiderit. Cōtinet secundo translationem dominij vtilis in illum emptorem, quandiu pretium rei non persoluit, reddito interim iusto pretio illorum fructum, sicut fit in vera locatione rei fructiferæ per aliquod tempus, Qua ratione hęc venditio non est absoluta translatio dominij in emptorem antequam pretiū actu redat, nec periculū illius rei penes emptorem est, sed penes venditorem, sicut & dominium

dominium eiusdem penes ipsum manet, donec pretium illu actu recipit: nec est venditio ad creditum, sed in pecunia numerata, cum tunc res illa eiusque dominium pleno iure in emptorem transferatur, & non antea.

Quibus constitutis dico cum communi Theologorum schola vnico Angelo dempto, & communi etiam Iurisperitorum doctrina, Imprimis si res vendatur in diem illo priori modo, absolute & simpliciter, iniquum esse & vsurarium aliquod interesse, vel pensionem exigere, quandiu pretiū nō redditur. Quia nec ratione dilatæ solutionis illud exigi potest, quod est aperta vsura, nec ratione fructuum cum illi facta venditione omni iure sint iam emptoris, sicut & res ipsa. Vnde duplex in hoc contractu est iniquitas, Prior, vt exigatur interesse, aut ratione dilatę solutionis, aut ratione rei iam alienę nec sibi debitæ, quales sunt fructus rei post venditionem absolute & simpliciter factam. Posterior, vt cū dicatur venditor illam pensionem exigere ratione fructuum, exigat quoq; ac recipiat illam, eo etiā tempore, quo ex aliquo infortunio nulli recipiuntur ab emptore fundi, nec fuissent recepti à venditore, si apud eum permāsisset.

Quod si vendatur secundo modo posse aliquod interesse exigere, & recipere, & de eo tunc pacisci, non ratione dilatæ solutionis, nec ratione fructuum quos percipit, vt constat, sed ratione lucri sibi vere cessantis, cū haberet emptorem in numerato soluētem, & animum conuertendi statim pretium illud in negotium sibi vtile & lucratiuū, iuxta ea quę superius docuimus q. 78. artic. 2. contro. 18. Quo casu non est exigendum tantū interesse, vel tanta pensio, quanta est quantitas, aut valor fructuum, sed quantū lucri venditori illi probabiliter & prudentum ac peritorum iudicio cēsebitur cessare, eo quod non recipiat statim pretium, quod re illa alteri vendita recepisset, & in negotium sibi vtile commutasset.

Si vendatur tertio modo contractus etiā iustus est, vbi constitutio illa Pij V. non viget, quia vbi illa non viget, licet ex vero & iusto pretio rei vēditę citra omnem fraudē & dolum censum redimibilem constituere, vt constat ex art. 3 huius quæstionis. Controuer. 8.

Demnm si vendatur quarto illo & vltimo modo, licet etiam interesse illud, & pensionem exigere, ac recipere, quandiu pretiū non redditur ratione fructuum, cum res illa non vendatur actu, nec trāsferatur illius dominium in emptorē, nisi eo tempore quo actu & in numerato exhibet illius pretium: precedens vero contractus solum fuerit spōsio, firmaque promissio rei tunc vendendę sub illo pretio inter ipsos constituto, & ex consequenti toto illo tempore, quod actualem pretij solutionem præcessit, quāuis emptor ille vsum possessionemque illius habuerit, fructusque perceperit, habuit tamen percepitque illos, non vt dominus, sed vt locator, seu conductor, cum quo de venditione rei à se conductæ verus illius dominus sub certo eiusdem pretio vsque ad illius solutionem iam cōuenit, fidemque dedit. Quē modum refert etiam Couarruuias loco citato n. 6. iuxta l. Sicut emptio. §. vlt. ff. locati. Vbi Doctores omnes hunc modū probant, & necessario, se enim ipso & natura sua iustus est.

Ex his colligere licet nōnulla contra Molinæum & Couarru. Primo recte consuluisse Panormit. lib. 1. concil. 6. & Soci. consil. 130. lib. 4. dominum cuiusdam domus, qui prius illam cuidam per octo annos locauerat, cum eandem postmodum eidem conductori actu vendidisset, non potuisse tuta cōscientia redditum aliquem vel mercedem locationis à die venditionis in posterum recipere, esto venditori non fuerit pretium domus statim solutum, sed per aliquod tēpus expectandum, Quia ab ipso venditionis die tam domus illius dominium quam vsus fuit omnino emptoris, sicut & periculum, nec venditori aliquid aliud præter solum pretium iure debebatur, sicque debet cōsulere prudens peritusq; Theologus. Secundo verissimum esse quod docet Gabriel loco citato, venditorem tradito fundo & data emptori dilatione ad soluendum pretium, non posse accipere fundum illud in pignus, cum pactione ne teneatur fructus computare in sortem partemque pretij: Quia si venditio simpliciter & absolute fiat, emptor sicut efficitur verus illius fundi dominus, ita & fructuum, nec habet iam venditor aliquod ius in illos, sed accipiens eos recipit re vera alienum in foro animę, quidquid nonnulli Iurisperiti secuti Molinæum & Couarru. sentiant. Multa alia colligunt vterque ex sua sententia, quę aut huic communi Theologorum doctrinę, quam sequimur, non repugnant, aut si qua ex parte illi aduersentur nullam habet vim, cum omnia quæ colligunt nitantur illi falso fundamēto, fructus rei

rei venditę non esse emptoris, sed venditoris quandiu non redditur illi actu pretium: satis enim constat ex dictis, dominiũ fructuum non nasci ex solutione pretij, sed ex dominio rei, cum iure naturę, vt sæpe diximus *Vnaquæque res domino suo fructificet, non alieno* quod ius expresit illa l. Fructus. superius citata. Quo fit, vt sicut per veram absolutamque venditionem dominium rei venditę transfertur pleno iure in emptorẽ; quamuis non statim reddatur pretium, ita & fructus.

Ad argumẽta in oppositum. Ad primum: Lex illa Curabit adeo torquet Iurisperitos, vt innumeras illius proponant expositiones, quas ipsi intellectus vocant. Quod ad nostrum autem institutum spectat, Respondeo imprimis, agere Cæsares in ea de emptione possessionis fructiferæ, quę ad hæreditatem pupilli pertinebat, quam tutor in vtilitatem pupilli cuidam vendiderat, tradideratque accepta tantum quadam parte pretij, venditione illa conuenta quidem & constituta inter ipsos, non tamen adhuc perfecta, & iam consummata, sed cõsumanda adhuc, & perficienda cũ primum reliquum pretij actu exhiberetur, qua ratione donec illud totum integrumque redderet emptor, non habebat perfectum illius possessionis dominium, neque illius periculum omni ex parte penes ipsum erat, sed penes venditorem: Cæterum eius partis fructuum, quæ parti pretij iam traditi respondebat, erat quidem verus absolutusque dominus, eius vero partis quæ parti pretij adhuc persoluendi respondebat, velut locator tantum, & conductor. Quæ omnia maturè, & prudenter Authores illius legis considerantes decernunt, & iustè, vt emptor ille, partem pretij quam penes se habet cum vsuris, idest cum pensione illi parti fructuum commensurata, restituat, ac persoluat; Redduntque duplicem huius sanctionis rationem, dum dicunt: *Quas & perceptorum fructuum ratio, & minoris ætatis fauor, licet nulla mora interuenerit, generauit*: Quæ si recte, & acurate expendantur, debet necessario genuinus, & verus istius legis sensus, & intellectus esse is, qui à nobis proponitur.

Aiunt enim imprimis illud iuste deberi ex ipsa ratione fructuum. Percontor, quæ est propria natura, & ratio fructuum? Certe hæc, vt sint illius ad quem agri, vel possessionis illos ferentis dominium pertinet, vt sicut iure naturę vnaquęque res domino suo perit, ita quoque illi fructificet. Certe hoc nouerant Cęsares: Nouerant etiam per absolutum, & perfectum venditionis contractum, eius rei quę sic venditur, dominium pleno iure in emptorem transire, siue pretium illius in numerato soluat, siue ad terminum. Cum ergo hęc duo Cæsares optime nossent, nimirum emptorem venditione perfecta habere plenum perfectumque rei sibi venditę dominium, & hanc esse propriam rationem & naturam fructuum, vt vnaquęque res domino suo fructificet, eo ipso quo dixerunt, emptorem qui partem pretij penes se haberet, debere illud reddere cum vsuris ex propria ratione fructuum, docuerunt se loqui de venditione possessionis, imperfecta, perficienda verò dum totum pretium redderetur; in qua venditione emptor iuxta partem pretij redditi habeat adquisitum dominium in partem fructuum, venditori verò maneat altera pars fructuum, donec reliquum pretij exhibeatur. Secundam rationem sumit dicta lex ex fauore, quo iura pupillos in minori ætate constitutos solita sunt afficere, illorum vtilitati semper prospiciendo. Cum ergo dicat debere emptorem partem pretij, quã penes se habet, cum vsuris restituere, in fauorem minoris ętatis, indicat aperte, curatorem, possessionem de qua ibi agitur, sub hoc pacto vendidisse, vt quandiu partem illam preti emptor penes se habebat, partis quoque fructuum non haberet dominium, sed velut illius locator vsuras (idest pensionem illi respondẽtem) persolueret, vt sic tutor, cui ex officio incumbit, quę negligentia sua non fuerit pupillo lucratus, ex propriis reddere, se ipsum seruaret indemnem. Aliter enim quid refert pupillo accedant ne vsuræ illę, & pensiones hæreditati suę ex bonis emptoris, vel ex bonis tutoris.

Quo fit, legem istam propterea in fauorem pupilli illud constituere, quia in illa venditione pars fructuum ad venditorem adhuc ex mutua ipsorum conuentione pertinebat, nec venditio illa omni ex parte perficiebatur, donec totum integrumque illius possessionis pretium venditori exhiberetur. Nec obstat vocari in ista Lege cõtrahentes istos emptorẽ & venditorẽ, quia cũ contractus iste iam esset inter eos initus, & constitutus, quamuis nondum perfectus

Zz & absolu

& absolutus, per absolutam & plenam rei venditę traditionem, potuerunt sic appellari, nec alia cōmodiora nomina legislatori se obtulerunt ad illos appellandos. Qua ratione potest quidem res queuis fructifera iuste vendi, ita vt sit firma & constans illius pensio & promissio, ac certo pretio constituto, quin & actualis illius traditio: sub ea tamen conditione, (iuxta quartum illum modū quem proposuimus) vt quādiu pretium non redditur, dominium illius rei ad venditorem vna cum eiusdem periculo spectet, fructus vero sint emptoris reddita annua pro illis pensione, sicut fit in locato & cōducto: Qua ratione nō recipitur aliquid ratione expectatæ solutionis, & pretij nondum soluti, sed ratione fructuum, quorum, venditor sicut & rei, verum dominium penes se retinet, donec actuali solutione pretij venditio illa perficiatur. Debitorium autem, de quo hic agimus, est perfecta & absoluta rei fructiferę venditio, qua plenum, perfectumque dominium, & periculum rei venditę in emptorem transfertur: Qua de causa fructus illius ita efficiuntur pleno iure eiusdem emptoris, vt nulla ratione pertineant iam ad venditorem, nec ratione eorum aliquid exigere possit, multo minus ratione expectatæ solutionis, quod est vsura.

Et miror certè, quod nomine ipso quo vtimur in hoc contractu satis indicante illius iniquitatem, & iniustitiam, non admoneamur. Dicitur enim debitorium, indicans ratione pretij debiti necdum redditi aliquid recipere venditorem, quod idem omnino est, quod recipere aliquid ratione expectatæ solutionis rei venditæ: quod quam iniquum sit, satis ex superioribus cōstat, nisi vbi interuenit lucrum vere cessans venditori, & cum omnibus illis conditionibus, & circunstantiis, quas ibi tradidimus.

Quod si explicatio l. Curabit. quam hic reddimus, nulla ratione alicui placere possit, sed ea solum quam amplectuntur Molinæus & Couarru. nos, qui iudicium animæ respicimus, lex illa nullo pacto vrget, quia nullum est incommodum, vt lex aliqua Ciuilis à Paganis Principibus lata aliquas probet vsuras, sicut legibus Romanorum admittebantur: Vsura autem aperta est, vt ex superioribus & progressu huius articuli abunde constat, aut ratione fructuum, qui iam alieni sunt, aut ratione expectatę solutionis aliquid exigere, quam in nostris debitoriis, prout a nostris exercentur, committi, satis ostendimus.

Ad secundum, quod est potissimum Couarru. argumentum à ratione petitum, respondeo: Nullam reperiri inęqualitatem, propterea quod vendens rem fructiferam ad creditum venditione absoluta, & perfecta nullum recipiat interesse, quandiu emptor non est in mora: quia ęqualitas quæ in contractu emptionis & venditionis exigitur, non consistit in eo, vt sicut emptor rei fructiferæ recipit fructus ex ea, ita emptor recipiat aliquod interesse quandiu non soluitur pretium, cum eius solutio, ipsius consensu differatur. Hoc enim quod Didaco Couarru. videtur inæqualitas non prouenit ex natura contractus, sed ex natura rerum, quia res illa fructifera nata est ferre fructus vero domino ipsius, verus autem dominus illius post perfectam venditionem non est venditor, sed emptor: pretium autem non solutum non est natum ferre aliquos fructus, nisi vbi intercesserit vera ratio lucri cessantis, aut damni emergentis: Sed consistit emptionis, & venditionis ęqualitas in eo, vt valor rei æquetur pretio, & è conuerso pretium valori illius, siue reddatur statim pretium illud, siue differatur illius solutio. Vnde oblato vel constituto iusto pretio, etiamsi solutio illius differatur, seruatur nihilominus debita in illa venditione ęqualitas.

Ad confirmationem ex l. 2. Cod. de vsuris. dico haberi in ea sermonem, sicut & in illa l. Curabit. de venditione perficienda actuali solutione pretij, in qua donec illud actu reddatur, postulat æquitatis ratio, vt fructuum rei quam emptor iam habet, nec dum soluit, vsuram, siue pensionem exhibeat: cum toto illo tempore, tam ipsorum, quam rei fructiferę dominium penes venditorem maneat. Eadem ratione explicandę sunt. l. Iulianus. & l. vltima. ff. De fundo dotal. Etenim si sola ratione non soluti pretij præciperent reddi vsuras, aut interesse aliquod, vt videntur verba illius. l. 2. Cod. De vsuris primo aspectu insinuare, iniquum præciperent, cum ratione dilatæ solutionis aliquid exigere vsurarium sit omnino.

Ad tertium respondeo, pensionem quæ exigeretur re fructifera vendita, aliquo ex illis tribus posterioribus modis quos constituimus, nempe 2. 3. & 4. reduci

quidem ad vsuras compensatorias, cum in eis non exigatur pensio illa & interesse ratione expectatæ solutionis, aut fructuum iam alienorum: sed vel ratione lucri cessantis, vt in secũdo modo, vel ratione Iuris cẽsitici redimibilis iuste constituti, vt in tertio, aut ratione fructuum quorum emptor nondum verus dominus est, sed habet solũ rem illam, donec pretium persoluat, vt locatam, vel conductam, vt in quarto. Interesse autem & pensio quæ exigeretur, re fructifera vẽdita venditione absoluta & perfecta, pertinet profecto vel ad vsuras lucratorias & iniquas, si recipiatur, sicut recipitur ratione expectatæ solutionis, vel certe ad iniquã acceptionem alieni quod est furtum, si recipiatur ratione fructuum, cum illi iam non sint venditoris, sed emptoris absoluto plenoq; iure, exigere nãq; vt reddam tibi aliquid, pro ea re quæ mea omnino est, ad speciem furti spectat, quia exigis alienum inuito domino.

Ad quartum dico, licere vnicuique contrahenti se ipsum seruare indemnem, non quacunque ratione, sed iusta tantum & licita: Vnde vẽdens rem fructiferam potest, vt se indemnem seruet, conuenire cum emptore, vt venditio non perficiatur, nec tam dominium quam periculum rei transeat pleno iure in emptorẽ, donec actu persoluat pretium, sed habeat interim rem illam, vt locatam, cuius fructus iusto pretio accipiat: At si venditio absolute & simpliciter fiat, iniquum est, pensionem aliquam donec pretiũ soluatur, exigere: cum nec posit exigi ratione fructuum, qui iam sunt alieni, nec ratione pretij nondũ soluti quod est vsura, Quare hac via nemini licet se ipsum indemnem seruare.

Quintum argumentum probat, quartum illum modum, quo dicimus posse exigi pensionem & interesse loco fructuum, quia vbi venditio non perficitur vsque ad actualem solutionem pretij, tam res, quam fructus, quam illorum dominium ad venditorẽ pertinent, & vna cum illis periculum rei: At in contractu de quo hic agimus, venditur res perfecta absolutaq; venditione, transfertur que per eam illius rei & dominium & periculum in emptorem, qua de causa transit simul in ipsum pleno iure fructuum illius rei dominium.

Ad sextum dico maiorem gratiam, id est maius ius & dominiũ conferre vẽdentem rẽ aliquam emptori illius, quam cõferatur cõductori eiusdem, quia huic solum transfertur vsus per aliquod tẽpus: Inde tamen non sequitur debere emptorem pensionem aliquam reddere ratione fructuum, sicut debet conductor, imo colligendũ est oppositum, conductorem quidem teneri, quia recipit fructus alienos pretio æstimabiles, emptorem verò, cui res perfecta absolutaq; vẽditione traditur, non teneri, nec posse ab illo exigi: quia fructus illi iam non sunt venditoris, sed solius emptoris & pleno iure, in quem venditor nullum aliud ius post factã venditionem habet, quam recipiendi pretium de quo inter sese conuenerunt adueniente termino: Propter quod si fuerit in mora, poterit quidem aliquid exigere ratione lucri cessantis, aut damni emergẽtis, iuxta ea quæ superius docuimus, quandiu vero in mora nõ est, si quid exigatur, perspicuũ est sola ratione expectatę solutionis illud re vera exigi: Quod quam iniquum sit & vsurarium abunde constat, tam ex superioribus, quam ex progressu huius articuli.

Et hæc de tota disputatione de censibus pro instituti nostri ratione dicta sufficiant.

DISPVTATIO DE CAMBIIS.

EXPLICATIS his quæ ad contractū census, & varia illius genera pertinebant, proximū est vt de contractu Cambij, & singulis eius speciebus disseramus. Diputatio profecto omnium quę in hac parte Theologo contingere possunt difficilima, & quam innumeræ artes, & technę, quas insaciabilis mercatorum & campsorū cupiditas excogitauit, adeo intricatam, & obscuram reddiderunt, vt cœlesti luce plurimum indigeamus ad deprehendendos ipsorum cauillos, æquitatemq; & iustitiam huius contractus inuestigandam.

Disserunt de hac materia scholastici DD. paucis & obiter in 4. dist. 15. D. Thom. lib. 2. de Regimi. Princip. Conradus in suo opere de contract. quæst. 99. & seq. Medina Cod. De rebus restit. peculiari Tractatu de Cābiis. fol. 145. D. Antoni. 2. p. tit. 1. c. 7 Fr. Hieronymus de Luca in suo tractatu de Cābiis. Caiet. tomo 2. suorū opusculorum opusculo 7. cui titulus est De Cābiis. Soto lib. 6. De Iusti. q. 8. per totā. Summistæ in verbo Vsura. potissime Angelus vsura. c. 1. nu. 51. & seq. Silu. Vsura. c. 4. Canonistæ in cap. Nauiganti. De vsuris. maxime Nauarrus in relectio. eiusdem cap. cuius epitomē proponit in Manua. cap. 17. post nu. 283. tit. De Vsura circa Cābia. Couarru. tomo 2. tractatu de Collatione Numismatum cap. 7. n 3. & seq. Et omnium optime Religionis nostræ alumnus Fabianus de Ianua: qui Ianuæ vbi ars Campsoria maxime viget, & exercetur, in gratiam mercatorum Ianuensium a Præsule eiusdem ciuitatis admonitus in hac parte plurimum laborauit.

Diuiditur hæc disputatio de Cambiis in tres partes seu tractatus. in primo explicabimus quid proprie sit Cambium de quo hic agimus, & quid hoc negotij, & contractus qui a DD. vocatur ars Campsoria: In secundo proponemus varias species & formas Cambiorum, quibus vtuntur mercatores. In tertio explicabimus priuatim & in particulari, quæ Cambia licita sint & honesta, quæ vero iniqua & vsuraria.

QVAESTIO PRIMA.

DE NATVRA, ET PROPRIA *ratione Cābij, & artis Campsoriæ?*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sint Cambium Ars Campsoria.

OBSERVEMVS initio hāc vocē Cābiū non reperiri apud Ciceronē, Quintilianū, & alios candoris & elegātiæ latinę studiosos, habēt tamen illam alij authores, latini quoq; sermonis periti. Vtitur enim hoc verbo Cābio tanquā verbo permuto vnde Cāpsi, .i. permutaui, Cābire, idest permutare, Cāpsū, .i. permutatū, & Cāpsor, id est permutator, Priscilianus libr. 10. c. 2. vbi affert illud ex Ennio veteri poeta: Leucaten Cāpsant idest permutāt. Eadē quoq; vox legitur apud Nebricēsem. Iurisperitis est maxime in vsu, vt videre est apud Tiraquellū lib. de retract. §. 30. Bal. in c. 1. §. *Si quis dominus*. ff. Quo tēpore miles. Et alios recētiores de quibus Couar. loc. cit. Philosophi agnouerunt quidē hoc genus cōtractus, nō sub nomine Cābij, sed sub nomine cōmutationis vel permutationis: vt cōstat ex Arist. 1. Polit. c. 6. & similiter Theologi antiqui, vt D. Th. q. 77. ar. 4 in corp. Recētiores tamē omnes quos retulimus de hac re disserere, vtūtur nomine Cābij pro cōmutatione pecuniarū, vnde industriā exercēdi hunc cōtractū vocant artem Cāpsoriā, & mercatores illū exercētes Campsores: quibus vocibus tanquā inter omnes DD. tā Theologos quā Iuristas receptis, est à nobis in hac disputatione vtēdū. Vocatur etiā hæc Ars Numularia, & illā exercentes Numularij, ita Arist. loc. cit. & in Sacris literis Matth. 21. *Mēsas Numulariorū euertit.* A Gręcis dicitur Collibia, & Cāpsores Collibistæ, quia apud Gręcos lucrū illud quod recipit Cāpsor ex pecunia dicitur Collibus, vt habet Budæus l. vlt. ff. de pign. actio. Dicūtur etiā argētarij & mensularij, vt refert Couar. loco citato, Quod probat ex Plauto in Persa, & in Asinaria, & Terētio in Phormione

mione: ita domus, quas conducebant Romę Campsores ad exercenda Cambia, vocabantur tabernę argentariæ, vnde l. Qui tabernas argentarias. ff. de contrahend. emptio. Et l. Argentarius. ff. de ædendo. in princip. Habebant hi huiusmodi domos in foro prope ędem Castoris, vnde illud ortum fuit, vt quando recedebant, seu fugiebant fallentes creditores, dicerentur cedere foro: ita Budęus l. Si hominem. ff. depositi. Ex his fit Cambium idem esse latine quod commutatio, seu permutatio vnius rei pro re alia & diuersa.

Obseruemus secundo, Ex Aristot. loco citato. D. Thom. q. 77. artic. 4. Soto libr. 6. q. 8. art. 1. quod & nos initio quęstionis. 77. proponentes varia genera contratuum attigimus, tres esse commutationum, seu Cambiorum formas, quæ progressu temporum inter homines introductę sunt. Prima est, in qua commutatur vna res pro alia, vt panis pro vino, quę cōmutatio antiquissima est, ita coæua ipsi naturæ, vt cū primum homines conditi fuerunt, statim illa vti ceperint. Conferebat vnus alteri ea quibus ipse abūdabat alter verò egebat, recipiebatq; vicissim & mutuo ab illo quæ sibi opus erāt, & quibus alter abūdabat. Ita Gene. 21. emit Abrahā ab Abimelech Rege Palestinorū aquam cuiusdam putei exhibitis 7. agnis. Et Psal. 43. dicitur. *Et non fuit multitudo in commutationibus eorum.* Pręcessit hęc emptionē & venditionem & omnes alios contractus, vt optime Paulus Iurisconsult. l. 1. ff. de rerum permutatione. Cęterum cum hęc Cambitio & commutatio non sufficeret ad leuādas humanas indigentias, tum quia res quibus hic abundabat, non poterat defferre in locum vbi existebant ea quibus ipse egebat, vel non poterat illas seruare in aliud tempus, tum quia habens v. g. triticum, cui alter offerebat vinū, sæpe non indigeret vino, sed alia re quā egens tritico forsam non habebat, ideo oportuit excogitare rem aliquam, quę esset commune omnium pretiū, & qua exhibita posset vnusquisque comparare sibi quamcunque rem qua egeret, & quæ quocunque defferri posset, & in quod uis tempus seruari, & qua oblata nemo renueret rem suam cum illa commutare: Ita fuit inuentum Numisma ex metallo confectum, & caractere, ac imagine alicuius Principis, vel Reipub. designatum, tanquam pretium, & mensura publica omnium rerum vt optime docent idem Iurisconsult. l. citata. Arist. 1. Polyt. cap. 6. D. Thom. lib. 2. de Regimine Principum. cap. 13. & Laurētius Cano. Consuluit 2. quęst. 26. Quemadmodum enim mensuræ publicæ caractere Reipub. designantur, vt illo viso de illarum integritate & fidelitate à nemine dubitetur, ita & Numisma ex quocunque metallo cōficiatur, apposito publico illo caractere iudicatur illius esse valoris & pretij. Ita cepit secundum genus Cambij, quo res traduntur pro Numismate, quod proprie vocatur emptio & venditio, necessarium quoque naturę & vitę humanę, accedensque maxime ad primum illud genus commutationis. Sicut enim in primo illo tradebatur vna res pro alia æquiualenti, ita in hoc secūdo traditur res pro metallo, quod virtute illius caracteris est ęquiualens rei quæ recipitur.

His duobus generibus commutationis & Cambij sufficienter videbatur prouisum humanę indigentiæ, attamen inuento, Numismate, cum non omnes pecunię essent eiusdem rationis, sed differrent in specie, in quantitate, & qualitate, cum aliæ aureę sint aliæ argenteę, alię ex ferro, vel auricalco, aliæ maioris alię minoris valoris, aliæ in vna Prouincia receptæ & approbatæ alię in alia, cœperunt homines imprimis ad res emendas pecunias commutare inter se, vt aureas pro argenteis, pecunias maioris valoris pro pecuniis minoris: deinde vero pecunias vnius loci pro pecuniis alterius loci, & Prouinciæ quo erant ituri: Ita cœpit tertium genus Cambij, & commutationis pecunię pro pecunia in eodem loco, vel diuersis, maxime diuersum à duobus præcedentibus. Quod tertium genus Cambij licet fuerit à principio introductum ad commutandas pecunias vnus loci in pecunias alterius, vbi illæ priores non admittebantur, cupiditas tamen humana peperit & aliud tertium genus, nimirum, vt commutetur etiam pecunia eiusdem rationis, & valoris ex vno loco in alium, vel tradita prius pecunia, & deinde recipienda, vel contra illa prius recepta, & deinde restituenda.

Hanc commutationem & Cambium initium sumpsisse ait Aristot. loco citato casu, locum verò istum Aristot. Diuus Bernardinus sermone. 39. articulo. 3. Iacobus Vngarellus in Scholiis Angeli loco citato. Et Cayeta. in Opuscul. de Cambiis. Cap. 3. ita explicant. Cum forte mercator pecuniā suam ex patria sua in alium locum asportasset, inuenissetque ibi plus

illam valere quã apud suos, cepit reuersus in patriam, conferre ibi pecuniam commutandam cum pecunia eius loci vbi plus illa valebat, vt hac ratione, & per huiusmodi commutationem pecuniç lucraretur, redderetur q; ditior, sicq; ceperunt mercatores has commutationes, & Cambia pecuniç vnius loci pro pecunia alterius loci, quandoque eiusdem quandoq; alterius rationis & sortis, exercere: reddiq; periti & industrij in hoc negotio, & contractu Cambiendi, & commutandi pecunias.

Ex his tribus generibus Cambiorum, licet omnia sint vere commutationes & Cambia, qua ratione in Iure omnis commutatio vnius rei pro alia, quçcunque illa sit, dicitur permutatio. l. 1. ff. De contraen. empt. l. 1. ff. De rerum permutatione. & Cod. eod. tit. Vsus tamen inter omnes DD. imo & inter omnes homines obtinuit, vt primum illud vnius rei pro alia vocetur quasi proprio nomine commutatio: secundum, nẽpe rei pro pecunia vocetur emptio, & venditio. Tertium verò, pecuniç pro pecunia, quacũque ratione fiat, dicatur Cambium. De quo hic differendum est.

Ex his sequitur primo, Cambium non esse emptionem & venditionem, cum in emptione reddatur pretium sub ratione pretij, & recipiatur res aliqua sub ratione mercis: In Cambio vero tam rerum quam pecuniarum, vbi alia pro alia traditur, neutra habet rationem pretij, vt in dictis legibus habetur. Eadem ratione non est locatio, quia in locatione redditur pretium pro vsu rei locatæ, vel conductç, in Cambio autem nihil recipitur, neque potest recipi pro vsu alicuius rei, sed vna res cum alia commutatur. Neque pertinet ad depositum: Primo, quia in deposito eadem res numero, quæ deposita fuerat, restituenda est, in Cambio verò alia diuersa & differens, vt inferius ostendemus: Secundo, depositarius infideliter ageret rem sibi traditam in proprios vsus conuertens, in Cambio verò non alio fine, quæ commutantur, recipiuntur, quam vt recipiens rem aliquam in proprios vsus illam conuertat.

Denique neque ad mutuum, vel commodatum spectat, quod erudite & copiose docet Conradus à quo illud Ioan. Medina & alij acceperunt De contractibus. q. 98. conclusione. 1. & quçst. 99. conclusione. 2. propositis quatuor differentiis, quæ inter Cambium & mutuum reperiuntur. Distinguntur enim imprimis, quia Cambium, siue commutatio debet necessario fieri inter res actu & reuera diuersas, adeò vt quomagis diuersæ fuerint, perfectius inter illas commutationis & Cambij ratio inueniatur: commutatio enim siue Cambium, vt nomen ipsum sonat, est vnius rei cum alia diuersa ac differenti permutatio. In mutuo verò non est necesse rem aliam, & diuersam mutuanti restituere, cum posit in aliquo euentu, seruata vera ratione mutui, eadem numero quæ fuerat accepta restitui: non enim desinet esse verum mutuum, si restituat Petrus Ioanni idem numero triticum, quod ab illo accepit, si casu aliquo accideret, Petrũ postquam illud mutuo accepit, eo non indigere. Quamuis frequenter, ac communiter cum rem mutuatam accipiens in proprios vsus illam conuertat, neque alio fine eam mutuo quæsierit, nisi quia illa egebat, non restituatur eadem numero, sed eadem specie. Differunt secundo, Quod in Cambio saltim reali & vero, quod fit ratione loci & per literas, necesse sit (vt videbimus) cõmutari pecuniam vnius loci in pecuniam alterius loci, quod ad mutuum non exigitur; imo frequenter ac regulariter res mutuo accepta in eodem loco restituitur, vbi fuerat accepta: licet accidere posit ex circunstantia aliqua, vt sit in alio loco mutuanti restituenda, quia sic vtrique contrahentium placuit in vtriusque vtilitatem & commodum: Vt cum mutuo Petro pecuniam Valentiæ, qua instituebam persoluere debita quæ habeo cõtracta Cçsaraugustç, postulo ab eo restituat illam mihi Cæsaraugustç, hçc mutatio, siue diuersitas loci non prouenit ex vi & natura illius mutui, sed ex circunstantia quç illi accidit, quia in vtilitatẽ ipsius, mutuaui illi pecuniam, quam paraueram ad soluenda debita quæ habeo Cçsaraugustæ. Differunt tertio, quia in mutuo exigitur necessario distantia temporis. Nam cum mutuum fiat eo fine, vt mutuatarius re accepta vtatur, si statim esset illa mutuanti restituenda, frustra illam mutuo accepisset; De propria verò natura & ratione Cambij non est tẽporis distantia: Etenim si fieri posset, vt pecuniam quam dedi Valentiç recipiendam Romæ, eodem die quo illam dedi, reciperem, (sicut optarẽt qui ad Romam pecunias suas transmittunt) non desineret esse verum & reale Cambium: interuenit autem tempus trium, quatuor, vel plurium mẽsium, iuxta distantiã loci in quo faciẽda est solutio, quia exigi

exigitur illud ad literarum, virtute quarum facienda est solutio, transmissionem. Denique mutuum circa eas tãtum res exercetur, quę vsu consumuntur, & quæ vt ait Conradus consistunt in numero, pondere, vel mensura: Cambium vero, si in primeua sua significatione sumatur, in omni genere rerum quibus hominum conuictus eget, vel vti potest. Quod si de Cambio, de quo præsens instituitur disputatio, loquamur, versatur illud circa solas pecuniarum commutationes. Quibus differentiis & illa vt maxime ad institutum pertinens adiicienda est, vt in mutuo, vel commodato nullum possit exigi, aut expectari lucrum vltra sortem, in Cambio verò pecuniarum, de quo potissime inquirimus, possit exigi & recipi, ea ratione quam suo loco proponemus. Neque his repugnat in aliqua rerum commutatione exhiberi quandoque nonnullam pecuniam, vt cum in commutatione tritici pro vino, si valor tritici valorem vini superet, deffectus ille per pecuniã reficitur, in commutatione quoque vnius Ecclesię pro alia, si fructus & redditus vnius maioris sint quã redditus alterius, reficitur similiter defectus ille in pecuniis, vel pensione aliqua pecuniaria, vt habetur in Capite. Ad quæstionem. De rerum permutatione: pecunia enim illa in huiusmodi permutationibus nõ traditur quasi pretium alterius rei, sed ad constituendam æqualitatem, quæ (vt statim dicemus) seruanda necessario est inter res quæ commutantur. Quo fit vt Cambium, vel sit contractus quidam innominatus, vt optime docet Nauarrus in capit. Nauiganti: num. 9. colligitque illud ex legibus citatis, & ex l. Ex placito. Cod. De rerum permutatione. Quod repetit num. 21. cum Calderino Consil. 11. De vsuris. vel sit contractus nominatus hoc proprio nomine Cambium, vt aliis Doctoribus placet: quæ sententia magis recepta, & communis est.

Obseruemus vltimo, in his commutationibus, cuiuscunque generis sint, hæc tria seruanda esse. Primo, cum hic contractus non minus pertineat ad iustitiam commutatiuam, quam emptio & venditio, sicut exigitur in emptione & venditione seruari æqualitatem inter pretium & rem venditam, ita & in hoc contractu debet necessario, inter res quæ commutantur, æqualitas esse, vt docet Nauarrus loco citato numer. 13. multorumque testimoniis confirmat, quæ in re adeò aperta consulto prætermitto: constat enim satis, ad æqualitatem iustitię commutatiuæ illud omnino desiderari ne vnus plus habeat, vel alius minus, quã debet vnusquisque cõtrahentiũ habere: haberet autem vnus magis alius vero minus quam deberent, si in commutatione tam rerum quã pecuniarum inæqualitas aliqua reperiretur. Quod autem aliquando campsor pecuniæ aliquod lucrum recipiat, non prouenit illud ex contractu ipso commutationis, sed aliunde, ex aliqua nimirum conditione, pacto, vel circunstantia, quæ iuxta ea quæ inferius dicemus miscetur illi. Ex præcedenti conditione sequitur secunda; Vt sicut in emptione, & venditione debet venditor, rei quam vendit defectus, propter quos illa minus valet indicare, & illam vt vere suam tradere, ac cum ea deuictione illam vendere, vt si alienam esse apparuerit, restituat pretium, ita in commutatione maxime rerum tenetur vterque contrahentium ad indicandos rei quam alteri tradit defectus, & manere deuinctus ad restituendum acceptum, si quando illa aliena esse deprehendatur: aliter enim esset maxima inæqualitas, vbi quis rem sanam, & vere suam traderet, cuius loco deffectuosam, vel alienam reciperet. Denique seruanda sunt ea, quæ docuimus ad iustam emptionem, & venditionem requiri quæst. 77. artic. 1.

Exigunt etiam nonnulli ad iustum Cambium & commutationem, vt ambę res quæ permutãdæ sunt actu & re ipsa iam existãt, quę conditio an necessaria sit? inferius explicabitur.

Ex his constat quid proprie sit Cambium, de quo hic agimus, & quid ars campsoria: Differũt enim vt actus & habitus: Cambium est actus ille, quo vna pecunia pro alia absenti, vel presenti commutatur: Ars verò campsoria est peritia, siue industria negotiandi in permutationibus numismatum. Vbi industria negotiandi, cum hæc ars sit habitus, est velut genus, reliqua vero obtinent vicem differentiæ: Sumitur enim in habitibus differentia ab actu, & materia, seu obiecto: Et ita in hac diffinitione Artis campsoriæ collocatur numisma, seu pecunia, quę est materia, & obiectum circa quod versatur hæc Ars, & commutare, qui est proprius actus illius.

(?)

ARTICVLVS SECVNDVS.

AN HAEC ARS CAMPSOria sit licita & honesta?

CAIETANVS in opusculo de Cābiis cap. 2. refert Hostiens. in Sūma. titul. De Vsuris. D. Antoni. 2. & 3. p. & alios viros peritos sui tēporis absolute damnasse hanc artem vt illicitam, & vsurariam: quibus videtur subscribere ex recentioribus vir eruditus Mercatus in suo lib. de contract. libr. 4. c. 1. Noster quoq; Fabianus à Ianua in suo Tractat. de Cābiis p. 2. c. 7. recenset Iurisperitum quendam Ianuensem magni nominis illam omnino improbasse.

Ducuntur vero huiusmodi DD. in hanc sententiam his potissime rationibus. Primo, authoritate Aristotelis qui 5. Polit. capit. 6. & 7. illam damnat velut naturę, & rectæ rationi repugnantem. Vnde licet ex ipso ita argumentari. Ars quæ contra naturā rerum est excogitata, turpis est & iniqua, sed hæc Numularia est huiusmodi, ergo. Maior certa est, quia ars non destruit naturam, nec pugnat cum ea, quin potius illam immitatur, & perficit. Minor probatur, quia pecunia natura sua sterilis est, nec parit pecuniam, at per Numulariam parit pecuniam. Tum etiam, pecunia non est inuenta vt sit pretium sui ipsius, sed aliarum tantum rerum quę venduntur, in Numularia vero contra omnino res habet, cum in ea pecunia sit pretium sui ipsius, & non aliarum rerum.

Secundo, Contractus omnis, vel reducitur ad emptionem & venditionem, vel ad mutuum, vel ad locationem, vel ad aliquam commutationem, Cambium est quidam contractus, ergo reducendus necessario ad aliquem ex his: dimitto hic donationem, quia donatio est contractus simplex, in quo aliquid alteri simpliciter datur nulla alia re accepta, Cambium vero est contractus mutuus in quo aliquid pro alio datur vt ait Conradus q. 98. ex illis vero positis imprimis ad venditionem reduci non potest, vt ex artic. præcedenti constat, quia vēditio est commutatio alicuius rei pro pecunia, in Cambio autem non commutatur nisi pecunia pro pecunia: Et casu quo posset ad illam, reduci esset iniusta, cum 100. scuta non valeant nisi 100. scuta, in Cambio autem campsor dans Valentiæ 100. recipiet Metinæ 106. Quod si reducatur ad mutuum, ad quod iudicant authores hi reduci, quia in hoc contractu confertur pecunia cum translatione dominij, & obligatione restituendi eandem, vel æquiualentem, quod est proprium mutui, ea ratione est contractus omnino iniquus: quia in mutuo non licet recipere aliquid vltra sortem, cāpsor vero recipit aliquid vltra sortem. Ad locationem quoque reduci non potest, quia in locatione restituēda, est res eadem numero, quod non est in Cambio. Si vero ad cōmutationem, aut commutatur vna pecunia pro alia æquiualenti, aut non, si pro alia ęquiualenti inutilis est talis commutatio in pecunia eiusdem generis, vt fit in Cābiis: si pro pecunia non ęquiualenti est iniquitas, quia in omni commutatione alicuius rei cum alia, seruanda est necessario ęqualitas inter ipsas.

Tertio, Ex D. Thoma, & omnibus Doctoribus mercatura propterea licita est, quia quamuis intendat lucrum, intendit etiam prouisioni Reipublicę adductis mercibus necessariis, adeò, vt si solis lucris intenderet esset damnada, quasi actus solius cupiditatis, & auaritię, & nullius veræ honestatis, sed ars campsoria solis intendit lucris, neque vllas merces adducit in Rempublicam, neque aliud pręstat quam consumere bona ciuium, vnde est solius auaritiæ, & cupiditatis, & consequenter illicita.

Quarto, Christus æquissimus iudex nullum punit pro re licita & honesta, at *seuerissime eiecit a templo emētes & vendētes, & mensas numulariorū euertit*, indicans quāto odio prosequatur symoniā simulq; numulariorum mensas euertit, insinuās quā exossa sit ipsi ars cāpsoria & numularia, ergo nō est licita & honesta: sed contra prohibita potius & iniqua: iniquū enim omnino cēsendū est quidquid Deus exosū habet. Sapiētiæ 14. *Similiter odio sūt Deo impius, & impietas eius.* Psalm. 5. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem, &c.*

Quinto, (quod est argumentū Mercati) Ars constituens hominem in probabili, & proximo periculo peccandi iniqua est, & exercens illam in statu est damnationis, campsoria constituit hominem in tali periculo: Probo: In moralibus nō est iudicandum de rebus secundum ea quæ simpliciter possunt fieri, sed secundum ea quę communiter eueniant: potest homo solus manere cum

cum meretrice nec cũ illa fornicari, at quia manens solus cum meretrice communiter fornicatur, manere solum cum illa est exponere se ipsum periculo proximo & probabili peccandi, & eo ipso peccatum mortale: Ita quamuis cambium simpliciter & à parte rei possit recte fieri, communiter tamen illud exercentes propter incentiuum auaritiæ, & cupiditatis, quod in se pecunia continet, & aptitudinem ad captanda lucra per fas & nefas, miscent illi mille vsuras & iniquitates, sunt ergo in probabili & proximo periculo peccandi & fœnerandi. Et ex consequenti in statu peccati & damnationis.

Sexto, Finis pecuniæ non est vt sistat homo in pecunijs, hoc enim est proprium auaritiæ quę est peccatum mortale, sed vt pecunijs suæ familiæ & Reipub. prouideat necessaria, at qui exercet artem campsoriã, non habet alium finem quam percipere lucrum ex illa, & augere pecuniam, ergo,

Deniq; argumentatur Iurisperitus ille Ianuensis. Cambium non potest contractus iustus censeri nisi hac sola ratione, quia cãpsor dans. v. g. Ianuę 63. vel 64. solidos, vt recipiat deinde Lugduni scutum vnum de Marcha, quod valet 67. solidos & 4. denarios, emit pecunia data Ianuę scutum illud recipiendum Lugduni: Hic autem contractus est iniquus, ergo negotiatio siue ars cãpsoria iniqua etiam est. Maiorem sumsit vt certam, existimans cambium esse veram & realem emptionem pecuniæ absentis alterius sortis, Minorem verò probat tribus mediis. Primo, quia campsor dãs prius Ianuæ 63. vel 64. solidos recepturus postea Lugduni 67. perinde se habet, ac si solutione anticipata emeret minori pretio rem maioris pretij alio tempore recipiẽdam, quod est iniquum. Secundo, quia lucrum illud quod recipit campsor dans 63. & recipiens 67. non recipit propter distantiam loci, sed propter solam distantiam temporis: quanto enim nundinæ propinquiores sunt, campsores plus tribuunt accipiẽtibus pecunias ab ipsis, minusq; lucri sibi comparãt, quod est certissimo argumento, propter dilationem temporis illud recipi, non propter distantiam loci, quę in quocũq; tempore est eadem, recipere autem aliquid propter distantiam temporis vsurarium est. Tertio, quia licet campsor dans Ianuæ 63. vel 64. solidos fingat se emere ab illo, cui pecuniã confert, scutum vnum de marcha recipiendũ Lugduni, re vera tamen nihil tale emit, sed solos 67. solidos eiusdem generis, quia Lugduni non confertur ei aliquod scutum de marcha, neq; talis pecunia existit in rerũ natura, sed solum æstimatio eius in 44 solidis Turonensibus, quæ ęstimatio ab ipsismet mercatoribus conficta est, & vocatur scutum de marcha, estq; eadem tã Lugduni quã Ianuę. Quo fit vt qui dedit Ianuę 63. vel 64. solidos, recipiat deinde per secundas litteras ad se remissas in eadem pecunia quam contulit 67. solidos & quatuor denarios, qui tam Ianuę quam Lugduni valent illios 44. solidos Turonẽses, qui nomine conficto dicuntur scutum de marcha, & ex consequenti in eodem loco in quo dedit 63. solidos, recipit 67. habetq; lucrum istud ex sola temporis dilatione, quod est vsurariũ. Ita concludit hunc contractum esse vere mutuum sub nomine cambij, confictũq; à cupiditate humana ad simulandas vsuras, quæ adeo prohibitæ sunt.

Oppositam omnino sententiam habent alij DD. grauissimi, asserentes illam absolute & simpliciter esse licitam, non minus quam sint reliquę artes quibus indigent ciues in Repub. Ita ex Iurisperitis Glosa in Authent. de fideiussor. §. Argentarios. Baldus & Salice. l. 2. Cod. Si aduersus rem iudica. & in. l. 3. Cod. De exerc. Ioan. Anania in cap. finali. De vsuris. ex Theologis Conradus q. 98. conclu. 2. Rosella. 6. §. 6. Angelus verbo vsura. Primo. nu. 52. & ibidẽ optimus Angeli Scholiastes Iacobus Vngarellus. Nauar. in cap. Nauiganti. De vsuris. num. 11. in fine vbi adducit D. Thom. in eandem sententiam, & alii non pauci.

Probatur hæc pars à Conrado q. 99. cõclu. 4. Commutatio pecuniarum est necessaria in Repub. sicut quæcunque alia negotiatio, & secundum se nõ est mala, nisi a campsoribus vitietur, sicut quæuis alia negotiario, ergo licita. Maior patet experientia, quia omnis cõmutatio pecuniarum aut est commutatio pecuniæ maioris valoris in pecuniam minoris valoris, quam ex dictis constat esse necessariam ad res emendas, cum non quęuis pecunia sit ęquiualens & adæquatum pretium cuique rei: Aut est cõmutatio pecunię presẽtis pro absenti, sine qua vniuersorum mercatorum, etiam timentiũ Deum consensu, & experiẽtia ipsa teste cõstat non posse negotia exerceri: quod infra magis explicabitur. Probatur iam minor. Accipere lucrum, quod iuste debetur laboribus, & expensis quas artifex facit in sua arte, secũdum se malum nõ est, nisi aliunde vitietur: hoc autem prestat ars campsoria

ſecundum ſe ſumpta docet enim & indicat quod lucrum debeat campſor recipere pro laboribus, & expenſis, quas facit in vera, & reali commutatione pecuniarum, ergo.

Secundo, quo argumento vtitur Iacobus Vngarellus. Si hæc ars eſſet illicita, hoc certe nomine, quia pecunia, quę datur à campſore, eſſet velut mutuata alteri, accipiretq; campſor lucrum illud ex mutuo, quod eſt vſura: ſed Cambium non eſt mutuum. Probo in mutuo, mutuās dat prius pecuniam & recipit deinde lucrum, mutuatarius contra accipit ipſe pecuniam & reddit lucrum, at in Cambio multoties campſor nō dat prius pecuniam, ſed contra recipit illam, quam deinde reſtituit in alio loco. Vt cū volo ire Romam, noloq; pecuniam meam mecū deferre propter varia pericula itineris, trado illam Valētię, campſori, qui per litteras Romæ illam mihi reddi faciat: In hoc caſu nō accipit pecuniam qui confert lucrum, ſed prius illam dedit. Secundo, in mutuo periculum omne ſubit mutuatarius, quia accipit rem mutuatam vt ſuam, in Cābio vero omne periculum manet campſori, veluti ſi correſponſalis eius non perſoluat litteras ei à quo campſor ipſe prius pecuniam accepit. Tertio, in mutuo redditur res eiuſdem ſpeciei, triticum pro tritico, in Cambio res alterius ſpeciei, vt pecunia argentea pro aurea. Quarto, licet (vt vidimus) extra omnem labem vſuræ danti pecuniam aliquod lucrū conferre ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis, ſed campſori ceſſat lucrū quod poſſet habere ex ſua pecunia, offeruntque ſeſe illi varia pericula, labores, & expenſæ in vtilitatem accipientis illam, ergo licet illi per hanc artem lucrum recipere: Hac etiā ratione vtitur Archidia. in capit. 1. 14. quæſt. 3.

Alij vero ex Theologis vt Fabian. in tractatu citato de Cambiis p. 2. c. 1. Caietanus in Opuſculo illo c. 5. Soto lib. 6. de Iuſt. q. 8. art. 1. Magiſter Cano & alij recentiores in lectura huius art. ab vtraque harum opinionum diſſentiunt, affirmantes campſoriā non eſſe abſolute damnandam velut illicitam, neque ſimpliciter eſſe probandam, vt abſolute & omnino licitam. Prius illud docent. Primo, quia eſſet damnare contractum ſine quo Reſpub. nullo modo poteſt permanere, ſed oporteret omnino ceſſare vniuerſa fere omnium mercatorum cómercia: quę eſt prima ratio ſecundæ opinionis, repugnaret autem diuinæ prouidentię, vt ars adeo neceſſaria Reipub. eſſet abſolute & omnino illicita. Quod enim ait Mercatus reſpondens huic argumento, meretricium quoque eſſe neceſſarium in Repub. nec propterea eſſe licitum, nō valet: Quia duobus modis dicitur aliquid, neceſſarium, vel abſolute & ſimpliciter ad victum humanum, vel ſecundum quid, tanquam minus malū, ad vitandum aliud maius: Quod hoc ſecundo modo neceſſarium eſt, malum eſt, ſed ferendum ad vitandum maius, & hoc modo eſt neceſſarium meretricium, ne tota Rep. libidinibus ardeat: at quod eſt neceſſarium priori modo, nempe abſolute & ſimpliciter ad vitam humanā, non poteſt eſſe abſolute illicitum, quin ſimul damnemus diuinā prouidentiam, quæ rem abſolute & ſimpliciter mala voluit omnino victui humano eſſe neceſſariam.

Secundo, quod ab omnibus in vniuerſum Prouinciis & Nationibus eſt receptū, & quaſi iuregentium introductum, non eſt cēſendū ex ſuo genere iniquū: in omnibus autem Regnis & Prouinciis, & vbiq; terrarum exercetur hęc ars campſoria, tanquam omnino neceſſaria Reip. & hominum commerciis.

Tertio, Si hæc ars Campſoria ſimpliciter, & omnino eſſet iniqua, prohibuiſſent profecto illam Summi Pontifices in ſuis decretalibus, ſicut videmus prohibuiſſe vſuras, & alios contractus illicitos, at nihil tale vidimus circa Cābia: Imo Pius V. in ſua Bulla de Cambiis ſolum damnat Cambia, quæ dicuntur Sicca, alia vero quæ vera ac realia ſunt, explicat qua ratione debeant fieri, vt iuſte fiant. Qui certe Pontifex cum vtilitatis conſcientiarum fuerit ſtudioſiſsimus, ſi ars Campſoria eſſet iniqua, abſolute & omnino illam damnaſſet, & omnia Cambia in vniuerſum prohibuiſſet.

Alteram partem, nempe Campſoriam nō eſſe ſimpliciter & omnino licitam & honeſtam, ſicut ſunt aliæ artes, quæ in Repub. exercentur, oſtēdunt. Nam imprimis Campſoria male apud omnes audit, quod nō eſt de aliis artibus. Secundo, Campſoria, quod negari non poteſt, experientia teſte cōtinet in ſe maxima pericula fœnerandi, quibus periculis non ſunt ita expoſiti alij artifices. Tertio, licet dans pecuniam poſsit recipere aliquid vltra ſortem ratione lucri ceſſantis. Id tamen poteſt rogatus à mutuatario, & extrahens pecuniam ſuam à negotio, cui iam habebat illam paratam vt ſuperius vidimus, at campſores non habēt ſuas pecunias paratas aliis negotiis, ſed huic tātum, quod optime

optime obseruauit Caietanus cap. 3. Vnde fatendum est non esse absolute & simpliciter cēsendam honestam, sed cum distinctione iudicandum esse de illa.

Ad intelligentiam ergo huius tertiæ opinionis, quam amplectendam censemus, reuocandum est in memoriam quod docuimus primo tomo q.63. āgentes de pluralitate beneficiorum & q.77.ar.4. quatuor esse genera rerum: Primū earum, quæ sunt omnino & intrinsecę bonę, vt diligere Deum. Secundum earum quæ sunt omnino & intrinsecę male, vt mentiri. Tertium, earum quæ sunt indiferentes. Quartum & vltimum, earum quę habēt quidem speciē mali, & turpitudinis, possunt autem ex circunstantia honestari, vt occisio hominis, quæ primo aspectu speciem habet mali, at ex circunstantia potest recte fieri, vt cum occiditur sicarius ex sententia iudicis, vel aggressor cum debito moderamine.

Obseruemus secundo, ex Aristot. loco citato & omnibus DD. qui illud ab Aristo. acceperunt, duplicē esse vsum pecunię, aliū per se, & formaliter, quatenus pecunia est, signataq; publico sigillo: alium per accidēs & materialiter, quatenus confecta est ex auro, argento, vel ære: Qui vsus per accidēs multiplex etiam est, pecunia enim aurea tot habet vsus per accidens, quot ex aureo, vt aurum est, haberi possunt. Est namq; vtilis sub ea ratione ad deaurandum, ad ostentationem, ad ornamenta mulierum, vt exhibeatur in pignus: quorum vsuum meminit hic D. Thom. q.78. artic. 4. valet etiam ad exhilarandum cor, & ad nonnulla medicamenta vt ait idem D.Thom. q.77.ar. 2. ad 1. eodem modo res habet in pecunijs argēteis, vel æreis, tot enim possunt habere vsus materialiter & per accidēs, quot sunt vtilitates quæ ex illarum materia, quatenus talis est, haberi possunt. Vsus autem pecuniæ per se & formaliter, quatenus pecunia est, est duplex quidam primarius, alius secundarius: Per se & primarius est, vt sit pretiū omnium rerum venaliū: dicitur per se, quia conuenit illi formaliter & quatenus pecunia est, dicitur primarius, quia in hunc finem fuit primo & potissime inuentum numisma, vt illo res necessariæ emantur. Vsus vero per se & secundarius est, vt commutetur vnum numisma pro alio, dicitur perse, quia conuenit etiam hic vsus pecuniæ formaliter & quatenus pecunia est, non enim commutatur vt aurum, velut argentum, sed vt pecunia: est autem secundarius, quia pecunia non fuit primo & potissime inuenta vt in aliam pecuniam commutaretur, sed vt esset pretiū aliarū rerū, necessitate vero exigente, quia non quæuis pecunia est adequatum pretiū cuiusque rei, oportuit quoque vnam pro alia commutare, & in hunc quoque vsum illam conuertere. Quemadmodū (vt inquit Aristo.) calcei duplex est vsus perse & formaliter, non qua corium est, sed qua calceus est. Primarius incalceatio, & obsequium quod prestat pedibus, cum in hūc finem primo & potissime fuerit inuentus calceus, & ars sutoris, secundarius verò & perse quoq; commutatio calcei in pecuniā seu pretium, nimiriū vt vendatur, habeatq; per illum sutor pecunias, quibus sibi conparet ea quibus indiget: Conuenit autem hic vsus calceo perse, quia non venditur à sutore vt corium, sed vt calceus, secundario verò, quia non fuit primo & potissime inuentus calceus in hunc vsum, sed necessitate & recta ratione exigente oportuit, vt sutores calceos venderent, quò sibi pecunias compararent ad alias res habendas, vel dicitur secundarius, quia in hoc vsu iam cadit calceus ab illo primario & potissimo; simili ratione oportuit pecuniā habere illos duos vsus quos diximus, primarium, & secundarium, & vtrumque per se.

Obseruemus vltimo, hunc vsum secundarium pecuniæ tria habere. Primo, vt sit maxime necessarius Reip. etenim si loquamur de commutatione pecuniæ vnius valoris in pecuniā alterius valoris, experientia teste non possent res commode, imo neque vlla fere ratione haberi, vel emi, eo sublato: si vero loquatur đ cōmutatione pecunię vnius loci in pecuniā alterius loci, tollūtur & destruūtur omnia cōmercia, & negotia, quibus maxime indiget Respub. tali commutatione sublata. Experiētia enim teste cū magna copia pecuniarum non possit commode duci ex vno loco in alium, vel ob pericula itinerū, vel quia prohibuit Princeps transferri pecunias è suo Regno in alia, vel quia pecunia vnius Regni est minoris valoris in alio, aut forsan nullius, essetq; magnum damnuū eo illam traducere, exigitur necessario commutatio pecuniæ presentis pro absenti per litteras. v. g. propter huiusmodi causas ituris Romam opus est, vt pecunia, quam habent Valentię, collata alicui Campsori reddatur Romæ. Mercatores ducturi è Flandria, Sicula, aliisque distantibus locis triticum, linea, metalla, aliasque merces reddant hic pecunias suas, vt confe-

ran-

rantur suis ministris existentibus in locis vnde merces illæ ducendæ sunt. Et in hac parte omnes conueniunt.

Habet secundo iste vsus secundarius pecuniæ, quod sequitur ex primo, vt sit licitus, etenim cum Deus sit *Sapientia attingens à fine vsque ad finem, & disponens omnia suauiter,* nullam rem illicitam fecit hominibus necessariam, imo nociuam: non enim recte ac sapienter prouidisset humano generi, & victui, si ea quę simpliciter & omnino sunt Rebuspublicis necessaria, esset illicita. Vnde cum hic vsus secundus sit adeo necessarius, eo ipso est licitus. Et confirmatur exẽplo adducto ab Aristotele. In aliis rebus vsus secundarius vt commutatio calcei pro pecunia non est illicitus, aliter essent damnandi omnes artifices mechanici, quorum artes non solum habent vsum primariũ, qui est conficere vestes & alia necessaria hominibus, verumetiam & secundarium, quo artifices earum, rebus illis venditis, valent parare sibi pecunias, ad res sibi suæque familiæ necessarias habendas. Hoc ergo ipsum concedendum est in pecunia, cum eodẽ modo sese habeant in ipsa isti duo vsus primarius & secundarius sicut & in aliis rebus.

Habet tertio hic vsus secundarius, maxime in commutatione pecuniæ presentis pro absenti ratione loci, (in qua lucrum aliquod Campsori confertur,) vt sit conscientiis hominum periculosissimus: Primo, quia cum in Cambio non commutentur pecuniæ pro rebus, nec per illud afferantur aliquæ merces, sed solum tractetur pecunia, exerceaturque solius lucri gratia, habet hic contractus ex vna parte, vt maxime alliciat ad excogitandas varias artes, & formas lucrandi, etsi iniquas, quia pecunia est incentiuum cupiditatis, *Crescit enim amor nummi*, &c. *Nescitque lucrum vnquam habere modum.* habet autem ex alia, vt varios illos lucrandi modos etsi iniquos facile possit reducere in praxim & actum, cum per hanc artem solum tractentur pecunię, quibus indigentes solent temere ac sine vllo delectu quoscunque contractus admittere, modo recipiant pecunias quibus egent: Vbi autem incentiuum & cupiditas querendi quoscunque modos lucrandi, & facilitas reducendi illos in actum iuncta existunt, quam vrgens obsecro periculum est? Etenim vt habet Hispanũ Prouerbiũ, *En arca abierta el iusto peca.* Secũdo extrahit hęc ars pecuniã à suo primario vsu, quod apud omnes male audit, adeò vt voce populi, (quæ vox Dei dicitur,) cãpsor idem sit quod iniquus negotiator. Tertio, Cũ in aliis negotiis tot laboribus & periculis subiiciatur, expectandaque sint longiora tempora, non ita facile mercatores illis incumbunt, propterquod lucra, quæ per illa acquirũtur, iustiora videntur: in arte vero Campsoria habetur lucrum multo breuiori tempore, quarto quoque mense, & minori labore, domi suæ *a pierna tendida* negotiatur Campsor: quo fit, vt minus incumbãt mercatores prouidẽ dę Reip. & crescat in Campsore lucri cupiditas, videatur hoc lucrum minus iustum. Quarto alij contractus & negotia, aut sunt vere commutationes vnius mercis pro alia, aut emptiones & venditiones, qua ratione accedunt parum ad contractum mutui, & consequenter lucrum in illis, nec nascitur ex mutuo, nec habet suspicionẽ vsuræ; Ars vero Campsoria, cum actus eius sit dare pecuniam, & eandem, vel similem recipere cũ lucro, accedit maxime ad rationem mutui, & lucrum quod per illam acquiritur, habet maximam speciem vsuræ.

Ex his fit opinionem Caietani, Soti, & aliorum recentiorum esse verissimam. Sit ergo conclusio.

Ars Campsoria per se & nude sumpta pertinet ad illud quartũ genus rerum, quas proposuimus in prima obseruatione, ita vt habeat speciem mali & turpitudinis, possit autem ex fine & circunstantiis honestari.

Priorem partem huius conclusionis ostẽdunt argumenta primę opinionis: hoc enim tantum concludunt, esse maxime suspectã, & continere in se multum periculi, grauemque occasionem exercendi varias vsuras & iniquitates, propter quod habet speciem mali. Confirmaturque ex dictis in vltima obseruatione: hæc enim omnia speciem mali habent, versari circa solas pecunias, nec intendere alicui merci afferendę in vtilitatem Reipubicæ, extrahere pecuniam a suo primario vsu solius lucri gratia, solumque lucrum captare, & similia quæ hoc genus negotij communiter commitantur.

Secundo, Negotiatio & mercatura (vt vidimus q. 77. art. 4.) propter pericula quę in ipsa quoq; reperiuntur, habet speciem mali, sed ars Campsoris est quędam species negotiationis, maiora magisque vigentia pericula continens quam alię species mercaturæ, ergo habet speciem mali.

Denique quod ex cupiditate & auaritia potius quam ex alio fine videtur ortum, vel frequẽter exerceri, speciem habet mali, huiusmo-

huiusmodi autem est ars Campsoria, ergo.

Probatur altera pars argumentis secundæ opinionis. Et confirmatur. Primo. Actio necessaria Reipub. & quę non est intrinsecè mala, si fiat ob honestum finem & cũ debitis circunstantiis, potest ex illis honestari, Cambium est res necessaria Reipub. vt constat ex 3. obseruatione, nec intrinsecè mala, quia alias non recte Deus prouidisset generi humano, potestq; fieri propter honestum finem, ad habendum scilicet ex pecuniis lucrum, quo familia honeste alatur, & cum debitis circunstãtijs, nempe ita vt cambium non sit mutuum simulatum & fictum, sed verum & reale cambium, & in quo non accipiatur lucrum nisi moderatũ, & quod arbitrio prudentum iudicabitur iustum & commensuratum laboribus, & industrijs, & expensis Campsoris, ergo potest ex fine & circunstantijs honestari.

Secundo ars Campsoria nihil aliud est quam vsus pecuniæ per se & secundarius redactus in praxim, & opus: sed vsus iste seruatis debitis circũstãtijs (vt constat) est licitus, ergo & ars Campsoria potest licite exerceri, & ex circunstantijs honestari. Et confirmatur: In alijs rebus possunt fieri cõmutationes cum aliquo honesto lucro, ergo & in pecunijs. Probo consequentiam, quia sicut possunt alię res commutari inter se vt calceus pro pecunia, quamuis primarius vsus calcei non sit venditio ipsius, sed incalceatio, quia sufficit vt secundarius ille vsus sit necessarius vel vtilis primario, id est vt vendatur ad incalceandum, similiter igitur possunt pecuniæ commutari inter se, licet primarius vsus ipsarum non sit vt cõmutetur, sed vt sint pretium aliarũ rerum, cum nec exerceri alij contractus & cõmercia possint, nec res emi ac vendi sine commutationibus pecuniarum: per cambia namque, habent mercatores pecunias in locis, quibus illis indigent ad emendas merces in Rempub. suam asportandas.

Tertio, hæc ars eo potissime apparet turpis & illicita, quia continet in se maxima pericula exercendi vsuras, & alias iniquitates sub colore cambij, at si Campsor (quod recte potest, & debet,) firmiter apud se statuat, & obseruet Primo non exercere cambia nisi vera tantum, & realia, & cum lucro moderato, Secundo, vbi aliquod dubium vel scrupulus se obtulerit cõsulere peritos, & timoratos, Tertio, quecunq; lucra amittere, ac quecunque damna subire potius, quam iniuste aliquid agere, sicut dicebamus de negotiatore, sufficiẽter occurrit his peiculis, ergo potest hæc ars ex fine & circunstantijs honestari, sicut conuersari cum mulieribus, vel incumbere ludis periculosum est, at si quis firmiter statuat, & ita obseruet, non conuersari nec ludere nisi moderate, & cum debitis circunstantijs, non est in proximo periculo peccãdi, neque in statu peccati.

Denique, (qua ratione vtũtur authores secũdę opinionis): Quia hęc ars eo certe nomine censenda esset illicita, quia in ea videatur includi mutuũ, & ratione illius mutui recipi aliquid vltra sortem: Sed in Cãbio vero & reali, quod dicemus licite fieri, nullum est mutuum, neque ex parte Campsoris, neque ex parte recipientis, nec recipitur aliquid ratione mutui, ergo non est absolute iniqua & illicita. Probatur minor. Imprimis in Cambio vero & reali non est aliquod mutuum ex parte recipientis, cum ipse recipiat pecuniam illam alibi per verã commutationem in loco distanti redditurus: neq; ex parte Campsoris, quia sępe ipsi Campsori, vt diximus datur pecunia Valẽtię, vt faciat illam reddi Romæ, quod est contra rationem mutuatarij, qui prius recipit pecuniam illam, deinde redditurus.

Nunc ad argumenta in oppositum.

Ad argumenta primę opinionis. Ad primum respondeo, artem Campsoriam non destruere naturam pecuniæ: Nam quod primo obiicitur, *Pecuniam non parere pecuniam* non repugnat arti campsorię, lucrum enim quod Campsor recipit in Cãbio, quod dicemus esse iustum, non recipitur ratione pecunię, sed vel ratione laborũ, industriarũ, & expensarum campsoris, & tamquam in stipendium illius, vel ratione diuersæ æstimationis quam habent pecuniæ, quæ commutantur in diuersis locis.

Quod secundo dicunt, pecunia natura sua solum esse pretium aliarum rerũ, minime vero sui ipsius: Respondeo ex humana cõsuetudine, & institutione habere iam pecuniam vtrumq; vsum, & illum primariũ, quo est rerum venalium pretium, & hunc secundarium, vt commutetur ratione diuersi valoris, vel loci, qui vsus illi non repugnat, sicut nec aliis rebus: Campsoria autẽ nihil aliud est quam secundarius vsus pecuniæ redactus in opus.

Ad secundum Respondeo, non esse mutuum vt constat. Quod si quæras quis ergo contractus est? Respondeo ex dictis, vel esse contractum innominatum, qui potest

expli

explicari per voces illas *do vt des*: vel esse quod nomen ipsum sonat, nẽpe cõmutationem pecuniariã. Vidimus enim primo art. huius quęstionis triplici cõmutatione progressu temporis homines vsos esse, quarum vna est Cambium de quo hic loquimur: & constabit magis inferius, vbi ostendemus esse veram & realem pecuniarum inter se cõmutationem. q.4. art.2. Et cum vrges, aut cõmutatur in eo vna pecunia cũ alia æquali, aut cum inæquali? Respondeo semper fieri commutationem cum ęquiualenti pecunia, seruariq; inter ipsas æqualitatem, licet aliquid vlterius à Campsore recipiatur, vt inferius ostendemus agentes de pretio pecuniæ quæ cambitur.

Ad tertium dico, sicut eo loco docet D. Thom. de mercatore, Campsorem exercentem hanc artem ob solum lucrum, ita vt constituat vltimum finem in lucro, statuẽs quacũque via illud acquirere per fas vel nefas, esse in statu peccati mortalis, imo & quemcunque mercatorem & artificem qui similiter appteret lucrum, quamtumuis prouideret Reipub. illum verò Campsorem qui appetit quidem lucrum, non tamen constituit illud sibi vltimum finem, sed appetit illud salua iustitia, & obseruantia legis diuinæ, non esse in tali statu, nec peccare, quia licet appetere lucra iusta ob aliquem honestum finem: Nã & omnes artifices propterea exerceant opera suæ artis, vt honeste se suamq; familiam alere valeant.

Ad quartum respondeo, Christum illos eiecisse, ac flagelasse, partim vt ostenderet negotia illa in eo loco non decere, quã causam ipsemet insinuauit subiungens: *Domus mea domus orationis est*, &c. partim verò, quia illa exercebãtur ex sola auaritia sacerdotum, & non ob aliquem honestum finẽ. Quod autẽ spectat ad numularios, quia cãbiebãt & cum hominibus locorũ vicinorum, qui contractus mutui potius vsurarij erant, quam Cambia: Cambia enim ad loca vicina eiusdem Regni censentur iniqua vt videbimus.

Ad quintum respondeo, duplex esse periculum in quo aliquis se ipsum constituit, aliud quod experientia teste superat vires hu humanas, prudentiamq; & constantiam humanam, etiam si quis firmissime apud se statuat positus in illo non peccare, quale est periculum cui se exponit manens solus cum meretrice, & tali periculo se exponens quãtumuis firmissime statuat nõ fornicari, peccat mortaliter. Aliud verò est, quod potest quis superare per firmum propositum non peccandi, vt in ludo, taleq; est periculum Campsoriæ: Quamuis enim hęc ars maxime periculosa sit, at si Campsor sicut & alij mercatores firmiter statuat exercere sola Cambia realia, & licita, ita vt vbi aliqua fuerit dubitatio, nihil aget sine consilio Peritorũ, ac timentium Deum, per huiusmodi propositum ita firmũ superat pericula huius artis, nec existit in statu peccati.

Vltimum solutum manet ex modo dictis in solutione tertij. Affirmamus namq; Cãpsorem constituentem vltimum finem in solis lucris, & pecuniis existere in statu damnationis, quod cęteris mercatoribus, imo & omnibus aliis artificibus, omnibusq; hominibus conuenit: at qui vult pecunias & lucra seruata æquitate ad alendam familiam, aliumve finem honestum, quod potest Campsor sibi proponere, honeste agit.

Denique vt argumenta Iurisperiti illius Ianuensis diluamus, reuocare oportet in memoriam quæ superius diximus, hunc cõtractum Cambij, neque mutuum esse, neq; emptionem pecunię, in quo plurimum ille decipiebatur: sed veram commutationem vnius pecuniæ pro alia, veluti præsentis pro absenti secundum veram distantiam loci. Quo posito tanquam certo fundamento, & in quo consistit tota iustitia, & ęquitas huius contractus, vt inferius docebimus, Respondeo ad argumenta illius. Ad primum, conferentem Ianuæ 63. vel 64. solidos redditurũ Lugduni scutum de Marcha, quod valet 67. non recipere illum excessum & lucrum 3. vel 4. solidorum, propter aliquã anticipatam solutionem, sed, vel quia (vt ait noster Fabianus) pecunia illa vere absens loco, ad quam deferendam è Lugduno in Ianuam sunt varij subeundi labores, & pericula, propter quæ minus valet quã presens Ianuæ, dignusq; fuit Campsor illo lucro, tanquam stipendio huius operæ quã præstitit Campsuario, traducendi illi pecuniam suam & scutum è Lugduno in Ianuam, vbi illa indigebat. Constitut enim F. Fabianus naturam Cambij realis in eo, quod est Cãpsorẽ per litteras suas esse velut delatorem pecuniæ ex loco, in quo illam habet Campsuarius, ad locum in quo illa eget, illique confertur. Vel recipit excessum illum iuxta ea quæ inferius dicemus, propter diuersam æstimationem quam habent pecuniæ in diuersis locis. Vbi enim illæ abundant minus æstimantur quam vbi pauciores existunt, sicut & aliæ merces: qua ratione 63. vel 64. solidi

solidi Ianuæ eandem habent ęstimationem quam 67. Lugduni, propter maiorem pecuniarum abundantiam quę in Nundinis solet Lugduni reperiri.

Ad secundum respondeo, quo nundinæ propinquiores sunt, recipi pecuniam à Cãpsoribus cum minori interesse, nõ propter minorem temporis moram, sed quia cum plures tunc existant, qui pecunias suas aliis tradant, minoris tunc propter abundantiã campsorum eas conferentium illę ęstimantur. Qua ratione propter minorem æstimationem, quam tunc habent, fit commutatio earum cum aliis, cum quibus cambiuntur sub minori interesse, debetq; ita fieri vt seruetur æqualitas.

Ad vltimum dico, parum aut nihil omninõ facere ad iustitiam huius contractus, reperiri actu & reuera aliquod numisma quod sit scutum de marcha tali caractere signatum, aut valorem tantum illius vbiq; in ea mensura & æstimatione receptum, cũ hic contractus non sit emptio, sed vera & realis commutatio pecuniæ vnius loci in pecuniam alterius loci seruata æqualitate valoris inter eas, iuxta valorem quem communis hominum ęstimatio vnicuique earum in tali loco tribuit. Quo fit, vt cũ tanti ęstimentur 64. solidi Ianuæ quanti 67. Lugduni, propter maiorem pecuniarum abundantiam quæ Lugduni potius quam Ianuę reperitur, consequenter siue existat tale numisma, siue non, siue tot solidos illud valeat Ianuæ, quot Lugduni, siue aliter res haberet, eo tamen ipso quo tanti ęstimantur Ianuæ 64. solidi quanti Lugduni 67. propter maiorem pecuniariam penuriam quam patitur Ianua, est iusta & æqualis huiusmodi commutatio, & Cambium.

ADMONITIO CAMPSORIBVS ET CONfessariis illorum necessaria.

QVAMVIS ex modo dictis satis perspicuum esse pôsit, quam periculosa sit mercatorum conscientiis hęc negotiatio cambiendi, rei tamen ipsius necessitate & grauitate ita exigente, cõpellor rursum, præter ea quæ proxime pręcedenti controu. diximus, tam Cãpsores ipsos quam illorum cõfessarios adhuc ad monere, intelligãt diligenter hanc artem, siue hoc negotiandi genus reuocatum ad praxim (qua ratione vt recte mercatorum conscientijs consulatur, considerandum est) duobus modis ab illis exerceri posse. Vel ita, vt præcipuus finis, & institutũ Cãpsoris sit bono communi suorum conciuium, & vtilitati quam Respub. ex huiusmodi contractu recipit, inseruire, & ea via aliqua honesta & iusta lucra habere, vnde se & suos decenter alat: Quemadmodum & cæteri artifices operibus suarum artium Reipub. & communi suorum conciuium vtilitati primum deseruientes, prospiciũt simul suæ familię: qua ratione dicitur Campsoria polytice, & æconomice exerceri. Vel ita, vt solum intendat Campsor sua priuata commoda & lucra, eligẽs potius hoc negociandi genus, quam alia, quia sic facilius ac breuius suam potest cum magnis incrementis augere pecuniam: quomodo dicitur Cãpsor, hanc artem non polytice, vel æconomice, sed auare & sola cupiditate lucri amplecti. Quo autem ex his duobus modis Campsor illi intendat, ab effectu colligendum est. Mercator enim qui bonam suarum pecuniarũ partẽ in afferendis mercibus, quibus videt Rempub. indigere, cõstituit, aliã vero in locis, vnde ille aferẽdę sunt, eo fine habet, vt illarũ pretia ibi facile reddantur. Quandoque vero vel rogatus ab amico, vel quia nõ occurrunt accommodatę mercium emptiones, per vera & realia cambia illam commutat, hic certe non tam ex auaritia vel cupiditate Cambia illa exercet, quam negotiorum quibus in vtilitatem Reipub. intendit occasione. Qui vero totam fere pecuniam

niam nulli alteri negotio Reip. vtili tradit quam Cambiis, ita vt velut in continuo quodam circulo & motu illa existat, nec vnquam illam quiescere patiatur: sed quam tradit Valentiæ recipiendam cum lucro Metinę in Nundinis Maij, cum primum ad ipsum è Metina remissa est, eandem statim eidem, vel alteri Campsuario rursum tradit recipiendam cum nouo lucro in Nundinis Octobris, & per omne tēpus sub hoc continuo circulo habet pecuniam suam in aliquo Cambio constitutam, qua ratione plerosque Campsorum, maxime eos qui potētiores sunt, se gerere videmus, adeo vt ex ipso quoque ordine Nobilium, & quod vehementer dolendum est, ex Ecclesiastico multos suas opes Campsoribus amicis ad illas per Cambia augenda tradere audiamus: hos certe nō œconomice, vel polytice, sed ex nimia cupiditate Cāpsorię incumbere perspicuum est. Exercentes ergo Campsoriam, siue mercatores sint, siue Nobiles, (nam de Ecclesiasticis aliter iudicandum censeo) per Cambia vera, & realia, & sub illis conditionibus quas dicemus seruandas vt iuste fiant, illo priori modo, & eo fine, vt primo & per se bono communi consulant, simulque sibi & suis hac via necessaria habeant, ad quod genus pertinent qui bonā suæ pecuniæ partem habent in mercibus, aliā vero in Cambiis, & propter finē quem diximus, hi profecto & tutam possunt habere conscientiam, & laude digni sunt tanquam veri Reipub. ministri, sicut & mercatores illi, qui in asportandis mercibus suis ciuibus necessariis se exercent. Qui vero sola maioris lucri cupiditate Campsorię incumbunt, pecuniam suam in continuo cambiendi illam circulo habentes, cum tanta & tam insatiabilis cupiditas augendi proprias facultates efficiatur facile auaritia illa, quæ ad vnum ex capitalibus delictis pertinet, nescio qua ratione tuti esse possint in conscientia. Certe illos absolute & omnino, modo Cambia eorum vera sint, & realia, ac iusta, non audeo damnare: video tamē de huiusmodi qui sola cupiditate ducuntur quasi de iniquis consciētiis dici Baruch. 3. Argentū fabricant & soliciti sunt, & non est finis acquisitionis eorū. Hos sua solicitudine inseruire Māmonæ cui inseruientes non posse Deo inseruire Christus Dominus testatur: quod si Deo nō inseruiunt illum necesse est habeant inimicum dicente eodem Christo: Qui non est mecum contra me est. Quod si nimis vrgere videar negari saltim non potest de his dixisse Apostolum 1. ad Timoth. 6. Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationē, & in laqueū diaboli, & desideria inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.

Quocirca de his non dubito vere docuisse Mercatum in statu maxime periculoso illos existere, eo quod tanta lucrādi cupiditate accensi in proximo & graui periculo fœnerādi, exercēdiq; varias iniquitates existūt: cui expositos eo ipso peccare clamat in Prouerbiis Spiritus Sanctus. His adductus D. Antoni. 2. p. tit. 1. c. 16. de his & similibus agens scribit: In statu damnationis sunt illi homines qui in suis negotiationibus vltimum finem ipsarum in lucro ponūt. Nec mirum cum omnē mercaturā & quācunque negotiationē, quæ sola lucri cupiditate exercetur, & cuius hic est præcipuus & potissimus negotiātis finis, damnet (vt vidimus) D. Thom. q. 77. art. 4. Vnde vt hi tuti in conscientia esse possint, admonēdi maxime sunt, vt honestum finem debitumque modum sibi proponant: quod præstabunt profecto si polytice, & œconomice, ac priori illo modo quem retulimus, suam Campsoriam profiteātur. Aliter se habentes non damno quidem, sed nec securos asseram, quos tot periculis & laqueis sua ipsorum cupiditas habet ita expositos.

Quod vero spectat ad Clericos, legantur quę superius diximus q. 77. art. 4. controuer. 4. vbi qua ratione illis negotiatio prohibeatur, vel concedatur, docuimus, maxime

xime conclu. 2. Etenim quamuis liceat quidē illis per interpositas personās honesta negotia exercere, vt suis vel pauperibus subueniant cōmodius, nulla tamen ratione conceditur eis, propter solum lucrum aliquo modo negotiari: sed exigitur maxime, quô per amicos illud possint, vt honesta tantum lucra, & honestos fines intendant. Quis verò credat Clericum in sortem domini vocatum, & cui sui redditus deesse non possunt, qui pecuniam suam augendam per Cambia mercatori tradit, honesta tantum lucra ad suos, vel pauperes iuuandos desiderare, sed cæca cupiditate, insaciabili quę bonorum temporalium auiditate teneri? Aut quis Clericum Cambiis (etsi per amicos,) intendere audiat, qui non statim horrescat, vel saltim grauiter offendatur? Certe si regula illa, qua sæpe vsi sumus, ab omnibus Doctoribus recepta, vera est, estque verissima: iniquum esse, & maxime prohibitum, quidquid prudens peritusque Iudex perspecta rei veritate damnaret, grauiterque puniret, quis dubitat quemcunque Ecclesiasticum Presulem prudentem, peritum, ac timentem Deum si quem suorum Clericorum Cambia exercentem quamuis per interpositos amicos deprehenderet, grauiter in illum animaduersurum, seuereq; puniturum.

QVAESTIO SECVNDA.

DE VARIIS GENERIBVS *Cambiorum.*

ARTICVLVS VNICVS.

QVOT SINT GENERA ET *formæ cambiendi.*

VARII sunt cambiendi modi, & variæ similiter proponuntur à Doctoribus Cambiorū species. Soto loco citato articulo 2. per varias conclusiones illud explicat. Constituit enim primo tria genera Cambij, quibus initio pręcedentis quęstionis diximus progressu temporis homines vsos esse. Deinde Cambium, de quo priuatim hic loquimur, partitur in verum, seu reale; & fictum, seu siccum. Nec hac diuisione contentus adiungit alias, quas statim ex Cayetano, & Ioanne Medina referemus. Sed tot diuisionibus opus non est, cum iam constet, de solo Cambio quo pecunia in pecuniā cōmutatur, hic haberi sermonē.

Caietanus capite. 1. opusculi de Cambiis diuidit Cambia in tria genera: Quædam (inquit) sunt aperte iusta, alia apertè iniqua, & vsuraria, alia dubia. Apertè iusta, vt cum pecunia vnius valoris commutatur in pecuniam alterius valoris seruata ęquitate: Aperte iniqua, cum commutatur pecunia presens pro alia in eodem quidem loco reuera presenti, absenti verò solo tempore: vbi accipitur lucrum ex solo mutuo. Dubia, cum commutatur pecunia presens pro absenti loco, & regno: in huiusmoi enim cambiendi modo sese offerunt omnes difficultates, quæ adeo Doctores vexant. Hæc tamen diuisio non proponit genera cambiorum, quæ hic inquirimus, sed solum quę ad iustitiam eorū pertinet, quæ deinde in singulis inquirenda sunt.

Medina & Conradus loco citato existimant in Cambio pecunię maioris pro minori reperiri solam, & simplicem commutationem pecuniæ, in Cambio verò pecunię presentis pro absenti esse quoddam mutuum, quia sicut in mutuo datur pecunia mutuatario post aliquod tempus restituenda mutuanti, ita in Cambio isto datur pecunia Campsuario post aliquod tempus restituenda Campsori: Vnde distinguit Cambium, in aliud purum, in quo tantum exercetur sola commutatio pecuniæ, & aliud impurum, & mixtum, cui coniunctum est aliquod mutuum, vt Cambium pecuniæ præsentis pro absenti. Sed cum Doctores Theologi in hoc contractu plurimum nitantur separare Cambium à mutuo, vt iustum sit, hæc diuisio Medinæ, non est satis accommodata, quod inferius magis explicabitur.

Angelus vsura primò numero. 52. Diuus

nus Antoninus secunda parte, titulo primo, capite septimo. §. quadragesimo nono, quem sequitur Rosella. Siluest. vsura. 4. quæstione sexta, numero primo, & omnes recentiores: ita diuidunt Cambium: Cum Cambium sit quædam commutatio pecunię pro pecunia, tot sunt genera Cambij, quot modis accidit pecuniam commutari pro pecunia: Commutatur autem tribus modis, aut pecunia presens pro presenti, & in eodem loco, propter diuersam speciem, vel valorem, quę Cambitio, dicitur Cambium minutum, vel manuale: Aut commutatur presens pro absenti, verè & realiter absenti, ac distanti, quod habet pecunia quando loco, & Regno distat, Aut commutatur presens pro ea quę fingitur, ac simulatur abesse, veluti cum in eodem loco, in quo recipitur, restituitur. Etenim quæ in eodem loco existit, & ibidem restituenda est, nec alia interuenit distantia quam temporis non est vere, ac realiter absens, & distans, sed simulatè, & ficte. Si commutatur presens pro absenti vere, ac realiter, & loco distanti, est cambium reale, quod vocatur per litteras: Si verò pro absenti solo nomine, & colore, existente tamen, ac reddenda in eodem loco post aliquod tempus, sicut fit in mutuo, vocabitur fictum, & siccum: fictum, quia fingitur illa pecunia reddenda, abesse, cum re vera non absit: & siccum, quia sicut in plantis humor est principium vitæ ipsarum, & fructuum quos ferunt, quo excicato non valent edere fructus, ita in contractibus vbi est iusta causa ad lucrandum illa iusta causa est velut humor ferens illud lucrum, & fructum, vbi talis causa deest est contractus ille velut planta sicca, non habens vim, neque humorem ad ferendum fructum, & lucum: Et cum in Cambio isto ficto, in quo re vera pecunia, nec abest, nec distat loco nec vere commutatur presens pro distanti, sed solum presens pro presenti, interueniente sola distantia temporis, vt in mutuo, non sit iusta causa ad recipiendum lucrum, dicitur siccum, & carens humore iustitiæ ad lucrandum. Ita triplex est Cambium minutum, siue manuale, Reale, & verum, & fictum, siue siccum.

Vocant quoque Fabianus, & alij quod dicimus minutum, Reale, quod verò vocamus Reale, Reale per litteras, Nos tamen his vocibus tanquam magis receptis. In hac disputatione vtemur, vt aliud sit minutum, seu manuale, aliud Reale, & verum, aliud siccum. Sunt etiam qui hæc tria genera Cambiorum sic colligant: vt fiat omne Cambium ratione, vt dicunt alicuius diuersitatis, vel ratione, scilicet diuersę monetæ, quod est Cambium minutum, vel ratione diuersi loci, quod est reale, & verum, aut ratione diuersi tantum temporis quod est fictum, & siccum. Sed hic colligendi modus parum, aut nihil potius differt, ab eo quem proposuimus.

Reale, & verum exercetur adhuc duobus modis: nam aut prius Campsor recipit pecuniam, vt eam faciat restituere Campsuario, in loco in quo illa eget: vt cum Petrus iturus Romam dat Valentiæ Ioanni Campsori 100. aureos quos Ioannes per litteras Campsorias, faciat illi exhiberi Romę: Vel accidit contra, vt Campsor det prius Campsuario pecuniam, recepturus illam deinde à Campsuario, vel ministro illius in alio loco, vt si Petrus Campsor det Ioanni 100. aureos Valentiæ, recepturus illos à Ioanne, vel eius ministro Hispali, vbi Ioannes habet suam pecuniam. In quo Cambio reali, quocunque istorum modorum fiat, iudicarunt Diuus Thom. & antiqui Theologi Campsorem perinde se habere, ac si defferret, vel faceret defferri pecuniam Campsuarij, in locum vbi ea Campsuarius indiget, siue vllo periculo, & incommodo. V.g. in priori modo cambiendi iturus Ioannes Romam vbi non habet pecuniam, sed confert illam Petro Campsori, vt per litteras faciat Petrus illam sibi Romæ exhiberi, nihil aliud pręstat in hoc contractu Petrus Campsor, quam vt pecuniam quam habet Ioannes Valentiæ, & quam erat delaturus Romam cum magnis damnis, & & periculis, deferatur illi in Romam sine vllo damno, & periculo, ibi namque illam reperiet, & per litteras recipiet, cum primum Romam peruenerit. Similiter cum habet Andreas pecuniam Hispali qua indiget Valentiæ, essetque illam adducturus Valentiam cum periculo, & labore, rogat autem Iacobum Campsorem, conferat eam sibi sub Cambio Valentiæ, recipiatque illam Hispali: Campsor iste nihil aliud iuxta D. Thomam, & antiquos pręstat, quam vt pecunia Andreæ deferatur ex Hispali vbi illam habet, in Valentiam vbi illa

eget

eget sine damnis, & periculis, quæ oportuisset illum pati, si ab ipso fuisset deferenda. Quamuis vt inferius videbimus. quæst. 4. alia sit iam propria vis, & ratio huius cõtractus, sicut modo à mercatoribus exercetur. Interim obseruandũ est diligenter, licet inter traditionem pecuniæ quam facit, vel Campsor ipsi Cãpsuario, vel è conuerso: & restitutionem illius interueniat tempus, communiter quatuor mensium intra Hispaniam, pro ratione diuersarum Nũdinarum, sicut inferius explicabimus, nõ propterea esse mutuum: Quia in mutuo interuenit tempus inter traditionẽ pecuniæ, & illius restitutionem, vt illo medio mutuatarius vtatur illa pecunia, aliter non oportebat illam mutuo accipere, in Cambio verò interuenit tempus, vt litteræ Campsoriæ mittantur in locum, vbi Campsuarij pecunia existit, restituenda ministro Campsoris, vel contra: sicut desideraretur tempus, vt Campsor deferret pecuniam Cãpsuarij ex vno loco in alium.

His positis, videamus iam in singulis Cãbiis quæ iusta sint, & quę iniusta, & quomodo priuatim fiant.

QVAESTIO TERTIA

DE CAMBIO MINVTO, ET *manuali*.

ARTICVLVS VNICVS.

AN IN CAMBIO MINVTO, *& manuali liceat commutare pecuniam pro pecunia cum aliquo lucro?*

ACCIDIT frequẽter in Cambiis etiam minutis Cãpsores lucra quęrere, & aureum valentẽ 11. argenteos nolle Cambire nisi dentur 12. vel 12. & dimidium: similiter argenteum superioris ordinis, quẽ vocamus *de a ocho*, tanquam pretiosiorem pecuniam nolle Cambire in argenteos minutos, nisi aliquo lucro accepto, & quasi vendentes pecuniam. Quod an liceat modo videndum est. Sunt autem, prius quam varias de hac re DD. sententias proponamus, nõnulla obseruanda.

Primum omnium ex Caietano. c. 6. illius opusculi obseruemus, pecuniam duplicem esse aliam expendibilem, & receptam in eo loco vbi fit commutatio, aliam non expendibilem, nec ibi receptam: propter quod hoc Cambium minutum aliquando est pecunię expendibilis, in aliam in eodem quoque loco expendibilem, & receptam, aliquando vero expendibilis in aliam non expendibilẽ, neq; tali loco valentẽ. Rursum hæc commutatio expendibilis in non expẽdibilem, aut fit vtraque pecunia oculis subiecta, & præsenti, ac existente in eodem loco, vt qui cum pecunia Barchinonensi veniret Valentiam, videns illam Valentiæ non recipi, nec valere, vellet eam cum mercatore Valentino pro pecunia Valentina commutare: Aut fit altera pręsenti, & altera absenti, sed oblata tanquam præsenti: oblata inquam tanqum præsenti, quia si offeratur tanquam absens, iam non esset Cambium minutum de quo hic agimus, sed reale, & per litteras, quasi vnius loci in alium. Potest autem fieri tanquam præsentis, etsi distet, velut si mercator egens Valentiæ pecunia Valentina habeat aliam Barchinonę, dicatque eunti in Barchinonam trade mihi hic pecuniam Valentinam, quam habes, & accipe ex nunc quam ego habeo Barchinonę, vbi quo proficisceris, ea indigebis, commutemusque illas tanquam si vtraque hic à nobis haberetur: Hoc modo Cambium istud, etsi pecuniæ absentis est minutum, quia vtraque cambitur tanquam presens. Rursum ex his omnibus pecuniis, siue expendibiles sint, siue nõ, quandoque fit Cambium inter pecunias eiusdem sortis, vt cum aurea commutatur in auream, quandoque inter pecunias diuersæ sortis, & valoris, vt cum aurea in argenteam, argentea in ęream, vel ferream.

Obseruemus secundo, ex Campsoribus qui hęc Cãbia minuta exercent, quosdam exercere illa tanquam ex officio, habentes domos, officinas, mensas, & varia genera pecuniarum exposita & parata cuicunque volenti cambire aliam monetam, quales sunt Ianuę, Romę, &c. & aliquando vidimus illos Valentię: Alios verò esse, qui cambiunt quidem pecunias inter se, non tamen ex officio, sed casu, & occasione aliqua oblata, libere, ac voluntarie.

Obseruemus tertio ex Soto libro 6. de Iustit. quęstio. 6. articulo vnico, Numisma cum ex metallo cudatur duplici ratione habere pretium: Imprimis ratione materię, fit enim ex auro, argento, vel alio metallo,

tallo, quod secũdum se alicuius pretij, & valoris est, nec desinit habere illũ, eo quod insigniatur sygillo Regio. Secundo ratione formæ, quatenus Numisma est, & Regio sygillo authoritate publica insignitũ. Pretiũ Numismatis ratione materię idem est quo metallum, illud, vt tale est vsu fori venderetur, & quod haberet si non esset Numisma, sed massa tantum auri, vel argenti: pretium verò quod habet, vt Numisma, & insignitum publico sygillo, est illud quod à Principe, vel Repub. fuerit illi taxatum. Hęc duo pretia in pecuniis infimis, & vilibus certum est non esse inter se æqualia, & adæquata: particula enim æris quæ insignita publico sygillo, & qua Numisma valet v.g. Numulum, sumpta vt metallum, & ęs non valeret forsan nec dimidium Numuli: In Numismatibus vero altioris ordinis, vt aureis, & argenteis dubium est, sint ne pretia ista sic inter se adequata, vt tantum valeat aureus quatenus Numisma est ex Regia institutione, quantũ valeret particula illa auri secundum se sumpta, quatenus aurum est, etiam si non esset Numisma.

Soto & alij volunt neque in his pecuniis pretia ista æqualia esse, neque Regem, vel ministros ipsius, quando cudunt Numismata aurea, vel argentea, imponere illis pretiũ omni ex parte æquiualens omnibus vsibus, & vtilitatibus, quæ ex auro, vel argento haberi possunt.

Ioan. Medina loco cit. quæst. *An pecunia vendi possit*, vult ista pretia adęquata esse, & Nũmum aureum, cuius pretium sunt à lege 11. argentei, sumptum vt aurum est, & cum omnibus vsibus auri non valere nisi vndecim argenteos. Quod ita esse probat Medina. Primo, Quia si quando taxatur à Rege pretium pecuniæ aureæ, non consideraretur atentè valor auri qua aurum est, has vel illas habens commoditates, cur idẽ pondus auri ęstimaretur in decuplo plusquam idem pondus argenti, & similiter idem pondus argenti plus quoque in decuplo quam idem pondus æris, certe aut temere, & imprudẽter imponerẽtur illis pretia, aut si prudenter, ac maturè, sicut de illis sentiendum est, non alia de causa minora pondera auri plus valent quã maiora pondera argenti, & minora argenti plusquam maiora æris, nisi quia iuxta valorem particulæ auri quæ sumitur ad conficiendum Numisma, qua aurum est, & valorem paticulæ argenti qua argentum est, imponitur pretium Numismati illi ex auro, vel argento confecto.

Secundo, Rex quando cudit pecuniam, non cudit illam, nec tenetur, cum damno suo, at si non considerat valorem auri, vt aurum est, & omnes commoditates illius, quando imponit ei pretium, pateretur graue damnum, & iacturam suorum bonorũ, quia collocaret in nummo aureo particulã auri, quam iudicaret valere, v.g. 10. & tamẽ ratione illarum commoditatum quas ipse non attenderet, valeret 12. perderetque in vnoquoque nummo aureo, vt 2. vnde quãdo cudit pecuniam, censendus est considerare omnes istas vtilitates.

Tertio, Experientia teste, quoniam in cudendis pecuniis facit Rex aliquas expẽsas, particulæ auri, vel argenti, ex qua fit Numisma, miscetur aliquid alterius metalli, vt ea ratione accipiat, vel detrahat tantum auri, vel argenti, quántum exigitur ad expensas illas, & stipendia ministrorum: quod signum est certissimum Regem nolle pecuniam illam dare suis subditis minori pretio quam valeat, etiam vt tale metallum est, quia nisi hoc Rex curaret diligenter, profecto, nec fieret illa mixtura, neque per eam detraheretur à pondere auri, vel argenti, quod exigitur ad expensas illas, & ministros: ita vt computatis in vnum pondere auri, & expensis, valeat aureus pretium illud quod ei imponitur.

His positis Medina loco citato, quem sequuntur nonnulli Complutenses, vult in Cambio minuto, siue fiat pecuniæ aureę pro argentea, siue pro viliori, siue pecuniæ expendibilis in aliam expendibilem, aut non expendibilem, siue à Campsore exercente hoc Cambium ex officio, siue non, quacunque ratione hoc Cambium fiat, & à quocunque, necessario attendenda esse pretia publica & legalia pecuniarum qua pecuniæ sunt, & commutandas esse pecunias seruata iusta ęqualitate inter ipsas iuxta illa pretia, ita vt si aureus Hispanus valeat 11. argenteos, nulla ratione liceat Campsori accipere 11. & dimidium, & sic de cęteris.

Probatur hæc sententia. Primo, Hoc interest inter pretiũ fori, & pretium legale, (vt vidimus) vt illud cũ non sit certũ ac definitũ non cõsistat in indiuisibili, sed potest passim augeri, vel minui, pretium vero legale institutum à Principe sit certũ, ac definitũ, cõsistens in indiuisibili, quod nec minuere licet neque augere, sed pretiũ pecuniarum omnium est legale, constitutum pecuniis a Rege,

Rege, vel Respub. ergo nec minuere illud licet, neque augere, sed iuxta illa fideliter seruata, sunt commutandæ pecuniæ. Quod si dixeris, verum quidē istud est, si sumamus pecunias sub ratione pecunię, hoc enim modo cūuenit illis pretium istud legale, quod augere non licet: attamen habet etiam pecunia vt aurum est, suum valorem, & pretium, quatenus est huius, vel illius sortis, *de tantos, o tantos quilates*, & quatenus habet has vel illas commoditates, & hac ratione poterit commutari maiori pretio quam sit a lege taxatum.

Contra inquit Medina & (sit secundū argumentum.) Hoc nō habet locum, quia vt ostensum est, in pretio legali iam est consideratus valor auri, vel argenti, quatenus metallum est, & secundum illam sortem cuius est, & omnes ipsius commoditates, & pensatis his omnibus constitutum est illi pretiū, nec valet magis quam aurum est, & cū omnibus istis commoditatibus, quam valeat vt Numisma. Et confirmatur. Quia si Numisma quamuis vt Numisma valeat 11. attamen vt aurū, & cum talibus cōmoditatibus valet 12. ita vt hoc pretium 12. sit illi quoque iustum, stulte, ac imprudenter, & cum damno patrimonij Regij agūt ministri Regis, qui Numisma aureum quod iuste valet 12. conferunt pro 11. Cur enim non licebit Regi exigere ex Numismate pretium quod potest Campsor, si pretium istud, vt 12. iustum est, imo debet illud Regi potius licere, (cum eius sit ex authoritate Regia qua pollet, imponere pretia pecuniis) quā aliis, qui authoritatem istam non habent.

Tertio, In contractibus pertinentibus ad iustitiam commutatiuam, quale est Cambium, seruanda est necessario æqualitas, at si in Cambio minuto accipiatur aliquid vltra pretium legale pecuniarum, non seruaretur æqualitas. Probo: Vendatur Petro triticum valens 10. scuta, si Ioannes emptor illius soluat illa in auro, debet dare pecuniam auream valentem 10. scuta, similiter si soluat in argento debet dare pecuniam argenteam valentem 10. scuta; Nunc sic: Quæ sunt æqualia vni tertio sūt ęqualia inter se, 10. scuta in auro, & 10. scuta in argēto sunt æqualia pretio illius tritici empti, & soluendi, ergo sunt æqualia inter se: & consequenter quando commutabuntur scuta aurea in argentea, nullo modo licebit excedere, nec accipere aliquid vltra sortem, sed oportebit necessariò conferre, vel recipere pecuniam argenteam valentem 10. scuta, pro pecunia aurea valente similiter alia 10. scuta, aliter erit aperta inęqualitas & iniquitas.

Quarto, etiam si daremus auream, vel argenteam habere aliquas commoditates pretio æstimabiles, habent quoque pecuniæ minutiores, & inferiores suas commoditates, nempe ad emendum res domesticas, & ad alias communes necessitates, qui vsus frequentior & maior est, cum plures sint homines pauperiores quam diuites, frequentiusque emantur res minutiores & communes, quam aliæ magis pretiosæ. Vnde non est quod ratione & titulo alicuius commoditatis omittantur iusta & publica pretia pecuniarum in istis commutationibus.

Quinto, Sicut in aliis rebus habentibus pretium legale certa quantitas pecunię est pretium taxatum: vt in tritico v. g. 14. argentei pro faneca, ita in pecuniis inter se vniuscuiusque pecunię est velut pretium taxatum, & legale, alia certa quantitas pecuniarum, vt Numi aurei sunt pretium taxatum & legale 11. argentei: ergo sicut in aliis rebus, quando commutantur merces pro pecunia, nō licebit excedere illam quantitatē pecuniarum taxatam, tanquam iustum & legale pretium illius: qua ratione vendens triticum non potest recipere plusquam 14. argenteos pro faneca, ita quoque quando cōmutātur pecunię inter se, non licet excedere illam quātitatem inferioris pecuniæ quæ taxata est, vt iustum & legale pretium superioris.

Addit tamen Medina hęc tria: Primo, hanc sententiam quam docet habere locum in Regnis, & Prouinciis, in quibus pecunię habēt pretia taxata à Principe, vel Repub. suntq; illa in viridi obseruantia: ita vt non habeat oppositum consuetudo, vt in Hispania. Vnde in Prouinciis, in quib⁹, Resp. vel Principes non imposuerunt certū pretiū pecuniis, vel si imposuerunt non est receptum consuetudine, sed oppositum potius est in vsu, licebit pecunias commutare iuxta illa pretia quæ valebunt cummuni vsu fori, sicut & alias res venales, & iuxta copiam, vel inopiam earum, paucitatemq;, vel abundātiam commutantium illas, sicut & in aliis rebus venalibus. Qua de causa ait duplum aureum, quamuis sit taxatum 22. argēteis, ex consuetudine tamen introducta Rege non reclamante, valet iam Hispaniæ 23. & aliquid amplius: Et scutum aureum simplex quod apud nos nonᵍvalebat nisi 21. solidos, modo valet, ex consuetudine 22. solidos, & sex denarios.

Addit secundo, Quamuis Nummus aureus non posit carius commutari quam sit pretium legale, vel pretium ab omnibus receptum, neque qua aurum est, neque quatenus habet commoditates auri, nihilhominus habentem pecuniam aureā, ex qua priuatim aliquas recipit cōmoditates, posse propter eas recipere aliquid vltra pretium legale, vel commune, vbi rogabitur ab alio vt illam commutet, illiusque vtilitatibus se expoliet. V.g. habebat Petrus pecuniam auream vel argenteam superioris sortis (Reales de a ocho) asportandam facile in aliquē locum, rogat illum Ioannes, vt commutet eā cū minutioribus, quas Petrus difficile eò asportabit, tunc potest pacisci cum illo, ratione illius dāni quod recipit ex illa difficili asportatione, vt aliquid vlterius ipsi reddat, sicut licet vēditori cui res sua vtilis est, si rogetur ab alio, vt illam sibi vendat, exigere aliquid vltra iustum pretiū illius, propter vtilitatem quam ex illa recipiebat, & qua gratia alterius se ipsum expoliat. Rogatus inquam, quia vbi ipsemet venditor, vel Campsor offert rem illam vendendam, vel pecuniam cambiandam, cum propria sponte vellit vtilitate illa se ipsum priuare, non tenetur alter aliquid propterea vlterius soluere. Sicut nec quia pecunia illa Campsuario vtilis sit, potest Campsor aliquid vltra iustum pecuniæ pretium recipere: quia nulli licet, vt diximus q. 77. vendere emptori vtilitatem, quam ipse ex re quam emit, est percepturus.

Addit tertio, quando pecunia à Campsore recipienda minus vtilis prudentum iudicio censetur, vel quia inexpendibilis est in eodem loco, vel quia aut vetustate consumpta, aut alia ratione reddita est minus valēs, vel periclitatur à Principe tollenda, vel minuenda, tunc licere Campsori aliquid accipere vltra commune pretiū illius pecuniæ, quia tunc pecunia illa, neque vt metallum, neque vt pecunia æquatur valori illius melioris pecuniæ, quam ipse est traditurus, vnde poterit emere illam, vel vt metallum, & pretio metalli, iuxta illius sortem, & valorem, vel pretio pecunię valentis minus quā alia optima illi similis censebitur valere, sicut pecuniam existentem in naui ingruente fortuna liceret commutare cum alia minori certa, & secura existēte in terra, propter periculū in quo existit illa, quæ in mari est.

Angelus vsura primo num. 52. & ibidem Iacobus Vngarellus, Rosella 6. §. 6. Ioan. de Anan. in cap Nauiganti. & ibidem multi, Archidia. in primum cap. 14. q. 1. volunt cuiuis Campsori, maxime illi qui ex officio expositus est quibuscunque pecuniis commutandis, licere pecuniam maioris valoris commutare cum pecunia minoris valoris, non modo vt metallum est, verumetiam vt pecunia est, accepto aliquo lucro moderato vltra pretium legale, & commune illius pecunię maioris. Vt si Campsor det pecuniam auream pro argentea, aut argenteam pro minutioribus nummis.

Probant illud primo. In commutatione cuiuscunque rei, quæ commutatio non sit mutuum, licet commutanti rem magis prætiosam in minus vtilem aliquid accipere vltra commune pretium illius rei. V.g. commutat Petrus triticum prætiosius in aliud minus prętiosum, licet Petro pro illo tritico prętioso accipere non solum ęqualem mensuram tritici, sed aliquid vlterius, etiam si lege vtrunque triticum eiusdem sit pretij: non enim tenetur Petrus in illa commutatione stare pretio legali, quia pretium illud tantum obligat in contractu emptionis, & venditionis, minime verò in commutatione: esset namque iniqua lex, quæ tanti vellet æstimari triticum minus prætiosum, quanti triticum prætiosum: Sicque obseruatur communi usu, quando tempore seminandi commutatur triticum vilius pro alio purgato, & apto ad seminandum. Sed ex pecuniis, non modo qua metalla sunt, verumetiam qua Numismata, quædam prætiosiores sunt, & vtiliores aliis, vt centum scuta habita in auro magis prætiosa sunt, & magis æstimantur ab hominibus, quam eadem in argento, vel ære, quia aurea pecunia facilius defertur è loco in locum, melius domi seruatur, commodius exercentur cum illa contractus emptionis, & similes, in pluribus Prouinciis recipitur, & valet, pretium denique illius securius est, nec facile mutatur, aut minuitur, ergo quamuis in emptionibus, & venditionibus sit seruandum pretium legale ipsius, at quando commutatur, etiam qua pecunia est, licebit pro aurea commutata in argenteā, vltra legale pretium argenteæ aliquod moderatū lucrū recipere.

Secundo, Campsori exercenti Cambia vera, & realia, concedemus cum omnibus Doctoribus aliquod lucrum honestum, & moderatum propter labores, industrias, & expensas, quas facit in illo contractu, sed in Cambio minuto Campsor, maxime qui ex officio exercet illud, habet quoque

que expensas, & labores, ergo licebit etiam illi aliquod lucrum ex Cambio minuto recipere. Hoc argumentum secundum probat quidem hanc sententiam in Campsore cambiente ex officio, & parato cuicunque volẽti Cambire, non tamen de aliis qui nonnunquam tantum, libereque, & voluntarie cambiunt. Primum tamen argumentum probat illud de quocunque Campsore, vnde authores huius sententiæ, licet hoc potissime concedant cambienti ex officio, nihilominus, & omni cambienti illud quoque tribuunt propter primum argumentum.

Soto eidem sententiæ subscribit loco citato: In prima enim conclusione docet pecuniæ, vt metallum prætiosius est, posse augeri pretium vltra legale: vult namque non omnes commoditates illius metalli consideratas esse, quando pretium est impositum Numismati. Et in secunda habet, licere quoque Campsori danti pecuniam prætiosiorẽ pro viliori, vt auream pro argentea, etiam qua pecunia est, recipere aliquod lucrum. Quod probat his duobus argumentis, quibus probata est secunda opinio modo adducta. Vnde qui putant Sotum sentire cũ Siluestro & Caietano errant omnino: Cum secunda conclusio Soti sit apertissime opinio Angeli, afferatque eadem argumenta, quæ adducta sunt pro ista secunda opinione.

Caiet. Opusculo de Cãbiis. c. 1. & 7. solis publicis Campsoribus authoritate Principis, vel Reip. ad commutandas pecunias cõstitutis concedit, vt possint aliquod lucrum recipere, tanquam in stipendium sui laboris, & expensarum quas faciunt ad habendas varias pecuniarum, & Numismatũ fortes paratas, quo possint omni poscenti illarum commutationẽ, sicut ex officio debẽt, ac tenentur, satisfacere. Vtiturque hac ratione: Nulli licet in huiusmodi commutationibus pretium taxatum à lege pręterire, nisi authoritate superioris qui pretiũ illud taxare potuit, huiusmodi superior est Princeps, vel Respub. nulli ergo licet pecuniam commutare cum aliquo lucro, & pretium illius excedere nisi authoritate Principis, vel Reipub. Princeps autẽ, & Respub. illud solum concedunt Campsoribus à se constitutis, & quibus illud incumbit ex officio, ergo his solis & nullis aliis licet vnam pecuniam per Cambium quod vocamus minutum cũ alia commutare, accepto aliquo pretio.

Et confir. Nemini, licet pretium pecuniæ à lege taxatũ præterire nisi ex aliqua iusta causa, iustę autẽ causę ad illud prætermitẽdũ & recipiẽdũ lucrum aliquod tantũ sunt labores, & expẽsæ, quibus indiget Cãpsor, vt habeat paratas varias Numismatum fortes, quibus omni volẽti pecunias suas cum aliis cõmutare presto sit, huiusmodi autẽ labores, & expẽsas non patitur priuatus, qui commutat illas, vbi & quando vult, sed ille solum qui ad hoc munus est constitutus à Repub. teneturq; illud ex officio, huic ergo soli licebit illas cum aliqua lucro tãquã iusto suorum laborum, & expensarum stipẽdio commutare, minime verò aliis priuatis, qui ad id non tenẽtur ex officio.

Sequũtur meo iudicio Caiet. sentẽtiã Siluester vsura. 4. q. 2. & 3. Fabianus Ianuẽsis in opusculo de Cambiis. c. 2. Nauar. in cap. Nauigantı. nu. 20. & multi ex recẽtioribus distingũt enim inter pecuniã, qua pecunia est, & pecuniã qua metallum est, aurũ, vel argẽtum: loquũturq; de pecunia expẽdibili, nã de inexpẽdibili statim dicemus. Pecunia igitur (inquiũt) qua pecunia est, nõ potest commutari cũ aliquo lucro vltra pretiũ legale, sed faciẽda est commutatio illius seruato in vtraq; pretio legali æqualiter, & iustè. Quatenus verò metallum est huius, vel illius valoris, fatentur conferentẽ pecuniã aureã pro argẽtea, vel argẽteã pro ęrea posse aliquid accipere vltra pretiũ legale illius inferioris, iuxta valorẽ illius auri, vel argẽti, aut iuxta peculiares, & priuatas commoditates, quas ex illa pecunia poterat recipere, qui rogatus illam commutat ad arbitriũ prudentis.

Priorẽ partẽ probant argumẽto primo Medinæ, quia qua pecunia habet suũ præfixũ, ac certũ valorẽ, & pretiũ legale, quod excedere non licet. Addunt autẽ in duobus casibus licere in Cãbio pecuniæ, etiam qua pecunia est, aliquid vltra pretiũ legale inferioris accipere. Primo, si pecunia illa quam dat Campsor optima sit, & pretiosa, illa verò quã recipit adeò vilis, & vetustate deformata, ac vitiata (etiã si vere argẽtea) vt difficile quis illã accipiet, quia tunc neq; vt pecunia meretur pretiũ pecunię. Secundo, si Cãpsor illud præstet ex officio Resp. cõsentiẽte, patiaturq; labores, & faciat expensas, quia tũc nõ recipit aliquid vltra pretium legale pecuniæ tanquam lucrũ, sed in stipendiũ laborũ, & satisfactionẽ expẽsarũ, sicut quiuis alij artifices vltra iustũ valorẽ rei ex qua suum opus conficiũt, recipiunt, & iustè quod suis laboribus, & expensis debetur.

Secundã vero partẽ, nẽpe qua metallum est posse aliquid accipi vltra pretiũ legale

pecuniæ: Probat Siluester, constituto prius pecuniam qua metallum est vendi posse, quod ostendit authoritate D. Thomæ, qui in opusculo de Regimi. Princip. lib. 2. c. 14. ita habet: *Pondus & mensura, quatenus talia, semper ordinantur ad mensurandum & ponderandum, aliter per se nihil sunt: sed Numisma quamuis sit mensura & instrumentum in permutationibus, per se tamen aliquid esse potest, etenim si conflletur erit vas aureum, vel argenteum: vnde non semper ordinatur ad permutationes, &c.* Vbi aperte docet pecuniam, qua metallum, vendi posse, sicut & similia metalla: & experientia constat passim ita fieri apud artifices. Vnde colligit Siluester, pecunia posse nos tribus modis vti: Primo, qua pecunia est ad commutationes rerum venalium. Secundo, qua pecunia etiam est ad cōmutationes, & Cambia vnius pecuniæ cum alia pecunia. Tertio, qua res quędam est aurum, vel argētum, ad eos vsus quibus quodcunque aurum vel argentum deseruire natura sua potest: quibus addit & quartum vsum, nempe ad vtilitates quas habens pecuniam potest ex illa priuatim percipere ad sua negotia, vel instituta. Hoc posito sic argumentatur Siuester. Licet vēdere pecuniā auream pro argentea qua metallum est, sed potest accidere, vt pecunia ista aurea quatenus ex auro est, vel tali auro, valeat iustè multo amplius quam pecunia argentea in quam est commutanda iuxta pretium legale argenteæ, ergo sub hac ratione licebit in Cambio (de quo hic agimus) accipere pro aurea illud amplius, quod valet magis quā illa argentea. Maior constat: probatur Minor: Aureus commutandus, potest imprimis esse ex auro adeo pretioso, vt valeat 12. secundo potest esse adeo formosus, rutilans & pulcher, vt pro margarita posit deseruire. & vendi tanquam margaritum, vel iocale mulieris. Tertio, potest habenti illam pecuniam auream ita esse accommodata, & vtilis ad deaurandum, asportandum, vel negotiandum, vt cum vno aureo ex illis facilius inueniat merces, quas quærit, quam cū 12. argenteis, quæ vtilitates pretio æstimabiles sunt vltra pretium legale pecuniæ qua pecunia est, ergo licebit vendenti pecuniam illam, vt aurum quoddam est, aliquid recipere vltra pretium legale, quod habet vt pecunia. Sic enim diximus q. 77. art. 1. vendenti rem sibi vtilem licere carius illam vendere, quam sit commune pretium eius, propter vtilitates quas ex illa poterat dominus illius recipere.

Præter has opiniones est quarta, quam amplectuntur etiam Nauar. loco citato in cap. Nauiganti. num. 58. & apertius in Manuali. c. 17. nu. 283. Soto in illa q. 9. artic. unico. ante tertiam conclusionem & alij nō nuli. Constituunt hi cōmutationes, in quibus pecunia redditur vt pecunia, duplices esse, alias antecedentes, ad quas iam tenetur homo ex aliquo debito, & iustitia præcedēti, vt cū quis soluit debita iam contracta, & pręcedentia: alias verò esse subsequentes, ad quas nondum tenetur homo ex aliquo debito, vel iustitia, sed illas libere exercet, quales sunt omnes emptiones, & venditiones eo tempore quo fiunt: tunc enim quando sunt in fieri liberæ snnt, ac volūtariæ ex parte vtriusque, tam ementis quam vendentis. Quo posito docent in commutationibus & contractibus prioris generis, in quibus redditur debitum iam contractum, nullomodo licere commutare pecuniam maiori pretio quā sit legale: Debet v. g. Petrus Ioāni. 24. argenteos non soluit sufficienter dato illi duplo aureo, nec potest compellere illum, vt sumat duplum illud in alio pretio quam sit legale. In cōmutationibus verò secundi generis, quę libere fiunt, licere ita conuenire cum venditore, emam à te hanc rem 24. argenteis, sed ita vt recipias solutionem in duplis aureis, accepto singulo duplo in 24. argenteis.

Priorem partem suæ opinionis sic probant. Pretiū legale impositum pecunię, potissime illi impositum est, secundum primarium vsum ipsius, quia nisi secundum illū vsum ei cōueniat, minus certe illi cōueniet secundum alios, at in contractibus illis primi generis redditur pecunia secundum primarium vsum ipsius, soluit namque qui debet decem hac, vel illa pecunia, quia ex lege est pecunia valens 10. ergo in istis commutationibus nullo modo licet augere, vel minuere pretium legale pecunię. Et confirmatur: quia si in istis commutationibus primi generis, propter quas pretium legale pecunię potissime institutum est, illud non seruatur, nullus est contractus, nullaq; via, in qua pretiū taxatum a lege sortiatur suū effectum, debeatq; seruari.

Secundo, si in his commutationibus nō debeat seruari necessario pretium legale, pecunia nullomodo est certa mensura aliquarum rerum: hoc consequens est omniū sententia falsum, cum ad hoc sit excogitatum, inuentumq; Numisma, vt sit mēsura publica rerum venalium, qua de causa insignitur

Regio sygillo sicut & alię mensuræ publicæ, perspicuum autẽ est esse de ratione mẽsurę publicę, vt sit certa ac definita, alioqui nulli esset vsui; Consequentia verò probatur, quia si in istis commutationibus primi generis, in quibus soluitur debitum, iam debitum & contractum ex iustitia, non seruatur pretium legale pecunię, multo minus debet seruari in commutationibus secundi generis, cum sint liberæ & voluntariæ, vi illius principii *Si quod magis videtur inesse non inest &c.* & consequenter in nullis contractibus erit pecunia certa mensura.

Alterã vero partem de commutationibus secundi generis sic ostendunt. Iuxta multorum DD. sententiam, licet cum vendente rem aliquã v. g. 24. argenteis ita cõuenire, vt vilius illam vendat nempe in 22. argenteis, ergo licebit quoque ita conuenire cum eodẽ venditore soluã tibi rem tuam in pretio solito, nihilque ab illo detraham, nempe in pretio vt 24. sed ita vt recipias pecuniam auream in maiori pretio quã sit legale, nempe in 24. Probatur consequentia: Quia etsi ista physicę & speculatiuè videantur diuersa, moraliter tamen loquendo idem omnino est descendere à pretio vt 24. ad pretium vt 22. manente pecunia in suo pretio legali 22. argenteorum, quod augere pretium pecuniæ quod est 22. ad pretiũ 24. eo quod soluatur in aureo, manente re illa venali in suo communi pretio 24. Quacunque enim ratione istarum celebretur huiusmodi contractus, pretium pecuniæ aureę augetur, vel explicitè & apertè, vt in secundo modo, quando pecunia valens 22. eleuatur ad pretium 24. re illa manẽte in suo pretio 24. vel implicitè & virtute, quando res valens 24. venditur pretio, vt 24. quia pretium illud soluitur in pecunia aurea.

Secundo, sicut commutatur pecunia pro pecunia in Cambiis, eodem modo commutatur pecunia pro mercibus in emptionibus & venditionibus, sed consensu omnium DD. solo Medina dempto, potest cõmutari pecunia pretiossior cum alia minus pretiosa accepto maiori pretio quam legali, ergo licebit similiter commutare pecuniam pro aliis rebus venalibus maiori pretio quam sit legale. Maximè cum hæ commutationes secundi generis non fiant ex aliqua obligatione iustitię, sed liberè ac volũtariè, & sine vlla vi, vel fraude. Denique potest emptor habens duplum aureum adire Campsorem, vt commutet illud, recipereque ab illo 24. argenteos tradendos venditori, cur ergo non poterit venditore liberè in illud cõsentiente, sine illa ambage tradere duplum illud immediatè ipsi venditori, pro 24. argenteis, & vltra pretium legale. Moraliter enim hęc eadem sunt.

In hac quęstione quam tot DD. opiniones difficilem reddiderunt. Obseruemus primo, quod rectè admonuit Medina. Quęstionem hanc habere locum in Hispania, alijsq; Prouinciis, in quibus pecunię omnes habent certa pretia statuta à lege, vel recepta publica & communi consuetudine, In alijs enim regionibus, in quibus neque à lege, neque à recepta consuetudine habẽt pecunię certum ac definitum pretium, vt in aliquibus locis Italię, Flandrię, & Germanię, possunt cõmutari iuxta pretia, quæ habebunt cõmuni vsu fori, sicut fit in alijs rebus venalibus. Vbi obseruãdũ est in Castella antiquitus scutũ aureũ taxatũ esse 350. dipõdiis, id est 10. argẽteis, & 10. dipõdiis, deinde additum esse illi 24. dipondia, & effectum 11. argenteorum: à Phylippo verò secundo, anno 1566. ęditam esse legem, quę habetur in noua copilatione lib. 5. tit. 21. l. 13. vbi constituitur pretium scuti aurei 400. dipondiorum, idest vndecim argenteorum cum dimidio, & quarta parte illius, quod pretium modo viget. Similiter duplũ aureum valebat 700. dipondia idest 20. argenteos & 20. dipondia deinde fuerunt illi addita 48. dipondia & effectum 22. Argenteorum, modo vero eadem lege Philippi secundi effectum 800. dipondiorum idest 23. argenteorũ, & dimidij cum aliquot dipondiis. Numisma dictum Castellanus aureus simplex valebat antiquitus 14. argenteos valet modo ex eadem lege Philippi secundi 16. argenteos, quo pretio constituto habet lex Regis nostri in illis Regnis Castellæ hæc verba. *Que no passen, ni se vendã ni commuten por mas en manera alguna so las penas contenidas en las leyes del Reyno.* Que lex est iusta, quia Rex taxans pretium pecuniæ addito tali augmento pretij, iam est visus considerasse & respexisse omnes commoditates pecunię, etiam vt aurum, vel metallum est. In nostro Regno pecunia aurea ex recepta omnino consuetudine valet 22. solidos & sex denarios, duplum 45. solidos, argentei Valentini pretiũ sunt 18. nummi, dupli vero 36. & sic fit progressus.

Obseruemus secundo, pecuniam distrahi posse omni fere genere contractus. Primo, emptione, vt cum datur in pretium rei venalis, qui est primarius vsus ipsius. Secũ

do, per modum mutui, quãdo datur gratis, ita vt non oporteat eandem numero reddere, sed sufficiat æquiualentem. Tertio, per contractum accomodati, ita vt reddatur eadem numero, veluti quando accomodatur aliqua pretiosa pecunia ad ostentationem, vel ornatum, vel exhilarandum cor. Quarto, per modum locationis, quando eadem restituenda est, & cũ aliquo pretio pro obsequio ex illa percepto. Quinto, per modũ pignoris, qui modus perspicuus est. Vltimo per modum Cambij, quando pecunia pro alia commutatur: Vbi obseruare oportet, non esse certum apud aliquos, an quotiescunque pecunia commutatur pro pecunia sit contractus commutationis, vel nũ potius quando commutatur prętiosa in minus prętiosam, habeat veram rationem emptionis, & venditionis, Id est, An sicut in venditione tritici, triticum habet rationem rei venalis, pecunia verò pro illa exhibita rationem pretij, ita in commutatione pecunię pro pecunia vna, pecunia habeat rationem rei venalis, altera verò habeat rationem pretij. Quæ quæstio quamuis iuxta aliquos parum faciat ad mores, quia siue Cambium sit commutatio, siue simplex permutatio, siue venditio, eadem est iustitiæ ratio in Cambiis, & eodem modo iudicandum de Cambio minuto; nihilominus meo iuditio plurimum facit ad præsentem controuersiam, maxime cum opinio Siluestri, quæ in hac parte omnium probabilior est, huic fundamento nitatur, pecuniam vendi posse pretio maiori quam sit legale.

Medina varius est in hac parte: nam prius negat posse vendi pecuniam, deinde verò in quodam articulo sumit pecuniæ pretium esse aliam pecuniam minorem: Soto quoque circa idem non sibi constat, cum lib. 6. de Iustitia q. 12. art. 2. in corpore concedat pecuniam, quando commutatur pro alia pecunia in maiori pretio tanquam metallũ prætiosius, tunc vendi posse, sicut vẽderetur metallum illud in genere talis metalli: In solutione vero tertij videtur sentire oppositũ, solum esse permutationem, & nullo modo venditionem, quia vna pecunia non est pretium alterius, sicut vna mensura non est mẽsura alterius.

Sed quidquid Medina & Soto in hac parte sentiant, est illud a nobis sumendum hic tanquam certum, quod habẽt Siluester loco citato. q. 3. Caiet. in illo opusculo cap. 7. Nauarrus in cap. Nauiganti. nu. 12. & nu. 51. Estque aperta doctrina D. Thom. in illo opusculo de Regimi. Princip. libr. 2. cap. 14. & communis inter recentiores Thomistas, quando vna pecunia commutatur pro alia tanquam pretiosioris metalli, exerceri tunc veram & realem venditionem: habet enim aperte ibi D. Thom. hoc distare inter pecuniam & alias mensuras & pondera publica, quod hęc vnicum solum habeant vsum, nẽpe mensurare, & põderare, præter quẽ nulli alteri vsui sunt: Numisma verò non solũ habet esse mensuram, & pretium rerum venalium, verumetiam qua talis res est, & tale metallum posse deseruire ad vasa aurea, & argentea, vnde habet, etiã qua talis res est, vsus auri, vel argenti, & cõsequenter ex D. Thom. est quoq; vendibilis, vt aurum, vel argentum: cum vnaquæque res ex D. Tho. q. 77. art. 1. eatenus sit vendibilis, quatenus humanis vsibus vtilis est.

Et confirmatur ratione. Pecunia omniũ consensu duplici ratione, & titulo est in pretio (vt diximus) & ratione materię, ac metalli, ex qua illa confecta est, & quatenus sygillo Regio signata est, id est ratione formę. Nunc sic: Pecunia habet suũ pretiũ, vt talis materia & metallum est, quidquid autem habet pretium est venale, ergo quatenus tale metallum est vendi potest. &c. Progredior. sygillum Regium nõ tollit quin pecunia aurea sit aurum, & habeat valorẽ auri, sed quatenus, aurum habet suum pretiũ, ergo potest ea ratione sub illo pretio vendi. Et confirmatur. Si ab aurifice redigatur in massam auream est vendibilis, ergo etiam si maneat sub sygillo Regio potest vẽdi, cum sygillum illud non tollat quin sit idem omnino aurum, quod erit deinde in massam auream redactum.

Obseruemus tertio, pecuniam præter vtilitates naturales, & communes pecuniæ, vel auri, aut argenti posse habere quoque aliquas priuatas vtilitates, & commoda, ratione illius penes quem est. Est pecunia aurea, (vt diximus) vtilis ad deaurendum, exhilarandum cor, &c. hæc & similia omni pecuniæ aureę conueniuut; sed pręter hęc potest accidere, vt hæc pecunia Petro mercatori & negotiatori aliquas alias afferat vtilitates, nempe ad facilius illam asportandam, ad cõmodius emendas merces, &c. quas vtilitates Ioanni, qui nulla negotia exercet, non afferet: Ex quibus vtilitatibus, licet Rex in institutione pecuniæ, & impositione pretij cõsiderauerit cõmunes illas, & naturales, nobilitatem scilicet auri, pręstantiam illius, quã vocant *quilates*, priuatas autem, quas hic, vel

vel ille pro diuersa ratione suorum negotiorum potest percipere, non considerauit, neque ad ipsum pertinuit.

Obseruemus vltimo, inter illa quatuor genera rerum & actionum humanarũ, quæ superius constituimus, hoc interesse, vt intrinsece mala nullus Princeps. vel lex possit præcipere: intrinsece bona nulla quoq; lex vel Princeps posit prohibere: indifferentia verò, & quæ habent speciẽ mali, sed ex fine & circunstantiis honestari possunt, posit Princeps, quãdo viderit illa Reipub. nocere, prohibere, & lex illa prohibẽs obligabit in conscientia, quia justa, cum feratur propter bonum commune, & ab eo qui habet authoritatem: contractusq; contra huiusmodi legem facti nullam habebunt vim, si lex illos omnino prohibeat, & irritet. Quod si ea tamquam expedientia & vtilia suo Regno lex permisserit, debet asignare conditiones quibus recte fiant: ad quas obseruandas tenebuntur omnino subditi in foro etiam conscientię, tamquam vtiles & necessarias bono communi.

His positis dico opinionem illam Siluestri, & Caietani quam tertio loco proposuimus esse omnium probabiliorem ac securiorem. Sequuntur eandem ex recentioribus Palatius & multi alij.

Cõcl. Sit prima. *Si pecunia, quæ cõmutatur, pretiosa sit, licet sub cõtractu vẽditionis recipere pro illa aliam inferiorem, & minus preciosam, maiori pretio quam sit legale: iuxta valorem & æstimationem, materiæ, & metalli, ex quo pecunia illa pretiosa constat.*

In hac omnes fere conueniunt, præter Medinam, probantq; illam efficacissimè argumenta Siluestri. Quia pecunia ratione materiæ, & quatenus hoc vel illud metallũ est, vendi potest, sed potest illud metallum esse adeo preciosum, vt superet valor eius pretium legale, ergo tunc poterit carius vẽdi, & excedi pretium legale.

Secundo, consuetudo, sicut & lex potest imponere pretia rebus, imo maior est in hac parte vis cõsuetudinis quam legis, cum lex non obliget si cõsuetudo sit in oppositum: habet tamẽ communis consuetudo, & vsus omnium hominum, qui huiusmodi Cambia exercent, & timoratorum, pecunias pretiosas. v. g. numismata quę apud nos dicũtur *doblones de dos caras Seuillanos, Cruzados de Portugal, doblones Valentianos,* non commutare vt pecuniam, sed vendere, vt aurum pretio communi & iusto talis auri, talisq; prestantię, & sortis, ergo.

Tertio, cum res eo nomine sint venales, quia vtiles vsibus humanis, quæ vtiliores sunt licet carius vendere, sed pecuniæ aureę, etsi quatenus pecunię sint æqualis vtilitatis, attamẽ ratione materiæ & quatenus aurũ, sunt quedã aliis multo vtiliores, & ad deaurandũ, & ad medicamẽta, & ad trãsportandum, & ad splendorem & ornatum, & alia commoda communia quoque & naturalia ipsius pecunię, ergo licebit illas ex hac parte carius vẽdere quã sit pretium legale.

Et confirmatur. Quia artifices probi & periti testantur duplicem aureum Hispalensem, & Valentinum, ac Lusitanum resolutũ in simplicem massam auri excedere pretiũ legale. V. g. duplum aureum Valentinum habere 26. argenteos, duplum Hispalẽsem 28. Lusitanum aliquando 30. vel plures, adeò vt aliqui eorum vtentes tali resolutione & arte plurimum lucrati sint, & non iniuste.

Denique raritas mercis est iusta causa ad augendum illius pretium, sed pecuniæ aureæ pretiosæ sunt raræ, & aliquando rarisimæ, ergo quando non commutantur vt pecuniæ, sed venduntur vt aurum, & quædam merces, licet augere pretium & excedere legale, modo seruetur iustum pretium in ratione illius metalli. Queres quomodo debeat fieri istud augmentum? Dico, seruandas esse in eo leges iustæ venditionis, quas proposuimus q. 77. ar. 1. Quãdo aurũ pecuniæ est pretiosum, sed non extraordinarium vendetur vsu fori tali loco, & tempore: si vero sit aliqua pecunia aurea cuius aurum sit valde pretiosum, rarũ, & extraordinariũ, ac velut margaritũ, tunc potest vẽdi pretio in quo conuenerint cõtrahentes. Sicut anno 1590. 27. Octobris accidit Valẽtiæ vendi duplum aureum decem dupla cõtinens adeò pretiosum, & ad deaurandum vtilissimum, vt fuerit à peritis aurificibus iudicatum velut margaritum pretiosum, emptumque voce preconis à quodam Patre Cartusiensi in vsum cuiusdam sacri vasis 350. argenteis: cum pretium legale illius, si fuisset æstimandum vt pecunia, nõ fuisset, nisi 235. argenteorum parum plus vel minus.

Secunda conclusio. *Si pecunia commutetur non qua metallum est, sed vt pecunia, qui contractus iam non est venditio metalli, ex quo illa confecta est, sed vera commutatio & cambium, non licet excedere simpliciter & absolute loquẽdo pretium legale vsu & consuetudine Prouinciæ receptum.*

Hæc

Hæc est contra Cōradum q.99. conclus. 5. Mercatum in suo libr. de contract. tract. 4. cap. & nonnullos alios.

Hāc probant efficacissime omnia illa argument Medinę: omnia enim illa procedunt de pecunia formaliter sumpta quatenus pecunia est, vt in solutionibus argumentorū magis apparebit. Dixi simpliciter & absolute loquendo, Quia excipiuntur casus illi propositi ab eodem Medina, & Caietano, in quibus licet Campsori in commutatione pecunię etiam qua pecunia, est aliquid lucrari. Primo, si commutat pecuniam integram, bene sigillatā, & perfectam in deformatam, & fere inutilem, tunc enim arbitrio prudentum iste pecunię etiam vt pecuniæ non sunt censendæ eiusdem valoris, & pretij. Secundo, Si Campsor recepturus esset ex illa pecunia aliquas priuatas vtilitates, quas Rex non respexit in taxatione pretij pecunię, quæ illi cessabunt per illam cōmutationem, tunc si rogatus ab alio, & non voluntarie, & spontanee, commutet, potest aliquid recipere ratione illius lucri sibi cessantis ad arbitrium prudentis seruatis conditionibus, quibus diximus, licere mutuanti recipere aliquid vltra sortem ratione lucri cessantis, quibus seruatis perspicuum est licere illud Campsori, cum liceat & mutuanti, quia si quod minus videtur inesse inest, &c. Tertio, Si Campsor ex officio cambiet pecunias Principe, vel Repub. permittente, licet ei, ratione laborum, & expensarum aliquid vltra pretium accipere, sicut & cuiuis artifici qui aliquas expensas facit in opere suę artis. Quo fit amplectendam esse in hac parte sententiam Caietani, nec audiēdos Sotum, Angelum, & alios, qui volunt priuatis quoque non cambientibus ex officio id licere: Etenim cum hoc solum liceat cambientibus ex officio, propter expēsas, & labores quos patiuntur in eo munere, qui tales labores & expensas non habent, nec aliquem titulum ex duobus præcedentibus, non video qua ratione possint transgredi pretium legale, cum illud obliget in conscientia, quando pecunia commutatur, vt pecunia. Oporteret autem profecto, vt huiusmodi Campsorib⁹ ex officio, qui authoritate publica permittuntur, authoritate quoque publica taxaretur lucrum, & excessus pretij legalis, quem possent recipere propter vrgentia pericula, & cupiditatem lucrādi, quę in Cambiis reperiuntur. Ex his colligo non modo in pecunia aurea, verumetiam argētea altioris sortis, v. g. *reales de a ocho* quando commutantur in minutiores, à mercatore qui argenteis *de a ocho* cōmodius vteretur in suis negotiis, veluti ad transportationem pecuniarum, vel ad res emendas, licere quoq; lucrum percipere, ratione illius commoditatis qua rogatus ab alio se ipsum expoliat: Idem in simili casu erit iudicium de aureis simplicibus, sed hoc lucrum debet esse moderatissimus.

Dixi in hac secunda conclusione nō posse in commutatione pecuniæ, quando illa qua pecunia est commutatur, excedi pretiū legalem, simpliciter & absolute loquendo: quia ex circunstantia Campsoris, veluti si ex officio ad id teneatur, licebit ei aliquod lucrum accipere, tanquam sui muneris & laboris stipendium.

Vnde sit tertia conclusio.

Campsori, qui ex officio paratus est commutare pecunias cuiuscunque illas poscentis, licet recipere lucrum aliquod, vel taxatum sibi a Repub. vel quod arbitrio prudentum censebitur ac comodatum, & iustum, tanquam stipendium sui muneris & obligationis quam suscepit.

Hec perspicua est: Quia tam obsequium quod huiusmodi campsor aliis præstat, cum sit in maximam eorum vtilitatem & commodum, quam obligatio illa quam suscipit quærendi omne genus pecuniarum, & habendi illas paratas omni poscenti suarum pecuniarum commutationem, sunt res pretio æstimabiles: cum ita paratus esse nō possit sine laboribus, & expensis: Vnde tuta conscientia potest hoc pretium recipere, vel quatenus fuerit sibi à superioribus taxatum, vel quale periti & prudentes iudicauerint esse iustum, vbi Respub. illud ipsi non persoluit. Ex quo sequitur cambientes pecunias hoc genere Cambij, quod minutum & manuale dicimus, non ex officio, neque cū tali obligatione, sed pro libito, & cum illis expedit, & placet, nulla ratione posse pretium legale excedere, quando pecunias sub ratione pecuniæ, & Numismatis commutant.

Hec est aperta sententia Siluestri verbo vsura. capit. 4. §. 3. Et Caietan. de Cambiis in principio. Vbi concedunt quidem Campsori ex officio, posse lucrum aliquod recipere, tanquam sui officij & obligationis stipendium, cęteris verò illud omnino negant, & apertissime. Vnde miror Mercatū optimi ingenij virum, & in hac disputatione peritum, & exercitatum contra sentire: cum in eo qui commutat pecunias sine vllo labore, expensis, vel obligatione, sed

sua

ſua propria ſponte, vel quia ita ſibi expedit, vel quia vult alteri eam gratiam præſtare nulla exiſtat ratio, vel titulus, proter quẽ poſsit à pretio legali excedere, vbi pecuniã ſuam non vendit tanquam metallum, ſed ſub propria ratione Numiſmatis commutat. Et quod peius eſt, quod afferat in ſuam ſententiam Siueſtrum, & Caietanum, quos ſatis conſtat oppoſitum omnino docere.

Sunt tamen qui contra hanc tertiam conclusionem & Caiet. ſententiam obiiciunt: Vel iſta commutatio manualis pecuniæ cũ pecunia accepto aliquo lucro eſt aliena ab omni iniquitate, & licita, vel non? ſi nullam continet ſecundum ſe iniquitatem, cuiuis licebit ita cambire, tam Campſori à Repub. conſtituto, quam aliis priuatis propria ſponte cambientibus: Si verò ab iniquitate aliena non eſt, nemini licebit ita cambire, nec Campſori publico, nec priuato. Sed hoc facile ſoluitur, quia priuatus qui cambit, vbi & quando vult, & non ex officio, non patitur (vt diximus) labores, & expenſas, quas patitur cambiens ex officio, nec ſuſcipit ille obligationem habẽdi pecunias paratas cuicunque volenti Cambire, quam ſuſcipit Campſor publicus, & ex officio. Vnde, quod huic licet propter lalabores, & expenſas illas, ac obligationem quam ſuſcipit, non licet illi, qui nec tales patitur labores, nec illas facit expenſas, nec talẽ ſibi imponit obligationem & onus.

Sed hac occaſione, forſan quæres, Num in aliquo euẽtu liceat Cambienti pecunias per Cambium minutum, aliquid vltra legale pecuniarum pretium recipere? eſto non præſtet illud ex officio? Reſpondet & recte Caietanus in illo Opuſculo cap. 6. Eos quoque, qui non ſunt Cãpſores ex officio poſſe aliquando ex permutatione referre lucrum. Quando enim moneta quam permutant aurea eſt, vel argentea, & permutanti ad ſua negotia gerẽda valde cõmoda, ſi quiſquam illam contendat ſibi habere, poterit dominus illius, vendere alteri ſuam neceſsitatem, vel commodum: quo caſu, non propter permutationem, ſed quia orbatur (inquit Caiet.) ſua commoditate, poterit commutare ſuum aurum pro argento, vel argentum pro alia moneta ſibi minus accõmodata & reportare lucrum. Quod ſi hæc commutatio auri pro argento, vel argenti pro alia pecunia vtilis quidem ſit & commoda quærẽti auream illam monetam, vel argẽteam, habenti autem illam non eſſet neceſſaria, ſed omnino indifferens, tunc non poteſt carius commutare propter commodum alterius. Quia ſicut commoditas ementis non auget pretium rei venditæ in contractu venditionis, ita nec commoditas quærentis pecunias aureas, vel argenteas, confert habenti illas ius aliquod ad lucrandum, quando ipſe ex illa commutatione nullum patitur dãnum, vel nulla priuatur commoditate ſua. Hæc Caiet.

Ex qua doctrina colligit recte Palatius loco citato lib. 3. De contract. c. 2. in his euẽtibus poſſe cambientem lucrum recipere, quamuis non exerceat illud ex officio. Primo, quando pecuniæ quas habet ad emendas merces, vel alio deferendas, vel deaurandas imagines, vel conficienda aliqua vaſa, commodiores ſunt, rogatuſque ab alio accipit eas quæ illi inſtituto ſunt minus accommodatæ. Secundo, quando habens pecunias aureas, vel argenteas, aliquas fecit expenſas in illis comparandis, poteſt poſtulare ab eo à quo illas commutare rogatur, reddat ſibi præter legalem illarum pecuniarum valorem, expenſas quas in illis ſibi acquirendis fecit. Tertio, ſi illarum aſpectu veluti quia aureæ ſunt, vel argenteæ, delectetur, quam voluptatem ex aliis, in quas illas commutare rogatur, nõ percipiet: huiuſmodi enim voluptas, & oblectatio pretio æſtimari poſſunt. Quarto, ſi minutiores, in quas ſuas aureas, vel argenteas rogatur cambire, periclitentur cadere ab vſu, vel conſueto à valore, huiuſmodi enim periculũ pretio quoque æſtimabile eſt. Iuxta hæc exempla facile cuiuis eſſe poteſt, de aliis, vel ſimilibus iudicare.

Quarta concluſio contra illam quartam opinionem. *Quando pecunia commutatur, vt pecunia formaliter ſumpta, & quatenus pecunia eſt, ſiue ſit commutatio, & ſolutio debitorũ primi generis, quæ iam fuerunt contracta, & debebãtur ex iuſtitia, ſiue ſit commutatio ſecundi generis, quæ adhuc eſt in fieri, & in qua libere contrahitur debitum, pecunia non poteſt commutari niſi iuxta pretium legale, vel receptum communi vſu & conſuetudine Prouintiæ.*

Vnde, ſiue ſoluam debita iam contracta, ſiue ſoluturus ſim rem quam tunc emo, non licet exhibere pecuniam niſi in pretio legali, vel conſueto tali loco. Probatur ex eodẽ principio, quo oſtendebant illi ſeruandum eſſe pretium legale in commutationibus primi generis hac ratione: Pretium legale impoſitum pecuniæ potiſsime illi impoſitum eſt, quatenus pecunia eſt, & ſecundum primarium

mariū vsum ipsius, obligatq; omnino quādo redditur illa vt pecunia, ac vt pretium rerum, qui est primarius vsus ipsius, sed quemadmodum in commutationibus primi generis soluitur illa vt pecunia, & secundū primarium ipsius vsum, & tamquam pretium rerum, similiter & eodem omnino modo in contractibus etiam secundi generis redditur vt pecunia, & pretium rerum quæ emuntur, qui est primarius vsus ipsius, ergo quemadmodum in cōmutationibus primi generis est necessario seruandum pretiū legale pecuniæ, ita & in cōmutationibus secundi generis.

Secundo, Vtraque commutatio istarum eodem omnino modo se habet: sicut enim quando ego restituo mutuum, vel soluo laborem mercenario, aut debitum aliquod cōtractum ex aliquo precedenti contractu, teneor ad illam solutionem ex iustitia, ita quando emo aliquid, licet libere emam, supposito tamen quod emam, ex iustitia teneor reddere iustum illius rei quā emo pretium, & sicut hæc obligatio soluendi pretium rei emptę nascitur ex cōtractu libero, ita & illi obligatio restituendi mutuum, vel soluendi stipendium mercenario, fuit orta ex contractu quando exercebatur libero, libere namque accepi mutuum, vel conduxi mercenarium, ergo sicut in commutatione prioris generis est seruandum pretium legale pecuniæ, ita quoque in ista commutatione secundi generis. Nec valet quod aliqui respondent in fauorem illius opinionis, legē taxasse pretium pecuniæ ad vsum primariū ipsius quo ad commutationes solum primi generis, non autem quo ad commutationes secundi generis: hoc enim est volūtarie dictum, nec vlli nititur rationi aut fundamento. Lex enim in vniuersum vult pecuniam illam qua pecunia est & pretium rerum, in quo consistit primarius ipsius vsus, habere hoc pretium, neque distinxit inter has vel illas commutationes, *Et vbi lex non distinguit, neq; nos distinguere debemus.*

Quinta conclus. *Vbi lex prohibet pecuniam quouis modo sumptā aliter commutari seu vendi quam pretio ab ipsa taxato, nulla ratione seu via, neq; qua pecunia est, neq; qua metallum est, licet manente illa sub sygillo pecuniæ, nec diminuta ratione alicuius vetustatis, aut deformitatis, pro vtilitate illius qua pecunia est aliquid accipere vltra pretium legis.*

Probatur: Potest hæc lex maxime iuuare bonum commune: Primo, vt prohibitis huiusmodi excessibus pretij legalis quocunq; titulo, occludatur via iniquitatibus, quæ in huiusmodi cambijs fieri possunt, & sepius fiunt: qua de causa fuerunt prohibita Valentię, cura & solicitudine Sanctissimi Præsulis Fr. Thomæ à Vilanoua. Secūdo, vt sublatis his Cambijs, etiam sub titulo venditionis pecuniæ aureæ & pretiosę, nō transferātur ad aliena regna: Itali enim sub titulo venditionis augentes pretia pecuniæ aureę Italiam auro repleuerunt cum magno Hispanię nocumento, cui occurrere tenentur Reges. Lex autem quę respicit bonum commune lata à Principe iusta est, & habet vim in foro conscientię, ergo vbi talis lex & prohibitio extiterit, nulla via licet excedere pretium legale. Ita fit, in nostro Regno, & tota corona Aragonum licere augere pretia pecuniarum, eo modo quo in propositis conclusionibus docemus, quia in his Regnis nulla est lex id prohibens. In Regno autem Castellæ res est dubia: Quia (vt diximus) Rex noster Philippus constituit anno 1566. legem illam, qua taxauit pretia pecunijs, precepitque omnino, vt nullo titulo illud augere cuiquam liceat, illis verbis quę iam retulimus: *Que no passen, ni se vendan, ni commuten por mas en manera alguna, so las penas &c.* Quæ verba aperte prohibent omnino alio pretio commutari quam legali, quacunque ratione commutentur, siue per veram commutationem pecunię vt pecuia est, siue per venditionem pecuniæ vt aurum est. Vnde obligat lex illa in Castella in conscientia, peccantq; illam transgredientes, nisi disuetudine & contrario vsu (vt quidam volunt) suā amisserit vim. Quod si illam nō amisit, sed est in viridi obseruantia apud illos, iudicarem peccare illam transgredientes, quia iusta est, & respiciens bonum commune, excessum autem non esse restituendum, tum quia hęc lex non reddit contractum istum nullum, cū nihil tale exprimat, sed contententa sit, vt ipsius transgressores maneant expositi pœnis Regni, tum etiam quia in tali contractu simpliciter, & à parte rei nullū nocumentum infertur, cum pecunia cuius pretium exceditur, quando venditur vt metallum, sub ratione ista ac vt metallum est: vere valeat pretium illud cum illo excessu. Oppositum videtur sentire Soto, sed alij quos in hac parte sequimur, probabilius multo iudicant, non esse excessum illum pretij legalis restituendum, quando pecunia venditur vt metallum pretiosum, & ea ratione excedit reuera arbitrio peritorum pro-

pretium legis.

Vltima Conclu. *Potest prohibere Princeps ne huiusmodi Cambia minuta a priuatis exerceantur, sed ab his tantum, quibus ipse vel Respub. hoc munus commiserit: quin & omnibus potest illud interdicere; Et expediret forsan ita a Principibus fieri.*

Patet ex dictis in proxime pręcedenti cõclusione. Quia cederet illud in maximã Reipub. vtilitatem, tum ad occludendam viam multis iniquitatibus, quę occasione huius Cambij exercentur, vel possunt saltim facile exerceri, Et vt habet Prouerbium Hispanum *En arca abierta el justo peca*: tum etiam, ne hac via pecunię horũ Regnorum, ad alia facile transferatur cum magno boni cõmunis detrimento.

Nunc ad argumenta, quæ sententiæ quã sequimur, aduersantur: Qualia sunt argumẽta Medinæ, nam alia fauent nobis, vt cõstat, confirmantque nostras, conclusiones.

Ad argumenta igitur Ioannis Medinæ: Ad primum respondet Nauarrus in Manua li.c.28.fol.55. legem solum taxasse pretium pecuniæ quo ad primarium vsum ipsius per se, ad illud scilicet in quo emptores, & venditores debent illam ad minus recipere, non tamen prohibere, quominus in commmutatione pecuniæ, cum hic sit secũdarius illius vsus, posit pecunia pretiosior commutari pro alia minus pretiosa cum aliquo excessu istius pretij, ex libero consensu, & conuentione vtriusque contrahentis, nulla vi, aut dolo interueniente, sed vtroque sciente pretium legis, & in id libere consentiente. Hęc tamen solutio incidit in quartam illam sententiam, quam confutauimus. Vnde respondeo iuxta Siluestrum, seruandum quidem esse in commutatione pecuniæ pretium legale, quando pecunia commutatur, vt pecunia, quia tale pretium impositum est illi formaliter, & proprie, vt pecunia est, ac omniũ rerũ pretium, quod nos non negamus: solũ namque concedimus posse augeri, quando venditur vt aurum, vel argentum, aut quando aliqua alia causa iusta se offert ex illis, quas retulimus ex ipsomet Medina & Caietano.

Ad secundum respondeo, taxasse quidem Regem pretium pecuniæ iuxta communem nobilitatem talis metalli, & iuxta communes vtilitates argenti: non tamen respexisse omnes: nec omnes naturales, nec omnes particulares: De particularibus perspicuũ est, de naturalibus constat ex aurificibus, qui resoluentes aliquos duplos aureos Hispalenses vel Valentinos, inueniunt valorem aurei, ex quo confecti sunt, excedere argenteos qui constituti sunt à lege tamquam illorum pretium. Ad conformationem dico, licere quoque Regi, aureos qui plus valẽt quatenus aurum, per contractum venditionis carius commutare, non tamen expedire vt Reges exerceant istas commutationes, nam *multa* (inquit Apostolus) *Michi liceat sed non omnia expediunt.*

Ad tertium dico, In omni Cambio, cum sit contractus pertinens ad iustitiam commutatiuam, seruandam esse æqualitatem, seruaturque illa iuxta nostram sententiam, cum in commutatione pecuniæ vt pecunia Etsi, nõ sit excedendum pretium legale, in commutatione vero eiusdem vt aurum est, in qua vere venditur, recipiendum tantum sit pretium illud quod iustum est, vel vsu fori vel arbitrio prudentum, & iuxta leges iustæ venditionis. Et at minorem Respondeo, Quæ sunt ęqualia vni tertio esse ęqualia inter se, eo modo quo sunt æqualia illi tertio, & ita 10. scuta in auro & 10. scuta in argento sumpta vt pretium illius tritici vel alterius rei venalis, oportet esse æqualia, quia hoc modo sumuntur vt pecuniæ, & iuxta primarium vsum: attamen sumpta eadem numismata quędam vt aurum, & quędam vt argentum non oportet esse æqualia in valore, cum posit aurum illud varijs rationibus & modis excedere valorem illius argenti.

Ad quartum respondeo, nunquam pecunias minutiores, & viliores in genere metalli esse æqualis valoris cum aureis, & pretiosioribus, neq; habere pares vtilitates & cõmoda cum illis.

Ad ultimum respondeo, sicut ad primũ, in commutatione pecuniæ pro pecunia sub ratione pecuniæ non licere excedere pretiũ legale, quia tunc vna pecunia est velut mensura & pretium alterius, sicut in emptione tritici non licet excedere pretium legale tritici: at quando venditur aurum illud ex quo pecunia constat, non est attendendum pretium legale, sed valor & pretium illius auri, vt aurum est, ex vsu fori, vt expositũ est: Quod conuenit pecuniæ, quia habet illas duas rationes, vt sit pecunia, ac vt sit aurum, tritico vero non conuenit nisi solum esse triticum, & rem venalem, non autem pretium aliarum rerum

Ad argumenta quartæ opinionis: Respondeo ad primum cum quibusdam, antecedens esse verum, sed negandam consequẽtiam:

tiam: quia venditor potest minuere pretiũ suç rei, maxime cum illud habeat latitudinem, emptor autem non potest augere pretium pecuniç aureç in cõtractu illo emptionis, quia tunc datur vt pecunia, ac vt pretiũ aliarum rerum venalium, qua ratione seruãdum necessario est pretium legale. Vel dico, quocunque modo fiat ille contractus, siue descendendo à pretio solito rei, quia soluitur in auro, pecunia illa aurea manẽte in suo pretio, siue re venali manente in suo pretio, & pecunia aurea eleuata ad maius pretiũ, à parte rei nihil aliud esse, quam rem illam vilius vendere, quia soluitur pretiũ eius in auro, (quod, an liceat, ex his quç diximus q. 77. art. 1. petendum est.

Ad secundum dico, in commutatione pecuniæ cum pecunia licere commutare magis pretiosam cum minus pretiosa vltra pretium legale, quando illa venditur vt aurum, non tamen quando commutatur vt pecunia quędam, & sub ratione pecuniæ: vnde cum in commutationibus illis secundi generis, veluti emptionibus, tradatur pecunia pro re venali vt pecunia & pretiũ illius est, seruandum in ea necessario est pretium legale ipsius.

Ad tertium dico, habentem pecuniam pretiosam posse tradere illam Campsori accepto maiori pretio quam legali, si tradat illam vt aurum pretiosum, non tamen si tradat illam vt pecuniam: quo fit, vt cum in emptionibus & aliis contractibus tradatur vt pecunia, non possit in eis augeri pretiũ legale ipsius. Addiderim tamẽ hic, eum qui bona fide commutaret pecuniam aureã aliquo pretio moderato, paululumq; maiori quam sit legale, credentem id sibi licere, quia viri graues & periti vt Angelus, Soto, & alii ita sentiunt, iudicantemq; bona fide opinionem illam nõ esse minus probabilẽ, non peccare, nec inique agere, cum liceat tuta conscientia sequi in moralibus & quo ad praxim opinionem probabilem.

Hęc dicta sunt de Cambio minuto, in quo vtraque pecunia quæ commutatur expẽdibilis est. Quod si alia expendibilis sit, alia vero non, dicam cum Caietano cap. illo 6. non expendibilem commutandam esse tamquam metallum, & seruandum esse in ea pretium, quod tale metallum tali loco & tempore valebit iuxta communem vsum Fori: quod si vna nempe expendibilis sit prę sens, quæ vero hic expendibilis non est, sit absens, expẽdibilis tamen in eo loco in quo existit, & recipienda est, tunc exercetur Cambium quoddam reale, de quo inter Cãbia realia disputabimus.

QVAESTIO QVARTA.

DE CAMBIO REALI, ET *ficto, siue sicco.*

PRAETER Cambium minutũ quo pecunia presens pro presenti commutatur, sunt vt vidimus quęstio. 2. duo alia Cambiorũ genera, in quibus commutatur pecunia presens pro absenti: ita vt si realiter, & vere (sicut diximus) absens sit, & loco distans, sit Cãbium verũ, & reale. Quod si solo tẽpore distet, ita vt in eodem loco in quo recipitur sit restituenda, est Cambium fictum, & simulatum.

Quærunt hic aliqui, hæc diuisio Cambij in reale, & fictum sit ne generis in species, vel quænam diuisio sit, dico non esse generis in species, quia species continent in se verè & propriè essentiam generis, Cãbium autem fictum non est verè Cambium, vt statim videbimus, sed mutuum sub titulo Cambij. Vnde est diuisio analogi in sua analogata, sicut animalis in animal viuum, & pictum: Cambium enim reale verè Cambium est, fictum verò sola similitudine, & simulatione. De vtroque hic dicendũ est. Et initio quo pacto exerceantur, deinde qua ratione quod verum est, & reale iuste fiat. Porro cum ex Aristotele rectum sit iudex sui, & obliqui, explicantes Cambium verum, ac reale simul explicabimus quale sit fictum, & siccum. Et ex his quæ de vero, & reali dicemus colligemus postmodũ quasi in summa varios modos, quibus quæ sicca sunt, & ficta exercentur.

ARTICVLVS PRIMVS. QVOMODO EXERCEA- *tur Cambium verum; & quot sint genera Cambiorum, quæ modo sunt in vsu.*

CAMBIVM verum, & reale, cum sit commutatio pecuniæ presentis pro absenti, & ea quę vere, & realiter in alio loco existit, fiatque eo fine, vt habẽs pecuniam vbi illa non

nō indiget, recipiat eā vbi illa eget, exercetur illis duobus modis quos superius q. 2. proposuimus: nimirum, vel ita vt Campsor recipiat v: g. Valentiæ 100. aureos, quos per suum ministrum & factorem restituat Romæ: aut è conuerso ita vt conferat eos Romæ Petro ibi illis indigenti, recepturus eosdem Valentiæ, vbi Petrus illos habet. Hos duos modos in alios minutiores sub his contentos quidam partiuntur, sed cum tanta diuisionum multiplicatio confusionem potius ac perturbationem pariat, quā veram rei intelligentiam, nos illis duabus nunc contenti sumus. Illud interim constet, Cambium verum ac reale illud tantū esse, in quo pecunia in vno loco tradita vere ac realiter in alio diuerso & distanti restituitur, ita vt presens pro alia vere loco absenti & distanti (vt abunde inferius docebimus) commutetur. Quo fit vt Cambium, in quo non recipitur vera & realis commutatio pecuniæ presentis in aliam vere & realiter absentem, ac distantem, sed solum commutatio pecuniæ presentis pro alia post tempus aliquod in eodem loco restituenda, non fit verum & reale Cambium, sed verum mutuum simulatū tamen sub nomine Cambij. Quod re in praxim redacta facilius intelligetur. Existit vir nobilis Valentiæ, qui nullibi habet pecuniam, nec Lugduni, nec Flandriæ, nec Romæ, nec Hispali &c. nec ministrum vel negotia, nec creditum, nempe amicum vel mercatorem qui acceptis litteris ipsius reddat ibi pecuniam, quā per litteras solui mandabit. Eget nobilis hic 1000. aureis postulat illos Valentiæ à Campsore, restituendos per suas litteras, & persoluendos Hispali: nouit Campsor huiusmodi nobilem Hispali nihil omnino habere eorum quę diximus, nihilominus confert illi mille aureos, acceptis litteris mittendis Hispalim, vt ibi pecunia illa sibi persoluatur: quæ tamen litteræ in hoc casu fictæ sunt, quia nobilis hic neque pecuniam, neque ministrum aliquem, vel amicum habet Hispali, à quo pecunia illa restituatur: qua de causa, aut non egrediuntur Valentiam, nec mittuntur, aut si mittantur, redeūt inanes & vacuæ, factis quibusdam protestationibus vel figmentis, quibus constet culpa illius nobilis Campsuarij non persolui litteras illas: decurrit interim totum illud spatium temporis, quod ex more conceditur debitoribus Cambiorum, nimirum vsque ad proximas nundinas: illisque aduenientibus, ac termino solutionis, compellitur nobilis ille ad reddendos illos mille aureos in eodem omnino loco, vbi illos acceperat, & vlterius pretium quod communi vsu fori solent Campsores recipere in Cambiis è Valentia in Hispalim.

Huiusmodi ergo Cambium fictum est, et simulatum. Primo, quia non est commutatio pecuniæ verè & realiter presentis pro absenti, cum nobilis iste nullam pecuniam Hispali haberet, nec propriam nec amici ex qua fieret solutio, sed solum fingeretur. Secundo, Quia litterę illę sunt fictæ, cum tradantur tamquam transmittendæ ad ministrum, vel mercatorem redditurum Hispali pecuniam illam, reuera tamen transmittendæ non sint, vel si transmittantur, non existat minister, vel mercator amicus huius nobilis, qui illas admittat, & persoluat. Tertio fictum, Quia cum solutio istius pecuniæ reuera sit facienda ab eodem nobili Valentiæ, vbi recepta est huiusmodi pecunia, fingitur facienda Hispali. Vnde propriè contractus iste mutuum est, cum nihil aliud sit quam traditio pecuniæ facta Valentiæ, pro simili pecunia in eadem Valentia post aliquod tempus recipienda, in quo consistit propria ratio & natura mutui: simulatur autem, fingiturque Cambium cum sit vere mutuum.

Hoc Cambium ficcum simile est emptioni fictæ, quæ solet fieri inter nonnullos diuites & aliquos pauperes agricolas. Accedit Agricola habens boues sed indigens pecuniis ad diuitem, dicens, eme à me hos boues 40. aureis, diues autem ille nihil minus intendens quam emere boues, quibus ad nullum vsum eget, annuit, & sub colore emptionis confert illi agricolæ 40. aureos, agricola ipso retinente apud se boues, quos diues hic qui se illorū emptorē fingit, nec vidit, nec nouit an existant in rerum natura; additq;, en tibi 40. aureos pro tuis bouibus, hac lege vt retineas illos tuis vsibus per 8. vel 10. annos, post quos recuperabis tu plenum illorum dominiū, restituesq; mihi meam pecuniā, sed interim singulis annis, cū tu vtaris meis bouibus, quos mihi modo vendidisti, quasi locationis titulo reddes mihi 6. vel 7. aureos. In hoc cōtractu sub titulo vēditionis, & emptionis, & locationis rei emptę, mutuat iste diues illi misero agricolæ 40. aureos recipiendos post tempus illud vna cum illo lucro: Ita in Cambio ficto, sub titulo contractus Cambij

bij mutuat Campsor iste illi viro nobili mille aureos Valentiæ, Valentię similiter recipiendos post aliquot menses cũ lucro. Prætereo nunc alia figmenta, quibus varia Cambia exercentur simulata omnino & ficta, de quibus inferius in particulari dicemus, vbi referemus varios modos Cambii ficti, iuxta ea quæ in sua Bulla de Cambiis docet, ac declarat Sanctissimus Pontifex Pius V. Hoc igitur Cambium, in quo Valentiæ conferuntur viro nobili nullam pecuniam vel creditum Hispali vel alibi habenti mille aurei, datis ab eo litteris Campsori ad Hispalim, est omnino simulatum & fictum.

His modis exercentur hæc Cambia: Quibus si nihil aliud Campsorum mercatorumque cupiditas addidisset, facile profecto erat de Cambiis, illorumq; iustitia & æquitate iudicare, perspicuumq; satis prius illud, nisi aliunde vitietur, iustũ esse & licitum, posterius vero nempe fictum & siccũ iniquum & vsurarium.

Etenim quod ad reale verumque Cambium spectat, ita, (si primæuam illius institutionem spectemus) constare potest. Si famulus, vel mulio, aut nauta, vel quiuis alius pecuniam meam transferret è Valentia Romam, vbi ego illa egeo, iuste exigeret à me stipendinm, & pretium laboris, & expensarum, quas in illa transferenda faceret: sed Cambium reale, sumptum iuxta suam primæuã institutionem, quam tantũ hactenus exposuimus, idem profecto est quod quædam transportatio, & traductio meæ pecuniæ è Valentia in Romam, qua transportatione liberat me Campsor à mille laboribus, & periculis, faciens varias expensas, subiensque multa pericula, meretur igitur pro obsequio isto cum tot periculis, & expensis stipendium illud, & pretium quod recipit vltra capitale, iuxta communem vsum fori: Et ex consequenti Cãbium istud cum aliquo lucro, tanquã iusto laborum & expensarum stipendio, licitum, est & iustum.

Cambium verò siccum, & fictum iniustum & iniquum esse facile quoque patet. Quia Cambium fictum (vt constat) est reuera mutuum, quamuis simulatum sub colore Cambij, in mutuo autem accipere aliquid vltra sortem est vsura, ergo Cambiũ istud cum sit vere mutuum, in quo accipitur aliquid vltra capitale ex vi mutui, & sola ratione expectatæ solutionis, iniquum est, & vsurarium.

Et confirmatur. In Cambio reali non licet accipere aliquid extra capitale, nisi propter pericula, labores, & expensas, quæ in commutatione pecuniæ, & velut transportatione illius ex vno loco in alium occurrunt, vel alicuius iustæ & honestæ inter varias pecunias commutationis titulo, sed in Cambio ficto ac sicco non existunt huiusmodi labores, vt experientia constat, neq; vlla vera & realis commutatio inter diuersas pecunias in diuersis locis existentes, sed merum mutuum, iniquum ergo est aliquid in eo accipere vltra capitale.

Denique Cambium siccum habet se omnino vt venditio illa bouũ simulata, & ficta inter diuitem & agricolam pauperem, quam retulimus, sed illa iniqua est & vsuraria, ergo & Cambium fictum, cum nõ sit vera translatio, aut permutatio pecuniarũ, sed mutuum cum fænore, sub illius efigie simulata & ficta: iniquum similiter erit & vsurarium.

His ita in genere & quasi in tabella propositis, videamus iã, quot sint formę Cãbii realis & veri; quarum explicatione constabit, quando committatur simulatum & fictum.

Cambium verum, & reale solum fit ratione loci, cum sit commutatio pecuniæ presentis pro alia verè & realiter absenti, cupiditas verò mercatorum non contenta stipendiio. & lucro quod recipitur ex solo Cambio ratione loci iuxta cõmunẽ vsum fori, adinuenit alios cõtractus, siue causas, & modos lucrandi, quos permiscent Cãbio illi reali, & verò, quod fit sola ratione loci: Vnde orti sunt varii cambiẽdi modi, seu varia Cambiorum genera, quæ in hac disputatione costituuntur à DD. maxime à Nauarro in Comment. de Cambijs nu. 10. recipiunturq; fere ab omnibus. Quæ omnia quasi in vnũ collecta ad hęc quinq; capita, siue genera reuocare possumus: Ita vt.

Primum & potissimum sit Cambium ratione loci, siue per litteras.

Secundum, Cambium ratione officii.

Tertium, Cambium ratione depositi, siue custodię pecuniarum.

Quartum, Cambium ratione diuersitatis numismatum in diuersis locis.

Quintum, Cambium ratione copiæ, vel inopiæ totius generis pecuniarum in diuersis locis, quod alio nomine dicitur Cambium ratione diuersę æstimationis pecuniarum.

Addunt

Addunt nonnulli his quinque Cambiorum generibus alia duo, nempe minutum siue manuale, & Cambium ratione temporis: Sed prius illud non est huius loci, in quo agimus de Cambio in quo pecunia presens commutatur pro alia loco absenti, quod non accidit in illo manuali, propter quod de illo superius seorsum egimus. Cābium vero ratione temporis, vt ex dictis constare potest, & inferius magis explicabitur, fictum est, & siccum, ac verum mutuum simulatum sub effigie Cambii: hic autem agimus de Cābio vero, & reali, cuius tantum sunt ista quinq; genera. Quid autē sint, antequam ad singula descendamus, in genere, & crasa quadā minerua explicemus

Imprimis Cambium ratione loci est illud, in quo simpliciter commutatur pecunia presens pro alia vere, & realiter absenti, tradenda in alio loco, aliquo ex illis duobus modis quos proposuimus. Quod genus Cambij est quasi fundamētum aliorum, & cui cætera nituntur, ac miscentur: Dicitur reale, quia verè & realiter commutatur in eo pecunia presens pro alia vere & realiter loco absēti. Et per litteras, quia mediis litteris datis vel acceptis à Cāpsore recipitur pecunia illa, in quā alia cōmutatur.

Cambium ratione officii solet exerceri in Nundinis. Accedit Mercator ad Nūdinas, in quibus scit multa fore emenda, esseq; emptoribus necessariam pecuniam, postulat facultatē à Magistratu (si opus est,) eaque accepta, aperit officinam, parat mēsas multamque exponit pecuniam, offerēs se ipsum ac obligans ad conferendam pecuniam omnibus negotiatoribus concurrentibus ad illas Nundinas, ea lege, vt persoluant ipsi imprimis Cambium quod vsu fori censetur iustum, ex eo loco vbi celebrantur Nundinę illæ, & recipitur pecunia, in eum locum in quo illa à Campsuario restituēda est: & prætereà aliquid aliud ratione illius obligationis, cui se ipsum ex officio deuinxit, & subiecit.

Cambium ratione custodiæ siue depositi pecuniarum, est, quando quis pecunias mercatorum custodit, redditq; illas his qui bus à Mercatoribus, vel Cāpsoribus quorum pecuniæ illæ sunt, ipsi indicitur, recipitq; aliquid in Cambiis ratione illius custodiæ, & laboris, quem sustinet in custodiendis illis pecuniis, & soluendis litteris, quę illi soluendæ offeruntur.

Cambium ratione diuersitatis numismatis est, quando vna pecunia Cambitur pro alia maioris vel minoris valoris, & pretij in diuersis locis, & propter illum maiorem vel minorem valorem exigitur aliquid vltra capitale.

Cambium ratione copię, vel inopię totius generis monetæ in diuersis locis est, cū communiter Regna, & Prouinciæ non ex æquo, nec similiter pecuniis abundent, sed quædam earum aliquo tempore, & in aliquo euentu (vt dicemus) abundant, aliæ vero egeant, Hispania enim magis abundat quā Flandria, & in ipsa Hispania Hispalis magis abundat quam Valentia, solēt Campsores tradentes pecuniam in locis in quibus copia illius existit, ad loca in quibus est eiusdem inopia, vilius cambire, tradentes vero in locis in quibus existit illius inopia ad loca inquibus illa abūdat, carius; quia in locis inquibus est pecuniarum inopia magis illæ æstimantur, difficiliusque & cum maiori labore illæ reddendæ sunt.

Has Cambiorum formas, seu modos cōmutandi pecunias proponunt communiter in Scholis Theologi, cum de Cambiis disserunt, inspecta vero ac diligenter concinderata Cambiorum, quæ nunc exercentur, praxi, & mercatorum Campsorumq; communi vsu, ab omnibus & in omnibus fere Prouinciis recepto, & obseruato, quem à peritissimis eorum accepimus, & referemus statim ad vnguem, vltimum istud genus, quod dicitur Cambium ratione copiæ vel inopię totius generis pecuniarum in diuersis locis, est quod nūc potissime exercetur, & quod nunc maxime pertinet ad Cambiū per litteras: adeò vt Cambium hoc quod dicitur per litteras, nullo iā alio modo frequentius fiat, quam ratione istius copię vel inopiæ totius generis pecuniarum in diuersis locis. Placuit nihilominus eam diuisionem Cambii realis, quæ communiter in hac disputatione à Theologis adducitur, hic apponere, quamuis eatenus sit à nobis examinanda, & explicanda singulorum Cābiorum propria ratio, & iustitia, quatenus reipsa & de facto ab ipsis mercatoribus & Cāpsoribus exercētur. Hoc enim est quod inquirimus, & quod oportet Theologum probe nosse: id ipsum, quod illi in suis Cābiis & contractibus reuera præstant, vt de illorum ęquitate & iustitia verum rectumque iuditium feramus: Quo circa vt in re omnium quæ in disputatione de contractibus occurre potest difficilima debito ordine progrediamur, videamus primo quę pertinent ad Cambium reale.

ARTICVLVS SECVNDVS.

QVA RATIONE CAMbium reale per litteras fiat? Et in quo propria illius ratio, & iustitia consistat?

CVM Cambium reale & verum quod fit ratione loci, & per litteras fit, de quo potissime tota hæc disputatio instituitur, inquirendæ circa illum diligenter à nobis sunt propria illius praxis, & vsus, propria illius vis, & natura, vt ex his, quæ ad illius çquitatem, & iustitiam pertinent, commodius deprehendamus. Habet enim in his, sicut & in cæteris contractibus, & negotiis humanis maximum locum commune illud proloquium, & dictum: *Ex facto nascitur ius*. Quæ vt aperte, & optima methodo tradamus, seorsum, & per diuersas controuersias sunt à nobis explicanda. Sit ergo prima.

Controuersia Prima.

IN QVO PROPRIA NATVra, & ratio Cambij realis, quod fit ratione loci, & per litteras consistat?

(?)

SI primeuam illam Cambiendi formam, & modum, quem antiqui Theologi agnouerunt, Mercatores, & Cãpsores retinuissent, facile cuiuis esset propriam vim, & naturã Cambij, de quo hic agimus, explicare, & de iustitia illius iudicium ferre. Nam cum antiquitus nihil aliud prçstaret Campsor, quam vt pecunia, quam ipse recipiebat in vno loco, restitueretur à suo factore datis ad illum litteris in alio loco Campsuario, à quo prius illam acceperat, perspicuũ erat Cambium hoc ratione loci, siue per litteras esse velut transportationẽ pecuniç illius in alium, efficereque Campsorẽ per suas litteras idem quod efficeret Nauta vel agasso suo labore & reali ac formali traductione pecuniç ex vno loco in alium, & lucrum quod in huiusmodi Cambio recipitur vltra capitale esse reipsa velut stipendium laborum quos sustinet, & expensarum quas facit Campsor in transferenda pecunia Cãpsuarij ex vno loco in aliũ: Cæterum cum Cambia quæ nunc celebrãtur (vt iam admonui) diuersa admodum ratione exerceantur quam olim, quando Campsoris officium illud solum & potissimè præstabat, pecuniam scilicet Campsuarii ex vno loco in aliũ transferre, propterea in explicanda propria natura, & iustitia Cambii realis DD. varij sunt, adeo vt non desint qui illud damnent. Qua de causa acurate magis inuestigandum nunc est, in quo propria illius natura, & ratio consistat?

Imprimis sicut ex Caietano colligere licet in illo Opusculo de Cambijs cap. 2. & 3. & ex nostro Fabiano in eodem Tractatu. par. 2. cap. 5. non defuerunt qui absolute & omnino damnarent hoc Cambium ratione loci, sentientes iniuste recipi, quidquid in eo confertur vltra capitale. Ita quidam Iurisperiti, vt Gofre. & Hostien. in Summa. De vsuris. D. quoque Antonin. 2. & 3. parte locis inferius citandis affirmat, viros doctos & timoratos ita sentisse. Vbi sicut magis statim explicabimus, idem D. Antonin. illud tantum probat, Cambium in quo Campsuarius confert Campsori pecuniam suam, vt per litteras Campsoris eadem recipiat in alio loco, in quo illa indiget, Cambium vero, in quo Campsor confert pecuniam Campsuario alibi recipiendam cum lucro, magis videtur damnare, quam probare.

Qui vero Cambium hoc ratione loci absolute, & omnino damnant, opinantur illud esse reuera mutuum, & ex consequẽti lucrum quod in eo recipitur vsurarium. Quod autem verè mutuum sit (quod est suæ opinionis fundamentum) ita colligunt ex diffinitione mutui. Mutuum est traditio rei vsu consumptibilis absolte, & omnino id est tã quo ad vsum quam quo ad dominium, ea lege & vinculo, vt post aliquod tempus similis & æquiualens reddatur mutuanti: Qua ratione cũ mutuo triticum Petro, trado illud ad omnem vsum, transferoq; in Petrum dominium omne illius tritici, hac lege, vt simile triticũ vel valorem illius mihi restituat, nec curo restituat ne illud in eodem loco, an in alio, hoc enim est per accidens: Sed in Cambio isto ratione loci (de quo nũc loquimur) Campsor tradit rem vsum consumptibilem, pecuniam scilicet, traditque illam cum pleno dominio, & in omnem vsum in quem voluerit Campsuarius illam conuertere,

cum hac sola obligatione, vt post aliquod tempus æquiualentem restituat, est ergo mutuum. Quod si mutuum, iniquitas est & vsura accipere in isto contractu aliquid vltra sortem.

Secundo, vsurarium est sub spe verisimilis lucri conferre alicui pecuniam, Campsores autem perspicuum est (vt ipsimet fatentur) sub spe lucrandi Cambia exercere, & omnia pacta quæ adijciunt in hunc finem tendere, vt recipiant lucrum, etiam si illud non semper eueniat. Est ergo hic contractus vsurarius.

Tertio, Hæc Cambia introducta profecto sunt in fraudem vsurarum, cum nihil minus intendat Campsor, quam suæ pecuniæ commutationem, sed cum nolit gratis, pecuniam suam indigentibus mutuare, sub pretextu permutationis monetæ suæ ex vno loco in alium, mutuum ex quo lucretur, palliat. Et confirmatur, quia quanto magis differtur tempus restituendi pecuniam acceptam per Cambium, tanto maius interesse redditur à misero Campsuario, quod est proprium mutui vsurarij.

Quarto, esto pecunia esset vendibilis, vt quidam arbitrantur, non propterea licet Campsori lucrum ex illius venditione quærere. Patet. Quia nulla merces potest carius vendi, quam valeat hic & nunc, nisi quando venditor illius instituebat, firmiterque apud se deliberauerat seruare illam in aliud tempus, aut defferre illam in alium locum, in quo esset illa plus valitura, vt vidimus superius explicantes Cap. illud Nauiganti. De vsuris. at Campsores neque intendunt pecunias suas in aliud tempus seruare, neque in alium locum defferre, neque alteri negotio illas cōmittere, sed habent illas sua sponte paratas, & dicatas ad Cambia tantum exercenda.

Quod si dixeris esse quodam genus mercaturæ vtilis Reipub. quæ non debet exerceri sine aliquo lucro, & ideo licere illud recipere, sicut in alijs negotijs licet mercatoribus aliquod lucrum ex illis sibi comparare. Contra (sitque velut quintum argumentum). Mercatori ideo ex suo negotio & mercatura conceditur aliquod lucrū, quia exponit se periculo alicuius damni vel commodi: hoc enim est vt vidimus q. 77. art. 4. de ratione mercaturę, sed Campsor in hoc Cambio ratione loci nulli periculo se exponit, sed est maxime securus ergo non potest ex Cambio recipere lucrum tamquam ex negotio & mercatura. Minor patet: Nam si Campsor recipiat prius pecuniam Valentiæ tradendam Romæ, securus est, cum ipse prius receperit: si vero tradat illam Romæ, recipiendam Valentiæ, solet exigere pignora, aut fideiussores quibus reddatur securus, vnde nunquam manet expositus Campsor alicui periculo.

Propter hęc argumenta sunt qui docent, vt quemadmodum in Cambio minuto, in quo pecunia in pecuniam commutatur, sub ratione pecuniæ non liceret recipere aliquid vltra sortem, sed est seruanda equalitas inter vtramque iuxta pretium legale vtriusque, ita in Cambio ratione loci, seruandā esse similiter æqualitatem vtriusque pecuniæ iuxta pretium legale vtriusque, nihilque à Campsore vltra sortem recipi posse.

Qui vero docent hoc genus Cambij licitum esse & tuta conscientia moderatum aliquod lucrum iuste in eo recipi iuxta communem vsum fori, in explicanda iustitia & æquitate huius contractus in varias diuiduntur sententias.

Prima est Medinæ, qui Cod. de rebus restituen. in tracta. illo De Cābijs quęst. 1. in fine, fol. 146. iudicat Cambium hoc, in quo nō commutatur vna pecunia in aliam diuersæ sortis & valoris, sed fit tantū commutatio ratione loci, ita vt recipiatur eadem pecunia, esse Cambium impurum cui est mixtum mutuū, vel esse potius mutuum: licere nihilominus Campsori accipere aliquid vltra capitale propter labores, pericula, & onera, quæ sustinet, & expensas quas facit in contractu adeo vtili & necessario Reipub. sicut liceret mutuanti, qui subiret pericula, & onera, faceretque expensas in vtilitatem mutuatarij, aliquid recipere vltra sortem, non ratione mutui, sed ratione illorum periculorum, onerum & expensarum. Eandem sentētiam refert etiā Caiet. loco citato cap. 2. quosdam habuisse: Et nostro tempore nonnulli quoque recentiores illam amplectuntur, asserentes esse contractum mixtum & constitutum ex duobus contractibus, mutuo scilicet & Cābio: ita vt Campsor pecuniā suā vere ac re ipsa mutuet Capsuario, quando illam ei confert, recepturus tamen illam per Cābiū & commutationē cum alia pecunia in alio loco existēte, & hac ratione nō esse cō-

tractum iniquum, quia si quid in eo recipitur vltra capitale, recipitur illud non ratione mutui, sed ratione illius commutationis, id est ratione maioris valoris vel æstimationis quam habet pecunia restituenda in loco, in quem remittitur Cambium illud, & in quo debet fieri illius solutio. Quam sententiam videtur quoque amplecti D. Antonin. 3. parte titulo. 8. cap. 3. in principio illius cap. ante §. 1. Vbi constituit quatuor genera Cambij: Primum, quod diximus minutum; Secundum per litteras, in quo Petrus iturus Romam tradit Valentię pecuniam suam Ioanni Campsori, vt per litteras faciat eam illi Romæ restitui. Tertium, quod vocamus fictum & siccum, quia vere est mutuum: Quartum, per litteras in quo Campsor tradit v. g. Romæ centum aureos Petro Campsuario, restituendos Valentię factori Petri: & hunc quartum contractum facit ibi D. Antonin. permixtum ex secundo & tertio, id est ex Cambio & mutuo, quod tamen non omnino probat, cum dicat magis accedere ad rationem tertij Cambij sicci & ficti, quod est vere mutuum, sub pretextu & nomine Cambij.

Quod vero Cambium hoc per litteras sit contractus mixtus, vel constitutus ex mutuo & Cambio, docent huius primæ opinionis Authores his potissime argumētis. Primo, Perinde se habet Cambium hoc in pecunijs, sicut & in alijs rebus quę non sunt pecuniæ, sed factum in alijs rebus constat ex mutuo & Cambio, ergo & celebratum in pecuniis similiter constabit ex mutuo & Cambio. Maior certa est, Probatur minor familiari exemplo. Detur equus Petro Valentiæ, restituendus ab illo post aliquod tempus Barchinonæ, si quemadmodum erat restituendus à Petro ille idem equus Barchinonæ, ex consensu vtriusque partis restitueretur à Petro Barchinonæ alius similis, & æquiualens, profecto in hoc contractu duo interuenirent, alter mutui, quo fuit Petro equus ille mutuo traditus Valentiæ, alter vero Cambii, quo Petrus loco equi sibi mutuati Valentię redderet Barchinonæ alium illi ęqualem, ergo pari ratione in Cambio pecuniarum asserendum est hos duos contractus misceri, alterum mutui, quo Campsor exhibet mutuo pecuniam suam Campsuario, alterum Cambij, quo Campsuarius loco eius pecunię quam accepit Valentiæ, restituit Metinæ aliam illi ęquiualentem.

Confirmatur: Si quis postularet à me Valentiæ mille argenteos restituendos Barchinonæ, non in argēteis, sed in denarijs, iuxta valorem denariorum quem singulus argenteus habet Barchinonæ, perspicuum est in hoc contractu duos reperiri, alium mutui, quo mutuaui mille aureos Valentiæ, per totum illud tempus quod decurret donec mihi restituantur Barchinonæ, alium vero Cambij, ex pacto illo, ne restituantur Barchinonæ in argenteis, sed in denarijs: Ad eundem vero modum fiūt hęc Cambia per litteras, de quibus hic agimus: conferuntur enim prius à Cāpsore, Valētiæ mille aurei, restituēdi à Campsuario Metinę, post aliquod tempus, in pecunijs quas iste Campsuarius habet Metinæ: constat ergo huiusmodi Cambium per litteras ex mutuo quodam in Valentia, & Cambio illius pecunię in Metina.

Secundo, Possunt hi duo contractus mutui & Cambij diuisim, ac in diuersis locis celebrari, ita vt Petrus mutuet Ioanni mille aureos Valentiæ, restituendos Barchinonæ sine vllo interesse vel lucro ratione talis mutui: ratione inquam talis mutui, quia posset forsan exigere lucrum cessans, vel damnum emergens, si in tali mutuo illud accideret, iuxta ea quæ superius docuimus de lucro cessante, vel damno emergente in mutuo: simpliciter autem ratione illius mvtui nihil posset Petrus exigere, vel recipere à Ioāne. Rursum si Petrus illos mille aureos quos Ioanni Valentiæ mutuasset, quando illos Barchinonæ ab eo reciperet, ibidem commutaret iuxta valorem, vel æstimationem quam illi mille aurei habent Barchinonæ, certe in hoc casu reperirentur hi duo contractus, alter mutui celebratus Valentiæ, alter Cambij celebratus deinde Barchinonæ: At hoc ipsum accidit in Cambio per litteras, coniunguntur enim in eo ac miscentur hæc duo, vt prius conferatur pecunia Valentiæ, deinde restituatur à Campsuario Barchinonæ, in eo pretio, & valore quem habet Barchinonæ: iunguntur ergo & miscentur re ipsa in Contractu Cambij per litteras hi duo contractus, alter mutui, & alter Cambij.

Tertio

Tertio, Cambium hoc de quo hic agimus, vtpote in quo Campsor confert pecunias Valentię sibi restituendas à Campsuario Metinæ, contractus est maxime similis emptioni, quæ fit anticipata solutione, quemadmodum enim in huiusmodi emptione confertur prius pecunia, & pretium ab emptore, & post aliquod tempus in eodem loco vel distanti traditur merces emptori, ita in hoc Cambio confertur prius pecunia à Campsore, restituiturq; illi diuersa in alio loco à Campsuario, sed in emptione quæ fit solutione anticipata, solutio illa, & traditio pretii precedens, est velut quoddam mutuum, vt vidimus quęst. 78. artic. 2. controu. 23. traditio vero mercis, quæ illa solutione anticipata fuerat empta, est velut commutatio in illam pecuniam, quę fuerat recepta in pretium: ergo & in Cambio per litteras, de quo hic loquimur, reperiuntur hi duo contractus, mutui & Cambij: mutui, quando Campsor tradit pecuniam suam Valentiæ post aliquod tempus sibi in alio loco restituendam, Cambij vero, quando loco eius restituitur alia à Campsuario, in eo loco ad quem fuerat solutio destinata.

Addunt authores huius sententiæ, Quamuis in hoc Cambio, de quo agimus, duplex contractus concurrat, nẽpe alter mutui, alter vero Cambii, præcipuè nihilominus ac potissimè concurrere in eo contractum Cambij, quia pręcipua intentio & finis Campsoris in eo est, pecuniam suam, quam v. g. confert Valentiæ, commutare & cambire cum alia, quam recepturus est Hispali, quod autem suam prius Campsuario illi mutuo contulerit, fuit per accidens, quia non potuit commutare eam, cum illa quam instituit Hispali recipere, quin prius Campsuario illi Valentię mutuaret. Quemadmodum in emptione, quæ fit solutione anticipata, licet anticipata illa solutio sit quoddam mutuum, contractus verè qui præcipuè ac potissimè ibi concurrit, est emptio, per accidens vero est, quod pręcedat solutio, & mutuatio pecuniæ. Ex his colligunt, propterea in hoc contractu posse recipi lucrum, quia licet concurrat quoque in eo mutuum, sed magis præcipuę ac potissimè Cambium. Et similiter, vt de illius ęquitate, & iustitia recte iudicetur, non esse in eo leges mutui, sed leges veri ac iusti Cambii atendendas.

Secunda opinio est quorundam aliorum, quos tacito nomine refert Caietanus cap. illo 3. quam & nonnulli recentiores quos refert Mercatus loco citato amplexi sunt, inter quos dicitur etiam fuisse Magister Cano. Constituunt hi pecuniam presentem esse magis pretiosam & maioris æstimationis quam absentem, maxime inter mercatores, qui non patiuntur illam esse otiosam, sed habẽt semper illam lucris expositam: Tum, quia presens est vtilior ad negotia & lucra quam absens, Tum etiam, quia securior, absens enim multis periculis exposita est, à quibus presens est libera. Vnde 100. presentia ęquantur in æstimatione & pretio 105. absentibus.

Hoc posito dicunt Cambium hoc reale ratione loci licitum esse, & lucrum quod ex illo percipitur iustum ex natura ipsius contractus Cambij realis. Quod ita docent. Cambium hoc est vera & realis commutatio pecuniæ presentis pro absenti, sed pecunia presens est magis pretiosa quam absens, valentque 100. presentia in æstimatione prudentum ipsis negotiatoribus, non minus, quam 105. absentia, licet ergo in hoc Cambio Campsori danti 100. presentia, accipere à Campsuario 105. absentia. Et confirmatur. In Cambio minuto si 100. valẽt 105. licet ita commutare, quia aliter non seruaretur æqualitas, ergo cum in Cambio reali pecunię presentis pro absenti, 100. presentia valeant 105. absentia & distantia, licet Campsori conferenti 100. presentia, vt seruetur ęqualitas, accipere deinde 105. absentia, & distantia.

Secundo, Cambium quod fit ad loca magis distantia, fit cum maiori interesse & lucro, quanto locus magis distat (quod & Pius V. in sua bulla insinuat,) cuius rei ratio est, quia tanto pecunia ibi existens minus vtilis minusque secura est, & eo ipso minoris æstimationis: ergo quod in hoc Cambio ratione loci recipitur, ideo iuste recipitur, quia datur pecunia presens, quę magis pretiosa est, pro absenti quæ est minus pretiosa.

Tertio argumentatur Ludouicus Lopez & alij: Ex D. Thoma in hac 2. 2. quęst. 77. artic. 1. Tanto magis, alicui res sua valet, quanto magis læditur si ea careat, propter quod licet vendenti seu mutuanti ducere in pactum damnum sibi ex illo contractu emergens: sed cum Campsori sit sua pecunia absens, & recipienda ab illo in alio loco, læditur in eo quod careat illius prẽsentiatũ etiã quia sine expensis illam recuperare non potest, ergo pecunia presens magis valet quam absens, licebitque hoc nomine Campsori aliquid recipere, quia exhibet suam pecuniam presentem quę magis illi valet, vt constat, pro alia absenti quę minus ei valet. Et confirmatur, Nam

 omnes

omnes merces absentes minus valent quam presentes: V. g. si vendatur mihi agenti Valentiæ triticum in eadem Ciuitate existens, emam illud pretio, v. g. vt 6., pro eodem verò & eiusdem bonitatis & pretij si vendatur mihi Barchinone, aut in alio loco distanti, mea opera huc deferendum, non reddam nisi 4. vel 5. quia maiori pretio æstimandum est cæteris paribus presens quam absens.

Quarto, In Cambio quod fit ad locum remotiorem, licet maius interesse recipere: hoc autem non alio nomine, nisi quia pecunia illa in quam presens commutatur, quo longius distat, eo magis abest; iam igitur pecunia presens in maiori pretio & æstimatione habenda est quam absens.

Quinto, Si pecunia presens, quam tradit Campsor Campsuario, nō esset in maiori pretio ęstimanda quam absens ipsi restituenda, illud certe esset (sicut opinatur Mercatus) quia socius vel correspon salis Cāpsoris sine periculis & expensis recipit illam, in loco ad quem facta est commutatio: hæc tamen ratio non efficit, quin pecunia illa absens debeat in minori pretio æstimari quam presens: Primo, quia socius & factor cāpsoris ministerium illud recipiendi pecuniam a campsuario nō prestat gratis: Secundo, quia esto pecunia illa a socio & factore Campsoris recipiatur sine labore & expensis, at ex eo loco nō potest reduci & remitti ad presentiā & manus Cāpsoris sine aliquo labore, & expensis: & casu quo sine illis reduceretur, nihilominus ista reductio & recuperatio opus est se ipso & natura sua pretio æstimabile, cum ex se indigeat labore & expensis, per accidens vero sit, quod fiat aliquando sine illis, vnde non tollit quin iuste possit Campsor exigere pro illa reductione pretium, cum suapte natura illa pretio æstimabilis sit.

Tertia opinio est Siluestri vsura 4. q. 8. §. 1. Caiet. in opusculo de Cambiis cap. 7. & nostri Fabiani de Ianua in suo opere de Cambiis part. 2. cap. 5. quos nonnulli quoque sequuntur, affirmantium Cambium esse quādam emptionem & venditionem pecuniarū, ea ratione qua pecunię vēdi possunt: Nec repugnat (inquiūt) huic sentētiæ, quod in vēditione oporteat duo illa reperiri distincta, & diuersa, nempe mercem quę a venditore exhibetur, & pecuniam quę ab emptore redditur tamquam illius pretium, quod videtur non habere locum in Cambio, in quo & quod exhibetur, & quod redditur, vtrumque pecunia est. Quia potest (inquiunt) vna pecunia alterius pretium esse, quatenus in diuersis locis existūt, ita vt presens quæ à Cāpsore hic traditur, sit velut pretiū absentis, quę à Campsuario in alio loco redditur.

Probat autem hanc sententiam Fabianus loco citato. Primo, quia quemadmodum re artificiali vti possumus ex Aristo. 1. Polytico c. 6. non solum ad primarium illius vsum, qualis est is in quē illa primo, & per se, ac pręcipuè ordinatur, verumetiam ad secundarium, ad quem reducuntur omnes vsus qui ex re illa haberi possunt, qua ratione vti possumus quacunque re ad contractum emptionis & venditionis: Vt videre est in calceo, quo vti possumus & in obsequium pedis, qui est primarius eius vsus, tum etiam vt vendatur: venditur enim a sutore non vt corium, sed vt calceus, Ita quoque & pecunia dupliciter vti possumus, Primo & per se ad primarium & propriū eius vsum, vt sit pretium aliarum rerum venalium iuxta legis pręscriptum, qua ratione illa nullomodo potest vendi, quia sicut albedo non potest esse alba, sed est qualitas & forma à qua alia sunt alba, ita pecunia vt pretium rerum venalium est, non potest vendi, nec habere pretium, sed ipsa est eorum omnium quę venduntur pretium. At per accidens, quatenus magis æstimatur, vel ratione suæ materiæ, v. g. quia aurea est, vel argētea, vel ratione alicuius qualitatis committantis illam: veluti quia presens, aut magis rara, potest emi & vendi, & habere pretium, vel alterius pecuniæ pretium esse.

Secundo, ex eodem Aristot. 1. Politico. c. 7. Posito artem Campsoriam honestam esse, & licitam, consequens est posse quoque per eam campsorem lucrari: conuenit enim omni arti quę honesta est, & licita, vt artifex illam exercens possit aliqua lucra sibi comparare, vnde se & suos honeste alat. Vnde sic argumentor: Ars Campsoria versatur in cōmutatione pecuniarum, debet ergo licere Campsori per illam aliquod lucrum recipere, at non posset si vtraque reciperetur vt pecunia & pretium rerum, quia hoc modo non licet excedere pretium legale ipsius, vt illud ergo excedatur in aliquo loco, & recipiatur aliquod lucrum à Campsore, necesse est habere illam in vno loco rationem pecuniæ & pretii, in alio verò mercis venalis, sicq; illam vendi, propter distantiam loci quæ inter vtramq; existit.

Tertio, ex eodem Phylosopho loco citato 1. Polit. c. 6. licet etiam vti pecunia aliomodo quam vt pretium rerum venalium, quia habet præter primarium vsum secundum quem est rerum venalium pretium, & alios secundarios: at non liceret vti illa alio modo quam vt pretio, nisi ipsa quoque esset venalis, potest ergo in aliquo contractu vendi: in nullo verò hoc illi magis conuenire potest, quam in Cambio,

vbi

vbi alia pro alia redditur.

Quarto. Quidquid potest per contractum locationis dari alicui cum lucro, potest etiam vendi vel emi, quia eo ipso quo potest esse materia locationis, potest illud pretio æstimari; aliter non locaretur pretio, sed pecunia potest per contractum locationis alteri tradi, ergo potest vendi & emi. Maior (inquit) Fabianus est per se nota, Minorē probat authoritate Abbatis in Prologo tituli de vsuris, D. Thomæ, B. Egidij Romani. D. Antonini, qui cum omnibus fere Sūmistis sentiunt ex pecunia lucrum recipi posse per contractum locationis.

Quinto, Quidquid maiori vel minori pretio æstimari potest, vendibile est, nihil enim aliud est rem aliquam vendibilem esse, quā illā pretio æstimari posse: at pecunia potest pretio æstimari, est ergo vendibilis. Maior aperta est, Minor habetur cap: Olim causam. & cap. Cum canonicis. De censibus. Faciuntque ad idem institutum. l. Quoniam. & l, Permutationem. Cod. De rerum permutatione.

Denique hæc inquit est sententia D. Tho. in hac 2. 2. q. 77. artic. 4. & lib. de Regimine Principum. cap. 14. sicut à suis discipulis exponitur. Ita colligit hunc contractum iustum, quia datur pecunia Ianuę tāquā pretium pecuniæ recipiendę Lugduni, vel Bezenzoni. Estq; pecunia illa Ianuæ collata, iustum & adæquatum pretium eius, quæ deinde recipitur per litteras Lugduni, vel Bezenzoni.

Quarta opinio & communis & quam agnouerunt D. Tho. & antiquiores Theologi, qui hoc nostrum seculum precesserunt, fuit, hoc Cambium reale & ratione loci honestum esse, tamquam maxime necessarium Reipub. ad omnia negotia, & propriam illius vim & naturam in eo consistere, vt sit quædam translatio & traductio pecuniæ ex vno loco in alium in vtilitatem Campsuarij, & ex consequenti lucrū quod recipit Campsor, esse pretium ac stipendium laborum, & onerum quæ sustinet, ac expensarum quas facit in illa transportatione, & traductione pecuniæ ex vno loco in alium. Ita docent Angelus vsura. num. 53. & ibi Scholiastes ipsius Iacobus Vngarellus. D. Antoninus loco superius citato. 3. p. tit. 8. c. 3. in principio ante 1. §. vbi constituit quatuor illa genera Cābiorum quæ superius retulimus: Primū quod dicitur minutum, secundum per litteras, in quo iturus Romam, nolensque pecuniam suam secum defferre propter labores, & pericula itineris, tradit illam Campsori, cuius beneficio, & industria, litteris ab eo acceptis, à factore illius eam Romę recipiat. Tertium, in quo Campsor confert pecuniam indigenti illa cum Cambio in Venetias, quod est vere mutuum sub nomine Cambij, quia Cāpsuarius ille Venetiis neque pecuniam habet, nec creditum, vnde est fictum vel siccum: Quartum, in quo Campsor tradit alicui pecunias Florentiæ, recepturus easdem Romæ per litteras Campsuarij habentis Romæ pecunias, vnde restituat quas prius Florentiæ acceperat, vel saltim creditum. Quibus propositis, secūdum genus Cābij, (quod, vt in progressu huius art. videbimus, est proprie translatio pecunię Campsuarij ex vno loco in alium), sentit ibi D. Antonin. esse vere Cambium, & habere propriam ac veram rationem Cambij: Tertium vero esse mutuū, Quartum autē licet vere fiat in eo cōmutatio vnius pecuniæ cum altera reuera absenti, & loco distanti, non tamen esse proprie Cambium, sed contractum permixtum ex mutuo & Cambio, vt ex dictis in prima opinione earum, quas hic referimus, constat. Vnde iuxta D. Antoninum propria ratio & vis iusti Cambij cōsistit in eo, vt sit translatio siue traductio pecuniæ ex vno loco in alium, ratione cuius recipiat Campsor lucrum quod ipsi confertur, tamquam in stipendium laborum quos subit, & expensarum quas facit in vtilitatem Campsuarij. Eandem sententiam habēt quoque idem Siluester vsura 4. q. 8. §. 2. Nauarr. in cap. Nauigāti. nu. 21. & in Manuali cap. 17. post numerum 283. lit. E. Soto lib. 6. de Iusti. q. 10. ar. 1. Caiet. in opusculo de Cambiis. cap. 6.

Et probatur: Cum actus humani sortiantur speciem & denominationem à fine, Cambium talis contractus iudicandus est, qualis est finis Cambientium, maxime ipsius Campsuarij cui deseruit hic contractus, & in quo habet se ille velut actiue: Sed finis huius contractus, & ipsius Campsuarii est, vt pecunia quam ipse erat actu secum delaturus cum magnis incommodis, & periculis, in locum vbi illa indiget, deferatur per litteras sine illis periculis & incommodis, vt quam habet v.g. in Hispania, nec potest in promptu traducere Romā vbi illa eget, vel quia statuto Regio prohibitum est extrahere illam à Regno, vel quia maxima sese offerunt in illius asportatione pericula, & incommoda, habeat per Campsorem quasi statim & in promptu traductam Romā, & ibi sibi oblatam, ergo contractus iste Cambij realis ratione loci, in genere moris, & contractus, iuxta suam propriam vim & rationem, quędam traductio, & translatio pecuniæ est ex vno loco in alium. Et cum fiat cum laboribus & expensis exigit & iustè hoc titulo & nomine vt recipiat Campsor in eo lucrum aliquod, quidquid sit de æstimatione pecunię.

Secundo, si Campsuarius per nautam, vel Agasonem, aut tabellionem posset sine vllo periculo vel incommodo pecuniam suam transferre, in locum vbi illa eget, non exerceretur hic cōtractus, sed defferretur pecunia per nautam vel mulionem, sicut & aliæ merces: at quia commode illud fieri non potest sine magnis incommodis, & periculis itinerum, inuentum est & introductum hoc genus Cambij per litteras, quo efficiat Campsor per illas id ipsum quod præstitisset nauta, vel agaso, aut mulio, ergo quemadmodum hi traducerent pecuniam suo labore, ita Campsor sua industria traducit illam per litteras: & quemadmodum quidquid traditur nautę vel agasoni, iustè ab illo recipitur tamquam stipendium sui laboris; ita quoque lucrum illud quod traditur Campsori, iustè ab eo recipitur in stipendium suæ industrię & expensarum. Quāmuis enim non efficiat illud Campsor reali traductione ipsarummet pecuniarum, sed industria tantum sua, pręstat nihilominus id ipsum, quod præstaret nauta suo nauigio, vel mulio suo iumento: Nec propterea quod efficiat illud per litteras, desinit obsequium ipsius minus vtile esse, & dignum stipendio: Sicut Medicus qui suauiori & leuiori medicamento ex sua industria & peritia medetur, non meretur minus stipendium, quam alter qui molesta ac graui medicamentorum mole nititur curare.

Vnde est argumentum, Res non merentur pretium, quia talia entia sunt, sed quia vtiles, at operæ, quas exhibet Campsor, perinde deseruiunt, perindeque sunt vtiles, ac operæ quas prestaret nauta vel agaso, ergo meretur stipendium sicut illi: & ex consequenti hoc titulo & ratione redditur illi lucrum illud, velut stipendium laborum & industriarum, quibus facit meam pecuniam presentem, in loco vbi illa indigeo, sicut faceret nauta, vel agaso, vel ipsemet Cāpsor, si actu illam secum asportaret. Quod enim fiat hoc vel illo genere laboris, & oneris, aut industriæ, (in actionibus quibus propter illarum vtilitatem debetur aliquod stipēdium, & merçes) per accidens est: Imo etiam si sine vllo labore vel onere Campsor hoc obsequium mihi præstet, cum sit vtile, est pretio æstimabile, & suo dignum stipendio.

Thomas Mercatus in suo opere de contractibus. tractatu 2. cap. 5. & multi ex recentioribus alia gradiuntur via, affirmantes figmentum esse & imaginarium, si atente ac diligenter consideremus, qua ratione hæc Cambia realia, quæ vocamus ratione loci & per litteras, modo à mercatoribus & Campsoribus exerceātur, constituere naturam & vim eorum, & iustitiam lucri quod in eis à Campsoribus recipitur, in eo, quod sit huiusmodi contractus quędam translatio & transuectio pecuniæ cum laboribus, & expensis Campsoris. Quod probat nonnullis argumentis.

Primo, Quia contractus hic reuera non est huiusmodi translatio, nec Campsores transferunt actu pecunias vt tabelliones epistolas, sed est quædam commutatio, & correspondentia mercatorum inter se, quasi ita inter se conuenerint: tu solue pecuniam quam tibi mādabo soluendam Hispali, & ego soluam pecuniam quam tu mihi mandabis soluendam Valentiæ.

Secundo Contractus sumunt speciem & naturam ex intentione contraentium, at cambientes pecuniam vnius loci pro pecunia alterius nihil minus cogitant, quam vt pecunia quæ traditur, siue tradatur à Campsore ipsi Campsuario, siue contra, deferatur ab vno loco in alium: & tradatur ei lucrum illud quasi in stipendium, veluti si locaret Campsor pro tali stipendio suam operam & industriam.

Tertio, In traductione pecuniæ, vel alterius rei, & in locatione eius qui illam alio transferat, non transfertur dominium illius rei in trāsferentem illam; at in Cambio, qui alteri pecuniam suam tradit, transfert in eum plenum dominium illius cum solo debito restituendi alibi ęquiualentem.

Quarto, In contractu locationis manet res locata sub periculo domini sui, at in Cambio pecunia prius collata non manet sub periculo eius qui contulit eam, sed sub periculo eius qui accepit, non erit igitur Cambium transportatio pecuniæ ex vno loco in alium, & velut locatio industrię, & operæ, qua Campsor illam alio transfert.

Denique in huiusmodi transportationibus pecuniarū, vel rerum ex vno loco in alium, seu locationibus eorū qui illas transferunt, interueniunt communiter varii labores, pericula, & expensę, quæ in contractu Cambij non reperiuntur, cum sine his per solam litterarum ostensionem communiter qui pecuniam contulit in alio loco recipiendam, ibi illam recipiat.

Pręterea quod lucrum illud quod campsori confertur non sit stipendium & pretium alicuius traductionis, & transportationis pecuniarum, vel laborum, & operarum quibus illa transfertur, probat idem Mercatus loco citato variis quoque argumentis. Primo, Si ratione translationis pecuniæ redderetur id quod soluitur vltra capitale tamquam stipendium laborum, & expensarum, oporteret vt vbicunq;

Cam-

Campsor recipit pecuniam alio transmittendam, & commutandam, reciperet simul à Campsuario lucrum aliquod tamquam stipendium, quia vbicunque illam Campsor recipiat, si Cambium est translatio & asportatio pecuniæ, censendus est illam eo transferre, ac traducere: at multoties contra accidit, tam in Regnis distantibus quā in vicinis. Etenim si habeam Antuerpiæ 100. aureos, & ibi tradam illos Campsori, vt restituantur mihi Hispali, dabit ille mihi Antuerpię litteras quibus recipiam Hispali 108. vel plures. Et similiter si tradam Metinæ Campsori 100. aureos, vt totidem faciat mihi tradi Hispali, faciet quidem totidem mihi ibi tradi nullo lucro ab ipso accepto.

Secundo, Si ratione translationis, & laborum, ac expensarum illud reddatur, possunt intra idem Regnum duæ Ciuitates ita distare, vt in commutanda pecunia ex vna in aliam sint necessarij aliqui labores, & faciendæ aliquæ expensæ, vnde consequēter liceret intra idem Regnum Cambire, & recipere aliquid vltra capitale, quod tamē omnium consensu iniquum est, ac omni iure merito prohibitum.

Tertio, Si ratione translationis, & laborum, ac expensarum lucrum illud reciperetur, cum eadem sit via Valentiæ in Romam, & Romæ in Valentiam, & ex consequenti ijdem labores & expensę, siue pecunia commutetur & transferatur è Valentia in Romam, siue è Roma in Valentiā, idem lucrum & stipendium esset exhibendum Campsori vbi fieret Cambium è Valentia in Romam, quod exhibetur vbi fit è Roma in Valentiam: at videmus rem aliter habere: etenim si pecunia detur Cāpsori Valentię reddenda Romæ per Cambium, soluuntur 5. pro 100. si vero detur à Campsore Romę restituenda Valentiæ, soluuntur 7. vel 8. pro 100.

Denique in omnibus actionibus humanis in quibus stipendia augentur, vel minuuntur, incrementum illud vel decrementum paulatim fit, & progressu quodā, non subito ac repente: at hęc lucra Campsorum subito & quasi per momenta temporis mutantur, hodie namque fient Cambia ex Hispali vbi ex mora clasis pecuniæ deficiunt solutis 7. pro 100. cras si clasis onusta auro apulerit ad litus, fien solutis, duobus vel tribus tantū. Vnde volunt Mercatus, & qui illum sequuntur, sola ratione maioris, vel minoris ęstimationis pecuniæ in vno loco quam in alio fieri modo Cambia, & recipi à Campsoribus lucra, quę in hoc contractu illis persoluuntur.

Ad quod explicandum statuunt primo, Nō esse idem pretium legale pecunię, & æstimationem illius: nā argenteus valet in Hispania pretio legali 34. dipondios. totidem quę valet in India, at pluris fiunt magisque æstimātur pecuniæ in Hispania, quam in India: experientia enim teste non tanti fiunt in India 10. argentei, quantum in Hispania 4. nec in Hispania tanti fiunt 100. scuta, quanti in Flandria & Romæ, & in locis, vbi non est tanta pecuniarū copia: res enim quo magis abundant magis vilescunt, & quę rara pulchra. Quę abundantia (inquit) vel inopia pecuniarum nascitur ex duplici radice: aliquando ex ipsa natura loci & Prouinciæ, quędam enim natę sunt plures diuitias ferre, & auro atq; argento esse locupletiores: Indiæ namque magis abundant quam Hispania, Hispania magis quam Flandria, & in ipsa Hispania Vuandalia abūdat magis quam Betica, idque ex natura loci, quia vel ferūt metalla ista auri & argenti, vel sunt viciniora locis vbi illa generantur. Aliquando verò ex maiori copia rerum venalium, & emptorum, vel expensarum: vbi enim abūdāt res venales & emptores, deficit communiter pecunia, Quia esto ibi prius illa abundaret, aduenientibus tamen in eum locum multis deinde mercatoribus, abundantia emptorum, distrahitur inter illos, & deficit. Quo fit, vt in Nundinis communiter maxima occurrat pecuniarum inopia, soleatque ibi plurimum illa æstimari, varijs emptoribus, ad res quas habere volūt, illam solicite inquirentibus. Similiter deficit, vbi existunt facientes magnas expensas, & negotia, vt Romę.

Statuunt secundo, Hanc abundantiā vel inopiam pecuniarum, qua efficitur, pecunias in maiori vel minori æstimatione haberi, non esse sumendam ex aliquibus priuatis, quia illa egeant, vel abundent, sed ex communitate (vt ita dicā) mercatorum & negotiatorum. Poterit enim nobilis, vel Episcopus abundare, aut mercator qui sua industria & solicitudine curauit omnē pecuniam colligere, & nihilominus communitas mercatorū egere pecunijs, *la lonja* (vt dicunt) *estar pobre y vazia*: Poterunt similiter aliqui egere, *y la lonja estar abundante.* Sicut ergo vsus fori non sumitur ex hoc vel illo emptore, sed ex communitate emen-

ementium, ita neque abundantia vel inopia pecuniæ in aliquo loco sumitur ex hoc vel illo, aut aliquibus priuatis negotiatoribus, sed ex comunitate vt dictum est, nempe ex maiori parte eorum.

Ex his docet Mercatus licere in Cambio reali ratione loci recipere lucrum aliquod, quod scilicet habuerit tali loco & tempore communis vsus fori, non quia commutatur pecunia presens pro absenti, cũ aliquãdo, quin & multoties Campsuarius sit qui confert presentem recepturus à Campsore per ipsius litteras absentem: Neque propterea quod Cambium sit translatio aliqua, vel traductio pecuniæ ex vno loco in aliũ, propter quam exhibeatur Campsori lucrũ illud, tamquam in stipendium sui laboris, & industriæ: Sed quia, cum hic contractus & commutatio pecuniarum communiter fiat ex vno loco in quo illę abundant, in alium inquo illæ deficiunt, & è contra, ęstimeturque minus pecunia, & in minori pretio, vbi illa abundat, sicut & cęteræ merces solent vilescere vbi existit illarum copia, habeatur vero in maiori pretio vbi illa deficit: propterea vt hæc inæqualitas diuersę æstimationis reducatur ad ęqualitatem, exhibetur aliquando à Campsuario ipsi Campsori lucrum illud & excessus, aliquando verò è contrario recipit illud Cãpsuarius ab ipso Campsore. V. g. confert Campsuarius Antuerpiæ 100. aureos, qui ibi ob penuriam pecuniæ tanti ęstimantur, quãti in Hispania 110. qua de causa recipit per litteras cum peruenit in Hispaniam illos 110. hoc excessu & lucro vt 10. seruata est ęqualitas inter æstimationem quam habet pecunia in Hispania, & eam quã habet Antuerpię. Similiter recipit Campsuarius Romę 100. vbi ob deffectum pecunię habet illa maiorem æstimationem, ita vt 100. tanti ęstimentur Romæ quanti 107. Hispaniæ, reddit propterea qui illa 100, prius recipit Romæ, deinde 107. Hispaniæ, vt hac ratione per illum excessum quem reddit, fiat ęqualitas inter diuersas ęstimationes quas habent pecunię illę Romę & in Hispania, propter abũdantiã illarum in Hispania, & inopiam earundem Romæ. Ita videmus (inquit Mercatus) Campsores & mercatores ditiores, qui huic negotio intendunt, solitos esse agregare magnam pecuniarum copiam in locis, in quibus sciunt illas defecturas, & futuras necessarias, vt in Nundinis & Emptoriis celeberrimis ad Cambiendum, & lucrandũ. Quod est argumento certissimo, lucra quæ ex Cãbijs recipiuntur à Campsoribus, quatenus nunc ab illis exercentur per litteras, non recipi ab eis alio nomine, quam ratione copię vel inopiæ totius generis pecuniarum, & titulo maioris vel minoris æstimationis earum in diuersis locis. Quamuis enim antiquitus, (inquit) & quando ceperunt huiusmodi Cambia realia celebrari, reciperentur reuera lucra aliqua à Campsoribus, pro obsequio & commodo, quod sua industria & expensis pręstabant Campsuarijs, liberando illos à laboribus, periculis, varijsq; incommodis, quibus oportebat illos esse expositos, si fuissent pecunias suas secum aliodelaturi: At modo, si recte & diligenter attendamus qua ratione hæc Cambia ratione loci & per litteras à mercatoribus omnibus, & in omnibus Regnis & Prouinciis fiant, nullo alio titulo, vel nomine recipiũt Campsores interesse illud, quod ipsis redditur vltra sortem, nisi ratione maioris, vel minoris æstimationis quam habẽt pecunię in diuersis locis, in quibus fiunt Cambia propter maiorem copiam vel inopiam earũ in illis. Qua de causa, vbi Campsor confert pecuniam in loco in quo est illius inopia, restituendam suo factori in loco vbi illa abundat, lucratur Campsor: Si vero recipiat illam Campsor vbi illa deficit, restituendam Crmpsuario vbi illa abundat, lucratur ipse Campsuarius.

Vt in re adeo difficili & obscura, & quã tot DD. sententię, & opiniones multo obscuriorem effecerunt, quod verius est, commodius inquirere ac inuenire possimus, hæc sunt prius diligenter obseruanda.

Primum omnium tam ad huius difficultatis, quam multarum sequentium intelligentia notandum est. Hæc tria negotiatorum genera esse maximè inter se coniuncta, mutuaque sibi præstare auxilia: Mercatores siue emptores mercium, Campsores, & Depositarios, siue Custodes publicos pecuniarum, quos omnes fere nationes communi voce apellant *Banqueros*.

Primi ergo ex his sunt mercatores celebres, qui in varijs Prouinciis, & Regionibus, etiam in Regnis infidelium negotiãtur, emendo merces vbi minus illæ ęstimãtur, viliusq; venduntur, transferendas & vendendas in Emptoriis, & locis vbi norũt illas in maiori pretio haberi. Ad huiusmodi ergo merces pretiosas & in magna quantitate emendas in celeberrimis Nũdinis & Mercatis, qualia sunt Italiæ, Ianua, Mediolanum:

lanum, Florentia, Venetiæ: Angliæ, Londinũ, Cantuaria; Flandriæ, Antuerpia, Gandauum: Hispaniæ, Methina, Madritum, Hispalis, Vlixpona: cum multis egeant pecuniis, quas vel non habent Mercatores isti in ea quantitate & copia, quam exigũt pretia mertium, quas sibi emere volunt, aut si habeant, non possunt illas per tot itinera & loca à sua patria adeo remota, & distantia sine summo labore, & periculo illas secum defferre, egent propterea & plurimum varijs ditissimisque Campsoribus ibidem existentibus, à quibus illas accipiant, siue in numerato, siue per publicas scedulas, quas vocant *partidas de Banco*, vel *partidas de Tabla*. Cũ huiusmodi schedulæ ad emẽdas merces, alia ve negotia idem apud illos valeant quod pecuniæ ipsæ in numerato.

Possent quidẽ multi eorum, qui ad emendas merces in celebres nundinas proficiscuntur, & pecunijs patriæ suæ abundant, Campsori conciui illas tradere, recipiendas per litteras in loco nundinarum in quem tendunt, & vbi mercaturam facere instituunt, sed cum sub eodem pretio illas communiter habere possint à Campsoribus in ipsis Nundinis existentibus, sub quo illas patriæ suæ Campsori conciui tradidissent, præstat eis à Campsoribus illis qui ad Nũdinas cõueniũt illas recipere, in patria sua, vel in alio loco sibi commodo restituendas: Hac enim ratione certius sciunt, quibus pecuniis sibi opus sit, videntes oculate quas merces sibi expediat in illis Nundinis emere.

Quo fit, vt sicut mercatores isti multarum mercium emptores vbique negotiantur, aut per se, aut per suos ministros, vel amicos, & socios, vbique ementes merces & in omnem locum illas transmittentes, quas vidẽt abundare in Flandria in Hispaniam, & quas vident abundare in Hispania in Flandriã: qua solertia & industria in omnibus Regionibus & remotissimis negotiantur, Ita quoque Campsores ad excercenda sua cambia, vbique terrarum habent multarum pecuniarum copiam, & ministros, ac socios, ad quos litteras suas remittãt, & à quibus similes accipiant. Estq; hac ratione per vniuersum fere orbem inter eos catena hæc latissimè expansa, & extensa.

Antiquitus Mercator qui habebat v. g. in Flandria pecunias, conferebat illas Mercatori Hispano ibi indigenti, vt emeret cum illis merces, quas è Flandria instituebat adducere in Hispaniam, & vicissim Mercator ille Flander in Hispaniã adueniẽs, vel socius & factor illius in Hispania existens recipiebat à Mercatore illo Hispano pecunias in Flandria ei collatas, quibus emeret Hispaniæ merces, quas expediebat illi in Flandriam transferre. Sic exercebãtur inter eos huiusmodi Cambia, & hoc mutuo, ac amicabili comercio, & commutatione inter eos celebrabantur: Progressu tamen deinde temporum noluerunt iam Mercatores vicissim ac mutuo gratis inter se amplius cambire, sed cũ aliquo interesse, & pretio, siue lucro, accipiẽtes vnum vel duo aut plura pro centum: quam rationẽ lucrandi experti, sibi valde vtilem fore, iudicarũt multi eorum vtilius sibi esse, & ad paranda lucra magis accommodatum & facile, mercatoribus egentibus pecunijs illas conferre in alio loco per huiusmodi cambia cum lucro post breue tempus recipiendas, quam emendis, aut vendendis mercibus, vel asportandis, aut adducendis illis incumbere, huicque tantũ negotio commutandi & cambiendi pecunias suas vacare. In eumque finem vbi norunt plures accesuros quibus cambia conferantur, & cum maiori lucro, ibi magnam pecuniarum copiam habere collectã. Quot vt facilius obtineant, non solum conferunt ipsi aliis pecunias suas per Cambium, verũ etiam multoties sub eodem contractu Cãbij ipsi quoque ab alijs accipiunt, pretiaq; reddunt. Curant enim diligenter sua industria accipere illas minori quo possunt pretio, traddẽdas alijs cum maiori, vt hac via, non modo ex propriis verum etiam & alienis quæstum & lucrum faciant. Qua de causa habent suos factores extra Regnum, vbi recipiant cum lucro pecunias quas ipsi suis Campsuarijs patriæ suæ, vel alibi contulerunt, soluantque ibidem quas ipsi ab aliis acceperunt: quamuis hæc solutio pecuniarum, quas accepit ipse Campsor, vt haberet ad plura cambia aliis conferenda maiorem numorum copiam, fiat sepe, non ab illo factore & ministro suo, sed ab aliis mercatoribus, apud quos Campsor iste fidem habet, & creditum, & cum quibus vt illi loquuntur habet correspondentiam. Vnde indigent Campsores huiusmodi & magna pecuniarum copia, quas varijs conferant Campsuarijs, & fide ac credito aliorum, vt ipsi cum suæ cupiditati illud expedierit, ab aliis quoque pecunias, vt augeat suarum cumulum, accipiant. Omnem enim adinue-

adinuenit industriam, omnemque monet lapidem insatiabilis & efrenata eorum cupiditas, quo magis ac magis subinde lucrentur.

Porro quia mercatoribus, & Campsoribus huiusmodi laboriosissimum esset, & maximi oneris, imo fere impossibile, exercere sua negotia, & numerare pecunias, ac habere curam librorum rationum dati & accepi, licet famulis amanuensibus vellet illud comẽdare, oportuit propterea, fuitq; illis maxime expediens, & necessarium habere pecunias suas siue actu & in numerato, siue in scriptis & scedulis apud quosdã depositarios, publicosq; custodes, qui illas recipiant, numerent, & in libris rationum scribant: dicuntur hi *Banqueros*. His tribus generibus hominum tota negotiorum Machina & moles sustentatur. E quibus depositarii isti & custodes nõ solum pecunias mercatorum, vel Campsorum, accepto ab illis stipendio custodiunt, verumetiam lucrantur quandoque cum illis exercentes aliqua negotia cum eis.

Obseruemus secundo, emptoribus vtilissimum esse in Nundinis, celeberrimisq; Emporiis, vbi multarum rerum venalium multarumque mercium copia existit, ad emendas illas multam habere pecuniam, illamque accipere à Campsoribus, & cum magno pretio, quale tunc esse solet, propter deffectum, & inopiam pecuniarum ex abũdantia emptorum, & negotiatorũ tunc occurrente, qui non possunt per tot itinera sine summo labore, & periculo secum illas defferre, sed oportuisset eas, in patria sua Campsori traditas in emporium illud, & nundinarum locum sub eodem fere pretio & interesse commutare, sub quo à Campsoribus in eisdem nundinis existentibus oportet eos illas recipere: Qua ratione parum aut nihil omnino illit refert, num à Campsore in loco nundinarum existente, pecunias quibus egent, accipiant, in patria sua illi restituendas, vel quas in patria sua habebant, ibidem Campsori cõciui contulisse, in loco nundinarum recipiendas. Exemplo rem illustremus. Emat mercator Antuerpiæ rem pretio vt 100. ad ad quod soluendum oporteat ipsum accipere pecuniam à Campsore cum interesse v. g. vt 10. faciatque præterea in merce illa deferenda in Hispaniam expensas vt 20. ita vt omnibus computatis, merces illa in Hispania posita stet illi pretio vt 130. Cum vendat illam sepe pretio vt 200. aut pluris, efficitur, vt lucretur maxime cum pecunia illius Campsoris. Neque exemplũ hoc figmentum est, sed adeò verum, vt accidat sepe in triplo, & in quadruplo; deductis expensis rerum, quas alibi pecuniis à Campsoribus acceptis, sibi mercatores cõparant, & interesse quod illis persoluunt, pecuniam illam apud nos augere, magnumque lucrum & questum ex ea facere, & breui tempore plurimũ ditescere. Quam vtilitatem experti mercatores ita communiter emunt, ac negotiantur.

Similiter Campsoribus vtile est, apud istos publicos custodes maxime in celeberrimis Emporiis, in quibus non solet abũdare pecunia, vt in Flandria, habere multam pecuniam, quam exhibeant emptoribus Campsuariis. Cæterum cum non possit illa ex pecuniis eiusdem Prouinciæ ibi haberi, quia ex se patitur illarum pecuniarum, oportet vt industria aliorum actorũ & omnium quos habet in Hispania, velut suorum negotiorum socios, ex Hispania vbi illæ abundant ad ipsos trasferantur, redditis pro ea translatione 10. vel 12. vel pluribus pro 100. iuxta vsum fori tali loco & tempore. Estque illis valde vtile, quia easdem pecunias quas accipiunt ex Hispania datis v. g. 10. vel 12. pro 100. easdem tradunt in Flandria aliis mercatoribus emptoribus, accepis 15. vel 16. & aliquãdo 20. pro 100. Eadem ratione vtilissimum quoque est Campsori Flandro, qui vt haberet pecuniam ex Hispania, soluit 10. vel 12. pro 100. si Hispanus, aut quiuis alius in eadem Flandria conferat illi 100., exhibere illi litteras, quibus recipiat in Hispania 105. vel 106. quia minori labore minorique stipendio habet pecuniam illam, quam à suis sociis & actoribus habuisset. Vnde in eo casu vterq; lucratur: Campsor Flander, quia solum dat illi ciui Hispano 105. cum fuisset daturus amicis suis 110. vel 112. vt ab eis acciperet 100. Hispanus quoq; lucratur illa 5. vel 6. quæ recipit vltra illa 100. quæ Mercatori Flandro confert in Flandria, restitnenda sibi in Hispania. Cuius rei ratio est, quia in hoc casu accidit simul vtrumque Cambium in eodẽ contractu: Cambinm ratione loci, & Cãbium ratione copiæ vel inopię pecuniarũ: Quatenus Campsor Flander per litteras facit reddi Hispano suam pecuniam, est Cãbium ratione loci, & recipit in eo lucrum, illa scilicet 5. quæ dat minus quam dedisset, quatenus vero recipit pecuniã in Flandria

driæ vbi est inopia redditurus illam in Hispania vbi est illius copia, idem Cambium habet adiunctam rationem illam copię & inopię totius generis pecuniarum: & hoc nomine recipit Campsuarius illud lucrum, soluitque sola 5. qui nisi adfuisset hæc ratio copię, vel inopiæ pecuniarum, soluisset forsan 10. vel 12. nec recepisset 105. sed solum 90. vel minus. Similiter cum Valentiæ sit maior copia pecunię quam Romę, & propterea minoris hic æstimationis illic vero maioris, efficitur quoque, vt hic valeat minus, viliusque transferatur è Valentia Romam, quam è Roma vbi magis illa ęstimatur & valet, in Valentiã. Hac ratione propter copiam vel inopiam pecuniæ augentur hæc pretia Cambiorum, vel minuuntur; quacunque autem ratione accidat, Campsor (vt patet ex hoc progressu) recipit lucrum, non modo quando recipit aliquid vltra capitale, verumetiã quando ipse dat aliquod lucrum Campsuario, quia recipit tunc pecuniam qua eget, nec soluit quantum exoluisset si alia via fuisset eam recepturus.

Obseruemus tertio, & vltimo. Cambium hoc quod dicitur ratione loci vel per litteras tribus modis fieri, tresq; esse constituendas illius species, quę licet conueniant in hac communi ratione vt fiant cum distantia loci, & per litteras, habet tamen vnaqueq; species istarum suam propriam rationem & naturam. Est ergo primus modus Cambiendi per litteras siue prima species, quando propter vtilitatem vel necessitatem vtriusque cambientis fit commutatio pecuniarum in diuersis locis. V. g. indigeo ego agens Valentię habere 100. aureos Hispali, indiget Petrus Hispalensis mercator totidem 100. aureos habere Valentiæ, tunc ex communi consensu cõmutamus illos inter nos, trado illos Valentię, vbi illos habeo mercatori Hispalensi indigenti illis Valentiæ, accipioque ab illo litteras per quas reddantur mihi illi 100. aurei Hispali, vbi ego illis egeo ipse vero illos habet. Secunda species Cambii est, quando Petrus, cui opus est pecuniã suam, quam in vno loco habet, in alium transferre, quod sine periculis & laboribus non valet, vt ab illis se eximat, tradit illam Campsori acceptis ab eo litteris, per quas eandem recipiat in eo loco, in quo illa indiget, & in quem erat illam delaturus, nisi extitisset in Repub. hoc genus Cambii per litteras. Quod Cambium est, quod communiter antiqui Doctores agnouerunt, & propter cuius vsum cepit potissime hic contractus in Repub. exerceri, & admitti. Tertia species est, quando indigens Valentiæ pecunia aliqua, recipit illam ibi, restituendã Hispali, vel Metinæ, vel in alio loco ad quem solent fieri huiusmodi Cambia, & pecuniarum commutationes. Quod genus Cambii est nunc potissime in vsu, & quod communiter exercetur à Mercatoribus, & cæteris qui in negotiis versantur.

Inter has Cambiorum species siue formas nonnulla sunt discrimina. Nam prima illa Cambiendi species in vtriusque Cãbientis vtilitatem cedit, cum vtrique sit necesse pecunias illas ea ratione inter se commutare: In secunda specie potissime consulitur vtilitati dantis pecuniam Campsori, cum indigeat illa in loco, in quo per litteras Campsoris eam recipiet, liberetque illum Campsor à laboribus, & periculis, cum quibus erat ille pecuniam suam eò delaturus: In tertia vero exercetur potissime Cãbium in vtilitatem eius qui recipit hic pecuniam in alio loco restituendam: Qua de causa ad eius instantiam & petitionem solet ac debet fieri. Vnde inter has duas posteriores Cambij species hoc interest, debetque ad naturam & iustitiam horum cõtractuum diligenter attendi, quod in secunda Campsor est qui prius recipit pecuniam restituendam alibi Campsuario: In tertia vero Campsuarius est qui prius recipit pecuniã à Campsore alibi illi restituendam. Tum etiam in prima specie Cambii oportet pecunias esse diuersas, ac distinctas, cũ alia pro alia reuera diuersa commutetur, In secunda autem & tertia illud non est necesse: posset enim Campsor sua industria ac diligentia efficere, vt eadem pecunia quam recipit Valentiæ à Campsuario, restituatur illi Barchinonæ: & similiter Campsuarius eãdem quam à Campsore accepit Valentiæ, restituere illi Metinæ. Ad veram enim rationem Cambij harũ duarũ posteriorum specierum, secundę nimirum & tertiæ sufficit, vt sit vera ac realis commutatio pecuniæ in vno loco exhibitę & in alio restituendæ, siue sit eadem numero, siue alia diuersa, & distincta: quamuis communiter sit diuersa ratione materiæ, quia pecunia est res vsu consumptibilis, quæ cum primum recipitur, expenditur.

His ita constitutis, vt veritas huius quæstionis perspicua maneat, singulas opiniones earum quas proposuimus, priuatim nunc

nunc expendamus, quod nulla commodio ri via efficere possumus, quam subiectis conclusionibus.

Sit ergo prima. *Contractus Cambij de quo hic agimus, ad quamcunque speciem istarum trium, quas proposuimus, pertineat, nulla ratione est mutuum.*

Hæc quamuis satis constet ex superius dictis, Probatur nihilominus, Primo, Quia in omni mutuo, prius recipit mutuatarius, & deinde restituit mutuanti, in hoc vero Cambio per litteras (vt constat) multoties prius recipit pecuniam Campsor, quam deinde in alio loco reddit Campsuario. Secundo, in mutuo periculum rei mutuatę manet penes mutuatarium, in Cambio autem non manet penes Campsuarium, sed penes Campsorem, cui forte non restituetur pecunia, quam prius tradidit Campsuario. Tertio in mutuo accidentarium est, vt res mutuo accepta restituatur in eodem loco, vel diuerso, imo frequentius restituitur in eodem, In Cambio verò intrinsecum illi est, vt restitutio pecunię fiat in alio loco, aliter esset Cambium fictum & siccum. Quarto, in mutuo distantia & expectatio temporis necessaria est, aliter non esset mutuum, sed res ridicula, si in eodem instanti esset reddenda: In Cambio autem expectatio temporis interuenit per accidens, quia litteræ indigent tempore vt deferantur, nam ipsæ traduntur velut presentes, at vt aiunt *a carta vista*: (de dilatione enim quæ solet apponi ad nundinas proxime futuras priuatim deinde dicemus) ita vt si ratione dilatæ solutionis, & expectationis temporis reciperetur aliquid in Cambio iam non esset Cambium sed vsura. Denique in mutuo transfertur dominium rei mutuatę in mutuatarium, in Cambio vero non transfertur semper dominium, nam quando Cāpsuarius tradit Valentiæ Campsori suam pecuniam, vt recipiat deinde illam Romæ, Campsor non est velut dominus illius pecunię, sed quasi depositarius, vel traductor & vector, recipiens illam Valentię restituendam Romæ. Potest quidem Campsor liberè illa vti sumpta illa in indiuiduo, sed quantitatis illius pecuniæ non constituitur dominus, sed velut depositarius, & traductor.

Ex his sequitur Cambium neq; esse mutuum absolute, vt quidam volebant, & propterea contractum iniquum. Neq; esse mutuum permixtum vt voluit Medina, neque contractum mixtum ex mutuo & Cambio, vt quidā recentiores opinati sunt. Patet: Quod nulli conuenit speciei per se sumptæ, neque toto generi conuenire potest, vt docet Aristot. in Topicis: Quāuis enim quod remouetur ab aliqua specie, nō sit necesse remoueri à toto genere; at quod remouetur ab omnibus & singulis speciebus alicuius generis, necesse est à toto quoque genere illo remoueri: at vt constabit in singulis speciebus Cābij de quo hic agimus, nulla earum est mutuum, neque includit mutuum, ergo neque Cambium hoc per litteras mutuum est, vel constat ex mutuo.

Secundo, In hoc Cambio, secundum suā veram & propriam rationem, non solum exercetur commutatio, quando restituitur Campsori pecunia, quam prius ille contulerat Campsuario, vt authores illi volūt, sed exercetur etiā reuera illa in vtroque actu, & in priori quando Campsor suam pecuniam tradit, & in posteriori quando Campsuarius illam alibi restituit, estque vterq; actus quasi vnum aggregatum constituēs commutationem, incipit namq; fieri quando traditur pecunia, perficitur verò quando illa in alio loco restituitur, vnde nullibi est mutuatio.

Tertio in mutuo traditur aliqua res vsu consumptibilis mutuatario, sub eo tantum pacto, vt restituat illam, vel aliam similē, & ęqualem, nec conuenit mutuās cum illo, vt restituat commutatā in alio loco, quia si ita conueniret cū illo, iam nō esset mutuū, sed Cambium: cum in hoc consistat vis, & ratio Cambij, vt nomen ipsum sonat, vt pecunia vnius loci cōmutetur verè, & realiter cum pecunia alterius loci, at in priori illo actu, quando Campsor tradit Valentię pecuniam suam Campsuario, iam tradit illam sub hoc pacto, & contractu, vt restituatur illi pecunia, quidem æquiualēs sed in alio loco, id est commutata cum ea quam habet Campsuarius in alio loco, ergo contractus Cambij nunquam est mutuum, sed à principio, & in primo limine est Cambium, & commutatio pecuniæ vnius loci pro pecunia alterius loci,

Et confirmatur: Quia propterea conferens pecuniam Valentię, per contractum mutui, quantumuis alibi restituendam, nihil potest exigere, vel recipere vltra sortē, quia est mutuum, essetque vsura ex mutuo lucrum quęrere; at dans pecuniam Valentię per contractum Cambii alibi sibi restituendam, potest aliquid recipere, quia ta-

lis

lis exhibitio pecuniæ nullomodo est mutuum, sed verum Cambium ibi inchoatũ & inceptum, complendum vero, & consummandum, quando in alio loco reddet Campsuarius pecuniam suam, in quam illam quam Valentiæ accepit, fuit commutata.

Ex quo sequitur, (quod etiam fatẽtur ingenue authores alterius opinionis,) vt si recipiam Valentiæ mutuo, v.g. 100. argenteos restituendos Cęsaraugustę, licet argentei illi Valentiæ, solum valeant 23. denarios, Cęsaraugustę vero 24. nihilominus non tenear restituere illos Cæsaraugustæ, iuxta valorem 24. denariorum quem ibi habent, sed iuxta valorem 23. quem habẽt Valentię, quia fuit mutuum factum Valẽtiæ, virtute cuius pecunia illa vbicũque restituatur, perinde se habet, ac si restitueretur Valentiæ: & propterea iuxta valorem quem habent Valentię restituendi. At si recipiam argenteos illos Valentię, restituẽdos Cęsaraugustæ per contactum Cãbij, teneor soluere illos iuxta valorem quẽ habent Cęsaraugustę, quia est velut vnus cõtractus inchoatus Valentiæ, complendus Cæsaraugustæ, & propterea iuxta locum in quo perficitur & consumatur, est valor illius pecunię quæ Cambitur, persoluendus.

Quibus adducti Siluester vsura. 4. q. 8. §. 1. Caiet. in opusculo de Cambiis. cap. 3. Fabianus à Ianua in tractatu De cambiis. parte 2. cap. 5. & plerique Doctorum, omnem speciem & rationem mutui nituntur maxime à contractu Cambij repellere, ac excludere. Et communi sermone ac proprio, non dicuntur qui huiusmodi contractum exercent, accipere mutuo pecunias Valentiæ restituendas Hispali commutatas, sed accipere Cambium, & exercere cõmutationem pecuniarum quas accipiunt Valentiæ, cum pecuniis quas persoluent Hispali: aperte significantes quod in hoc contractu efficitur. Agitur enim in eo vere & re ipsa commutatio pecuniarum quę recipiuntur in vno loco, cum pecunijs quæ in alio deinde restituuntur: ita vt illa non sit duplex contractus, alter mutui & alter Cambii, sed vnus & simplex, vnius simplicis Cambij, quod incipit & inchoatur in loco vbi vna pecunia recipitur, perficitur vero & consummatur in loco, vbi alia restituitur.

Denique (quod recte obseruauit Caietanus in illo opusculo cap. 2.) Si Cambium esset mutuum, vel includens mutuum, consentire Cambia in Republica esset erigere in ea artem mutuatiuam, cum interesse & lucro, & statuere ministros illius, qui titulo suę industriæ, & laborum, lucrum quo se ipsos sustentarent, quærerent, Quod certe nulla ratione licet, esset namq; concedere artem vsurariam moderatam, quod impiè iudicauit Molinæus recte fieri.

Ex quo etiam sequitur non recipi à Camsore lucrum ratione alicuius damni emergentis, vel lucri cessantis, cum Campsores vt ipsimet fatentur non instituerent ex sua pecunia alia negotia exercere quam huiusmodi contractum Cambii: Neque ratione aliquarum expensarum, quas in contractu Cambii faciunt cum ministris illius, quasi vellint lucro illo se ipsos ab huiusmodi expensis indemnes seruare, etenim si hoc tantum instituerent se ipsos seruare indemnes, profecto non erat quod pecuniam suam Campsuarijs traderent, sed vt vel illam secum seruarent, aut alteri negocio committerent, & exponerent.

Secunda conclusio. *Quamuis in Cambio fiat reuera commutatio pecuniæ presentis pro alia loco absenti, & distanti, lucrum tamen seu interesse quod in eo recipitur, non innititur huic titulo & rationi, quod presens magis valeat quam absens.*

Non nego pecuniam vel rem absentem, quæ à me deferenda est ad locum in quo sum, vel ad alium meo labore, propriisq; expensis minus valere cęteris paribus, quã si mihi presens esset in eo loco, in quem ita est deferenda, cum manerem tunc ab eo labore & expensis liber: in quo sensu docet Siluester vsura. quęst. 4. circa finem, (quem adducit Ludouicus Lopez in fauorem suæ sententiæ,) rem presentem magis valere quam absentem, loquitur enim de re absenti proprio labore, & expensis reducenda in presentiam. In quo etiam sensu loquuntur Nauarrus in Comment. de Cambiis. Numero 62. & Calderinus, ac Laurentius de Rodulph. quos ibi affert, vt ex contextu ipsius Nauarri cuiuis illum legenti patebit. Sed hæc ratio non habet locum in Cambio, cum de propria illius ratione hoc tantum sit, vt pecunia quam Petrus Campsor exhibet Valentiæ Ioanni Campsuario, reipsa & vere restituatur Metinę ab ipso Ioanne, vel factore illius factori Petri, ibique perficiatur,

tur, ac completur omni ex parte contractus Cambii initus inter Petrum Cāpsorē & Ioannem Campsuarium: nec spectat ad Ioannē curare, aut soluere expēsas aliquas, vel labores, si qui exiguntur, vt pecunia illa rursum è Metina reducatur Valentiā ad manus Petri: quia si talis contractus fieret, & cum tali pacto, non esset Cambium sed mutuum, cum Ioannes pecuniam acceptam à Petro Valentiæ teneretur illi suis expensis restituere in eodem loco, in quo illam accepit. Idem enim est Ioannē exsoluere expensas, quibus pecunia quā accepit Valentiæ à Petro illi Valentię restituenda est, quod teneri Ioannem ad reducendam illam suis expensis, ac restituendam Petro in eodem loco, in quo illam accepit, quod est propriè mutuum. Vnde authores illius secundæ opinionis, qui in suum fauorem afferūt Siluestrum, & Nauarrum, aut non recte illos legerunt, neq; intellexerunt, aut non considerarunt quantum distet pecunia absens in Cambio, à re absenti de qua ibi Siluester, & Nauarrus cum aliis loquūtur. Caietanus quoque, qui ab eisdem affertur, rem absentem minus valere docet, vel propter pericula, si illis exposita sit, sicut pecunia in naui fluctuante constituta, aut à malo debitore recuperanda, vel propriis expēsis deferenda, quę à cōtractu Cambij plurimum quoq; distant, cum pecunia à campsuario restituenda nec tantis periculis subiaceat, nec sit expensis Campsuarii ex vi huius cōtractus ad manus Cāpsoris à loco in quē facta est commutatio, reducenda. Hæc placuit hoc loco obseruare, ne quis authoritate Siluestri, Caietani, & Nauarri, quos male intellectos afferūt authores illius secundæ opinionis in suum fauorem, in hac parte decipiatur. His positis probatur iam & recte nostra secunda conclusio.

Primo, Quia etiam si pecunia presens sit magis pretiosa, & maioris ęstimationis quā absens, haberet quidem ista sententia locū, quando Campsor dat prius Campsuario, at multoties Campsuarius dat prius Campsori pecuniam presentem, recepturus aliam deinde à Campsore, exhibetq; simul Campsori vna cum sua pecunia presenti aliquod lucrum, Imo & antiquitus quando hoc Cambium ratione loci simpliciter & iuxta suam primeuam institutionem agebatur, nulla alia circunstantia illi permixta, siue Campsor prius reciperet, siue contra, recipiebat aliquod lucrum vt stipendium sui laboris, & industriæ; quod est argumento certissimo, hoc Cambium ratione loci, (de quo nūc priuatim agimus,) ex sua primæua institutione esse traductionem, & translationem pecuniæ per litteras, dariq; lucrum illud vt stipendium.

Secundo, quia si propterea licet Campsori lucrum aliquod à Campsuario recipere, quia confert pecuniam presentem, quæ magis valet quam absens in alio loco recipienda, oporteret vt quotiescunq; Campsor, prius confert pecuniam aliquam in alio loco sibi restituendam, aliquod reciperet lucrum, at contra sępe fit: accidit enim nonnunquam Campsuarium potuis recipere illam cum lucro. V.g. si Campsor Hispalensis conferat pecuniam recuperandam Antuerpiæ, minus recipit quā cōfert, confert enim Hispali V. g. mille scuta, cui tamē nō restituētur Antuerpiæ nisi 920. Similiter accidit si conferat Hispali recepturus illam Romę: Quin & illis ad nundinas intra Hispaniam celebrandas, collatis, nūquam recipit lucrum, sed quantum dedit Hispali tantū recipit Metinæ, & ad æqualitatem, vt dicunt *a la par*, quia commutatur pecunia intra idem Regnū. Qua ratione apertissime constat, lucrum quod Campsor ex Cambio recipit, non innitti huic regulæ, vel causæ, pecuniam presentem in maiori pretio haberi, quam si eadem loco vel tempore absens habeatur.

Tertio, liceret eadem ratione in mutuo lucrum quoque recipere, cum pecunia post tempus restituenda, etsi non distet loco, reuera tamen absens sit, nec minus absens quam quæ distat loco, cum eadem pericula patiatur illius solutio, siue loco siue tempore absit, constat autem propter absentiam temporis illam pluris æstimari, vel aliquod inde lucrum recipere, apertam esse vsuram. Nec valet iuxta presens institutum quod dicunt Authores illius secundæ opinionis, ista differre inter se, esse absentem loco, vel esse absentem tempore, vt absens tempore non minus valeat, absens vero loco debeat minus valere: quia, eadem ratio, qua docent ipsi absentem loco minus valere, tum quia non est ita secura, nec ita in promptu & ad manus, sicut presens, eadē omnino existit in absenti tempore, quis enim negabit tempore absentem nec ita securam esse, nec sic haberi in promptu, sicut habetur quę presens est? Vbi autem eadem existit ratio, idem

idem quoque debet profecto esse ius. Quia (vt vidimus) agentes de pagis illis acerbis, pecunia presens non valet magis quam ab sens, nisi propter pericula aliqua, quibus illa absens vere exposita sit: aut propter lucra cesantia, siue dāna ex absentia illius pecuniæ emergentia, iuxta ea quę superius docuimus de lucro cessante, & damno emergente: in Cambio autem Campsori imprimis nulla lucra cessant, cum non habeat ille pecuniam suam aliis negotiis expositā quam huic, quod est illam Cambire: quin potius vtilius frequentissime sit pecuniam suam habere absentem, & campsuariis traditam, quam apud se retinere otiossam: vel habere illam (vt diximus) congregatam in magna copia in diuersis locis, & Prouinciis, ibique paratam ad excercēda cambia. Neque subeunt pericula vel damna aliqua, quia campsores ipsi in multis locis, vt videre est in Italia (sicut paulo ante argumentabantur Authores primæ opinionis) curant diligenter secure agere vel pignore, vel fideli fideiussore accepto. Quod (sicut inferius dicemus), nō repugnat nature huius contractus, quamuis honestius multo exerceatur sine tali securitate pignoris, vel fideiussoris, sicut habet consuetudo mercatorum & campsorum huius ciuitatis Valentiæ, in quo laudandi profecto sunt. Vbi vero campsores non recipiunt pignora, vel fideiussores, quibus securi reddantur, curant diligenter his tantum pecunias suas per Cambium tradere, quos prudenter ac probabiliter norunt nō defecturos a solutione illarum litteris ab eisdem, vel ab aliis qui securi sint subscriptis: quæ securitas in moralibus sufficit, vt pecunia illa non dicatur exposita periculis: Pericula enim in moralibus tunc dicunt pericula, quādo re diligenter considerata probabiliter imminent, in hoc autem casu de quo loquimur probabilius multo est, Campsorē secure agere, quam cum periculo: nisi loquamur de communibus periculis, quibus res omnes humanæ subiacent in hac vita, quæ pericula non sunt proxima, neq; intrinseca contractibus, sed extrinseca & remota, & quę non respisciuntur propriè & per se in contractu, vt dicatur ille ita periculis subesse, vt propter illa liceat interesse aliquod exigere.

Sed respondet huic argumento Ludouicus Lopez, primo, esto vtile sit Campsori pecuniam suam habere absentem, & traditam Campsuario, cæterum quia hęc absentia fit in gratiam, & vtilitatem ipsius campsuarii, & ad illius petitionem, & instantiam, propterea hanc absentiam esse ęstimādam pretio reddendo ab eodem Campsuario, in cuius vtilitatem illa fit: etenim sicut propter eius vtilitatē abest, ita & propter vtilitatem eius facit Campsor deinde expensas, quę exiguntur ad illam recuperandam, ac restituendam in suam presentiā, expensæ vero factæ in vtilitatem alicuius ab eo soluendæ sunt, in cuius vtilitatem fuerunt factæ, vt docet Nauarrus ex Baldo, Panormit. & Fœlino in cap. 1. De testamentis. Qua etiam de causa in cap. Statutum. §. *Proferendo*. De rescriptis. in 6. definitur, vt quamuis testis productus iuret ex vtraq; parte, expēsas nihilominus quas fecit veniens ad iurādum persoluat is, qui illum produxit, cum ad eius instantiam & in eius vtilitatē potissime fuerit adductus. Similiq; ratione, cum expensæ quas facit Campsor in recuperanda pecunia sua absenti, è loco in quo fuit a Campsuario restituta, sint factę in vtilitatem quoq; ipsius Campsuarij, esse ab illo persoluendas propter illam absentiam. Respondet secūdò, satis esse pecuniam quæ datur Cāpsuario, eo ipso quo abest, secundū se periculis subiici, vt censeatur illa absens minus valere quā presens, etiā si non sequantur actu pericula illa & dāna, quę imminebāt, sicut locās se ad agēdū iter periculosū maiori pretio dignus est, quā si aggrederetur iter sine illis periculis, esto pericula illa quę in itinere periculoso imminebant, non sequantur actu.

Nulla tamē istarum solutionū tollit vim argumēti propositi: Nō prior, Primū, quia Campsor propriā semper intēdit vtilitatē, non Cāpsuarii. Secūdo, quia esto illi intēderet, non potest illi vēdere suā vtilitatē, sicut diximus q. 77. ar. 1. de venditore alicuius mercis nō esse augdēū pretiū illius, propter vtilitatē quā emptor ex illā est recepturus. Tertio, quia cū illa absentia fit de intrinseca ratione Cambii, eo ipso quo vult excercere cābiū debet illā pati, neq; potest propter illā aliquid exigere, nisi aliqua dāna ex ea recipiat, vel lucra amittat: quæ ratio non habet in Cābio locum, cū propria sponte exerceatur à Campsore habente pecuniam suam ad hoc genus negotii, paratam, minime vero ad alia. Deniq; sicut recuperatio & reductio pecuniæ è loco in quo à Campsuario restituta est factori cāpsoris, in locū vbi ipse cāpsor existit, nō

est de essentia Cambii, neque pertinet ad Campsuarium; quia hic contractus incipit in loco vbi confertur a Campsore pecunia, perficiturque & absoluitur omnino, in loco vbi illa a Campsuario restituitur, siue reducatur inde ad manus campsoris, siue nunquã illam postea videat: ita quoq; expensę, quas facit cãpsor in illa recuperãda, ac in domum propriam reducenda, nullo titulo ad ipsum pertinent: neque vnquam inter mercatores in vllo genere Cambij talium expensarum habita est ratio.

Putant quidem multi eorum (vt inferius dicemus) in hoc contractu oportere Cãpsorẽ & pecuniã eius periculis subiacere, nec posse esse securum, & propter illa pericula posse lucrũ aliquod recipere, sed ostendemus aperte inferius nõ esse de intrinseca ratione cãbij, vt pecunia a Cãpsuario tradita periculis subiaceat, quin potius possit tradi cũ securitate: qua de causa sicut illã subiacere periculis non est intrinsecũ huic cõtractui, sed extrinsecũ & accidentariũ, ita neq; iustitia eius, & lucri quod in eo recipitur, sumẽda est ex huiusmodi periculis, vel absentia pecuniæ à qua talia pericula oriũtur: iustitia enim & æquitas cuiuscũq; cõtractus ex his potissime desumenda est quę illi propria sunt & intrinseca, quãuis sumatur etiã nonnunquam ex aliqua circũstãtia extrinseca: nũquã tamẽ ita ab extrinsecis sumitur, quin prius & potissime sumatur ex propriis & internis illi contractui.

Altera solutio eodẽ modo confutatur. Fatemur enim, de essentia Cãbii esse absentiã pecunię, in quã presens cõmutatur, absens tamen (vt diximus) non magis valet quam presens nisi propter pericula, quibus illa subiicitur, sed ita, vt pericula illa immineãt alteri contrahentium ex propria & intrinseca ratione contractus, quia si ab extrinseco illa adueniant, neq; mutuant naturam contractus, neq; ex illis est desumenda illius æquitas, & iustitia, sed potissime (vt diximus) ex his quæ illi intrinseca sunt.

Tertia conclusio. *Cambiũ per litteras, ad quamcumq; speciem illarũ trium pertineat, non est contractus emptionis & venditionis, quamuis cum illo aliqua ex parte conueniat.*

Probatur prior pars huius conclusionis: Primo, quia, ex Aristo. D. Thoma. & omnibus DD. triplex est commutatio, qua homines ab exordio mundi sumpti vsque ad hæc nostra tempora vsi sunt: Prima, quæ fuit naturæ humanæ coæua, qua commutabantur res ipsę inter se, vt oleum pro vino, vinum pro tritico. Secunda, (cum illa prima nõ sufficeret) qua inuento numismate, commutari ceperunt res pro pecunia. Tertia, qua partim necessitate illud postulante, partim vero hominum cupiditate, pecuniæ quædã pro aliis commutantur, vel in eodẽ loco, vt in cãbio minuto, vel in diuersis, vt in Cambio per litteras. Hæ vero cõmutationes proponuntur ab omnibus Doctoribus tamquam natura, & specie distinctæ, ergo quemadmodum in naturalibus non potest vna species in naturam vel essentiam alterius transire, ita neq; in moralibus vnus habitus in naturam alterius, & in contractibus vnus contractus in naturã alterius: & ex consequenti Cambium de quo hic agimus, quod est tertia illa species commutationis, nempe pecuniarum pro pecuniis, non potest transire in naturam vel rationem secundæ speciei cõmutationis, in qua cõmutatur res pro pretio, quę proprie dicitur emptio & venditio, sed debent necessario specie & natura distingui.

Secundo, de ratione formali & propria emptionis & venditionis est, vt res quæ vẽditur sit merx aliqua, pretium vero sit pecunia, adeo vt nullomodo possit dici contractus emptionis & venditionis, nisi reperiãtur in eo hæc duo realiter & vere distincta, merx & pretium: sed in Cambio nulla reperitur res quæ vere sit merx, vel quæ vere sit pretiũ tamquã res distincta ab illa merce cum vtraque res quæ interuenit in eo sit pecunia, commutatur enim vna pecunia pro alia, inter quas nulla est ratio, cur potuis hæc sit merx quam illa, vel cur potius hæc sit pretium quam illa: repugnat ergo omnino Cambium emptionem esse aut venditionem.

Tertio, si Cambium per litteras posset dici emptio & venditio, in qua vna pecunia esset pretium alterius, similiter & Cambium minutum posset dici emptio & venditio, possetque vna pecunia esse pretium alterius qua pecunia est: at Cambium minutum non potest dici emptio, quando vna pecunia commutatur in aliam qua pecunia est, ergo neque Cambium per litteras. Maior patet: quia licet minutum fiat in eodem loco, Cambium vero per litteras in diuersis, vtrumque tamen est commutatio pecuniarum, vnde si in Cambio per litteras quando pecunię commutantur inter se vt pecuniæ, alia esset pretium, & alia vt merx & vendibilis, in minuto quoque, quando pecuniæ

cunię commutantur vt pecuniæ, posset alia habere rationem pretii, alia vero rationem mercis, & esse vendibilis. Vidimus autem abunde q. 2. huius disputationis de Cambiis artic. vnico, licere quidem in Cambio minuto, quando commutatur pecunia vt metallum, vendere illam, & maiori pretio quam legali, quia legale solum est impositũ pecunię qua pecunia est, & pretium rerũ venalium, non qua metallũ est: At quando commutatur vt pecunia, nullo modo posse augeri pretium legale, quia nullo modo vt pecunia vendi potest. Et confirmatur, quia quamuis in Cambio minuto posset forsan pretiosa summi vt merx, minus vero pretiosa vt pretium, & esse emptio, illud tamen non licet quando commutantur vt pecuniæ, vt cõstat ex dictis eo loco, ergo neque Cambium per litteras, in quo minus apparet ratio sumendi vnam pecuniam tãquam mercē, & aliam tamquam pretium; sensendum est esse contractum emptionis, & venditionis, vi illius principii Aristotelei: *Si quod magis videtur inesse non inest, quod minus videtur inesse, minus inerit.*

Denique conclusio posita est maxime consona iuri; In quo a Doctoribus inter commutationem siue rerum, siue pecuniarum illa sit, & contractum emptionis & venditionis hæc discrimina constituuntur: Primo, vt venditio fiat vel solo consensu, Cambium vero & commutatio actuali rei traditione, vt habetur: l. ex placito. Cod. De rerum permutatio. Secundo in venditione differunt nomina contrahentium, alius namque venditor est & dicitur, alius vero emptor: in commutatione vero vterque idem nomen habent, cum ambo dicantur permutantes, vel cambientes, ita l. 1. ff. eodem titulo. Demum de huiusmodi contractibus tamquam diuersis habentur in iure diuersi tituli, differt enim plurimum titulus De cõtrahenda emptione &c. à titulo De rerum permutatione.

Altera vero pars, nempe conuenire Cambium per litteras cum cõtractu emptionis, ex eo patet, quia sicut in emptione & venditione est seruandum pretiũ legale, & impositum à Principe vel Repub. vel pretium fori, quando lex nullum prescribit, Tum etiam, in emptione venditor debet rem sanam tradere, vel deffectum eius indicare, & illius euictioni manere obnoxius, & similiter emptor in pretio quod tradit: ita quoque in Cãbiis est seruandũ pretiũ fori, vel legis, manetq; vterq; obligatus ad euictionem pecunię, quam alter alteri tradit. Secundo, quia vterq; contractus est bonæ fidei, vt habetur §. Actio. Instit. de Actionibus. Et ideo permutatio dicitur esse vicina venditioni, & illius vicem habere, l. finali. ff. De rerum permutatione, & l. 2. Cod. eod. titulo.

Propositam conclusionem docent etiam Siluester, & Caiet. locis citatis. Siluester enim quamuis affirmet pecuniam esse aliqua ratione vendibilem, & Cambium reduci ad contractum emptionis, nihilominus facit quoque illud translationem pecuniarum, & commutationem illarum in diuersis locis. Caietanus verò non ait esse emptionem, sed esse contractum quasi emptionis per quandam analogiam, vt videre est cap. 7. illius Opusculi; Nauarrus autem in commento de Cambiis num. 41. solum docet seruandas esse in Cambiis circa illorum pretia leges emptionis, & vēditionis, quod nos quoque hic affirmamus.

Reiectis tribus illis prioribus opinionibus, quæ, vt ex propositis cõclusionibus patet, constare non possunt, duę posteriores amplectēdę sunt; Nimirum Cambium reale per litteras vel esse traductionem pecuniæ ex vno loco in alium, vel commutationem pecuniarum in diuersis locis, iuxta variā æstimationē quam in illis locis tales pecuniæ habent: vtrumque enim Cambijs verè conuenire experientia ipsa testatur, & & mercatorum vsus: cum in omni Cambio vel recipiat Campsor pecuniam a campsuario, vt similem & æquiualentem illi restituat, in loco vbi illa eget, quod perinde est ac si illam nautæ vel agasoni contulisset eò transferendam, vel cõferat Campsor pecuniam suam Campsuario, restituendam illi in alio loco, iuxta valorem & ęstimationem quam illa habuerit in tali loco, Cæterum quia hęc duo, nempe esse traductionem pecuniæ ex vno loco in alium cũ aliquo stipendio, vel esse commutationē pecuniarum secundum diuersam ęstimationē illarum in diuersis locis, non possunt omni speciei Cambii conuenire, qua ratione cõueniant illis tribus speciebus Cambiorum quas proposuimus, nunc explicandum est.

Vnde sit quarta conclusio. *Cambium primæ speciei, in quo ambo contrahentes mutuo & vicissim suas pecunias interse cambiunt, est vera & realis commutatio pecuniæ vnius loci in alium, cui illud tantũ additur, vt non sit simplex sed mutua, cum alter alteri suam pecuniā*

conferat, vbi illa eget, & vicissim ab illo aliam accipiat, vbi similiter ille egebat.

Hæc ex terminis ipsis satis perspicua est, nec maiori indiget probatione: cui enim dubium est, sic Cambientes suas pecunias in diuersis locis existentes illas inter se commutare? Qua vero ratione illud fieri debeat, vt æqualitas ac iustitia seruetur, deinde dicemus.

Quinta conclusio. *Cambium secundæ speciei, in quo Petrus pecuniam, quam habet Valentiæ confert Campsori Valentino, vt per litteras illa sibi exhibeatur, vbi illa eget, est vere ac realiter traductio pecuniæ ex vno loco in aliũ, cum stipendio pro tali traductione & ministerio.*

Vnde hoc Cambium reducitur ad contractum locationis: locat enim Campsor in eo suam industriam, & operam, sicut locaret illam nauta, vel agasso pecuniam illam ex vno loco in alium deferens: Quod enim iste præstaret suo labore, ac reali & formali traductione, præstat Campsor, & commodius, ac facilius per litteras. Ita Siluester Vsura. cap. 4. q. 8. §. 2. Caietan. in illo opusculo cap. 6. & plerique Doctorum tam veterum quam recentiorum, imo (vt sepe diximus) veteres hoc tantum genus Cambii agnouerunt, qua de causa solet vocari Cambium per traductionem, Hispane *Cambio por transpasso*: Quia est traductio & transportatio pecuniæ ex vno loco in alium.

Nauarrus in commentario de Cambiis nu. 21. sentit hoc Cambium non pertinere ad contractum locationis, sed ad aliquẽ eorum qui dicuntur à Iurisperitis innominati, qui potest exprimi per voces illas *Do vt des.* Quod probat Primo, quia contractus sortiuntur speciem & denominationem ex intentione contrahentium; nullus autẽ est, qui in hoc genere Cambii intẽdat locare aliquas operas Campsoris, sed dare illi pecuniam Valentiæ, vt detur illi ęquiualens Romæ.

Secundo, quia in contractu locationis res locata non transit in dominium eius, cuius operæ locantur; vt si conducam nautam, qui mea bona transferat ex Hispania in Italiam, cõmendantur quidem illi & committuntur bona mea, non tamen transeunt in dominium illius: at in Cambio huius secũdæ speciei, pecunię quę traduntur Cãpsori, quamuis maneat ille quidem obligatus ad restituendas similes, & ęquiualentes in alio loco, transeunt tamen illę in dominium ipsius. Vnde hoc Cambium non potest reduci ad contractum locationis.

Potestq; illud alijs etiã argumentis confirmari. Vnde sit tertium. Hoc Cãbium habet easdem qualitates quas mutuũ, ergo nõ potest esse locatio operarũ Cãpsoris: consequentia perspicua est, cum hi duo contractus mutui & locationis specie & natura omnino differant. Antecedens vero probatur: Quia sicut in mutuo traditur res vsu consumptibilis mutuatario secundum omnem vsum illius, cum debito restituendi illam post aliquod tempus mutuanti, ita in hoc Cambio traditur à Campsuario pecunia Campsori, cum libera facultate vtendi illa pro libito, cũ solo debito restituẽdi illã post aliquod tempus ipsi Campsuario, in loco ex vtroq; consensu designato.

Quarto: Quando locat Petrus suas operas, vt nauta, & suscipit pecuniam alterius traducendam ex vno loco in alium, si casu pecunia illa perierit, ac sine culpa Petri, ad nullam tenetur illius pecuniæ solutionem, sed perit domino illius: at in hoc Cambio secundæ speciei, in quo Ioannes pecuniam suam tradit Campsori, cuius litteris recipiat illã Romę, si illa pereat, etiã si sine vlla culpa Campsoris, non perit Ioanni, sed Campsori: ergo Cambium hoc non est locatio, in qua Campsor locat operas suas ad traductionem pecunię Campsuarij.

Deniq; Qui locat se ipsum ad transferẽdam pecuniã alicuius ex vno loco in aliũ, actu & realiter illam transfert, Quod tamẽ Campsor in hoc contractu non præstat, sed solum tradit litteras, virtute quarum à suo socio æqualis alibi restituatur.

Sed propter hæc non est quod recedamus à communi & vera Doctorum sentẽtia, quam habet conclusio ista quinta: Illa igitur suo ordine diluamus.

Ad primum respondeo, Contractus pendere quidem ex intentione, & voluntate contrahentium vt fiant, & celebrentur, tum etiam vt fiant cum his vel illis conditionibus, & circunstantiis: posito tamen celebrari illos hac vel illa ratione, & cum his vel illis circunstantijs, non pendet ex eorũ voluntate & intentione, vt pertineant ad hanc vel illam speciem, sed ex natura rei, & ex qualitate & conditionibus ipsius contractus. V.g. ex intentione & libera voluntate contrahentium pendet, mercem aliquam emere & vendere, vel secus, at posito dominum mercis velle illam tradere pro pretio, & emptorem velle

velle recipere illam collato pretio, non pẽdet ex voluntate aut intentione eorum, qualis hic contractus sit, sed ex natura rei, & propria ratione ipsius est emptio & venditio, esto illi ex ignorantia, vel per iniquitatem vellent alium contractum inire. Vt patet in simonia, nollet certe, qui pretiũ confert pro beneficio, simoniam committere, imo frequenter nihil tale instituit, ex natura vero contractus, si pretio rem spiritualem acquirat, exercet simoniam: Ita in proposito: Licet in hac secunda specie Cambij, Campsuarius nihil aliud instituat, quã dare pecuniam suam Valentiæ, vt ęquiualens detur illi Romę, nihilominus lucrum quod ex hac commutatione Campsor reportat, est merum stipendium obsequii, & vtilitatis, quam præstat Campsuario, efficiens, vt pecuniam quam habet Valentiæ, & oportebat transferre Romam, Romę inueniat, ac recipiat. Cõtractum verò in quo recipitur aliquod stipendiũ, pro obsequio quod quis in alterius vtilitatem prę̨stat, perspicuum est ad locationem pertinere.

Ad secundum respondeo, argumento illo probari quoque posse, agassonem accipientem pecuniam Valentię sub stipendio, & locantem se ad conferendam illam Salmanticæ Scholastico Valentino, si quidem illam Valentiæ vel in itinere expenderet, quamuis exhiberet æqualem Salmanticæ Scholastico illi, non exercuisse contractum locationis, quod est ridiculũ: quia ad veram transportationem pecunię, vel cuiuscunque rei vsu consumptibilis nõ exigitur, vt eadem numero, quæ fuerat accepta, restituatur, sed ęquiualens in eadem specie. Vnde in hoc Cambio de quo loquimur, Campsuarius neque transfert dominium suæ pecuniæ in Campsorem, neque prohibet quin illa pro libito vtatur, sed hoc tantum instituit, vt æquiualens reddatur ei in loco in quo illa indiget; redditaque illi ęquiualenti, perinde se habet Cãpsor in genere moris, ac si eandem numero quam accepit, eò detulisset, & Campsuario tradidisset.

Ad tertium, satis constat iam ex dictis in prima conclusione, & cõsectarijs illius, Cambium, cuiuscunque speciei sit, nullomodo esse mutuum, maxime propter rationes adductas: quia mutuum fit in vtilitatẽ recipientis mutuum, Cambium autem per transportationem non fit in vtilitatem Cãpsoris, qui recipit pecuniam alibi restituẽdam, sed in vtilitatem ipsiusmet Campsuarij, tradentis illam, vt in alio loco in quo illa indiget, sibi restituatur.

Ad quartum respondeo, Nautam, vel agassonem, qui susciperet pecuniam alicuius, alio deferendã, & locaret illi suas operas, siquidem sine aliqua ipsorum culpa illa periret, non teneri ad illius restitutionem, neq; illis perire, sed domino qui illam cõmisit ipsis, quia illi solum promisserunt pecuniam illam alio transferre, solumque exercuerunt cum illo contractum, quo locauerunt ei suas operas, neque obligauerunt se ad pericula, quod pertinet ad alium contractum longe diuersum, quem dicimus assecurationis, ad quẽ si simul se obligassent, tunc, nõ solum manerent deuincti ad illam alio transferendam, verumetiam ad omnia pericula, & damna, quæ pecunia illa pateretur, siue culpa ipsorum, siue sine culpa eorum acciderent illa pericula, & damna, quia contractui locationis commiscuerũt contractum assecurationis. Et hac ratione Campsor recipiens pecuniam alicuius transferendam in alium locum, tenetur ad damna omnia, si illa pereat, antequã ibi Campsuario restituatur, quia in huiusmodi contractu & Cambio, non solum celebrat Campsor contractum locationis, verumetiam assecurationis: ex natura enim huius contractus vtrumque promittit Campsor, & pecuniam quam à Campsuario recipit v. g. Valentię restituendam Romę, illam fideliter ibi restituere, & omnia pericula illius penes se suscipere.

Sexta conclusio. *Cambium tertiæ speciei, in quo Campsor confert prius pecuniam Cãpsuario, acceptis ab illo litteris, quibus a factore & corresponsali Campsuarij suam pecuniam recipiat, in loco ad quem commutatio illa siue solutio remissa est, quatenus modo & hoc nostro seculo est in vsu, non est transportatio pecuniæ a loco in locum, sed vera & realis commutatio pecuniarum existentium in diuersis locis, iuxta valorem & æstimationem quam in illis habet, desumptam ex maiori copia vel inopia totius generis pecuniarum in talibus locis.*

Hanc probant optime, ac efficaciter argumenta illa Mercati: omnia enim illa procedunt de huiusmodi Cambio, quod vocamus tertiæ speciei: nec alia probatione hic opus est.

Reliquum est vt diluamus argumenta, quibus authores illarum opinionum, quas retulimus, vtuntur, quatenus illa, conclusionibus hic à nobis positis aduersantur.

Imprimis argumenta eorum, qui hoc Cambium ratione loci & per litteras damnant, ex dictis facile soluuntur. Nam primum illorum satis abunde explicatum est in prima conclusione hic posita, & ex alijs quæ in progressu huius disputationis diximus, constat abunde, Cambium verum & reale (de quo hic loquimur) nullomodo esse mutuum, neque simplex & absolutum, neque mixtum commutatione, sed meram ac nudam veramque commutationem pecuniarum in diuersis locis existẽtium, quæ incipit & incohatur in loco vbi recipitur pecunia, & perficitur ac cõsumatur in alio loco reuera distanti, vbi illa commutata restituitur.

Ad secundũ respondeo, conferre alicui pecuniam cum spe lucri, ex contractu cui repugnat conferre pecuniam ad habenda lucra, qualis est contractus mutui, esse vsurarium: & ita vsura definitur *Lucrum ex mutuo*: conferre autem pecuniam cum spe lucri, ex contractu, cui non repugnat vt in illo data pecunia habeatur lucrum ex iusta causa, & titulo, non esse vsurarium: qua ratione datur pecunia in Cambio, vt recipiatur lucrum ex maiori vel minori æstimatione pecuniæ in diuersis locis, qui titulus vt videbimus controuer. 12. huius artic. iustus est.

Ad tertium dico, esto aliqui vtantur hoc contractu in fraudem vsurarum, quia nolunt gratis mutuare, nihilominus contractus ipse secundum se, & suam propriam naturam, si recte exerceatur, ita vt sit Cambium reale & verum, & cum omnibus conditionibus quas explicabimus, non est in fraudem vsurarum, sed in bonum commune Reipub. cum sine tali contractu (vt vidimus q. 1. art. 2.) non possent negotia & cõmercia excerceri. Quod autem aliquis, sua iniqua intentione exerceat illud in fraudem vsurarum, nimirũ, quia cum non posit lucrari exercens vsuram hac alia via lucretur, peccabit praua illa intentione cõtra charitatem, nimia illa cupiditate lucrandi, minime vero contra iustitiam, cũ propter prauã intentionẽ illius, Cambiũ verum & reale in quo seruantur debitæ conditiones, non desinat esse contractus iustus.

Ad quartum respõdeo, Merces non posse aliter vendi, quam valeãt hic & nũc, nisi sint alio deferendæ, vel seruentur in aliud tempus, at sicut licet vnam mercem cum alia in alio loco existente commutare, iuxta diuersum pretium & æstimationem quã illæ habent in illis diuersis locis, ita & pecunias. Vel sicut deferenti mercem aliquã ex vno loco in alium licet exigere stipendium illius obsequij, & transportationis, ita & in transportatione pecuniarum, Et in his consistit Cambium, nam vel confertur Campsori, traducenti litteris à se datis pecuniam Campsuarii ex vno loco in alium, lucrum aliquod tamquam stipẽdium illius obsequii & transportationis, vt in Cambio secundę speciei, vel commutatur pecunia vnius loci in pecuniam alterius, iuxta diuersum valorem vel æstimationem quam in illis habent, vt in Cambio primæ, vel tertiæ speciei.

Ad vltimum respondeo, conuenire quidem negotiis, vt qui illa exercet, se ipsum damno vel periculo expõnat, vt qui defert merces in aliquem locum vendendas, debet illas vendere pretio insto, siue ita vẽdens damnum recipiat, siue commodum: Qui inter se ineunt societatem, debent eidẽ damno sicut & cõmodo esse expositi. Nihilominus potest in negotio exigi securitas à contrahentibus inter se, vt stet vterq; contractui, fideliterque se gerat in eo. Qua ratione in Cambio, cum exigit Campsor pignus, vel fideiussorẽ, exigit quidem illum ad firmitatem, ac vt sit securus Campsuarium fideliter soluturum, manet nihilominus sub periculo lucrãdi vel perdendi, iuxta diuersam ęstimationem pecuniarũ in diuersis locis, pręter alia pericula quę explicabimus inferius, cum docebimus nõ repugnare naturæ Cambii exigere securitatem.

Nunc ad argumenta aliarum opinionũ, quæ Cambium verum & reale, iustum quidem iudicant, sed in explicanda propria illius vi & natura à nobis dissident. Quarum prima fuit illa Medinæ, & aliorum existimantium esse contractum mixtum ex mutuo, & Cambio.

Ad primum eorum quibus huiusmodi opinio nititur, Respondeo, iuxta exemplũ quo ratio illa vtitur, tribus modis posse dari Valentiæ equum Petro restituendum Barchinonæ: Primo, vt teneatur eundem restituere, neque mutetur hęc conditio; & hic modus tradendi est vere mutuum. Secũdo, si tradatur illi sub ea conditione, vt teneatur eũdem Barchinonę restituere, deinde vero vel quia equus ille culpa Petri periit, vel alia ex causa, cõuenit dominus eius cũ Petro, vt restituat alium loco illius quẽ accepit Valentiæ. Et hic contractus negari non

non potest esse mixtus ex mutuo, & commutatione, à principio enim, cũ fuit traditus equus Petro, cum pacto vt eundem restitueretur, fuit mutuum: quod vero dein de constituerunt, vt loco illius alium redderet, fuit Cambium: & ita huic cõtractui, qui à principio fuit mutuum, fuit deinde adiunctum & permixtum Cambium. Potest quoque & hoc tertio modo fieri, vt à primo limine & principio contractus conueniant inter se, vt Petrus accipiat equum Valẽtiæ cuius loco alium restituat Barchinonę: & hic tertius modus nõ est mutuũ, neque simplex, neque mixtum, sed vere ac reale Cambium & commutatio, quæ incipit & fuit inchoata Valentię, perfecta autem & absoluta Barchinonæ: Perspicuum autem est, Cambium de quo hic loquimur, non celebrari primo, vel secũdo modo istorũ, sed tertio: Et ita nullomodo est mutuũ, neq; simplex & purum, neq; mixtum, sed mera ac nuda commutatio pecuniarum vnius loci cum pecunijs alterius.

Ex his patet quoque solutio ad secundũ. Etenim qui mille aureos datos Valentiæ reciperet Barchinonæ, & receptos deinde commutaret, proculdubio duos contractus exerceret, alterum mutui Valentiæ, & alterum Cambii Barchinonæ, qui essent & loco & tempore distincti, ita vt nullomodo esset vnus contractus, neque simplex, neq; constitutus ex duobus, vel pluribus, sed duo omnino reipsa distincti & diuersi: at Cambium (de quo hic agimus) longe aliter se habet, non enim sunt duo contractus in eo, sed vnus & simplex, quia non dat Campsor pecuniam Valentiæ restituendam sibi Barchinonę, ita vt post quam sibi restituta est, illam commutet, sed dat suam Valentię recipiendam Barchinonę commutatam in aliam: ita vt à principio fiat iam commutatio Valentię, complenda & consumanda Barchinonæ.

Ad tertium Respondeo, plurimum differre inter emptionem quæ fit anticipata solutione, & Cambium de quo hic agimus. Quia in illa, cũ emptio non fiat actu & re uera, donec merces actu tradatur, (qua de causa, vt loco in argumento citato vidimus, pretium necessario est sumendum à loco, & tempore, in quo fit actualis traditio mercis) pretium ante solutum est velut mutuum: at in Cambio fit iam actu commutatio, cum primum traditur pecunia à Campsore, non quidem perfecta & consumata, sed incepta & inchoata, perficienda vero & complenda, quando restituitur illi ab ipso Campsuario æquiualens pecunia in alio loco. Quo fit, vt in Cambio nullo modo interueniat mutuum, neque exhibitio illa pecuniæ, quę fit à Cãpsore, sit mutuũ, sed commutatio suæ pecuniæ cum illa quã alibi à Campsuario recepturus est: ex vtroque enim actu, quamuis in diuersis temporibus & locis, coalescit vna commutatio, & Cambium.

Ad argumenta secundæ opinionis.

Ad primum constat solutio ex dictis in 3. cõclusione à nobis posita: pecunia enim presens æstimatur magis quã absens, quando illa periculis subiacet, vel ex illius absentia emergunt aliqua damna, siue cessant aliqua lucra domino illius, quæ omnia aliena sunt à contractu Cambij iuxta propriã illius vim, & naturam, vt ibi docuimus. Ad confirmationem, concesso Antecedenti negandum est consequens, quia 100. presentia Campsori non magis valent quam absentia, imo formaliter loquendo nempe Campsori vt Campsoriam exercet, vtilius est suam pecuniam abesse, & Campsuario alicui traditam esse, quam apud ipsum manere illam otiosam.

Ad secundum Respondeo, In Cambio secundæ speciei, quod fit ad loca magis distantia, maius pretium exigi posse, non quia, quo locus magis distat, pecunia eius magis abest, sed quia quo magis distat, maiores facit Campsor expensas, & maius obsequium pręstat in vtilitatem Campsuarij pretio æstimabile, in huiusmodi namque Cambio secundæ speciei non cõfert Campsor suam pecuniam Campsuario; illiq; abest, quin potius recipit ipse a Campsuario pecuniam, quam alibi ei restituat. Et in hoc sensu loquitur Sanctissimus Pius quintus in sua Bulla: Quod si loquamur de Cambio tertię speciei, est quidem necessaria quoque in eo distantia loci, non tamen augetur vel minuitur lucrum Campsori ex illa maiori vel minori distantia, sed ex varia æstimatione, quam habent in diuersis locis pecunię quę Cambiũtur, & commutantur in illis.

Tertium nullam habet vim. Primo, quia venditor tũc solum potest exigere ab emptore interesse in quo læditur carens merce vendita, quando non erat paratus ad illam vendendam, sed rogatus ab emptore, vendit illam; Cãpsor verò esto læderetur per absentiam pecuniæ quam tradit Campsuario, læderetur tamen propria sponte,

qua paratus est ad tradendam pecuniã suã Campsuarijs, & ad illam absentiam pecuniæ suæ. Secundo (quod magis refert) Campsor per illam absentiam non læditur, imo per illam lucratur, cum illa sit de intrinseca ratione huius contractus, quẽ nullus Campsor exerceret, nisi illi esset vtilissimũ pecuniã suam in eo ipsi abesse. Quod vero additur in isto tertio argumeuto, lędi etiam, eo quod sit facturus expensas ad recuperandam suam pecuniam, restituendam que in suam presentiam, à loco in quo Cãpsuarius illam reddit commutatam: nõ est iustus titulus, ad lucrum quod recipitur in hoc contractu, quia Cambiũ (vt diximus) incipit in loco vbi traditur pecunia à Campsore, perficiturque in loco vbi restituit illam Campsuarius commutatam, siue reducatur inde ad presentiam & manus Campsoris, qui illam à principio contulit, siue non: hoc enim iam est extra contractũ Cãbij, & post illum perfectum & consumatum. Qua etiam ratione soluitur, quod affertur in confirmationem eiusdem argumẽti. Merces enim absentes valent minus quã presentes, quando emuntur sub ea conditione, vt emptor teneatur adducere illas à loco in quo sunt, in locum in quo ipse existit, & fit emptio: quæ conditio non reperitur in Cambio, cum illud perficiatur ac finiatur omnino, cum primum Campsuarius restituit pecuniam, in eo loco ad quem fuit remissa illius solutio: nec aliud illi incumbat, siue pecunia illa (vt dixi) reducatur ad manus & presentiam ipsius Campsoris, siue non.

Quartum soluitur sicut & secundum, In Cambio enim ad remotiorem locum nõ soluitur interesse, eo quod pecunia lõgius absit, sed propter causas redditas in solutione istius secundi argumenti.

Ad quintum dico, In Cambio, pecuniã absentem non minus valere quam presentem ex causis redditis. Primo, quia Campsor propria sponte paratus est ad illius absentiam, quę de interna ratione huius contractus est. Secundo, quia non exponit illam saltim ex natura huius contractus alicui periculo, cum posit securè illam tradere. Tertio, quia propter eius absentiam nõ potest deducere in pactum aliquod lucrũ sibi cessans, vel damnum emergens, cũ propria sponte vellit illam sibi abesse. Quod autem socius, seu factor Campsoris sine periculo, vel labore illam recipiat, parũ aut nihil omnino facit ad propriam rationem & iustitiam huius contratus, cuius propria vis & natura est, vt vel sit trasportatio pecuniæ alicuius ex vno loco in alium, vel commutatio pecunię vnius loci in pecuniã alterius, iuxta variam ęstimationem, quam vtraque in illis locis habet.

Iam ad argumenta tertię opinionis, quibus nituntur authores illius docere, Cambium esse contractum emptionis, in quo pecunia vnius loci traditur quasi in pretium pecuniæ alterius loci.

Ad primum respondeo, verum quidem esse, pecuniam iuxta secundarium vsum illius, & quatenus metallum quoddam est vtile ad varios vsus, vendi posse, sicut q. 1. art. 1. docuimus agentes de Cambio minuto; at secundum primarium, & præcipuum vsum ipsius non potest vendi, neque habere pretium, cum ipsa sub hac ratione omnium rerum pretium sit: Qua de causa, cum in Cambio non tradatur vt metallum, neque secundum aliquem vsum secundarium ipsius, sed secundum primarium & præcipuum, & quatenus pecunia est, propterea contractus hic nullomodo potest reduci ad emptionem & venditionem, licet in quibusdam conueniat plurimum cum illa, vt ex 3. conclusione hic posita abunde patet.

Ad secundum constat satis ex dictis, constabitque magis ex controuersiis proxime sequentibus, Campsorem per hanc artem posse quidem lucrũ aliquod recipere, non tamen accipit illud, quasi vendatur pecunia pro pecunia, sed quia vel ratione transportationis quam pręstat, debetur illi lucrum illud in stipendiũ obsequij, & vtilitatis quam pręstat Cãpsuario. vt in Cambio secundæ speciei, vel quia varia æstimatio, seu valor pecuniarum in diuersis locis ita exigit iuxta communem vsum fori, vt in Cambio primæ vel tertiæ speciei.

Tertium nullam habet vim, potest enim quis vti pecunia secundum alios vsus quã primarium, quando vtitur illa vt metallũ, potestque similiter sub ea ratione illa vendi: at secundum primarium vsum, & quà pecunia est, solum habet vt sit ipsa pretiũ aliarum rerum venalium, minime vero pretium sui ipsius.

Ad quartum dico, pecuniam locari posse, quia hic vsus computatur inter secundarios, secundum quos posse illam habere aliquod pretium non negamus, at secundum primarinm, & qua pecunia est (vt sępe diximus) qua ratione est ipsa omnium rerũ pretium,

tium, nullomodo potest ipsa vendi, commutari vero illam in Cambio quatenus pecunia est, & non secundum alios vsus illi secundarios, neminem latet.

Ad quintum respondeo pecuniam vt pecuniam nullo alio pretio æstimari quam legali, à Principe vel Repub. illi constituto, quod verò in diuersis locis in maiori pretio habeatur, propter illius abundantiã vel inopiam, hoc non pertinet ad pretium pecuniæ, neque est illius pretium, sed maior vel minor solum illius æstimatio, iuxta ea quæ optime docet Mercatus in fundamentis suæ sententiæ, iam adductis in quarta opinione hic proposita.

Neque D. Thomas, cuius authoritatem vltimo afferunt, illis fauet. D. enim Thomas, in locis ibi citatis, nõ docet pecuniam vendibilem esse sub ratione pecuniæ, sed secundum alios vsus illi secundarios, quod nos etiam fatemur.

Argumenta aliarum opinionum nobis non aduersantur. Nam quę ab authoribus quartæ opinionis proponuntur, solum procedunt de Cambio secundæ speciei, quod certisimum est esse traductionem seu trãsportationem pecuniæ ex vno loco in aliũ, qua de causa reducitur ad contractum locationis. Argumẽta verò Mercati, & quintæ opinionis procedunt de Cambio tertiæ speciei, quod perspicuum est ex dictis, neque esse transportationem pecuniæ ex vno loco in alium, neque reduci ad contractum locationis, sed esse veram & realem commutationem pecuniarum in diuersis locis, Iuxta æstimationem illarum in illis.

Ex his perspicuum manet, Cambium ratione loci siue per litteras non esse vnũ & simplex, neque vnius rationis & naturę, sed iuxta diuersas illas Cambiorum species à nobis propositas varias habere formales rationes, & essentias.

Nunc quæ ad iustitiam vnius cuiusque istarum trium specierum pertinent explicemus.

Et primum quæ ad Cambium primæ speciei spectant.

DE CAMBIO IN QVO *vterq; contrahens indiget vicissim, & mutuo pecunia alterius.*

CAMBIVM primę speciei (vt ex dictis cõstat) illud est, in quo vterque contrahens indiget vicissim & mutuo pecunia alterius, sic quæ suas pecunias inter se cambiunt in diuersis locis in mutuam vtriusq; vtilitatem, Indiget Petrus Cæsaraugustæ pecuniis quas habet ipse Valentiæ, Indiget Ioannes Valentiæ pecunijs quas habet Cæsaraugustę, conueniunt inter se, dabo tibi pecunias quas habeo Cæsaraugustæ, vbi tu illis indiges, da tu mihi totidem pecunias quas habes Valentię, vbi ego illis indigeo: sicque commutant inter se pecunias illas quas habent in diuersis locis.

Circa iustitiam huiusmodi Cambii vna & simplex regula vel doctrina asignari non potest, propterea quod pecuniæ quæ hac ratione Cambiuntur, & commutantur, quandoque habent vnum & eundem valorem in illis locis, quandoque vero diuersum, argentei enim Bethici quos dicimus reales eundem valorem habent Cęsaraugustæ & Barchinonę, nam in vtroque loco valent 24. nummulos: diuersum tamen Valentiæ, vbi non valent nisi 23. Rursum, qui sic Cambiunt, quandoq; sine vllo interesse suas pecunias in illis commutant, quandoque vero aliquot exigunt interesse & pretium. Demum quandoque simul & mutuo vterque Cambientium suam indicãt sibi necesitatẽ, quandoq; vero alter ab altero preuenitur: Qua de causa circa hoc genus Cambii & illius iustitiam nonnullę sese offerunt dubitationes. Quarum prior est, quamuis in ordine articuli secunda.

Controuersia Secunda.

AN QVANDO FIT CAMbium in mutuam vtriusque Cambientis vtilitatem, in locis vbi pecunia eundem habet valorem, liceat alteri Cambientium aliquod lucrum recipere?

IN hac quæstione Thomas Mercatus in suo opere de Contractibus. in lib de Cambijs cap. 4. & nonnulli alii recentiores absolutè & omnino amplectuntur partem negantem, asserentes in huiusmodi Cãbio, quod in vtriusque vtilitatem cedit, & in quo, pecuniæ quę commutantur in diuersis locis, eiusdem sunt valoris in illis, neutri Cambientium licere lucrum aliquod vel interesse ab altero recipere, ratione seu virtute vt dicunt huiusmodi cõmutationis, & Cãbii. Ratione inquiunt huiusmodi Cambij, quia alio titulo, nimirum lucri cessantis, vel damni emergentis alicui eorum, vel alio

alio simili, liceret quidem ei, qui ex ea commutatione damnum aliquod pateretur, vel lucrum aliquod amitteret in vtilitatem alterius, compensam illius exigere, iuxta ea quæ superius docuimus de lucro cessante, & damno emergente: qui tituli non sunt huius loci & considerationis.

Quod autem ratione Cambii & commutationis de qua hic agimus, neutri liceat lucrum aliquod vel interesse in ea ab altero cambiente recipere, docēt. Quia in cōtractu Cambij, omne interesse & lucrum quod Campsori redditur, recipitur ab illo, vel propter vtilitatem, & obsequium quod ille præstat Campsuario in transferenda pecunia illius ex vno loco in aliū, vel propter diuersum valorē aut æstimationē quam habent in diuersis locis pecunię illę, quæ commutantur: At in cambio de quo in hac controuersia loquimur, vterque præstat alteri inuicem & mutuo eandem vtilitatem, idemque obsequium, pecunię quoque (vt constituimus) sunt, in locis in quibus commutantur, eiusdem omnino valoris & æstimationis, nullus ergo existit iustus titulus, vel ratio, propter quam debeat vel possit aliquis eorum lucrū aliquod vel interesse ab altero exigere, vel recipere.

Et confirmatur, quia in contractu Cābij, cum pertineat ad iustitiam commutatiuam, est necessario seruanda in illo æqualitas inter contrahentes, at si vnus eorum aliquid ab altero vltra capitale reciperet, cum pecuniæ quę commutantur sint eiusdem valoris, & vtilitatis vtriq;, non seruaretur profecto æqualitas.

Secundo, In Cambio pecuniarum eadē equalitas necessario seruanda est, quæ in Cambio rerum, at quando res aliquæ commutantur in diuersis locis, si illæ & inter se & in illis locis eiusdem sint omnino valoris, & pretii, & commutatio illarum cedat ex ęquo in vtriusque vtilitatem, nulli eorum licet aliquod interesse ab alio recipere, vt cum commutatur triticum eiusdem pretii, aut duo libri eiusdem valoris, aut quęcunq; aliæ res: ergo neq; in Cambio pecuniarum, quando Cambium illud ęqualiter cedit in vtriusq; vtilitatem, & pecunię quę cambiuntur in diuersis locis eiusdem omnino valoris & ęstimationis sunt in illis: nulli cambientium licebit aliquod interesse ab alio recipere.

Dominicus Soto lib. 6. de Iustitia. q. 10. art. 1. docet illud licere ei, qui ab alio præuenitur, quo verbo insinuat satis, in hac quæstione sic distinguendum esse; Vt vel vterq; simul indicet sibi, commutatione illa indigere, vt in exemplo ante adducto, veluti si dicat Petrus Ioanni, habeo pecunias Hispali, quibus tu ibi indiges, tu vero habes hic Valētię, vbi ego illis egeo, cōfer mihi quas habes hic Valētię, ego conferā tibi totidē quas habeo Hispali, & Ioānes sub ea cōditione annuit: in quo Cābio cōmutant hi in mutuam vtriusq; vtilitatem, vtriq; cognitā & expressam. Vel ita, vt quāuis vterq; illa commutatione pecuniarum egeat, minime tamen illam sibi indicant, sed postulat Petrus à Ioanne Barchinonæ pecunias restituendas illi Cæsaraugustæ, ignorans Ioannem egere illis Cæsaraugustę, & perinde ac si non indigeret illis in eo loco. Et in hoc casu dicitur à Soto Ioannes pręueniri à Petro. Quod licet non dicatur expresse ab ipso, insinuatur tamen satis ab eo in verbo illo pręuenitur.

Iuxta mentem ergo ipsius, Quando commutantur pecuniæ eiusdem valoris in diuersis locis illo priori modo, ita vt simul & mutuo fiat Cambium in vtriusq; vtilitatem, & vtriq; cognitam, nulli eorum licet lucrum aliquod, vel pretium ab altero exigere, vel recipere: Quando verò commutātur posteriori modo, ita vt alter alterū pręueniat, exigens ab illo pecuniam Cambiendam in alio loco, illū qui pręuenitur, (esto re ipsa indigeret commutatione illa, & pecuniā suam habere in loco illo) posse nihilominus, recipere ab eo à quo ita pręuenitur lucrum illud, & pretium, quod iuxta communem vsum fori posset recipere, si neque tali commutatione indiguisset, neque esset ipsi vtile pecuniam suam illic habere.

Ratio illius est, In huiusmodi Cambio duo tantum exiguntur, vt qui pecuniam suam alteri confert, possit tuta consciētia recipere pretium fori: Prius est verum obiectum, nempe vt sit Cambium reale, & in quo realiter & verè pecunia quæ in vno loco recipitur, in alio restituatur: Posterius, vt obsequium illud, siue vtilitas quam Cāpsor præstat campsuario, sit pretio æstimabilis, (dimittit tertium tamquam certum, vt non recipiat nisi pretium fori) sed Petrus à quo petit Ioānes Barchinonę 1000. argenteos restituendos illi Cæsaraugustæ, exercet Cābium verum & reale, cū reuerà Ioannes argenteos quos recipit Barchinonæ, sit redditurus Petro vel factori eius Cesaraugustę, Tum etiam præstat Ioanni obse-

obsequium quod est in eius vtilitatem, cũ conferat ei pecunias Barchinonæ vbi illis indiget, commutandas in eas quas est traditurus Cęsaraugustę, quod est pretio æstimabile: quæ duo non tolluntur, eo quod expediat Petro pecuniam illam habere Cęsaraugustæ, cum hoc per accidens sit Cambio quod Ioannes postulauit à Petro illũ præueniens: ergo tuta conscientia potest Petrus in hoc casu recipere à Ioanne in huiusmodi Cambio idem pretium fori, quod potuisset recipere etiam si non fuisset ipsi vtile habere pecuniam illam Cæsaraugustæ.

Et confirmatur familiari exemplo. Habet Petrus equum transferendum à Barchinona in Cęsaraugustam, quod ignorans Ioannes postulat à Petro conducat ipsi equum illum ad conficiendum iter è Barchinona in Cæsaraugustam: Potest in hoc casu Petrus exigere à Ioanne pretium illius locationis, siue conducti equi, perinde ac si absolute & simpliciter illum locaret Ioanni, esto ipsi vtile sit equum illum duci in Cæsaraugustam: quia hoc per accidens se habet ad contractum illum, quo Ioannes postulauit à Petro equum illum sibi locari à Barchinona in Cæsaraugustam; imò fit hoc passim, cum reducuntur equi & mulę conductitię à locis in quos fuerunt prius conductæ, & locatæ, in propria loca & domos suorum dominorũ: Quod certè nullus est Theologus aut confessarius qui illud damnet. Simili ergo ratione, esto Campsori Barchinonensi vtile sit, pecunias suas in aliquo euentu habere Cęsaraugustæ, si tamen ab aliquo simpliciter & absolute tunc illæ exigantur per Cãbium, restituendę Cæsaraugustæ, poterit recipere idem pretium, quod licuisset illi recipere, si absolute & simpliciter illas tradidisset cambiendas Cæsaraugustę, neque ipsi expediret ibi illas habere.

Respondet quidã huic exemplo, plurimum differre inter contractum Cambii, & æqui conducti, quia in hoc, idem equus qui recipitur in vno loco restituitur in alio: In Cambio autem diuersa omnino pecunia debet restitui, ab ea quę accipitur: & hac de causa à reducente equum in locum inquẽ reducendus erat, posse aliquid accipi moderatum, esto reductio illa cedat in vtilitatem domini equi, in Cambio verò, cum sint diuersę pecuniæ, & in diuersis locis, eiusdem tamen omnino pretij & valoris, nihil omnino posse recipi, vbi cõmutatio illarum in vtriusque cambientis cedit vtilitatem.

Sed hæc solutio non tollit vim argumenti, neq; accommodationem exempli. Argumentũ enim Soti efficax est, quia negari non potest, in omni Cambio reali in quo pręstatur campsuario obsequium aliquod, & vtilitas pretio æstimabilis, posse recipi pretium fori, Vnde si commutatio pecuniarum à Barchinona in Cæsaraugustam fit cum aliquo pretio, quando campsuarius postulat illas à Campsore absolutè & simpliciter, nec Campsor eget illis Cæsaraugustæ, quia tale Cambium, obsequium est quod Campsor pręstat Cãpsuario pretio ęstimabile, profecto etiam si Campsori vtile sit & expediens pecunias illas habere Cæsaraugustæ, non tollit quin vbi pręuenitur à Campsuario, & simpliciter postulatur dare suam pecuniam ad Cãbium, posit quoque pretium illud fori exigere, ac recipere. Quia hæc circunstantia, quod Campsori vtile sit habere pecunias Cæsaraugustæ, habet se per accidens ad contractum quem exercet cũ Campsuario, pręuentus & rogatus ab illo: nec tollit circunstantia ista quin illud obsequium sit pretio æstimabile. Dixi, Si commutatio illa à Barchinona in Cęsaraugustam fiat cum pretio, quia sępe, quando in locis in quibus commutantur pecunię, habent illę idem pretium & valorem, nullum recipitur interesse, aut pretium, propter ęqualitatem valoris quem habẽt illę in talibus locis. Quod si hoc non obstante, aliquod soleat exigi & reddi communi vsu fori, illud quoq; reddendum est, quando alter ab altero præuenitur, vt constat.

Quod verò spectat ad exemplum adductum ab equo, qui reducitur in domũ domini sui, esto equus qui reducitur idẽ numero restituatur, in Cambio verò pecunia alia & diuersa, est satis nihilominus illud accommodatum instituto ad quod adducitur: adducitur enim in hunc finem, vt ex eo intelligatur, vbi obsequium quod quis alteri confert secundum se & absolute pretio æstimabile est, ita vt posit pro illo tale pretium tuta conscientia exigi, & recipi, non tolli hanc facultatem propterea quod idem obsequium vtile quoque sit & expediens præstanti illud, ad quod ostendendum accommodatissimum certe est.

Ad argumenta autem prioris opinionis facile respondebimus. Ad primum enim dico, illud recte concludere, quando vtriq; Cambien-

cambientes simul sibi occurrunt, simulq; & mutuo suam sibi indicant necessitatem: tunc enim vterq; sibi inuicem & mutuo idem præstat obsequium & vtilitatem. At quando alter ab altero prçuenitur, absoluteq; & simpliciter postulatur ab eo pecunia cambienda in alio loco, præstat illi is qui sic prçuenitur vtilitatem & obsequium secundum se pretio æstimabile, exercet enim eo ipso quo sic prçuenitur, erga illum, realiter & vere officium Campsoris, nec desinit illud pretio æstimabile esse, eo quod vtile sit huic sic prçuento pecuniam suam habere in eo loco, in quo ab alio restituenda est, cum hoc per accidens se habeat in hoc casu, in quo vnus simpliciter & absolute petit, & quærit pecuniam ab alio per Cambium, in alio loco restituendam.

Ad confirmationem verò dico, seruari in hoc casu çqualitatem. Nam cum is qui prçuenitur & rogatur exerceat (vt diximus) vere ac realiter officium Campsoris alteri vtile, & pretio çstimabile, si conferēs 100. recipiat 105. nō propterea habet plus quam debet habere, quia illa 100. recipit loco aliorum 100. quæ contulit, & illa 5. tamquam pretium officii & obsequii quod præstitit illi vtile & expediens, quod eo ipso quo fuit illi vtile est pretio çstimabile, quamuis sibi quoque vtile sit pecuniam suam in illo alio loco habere.

Eodem modo soluitur secundum, in commutationibus enim rerum in diuersis locis, cum illæ æqualis valoris sunt, & mutuo ac vicissim vterq; Cambiens suam necessitatem sibi indicat, mutuamq; vtilitatem quā inde vicissim percipit, esset inæqualitas & iniustitia alterum ab altero aliquid in tali casu exigere, vel recipere: at quando alter simpliciter prçuenitur, & rogatur ab alio, cum ipse vere ac realiter prçstet beneficiū & obsequium ei a quo ita prçuenitur, & rogatur, si vltra çqualitatem rerum quas inter se in illis locis cōmutāt, vt triticū huius loci cū tritico alterius, obsequiū illud pretio æstimabile sit, potest pretium illius tuta conscientia recipere. V. g. mensura tritici, quam à me postulas Valentiç, eiusdem valoris est & pretij cum æquali mensura tritici mihi restituenda Barchinonæ, si obsequium quod tibi præsto conferens illam Valentiæ secundum se pretio æstimabile est, præter valorem ipsius tritici, cum præuentus ac rogatus à te illud prçstē, & perinde ac si ego non indigerem recipere Barchinonæ triticum quod mihi restitues, licet mihi tuta conscientia non solum recipere Barchinonæ mensuram tritici, æqualem cum ea quam contuli Valentiç, cum ambæ (vt constituimus) sint eiusdem valoris & pretii, verumetiam & pretium illud in, quo iuxta communem vsum fori debet æstimari obsequium illud, quod tibi præstiti, si secundum se vt dico pretio æstimabile sit: quia respectu contractus, quem tecum celebro, commutando triticum quod habeo Valentiç, cum tritico quod mihi restitues Barchinonæ, per accidens est vtile mihi esse & expediens recipere illud Barchinonæ. Eodem omnino modo res sese habet in Cābio pecuniarum eiusdem valoris, & pretij in diuersis locis, quando in vtriusq; vtilitatem illud cedit, si alter alterum prçueniat, & roget absolute & simpliciter, nesciēs illi ita expedire, nec conueniens cum eo, vt Cambium illud vicissim ac mutuo fiat amicabili quadam commutatione, & ex vtraq; parte gratuita, cum in vtriusque cedat vtilitatem. Quia quando non ita conueniunt, sed simpliciter vnus alium quærit, & rogat, is qui ita prçuenitur & rogatur absolute & simpliciter ac ex natura cōtractus exercet officium Campsoris cum illo, sicut quiuis alius, qui non indigeret pecunia illa in eo loco, ad quem fit commutatio. Qua de causa potest recipere idē interesse & pretium, quod posset quiuis alius Campsor, cui non esset necessaria talis commutatio.

Altera dubitatio circa idem Cambium primæ speciei est.

Controuersia III.

AN QVANDO IN CAMBIO *primæ speciei commutatur pecunia, eiusdem quidem speciei, sed quæ in diuersis locis diuersum habet valorem, debeat alter Cambientium aliquid alteri reddere.*

CAMBIVM primç speciei vt ex dictis abunde cōstat, in vtriusque fit vtilitatem, nimirum vt vterque Cambientium habeat pecuniam vbi illa eget, accidereq; potest vt pecuniæ illç quas sic inter se cōmutant, sint eiusdem valoris in vtroque loco, de quo genere Cambij proxime precedenti Controuersia egimus, vel habere illas, quāuis eiusdem quidem speciei sint & sortis, diuersum tamē valorem in illis locis, quod

vbi

vbi acciderit, explicandum nunc est, qua ratione debeant inter se commutari. V.g. scutum aureum quod Hispaniæ valet 11. vel 12. argenteos, apud Italos valet 13. similiter argẽteus qui Valentiæ solum valet 23. numulos, Barchinonę valet 24. Quęrimus: An quando Petrus recipit in Hispania scutum aureum restituendum Romæ per Cambium, si vellit in argenteis illud ibi restistuere, sufficiat ne, vt restituat 11. argenteos pro illo, qui est valor scuti aurei in Hispania, vbi illud recipit, vel debeat restituere 13. argenteos, qui est valor quem habet scutum illud aureum in Italia. Si vero in eadem specie illud restituere instituat, posit ne Campsor qui scutum aureum Petro in Hispania contulit, simile scutum aureum Hispanum in Italia tuta conscientia recipere. Similiter qui confert amico 100. argenteos Beticos quos habet Valẽtię, vbi minus valẽt, pro aliis 100. quos amicus ille habet Barchinonæ, vbi magis valent: possit ne illos ad æqualitatem commutare? argenteos scilicet suos pro argenteis alterius, nullo nummulo vel interesse vnicuiq; eorum superaddito.

Hoc loco illud primum obseruandum est, quæstionem hanc eandem omnino esse cum illa, quæ solet proponi à Doctoribus sub istis vocibus. *Quomodo Cambium ratione diuersitatis monetæ, vel ratione diuersi valoris eiusdem monetæ in diuersis locis, sit iustum?* Qua de causa vtramq; simul & odẽ omnino labore explicabimus. Nam quod huiusmodi Cambium, in quo pecunia quę commutatur in diuersis locis diuersum habens valorem in illis, in vtriusque Cambiẽtis vtilitatem fiat, vel alterius tantum, parum refert ad iustitiam huius contractus; cum illud hoc loco explicandum tantum sit: Vbi pecunia diuersum valorem seu pretium habet in diuersis locis, qua ratione fieri debeat illius commutatio & Cambium vt iuste ac recte fiat?

Obseruemus secundo, quemadmodum aliud est valor siue pretium pecuniæ, aliud vero illius æstimatio: valor enim seu pretium imponitur illi à lege vel cõmuni vsu fori, siue abundet illa in loco siue contra, æstimatio vero sumitur ex maiori copia, vel inopia totius generis pecuniarum in aliquo loco: sicut vidimus prima contro. huius artic. vbi retulimus opinionem Mercati circa propriam vim, & naturam Cambii realis. Ita quoq;, aliud esse, inquirere quomodo Cambium, quod fit in locis, vbi pecuniæ quæ commutãtur, habent diuersum valorem, sit iustum, quod modo inquirimus: aliud vero quęrere, quomodo sit iustum, quod fit inter loca, in quibus propter copiam vel inopiam totius generis pecuniarum habent illæ diuersam æstimationem, quod Cõtro. 6. huius art. incipiemus disputare.

Hinc sequitur Primo, Vt si in codẽ Cãbio hæc duo cõcurrant, Nimirum pecuniã eiusdem sortis & speciei habere diuersum ualorem, in locis in quibus fit illius commutatio: Tum etiam, propter copiam vel inopiam totius generis pecuniarum habere illas diuersam æstimationẽ, necessario hęc duo in tali Cambio seorsum esse respicienda: Primo diuersitatem valoris illius pecunię in illis locis, Secundo diuersam illã æstimationem: vt tam iuxta diuersum illius valorem & pretium, iuxta ea quæ in hac controu. explicabimus, quam iuxta diuersam illius ęstimationem in illis locis, iuxta ea quę contro. 6. dicere incipiemus, seruetur in illo ęquitas & iustitia.

Sequitur secundo, Cum hæc reuera diuersa sint, valor pecuniæ & illius æstimatio, accidere aliquando posse, vt in eodem Cambio, in quo Campsor aliquid lucrabitur ratione diuersi valoris pecuniæ, Campsuarius contra ratione maioris vel minoris ęstimationis illius in illis, lucrũ percipiat, & ẽ conuerso. Quamuis hoc raro accidat, quia communiter pecunia, vbi magis æstimatur propter inopiam illius in toto genere, ibi quoque maiorem valorem & pretium solita ast habere, vt Romæ, in Flandria, & similibus locis.

Obseruemus tertio, quod ex quęstione 2. iam constat, sed facit quoq; ad presens institutum, pecuniam aliquam tribus potissime titulis, vel rationibus posse iudicari pretiosiorem alia eiusdem ponderis, & metalli. Primo, ratione materię, nempe ratione maioris valoris eiusdem metalli: qua ratione argenteum Angliæ fertur esse pretiosius quam Hispanum, & aurum illarum pecuniarũ, quas vocamus *Cruzados, y Doblones de dos caras, o Doblones Seuillanos*, censetur multo pretiosius, quam aurum illarum pecuniarum, earum quæ cuduntur in Gallia, vel in Italia. Secundo, quando aliquod genus pecunię in aliqua Prouincia rarum est, quod tamen in alia abundat: vbi illud rarũ est, est pretiosius, qua ratione pecuniæ aureæ, & argenteæ magis pretiosæ sunt in Gallia, vbi raræ sunt, quam in

Hispania,

Hispania, vbi magis abundant. Tertio ratione augmenti eiusdem pecunię, veluti quando Rex auget valorem pecuniæ in suo Regno, qua ratione nō augetur in alio: tunc vbi illius valor augetur, efficitur eo ipso pretiosior. Adiungitur his tribus titulis à nonnullis alius, nimirum propter inopiam totius generis pecunię in aliquo loco, hic tamen titulus non est huius loci, & considerationis, cum de eo priuatim inferius disserendum sit, hic vero de sola iustitia, quę in Cambio seruanda est, quando pecunia quæ commutatur diuersum habet valorē, in locis in quibus fit illius commutatio, agimus.

Obseruemus vltimo, quod recte admonet hic Soto, Non esse hic permiscendas, seu confundendas interse diuersas Cambiēdi formas: Aliud enim est Cambium ratione translationis pecuniæ vnius loci in aliū, Aliud vero ratione maioris vel minoris ęstimationis pecuniarū in diuersis locis propter maiorem copiam, vel inopiam earum in illis; Aliud vero ratione diuersi valoris & pretij, quem eadem pecunia nonnūquam habet in diuersis Regionibus & Prouinciis. Quę formæ, seu rationes cambiendi, cum admodum diuersæ sint, diuersas quoque habent regulas æquitatis, & iustitiæ, secundum suas proprias considerationes.

Hic solum quærimus formaliter, & precisse, vbi pecunia quæ in vno loco recipitur restituenda in alio, habet in illis diuersos valores & pretia, qua ratione debeat fieri illius commutatio, & Cambium in illis locis, vt iustum sit, & rectum, seclusis cęteris omnibus formis & rationibus cambiendi.

Sit ergo prima conclusio.

Quando commutatur pecunia metalli minus pretiosi, pro alia eiusdem metalli magis pretiosi, eiusdem vero ponderis, nisi fiat compensatio inter illas, ita vt conferens minus pretiosam, veluti scutum aureum commune pro Cruciato Lusitano, addat, quod in sua pecunia deficit a valore illius Cruciati, siue commutatio ista fiat in eodem loco tamquam Cambium minutum, siue in diuersis sicut fit Cambium reale, & per litteras, est aperta iniustitia, & iniquitas, cum debito restituendi id quod deficit ab æquali valore vtriusque pecuniæ.

Hæc conclusio perspicua est, & probatur. Cambium omne, cuiuscunque generis illud sit, est cōtractus ad iustitiam commutatiuam pertinens, vnde oportet seruetur in eo ęqualitas, at vbi commutatur pecunia vilioris metalli pro pecunia metali magis pretiosi eiusdem speciei, & ponderis, vt aureus communis pro Cruciato Lusitano, nō seruatur æqualitas inter vtramq; pecuniā, nisi fiat compensatio illius defectus, quem habet in suo valore pecunia illa vilioris metalli, debet ergo necessario fieri; aliter Cambium est iniustum, & cum debito restituendi illum defectum.

Secundo eadem ęquitas & iustitia quæ seruanda est in commutationibus aliarum rerum, & merciū, est quoq; necessario seruanda in Cambio pecuniarum: at cum merces aliquę inter se commutantur, quamuis sint eiusdem speciei & sortis, eiusdē quoque ponderis vel mensurę, si tamen valor vnius excedat valorem alterius, debet in æqualitas illa in valore per compensationem defectus vnius reduci ad æqualitatē, ergo similiter in pecuniis metalli diuersi valoris, quamuis vtrumque sit eiusdem sortis, & speciei, & vtraq; pecunia eiusdem ponderis. Maior est in hac materia velut principium & dignitas, Minor patet exēplis. Etenim si commutatur equus valens 100. aureos, pro equo valente 90. debet cōpensari defectus ille. Similiter si commutatur frumentum aut vinum vile, pro pretioso & excellentiori.

Tertio, distantia loci concedit quidem pretium obsequii, quod Campsor præstaret transferendo pecuniam illam ex vno loco in alium, non tamen tollit, quin seruetur inter pecunias quæ commutantur debita ęqualitas, at si alia sit auri vilioris, alia vero auri excellentioris, nisi inter valores istos cum inæquales sint, fiat compensatio, qua ad ęqualitatem reducantur, non seruatur inter illas pecunias debita æqualitas, ergo. Et confirmatur. Aut pecunię istæ commutantur ratione materię, aut ratione formæ: si ratione materiæ, cū aliud aurū sit altero pretiosius, est inæqualitas: si ratione formæ, pretium quoque legale vel receptum communi vsu hominum in huiusmodi pecunijs, etiam vt pecuniæ, est diuersum, & alterum altero maius: quacunque ergo ratione fiat ista commutatio, nisi fiat compensatio minoris valoris cum maiori, est inęqualitas, & iniquitas, cum sine tali compensatione vnus habeat plus quam debet habere, alter vero minus.

Hæc conclusio accipienda est, quando excessus iste valoris est alicuius momenti, & con-

& considerationis, quia si exiguus sit, & paruus, non est censendus mutare, aut varium reddere valorem pecuniarum: Qua ratione aurum Vngarum potest commutari pro Hispano, quia censetur vnum eorum parum excedere alterum in naturali valore, & puritate. Ex eadem conclusione sequitur, vt si pecunia, quam quis alteri confert, sit vel diminuta in pondere, vel confracta, aut obliterata, esto sit ex metallo eiusdem valoris, propter vitia tamen illa vel defectus, non possit commutari cum alia sana & integra, nisi facta etiam aliqua compensatione ad arbitriũ prudentis, quia propter defectus illos, & vitia minoris valoris reddita est.

Secunda conclusio.

Dare pecuniam in vna prouincia vel loco, vbi pecunia illa minus valet, ita vt eadem restituatur in alia prouincia vel loco, vbi illa, quia rara est, vel alia de causa, magis valet, iniquum est & iniustum, nisi fiat compensatio minoris valoris quam habet in vna prouincia, cum maiori valore quem habet in alia.

Veluti si quis conferret Valentiæ scutum aureum Hispanum ea lege, vt idem scutum aureum Hispanum reddatur ipsi Romæ, vel pretium quod scutum Hispanum habet Romæ, sine debita compensatione, qua illa inæqualitas valoris vtriusque loci ad æqualitatem reducatur, inique agit. Probatur hæc conclusio eisdem argumentis, quibus proxime precedens probata est. Quia in tali Cambio non seruatur iustum pretium, neque æqualitas pecuniẹ ad pecuniam. Patet, qui daret Valentiæ 12. argenteos, sub pacto vt restituantur sibi Romæ 13. iniuste ageret, nec seruaret æqualitatem, at idem omnino est conferre scutum aureum Hispanum Valentiæ, ea lege vt restituatur simile scutum aureum Hispanum Romæ, vel pretium quod ibi habet, cum Valentiẹ solum valeat illud 12. argenteos, vel minus, Romæ vero 13. Loquimur autem hic (vt iam admonuimus) de commutatione, quæ fit præcisse inter pecunias diuersi valoris, siue in eodem loco, siue in diuersis locis: quia ratione transportationis, vel alicuius alterius tituli, veluti lucri cessantis, vel damni emergentis, accidere posset, vt ille diuersus valor compensaretur: absolute autem & simpliciter sumptum Cambium quod fit inter pecunias eiusdem sortis, diuersi tamen valoris in diuersis locis, exigit necessario, vt seruetur æqualitas & iustitia, cõpensatione istã, quam dicimus.

Obseruandum hoc loco est, cum dicimus scutum aureum Hispanum valere Valentiæ 11. argenteos & aliquos nummulos, Romæ vero 13. sumi à nobis tamquam in exemplum, ita vt 13. illi argentei, quos dicimus scutum valere Romæ, reuera sint maius pretium, & valor, quam 11. vel 12. argentei quos dicimus valere in Hispania: quia si forsan 13. illi argentei, siue Iulij, aut Carlini (quocunque nomine donentur) quos scutum Hispanum aureum valet Romæ, quia ex inferiori & viliori argento confecti sunt, quam sit argentum ex quo conficiuntur argentei Hispani, quos vocamus *Reales*, non excedant in valore 12. argenteos Hispanos, tunc (vt recte illud admonet Soto) idem esset recipere Romæ 13. Iulios, siue Carlinos, quod recipere in Hispania 12. argenteos, & ex consequenti liceret conferre in Hispania scutum aureum, valentem hic 12. argenteos sub eo pacto, vt recipiens illud teneatur Romæ conferre pro illo 13. Iulios, siue Carlinos, quia tunc nulla existit inẹqualitas. Qũa etiam ratione licet cambire in Hispania ducatum aureum valens 375. dipondia, ea lege, vt reddantur pro illo Galliæ 440. nummuli turonenses, quia hi 440. nummuli turonẽses non excedunt in valore 375. dipondia Hispana.

Cæterum vbi certo constat, pecuniam quæ cambitur in diuersis locis habere diuersum valorem, & pretium in illis, reducenda est necessario inẹqualitas illa valoris ad æqualitatem per compensationem dictam. Vnde non potest Campsor tradere Campsuario scutum aureum Hispanum Valentiæ, ea lege, vt scutum quoque aureum Hispanum debeat Campsuarius ille Romæ, vel in Galia, aut in Flãdria illi restituere, cum in illis locis maiorem multo valorem & pretium habeat reuera huiusmodi scutum, quam in Hispania. Similiter conferens Valentiæ argenteum, vbi pretium ilius sunt 23. nummuli, restituendũ sibi per Cambium Cæsaraugustæ, vbi pretium illius sunt 24. nummuli, debet nummulum illum, in quo argenteus Cæsaraugustæ excedit pretium quod habet Valentiæ, illi addere, aliter enim vt constat, non seruaretur æqualitas. Recipiens vero Cẹsaraugustæ argenteum restitueudum Valentiæ, debet illi à quo argenteum recipit, prẹter argenteum

nummulum exhibere, vt seruetur quoque æqualitas, quia recipiens Cęsaraugustæ argenteum perinde, est ac si recipisset 24. numulos, qui Valentię efficiunt argenteum & nummulum.

Sed contra hanc secundam conclusionē nonnulla sese offerunt. Imprimis, Accidit nonnunquam duos amicos pecuniam diuersi valoris in diuersis locis interse commutare, nulla facta cōpensatione, *A la par* vt dicunt. Dabo tibi 100. argenteos Valentiæ, restitues mihi totidem Cæsaraugustæ.

Secundo, quod licet in mercibus (vt sepe diximus) licet in pecunijs, at potest quis commutare cum amico in Sicula triticum, in æquali mensura sibi in Hispania restituendum, constat autem idem triticum eiusdem bonitatis & sortis maiorem multo valorem & pretium habere in Hispania, quam Siculæ. Tertio, potest Petrus 100. aureos quos habet in Hispania deferre Romam, vbi plus valent, recipereque ibi pretium quod ibi valent: sicut licet mercem, quę in vno loco vilius venditur, deferre ad locum in quo venditur carius, & vendere eam pretio illo maiori quo in foro talis loci communiter venditur: cur ergo non similiter licebit eidem Petro, conferre in Hispania illos aureos Ioanni, vbi Ioānes illis eget, & recipere ab illo alios 100. aureos Hispanos, quos habet Ioannes Romæ? imo videtur in hoc maximum beneficium illi impendere, optaret enim Ioānes aureos illos quos habet Romæ, vbi illis non eget, habere in Hispania vbi illis indiget.

Sed hec facile diluuntur. Ad primum enim respondeo, Amicis licere ex mutuo vtriusq; consensu, ex beneuolentia, ita Cābire, quo casu his cui facienda erat aliqua compensatio, gratis & ex amicitia illam remittit, quod certe ipsi licet, cum posset & omnem suam pecuniam gratis ac liberaliter alteri conferre, ac sine vlla commutatione alterius pecunię: hic autē loquimur de Cambio, in quo nulla interuenit gratuita remissio, vel donatio, sed in quo vnusquisque cambientium vult sibi conferri quid quid suum est, ac sibi iustè debitum. In huiusmodi ergo Cambio, tenetur conferens pecuniam minoris valoris, per compensationem aliquam reducere illam ad ęqualitatem cum pecunia maioris valoris, cum qua prior illa commutatur, sicut exigit propria vis & ratio iustitiæ commutatiuæ, ad quam contractus Cambij pertinet.

Ad secundum, Soto lib. 6. de Iusti. q. 12. artic. 5. vbi disputat hanc controuersiam, distinguit antecedens istius argumēti hac ratione: Vt si triticum detur Siciliæ titulo mutui: liceat recipere in Hispania eandem mensuram tritici, quę data est Sicilię, & ducere illud in pactum, modo ignoretur quantum sit valitura mensura illa tritici in Hispania tempore solutionis, Quia si fieret (inquit) mutuum ea lege, vt restitueretur, quando triticum illud carius in Hispania venderetur, esset iniquum & vsurarium, esset enim mutuum cum lucro ex vi illius mutui. Quod si detur (inquit) Siciliæ mensura tritici restituēda in Hispania sub titulo, & per cōtractum Cambij, res verò ita habeat, vt mēsura illa plus valeat in Hispania quam Siciliæ necessario facienda est compensatio à conferente illam Sicilię, vbi minus valet: Quia nequit fieri Cambium duarum rerū in diuersis locis existentium, siue merces sint, siue pecuniæ, si pluris in vno loco illę valeant, quam in alio, nisi fiat inter diuersos valores illarum æqualitas, & compensatio.

Alij vero respondent & melius, conferentem triticum Siculæ siue couferat illud sub titulo mutui, siue sub titulo Cambij, & commutationis cum alio tritico, posse recipere æqualem mensuram, modo non obliget mutuatarium ad restituendum illud in Hispania, vbi illud pretiosius est, & carius venditur: sed relinquat illum liberum ad restituendum vbi voluerit: quia tunc nullam postulat in æqualitatem, vel lucrum ex mutuo, sed illud tantum, vt quantum contulit tritici, tantum sibi restituatur eiusdem bonitatis, quod est iustum. Quod si mutuatarius, vel qui accepit triticum, non restituat illud Siculæ, vbi est eiusdem valoris cum posit libere, sed in Hispania vbi illud carius est, hoc sibi imputet, qui vult hic restituere, & non Sciliciæ, vbi libere poterat: In Cambio vero pecuniarum, cum non sit liberum Campsuario restituere vbi vult, neque in loco vbi accepit pecuniam, sed in loco diuerso designato ad illam commutationem, si pecunia restituenda sit ibi maioris valoris, quam vbi fuerat à Campsore tradita exigitur necessario, vt qui pecuniam illam tradidit, in loco vbi minus illa valet, defectum

fectum illum compenset, reducatq; ad æqualitatem, cum maiori valore quem illa habet, vbi ab ipso vel factore ipsius recipienda est.

Ad tertium respondeo, plurimum interesse, deferre pecuniam ex loco vbi minus valet, ad locum in quo magis valet, vt maius pretium & emolumentum ex ea ibi recipiatur, vel commutare illam cũ pecunia alterius loci: nam cum defertur, sicut deferuntur merces ad loca vbi pluris venduntur, vtitur iure suo, & rem suam transfert à loco in locum, quod ex natura rei cuiq; liberum est, nisi lege ciuili sit illi prohibitum, & cum pecunia illa semper sit ipsius, & vbi prius illam habebat & vbi illam transtulit, potest vbiq; recipere pretium illius vt rei vere suę: at quando commutat illam cum alia in diuerso loco, longe aliter res se habet: illa enim quã cõfert v.g. Valentiæ, non est æstimanda, nisi in valore & pretio quod habet Valentię, quæ vero ab altero sibi redditur Romę, cũ non sit ipsius, sed eius à quo illi ibi restituitur, ęstimanda est in valore & pretio quod habet Romæ: & cum hi valores & pretia inæqualia sint, debent necessario reduci ad æqualitatem per compensationem aliquam, factam ab eo qui confert pecuniam minoris valoris, ei qui reddit aliam maioris valoris. In summa qui defert pecunias Romam ibi illas commutat, & ita potest recipere pretium currens Romæ, qui verò confert eas Valentiæ recipiendas Romæ, commutat illas Valentię, cum his quas alter habet Romę, quo fit vt non possit cõmutare illas, nisi iuxta pretium quod habent Valentiæ, excessum vero illum quem habent Romæ, & quem ibi recepturus est, debet compensare. Res est difficilior.

Controuersia IIII.

AN LICEAT COMMVTARE *pecunias sub hac conditione, vt si per Legẽ, vel Principem fuerit auctum illarum pretium, reddatur deinde, quod auctum fuerit?*

(?)

LICET in superioribus cum de Vsuris disputaremus, hanc eandem quęstionem quatenus locus ille postulabat, explicauerimus, nunc quoque quatenus presens exigit institutum, rursum tractanda est. In hac ergo quæstione Bartol. (cuius sententiam affirmat Nauarrus in commento de Cambiis. num. 48. esse communem inter iuris peritos) in l. Cum quid ff. De rebus creditis. num. 7. docet licere illud.

Quod his argumentis probari potest. Primo, Si quis in mense Augusti mutuet alteri triticum, quo tempore solet minus valere, vellit autẽ restituere illud in Maio, (esto soleat tunc magis valere) tenetur nihilominus restituere illud eiusdem bonitatis, & in eadem mensura, ergo similiter in pecunia, esto Legis vel Principis edicto pretium illius, postquam à Campsore accepta est augeatur, tenebitur Campsuarius in illo pretio sic aucto pecuniam acceptam restituere.

Secundo mutuanti, seu conferenti rem aliquam, restituenda illa est in eadem bonitate intrinseca, quam habebat: bonitas autem intrinseca pecunię non est pretium eius, sed qualitas, & bonitas naturalis metalli, ex quo illa confecta est, est igitur restituenda in eodem metallo eiusdem qualitatis, & bonitatis, etiam si pretium illius mutatum sit, vel auctum. Vnde, iuxta hãc sententiam, si Campsor conferat scuta aurea quorum vnumquodq; tunc valeat 11. argenteos, tempore autem quo restituenda sunt, pretium illorum à Rege vel Repub. auctum sit, tenebitur nihilominus Campsuarius restituere Campsori eadem scuta aurea, esto magis tunc valeant.

Eandem sententiam tribuit Soto loco citato Siluestro vsura 1.q. 14. sed reuera si atente ille legatur, nihil tale ibi docet, refert quidem ibi Laurentium de Rodulphi. in ea sententia, non tamen probat illam, imo in progressu illius quęstionis 14. constituit solum limitationes vel casus, in quibus ex aliqua iusta causa illud liceret: simpliciter tamen ait, verius esse, & æquius, ne eadem pecunia restituatur quando pretium vel æstimatio illius aucta est.

Soto loco citato conclu. 2. & communiter omnes recentiores, à quibus nec recedit Nauarrus loco citato, sentiunt iniquum esse commutare pecuniam sub ea conditione, vt si per legem vel Principem fuerit actum pretium illius, reddatur eadem, & in pretio illo iam aucto: Sed in foro & iuditio animæ, si Campsor conferat Petro scutum aureum valens tunc v. g. 12. argenteos, Rex vero augeat pretium illius ad 13. non esse restituendos Campsori tempore solutionis pro illo 13. argenteos

teos, sed solos 12. quos valebat, quando recipit illud à Campsore. Quæ sententia tenenda est tamquam vera, & certa. Et probatur, Quia aliter non seruaretur ęqualitas, sed reciperet profecto cāpsor pulsquā dedit, si pro scuto valente, quando illud tradidit 12. argēteos, reciperet deinde 13. vel idem scutum aureum, quod tunc iam valet illos 13. argenteos. Eandem sententiam habet Molinęus, confirmatq; optimis argumentis de contractibus q. 92.

Hæc doctrina intelligenda est, siue augmentum illud pretii & valoris pecuniæ preuissum sit à recipiente pecuniam illam, siue contingat inopinate, & præter spem. Intelligenda quoq; est, cum his tribus limitationibus, quas affert Nauarrus loco citatato. num. 49. & 50. insinuauitq; iam illas Siluester loco citato.

Prima est, quando Campsor, qui tradit pecunias, non erat illas seruaturus vsq; in tempus, in quo pretium illarum auctū est: Quia si erat seruaturus illas vsque in illud tempus, & rogatus ab alio dedit eas, potest exigere vt restituātur sibi in valore illo, in quo auctæ sunt. Quod colligitur aperte ex c. Finali. De vsuris: iuxta ea quę superius docuimus: agētes de eo qui triticum quod decreuerat seruare vendendum in Maio, rogatus ab amico vendidit illi in pręcedenti Augusto, quem diximus posse vendere illud, in eo pretio quod valebit deinde in Maio. Oppositum sensuit Lauren. de Rodulph. vt refert Siluester loco citato, asserens mutuantē ducatum valens libras quatuor, si tēpore solutionis valeat libras quinque, posse illas recipere, siue esset ducatum illud in tempus illud seruaturus apud se, siue non. Sed reicienda est in hac parte illius sententia, sicut reijcitur ibi, & recte a Siluestro.

Secunda limitatio est, si fiat contractus sub hac conditione, vt recipiens pecuniam teneatur illā restituere in eo valore & pretio, quod habuerit tempore restitutionis, siue fuerit illud actum siue diminutum. Patet hæc limitatio, quia cum hac conditione vterque contrahentium exponit se eidem fortunæ, eidemq; pecriculo. Intelligenda autē hęc limitatio est, quando res est ęqualiter dubia, ita vt arbitrio prudentium possit pecunia illa tempore solutionis ex ęquo augeri in pretio, vel minui: in hoc enim casu exponit se vterque eidem periculo. Quod si verisimile sit tempore solutionis illam magis valituram, non licet: quia tūc alter est in periculo, alter vero in verisimili spe, quod dicit inæqualitatem. Hāc quoq; docet Siluester loco citato: vbi affert in eandem sententiam Petrum de Ancarr. in cap. Vsurarum. De vsuris. in 6. Calderinū in cap. Fina. eodem titulo. & alios.

Tertia limitatio est, quando post acceptionem pecunię, tam subito fuit actum illius pretium, vt qui recipit eam, iam expenderit illam in pretio illo aucto, tunc enim recta ratio & æquitas exposcit, vt restituat illam in eodem valore, in quo illa vsus est: Perinde enim se habet, ac si iam in illo pretio sic aucto eā recepisset, recepit enim illam ad expendendum eam, expendit verò in pretio illo iam aucto. Fateor tamen hanc tertiam limitationem ex æquitate potius esse quam ex rigore iustitię.

Argumenta illa in fauorem Barto. proposita parum conuincunt. Ad primum enim respondet Soto loco citato, non esse idem iuditiū de mutuante triticum, & cambiente pecuniā: mutuatarius enim tenetur reddere idem quod accepit, qua de causa tenetur reddere idem triticum, & in eadem mensura, quia licet fuerit mutatum illius pretium in Augusto & Maio, semper tamē manet idem triticum in substantia, & in ordine ad vsus humanos. Aliter res se habet in pecuniis, pecuniæ enim mutato illarum valore & pretio, quamuis maneant ędem materialiter, non tamen formaliter, quatenus pecuniæ sunt, & secundum propriam ac essentialem rationem pecuniæ. Quo fit, vt non oporteat restituere eādem pecuniā, id est in eodem pretio & valore, quando ille auctus est, licet oporteat restituere idē triticum. Estque appositum & accomodatum exemplum, siquis recipiat in Augusto 100. modios tritici, ita vt habeat eo tempore singulus modius certam quantitatem, si quidem medio illo tempore quo apud se retinet triticum illud, quantitas illa modij augeatur, non tenetur restituere deinde 100. modios, sed eam tantum quantitatem & mensuram quam accepit Augusti, aliter enim restitueret plusquam accepit: Simile censendū est in pecuniis, quando pretium illarū augetur, antequam restituantur.

Reijcit hoc exemplum Nauarr. loco citato, nu. 49. quia videntur illi hęc plurimum differre, augeri quantitatem modij illius siue mensuræ tritici, vel augeri pretiū pecuniæ: quādo enim augetur (inquit) quātitas mensuræ, mutatur tam illius materia quam

quam forma, desinetq; esse quæ antea erat, quando vero augetur pretiũ pecuniæ, non desinit esse quę antea erat, nec mutatur forma illius, vel materia, manet enim idẽ metallum, idemq; sigillum & immago, solum mutatur pretium, quod est illi quid extrinsecum, & accidentarium.

Sed hæc instantia Nauarri parum vrget, quia cum augetur quantitas mensuræ, eadem quoq; manet illius materia lignũ vel ęs, eadem forma modii, vel mensurę, imo & eadẽ mensura vel modius, solumq; facta est mutatio in illius quãtitate: vnde idem est iuditium de Modio & pecunia. Tũ etiã, pretium pecuniæ vt pecunia est, non est illi quid extrinsecum & accidentale, sed maxime essentiale, & intrinsecũ, etenim si ab ea illud auferas manebit quidẽ metallũ quoddam, minime vero pecunia. Vnde siue compares modiũ cum pecunia, siue pecuniam cum modio, quidquid accidit modio iuxta Nauarrũ cum augetur illius quantitas, accidit similiter pecunię, cum augetur illius pretium, & quidquid retinet pecunia esto augeatur illius pretium, retinet etiam modius ille & mensura, esto augeatur illius quantitas.

Possumus & illi argumento respondere: quando datur mutuo triticum, nõ dari mutuo tot solidos, vel libras, aut argẽteos tritici, sed tot mẽsuras: qua de causa vt seruetur æqualitas, quando illud restituitur, restituendæ sunt totidem mensuræ illius: at qui mutuat pecuniam, mutuat tot solidos, vel argenteos, seu libras, aut scuta valentia tot solidos, vel argenteos, quo fit, vt restituendo eosdem solidos, vel argenteos, vel scuta valentia eosdem solidos: quos valebant quando fuerunt illa accepta, seruet æqualitatem.

Ad secundum respõdeo, pecuniæ sumptę & consideratę qua pecunia est, & sub propria ratione pecuniæ, nõ esse illi extrinsecũ vel accidentarium pretiũ à Republica, vel Principe ipsi taxatũ, sed ipsammet essentiam & formã pecuniæ, cum in hoc cõsistat propria & formalis ratio illius vt pecunia: est quamuis illi materialiter sumptę. & qua metallũ quoddã est, sit quid extrinsecum, & accidentale tale pretium. Ex quo sequitur, vt quamuis is qui accipit mutuo vel à Campsore pecuniã auream, teneatur forte pecuniam quoq; auream illi restituere, si ita inter se conuenerint, seruandum tamen illud esse rebus manentibus immutatis, quia illis mutatis, cum non posit fieri in eodem metallo ęqualitas, sat est fiat in pecunia alterius metalli, seruato debito illius pecuniæ valore, & pretio tali loco & tempore.

Et hæc de Cambio primę speciei, Agamus iam.

De Cambio secundæ speciei.

Controuersia V.

AN CAMBIVM SECVNDE *speciei, quod scilicet dicitur per transportationem pecuniæ ex vno loco in alium, sit iustum?*

IN explicanda iustitia Cãbii huius secundæ speciei parum immorandum erit, cum iam satis constet ex superioribus, in hoc Cambio campsorẽ recipientem ab aliquo pecuniam, quam per suas litteras fideliter illi exhiberi faciat, in loco in quo illa indiget, prẹstare illi officium & obsequium illi maxime vtile, & eo ipso pretio ęstimabile: Liberat enim illum a maximo labore, & innumeris periculis, quibus fuisset expositus, si pecuniam illã, in locum in quo illa nidiget, secum detulisset.

Vnde sit prima conclusio. *Cambium hoc secundæ speciei, quod dicitur per transportationem pecuniæ, contractus est honestus & licitus, maximeq; necessarius in Repub. & pretiũ quod pro illo recipitur iustum modo seruentur in eo leges iusti pretij: nimirum vt recipiatur, quod fuerit taxatum a Repub. vel receptum communi vsu fori.*

In hac cõclusione omnes quotquot sunt DD. conueniunt, tam veteres quam recentiores: Imo (vt sæpe admonui) D. Thomas & antiquiores Theologi hoc tantum genus cambiendi agnouerũt, & aprobarunt. Confirmant eandem sententiam quæ superius adduximus quæst. 2. artic. vnico, & artic. presenti controuer. 1. vbi ostendimus Cambium reale & verum, contractum esse licitum, & pretium quod in eo recipitur iuste recipi. Argumenta enim illa potissime procedunt de hoc Cambio secundę speciei: Est enim efficacissima illa ratio. Vt cum idem omnino sit quo ad mores, & vsus humanos, tradere Campsori pecuniam per hanc secundam speciem Cambij alio transferendam, quod tradere illam nautæ vel agasoni, qui illam eo defferret, consequenter quemadmodũ si nau-

tę vel agasoni traderetur, non esset mutuum, nec aliquis contractus iniquus, vel turpis, sed vera & realis translatio pecunię, in locum vbi dominus illius ea indiget, pro qua translatione & obsequio quod in suam vtilitatem dominius illius pecuniæ recipit, iuste deberet stipendium aliquod & pretium illi nautæ, vel agasoni, eadem ratione cum idem obsequium, eandemq; omnino vtilitatem præstet Campsor, ipsi Campsuario in hac secunda specie Cambij, iuste recipit lucrum illud, quod cõmuni vsu fori, vel arbitrio prudentum censetur iustũ, tamquam stipendium & pretium obsequij quod illi præstat. Nec est deterioris conditionis Campsor, vel minus illi (vt supra diximus) debetur huiusmodi stipendiũ, quia sua industria prętat per litteras, quod agaso præstaret per actualem transportationẽ, cũ hic modus transferendi pecuniã ex vno loco in aliũ sit Cãpsuario multo vtilior, & minus periculosus, quam esset realis translatio illius per nautam, vel agasonem.

Et confirmatur: Sicut expedit Reipub. vt merces trãsferantur ex vno loco in aliũ, & ex vna regione ac prouincia in aliam, ita quoq; vt pecunia similiter transferatur ex vno Regno in aliud ad comparandas merces, & varia negotia, mutuaq; comercia exercenda, quæ sine huiusmodi rerum & pecuniarum transportationibus nulla ratione possent exerceri, ergo sicut licet pretium aliquod accipere pro illa translatione mercium ex vna regione in aliam, ita & pro translatione pecuniarũ ex vno Regno in aliud: quam certe vt constat, sua industria & litteris efficit Campsor.

Deniq; Campsor recipiens pecuniam sua industria alibi restituendam Campsuario, fungitur duplici officio pretio æstimabili, nimirum locatoris, locat enim suã operam ad transferendam illam pecuniam: & assecuratoris, quia pecuniæ acceptæ periculum penes se suscipit, promittitq; sub fide sua, effecturum, vt campsuario fideliter restituatur, in loco, ad quem Cambium illud designatum est.

Secunda conclusio. *Non solum licet Cãpsori, transferenti per suas litteras pecuniam Campsuarij in alium locum, interesse aliquod accipere, tamquam pretium & stipendium officij, & obsequij quod illi præstat, quando ipse non egebat pecunia illa Campsuarij, in loco vbi illam ab eo recepit, verumetiam esto illa egeret, essetq; Cambium hoc vtriq; vtile & necessarium.*

Vnde Campsor recipiens pecuniam Valentiæ, restituendam Campsuario Barchinonæ, potest iuste recipere ab illo interesse illud, & pretium, quod communi vsu fori, *Y como corre en la lonja* solet eo tempore reddi campsori transferenti pecuniam per Cambium à Valentia in Barchinonã, etiam si huiusmodi Campsori recipienti pecuniam illam Valentiæ vtile sit, vel necessarium, illam tunc Valentiæ recipere, illaq; egeret. Constat hęc secunda conclusio ex his quæ diximus controu. 3. huius art. Conueniuntque in ea & recentiores illi, qui in illa contro. 3. negant contra Sotum, licere in Cambio primæ speciei recipere aliquod interesse, quando alter Cambiens ab altero præuenitur & rogatur.

Et mirandum certe est, concedere illos in hoc Cambio secundæ speciei id licere, minime vero in illo Cambio primæ speciei, quando alter ab altero pręuenitur, cũ in vtroq; eadem existat ratio. Quemadmodum enim in hoc Cambio secundę speciei licet Campsori recipere aliquod interesse, esto egeat pecunia illa quam recipit, & in ipsius quoque vtilitatem Cambium hocce dat, quia nihilominus pręstat Campsuario duplex illud officium, & locantis operas suas ad pecuniam illam transferendam, & assecuratoris, quod officium non desinit esse pretio ęstimabile, dignum, eo quod Cambium hoc sit illi quoq; vtile, cum per accidens se habeat, hęc vtilitas, quam ex eo recipit: eadem ratione in Cambio primę speciei (vt ibi vidimus) is qui ab altero pręuenitur, exercet erga eũ, a quo pręuenitur, & rogatur, officiũ veri Cãpsoris, præstatq; illi obsequium illi vtile, & pretio æstimabile, etiam si ipsi vtile quoq; sit, & expediẽs ita cum illo cambire, quia hæc vtilitas per accidens quoq; se habet ad contractum, & Cambium quod exercet is qui pręuenitur: cum à parte rei illud idem officium, ac obsequium illi præstet, quod præstaret, si non cederet in mutuam ipsius vtilitatem, & cõmodum Cambium illud & cõmutatio. Vnde aut in vtroq; Cambio tã primæ quam secundę speciei non licet accipere interesse aliquod quando illud vtriq; contrahenti vtile est, aut si licet in vno, debet etiã licere in alio, cum in vtroq; idem obsequium & munus reperiatur.

Sunt nihilominus qui dicant, in hoc cambio secundæ speciei Campsorem recipientem pecuniã alibi restituendam, quacunq; ratione sese habeat, siue indigeat il-

la, vbi eam recipit, siue non, prestare officium transferentis pecuniã, & assecuratoris, & ideo iuste recipere illud interesse: In Cambio autem primæ speciei, illum qui præuenitur ab altero, non præstare tale officium, sed cõmutationis tantum in suam vtilitatem & commodum, & propterea nõ posse sic cambientem interesse aliquod vel pretium ab altero exigere, vel recipere.

Sed qui hoc asserunt, profecto nõ recte conciderant propriam vim & naturã horũ Cambiorum: Quia in Cambio primæ speciei, quando vterq; mutuo & vicissim suã sibi indicant illius Cambij necessitatem & vtilitatem, neuter eorum proprie exercet officium Campsoris solius, vel Cãpsuarii solius, sed vnusquisq; eorum mutuo & vicissim est erga alterum & Campsor, & Campsuarius: qua de causa proprie dicendi sunt mutui commutatores: At quando alter alterum preuenit, & rogat, ignorans quid illi expediat, sed de sua tantum agẽs necessitate, simpliciterq; & absolute petit ab illo, sicut peteret à quocunq; alio Cãpsore, cui talis commutatio non esset necessaria, in tali casu is qui sic præuenitur, & rogatur, exercet verum officium Campsoris solius, præstatq; alteri idem obsequium & eãdem vtilitatem pretio æstimabilem, & dignam, quam quiuis alius Campsor præstaret, qua de causa dignus est eodem pretio, quod à quocunq; alio Campsore pro simili Cambio exigeretur, & reciperetur. Est enim (vt sepe diximus) tunc huic contractui accidentarium, quod Campsor hic ex tali Cambio vtilitatem quoq; recipiat, ita vt nisi fuisset præuentus illã quæreret: ascribendumq; hoc est optimæ sorti, & fortunę illius, vt occurrat ipsi Campsuarius ad petendum Cambium adeo sibi vtile, & quod ipse quæsisset, nisi ille ita sibi occurrisset.

Demum in calce huius controuersiæ illud est maxime obseruandum, in hoc Cambio secundę speciei per transportationem pecuniarum, illum tantum habere ius accipiendi aliquod interesse, & pretium, qui pecuniam ab alio recipit cum debito restituendi illam in alio loco, minime vero eum qui illam confert: quia recipiens illam cum tali obligatione & debito est, qui in hoc contractu censendus est illam transferre, etiam si vtile illi sit tunc eam recepisse: qui vero contulit nulla ratione est censendus illam transtulisse: quemadmodum si tradatur agasoni Valentiæ pecunia deferenda Salmanticam, esto indigeret ea agaso ille Valentiæ, ibique eam expenderet, & aliam ex suis traderet Salmanticæ, censetur nihilominus illam detulisse, & dignus eo pretio ac stipendio, quod iustum est exhiberi deferenti pecuniam è Valentia in Salmanticam.

Iam de Cambio tertiæ speciei disseramus: Illud enim est, quod potissime his temporibus à Mercatoribus & Campsoribus exercetur, & circa quod plures ac difficiliores sese offerunt dubitationes, & controuersię.

De tertia specie Cambij realis, siue per litteras.

TERTIA species Cambij realis per litteras continet illa Cãbia, quę fiunt in diuersis locis iuxta variam pecuniarum æstimationem, propter maiorem copiam vel inopiam totius generis monetæ in illis, ad cuius æquitatem, & iustitiam recte, & facilius explicandam, proponenda est imprimis à nobis communior mercatorum, atq; Campsorum in illo exercendo praxis, & vsus: quemadmodum enim apud Iurisperitos *ex facto nascitur ius*, ita in hac peculiari disputatione de Cambio ratione maioris vel minoris æstimationis pecuniæ, propter illius copiam vel inopiam in diuersis locis, perspecta, & quasi oculis subiecta propria illius praxi, licebit de illius iustitia, vel iniquitate iuditium ferre.

PRAXIS CAMPSORVM HVius temporis, *seu qua ratione exerceantur communiter cambia per litteras, secundum diuersam pecuniarum æstimationem, propter illarum copiam vel impiam in diuersis locis.*

VSVS & recepta nunc apud Mercatores consuetudo, cuius illi peritissimi sunt, Theologi vero satis ignari, hęc est. Vt intra idem Regnum saltim apud Hispanos non exerceantur Cambia, in quibus alter cambientiũ aliquod lucrũ, & interesse recipiat, sed quacunque ratione, loca in quibus Cãbiũ exercetur in eodẽ Regno, sese habeant, quo ad pecuniarum abundantiam vel inopiam, fit Cambiũ, & cõmutatio ab vno in alium, vt ab Hispali in Metinam à Toleto in Salmanticam, & sic de cæteris, sine vllo lucro vel diminutione, & vt

Campsores loquuntur, *A la par*. Vnde Cābia omnia, quorum iustitiam & equitatem hic inquirimus, fiunt extra idem Regnum.

Fiunt autem hac ratione: Vt qui indiget pecuniis v.g. Valentiæ, habet vero pecunias, vel amicum soluturū pro illo Metinæ (quod vocant *creditum*) postulat illas à Campsore Valentino, commutandas & soluendas Metinæ, exhibetque illi litteras campsorias, quę ab Italis dicuntur *Litteræ*, vel *Policæ*, à Beticis *Letras*, a nostris *Cedulas*, quibus propositis, & ostensis factori, vel amico Campsuarij, restituuntur Campsori Valētino vel responsali illius, pecuniæ quas ille prius acceperat Valentię a Campsore illo Valentino. Quod si Campsuarius ipse à quo pecuniæ restituendæ sunt, nec pecunias, nec creditum habeat Metinæ, nec amicum, à quo pecunia, quam accipit Valentię, restituatur commutata Metinæ, quærit Valentię mercatorem, vel diuitem habentem pecunias, vel creditum Metinę, cuius subscriptione & fide, litterę ipsius vim habeāt, efficacesque sint vt fiat Metinæ solutio pecuniæ acceptæ Valentiæ, quæ litterę qua ratione conficiantur, contro. 10. explicabimus.

Iam cum hic contractus non exerceatur gratis, sed reddito Campsori aliquo pretio, conueniunt Campsor, & Campsuarius interse tempore exhibendæ pecuniæ Valentię de pretio, additurque illud in litteris Campsoriis. V.g. conuenit Campsor cum Campsuario, vt à Valentia in Metinam reddat 5. pro 100. quia sic habet communis vsus fori in Cambijs quæ tunc exercētur à Valentia in Metinam: apponitur hoc pretium in ipsis litteris, scribitq; Campsuarius correspondali suo: Solues virtute huius primæ vel secundæ litterę Campsorię Petro, vel Andrææ 105. aureos. Fiūt autem virtute huiusmodi litterarum solutiones Cambiorum tribus modis: Aut statim cum primum litterę illę proponuntur, & ostenduntur factori Campsuarii, dicūt: *A letra vista*. Vel ad Nundinas aliquas, Vel in termino aliquo mutuo Cambientiū consensu prefixo, & designato: Potissime autem & frequentissime designantur in huiusmodi litteris in tēpus solutionis Nūdinæ aliquæ, in quibus conueniunt è pluribus locis varij Mercatores, & Cāpsores: aperiunturq; (vt dicunt) illę certo die, in quo & nonnullis sequentibus proponuntur à Campsoribus, vel factoribus eorum litteræ Campsorię, eisdem Cāpsuariis qui illas dederunt, si ibi existant, vel factoribus eorum, fiuntq; ab eis illarū solutiones, vel in numerato, vel traditis aliquibus schedulis & chirographis, quibus a debitoribus potentibus, & ditibus, ac securis, commode solutionem illarum litterarum recipiant.

Iam cum huiusmodi solutiones sæpe ac frequenter fiant, non ex pecuniis Campsuarii absentis, sed ex pecuniis propriis factoris illius, ad quem fuerant litteræ destinatæ, vel ex aliis, quas factor ipse, ne vacuę & inanes redeant litteræ Campsuarij absentis & amici, cum damno & iactura illius tam in honore, quam in bonis, quærit & accipit Metinę a Campsore aliquo, datis illi similiter litteris Campsoriis per quas recipiat illas Valentię ab illo Campsuario pro quo soluit, & in cuius vtilitatem accipit illas Metinę. Vocant hoc Cābium celebratum Metinæ à factore Campsuarii Valentini, ad soluendas ibi litteras ipsius, quod remittitur ad eundem Campsuarium soluendum Valentiæ, *El retorno*: cui solet assignari tempus illud, quod iudicatur necessariū & conueniens, vt litterę à factore Campsuarii datę Metinę, perducantur Valentiam, & Campsuario à quo persoluendæ sunt commode offerantur, ac intimentur. Designatur autem pretium Cambij, quod Metinæ exercet factor & correspondalis Campsuarii absentis, ad persoluendas eius litteras, & omnis Cambii, quod tunc quacunq; ratione fit ad varia loca, a pręcipuis & ditioribus mercatoribus, & Campsoribus, illis inter se conuenientibus, ea ratione quam inferius explicabimus agentes de iustis pretiis Cambiorum: & quod ab eis designatur, illud censetur in illis Nundinis iustum, & receptū communi vsu fori.

Simili quoq; ratione designatur pretiū Cambii quod Valentiæ, aut Cęsaraugustę fit ad Nundinas aliquas, conuenientibus in vnum pręcipuis, ac ditioribus peritiori busque mercatoribus & Campsoribus illius loci, ad illud communi consensu constituendum: Quod enim ab illis constituitur, illud habetur tamquam iustum & receptum communi vsu fori, quamuis progressu temporis crescente pecuniarum copia vel inopia, & abundantia vel penuria, vel campsorum, vel eorum qui pecunias quęrant, & recipiant per contractum Cambii, & iuxta varios temporum successus, pretia ista à cōuentu mercatorū designata, augean-

augeantur quandoq;, vel minuantur.

Hęc in summa est praxis & vsus cambiorum huius tertiæ speciei, quæ modo frequentius celebrantur.

Nunc singulas partes huius praxis siue consuetudinis expendamus: Et quid recta ratio & ęquitas in huiusmodi Cambiis postulent, qua vero ratione inique fiant explicemus. Ac primum omnium quoniam huiusmodi cambia potisime fiunt ad nundinas aliquas, ita vt in eis communiter fiant illorum solutiones, videamus.

Controuersia VI.

CVR AD NVNDINAS POtissime *Cambia remittantur, & in quibus locis habeantur illæ, ac qua ratione fiant in illis Camboitum solutiones?*

EXPLICABIMVS hoc loco potisime quæ pertinent ad nūdinas designatas in Hispania, ex his namq; quæ de nostris dicemus, facile erit colligere quid de illis quæ in aliis Regionibus & Regnis celebrātur sentiendum sit: quin potius idem oportebit esse omnium iuditium, singula vt dicunt singulis accomodando.

Imprimis ergo fuerunt olim constituta à Regibus & Principibus in Hipania quatuor nundinarum tempora, in quibusdam certis ac prefixis locis, quæ tamquam publica omnium mercium Emporia existerent, vbi quandiu dies illi nundinarum durarent, liceret omnibus, quas vellent merces nullo soluto tributo, aut vectigali comparare. Qua de causa, partim propter abundantiam omnis generis mercium, quę eo deferuntur, & venales existunt, partim propter priuilegium illud & immunitatē à solutione cuiuscunq; Gabellæ, quæ toto illo tempore ementibus & vendentibus ibi conceditur, conueniunt eò ex varijs locis innumeri mercatores, merces suis institutis & commerciis vtiles & accomodatas empturi, innumeri quoq; Campsores, à quibus illi pecunias accipiant, vel ad cōparandas sibi merces illas, vel ad soluenda debita, quorum solutio in eum locum fuerat designata, iuxta ea quę superius diximus controu. 1. huius artic. obseruatione 5. Hac enim occasione ceperunt huiusmodi cambiorum solutiones potisime fieri in locis, & temporibus nundinarum: vt quemadmodum bono communi, & prouidendę Reipub. vtile fuit, conuenire mercatores ad emendas varias merces, & priuatos ad comparanda suæ domui & familiæ necessaria in huiusmodi locis, & temporibus, ita quoq; ad habendas varias pecunias, quibus merces illæ commodius emātur, congruum quoque maxime fuit, vt in eadem loca & tempora solutiones cambiorum designarentur, & Campsores ipsi siue numularij eo conuenientes suarum pecuniarum commutationibus, atq; translationibus huic bono publico, & mercatoribus deseruirent: vt hac ratione res ipsæ ad publicum & priuatum commodum vtiles, seu potius necessariæ ab illis, & quibuscunq; aliis, vbiq; locorum inueniri, emiq;, & vendi commode posint.

Fuerunt quidem huiusmodi tempora, & loca nundinarum à sua prima institutione in hunc finem constituta, modo verò etsi huic fini plurimum quoque deseruiāt, hominum tamen cupiditate & solertia effectum est, vt quæ potisime in eis exercētur, sint innumerę solutiones litterarum quæ à variis campsoribus ex variis locis in ea loca transmittuntur.

In Hispania igitur Catholicus ille Aragonum Rex Ferdinandus, cum esset Castellæ Gubernator, designauit duplices Nundinas celebrandas in Metina campensi, quem immitatus deinde Rex Ioannes designauit alias duas, priorem in loco qui dicitur Villalon, posteriorem in Metina de Rioseco. Hoc ordine, vt a prioribus exordiamur: Vt Primæ illarum celebrarentur in Metina Campensi mense Maii: licet solutiones cambiorum fiant in Iunio, Secūdę in Metina de Rioseco in mense Augusti licet solutiones fierent similiter in Septembri: Tertiæ, in eadem Metina del Campo mense Octobri: Quartæ & vltimæ in Villalon in Martio vel mediante quadragesima. His temporibus & locis solebant celebrari, Nunc vero longe aliter res habet, Regis enim edicto vel saltim consensu, duę illæ, quæ solebāt haberi in Metina de Rioseco, & in Villalon, iam sunt abolitæ, nec sunt in vsu, sed loco illarum additę sunt tertię quędam in eadem Metina del Campo sub mense Februarii. Vnde modo apud nos vniuersamq; Hispaniam solum existunt ac celebrātur hæc tria Nūdinarum tempora, & omnia in Metina Cāpensi. Primæ, vt ordinem anni sequamur, in Februario, secundę in Maio, tertiæ in

Octobri: In aliis vero Regnis vt in Gallia, Lugduni, & Bezenzoni; quamuis quę solebant Bezenzoni haberi, translatę modo sunt in Placentiam prope Mediolanum, manentq; apud Gallos illę quę habentur Lugduni: in Anglia Londini, in Flandria Antuerpię, in Germania Francforti. In his inquam locis, & alijs similibus huiusmodi Nundinis dicatis, celebrantur adhuc, sicut antea Nundinæ apud illos in quatuor tēporibus: Nimirum in festo Epiphaniæ quod vocāt Apparitionis, In Paschate, In Augusto, & in Festo omnium Sanctorum, solentq; mercatores, & campsores Cambia sua recipere, ac remittere soluenda ex vno loco huiusmodi nundinarum, in alia loca & regna, proxime sequentibus Nundinis soluenda in illis. Vt in Nundinis quę habentur Metinæ sub Maio, in Nundinas quæ celebrantur Lugduni, vel Antuerpiæ in Augusto, & sic de cęteris.

Cęterum quāuis Nundinæ, (de quibus hic agimus), his tēporibus quę retulimus, celebrentur, & in eis fiant multarum rerum & mercium emptiones & venditiones, solutiones tamen litterarum non fiunt nisi mēse proxime sequenti, ac vt dicunt *a los pagamentos*. V. g. sumamus Nundinas Octobris, quas diximus haberi in Metina del Campo, dicuntur hæ Octobris, quia reuera in Octobri, circa medium illius conueniunt iam eò varij venditores ac emptores multarum mercium, gaudentq; priuilegio illo & immunitate nullius Gabellæ persoluendæ: solutiones tamen litterarum quę à Valentia, vel ex alio loco extra Regnum in Metinam ad Nundinas Octobris remissæ sunt, non fiunt in Octobri, sed proxime sequenti mense Nouembris: quo adueniente, statim Campsorum mensæ sternuntur ad soluendum litteras sibi oblatas, vel vt illi loquuntur, aperiuntur Cambia: Tertia vero die incipiunt proponi litteræ campsoriæ, his à quibus persoluendę sunt, fiuntque tunc illarum solutiones, & per sex, aut septem, aut paulo plures dies sequentes.

Fiunt autem solutiones huiusmodi, vt proxime præcedenti controu. attigimus, vel ab ipsomet campsuario qui receperat pecuniam Valentiæ, dederatq; litteras ad Nundinas Octobris Metinæ celebrandas, si Metinę existat: Quod si ibi nō adsit, sed per factorem eius persoluendæ sint, siquidem factor iste vel socius & correspondalis ex propria pecunia Campsuarij Valentini, quam apud se habet, vel ibi existit, litteras ab illo Valentię datas & sibi Metinę oblatas ibi persoluat, non est quod debitum aliquod Campsuario illi Valentiæ soluendum transmittat: Si vero nullam ibi Campsuarius ille habet, correspondalis hic ex propria vel aliena persoluit, Solentque pecuniam hanc, ex qua facta est ibi illarum litterarum solutio, vel remittere Campsuario Valentino persoluendam Valentię simpliciter, & amice, ac sine vllo interesse (quod nunquam vel raro accidit) vel acceptam ab alio per simile Cambium eò remittere, vel in alias nundinas sequentes alterius loci in eadē Hispania, vel extra, vt ad nundinas v. g. Lugdunenses: quin & nonnunquam in alium locum extra nūdinas, vt soluendam Romæ, aut Hispali, pro vt mercator & Campsuarius Valentinus & responsalis eius Metinensis inter se constitutum habent. Hac ratione fiunt solutiones litterarum in locis Nundinarum, ad quæ illæ transmittuntur, & remittuntur.

Huiusmodi autem institutio, siue consuetudo celebrandi huiusmodi nundinas in locis, & temporibus quæ retulimus, cū aliis omnibus quę publice ac sine vlla fraude, vel dolo à mercatoribus, & Campsoribus tunc ibi geruntur circa ipsa Cambia, & eorū solutiones, & quæcunq; alia, quæ rite ac recte ibi fieri solent, cum adeo necessaria sint bono communi, sicut & contractus ipse cambiendi in quo debitę conditiones & leges seruantur, tam in iuditio forensi quam in iuditio animæ rata, & firma, apud quoscunque, & vbiq; terrarum, habentur, Cum ea non solum communi omniū consensu constēt, verumetiam Principis vel Reipub. authoritate, non per errorem, sed ex certa scientia: Qua etiam deficiente vel saltim non repugnante, sufficeret recepta in illis locis ab omnibus consuetudo citra omnem fraudem & dolum, cum illa nisi praua sit & bonis moribus aduersa, vim habeat legis, ac vt dist. 1. cano. Consuetudo. dicitur, ius sit moribus institutum, quod pro lege suscipitur.

Fiunt etiam huiusmodi solutiones Cambiorum aliis duobus modis extra tempus nundinarum; Nempe vel oblatis statim litteris, dicunt *A letra vista*: Vel in termino consensu vtriusq; contrahentis præfixo, & constituto, ac designato. De quibus inferius dicemus cum agemus de pretijs Cambiorum.

His

His ita positis, antequam doceamus Cãbium hoc iustum esse, quotiescunq; debitæ conditiones in illo seruabuntur, explicemus prius oportet, quas cõditiones illud exigat, ex illis enim facilius apparebit illius iustitia vel iniustitia.

Quæ conditiones exigantur in tertia specie Cambij per litteras, vt recte fiat?

COMMVNI Theologorum omnium consensu exiguntur hæ tres. Prima, vt sit verum: Secunda, vt sit voluntarium, sine vlla fraude, vel dolo, aut deceptione contractum: Tertia, vt sit Iustum, nempe vt seruetur in illo iustum pretium, seu interesse.

Singulas suo ordine expendamus.

Controuersia VII.

AN CAMBIVM PER LITTERAS *vt iustum sit, debeat necessario verum esse, & quas conditiones exigat, vt sit verum?*

HVIVS primę conditionis necessitas adeo aperta & perspicua est, vt nullus sit dubitandi de illa locus: Exigitur enim illa in omni contractu, quin & in omnibus rebus; vt vnaque realiter & verè talis sit, qualis denominatur, & dicitur, cum in hac veritate consistat illius substantia & natura. Ita docet Aristoteles, idem esse hominem & verum hominem: qui enim vere & realiter homo non est, nec nomen hominis meretur, nec disputandun est de eo, sit ne studiosus homo. Similiter venditio quę realiter & verè vẽditio nõ est, nõ est dicẽda vẽditio, sed aliquis alius contractus, vel nullus, nec disputandum est de illa, sit ne iusta vel iniusta venditio. Eadem quoque ratione Cambium per litteras quod non fuerit verè & realiter cõmutatio pecuniæ presentis pro alia absenti, non potest esse Cambium iustum, nam neque Cambiũ est, nisi nomine tenus: cum propria ratio & natura huius Cambii (vt ex superioribus constat, maxime controu. 1. huius artic.) consistat in eo, vt sit realis, & verà commutatio pecuniarum in diuersis locis existentium.

In hac igitur prima conditione omnes conueniunt, estq; illa definita in Extrauaganti Sanctissimi Pii V. quã inferius subiiciemus. Illud tamen hoc loco explicãdum est, Qua ratione fieri debeat, & quæ in illo seruanda sint, vt realiter & vere sit verum, & non fictum, nec simulatũ.

Hæc nomen ipsum, quod illi tributũ est, satis indicat, Dicitur enim Cambium pecuniæ in diuersis locis existentis, & per litteras. Vbi duo significantur in illo omnino desiderari.

Primo, vt sit vera commutatio pecuniarum in diuersis locis existentium.

Secundo, vt litterę quę dantur verum contineant, nec tradantur vt fictę, vel inanes, & vacuæ redditur æ.

In his duobus consistit tota veritas huius Cambii, & si quæ alia desiderantur, in his continentur & includuntur.

De prima conditione Cambij veri, & realis, nempe vt sit commutatio pecuniarum in locis re ipsa diuersis, & distantibus.

PRIMVM igitur debet esse vera & realis commutatio pecuniarum in diuersis locis existẽtium. Ratio est apertissima ex his quæ iam superius docuimus q. 2, art. vnico, & pręsenti quęst. art. 1, & in hoc art. contro. 1. Hoc enim interest inter hoc Cambium & mutuum, imo propterea negatur esse mutuum, quia in mutuo restituitur communiter pecunia mutuo accepta, in eodẽ loco in quo accepta fuit, neq; est de essentia mutui, vt in alio diuerso ac distanti loco restituatur; in cambio autem, repugnat omnino illi, vt restituatur in eodem loco, sed est de intrinseca ratione illius, vt quę restituitur sit diuersa ab ea quæ fuerat accepta, restituaturq; in alio loco diuerso, & distanti ab eo in quo prior accepta fuerat: adeò vt si conuenirent cambientes, vel alter eorum illud exigeret, sibi restitui in eodẽ loco in quo illã dedit, iã nõ esset cãbium, sed mutuum, & vsurariũ si aliquod inde lucrum illi proueniret. Secundo, in hoc Cambio non alio nomine permittitur alteri cambientium lucrum aliquod, vel interesse recipere, quam propter diuersam æstimationem quam habet pecuniæ illæ, quæ per hoc Cambium commutantur: ad diuersam autem æstimationem pecuniarũ in eodem tempore exigitur necessario diuersi-

uersitas locorum, fieri enim nequit, vt in eodem loco, & eodē tempore pecuniæ ali quæ diuersam ęstimationem habeant, cum hæc diuersa æstimatio sumatur potissime (vt videbimus) ex abundantia vel penuria totius generis pecuniarum in aliquo loco, impossibile autem sit, vt eodem tempore in eodem loco existant simul abundantia & penuria totius generis pecuniarum.

Tertio. Hoc Cambium est omnium cōsensu commutatio pecuniæ presentis pro absenti, duę autem pecunię ita affectæ, vt alia presens sit, alia vero absens necessario exigunt loca diuersa, & inter se distantia.

Deniq; ad verum Cambium exigitur necessario, vt solutio fiat in alio loco diuerso & distanti, quia si in eodem esset facienda, esset mutuum: at vbi solutio pecunię acceptę. v. g. Valentiæ debet fieri necessario Metinę, vel Hispali, debēt ex consequenti pecunię quæ ita commutantur, in diuersis locis existere, ita vt quę in vno loco accepta est, in alio vere & realiter restituatur. Conueniunt etiā in hac prima cōditione veri Cambii quotquot sunt Doctores, est enim illi intrinseca, ad essentiam & definitionem illius pertinens: confirmataq; & explicata à Sanctissimo Pio V. in sua Extrauaganti de Cambijs.

Ex hac prima conditione sequitur primo: de intrinseca ratione Cambij esse, vt à campsore pecunia in vno loco conferatur, à campsuario vero in alio diuerso & distāti restituatur. Vnde si vel communi vtriusque consensu, vel campsore ipso ex pacto illud postulante, Cambium aliquod ita celebraretur, vt esset in libera facultate Campsoris, vel expectare solutionem sui Cambii in loco & tempore nūdinarum, cum lucro & interesse iuxta communem vsum fori: vel si nollet tempus illud expectare, exigere à Campsuario pecuniam illi traditam in eodem loco, vbi illa tradita fuit, non esset verum Cambium, sed mutuū, & vsurarium: esto vbi illam exigeret in eodem loco, nullum reciperet interesse. Ratio est aperta. Imprimis non esse Cambium sed mutuum, quia de ratione Cambij est, vt Campsuarius non posit compelli ad solutionem, nisi in loco in quem Cambium remissum est, cū sit contractus cuius propria ratio consistit in commutatione pecuniæ vnius loci in pecuniam alterius: incipit nāque in loco vbi Campsor tradit pecuniam, perficiturq; & consūmatur in loco vbi cāpsuarius tenetur illam restituere. De ratione vero mutui est, vt posit compelli mutuatarius restituere pecuniam acceptam in eodem loco, vbi illam accepit, nisi ex peculiari pacto aliter inter illos conuentum sit, quod esset per accidens ad rationem mutui. Vnde quotiescunq; Campsor ita conueniret cum campsuario, vt maneret in libera facultate ipsius, vel expectare solutionem Cambii in loco & tempore nundinarum, vel non expectare illam, sed posse cōpellere Campsuarium ad restitutionem pecuniæ in eodem loco, vbi fuit illa tradita, non est cambium, sed mutuum: & cum possit ex tali contractu qui est vere mutuum recipere lucrum, si vellit expectare solutionem in nundinis, est vsurarium. Ita vt illū celebrans eo ipso peccet sicut vsurarius mētalis, teneaturq; ad restituendum lucrū acceptum, si quod acceperit expectata solutione in nundinis, quia quamuis illam expectauerit, & gesserit se ex hac parte vt Cāpsor, propter pactum tamen illud admixtū quo retinuit sibi facultatem, vt posset recuperare pecuniam in eodem loco, & cōpellere ad illud Campsuariū, non fuit verū Cābium sed mutuum, qua de causa per talem contractum, quacunque ratione se gerat, nullum lucrum vel interesse recipere potest.

Sequitur secundo, Oportere omnino, vt Campsuarius habeat in eo loco ad quem Cambium fit, pecuniam propriam ex qua adueniente termino fiat solutio, vel amicum & socium, à quo illa re ipsa & in effectu (vt dicūt) persoluatur, quod vocant creditum. Constat satis consectarium hoc ex superioribus, & ex modo dictis. Quia si exigitur necessario in hoc Cambio, vt pecunia in vno loco accepta in alio distanti & diuerso restituatur, cum illa vere ac realiter ibi restitui non posit, nisi Campsuarius habeat in loco solutioni designato vel propriam pecuniam, vel creditum, ficta profecto est & non vera solutionis in tali loco faciendę promissio.

Sequitur tertio, oportere similiter Campsori certum esse, vel saltim maxime probabile, Campsuarium, cui pecuniam traditurus est, habere pecuniam, vel saltim creditum & fidem amici in loco, vbi facienda est solutio. Quia si nouit oppositum, nempe, nec pecuniam vllam, nec aliquod creditum ibi habere, eo ipso intelligit pecuniam, quam misero illi Campsuario confert, non commu-

commutare cum alia diuersa & absenti, in quo tota ratio & iustitia huius contractus consistit, sed commutari tantum cum alia solo tempore absenti, & in eodē loco vbi prior fuerat accepta, restituenda, quod est vere mutuum, seu Cambium simulatum & fictū. Dixi oportere illud certum esse Campsori, vel saltim maxime probabile, quia si dubius fuerit, in idem incidit malum, & delictum, exponit enim seipsum periculo exercendi Cambium fictum, & eo ipso mutuum vsurarium sub nomine Cambii, Qui vero probabili periculo committendi aliquod peccatum se ipsum exponit, eo ipso similiter peccat. Sed quæres statim.

Quid si Campsuarius a principio contractus probabiliter ac prudenter credidit, campsuarium habere pecuniam, vel creditum, in loco ad quem fit Cambium, deinde vero intelligat illum nihil tale habere?

IN hoc casu extra omnem controuersiam est, illum a principio non peccasse, nec quandiu iudicat Campsuarium habere in loco ad quem fit Cambiū propriam pecuniam, vel alienam in fide amici, quā dicimus creditum, quia bona fides, cum qua contraxit, liberat eum à peccato, quandiu in illa permanet. Cum primum vero nouit se deceptum, & Campsuarium illum reuera nec pecuniam, nec creditum in eo loco habere, si nouerit illud facta iam solutione, & recepta pecunia, in quam suam commutauerat cum aliquo interesse, vel lucro, tenetur lucrum illud Campsuario restituere, quia cōtractus ille non fuit verum Cambium (vt constat) nec cōmutatio pecuniæ presentis traditæ à Campsore, cum alia absenti soluenda à Campsuario in alio loco diuerso & distanti, cum nullam habeat ibi miser Campsuarius, nec per se, nec per interpositam personam, sed sit in eodem omnino loco, in quo prius acceperat, illā redditurus, vnde fuit Cambiū siccum, seu mutuum simulatum, ex quo aliquid recipere vsura est. Qua de causa, sicut is qui ex vsura lucrum aliquod perciperet, existimans bona fide se contractum iustum & honestū exercuisse, quandiu durat in eo illa bona fides, liberatur per illam à delicto, & obligatione restituendi: Cum primum verò nouit se deceptum, & exercuisse vsuram, tenetur, quidquid per illam lucratus est, restituere, tamquā is qui tunc agnouit se habere alienum: ita Campsor, qui probabiliter & bona fide credidit Campsuarium habere pecuniam, vel creditum in loco, in quem fuit Cambium destinatum, liber est ab omni delicto & obligatione, quandiu manet in eo illa bona fides, cum primū verò nouit oppositum, tenetur quidquid per illud Cambium receperit vltra sortem restituere tam quam vere alienum, & acquisitum per iniustum & iniquum contractum.

Quod intelligendum est, nisi aliquo alio iusto titulo liceret huiusmodi Campsori lucrum illud, vel interesse, quod ab illo campsuario accepit, sibi retinere: Nempe ratione alicuius damni emergentis, vel lucri cessantis. Etenim si Cāpsor hic, qui bona fide pecuniam illam campsuario contulit: vel vt haberet quam illi conferret, aliquas fecit expensas, vel ex defectu illius pecunię, per tempus illud quo Campsuarius illa vsus est, aliqua passus est damna, quibus illam penes se habens commode occurrisset, ratione huiusmodi expensarū & damnorum poterit ex lucro, vel interesse ab illo Campsuario accepto tantum sibi retinere, quantum iudicaret prudens ad dāna illa compensanda desiderari. Idipsum quoque illi licebit ratione lucri cessantis: veluti, vbi Petrus Campsor habebat in prōptu Andræam, cui suam pecuniam per verum ac reale cambium tradere poterat, in gratiam vero & commodum Ioannis noluit illā tradere Andrěe, sed ipsi Ioanni, potest iustè in hoc casu Petrus retinere sibi ex lucro accepto à Ioanne tantundem, quātum reuera accepisset ab Andrea, si cum eo pecuuiam illam commutasset: Quia Ioānes fuit tunc in causa, vt lucrum illud quod reuera Petrus accepisset, illi cessauerit: propter quod tamquam is qui illi damno & amissioni lucri quod Petrus vere recepisset, causam dedit, tenetur in iudicio animę ad illius satisfactionem. Quantum autem possit in hoc casu ex bonis Ioannis Petrus sibi retinere, sumendū est ex lucris, quæ alij Cumpsores ex veris Cambijs eodem tempore, & ad eundem locum celebratis constiterit recepisse. Ita Cayet. in tract. De Cambiis. c. 1. Nauarr. in comento de Cambiis. num. 34. Mercatus lib. 4. cap. 7. & comuniter omnes DD. Neq; hoc prohibet Pius V. in sua Bulla, dum præcipit, ne ducatur in pactum à principio contractus

ctus lucrum cessans, vel damnum emergẽs? Nos enim loquimur hic de lucro cessante, & damno emergente iam actu, & re ipsa subsequuto, quod cũ in mutuo vt superius uidimus compensari debeat, similiter & in Cambio, & in quocunq; contractu in quo illud vere occurrat, est enim omni iure debitum: Pius autem V. loquitur de damno emergẽte, vel lucro cessante adhuc futuro, qnod forsam non accidet, prohibetque ne illud in pactum à principio contractus ducatur: tale enim pactum in ipso limine contractus non paruam offert occasionem fœnerandi, quam Santissim. ille Pontif. omnino voluit à Cambiis repellere.

Quod si ab illa deceptione liberetur ante quã aduenïat terminus solutionis, vel lucrũ aliquod recipiat, tenetur rescindere cõtractum, tamquam iniquum & turpem, solamq; sortem recipere absq; vllo interesse, vel lucro.

In his omnes cõueniũt. Hoc enim omnibus cõtractibus commune est, vt quãuis ab initio vt veri, & validi sub bona fide celebrẽtur, si deinde ficti, aut nulli, vel vsurarij esse deprehendãtur, rescindantur omnino. Sic namque distinguitur contractus verus, quamuis iniustus, ab eo qui nullus est, vt prior ille non rescindatur, sed sublato excessu, vel defectu ratione cuius erat iniustus, ad debitam equalitatẽ, & iustitiã reuocetur: vt cum res aliqua iniusto tantum pretio vendita est, sed intra meditatem iusti pretij, quia huiusmodi vẽditio iniusta quidem erat, non tamen nulla. At si nulla sit rescinditur, vt suo loco vidimus. Qua etiã ratione venditio rei furtiuæ facta à latrone, vel rei propriæ sed facta a minori rescinditur, quia vtraq; fuit nulla: illa ex defectu veri dominij in rem venditam, posterior ex prohibitione legis. Pari quæ ratione, cum Cambium in quo campsuarius nullam habet pecuniam, vel creditum, vbi solutio facienda est, nullum sit quantũuis bona fide fuerit a principio celebratum. Dubitabit tamen aliquis hoc loco.

Exigatur ne ad verum Cambium per litteras, vt Campsuarius ipso tempore contractus habeat iam actu, & re ipsa pecuniam, vel creditum, in loco ad quem Cambium illud destinatur?

(?)

SILVESTER Vsura 4. q. 9. in principio docet ad veram permutationem pecuniarum desiderari, vt vtraque pecunia dandã scilicet & reddenda iam sit in esse, quia presentis (inquit) ad futurum, sicut & certi ad incertum nõ est permutatio propriè. Cod. De rerum permutatione l. 1. in Glossa quæ citat l. Quoniam. Eodem titulo. & ibi Bartho. & Bald. ita sentientes. Ex quo infert Siluester, Cambium, in quo non existit actu & simul vtraque pecunia in locis, inter quæ illud celebratur, censendum esse contractũ quẽdam mixtum ex mutuo, vẽditione, & permutatione: Et quia non videtur esse permutatio propter modo dicta, inclinat in illud, vt sit quidam contractus mutui & venditionis, sicut venduntur quãdoque pretio certo res futuræ, & incertæ, vt fructus futuri, & iactus retis. Qua ratione Siluester, (si Cambium de quo hic agimus formaliter & proprie commutatio sit) videtur sentire, desiderari in illo, vt vtraq; pecunia actu existat, adeò vt aliter, vel nõ sit vera permutatio, vel sit iniqua & iniusta.

Nauarrus in suo commento de Cambijs. num. 14. refert Sotum iuxta eandem fere sententiam docentem lib. 7. de iustitia q. 5. art. 2. oportere vt Cambium verum sit, vtramque pecuniam actu & re ipsa existere in locis, in quibus illa commutatur: Quãuis Soto, saltim in eo loco qui citatur à Nauarro, nihil tale habeat.

Oppositum tamen docent idem Nauarrus loco citato, Mercatus in suo opere de contractibus in lib. de Cambijs cap. 9. affirmantes sufficere ad verum Cambium, vt recipiens Valentiæ pecuniam habeat Metinæ tempore solutionis actu, & re ipsa, eam in quam receptam Valentiæ Metinę commutatam restituat, esto tempore contractus nullam adhuc ibi haberet. Et noster Fabianus in suo tractatu de Cambiis par. 2. cap. 7. num. 65. Sequuntur hanc partem plerique recentiores viri eruditi. Et merito.

Primo, quia propter similitudinem quę existit inter commutationem rerum & Cãbium pecuniarum, quæ sufficiunt vt commutatio rerum vera commutatio sit, eadem sufficiunt vt Cambium pecuniarum verũ Cambium sit, sed nullus prudens affirmabit Petrum conferentem triticum Valentiæ, pro tritico sibi à Ioanne restituendo Cæsaraugustæ post duos menses, non exer-

cere veram commutationem tritici, si adueniente solutionis termino realiter & verè restituat illud Petro Cæsaraugustæ, vel proprium, vel mutuatum, vel emptum in foro, vel quacunq; alia ratione comparatum, esto à principio nullum triticũ ibi haberet, ergo similiter Cambium, verum Cãbium est, quando campsuarius pecuniam acceptam à Campsore Valentię commutandam cum alia restituenda Metinæ, potens est illam ibi restituere, ac re ipsa & actu adueniente termino restituit, esto tempore contractus nullam adbuc ibi haberet.

Secundo, communi omnium fere mercatorum vsu & vbique terrarum recepto, videmus ita fieri, vt qui in Hispania accipit pecunias restituendas in Flandria commutatas post 3. vel 4. menses, quando accipit illas in Hispania, nullas sepe habeat actu in Flandria, neq; amicum qui litteras ipsius soluat, ceterum cum potens sit & solitus, vel propriam pecuniam siue fidem amici termino solutionis adueniente habere in Flandria, vereq; actu litteras à se datas per se ipsum vel amicum ibi recipere, ac persoluere, ab omnibus iudicatur verum tale Cambium, nec vllus est mercatorum peritorum & prudentum qui iudicet illud fictum, & vsurarium, aut propterea quod nondum haberet Campsuarius pecuniam suã, vel fidem amici actu in Flandria, quando priorem recipiebat in Hispania, aliqua ratione iniquum: modo qui pecuniam recipit in vno loco, adueniente solutionis termino pecuniam habeat vel amicum in eo ad quem Cambium illud remissum fuit, fiatque ibi actu & reipsa illius solutio. Est autem regula eiusdem Siluestri loco citato: *Quoties arbitrio prudentum, & peritorum in arte Campsoria pars capiens Cambium non grauatur, & distantia temporis nihil lucri affert, nunquam est ibi peccatum. Si vero pars nimis grauatur, vel distantia temporis lucrum affert, semper est ibi peccatum, iniustitia scilicet vel vsura.*

Ad argumentum vero illud Siluestri, presentis ad futurum permutationem esse non posse, sicut neq; certi ad incertum, Respondet Nauarrus loco citato, in commutatione speciali, nimirum quando in particulari & in indiuiduo commutatur hęc res designata, cum alia certa quoq; designata, oportere vt ambæ simul existant, cum fiat commutatio rerum, quarum vnaquęq; sumitur certa & designata; vt hoc certum ac designatum vinum cum illo certo ac designato oleo, hæc certa & designata scuta cum aliis certis & designatis: Cambium autem, de quo hic loquimur, non est commutatio ita specialis, sed generalis; commutantur enim non hæc singularia & indiuidua scuta cum illis singularibus & indiuiduis, sed pecunia quę cõfertur in Hispania, in quocunque genere monetæ conferatur, cũ alia restituenda in Flandria, in quocunq; etiã genere nummorum restituatur, Quin etiã (inquit) casu quo Cambium non esset permutatio generalis, sed specialis, esset vera opinio quam sequimur, cum communi vsu & consuetudine mercatorum benesentientium, citra omnem fraudem, vel dolum, celebratum Cambium (de quo hic loquimur) verum ac reale iudicetur.

Ad alterum argumentum respondeo, mercatorem, vel Campsuarium, quem tempore contractus nouit Campsor potentem & solitum habere pecunias, vel fidem in locis, vel nundinis, ad quas litteræ Campsoriæ illius destinantur, eo ipso habere debitum creditum, & sufficiens ad contrahẽdum, ac celebrandum cum eo verum & reale Cambium, nec maius desiderari.

Occasione huius primæ conditionis, iuxta quam exigitur vt Cambium reale & verum in diuersis & distantibus locis fiat, videamus hic oportet.

Controuersia VIII.

LICEAT NE INTER LOCA *eiusdem Regni celebrare Cambia, quæ vera, & realia sint?*

DOMINICVS Soto lib. 6. de Iust. q. 13. art. 1. habet tria: Primo, absolute & simpliciter loquẽdo licere intra ciuitates eiusdem Regni, vt à Metina in Hispalim, vel à Florentia in Romam Cambium exercere, quia transferre pecuniam ex vno loco in alium, quod est primum argumentũ illius articuli, pretio æstimabile est. Debere tamen interesse vel pretium in huiusmodi Cambio esse perexiguum, nisi magnum in itinere illo vnius loci ad alterum immineret periculum. Habet secundo, cum Campsores nõ exerceãt hoc genus commercij, nisi ad comparanda sibi magna lucra, in Cambio autem intra idem Regnum exiguũ tantum recipi possit, non licere Cãbia intra idẽ Regnum, ea ratione qua communiter a Cãpsoribus nũc exercentur, & cũ cõmuni interesse

intereſſe & lucro quod ab illis exigitur, nõ enim transferuntur pecuniæ intra idem Regnum cum his laboribus, & periculis, vel cum ea diligentia & induſtria, quæ tantum intereſſe & pretium mereantur, quantum à Campſoribus communi illorum vſu exigi ſolet, & recipi. Habet tertio, Cambia, quæ fiunt ad loca reuera vicina intra idem Regnum, datis tamen litteris ad loca remotiora, & extra Regnũ, ficta eſſe, & iniqua omnino. De quibus nos in fine huius Contro. dicemus.

Nauarrus in commento de Cambijs numero 28. refert hanc ſententiam Dominici Soto, ſubiungitque eundem alibi in eodem libro & diſputatione de Cambiis oppoſitum docere, ſed reuera apud Sotum nihil aliud, præter ea quæ hic retulimus, legitur. Vult autẽ ibi Nauarrus duo. Prius eſt ſimpliciter & abſolute licere quidem intra idem Regnum cambia exercere, quia eadem ratione qua licet intereſſe aliquod percipere in commutatione pecuniæ à Metina v.g. in Romam, eadem omnino debet illud licere ab eadem Metina in Hiſpalim: modo nulla interueniat fraus vel dolus. Patet autem eandem rationem vtrobiq; reperiri, quia poſſunt occurrere varij labores, & pericula è Metina in Hiſpalim, ſicut à Metina in Romã, quamuis nec tot neq; adeo grauia. Similiter poteſt eſſe varia pecuniarum æſtimatio in Metina, ab ea quam eodem tempore habebunt illę in Hiſpali, ſicut poteſt eſſe, & communiter eſt ab ea quam habent Romæ.

Alterum eſt, quod dicitur lege Principis eſſe prohibita Cambia intra idem Regnum, ſaltim in Hiſpania, ſic accipiendum eſſe: Vt leges huiuſmodi non intelligantur de Cambijs, in quibus Campſor recipit ab aliquo pecuniam reſtituendam illi in alio loco, vbi Campſuarius illa indiget: quæ Cambia conſtituimus & vocamus ſecundę ſpeciei. Quod probat primo, quia lex huiuſmodi non eſt lata, niſi ad prohibendas vſuras palliatas ſub nomine Cambij, raro autem & fere nunquam poteſt exerceri vſura, quando Campſor recipit pecuniam, quã alibi Campſuario reſtituat. Secũdo, quia hoc Cambium ſecundæ ſpeciei omni iure naturali, diuino, & ciuili eſt permiſſum, & licitum, quod autem omni iure licet, nõ eſt peculiari lege alicuius Principis prohibendum, niſi euidenter appareat, hominum iniquitate illud in damnum commune cedere, quod certe non apparet in hoc Cambio ſecundæ ſpeciei, ſiue per tranſportationem pecuniæ, cum in illo difficile poſsit iniquitas vſuraria miſceri: imo illius prohibitio intra idem Regnum cederet in commune multorum damnum, occluderetur enim via peregrinis, ſcholaſticis, & alijs multis negotiatoribus ad transferendas commode ſuas pecunias in alia loca eiuſdem Regni, vbi illis egent.

Sed referantur, pertineantq; leges huiuſmodi ad ea tantum Cambia, in quibus Cãpſor ipſe cõfert prius pecuniam, ſibi deinde à Campſuario in alio loco reſtituendã: Quod videtur niti eidẽ fundamento: quia latæ profecto ſunt huiuſmodi leges ad vitandas vſuras palliatas, quas, ſi celebrentur Cambia illa tertiæ ſpeciei intra Regnũ, & in ciuitatibus vicinis, perſpicuum eſt facile huic contractui miſceri poſſe. Vel ſaltim facilius poſſe illas occultari in ciuitatibus eiuſdem Regni, quam in remotioribus extra Regnum: quia ad Cambiũ verum & reale (vt diximus) ſufficit campſuarium recipientem pecuniam à Campſore in alio loco reſtituendam, habere ibi pecuniã vel creditum ſaltim termino ſolutionis adueniente, hoc autem facilius poteſt fingi in ciuitate eiuſdem Regni, quam in remotiori extra Regnum, quia nullus fere mercator eſt, qui non habeat vel poſsit facile fingere ſe habere aliquos amicos, vel ſibi notos & ſocios in locis eiuſdẽ Regni, quod in locis remotioribus non ita facile poteſt.

Addit tamen ibi Nauarrus, videri ſibi, parum vtilitatis huiuſmodi leges ſeu prohibitiones Cambiorum intra idem Regnum bono communi afferre. Primo, quia non impediuntur hac via vſurarij, quin ſub nomine Cambij poſsint facile ſuas vſuras & iniquitates exercere: Imo videtur maior fænerandi occaſio illis exhiberi, propterea quod Cambium ſiccum, quod cum minori lucro & maiori timore, ne illud reuelaretur, intra Regnum exercerent, cum maiori lucro & minori timore ac verecundia celebrant extra Regnum. Secundo, quia expediret potius conſtituere viros expertos in arte Campſoria, ac timentes Deũ, qui explorẽt omnia Cãbia, & preterita, & preſentia, & ſi quę deprehẽdãt iniqua eſſe, & vſuraria, nõ ſolũ illa omnino in poſterũ interdicant tã in Regno quam extra Regnum, & eos qui illa aliquando exercuerunt grauiter puniant, vt eorum pœna, tam ipſi quam cęteri ſibi in futurum conſulerent, ac cauerent. Quæ verò viderent iuſta eſſe, ac tuta

ac tuta conſcientia fieri, ac ſine occaſione fenerandi, illa concederent ac permitterẽt vbiq; exerceri. Hęc Nauarrus.

Thomas Mercatus De cõtractibus c. 8. omnem ſpeciem Cãbij cenſet ſtando in ſolo iure naturali, & diuino licere, etiã intra Regnum, modo ſeruentur in illis conditiones iuſti Cambij extra omnem fraudẽ & dolum. Ac de ſecunda quidem ſpecie Cambij, quod dicitur per tranſportationem, illud conſtituit tamquam certum, & indubitatum. De tertia verò, quæ ſola (vt ſepe diximus) eſt modo frequentior & in vſu, & de qua potiſsime ſuſcipitur hęc diſputatio, audet quoq; illud affirmare, quia perſpicuum eſt, intra idem quoq; Regnum exiſtere quandoque in diuerſis illius ciuitatibus, & locis maiorem copiam, vel inopiã totius generis pecuniarũ, & propter eam cauſam diuerſam illarum æſtimationem in illis.

Quod vt magis explicet, conſtituit Mercatus hæc duo. Prius eſt. Intra idem Regnũ vt Hiſpaniã negari quidẽ non poſſe vnum locum v. g. Vuandaliam, & in ea Hiſpalim quæ precipua eſt illius regionis & prouinciæ vrbs, maiori pecuniarũ copia ſimpliciter & abſolute abũdare, quã cęteras eiuſdem Hiſpanię prouincias, & ex conſequenti collegium, ſiue communitatem mercatorum Hiſpalenſium in pecuniarum abundãtia reliqua collegia, & communitates mercatorũ aliarũ vrbiũ, & prouinciarum excedere, eoq; nomine minus apud illos pecunias cõmuniter ęſtimari quã apud cęteros. Obſeruat autẽ & recte huiuſmodi pecuniarũ abundantiam, vel penuriam ex cõmunitate ipſorũ mercatorum, & eorũ qui negotijs ac potiſsime Cãbiis incumbunt, ſpectãdam eſſe: nõ enim auget pecuniarũ ęſtimationem, vel minuit circa cambia, quod illæ in loco aliquo vel ciuitate apud cæteros abundent, vel deficiant, ſed ea tantũ copia, vel inopia quę apud ipſos mercatores, & campſores in illis locis exiſtit: & merito, cum ea tantum copia, vel inopia pecuniarũ illarum æſtimationem augeat, vel minuat, & vna cum illa cambiorum pretia, & intereſſe, quæ apud ipſos mercatores & Campſores in illis locis occurrunt, minime verò quæ apud alios.

Alterum eſt, poſſe Principẽ in ſua ditione, & Regno lege ſua interdicere, ne fiãt cãbia intra ſuum regnum, cũ aliquo intereſſe, vel lucro, vel ne vlla ratione fiant. Cuius rei ratio eſt, quia poſſunt prohibere Principes, cũ illis boni cõmunis ſuorum ſubditorũ cura incumbat, quæ alias licent, & iuſte fieri poſſunt, ſi hominum cupiditate & vitio multis iniquitatibus permixta exerceantur, illa prohibere; in quo genere exiſtunt multa quæ dicuntur à Theologis mala, quia prohibita.

Qua ratione Rex Luſitanię Sebaſtianus anno domini 1570. ſua lege prohibuit omnino tã intra ſuum Regnũ, quam extra cãbia, quorum ſolutiones ad nũdinas aliquas remittuntur. Permiſsit verò ea tantũ Cambia, quæ fiant per tranſportationem pecuniarum, quæ vocamus ſecundæ ſpeciei: quando pecuniæ Cambiendæ tranſportatio fuerit omnino neceſſaria ad aliqua cõmercia, & contractus circa merces, & non aliter. Conſtituitq; vbi tale Cambium ſecundæ ſpeciei ad deferendas vel aſportandas merces aliquas in Regnũ neceſſarium fuerit, non poſſe Campſorem lucrum aliquod percipere, niſi moderatiſsimum. Similis lex habetur Caſtellę inter leges Regni, quam innouauit inuictus ille & Sanctiſsimus Imperator & Rex noſter Carolus V. vt videre eſt in noua copilatione legũ Hiſpaniæ lib. 5. tit. 18. l. 8. Vbi præcipit ne vllus ſiue Hiſpanus ille ſit, ſiue exter, poſsit intra loca vel emporia Regni celebrare aliqua pecuniarum Cãbia cum aliquo lucro, vel intereſſe, imponitq; contrafacientibus grauiſsimas pœnas.

His poſitis docet Mercatus, cambia intra Regnũ non ſolũ ſecundę ſpeciei, verumetiã tertię, de quibus præcipue (vt dixi) hic diſputamus, ſtando in ſolo iure naturali, quibus nulla fraus vel dolus permiſcebitur, ſed ſeruantur in eis conditiones iuſti cãbij, iuſta eſſe: ac tuta cõſciẽtia poſſe recipere cãpſorẽ in illis lucrum, & intereſſe, quod in illis locis habuerit communis vſus fori.

Quod ita probat. Primo, omnes tituli, quos aſsignant DD. ad iuſtificanda lucra cambiorũ, reperiuntur in Cãbijs intra Regnum, ſunt ergo iuſta. Probatur antecedẽs: Quia ſi extra Regnum iuſta ſunt ratione tranſportationis pecuniarũ cũ variis laboribus, & periculis, in his quæ fiunt intra idẽ Regnum, vel ad diuerſas nundinas eiuſdem Regni, transferuntur ſimiliter per litteras Campſorias pecuniæ cambientium cũ multo labore, & periculis, adeò, vt quãdoque plura immineant in itineribus intra idem Regnum, quam extra. Iam ſi extra Regnum ſunt iuſta, quia commutatur (vt multi volunt) pecunia preſens pro abſenti, ſimile quoque accidit in Cambio intra Regnum in ciuitatibus eiuſdem Regni diſtantibus. Denum, ſi extra Reg-

 num

num iusta sunt, propter diuersam æstimationem quam habent pecuniæ in diuersis locis, quæ videtur esse potissima ratio iustificans hæc Cambia tertię speciei iuxta communem recentiorum doctrinam, hęc ratio habet etiam locum in Cambijs intra Regnū, vt ex primo fundamēto posito constat, cui experientia ipsa plenissimā fidē facit.

Secundo, Qui cōstituunt Cambia intra Regnum absolute & simpliciter esse illicita, loquuntur priuatim de Regnis Hispaniæ, vnde licet quærere ab illis, cur potius in Hispania hæc illicita sint stando in iure naturæ, quam in aliis Prouinciis, & nationibus extra Hispaniam, quia si hic illicita sunt, & tamquā ex natura rei iniusta, vbiq; oportet esse illa iniusta & prohibita: Lex enim naturalis vbiq; terrarum eadem est, & semper sibi similis. Si verò apud Italos v.g. iniusta non sunt, nec cēsentur iniqua cum exerceantur in locis vicinis, vt à Florentia in Romā, à Ianua in Placentiā, vel similia loca, cur apud nos ab Hispali in Metinam, vel Toletum, sunt censenda iniqua & iniusta? Quod si dixerint in Italia illa iniqua non esse, quia esto exerceantur in locis & ciuitatibus vicinis, sunt tamen illę tamquam regna & ditiones distinctę, habentes diuersos Principes, & leges, ac Respub. Contra inquit Mercatus.

Et sit tertium argumentum, Aut nomine Regni intelligimus vnumquodq; Regnum peculiare diuersum ab alio, diuersisq; legibus gubernatum, quamuis vtrumque eidem Principi subiiciatur, aut vocamus idem Regnum omnia loca, quæ sub eiusdē Regis & Principis ditione continentur, siue multum siue parum illa inter se distent. Si priori modo, licebit ergo Cambire ab Hispali in Toletum, à Toleto in Metinam. Hæc enim & similia etsi intra eandem Hispaniam existant, diuersa tamen regna esse & diuersis legibus municipalibus gubernari perspicuum est, Quod si in posteriori sensu illud intelligatur, profecto non liceret cambire à Valentia in Metinam, quin neque ab Hispania in Indias, cum hæc omnia loca eidem Regi & Principi subiaceant. Quin etiam sequeretur, vt si Hispania, Gallia, & Italia sub eiusdem Principis dominio continerentur, non liceret tunc ab Hispania cambire in loca Galliæ, vel Italiæ, quę certe sunt maxima absurda.

Ita colligit Mercatus, Cābia intra idem Regnū modo seruentur in illis cōditiones iusti Cambij licita esse ex natura rei, & stādo (vt dixi) in solo iure naturali, exclusaq; lege humana, quę ex iustis causis potest illa prohibere. Cęterū quāuis adducit ibi leges illa prohibentes latas in Lusitania ab Rege Sebastiano, & in Castella à fœlicissimo Imperatore Carolo V. nō tamē explicat, an illæ obligēt & in iudicio animæ obseruādę sint. Sed cōcludit dicēs, posse intra idē idē Regnum Hispanię Cambia hæc celebrari cum aliquo interesse, & lucro moderato, pro temporum qualitate & varietate, modo seruentur in illis cōditiones, quas hic proponimus iusti Cambij.

Recentiores vt Michael Palatios lib. 4. de contractibus c. 4. & alij accedūt plurimū ad sententiā D. Nauarri, vt cābia secundæ speciei possint celebrari tam intra Regnū quā extra Regnū, cābiū vero tertiæ speciei non possit intra Regnum, sed solum extra.

Hāc sentētiā existimo verissimā, Ad quā magis intelligendā obseruemus, quid nomine eiusdē Regni intelligi debeat, non posse summi, neq; ex peculiari distinctione Regnorū inter se, neq; ex diuersitate Regū vel Principū, vt argumētabatur Mercatus, sed ex vsu ipso & consuetudine obseruata in illius gubernatione. Quę .n. gubernantur tamquā vnū & idē Regnū, (licet dicantur, aut sint secundū se, & seorsum sūpta diuersa Regna) quia tamē gubernatur vt vnū, & simplex, pertinēt omnia illa quantū ad presens institutum ad vnū & idē Regnū. Quæ vero à suo Principe gubernātur tāquā diuersa habenda sunt in hac disputatione tāquā diuersa. Olim in Hispania regnātibus Arabibus erāt 12. vel 13. Regna: etenim vt ex Historia Africana cōstat, aduenienti ex Africa Rege Miramamolino exierunt illi obuiā 13. Reges Hispanię Arabes, quo tempore & si omnia illa Regna cōmuni nomine dicerētur Regna Hispaniæ, erant tamen inter se distincta, & diuersa, cū à diuersis Regibus diuersisq; legibus gubernarētur. Deinde regnantibus Principibus Christianis illa tredecim Regna ad quinq; fuerunt redacta, modo vero omnia illa, quod ad presens institutum spectat pro vno Regno habentur, quia gubernantur à Rege Hispanię tāquā vnū Regnū eisdē legibus & statutis, qua de causa in tota Castella vno & eodem charactere omnes pecunię cudūtur, & quādo celebrantur publica commitia, omnes proceres totius Castellę vocātur, & cōueniūt in illis quasi đ gubernatione vnius regni acturi. Qua ratione cōstat, Indiā, Valētiā Cęsaraugustā, Cathaloniā, Neapolim, & alia nostri Regis, diuersa regna esse à Castella, & inter se, gubernātur enim ab illo, tāquā diuersa

diuersa & distincta, alijs enim legibus & pecuniarũ characteribus vtuntur Betici, alijs Indi, aliis Valentini, & sic de cæteris. Nec repugnat, quod hęc tria Regna Coronæ Aragonũ dicãtur Regna vnius coronę, conueniantq; in eisdẽ commitiis publicis, quæ haberi solẽt in Montesono: quia etsi ita conueniant propter cõmodiorẽ rerũ expeditionẽ, Regna tamen hæc in huiusmodi cõmitijs vt diuersa se habẽt, diuersas enim causas agũt, diuersasq; leges in illis à nostro Rege recipiũt. Quo circa omnia Regna Castellæ, siue ad Vuandaliã pertineãt, siue ad Beticã, siue ad quãcunq; aliã Prouinciã Castellæ, pro vno Regno in hac parte habenda sunt: & cãbia quæ in huiusmodi locis exercentur, censenda sunt intra idẽ Regnũ fieri; quę vero in Valentia, vel Aragonia, aut Cathalonia celebrantur, pertinere ad diuersa Regna: & multo fortius quæ ad Indiam, Neapolim, vel remotiora loca, etsi hæc omnia ab vno gubernẽtur Hispanię Rege. Confirmat illud cõmunis omniũ fere hominum conceptio & opinio, omnia namq; Regna Castellæ, quo ad Cãbiorum contractum censent velut vnum, Valentiæ Regnum velut aliud diuersum, & sic de ceteris Regnis quæ hic enumerauimus.

Obseruemus secundo, quod omnibus legibus humanis cõmune est: Quã vim habeant actu & re ipsa ad obligandum leges quæ in aliquo Regno cãbia prohibent, ex consuetudine ipsa & vsu petẽdũ esse: nam vbi illę in vsu sunt & viridi obseruantia, nec per disuetudinẽ, aut cõsuetudinem contrariam notã Principi, & illo nõn reclamãte abrogatę, retinent suã vim, & obligãt in vtroq; foro: Ita vt si quod lucrũ vel interesse contra illarũ prohibitionẽ ab aliquo acceptũ sit, tãquã iniquè & iniustè acceptũ debeat in iudicio animæ illud restituere, alias verò pœnas nõ teneatur luere nisi adueniente iudicis condẽnatione. Quod si per disuetudinẽ, vel cõtrariũ vsũ abrogatę sint, nullã habeãt vim, neq; in aliquo foro obigent: censentur autem abijsse in disuetudinem, & per illam esse abrogatæ, quando Princeps illius disuetudinis vel contrarij vsus conscius quidẽ est, non tamen punit transgressores, nec reclamat.

His positis sit prima conclusio.

Cambium primæ & secundæ speciei, tam stãdo in iure naturæ, quã in iure humano, seruatis in eo conditionibus iusti cãbij, tã intra Regnum, quam extra illud honestũ est, & iustum, & in quo tuta conscientia recipi potest aliquod lucrm, & interesse iuxta communem vsum fori, & ex quæ superius diximus agentes de huiusmodi Cambijs.

Probatur concl. Cambiũ in quo seruantur conditiones iusti cãbij, secundũ se & ex natura rei iustũ est, & nisi lege Principis prohibeatur, licitũ: In Cãbiis verò primę, & secundæ speciei supponimus seruari conditiones iusti cãbij, leges etiam quę prohibent cambia intra idẽ Regnum, non respiciunt hæc primæ, & secundæ speciei, ergo licet exercere illa, tã intra Regnũ quã extra. Minor probatur rectè à D. Nauar. quia leges istę illa tantũ cãbia prohibent, in quibus facile permiscetur iniquitas vsuraria cũ damno boni communis, ex intentione nãq; legislatoris deprehenditur satis quæ cãbia prohibeat sua lege: in huiusmodi autem cambijs primæ, vel secundę speciei periculũ illud non ita habet locum, nã cambium primæ speciei cum fiat in vtriusque cambientis vtilitatem, & seruato iusto valore pecuniarũ quæ commutantur in illis locis, satis securum manet à quouis periculo alicuius vsuræ illi permixtę: similiterq; in Cambio secundæ speciei, cum sit mera transportatio pecuniæ receptę à Campsuario, & illi fideliter restituẽdæ in alio loco, seruato iusto pretio laboris, & obsequij quod in hoc contractu prestat campsor ipsi campsuario, vt supponimus.

Et cõfirmatur in particulari de cãbio secũdæ speciei: Quia in eo eadẽ pericula, & labores occurrũt intra Regnum, quæ in cambio extra Regnum, & quandoq; plures, & maiores. Tum etiam, quia cum hoc cãbiũ sit vera transportatio pecuniæ ex vno loco in alium, non est censendum voluisse legẽ priuare Campsorem iusto pretio, iusteque illi debito propter pericula, labores, & expensas quas in hoc genere contractus Reipub. adeo necessarij patitur.

Deniq; cambia quæ legibus Regiis proprie & potissimè prohibẽtur, sunt illa, quorum solutiones remittuntur ad nundinas, & quibus campsores communiter vtuntur, & quorum frequẽtia multorum facultates consummuntur, qualia certe non sunt cambia hæc primę, & secundæ speciei, vt ex eorum vsu cuiuis constat.

Secunda conclusio. *Cambia tertiæ speciei, quæ fiunt communiter ad nundinas, secundum diuersam æstimationem pecuniarum in diuersis locis, stando in solo iure naturali, & diuino iniqua, vel illicita non sunt, quando seruantur in eis conditiones iusti Cambij. Sunt autem prohibita in Hispania lege Principis, quæ vim suã ad obligandum reuera retinet.*

Probatur prior pars argumẽtis adductis à mercato, saltim primo & secũdo. Et confirmatur: In eodẽ loco nundinarum, & in eisdẽ nundinis vel mercatu experientia teste augetur quandoq;, vel minuitur ęstimatio pecuniarum, & cum illa pretia quoque cambiorũ, prout in principio, medio, vel fine illarum nundinarum maior occurrit inter mercatores, & campsores eò aduenientes copia vel inopia totius generis pecuniarum in illo loco, nec hoc à quoquam damnatur, quia sic fert vsus negociatorum: ergo à fortiori si solum ius naturale attendamus, poterit exerceri Cambium intra idem Regnum cum aliquo interesse, inter duo loca, in quibus acciderit, (sicut experientia teste quandoq; accidit) diuersam pecuniarum copiam reperiri, & diuersam illarum æstimationem inter communitates ipsorũ mercatorum, & campsorum in illis locis. Stando enim in solo iure naturali, & diuino, quod vbique terrarum idem est, & sibi simile, quod licet propter diuersam pecuniarum æstimationem extra Regnũ, debet similiter licere intra Regnum, quotiescunque intra illud diuersa quoq; existet pecuniarum æstimatio realiter & vere penes ipsorum mercatorum communitates, & consulatus, iuxta principium illud siue regulam Innocentij: *Vbi eadem reperitur ratio, idem quoq; debet esse ius.*

Secundo, in alijs rebus veluti frumento, oleo &c. licet cambire minorem mensurã vbi illius rei inopia est, pro maiori recipiẽda in alio loco, vbi illa abundat, quamuis hæc permutatio fiat intra eandem Prouinciam & Regnum: Idem igitur licebit in cãbio pecuniæ: etenim vt sępe in hac disputatione de cambijs diximus, Quod iustum est in commutatione mercium in diuersis locis, idem pariter cẽsendum est iustum in Cambio pecuniarum, propter similitudinẽ quæ inter vtramque commutationem reperitur in genere, & esse commutationis. Et conf. Quia Cambiũ, esto non sit contractus emptionis & vẽditionis, vt docuimus, habet tamen cum illo, saltem quo ad pretiũ & ęstimationem rerum, maximam similitudinem: videmus autem easdem merces carius vẽdi vbi est illarum penuria, quam in alio loco vbi illæ abundant, & in eadẽ Prouincia. Ergo simile quoq; licebit in Cambio pecuniarum.

Nituntur quidem, qui contra sentiunt, hoc argumentum (quod efficacissimũ est) diluere. Respondẽt enim in mercibus verũ quidem illud esse, quia non est illis taxatũ certum pretium à lege in omnibus locis Regni, quod tamen pecuniis taxatum est in toto Regno. Hæc tamen solutio non tollit vim argumenti, Primo, quia licet idem sit pretium legale pecuniæ in omnibus locis eiusdẽ Prouinciæ, est tamẽ illud vnũ & idẽ in ordine ad emptiones & venditiones, nõ tamen est vnum & idem in ordine ad cambia, & alios vsus secundarios pecuniarum, quia pretia pecuniarum in Cambijs nõ sumuntur ex taxatione legis, sed ex maiori vel minori æstimatione illarũ, iuxta earundem copiam vel inopiam in locis inter quæ cambia illa celebrantur: Idem namq; est hęc diuersa ęstimatio quo ad cambia, quod est pretiũ legale quo ad emptiones & venditiones. Secundo, sequeretur ex ista solutione, vt si esset idem pretium legale pecuniarũ in diuersis Regnis, non liceret cãbire cum aliquo interesse inter illa, ratione copię vel inopiæ totius generis pecuniarũ in illis, quod est falsum: Nam in Hispania & India idem est pretium legale pecuniarũ, exercentur autem ab India in Hispaniam & è conuerso cambia, cum vario lucro & interesse tutissima conscientia.

Vnde respondẽt secundo, existente copia in aliquo loco Prouinciæ, totam illam prouinciam censendam similiter esse eandẽ copiam habere, quia facilimus est, ex eo loco vbi pecuniæ illę abundant, ad cætera loca eiusdem Prouinciæ illarũ pecuniarũ transitus. Sed neq; hæc solutio argumẽtũ illud diluit: Quia iuxta illam inter Regna vicina nõ liceret cambire titulo copiæ vel inopiæ totius generis pecuniarũ, cũ multæ sint eiusdẽ Regni ciuitates magis inter se distãtes, quã à Regnis vicinis: Hispalis.n. magis distat à Toleto quã ab Vlixpona, faciliorq; est transitus pecuniarũ si solã distãtiam locorũ spectes ab Hispali in Vlixponã, quam in Toletũ: at nõ propterea quod Hispalis adueniente classe abũdet pecuniis, censetur etiã abundare Vlixpona, alioqui si ita censeretur, nõ liceret cãbire cũ aliquo lucro ab Vlixpona in Toletũ stando in solo iure naturæ, cui tamen stando seclusaq; omni lege ciuili nemini dubium est licere. Adde copiam vnius loci non censeri copiã aliorum eiusdem Prouinciæ, vbi illa inter se distant, secus vbi vicina sunt: qua de causa ad loca sibi vicina & quasi suburbana illius qui abundat, non liceret neq; stãdo in iure naturæ cambire cum aliquo lucro, ad remotiora vero liceret, quia inter ea censenda est copia vel inopia pecuniarum reperiri, & cum ea diuersa illarum æstimatio.

Ideo

Ideo respondent tertio, in diuersis Regnis propter copiam vel inopiam totius generis pecuniarum existere plures vel pauciores postulantes pecunias à Cāpsoribus, quod non ita accidit intra eandem Prouinciam seu Regnum: et hac de causa posse cābia cum aliquo pretio & lucro celebrari ad diuersa Regna, minime vero intra idem Regnum. Hæc tamen responsio cum experientia pugnat, nam vbi pecunia deficit in Hispania ex aliquo infortunio clasis, abūdant & in ipsa Hispali varij mercatores quærentes pecunias à Campsoribus ad Metinam, vel alia loca Regni: Quin etiam, vt inferius videbimus, agentes de varijs titulis, quibus pecuniarum æstimatio augeri solet, vel decrescere, vnus eorum est propter abundantiam vel penuriam mercatorū siue negotiantium quærentium pecunias sub contractu cambij, qui titulus diuersus est ab hoc alio, qui sumitur ex maiori copia vel inopia totius generis pecuniarum in diuersis locis: quos tamen miscent ac confundunt extra omnem artem, qui nitunrur diluere argumenta proposita, quæ efficacissima sunt.

Posterior vero pars probatur ex secunda obseruatione à nobis posita: Lex namq; prohibens huiusmodi cambia tertiæ speciei intra Regnum, cum occurrat multis iniquitatibus vsurarijs, quæ in tali Cambio facile permisceri possunt cum damno proximorum, est iusta, & eo ipso obligans subditos in foro animæ: nec est abrogata per contrariam consuetudinem, imo in vsu, cum non aliter fiant intra Castellam, vt à peritissimis mercatorum accepimus, nisi sine vllo interesse, aç vt dicunt *A la par*, adeò vt si quis aliter intra Regnum apud Hispaniam cambiret, male audiret, & puniretur vt iniquus & vsurarius Cāpsor, iustæque legis trāsgressor. Vnde illa actu sunt prohibita, & quia prohibita, illicita & iniqua in Hispania intra Regnum cum aliquo interesse vel lucro.

Non ignoro aliquos, & viros quidem eruditos in ea esse sententia, vt existiment leges istas Hispaniæ, casu quo receptę sint, & in viridi obseruantia existant, sic intelligendas esse, vt non liceat cāpsori accipere lucrum aliquod v. g. 12. pro 10. ratione dilationis temporis, quod debet cōmuniter interuenire inter numerationē pecuniæ & solutionē eius per responsalē cāpsuarij, minime vero illas tollere, quin ratione penuriæ totius generis monetæ in vno loco possit recipi aliquod interesse intra idem Regnum, quia si illud prohiberent, viderentur prohibere quod secundum se & ex natura rei iustū est. Quemadmodū enim pecuniarū æstimatio, & pretiū potest augeri, & minui in diuersis locis extra Regnū in eodem tempore, ita quoq; intra idem Regnū in diuersis illius locis, propter earum abundantiam vel penuriā in illis. Sed quidquid hi existiment in nostra persistimus sententia, Leges istas cābia illa tertię speciei intra Regnū omnino interdicere, cum vsu receptę sint & obseruatæ, nec loquantur de lucro vel pretio aliquo propter dilationem tēporis recepto. Quia leges istę (quod ex ipsarum contextu patet) solū prohibēt cambia intra Regnum, minimè vero extra Regnū, at propter dilationem tēporis interesse aliquod recipere in nullo genere cābij licet, neq; intra Regnum, neq; extra Regnū, imo neq; in vllo genere contractus, cū sit aperta vsura, quacunq; ratione, & inquocunq; genere contractus illud accideret.

Respōdent alii, Leges Regni taxare pretia pecuniarū in ordine ad primariū vsum pecunię, nempe in ordine ad emptiones & vēditiones, & hac ratione debere esse idem in toto Regno vel prouincia: nō tamē taxasse illud respectu cābiorum, & ideo posse illud & in eodem Regno & Prouincia in contractu Cābij augeri, vel minui, ratione maioris copię vel inopiæ pecuniārū, sicut augetur vel minuitur in diuersis Prouinciis. Sed miror certe viros aliquos eruditos ita respōdere, cū leges illæ nihil minus curēt quā agere de pretio pecuniarū, sed ad hęc tantū cambia tertiæ speciei respisciant, illa omnino prohibentes intra Regnum, propter occasionem quæ offertur humanæ cupiditati exercendi vsuras, si intra Regnum fieri permittantur. Vnde cū leges ipsę cābia ista sic periculosa prohibeant nullum profecto habet locum circa presens institutū distinctio illa vel diuersa consideratio pretij.

Vnde alij viri periti volentes hæc omnia cōponere docent imprimis. Vbi acciderit locū aliquē pati inopiam alicuius pecuniæ, quam nō patitur locus alter distans eiusdē Regni, veluti, si v. g. scuta aurea abundent Hispali, rara vero sint Metinæ, & in cōfinibus eius, posse Metinæ pretium illorum, si cambio minuto & manuali cōmutentur, augeri, iuxta ea quæ docuimus q. 2. ar. vnico: quia leges istæ non respisciunt cambiū, istud manuale, & minutū. Docent secūdo, si v. g. patiatur Metina inopiam pecunia-

rũ, quibus tamen Hispalis abundet, sed ita vt penurię illi Metinę, nõ possit subueniri nisi per formalem, & realem transportationem pecuniarum ex Hispali in illam, tunc licere augere pretium illius pecuniæ propter inopiam illam Metinæ, quia leges istæ (vt diximus) neque respiciunt Cambium secundæ speciei, quod est per transportationem. Docent tertio, dubium non esse, quin maior ratio existat augendi pretium in mercibus, alijsque rebus, propter illarum inopiam in diuersis locis eiusdem Regni, quam in Cambio pecuniarum propter inopiam earum in diuersis etiam locis eiusdem Prouinciæ, quia difficilius communicatur copia mercium ab vno loco in alium, quam pecuniarum: Experientia enim teste triticum, vel vinum quod abundat in vno loco, non potest alteri communicari nisi per agasonem, & realẽ asportationem, cui multo labore variisque expensis opus est, pecunię vero communicantur facile ab vno loco in alium per litteras, & sine reali teansmissione, quod si necessaria sit, fit facilius & minori labore ac pretio. Quo fit vt cum intra idem Regnum facile pecuniæ communicari valeant, merito in illo hoc Cambium tertij generis quasi parum necessarium & valde periculosum sit prohibitũ. Quod si lege aliqua prohiberetur translatio pecuniæ ex vno loco in alium intra idem Regnum, tunc reuera iuste fierent Cambia cum aliquo lucro, & interesse, ratione copię, vel inopię totius generis pecuniarum in illis locis eiusdem Regni, inter quę esset prohibita translatio illa & commutatio pecuniarum: quod enim modo efficiunt leges diuidentes Regna, efficeret tunc profecto lex illa diuidendo loca illa & populos quò ad commutationem pecuniarum.

Ex his omnibus sequitur, Cambia quæ modo fiunt intra Regnum Castellæ iniqua esse, & maxime iniusta: Tum, quia sunt lege iusta, & quę est in vsu, prohibita: Tum etiam, quia exigunt Campsores immoderatum pretium, vt experientia constat.

In fine huius primę conditionis ad verum cambium adeo necessariæ obseruãdũ est: deesse illam in cambio, quod à nonnullis fraudulenter exercetur, cum in litteris Campsoriis fingunt, se pecunias quas conferunt Campsuario tradere illi persoluendas, & commutandas v. g. à Valentia in Hispalim, reuera tamen mutuo & occulto vtriusque contrahentis consensu, aduenięte solutionis termino, non fit illarum solutio & commutatio Hispali, sed in loco aliquo multo viciniori, accepto eodem omnino interesse & lucro, quod recipitur eo tempore in cambio celebrato à Valentia in Hispalim, cuius solutio realiter & vere fit in ipsa Hispali. Huiusmodi contractum fictum esse, perspicuum est: Tum, quia non commutatur pecunia realiter & vere in loco ad quem illius commutatio, & solutio fuerat remissa: Tum etiam, quia inique & iniuste recipitur interesse & pretium debitum in Cambio ad Hispalim, cum eius solutio non fiat Hispali, sed in loco viciniori, in quo forsan nec Cambium celebrari potest, neque aliquod interesse exigi, vel recipi.

Explicata iam priori parte seu prima conditione Cambij veri, ad secundãm conuertenda est nostra oratio, ad quam (vt diximus) pertinet, vt litterę quæ traduntur. De quibus nunc seorsum dicendum est, ex defectu enim huius partis siue conditionis variæ iniquitates, & fraudes in hoc contractu à Campsoribus committuntur.

De Secunda conditione Cambij veri & realis, nempe vt litteræ Campsoriæ verum contineant, nec vllo modo fictæ sint, vel inanes.

CVM Cambium de quo hic disserimus, commutatio sit pecuniarum in diuersis locis existentium, & per litteras, quemadmodum vt verum ac reale Cambium sit, debet in eo pecunia vnius loci realiter & vere in pecuniã alterius loci diuersi ac distantis commutari, quod pertinet ad primam partem iam explicatam, ita quoque oportet, vt litteræ quæ à campsuario traduntur, vt virtute earum fiat solutio in loco nundinarum, vel simili, ad quem illæ destinantur, verum contineant, nec fictæ sint & inanes. Quam partem, tamquam ad veritatem Cambij maxime necessariam, adeo accurate Sanctissimus Pius V. in sua Extrauaganti commendat, vt propterea hoc loco illam inserendam duxerimus: Ex ea namque colligemus optime, quales debeant esse litteræ Campsoriæ, vt hic contractus verus, sit & realis.

Sic ergo illa habet.

BVLLA

BVLLA SANCTISSIMI PII QVINTI CIRCA CAMBIA.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

IN EAM pro nostro pastorali officio curam diligenter incumbimus: & infra, Primum igitur damnamus ea omnia Cambia, quæ sicca mominantur, & ita confinguntur, vt contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca cambia celebrare simulent: ad quæ loca, ij qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas cambij tradunt, sed non mittuntur, vel ita mittuntur, vt transacto tempore, vnde processerãt inanes referantur: aut etiam nullis huiusmodi litteris traditis, pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, vbi contractus fuerat celebratus: Nam inter dantes & recipientes a principio ita conuenerat, vel certe talis intentio erat, neq; quisquam est, qui in nundinis, aut locis supradictis huiusmodi litteris receptis solutionem faciat. Cui malo simile etiam illud est, cum pecuniæ, siue depositi, siue alio nomine ficti Cambij, tradũtur, vt postea eodem in loco, vel alibi cum lucro restituantur. Sed & in ipsis Cambijs, quæ realia appellantur, interdum (vt ad nos perfertur) campsores præstitutum solutionis terminum, lucro, ex tacita vel expressa conditione recetto, seu etiam tantummodo promisso, differunt. Quæ omnia nos vsuraria esse declaramus, & ne fiant districtius prohibemus. Porro ad tollendas quoq; in cambijs, quantum cum Deo possumus occasiones peccandi, fraudesq; fæneratorum, statuimus, ne deinceps quisquam audeat siue a principio, siue alias certum & determinatum interesse, etiam in casu non solutionis pasci sci, neque realia cambia aliter quam pro primis nundinis, vbi illæ celebrantur, vbi vero non celebrantur pro primis terminis, iuxta receptũ locorum vsum exercere, abusu illo prorsus reiecto, cambia pro secundis nundinis siue terminis exercendi. Curandum autem erit in terminis, vt ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur, ne dum longiores præfiguntur, quam loca destinatæ solutionis desiderant, fænerandi detur occasio. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ M. D. LXvj. Kalend. Februarij Pontif. nostri anno vj.

Controuersia IX.

QVALES OPORTEAT ESSE *litteras Campsorias, vt vere sint & non fictæ.*

EX hac Extrauaganti satis perspicuum est, quales esse oporteat litteras campsorias, vt Cambiũ per illas celebratum verum dici debeat. Non enim aliquid in ea Summus Pontifex de nouo constituit, vel præcipit, sed ea tantum, quæ iure naturali & diuino in hoc contractu sunt necessario obseruanda, vt iuste fiat.

Primum igitur explicat, Cambium hoc nullomodo verum esse & licitum, nisi à Campsuario conficiantur litteræ campsoriæ, mittendę ad locũ vbi pecuniæ in alio prius acceptę, restitutio fiat, & solutio. Esto recipiens illam per scripturam tabellionis, vel proprium chirographum promittat illam fideliter restituere, in eodem loco, vbi accepta est. Solent enim nonnulli cãpsores ita cum mercatore, vel alio quocũque pecunijs indigente ita conuenire, vt pecuniam illi collatam in eodem loco restituat: vel cum illo interesse & lucro, quod recipietur ex Cambio, v.g. celebrato Valẽtiæ in Metinã, quando solutiones Metinæ factę remittentur in Valentiam. Vel quod ipso tempore contractus mutuo vtriusque consensu inter ipsos statuitur, nullas tamẽ confert, qui pecuniam illam recipit, litteras campsorias, sed promisit solum per scripturam, vel chirographum tempore statuto for-

to sortem ipsam cum illo interesse & lucro fideliter restituere.

Hoc est apertissimum mutuum vsurarium, simile, contractui cuius est aliquis vsus in Flandria, vocatur à mercatoribus proprio illorũ idiomate *Dar a Finança*, in quo habens pecunias mutuat illas alteri per 4. vel 5. menses, restituendas sibi ab illo mutuatario in eodem loco, redditis duobus vel tribus pro centum: qui cõtractus patentissima potius vsura dicẽdus est, quam *Finança*: sic vero illum appellarunt vsurarij illi, existimãtes eo nomine distingui ab alio contractu apertissime vsurario, in quo quidam pecuniam suam in exigua quantitate alicui mutuant accepto pignore, recepturi lucrũ aliquod ex illo mutuo: quasi contractus ille prior dictus *a Finança* immunis sit ab vsura, & ab hoc secũdo aperte vsurario diuersus, eo quòd in hoc mutuans existat securus pignore accepto, in illo verò immineat mutuanti periculum, cum in eo nullum accipiat pignus, sed solam mutuatarii promissionem & fidem: cũ iniquitas vsuraria similiter & ex ęquo cõmittatur, vbicunq; recipitur lucrũ ex mutuo, siue mutuans pignus accipiat, siue solam mutuatarij fidem. Simile igitur omnino est à Campsore pecuniam sine litteris Campsorijs aliquo destinatis recipere, restituendam in eodem loco cum interesse veri Cambij eodem tempore celebrati, vel mutuo consensu inter eos constituto data tantum scriptura, vel chirographo.

Scio Campsores aliquos propria cupiditate deceptos huic doctrinę non satis credere, affirmantes hoc genus Cambij, seu mutui potius, quod nunc damnamus, contractum esse iustum: quasi fiat cum maiori vtilitate & commodo vtriusq; contrahentis, quam si litteræ actu & re ipsa in locum nundinarum, vel similem mitterẽtur, ibiq; persoluerentur: quia quando huiusmodi litteræ (inquiunt) non mittuntur, sed ex mutuo pacto inter Campsorem & Campsuarium recipitur pecunia sine vllis litteris, & in eodem loco post aliquod tempus cum aliquo interesse eadem restituitur, Campsuarius liberatur à multis expensis, quas cum Proxenetis, & scripturis, vel Gabellis, alijsq; similibus facere oportet, vt litteræ illius mitantur, & persoluantur: Campsor quoq; recuperationem pecunię quam illi tradit, habet multo securiorem, Sed ratio hæc, quam nimia cupiditas illos docuit, fallax est, & nulla. Quia sicut qui exercet contractum venditionis, ne inique agat, veram debet facere venditionẽ, & celebrare contractũ, in quo essentialia verę venditionis reperiãtur, aliter non est dicendus vendere sed fingere potius, ac simulare venditionem: Ita in Cambio, cum propria & essentialis illius ratio in eo consistat, vt sit commutatio pecunię vnius loci in aliam alterius loci vere & realiter diuersi, quę commutatio nulla ratione realiter ac vere fieri potest, nisi litteris campsorijs realiter ac vere traditis, & in locum solutionis transmissis, ita vt virtute illarum realiter & vere fiat pecuniæ prius acceptę solutio, & commutatio, qui aliter agunt, non sunt dicendi Cambium exercere, sed falso & ficte illud simulare: vbi vero fictum & simulatum est, aliquod lucrũ vel interesse ex illo recipere, apertissima est vsura.

Quod damnat omnino tamquam iniquum, & vsurarium, sicut reuera tale est Pius V. in illis verbis. *Aut etiam nullis huiusmodi litteris traditis, pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, vbi contractus fuerat celebratus: Nam inter dantes & recipientes a principio ita conuenerat, vel certe talis intentio erat, neque quisquam est qui in nundinis aut locis supradictis huiusmodi litteris receptis, solutionem faciat.*

Immediate damnantur in eadem Bulla alij quidam cõtractus iniqui, maxime duo qui in ea exprimuntur. Prior est: Quando fit Cambium in eodem loco, veluti Metinæ in fine nundinarum Februarij ad nundinas Maij eiusdem Metinæ: de quo genere Cambij dicemus inferius agentes de Cãbio ad nundinas intercalatas. Alter est iniqua quædam & lupina societas, in qua Petrus pecuniam suam confert Ioanni, quasi apud illum eam deponens, ea lege, vt possit quidem Ioannes cum ea negotia aliqua vel commercia exercere, sed ita, vt debeat statutis temporibus aliquod lucrum vel interesse ipsi persoluere, manente tamen sorte illa seu capitali saluo semper, & illæso ipsi Petro. Qui contractus seu iniqua societas apud nos & in Hispania raro reperitur, audio tame in aliis Regionibus & Prouincijs illum à nonnullis exerceri.

Hoc genus societatis siue depositi perspicuum est nihil minus habere quam veram depositi rationem, licet à numularijs vsurarijs ficte ac falso depositi nomine appelletur. Primo, quia depositum fit in gratiam & vtilitatem ipsius deponentis. l. 1. ff. Depo-

ff. Depositi. & cap. Bona fides. De deposito; contractus vero iste (de quo modo est sermo) fit in vtilitatem vtriusq; partis, quã uis fiat cum securitate deponentis. Secundo, in contractu depositi non transfertur dominium rei in depositarium, sed manet semper illud penes ipsum deponentem, l. Licet. ff. Depositi. In contractu autem isto (de quo loquimur) transfertur pecunia in dominium recipientis eam, vt cum ea libere posit negotia exercere, & lucrari, tãquam ex propria, ea tantum lege, vt teneatur post aliquod tempus illam restituere cum interesse Cambij. Tertio, si depositũ pereat, aut deterioretur, depositarius communiter non tenetur ad damnum, nisi dolo vel culpa eius fuerit illud subsequutum, vt habetur in illo cap. Bona fides. in Cambio vero vel contractu quem hic reprehendimus, recipiens pecuniam non solum tenetur ad illam omni ex parte persoluendam, si pereat; verumetiam ad interesse similis Cambij eodem tempore inter alios celebrati, vel pro vt ipsi interse conuenerint. Quarto, In contractu depositi exhibetur aliquod premiũ, seu stipendium depositario, pro custodia & labore quem suscipit in re sibi commissa fideliter seruanda. In hoc autem Cambio vel contractu, is cui pecunia committitur, reddit potius aliquod interesse deponenti illam apud se, quã stipendium aliquod ab eo recipiat. Denique in vero deposito deponens rem suam potest, quotiescunq; voluerit, repetere illam, & depositum illud reuocare, l. 1. §. *Si deposuero.* ff Depositi, adeo vt & contra pactum appositum censeat Innocentius in dicto cap. Bona fides. illud quoq; posse: In hoc vero contractu (de quo loquimur) qui pecuniam tradit, non potest illam repetere, nec contractum initum inter ipsos reuocare vsq; ad tempus nundinarum, vel solutionis Cambij, quatenus inter ipsos conuẽtum fuerit. Vnde hoc genus Cambij siue depositi mutuum potius est, siue Cambiũ fictum, & iniquũ, ac vsurarius contractus.

Similiter iudicandũ est de alijs contractibus, qui sub aliis nominibus confictis à Campsoribus in nonnullis locis maxime Italiæ exercentur, veluti: In Contrifirmo, Partito, Trafico, Commodo, Seruitio, Cãbia de Basilea, vel quouis alio nomine seu colore adinuento & excogitato, in quibus similis iniquitas & fraudulentia solet reperiri.

De huiusmodi vero societate iniqua seu deposito dicemus inferius post hunc contractum de Cambiis peculiari disputatione De cõtractu Societatis. Hos igitur & similes contractus, seu iniquitates potius, sanctissime interdicit perpetua recordatione dignus Pius V. in verbis quæ subiungit dicens: *Cui malo simile etiam illud est, cum pecuniæ siue depositi, siue alio nomine fictè Cambij tradantur, vt postea eodem in loco, vel alibi cum lucro restituantur.*

Sed ante hęc damnat in principio sui Diplomatis illa Cambia, in quibus fiunt quidem litteræ campsoriç a recipiente pecuniam, sed fictę omnino & inutiles, propterea quod campsuarius illę nec pecuniã habet, nec creditum, nec est habiturus in loco ad quem illę destinatur, sed in eodem loco in quo fuit tradita illi pecunia, est ab ipso, sicut in vero mutuo, post aliquod tempus restituenda, quod recte intelligens Cãpsor, non curat litteras illas ad locũ aliquẽ mittere, sed apud se donec tempus solutionis aduenіat, retinet. Quo adueniente fingit litteras illas missas quidem fuisse, sed cum redierint vacuæ & insolutæ, esse à misero Campsuario in eodem loco persoluendas.

Damnat etiam Cambium illud, in quo Campsor vt maiori ęquitate & iustitia vti videatur, mittit quidẽ reipsa litteras, v.g. Petri, factas Valentię factori suo Metinensi, admonens illum vt cum nullus existat Metinæ à quo litterę illæ sint persoluendæ, factis quibusdam protestationibus & cęremoniis, quibus iuxta mercatorũ vsum constet à nemine illas recipi vel persolui, ad eas ibi soluendas vel accipiat ibidem pecuniam ab aliquo alio Campsore Metinensi, cuius solutionem remittat faciendã à misero illo Campsuario Valentię, vel ex suis propriis pecuniis fingat illarum solutionem factam Metinę, quam etiam quasi per secundum Cambium (recambiũ vocant) remittat Valentiam. Et hac ratione miser ille Campsuarius Valẽtinus duplex interesse siue pretium compellitur soluere, Alterum primi Cambii celebrati à Valentia in Metinam, ratione prioris pecuniæ quam accepit Valentię, Alterum vero secundi Cambii, seu recambii celebrati à Metina in Valentiã, ratione pecunię quę fingitur accepta Metinę in eius gratiam, *y a su cuenta* ad soluendas litteras campsorias, quas dederat in priori Cambio facto Valentię, & soluendas Metinę.

Vtroq; genere Cambii solent multi Nobiles,

biles, & Magnates ad suũ faustum, & sumptus, seu ludos accipere pecuniam ab iniquis campsuariis, seu potius vsurariis, quibus per varia tempora dilatis, seu à nundinis in nundinas euntibus & redeuntibus, tot, & tam magna debita sępe contrahunt, vt ditissimę illorum domus, illis nihil tale cogitantibus, consummantur. Cui malo Principes si occurrerent, rem certe Deo gratissimam, & suo munere dignam præstarent.

Vtrumq; hoc genus Cambij tamquam fictum, & aperte iniquum damnat Pius V. in illis verbis: *Primum igitur damnamus ea omnia Cambia quæ sicca nominantur, & ita confinguntur, vt contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca Cambia celebrare simulẽt; ad quæ loca, ij qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas Cambij tradunt, sed non mittuntur, vel ita mittuntur, vt transacto tempore vnde processerant inanes referantur.*

Vbi ęquissimum agit Sanctissimus ille Pater iudicem, & Pontificem. Nam quod ad Cambium illud, in quo dantur quidem litteræ sed non mittuntur, spectat, res est apertissima Cambium esse omnino fictum, sicut, & litteræ quæ in eo dantur, fictæ omnino sunt: Finguntur enim mittendæ, cum non mittantur, fingunt etiam correspondsalem Campsuarij, cum nullum in tali loco habeat: vnde non est Cambium sed mutuum, cum in eodem omnino loco, in quo pecunia illa accepta est, sit restituenda, sine vlla cõmutatione alicuius pecuniæ in alio loco recipiendæ; & eo ipso vsurarium, cum vi talis mutui lucrum aliquod inde reportetur.

Alterum vero figmentum, eorum scilicet, qui litteras quidem mittunt, scientes tamen Campsuarium à quo datæ sunt, in loco ad quem destinantur, nec pecuniam habere, nec creditum, nec correspondsalem, admonent factorem suum, cui illas per tabellionem tradunt, vt factis illis protestationibus seu figmentis, quibus appareat à nemine persolui, remittant eas in locũ vnde fuerant egressæ cũ alio interesse, & pretio, quasi secundi cambij, vel recambij ad illarum solutionẽ, vbi prius datę fuerãt, accepti. Hoc figmẽtũ duplici iniquitate laborat. Nã imprimis Cambiũ illud prius celebratũ, v. g. Valẽtiæ est omnino fictũ. Quia in cambio vero reperitur vera, & realis cõmutatio pecunię quę accipitur in vno loco, cũ alia diuersa, quæ realiter, & vere restituitur in alio diuerso & distanti, in hoc autem Cambio non reperitur talis commutatio, sed fingitur, cum miser Campsuarius nullam habeat ibi pecuniam, nec propriã, nec alienam per creditum, vel fidem amici, ex qua fiat solutio, & in quã prior illa quã accepit, commutetur: quod constituimus campsorem ipsum non latere, cum ipsemet admoneat suum factorem litteras illas à nullo fore recipiendas, vel per soluendas, sed factis illis protestationibus, & figmentis esse remittendas eo, vnde processerant. Secunda vero, & multo grauior iniustitia & iniquitas est, quam exercent, dum adsoluendas litteras quas vterque, & cãpsor, & factor illius norunt esse fictas, vel accipiũt pecunias ab alio Cãpsore vbi fuerunt trãsmissę, vel ex propria pecunia campsoris sine miseri Campsuarij consensu, & voluntate secundum Cambium, seu recambium confingant, vt ea ratione duplex lucrum & interesse (sicut diximus) soluere compellatur. Quamuis enim non omne recambiũ (vt inferius dicemus) interdictum sit, hoc tamen genus recambij iniquum esse omnino, & iniustum, perspicuum est, cum miser Campsuarius vnicum tantum primi Cambij interesse susceperit persoluendum, non duplex. Quo fit vt Campsor, qui litteras huiusmodi, quas nouit fictas esse, & vacuas, mittit in locum in quem destinantur, vt maiori ęquitate vti videatur, iniquius multo profecto agat, quã ille qui apud se illas retinet, donec adueniat tempus solutionis: Hic enim licet apertam exerceat vsuram, minus tamen damnũ Campsuario infert, cum vnum tantum lucrũ & interesse vnius simplicis Cambij ab illo exigat, & recipiat, alter verò duplex interesse, & lucrum iniquum. Sed de hac iniquitate huiusmodi recambij rursum inferius agemus, explicantes secundam conditionem quę in Cambio huius tertiæ speciei exigitur, vt iustum sit.

Ex his sequitur oportere plurimum, quod iam superius admonuimus, certum esse campsori, vel saltim maxime probabile, campsuarium cui suam pecuniam traditurus est, habere in loco vbi illius solutio facienda est, vel saltim habiturum in termino solutionis pecuniam, siue fidem amici, & creditum: Tum, quia si oppositum sciat, vel suspicetur prudenter, non erit vera, & realis commutatio pecuniæ præsentis cum alia vere & realiter absenti, nec erunt veræ litteræ campsoriæ, quæ ab illo dantur, sed fictę, & ex consequenti Cambium simu-

simulatum & fictũ. Vide quæ ibi diximus Controu.7.huius artic. in tertio consectario.eorum, quę ibi constituimus.

Quę huc vsq; diximus de litteris fictis, satis perspicua sunt, & in quibus omnes cõ ueniunt, maxime cum à Sanctissimo Pio V.adeo aperta, & definita sint, illiusq; authoritate cõmunita. Res est difficilior, quã do Campsuarius ipse aperte confitetur se in loco nundinarum vel simili, in quo debet fieri pecuniæ quam à Campsore quęrit solutio, nec pecuniam habere, nec creditum, uel fidem amici, qua ratione debeat se gerere. Potest enim sicut vsus ipse rerum & cambientium consuetudo ostendit, bifariã in eo casu sese habere: Quandoq; enim quęrit mercatorem amicum, habentem in eo loco pecuniam vel creditũ, cuius subscri ptione litterę ipsius vtiles sint & efficaces: Quandoq; vero idem Campsor, qui pecuniam suam est illi traditurus, offert illi suũ proprium factorem, & correspon salem, à quo illę vere quoq; & realiter persoluantur. De vtroque genere litterarum nunc seorsum dicamus oportet. Et imprimis.

Controuersia X.

AN CAMBIVM QVOD FIT *per litteras, cũ subscriptione mercatoris habentis pecuniam, vel creditũ in loco solutioni illius destinato, sit licitum?*

(?)

IN hoc genere Cambij vsus Cãpsorum ita habet. Vt si nobilis, vel quiuis alius nullam habens v. g. Metinæ pecuniam, vel creditum, quęrat illam Valentię à Campsore, Campsor intelligens litteras huiusmodi nobilis, solo nomine ipsius datas inutiles esse & fictas, postulat ab illo, quęrat amicũ habentem ibi pecuniam, vel creditum, cuius subscriptione litterę illę communitæ vtiles sint, & efficaces, & quibus oblatis solutio illius Cambij realiter & verè in eo loco efficiatur. Inuento autem à viro illo nobili mercatore, vel amico cuius subscriptione litterę ipsius vtiles sint & efficaces, efficit quidẽ nobilis iste, vt moris est in omni cãbio, triplices litteras Cãpsorias, Primas, Secundas, & Terties: sed hoc pacto, vt in vltimis tantũ siue tertijs subscriptio mercatoris qui pecuniã habet vel creditũ, vbi illius Cãbij solutio facienda est, apponatur: Quibus litteris ita confectis, & Campsori à quo pecunia illa confertur, v. g. Valẽtiæ traditis, mittit Campsor primas & secundas factori suo Metinæ existenti, vt adueniente solutionis termino offerat illas factori mercatoris qui subscripsit, recipiatq; ab eo illius Cambij solutionem, quia is qui subscripsit, per epistolam admonet factorẽ siue socium suum, vt cum primum litteræ illæ sibi oblatæ fuerint, faciat illarum solu tionem: Rettinet autem Campsor Valentię apud se tertias illas, quibus subscriptio fuit apposita, vt casu quo litteræ Metinam missæ, à factore eius, qui illis subscripsit, ibi non soluerentur, valeat in eum debitũ illud retorquere priuatim vel apud iudicẽ, ostensa illius subscriptione. Nam cũ Cãpsor in fide & vi illius subscriptionis pecuniam suam illi nobili contulerit, quam aliter nullo modo illi contulisset, non tã cum illo nobili, quam cum mercatore illo qui subscripsit, censetur contractum exercuisse, suamq; pecuniam illi credidisse Metinæ commutandam, non viro nobili, quem satis nouerat in eo loco nullam pecuniã vel creditum habere. Hac ergo ratione litteræ illæ, quamuis à nobili scribantur & tradãtur Campsori, Campsor tamen non recipit illas reuera, nisi velut litteras mercatoris qui subscripsit, cũ nomine eius vtiles sint, vimq; habeant ad recipiendam solutionẽ, ita vt si acciderit illam non fieri, in ipsum Campsor Valentię agat, nec in nobilem illum. Quęres cur ergo scripsit litteras illas nomine suo nobilis ille? cum mercator ille qui subscripsit, efficiat illas Metinæ persolui, & in eum illis non solutis Campsor Valentinus sit acturus? Fit illud consultò, ne Mercator hic iudicetur pecuniam illam quasi egẽs in proprios vsus recipere, quod fidei & credito, quo plurimum apud cęteros indiget, grauiter noceret: Huic ergo damno & periculo vt occurrant, habent de more, vt litterę ab eo cui pecunia necessaria est, & in cuius vsum accipitur, scribantur & tradantur, quamuis Campsor soli mercatoris subscriptioni confidat, & per illam, is cui pecunia traditur, censeatur habere Metinæ creditum, quod suo tantum nomine non habebat.

Præterea cũ mercator iste, qui ita subscribit, exponat se ipsum imprimis soluendæ pecunię illi nobili traditæ, siue soluatur Metinæ ab ipsius factore, siue nõ: quia factore ipsius nõ soluente Metinę cõpelletur ipse soluere Valentiæ, cum illi reipsa Cã-

psor

biles, & Magnates ad suũ faustum, & sumptus, seu ludos accipere pecuniam ab iniquiscampsuariis, seu potius vsurariis, quibus per varia tempora dilatis, seu à nundinis in nundinas euntibus & redeuntibus, tot, & tam magna debita sępe contrahunt, vt ditissimę illorum domus, illis nihil tale cogitantibus, consummantur. Cui malo Principes si occurrerent, rem certe Deo gratissimam, & suo munere dignam præstarent.

Vtrumq; hoc genus Cambij tamquam fictum, & aperte iniquum damnat Pius V. in illis verbis: *Primum igitur damnamus ea omnia Cambia quæ sicca nominantur, & ita confinguntur, vt contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca Cambia celebrare simulẽt, ad quæ loca, ij qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas Cambij tradunt, sed non mittuntur, vel ita mittuntur, vt transacto tempore vnde processerant inanes referantur.*

Vbi ęquissimum agit Sanctissimus ille Pater iudicem, & Pontificem. Nam quod ad Cambium illud, in quo dantur quidem litteræ sed non mittuntur, spectat, res est apertissima Cambium esse omnino fictum, sicut, & litteræ quæ in eo dantur, fictæ omnino sunt: Finguntur enim mittendæ, cum non mittantur, fingunt etiam corresponsalem Campsuarij, cum nullum in tali loco habeat: vnde non est Cambium sed mutuum, cum in eodem omnino loco, in quo pecunia illa accepta est, sit restituenda, sine vlla cõmutatione alicuius pecuniæ in alio loco recipiendæ; & eo ipso vsurarium, cum vi talis mutui lucrum aliquod inde reportetur.

Alterum vero figmentum, eorum scilicet, qui litteras quidem mittunt, scientes tamen Campsuarium à quo datæ sunt, in loco ad quem destinantur, nec pecuniam habere, nec creditum, nec corresponsalem, admonent factorem suum, cui illas per tabellionem tradunt, vt factis illis protestationibus seu figmentis, quibus appareat à nemine persolui, remittant eas in locũ vnde fuerant egressæ cũ alio interesse, & pretio, quasi secundi cambij, vel recambij ad illarum solutionẽ, vbi prius datę fuerãt, accepti. Hoc figmẽtũ duplici iniquitate laborat. Nã imprimis Cambiũ illud prius celebratũ, v. g. Valẽtiæ est omnino fictũ, Quia in cambio vero reperitur vera, & realis cõmutatio pecunię quę accipitur in vno loco, cũ alia diuersa, quæ realiter, & vere restituitur in alio diuerso & distanti, in hoc autem Cambio non reperitur talis commutatio, sed fingitur, cum miser Campsuarius nullam habeat ibi pecuniam, nec propriã, nec alienam per creditum, vel fidem amici, ex qua fiat solutio, & in quã prior illa quã accepit, commutetur: quod constituimus campsorem ipsum non latere, cum ipsemet admoneat suum factorem litteras illas à nullo fore recipiendas, vel per soluendas, sed factis illis protestationibus, & figmentis esse remittendas eo, vnde processerant. Secunda vero, & multo grauior iniustitia & iniquitas est, quam exercent, dum ad soluendas litteras quas vterque, & cãpsor, & factor illius norunt esse fictas, vel accipiũt pecunias ab alio Cãpsore vbi fuerunt trãsmissę, vel ex propria pecunia campsoris sine miseri Campsuarij consensu, & voluntate secundum Cambium, seu recambium confingant, vt ea ratione duplex lucrum & interesse (sicut diximus) soluere compellatur. Quamuis enim non omnę recambiũ (vt inferius dicemus) interdictum sit, hoc tamen genus recambij iniquum esse omnino, & iniustum, perspicuum est, cum miser Campsuarius vnicum tantum primi Cambij interesse susceperit persoluendum, non duplex. Quo fit vt Campsor, qui litteras huiusmodi, quas nouit fictas esse, & vacuas, mittit in locum in quem destinantur, vt maiori ęquitate vti videatur, iniquius multo profecto agat, quã ille qui apud se illas retinet, donec adueniat tempus solutionis: Hic enim licet apertam exerceat vsuram, minus tamen damnũ Campsuario infert, cum vnum tantum lucrũ & interesse vnius simplicis Cambij ab illo exigat, & recipiat, alter verò duplex interesse, & lucrum iniquum. Sed de hac iniquitate huiusmodi recambij rursum inferius agemus, explicantes secundam conditionem quę in Cambio huius tertiæ speciei exigitur, vt iustum sit.

Ex his sequitur oportere plurimum, quod iam superius admonuimus, certum esse campsori, vel saltim maxime probabile, campsuarium cui suam pecuniam traditurus est, habere in loco vbi illius solutio facienda est, vel saltim habiturum in termino solutionis pecuniam, siue fidem amici, & creditum: Tum, quia si oppositum sciat, vel suspicetur prudenter, non erit vera, & realis commutatio pecuniæ præsentis cum alia vere & realiter absenti, nec erunt veræ litteræ campsoriæ, quæ ab illo dantur, sed fictę, & ex consequenti Cambium simu-

simulatum & fictū. Vide quæ ibi diximus Controu.7.huius artic. in tertio consectario eorum, quę ibi constituimus.

Quę huc vsq; diximus de litteris fictis, satis perspicua sunt, & in quibus omnes cō ueniunt, maxime cum à Sanctissimo Pio V.adeo aperta, & definita sint, illiusq; authoritate cōmunita. Res est difficilior, quā do Campsuarius ipse aperte confitetur se in loco nundinarum vel simili, in quo debet fieri pecuniæ quam à Campsore quęrit solutio, nec pecuniam habere, nec creditum, uel fidem amici, qua ratione debeat se gerere. Potest enim sicut vsus ipse rerum & cambientium consuetudo ostendit, bifariā in eo casu sese habere: Quandoq; enim quęrit mercatorem amicum, habentem in eo loco pecuniam vel creditū, cuius subscriptione litterę ipsius vtiles sint & efficaces: Quandoq; vero idem Campsor, qui pecuniam suam est illi traditurus, offert illi suū proprium factorem, & correspondalem, à quo ille vere quoq; & realiter persoluantur. De vtroque genere litterarum nunc seorsum dicamus oportet. Et imprimis.

Controuersia X.

AN CAMBIVM QVOD FIT *per litteras, cū subscriptione mercatoris habentis pecuniam, vel creditū in loco solutioni illius destinato, sit licitum?*

(?)

IN hoc genere Cambij vsus Cāpsorum ita habet. Vt si nobilis, vel quiuis alius nullam habens v. g. Metinæ pecuniam, vel creditum, quęrat illam Valentię à Campsore, Campsor intelligens litteras huiusmodi nobilis, solo nomine ipsius datas inutiles esse & fictas, postulat ab illo, quęrat amicū habentem ibi pecuniam, vel creditum, cuius subscriptione litterę illę communitæ vtiles sint, & efficaces, & quibus oblatis solutio illius Cambij realiter & verè in eo loco efficiatur. Inuento autem à viro illo nobili mercatore, vel amico cuius subscriptione litterę ipsius vtiles sint & efficaces, efficit quidē nobilis iste, vt moris est in omni cābio, triplices litteras Cāpsorias, Primas, Secundas, & Terties: sed hoc pacto, vt in vltimis tantū siue tertijs subscriptio mercatoris qui pecuniā habet vel creditū, vbi illius Cābij solutio facienda est, apponatur: Quibus litteris ita confectis, & Campsori à quo pecunia illa confertur, v. g. Valētiæ traditis, mittit Campsor primas & secundas factori suo Metinæ existenti, vt adueniente solutionis termino offerat illas factori mercatoris qui subscripsit, recipiatq; ab eo illius Cambij solutionem, quia is qui subscripsit, per epistolam admonet factorē siue socium suum, vt cum primum litteræ illæ sibi oblatæ fuerint, faciat illarum solutionem: Rettinet autem Campsor Valentię apud se tertias illas, quibus subscriptio fuit apposita, vt casu quo litteræ Metinam missæ, à factore eius, qui illis subscripsit, ibi non soluerentur, valeat in eum debitū illud retorquere priuatim vel apud iudicē, ostensa illius subscriptione. Nam cū Cāpsor in fide & vi illius subscriptionis pecuniam suam illi nobili contulerit, quam aliter nullo modo illi contulisset, non tā cum illo nobili, quam cum mercatore illo qui subscripsit, censetur contractum exercuisse, suamq; pecuniam illi credidisse Metinæ commutandam, non viro nobili, quem satis nouerat in eo loco nullam pecuniā vel creditum habere. Hac ergo ratione litteræ illæ, quamuis à nobili scribantur & tradātur Campsori, Campsor tamen non recipit illas reuera, nisi velut litteras mercatoris qui subscripsit, cū nomine eius vtiles sint, vimq; habeant ad recipiendam solutionē, ita vt si acciderit illam non fieri, in ipsum Campsor Valentię agat, nec in nobilem illum. Quęres cur ergo scripsit litteras illas nomine suo nobilis ille? cum mercator ille qui subscripsit, efficiat illas Metinæ persolui, & in eum illis non solutis Campsor Valentinus sit acturus? Fit illud consultò, ne Mercator hic iudicetur pecuniam illam quasi egēs in proprios vsus recipere, quod fidei & credito, quo plurimum apud cęteros indiget, grauiter noceret: Huic ergo damno & periculo vt occurrant, habent de more, vt litterę ab eo cui pecunia necessaria est, & in cuius vsum accipitur, scribantur & tradantur, quamuis Campsor soli mercatoris subscriptioni confidat, & per illam, is cui pecunia traditur, censeatur habere Metinæ creditum, quod suo tantum nomine non habebat.

Præterea cū mercator iste, qui ita subscribit, exponat se ipsum imprimis soluendæ pecunię illi nobili traditæ, siue soluatur Metinæ ab ipsius factore, siue nō: quia factore ipsius nō soluente Metinę cōpelletur ipse soluere Valentiæ, cum illi reipsa Cāpsor

sor suam pecuniā crediderit, ratione huius periculi & damni quod potest recipere, si nobili illo moriente, vel recedente, aut infideliter se gerente, non recuperaret pecuniā quā pro illo persoluit. Solent quandoque qui ita subscribunt, pignora, vel fideiussores, vel aliquam aliam securitatem ab illo nobili exigere, ac recipere. Quin etiā, quoniam mercator qui v.g. Toleti, vel Madriti subscribit, eo ipso quo facit vt pecunia à viro nobili accepta à suo factore Metinæ persoluatur, manet obligatus ad simile obsequium suo correspondali præstandum, nimirum ad soluendas quoq; similiter litteras, quas correspondalis eius sua subscriptione è Metina in Toletum, vel Madritū ad ipsum remittet: ratione huius obsequij, quod mercator iste pręstat illi nobilli, efficiens pecuniam ab illo acceptam solui Metinæ à suo correspondali, & ratione quoq; obligationis illius quam sibi imponit, ac in se suscipit, soluendi similiter litteras à suo correspondali Metinæ subscriptas, & ad ipsum in Toletum vel Madritum destinatas, solent inquam, qui ita subscribūt, exigere ab illo nobili cui huiusmodi officium præstāt, præter pignora vel securitatē, aliquod interesse vel stipendium, nimirum vnum vel duo vt dicunt pro 100. Quod Valentiæ à nemine intelligo fieri, sed comiter & amice tantum, ac sine vllo interesse mercatores in alijs locis pecuniam vel creditum habētes litteras campsorias aliquorum subscribere: audio tamen Madriti, & in nonnullis aliis locis tam in Hispania, quā extra Hispaniam illud fieri.

Hic ergo est vsus siue praxis subscribēdi litteras cāpsorias (quas vocant *Sotascritas*) eorum, qui nec pecunias nec creditum habent in loco aliquo, ratione cuius possent cum illis solis Cambia exerceri.

Circa quem vsum dico imprimis.

Si Cāpsuario non habēte per se ipsum pecuniā vel creditum, occurrat mercato, cuius subscriptione illud habeat, ita vt certum sit Cāpsori vel saltim prudenter ac probabiliter verisimile, factorem eius qui subscribit litteras illius Campsuarij soluturum, Cambium esse verum, & reale; neq; hoc genus cambiendi vlla ratione esse damnandum.

Patet, Ad verum Cambium illud tātum exigitur, vt sit realis ac vera commutatio pecuniæ accepte in vno loco, cum alia restituenda in alio diuerso ac distanti, sed datis à cāpsuario litteris subscriptis a mercatore, vel quocunq; alio habēte pecuniam, vel creditum & fidem amici, in loco vbi facienda est solutio, realiter & vere commutatur pecunia vnius loci cū pecunia alterius diuersi & distantis, est igitur verum & reale cambium. Et confirmatur: Si Campsor hic, pecuniam quam confert illi nobili litteris subscriptis a mercatore habēte creditum in loco solutionis, conferret immediate ipsi mercatori acceptis litteris ab illo, esset verum cambium, & honestum, ac licitum: at quantum spectat ad animum campsoris in hoc contractu, & propriam rationem illius, perinde se habet campsor conferens pecuniam suam viro nobili, cambiēdam per litteras à mercatore illo subscriptas, ac si re ipsa conferret illam eidem mercatori, acceptis litteris campsorijs ab ipso, cum pecunia illi persoluenda sit & commutanda in loco solutionis Cambij ex pecunia, vel saltim à factore & socio illius mercatoris qui subscripsit, non minus si Cambium illud esset proprium eius qui subscripsit, & ab illo acceptum: Est ergo verum ac licitum.

Dico secundo. *Si litteræ sic subscriptæ aliqua ratione fictæ sint, ita vt campsor pecuniam collaturus intelligat, vel suspicetur mercatorem illum, qui subscribit, non habere ibi creditum, vel excidisse ab illo, litterasq; & epistolam illius eo missas inanes & vacuas reddituras, cambium est fictum, nō minus ac si cum ipsomet viro nobili nullam pecuniam vel creditum ibi habente fuisset illud celebratum.*

Res est perspicua: Quia litteras campsorias, à quocunq; & quacunque ratione tradantur, siue simpliciter & solo nomine Cāpsuarij, siue subscripte ab aliquo mercatore, oportet vtiles esse & efficaces, ita vt per illas vere fiat solutio Cambij in loco illi designato.

Dico tertio. *Mercatorem subscribentem litteras viri nobilis, vel cuiusuis alterius, vt illarū virtute socius & factor ipsius illas persoluat in loco designato, tuta cōscientia & prudenter recipere pignora, & securitatem, ab eo cuius litteras subscribit.*

Res est etiā aperta: Quia sicut iure naturę nullus tenetur suo damno vel periculo alteri prodesse, ita quoq; licet eodem iure vnicuiq; se ipsum seruare indemnem, & securum a periculo, cui se ipsum in alterius vtilitatem & commodum exponit: In hoc autem casu mercator exigens pignus vel securitatem a campsuario cuius litteras subscribit, nihil aliud nititur, quam se ipsum seruare indemnē a periculo, & damno, cui in illius

in illis campsuarii vtilitatem se ipsum exposuit. Et confirmatur: Quia licet fideiussori querere securitatem, ab eo pro quo suam fidem iussit: mercator autem subscribens litteras Campsuarij, de quo hic agimus, exercet officium fideiussoris pro illo.

Dico vltimo: *Nobilius quidem agere mercatores nostros Valentinos, qui amice, & comiter, ac sine vllo interesse litteras aliquorum subscribunt: Nihilominus non agere iniuste, vel turpiter eos, qui aliquod interesse (modo illud moderatissimum sit) exigunt, & recipiunt a campsuarijs, quorum litteras subscribunt.*

Ratio est, Quia omne obsequium, omnisq; obligatio ciuilis est aliquo pretio æstimabilis, mercator verò qui sua subscriptione efficitur, vt litteræ cãpsuarij nullam habentis pecuniam, vel creditum in loco solutionis cambij, à suo factore & correspõsali persoluãtur, prestat illi obsequiũ & officium vtile ac temporale: quin etiã suscipit in se similem obligationem ciuilem, soluendi scilicet litteras quas correspon salis eius subscripserit, & ad eum destinauerit, sicut & corresponsalis ipsius litteras ab eo subscriptas illiq; remissas persoluit: potest ergo pro illo obsequio adeo vtili & tẽporali, ac pro huiusmodi obligatione ciuili quam sibi imponit, aliquod interesse ab illo recipere, tamquam in pretium & stipendium sibi iuste debitum.

Obseruandum tamen hic est, mercatore recipiente à campsuario pretium aliquod, vel stipendium ratione obsequij, quod illi prestat subscribẽs litteras cãpsorias illius, non debere Campsuariũ reddere aliquod aliud pretium vel stipendium factori mercatoris, cui illius Cambij solutio committitur: quia vterq;, tam mercator litteras illas subscribens, quam factor eiusdem mercatoris Cambium illud persoluens, vnum tantum præstant Campsuario officium, & obsequium, hoc scilicet, vt habeat cãpsuarius ibi creditum, quo realiter & vere fiat illius Cambij in eo loco solutio, pro vnico vero & eodem officio, quod vterq; simul præstat, non debetur illis nisi vnicũ tãtum pretium, & stipendium: quod poterunt quidem inter se diuidere, cum ad illud officium ambo concurrant, minime verò duplex stipendium recipere.

Offert se modo dubitatio, omnium quæ in tota hac disputatione de Cambiis sese possunt offerre difficilima. Ea est.

An ipsemet Campsor, qui pecuniã confert v. g. Valentiæ, posßit aßignare suummet factorem, & corresponsalem Metinæ, tamquam in factorem Campsuarij, a quo simul fiant Metinæ, & solutio cambij, & receptio illius solutionis, & eiusdem in Valentiam remißio?

HVMANA industria seu potius cupiditas tot excogitauit in hoc genere contractus lucrandi artes, vt superent profecto illæ cuiusuis ingenij, dum ad explicandas controuersias, in quas modo incidimus, accesserit, aciem & acumen. Quo circa implorandum maxime hoc loco est diuinum lumẽ, quo illustrati per hos amfractus, intricabilemq; labyrintũ certam veritatis viã, neq; ad dexteram, neq; ad sinistram declites, tenere valeamus.

Accidit sepe: & satis frequenter, vt cũ Campsuarius nullam habẽs pecuniam, vel creditum in loco nundinarum, vel alio simili, solutioni Cambij quod querit, destinato, nec mercatorẽ amicũ qui illius litteras subscribat, indigeat vero omnino pecunia, quam à Campsore querit, & postulat, Campsorem ipsum offerre illi factorẽ, seu corresponsalem, à quo illius Cambij solutio in eo loco efficiatur. Fit autem huiusmodi contractus duobus modis: Vel ita, vt factor ille seu responsalis, à quo solutio illius cãbij faciẽda est, ex suis pecunijs illam prestet, non ex pecunijs Campsoris, vel eius à quo illæ datę fuerunt: Vel ita, (circa quẽ modum cambiendi potissima difficultas existit) vt assignet tradatq; Campsor suũmet factorem, & corresponsalem effecturũ solutionem illius Cambij ex pecunijs eiusdem Campsoris, vel eius qui illas dedit remittendam rursum ad eundem Campsorem.

Vtrumq; modum exemplis apositis explicemus, & quid de illis sensiendum sit seorsum videamus.

Fit ergo priori modo Cambiũ (de quo agimus) hac ratione. Postulat valentię Petrus Campsuarius 100. aureos à Ioanne Campsore, Videns autem Ioannes Petrum nullam habere pecuniam vel creditum in loco aliquo, vbi aurei illi sibi restitui possint commutati per verum Cambium, neq; habere Valẽtię Mercatorẽ qui litteras eius subscri-

subscribat, vt faueat Petro pecunia illa indigēti, vel vt suis potius consulat lucris, conuenit ita cum illo: Cābium quod à me postulas verum & reale esse no potest, nisi existat v.g. Metinę, qui illud actu ibi per soluat, quod tibi impossibile omnino est, cum nullam ibi habeas pecuniā, vel creditum, neque amicum, qui per suam epistolā faciat illud Metinæ persolui: cęterum, vt habeas hic pecuniam qua indiges, præstabo ego in tuam gratiam, quod præstitisset alius mercator tibi amicus, scribam enim ad Andream amicum & correspondalem meum, vt ex sua pecunia vel alterius persoluat ibi, quam hic tibi confero, vt hac ratione & illo pro te soluente hoc Cambiū reale sit, & verum. Hic est prior modus Cambij, in quo idem Campsor qui tradit pecuniam Valentiæ, confert Campsuario factorē, à quo vere & realiter pecunia illa reddatur commutata & cambita Metinę. Solent autem quandoq; huiusmodi Campsores in hoc contractu exigere quoq; interesse aliquod, vt vnum vel duo pro 100. ratione huius obsequij, & officij quod prę stant Campsuario, conferentes illi factorē in loco vbi faciēda est solutio. Circa hunc igitur priorem modum exhibendi Campsuario factorem dubitari solet.

Controuersia XI.

LICEAT NE CAMPSOREM *ipsum exhibere Campsuario factorem, qui non ex pecunijs eiusdem Campsoris, sed ex suis vel alterius soluat pecuniam per Cambium acceptam?*

MERCATVS in suo opere de contractibus lib. 4. c. 7. & nonnulli illum sequuti damnant vtrumq;, & modum istum cambiendi, & interesse quod in eo exigitur, & recipitur propter huiusmodi officium, conferendi scilicet Campsuario factorem quē non habebat, à quo pecunia illi tradita Valentiæ soluatur commutata Metinæ.

Prius illud, nempe quod ab ipsomet Campsore exhibeatur Campsuario factor cambium illud pro eo soluturus, non licere, docent, Quia ad verum Cambium exigitur, vt Campsuarius habeat in loco vbi est facienda solutio pecuniam, vel creditū, quod sit vere creditum ipsius Campsuarij, in hoc autem casu campsuarius nullum habet creditum, quod sit vere ipsius, sed credītum illud eiusdē campsoris est, qui prius dedit pecuniam: factor namq; ille Metinæ designatus per epistolam Campsoris non soluit in fide Campsuarij, cuius forsan nec nomen agnoscit, sed in fide eiusdem Campsoris, & illius personam repræsentans. Quis autem non videat figmentū esse, vt idem qui tradit pecuniam Valentiæ, sibi ipsi persoluat Metinę, vel fidem faciat pecunię sibi ipsi debitę Metinę?

Et Confirmatur. Quando litterę subscribuntur ab alio mercatore, persona reuera diuersa à Campsore, sunt litteræ illæ verę, ac nullo modo fictę, quia Mercator illæ subscribens est velut accipiens pecuniam illam, cum illius fidei & subscriptioni cāpsor crediderit: Quod profecto nullam habet fictionem vel iniquitatem, quia alius est reuera pecuniæ illius creditor, & alius fideiussor: At quando campsor ipse assignat factorem, à quo pecunia ab ipso tradita persoluatur, quā certe factor eius nullo modo persolueret, nisi in fide ipsius, idem est illius creditor ac fideiussor, quod est apertum figmentum, cum hæc duo officia creditoris & fideiussoris exigant necessario duo supposita, vel personas reipsa diuersas, & distinctas.

Secundo, quemadmodum dum pecunia traditur Valentię, existunt, exercentque illum cōtractum duę personę reuera diuersæ, nimirum Campsor illam conferens, & Campsuarius illam recipiens, ita quando soluitur illa commutata Metinæ, debent etiā ibi reperiri duę personæ realiter diuersę, & distinctæ, creditor scilicet recipiens quod sibi debetur, & debitor illud persoluens: at quando Campsor offert Campsuario suummet factorem soluturum, non reperiūtur reuera duæ personę reipsa distinctę, sed vna quę fingitur duas referre. Idē namque factor refert in hoc casu personam campsoris recipientis Metinę solutionem litterarum, & personam Campsuarij soluē tis illas, cū loco illius eas persoluat: quod certe est maximum figmentum.

Posterius, nimirum ratione istius obsequij, & officij recipere aliquod interesse ostendit Mercatus esse omnino iniquum: Quia est velut augere pretium Cambij, ita vt si à Valentia in Metinam pretium commune fori sit v. g. 5. pro 100. sub titulo istius officij, exhibendi nimirum factorem soluturum Metinę, recipiantur. 7. pro 100. quod est pretium iniustum.

Alijs

Alijs tamen recentioribus, & viris quidem prudentibus & peritis, quibus subscribendum censeo, placet non reddi Cambium iniquum, propterea quod ipsemet Cāpsor assignet tradatque campsuario factorē, qui Cambium in loco illi perfixo persoluat. Quod ita ostendunt: Ad Cambium reale & verum illud tātum exigitur, vt pecunia in vno loco accepta actu & reipsa persoluatur in alio diuerso & distanti, hoc autem vere ac reipsa præstat factor Campsoris, ergo huiusmodi cambum verum est & reale.

Dices prestat quidem illud, sed in fide & persona eiusdem Campsoris. Dico, Hoc non tollere, nec prohibere, quin Cambium illud sit reale & verum. Probo, Sicut ad veram emptionem & venditionem exigūtur duo contrahentes, venditor qui conferat mercem, & emptor qui reddat pretium, ita in Cambio duo commutantes & cābientes suas pecunias in diuersis locis: sed non desinit emptio aliqua esse vera emptio, eo quod Ioannes venditor conferat Petro emptori non habenti pecunias amicum, qui loco eius conferat pretiū ab ipsomet Ioanne recipiendum, ergo pari ratione quando pecunia accepta Valētiæ, actu & reipsa restituitur commutata Metinæ, quod Campsor ipse, qui valentiæ illam contulit, tradat Campsuario factorem, à quo illa soluatur, nō tollit, quin sit vera ac realis commutatio, cum realiter & vere sit facienda solutio illius in alio loco: in quo potissimē consistit propria vis & ratio Cambij realis & veri, nempe vt quę pecunia in vno loco recipitur, in alio diuerso commutata restituatur, a quocunque illa restituatur.

Quod vero solent Campsores in hoc casu exigere preter commune pretium Cābij, tamquam in stipendium & pretium illius officij, quod pręstant Campsuario, exhibentes illi factorem soluturum litteras in loco designato, veluti duo pro centum, dicunt *Por la factoria*, si responsali Campsoris, qui designatur soluturus Cābium illud, non sit Campsuarius aliud pretium seorsum collaturus, non dubito pro illo officio & *Factoria* posse iuste recipi, quia officiū istud quod illi cāpsor pręstat, pretio æstimabile est, & eo dignum. Quia si ab alio tertio mercatore subscribente litteras eiusdem Campsuarij illud præstaretur, esset pretio ęstimabile, quod ab ipso Campsore pręstetur, non tollit quin pretio quoque æstimabile sit: quidquid enim secundum se & ex natura rei meretur pretium aliquod, siue ab hoc siue ab alio efficiatur, tali pretio dignum est. Et confirmatur, Si quis egeret operario aliquo in vinea sua, illum verò meis sumptibus & expensis ego illi offerrem, quis dubitat, posse me à domino illius vineæ iuste recipere eandē mercedē, & stipendium, quod illi operario deberetur? cum meis sumptibus ille laboret. Pari ergo ratione, cum factor ille qui Cambium soluturus est in loco solutioni designato, meis vt ita dicam sumptibus, & expensis officium illud prætet, quod non pręstaret nisi ego illum obtulissem Campsuario, sicut ille iuste reciperet pretium aliquod vel stipendium pro obsequio & officio quod in solutione illa præstat, ita & ego, qui illum Campsuario offero, & cui illius officij maneo debitor. Officium autē illud pretio ęstimabile esse ex eo cōstat, quia eo ipso quod illud quis suscipit, quęsiturus est pecunias, vel cōuersurus proprias in illius Cambii solutionē, cuius officij maneo ego debitor, propterea quod quotiescunque simile obsequium, & solutionē alicuius Cambij à me ille postulabit, iniuste & infideliter agerē, nisi illud similiter persoluerem.

Dixi nisi responsali siue factori illius Campsoris aliud pretiū Campsuarius iste compellatur seorsum reddere, quia iniquū esset & iniustum, vt pro eodem officio, *Y por vna misma factoria* postularentur ab illo duo pretia, siue stipendia distincta, pręstāt autem in hoc casu Campsor conferens factorem, & factor ab illo traditus huic Campsuario vnum tantum idemq; officium, quod est soluere Cambium illud in loco designato. Quo fit, vt possint quidem (sicut in proxime sequenti controu. dicemus) diuidere illud inter se, minime verò duo pretia vel stipēdia eiusdem officij exigere, vel recipere.

Nec obstant quę in oppositum adducta sunt.

Ad primum enim respondeo, Campsuarium in hoc genere Cambij habere in alio loco solutoni designato creditum, quod vere ipsius creditum est, cum habeat à quo cābium illud realiter & vere persoluatur, quemadmodum haberet vere creditum, si litteris ab alio mercatore subscriptis Cambium illud celebraretur. Nam cum habere creditum in loco solutionis nihil aliud sit, quā habere ibi à quo solutio illa vere fiat, siue illud habeat Cāpsuarius per se ipsum, siue

siue per subscriptionem & epistolam alterius mercatoris, siue opera & interuentu eiusdē Campsoris, cum quo Cambiū illud exercet, habet vere creditum in loco vbi soluendum est Cambium.

Ad confirmationem dico, nullum esse incommodum, vt Campsor, qui pecuniam Valentiæ confert, offerat se ipsum quasi fideiussorem factori suo existēti Metinę: si quidem offerret se in fideiussorem sibi ipsi, & pecuniæ quam idem Valentiæ confert, esset profecto figmētum, nullus enim sibi ipsi debitor vel fideiussor constitui potest: at in hoc genere contractus (de quo hic loquimur) solum constituit se ipsum in fideiussorem pecuniæ, ex qua factor ipsius soluet Metinæ pro Campsuario illo.

Eadem ratione diluitur secundum. Existunt enim Metinæ in hoc casu in solutione Cambij personę diuersæ, sicut extiterūt duæ Valentiæ in illius traditione: Valentiæ n. fuerūt Campsor pecuniam cōferens, & Campsuarius illam recipiens: Metinæ verò eo ipso quo factor illam campsori ascribit in libro suarū rationum, cōstituitq; se ipsum in eo debitorem illius pecuniæ, cuius simul facit Campsorem Valentinum creditorem, exercet vere vtramq; personam, & Campsuarii soluentis Metinæ, & campsoris recipientis ibidem suam pecuniam commutatam.

Ad vltimum dico, non augeri iustum pretium Cambii hac ratione, quia illa duo nullomodo recipiuntur tamquam pretium cambij, sed tamquam stipendiū iuste debitum officio, quod Cāpsor in hoc casu pręstat ipsi Campsuario, exhibens illi factorē à quo fiat debita solutio, quod officium vt cōstat pretio æstimabile est, & illo dignū.

Admonēdus tamen est in hoc casu Campsor, iuxta ea quæ superius explicantes Cap. Nauiganti. diximus ne hoc officium præstet quasi ex pacto, obligans Campsuarium non habentem pecuniam vel creditū, vt ab ipso recipiat factorem reddito illo stipendio duorum pro 100. quin potius vt iustè ac rectè illud præstet, debet inuitatus & rogatus à Campsuario, nec aliter illud prestare, saltim non potest cum illo ita conuenire: Conferam tibi pecuniam quam postulas Cambiendam Metinę, modo recipias simul à me factorem qui illam ibi restituat. Quia sicut in mutuo non licet obligare mutuatarium, ne libere celebret contractum Assecurationis, si illo indigue-rit, cum quocūq; assecuratore, vt in illo cap. Nauiganti habetur: ita neq; in Cambio, licet obligare campsuarium indigentem factore à quo fiat solutio, vt recipiat illum ab ipsomet Campsore tradente pecuniam, sed relinquendus est ille liber, vt factorem illum & creditum recipiat à quocunq; voluerit, qui ad subscribendas illius litteras sufficiens sit, & idoneus. Quando vero idem Campsuarius illud à Campsore ipso postulabit seu rogabit, licebit quidē iuxta ea quæ hic dicimus. Quin etiam, vbi viderit Campsor nullum occurrere mercatorem, cuius fide & subscriptione habeat Campsuarius, à quo pecunia qua plurimū indiget, & quam quærit, in loco Cambij persoluatur, tūc vt necessitati illius subueniat, poterit sicut diximus in mutuo, ex charitate vel beneuolentia offerre illi factorem, qui loco eius persoluat, in libera eiusdem Campsuarij facultate illud omnino relinquens.

Maior autem difficultas seu omnium maxima illa est, quæ versatur circa secundum modum Cambiendi, qui adeo inter mercatores ab aliquot annis nostro seculo idtroductus est, vt nulla fere alia vbiq; terrarum iam hodie Cambia celebrentur, n si ea de quibus nunc dicturi sumus. Videamus igitur.

Controuersia XII.

LICEAT NE ITA CAMbium exercere, *vt idem Campsor, qui Valentiæ pecuniam confert, faciat ex sua similiter pecunia illud Metinæ persolui a suemet responsali, & factore?*

OBTINVIT plurimum hoc nostro seculo mercatorū vsus, vt omnia fere cambia, maximè quæ in Italia & Regionibus illis exercentur, hoc modo fiant: Vt idem Campsor qui pecuniam v. g. In Hispania confert restituendam à Campsuario Lugduni, siue Placentiæ in nundinis ibi celebrandis, litteras Campsorias, virtute quarū pecunia in Hispania accepta Lugduni vel Placētiæ cambienda est, ad suummet responsalem vel factorem transmittat, soluēdas ex pecuniis eiusdem Campsoris Hispani, remissa rursum solutione illarum pecuniarum, quæ Lugduni redditæ fuerint, eidem Campsori Hispano per aliud se-cun-

cundum Cambium à Lugduno, vel Placentia in Hispaniam.

Et quo hic modus cambiendi facilius a Theologo intelligatur, praxim illius sub proprijs nominibus hic referamus. Postulat Petrus Campsuarius à Ioanne Campsore Hispano Valẽtiæ millæ scuta aurea, quorum vnumquodq; ęstimatur Valẽtiæ v.g. 11. argenteis & dimidio, restituendos in proximis nundinis Placentiæ apud Italos celebrãdis, sed cum Petrus Placentiæ nec pecuniã habeat, neq; creditum vllum, (sic enim constituendum est in Cambio de quo hic agimus) rogat Ioannem, vel conuenit cum illo, vt pecuniam, quã ab eo postulat, ipsemet persolui faciat ex ea quam Placentię habet, præstatq; illud Ioannes vel confectis datisq; litteris campsoriis ab ipso Petro, quæ mittantur Placentiam ad Andreã responsalem, & factorem Ioannis, vna cum epistola per quã Ioannes præcipit Andreę, vt litteras illas Petri recipiat, ac persoluat vel ex propria pecunia eiusdem Ioãnis, vel alterius quam habet idem Ioannes suæ per mixtam ad eadem negotia & Cambia apud illum. Vel quod certe, quantum ad hoc genus negotij & contractus idem est, ipsemet Ioannes conficit litteras, quas vna cum aliqua epistola sua mittit Placentiam ad eundem Andręam, virtute quarum ex pecunijs eiusdem Ioannes designat, vt fiat Placentię Ab Andrea illius cambij a Petro in Hispania recepti, solutio. Siquidem fiant litteræ ab ipso Petro sic scribit.

Pagareis por esta primera de cambio, en la primera feria que viene de Agosto a vos mismo mil escudos de oro, a razon de onze reales y medio cada vno, y puestos a mi cuenta, hareys creedor dellos a Ioan, &c.

¶ *Pedro.*

Quæ litteræ se ipsis nullam quidem haberent vim, cum Petrus nullum ibi habeat creditum, sed per epistolam, quam vna cum illis mittit Ioannes Andreę, redduntur efficaces, sortiunturque suum effectũ, perinde ac si essent ipsius Ioãnis. Quo circa in hoc contractu idem est iuditiũ, siue litteræ huiusmodi à Petro conficiantur, siue ab eodẽ Ioanne, cum ab Andrea non admittantur, neq; soluantur nisi tamquam litteræ Ioannis, propter epistolam illius vna cum illis litteris receptam. Qua de causa plerunque ipsemet Ioannes illas conficit sub hac forma.

Pagareis por esta primera de cambio, en la primera feria que viene de Agosto, a vos mismo mil escudos de oro, al iusto valor, y assentaldos a cuenta de Pedro sobre mi. De Valencia, &c.

¶ *Ioan.*

Dicit *a vos mesmo*, quia refert Andreas vtramq; personam & Campsuarii soluentis, & campsoris recipientis illam solutionem: Additq; *sobre mi*, quia cum Petrus neque pecuniam, neq; creditũ vllum ibi habeat, admonet Ioannes Andreã, vt ex suismet pecuniis debitum illud soluat, seu in libro rationum constituat quidem Petrum debitorem, Ioannem vero quasi fideiussorem, & creditorem eiusdem Petri in quantitate illius Cambij.

Receptis huiusmodi litteris & epistola Ioannis ab Andrea, adueniente nundinarum tempore, & termino solutionum dicunt *de los pagamentos*, in cuius initio fiunt à varijs cãpsoribus & mercatoribus multarum litterarum oblationes, seu propositiones, & acceptationes, & constituuntur (ea ratione qua inferius dicemus) communi præcipuorum campsorum consensu pretia cambiorum, quę ex illo loco in alia diuersa deinde remmittenda sunt, Andreas iuxta prescriptum illarum litterarum & epistolæ Ioannis, constituit in libris suarũ rationum Petrum debitorem illius Cambij seu litterarum, sub nomine Ioannis vel eius ex cuius pecunia scripsit Ioãnes illam solutionem fieri, & in alio loco eiusdem libri constituit Ioanem, vel eum ex cuius pecunia solutionem illam scripsit Ioannes fieri, creditorem Petri in ea quantitate, sub hac forma, Quam vt Theologi, qui ab huiusmodi disputationibus satis alieni esse solent, apertius intelligat, placet sub illorum idiomate hic apponere.

Habent huiusmodi factores seu responsales campsorum in alis locis degẽtiũ duos libros, huic contractui Cambiorum quæ in nundinis persoluuntur, peculiariter destinatos, vocant illos *Libros de ferias*, quorum alter minor est dictus *Manual* alter maior: in manuali scribunt.

Deue Pedro de Valencia mil escudos, que me ha sacado a pagar Ioan de Valencia en esta feria de Agosto en mi mismo, cambiados consigo mismo. Si solutio fiat quasi ex pecuniis eiusdem factoris addit: *y remite por mi cuenta corriente.* Si vero fiat solutio ex pecunijs eiusdem Ioãnis, vel alterius, scribit.

 bit.

bit. *Y remite por cuenta corriente de Ioan de Valencia, o de N.*

In libro autem maiori hanc eandem scripturam ita diuidit, vt inquadam pagina scribat.

Deue Pedro su cuẽta corriente sobre de Iuan de Valencia mil escudos, que me ha sacado dicho Iuan de Valencia a mi mismo: Additque sicut in manuali, si solutio fiat ex pecuniis eiusdem Andreę: *Cambiados conmigo mismo*, si fiat ex pecunijs Ioannis ait, *cambiados cõ sigo mismo*, vel *cambiados con N.* ex cuius pecunijs fiet solutio.

In alia vero pagina eiusdem libri, si tam cambium quam eius solutio sint ex pecunijs eiusdem Ioannis, & non alterius, scribit.

Ha de hauer Ioan de Valẽcia su cuenta corriente mil escudos, me ha remitido de mi mismo, cãbiados consigo mismo: Similiter scribitur si ex pecuniis alterius fiant cambium hoc & illius solutio posito nomine illius.

Hac ratione & per hæc sic scripta ab Andrea in libris suarum rationũ intelligitur, & censetur realiter facta solutio cambii accepti a Petro Valẽtiæ, & soluẽdi Placẽtię.

Eadem omnino ratione celebrantur communiter cambia in locis Italiæ, & Gallię: veluti à Florentia in Lugdunum, à Roma in Placentiam: illud solum interest, vt pecuniæ quæ cambiuntur ab Hispania in alias Regiones, & Prouincias cõmutentur sub nomine ducatorum, seu scutorũ aureorum, in Italia vero, & Gallia sub nomine Marcarũ, quarũ vnaqueq; vbi maior est inter illos pecuniarum copia ęstimatur 57. scutis aureis, vel circiter, vbi minor vero 58. scutis aureis. Quod vero ad alia pertinet, nimirũ ad litteras campsorias, ad scripturas quę a Cãpsoribus, vel factoribus eorum fiunt in suis libris rationum, seu nundinarum, & similia, mutato tantum idiomate Prouinciæ eadem omnino ratione sese habent. Etenim si quærat Franciscus v.g. Florentiæ a Baptista Campsore 10. MM. quarum vnaqueq; ęstimatur Florentię 57. scutis aureis, restituendas per cambiũ Lugduni in proxime sequentibus nundinis Augusti, Baptista Florentinus Campsor intelligens Franciscum Campsuarium nec pecuniam, nec creditum habere Lugduni, scribit ad Mathiã factorem suũ Lugdunẽ sem persoluat cambiũ illud celebratũ Florẽtiæ, cũ Francisco, ex pecunijs ipsius quas Mathias Lugduni apud se habet, cũ simili cõmisione quam diximus, vt facta illius solutione remittat ad ipsum Florentiã litteras cãpsorias, quibus indicatur Francisco solutio illius debiti iuxta valorem quẽ habet vnaqueq; MM. Lugduni, nimirũ 58. scutorum aureorum. Sic ergo ad illum scribit.

Pagate per questa prima di cãbio in Fiera proßima di Agosto a voi medesimo M.M. 10. de oro per la valuta, a conto mio, & ponete per Francesco sopra di me.

Vna cum his litteris scribit ad Mathiam per peculiarem epistolam vt illarum 10. MM, faciat, seu scribat in suo libro debitorem Francisco, & creditorem se, vel illum cuius sunt pecunię illę Frãcisco traditę, cõmittitq; illi, vt easdem 10. MM. pro Francisco illa ratione solutas, & quarum Franciscus debitor est, per secundum Cambiũ à Lugduno in Florentiam remittat ipsi Baptistę recipiendas, & à Francisco ibi persoluendas, iuxta pretium quod habẽt Lugduni, vbi fit illud secundum cambium, nempe 58. scutorum aureorum pro marca. Quibus litteris à Mathia confectis & ad Baptistã Florentinum remissis persoluendis ibi à Francisco, Baptista constituit similiter in libro suarum rationum & cãbiorum Franciscũ debitorem illius Cambij, se vero eiusdem creditorem, sicq; æquantur cõputa libri Babtistę cum libro Mathiæ responsalis sui, recipitq; Baptista Florentiæ debitum illud à Francisco cum lucro vnius scuti aurei pro Marca, ratione secundi Cambij illi remissi à Mathia a Lugduno in Florentiã, propter maiorem æstimationem quam habet Marca Lugduni quam Florentiæ.

Hic ergo est vsus seu praxis horum Cambiorum vbiq; terrarum hoc nostro seculo: Iuxta quam hæc tria reperiuntur in hoc genere cambij. Primo, vt idem Campsor qui confert pecuniã in vno loco, v.g. Florentiæ, sit eiusdem receptor & solutor in alio, nempe Lugduni. Ratio est aperta quia Mathias soluens Lugduni ipsi Babtistę ex pecunijs eiusdem Baptistę, tamquã illius responsalis & factor, & virtute litterarum quas idem Baptista confecit, & misit, refert profecto duplicẽ personam: vnã eiusdem Babtistę, vt soluentis Cambium illud, & aliam eiusdem Babtistę vt recipiẽtis illam solutionem. Quando enim in libro suarũ rationum constituit Frãciscũ debitorem illius cãbij illarumq; litterarum, supra Baptistam, vel in fide, & per litteras eius-

eiusdē Babtistę facit ipsum Babtistā tāquā soluentem Cambium illud: quando verò constituit illum in eodem libro creditorē Francisci facit eundem Babtistam personam recipientem solutionem illam.

Secundo, vt duplex celebretur cambiū in huiusmodi contractu: Prius, quādo Babtista confert Francisco Florentiæ illas 10. Marchas, iuxta valorem & pretium quod habent cōmuni vsu fori Florentię, nempe 57. scutorum in auro, quod Cambiū absoluitur & perficitur Lugduni, cū primum fit illius solutio in fide & nomine Baptistę, & quasi ex pecunijs illius: Qua solutione sic facta, & per eam absoluto iā & finito illo priori Cambio à Florentia in Lugdunum, quando deinde Mathias cōficit secūdas litteras, quibus indicit solutionē illarum 10. marcharum faciendam à Francisco Florentiæ, remittens illas ad Babtistā iuxta pretiū quo illę cōmutantur communi vsu fori à Lugduno in Florentiā, nēpe 58. scutorum in auro, exercetur secundū cambiū a Lugduno in Florentiam, perinde ac si Franciscus extitisset Lugduni, recepissetque à Mathia ex pecuniis Baptistę Cambiū persoluendum Florentiæ.

Sequitur tertiò, máxime obseruādum ad ferēdū rectū iudiciū de iustitia huiuscābij, Vt quāuis in hoc genere cōtractus duplex Cambiū, vt diximus interueniat, nō propterea duplex lucrum vel interesse solui a Campsuario, sed vnicum tantum, illud scilicet quod habet communis vsus fori ex loco vbi minor est copia pecuniarū, ad locum vbi est maior illarum abundantia: In alijs enim locis aut fit secundum æqualitatē, & vt dicunt *A la par*, aut cū aliquo lucro ipsius Campsuarij. Exemplo proposito rem illustremus. Petrus recipiens Valēriæ à Ioanne 100. aureos restituendos Antuerpiæ, recipit vnūquemq; eorum pretio vndecim argenteorum & dimidij, quos in minori pretio saltim nō in maiori restituit, & cōputantur illi Antuerpię, à quocunq; fiat ibi illorum solutio: qua facta in remissione illius cambij dicunt *En el retorno* indicitur illi solutio debiti, quod contraxit Antuerpiæ per priorem illam solutionem ibi factam remittuntur quę tunc ad Ioannem ex Antuerpia in Valentiam litteræ Campsorię illius debiti persoluendi à Petro, tuncque soluit illos 100. aureos, iuxta pretium quo æstimantur commutati ex Antuerpia in Valentiam: quod solet esse maius, propter inopiam pecuniarū quā communiter patitur Flandria, & maiorem abundantiam illarum in quocunque loco Hispanię. Vice versa, si fiat Cābium ex Valentia in Metinam, eo modo quē nunc tractamus, factore Metinensi soluente ex pecunijs eiusdem Campsoris Valentini, & remissis deinde ad illum litteris, quibus indicatur Campsuario Valentino solutio debiti, & pecuniæ, ex qua prius illud Cambium fuit Metinæ persolutum, non soluit Campsuarius, nisi vnicum quoque interesse & pretium, quod scilicet habet tempore contractus vsus fori à Valentia in Metinam. In secundo namq; cambio, vel reductione pecuniæ, quam dicunt *el retorno*, communiter à Metina in Valentiā aut fit æqualiter *A la par*, aut cum lucro eius, qui pecuniam acceptam Metinæ debet restituere Valentię, quia maior communiter existit ibi pecuniarum copia quam Valentię. Similiter res habet inter quęcunq; loca huiusmodi commutatio & Cambium exerceatur. Quoniam si eadem sit pecuniarum copia, & ęstimatio in vtrisq;, cambium fit in quocunque illorum *A la par*, & sine vllo lucro: si vero alter alterum excedat in illarum abūdantia, à loco in quo abūdant ad locum in quo deficiunt, cambitur cum lucro recipiētis Cambium, à loco verò in quo pauciores existunt ad locum in quo illæ abundant, cum lucro conferentis.

Præter hæc alia duo circa hoc genus Cambij obseruanda sunt. Prius est, Campsuarium recipientem pecunias Valentiæ restituendas Lugduni, vbi nullā ibi habet pecuniam vel creditum, habet tamen alibi, sed recipit illas cambiendas Lugduni, quia Cāpsor non vult aliter, neq; in alium locū tunc cambire, huiusmodi inquā cāpsuarium conuenire quandoque cum Campsore, vt solutio illa sui Cambij facienda Lugduni à factore, & ex pecunijs ipsiusmet cāpsoris, non indicatur ei restituenda Valentię, sed in alio loco, veluti Metinę, Placentiæ, uel alibi, vbi habet illæ pecunias vel creditum, eritq; sibi gratum eò litteras sui debiti remitti è Lugduno, vt ea ratione quas habet in alijs locis recuperet, vel ob aliquam aliam causam ipsi gratam Cæterum, siue debitum illud & solutio facta ex pecuniis eiusdem campsoris, siue factoris remittantur in locum vbi Campsuarius existit, & prius cambium exercuit, siue in alium locum ex consensu campsoris, idem genus Cambii est, & idem omnino cambiēdi modus: mutatio enim loci, in quem debi

tum illud remittatur, cum à campsuario reuera persoluendum sit, vbicunque persoluatur, nō mutat naturam vel rationem huius contractus.

Alterum est Mercatores, siue Cāpsores quandoq; non solum exercere Cambia ex pecunia sibi propria, sed ex aliqua alia alicuius amici sibi commissa, & apud se deposita ad captanda lucra: Quo casu qui pecuniam ita apud Campsorē deposuit, & constituit, Campsor quoque est, quamuis non immediate, sed per interpositam personā: quo circa quęcunq; affirmamus de Campsore ipso, censenda similiter sunt pertinere ad eos, qui pecunias suas habent apud illos ad cambiendum depositas, quotiescunque Campsor ipse ex pecunijs illorum cambia exercuerit. Sed hac lege, vt si is qui pecuniā illi commisit, expresse admonuerit cāpsorem, ne pecunias suas alicui Cambio in iudicio animæ periculoso, & suspecto tradat, agnoscatq; campsorem illū virū timoratum & iustum, si quidē Campsor illo ignorante cambium aliquod celebrauerit ab æquitate & legibus iusti Cambij alienum, immunis ille est ab omni delicto: tum, propter illius iniquitatis ignorantiā, tum verò, quia iam illū admonuit, ne ex pecunia sua cōtractum exerceat aliqua ratione iniquū, iudicauitq; illū id diligēter obseruaturū, cum nosceret eum virum timoratum, & iustum, existit enim ipse in bona fide: Cęterū quotiescunq; intellexerit, Campsoris vitio se ex pecunia illi commissa ad cābiendum, lucrum aliquod iniustum percepisse, tenetur illud omnino restituere ratione rei acceptę, sibi alienæ: Quod si pecuniam suam apud eū cāpsorē deposuit, quē suspicatur, & timet esse parum timoratum, & iustum, & facile sub titulo Cābij vsuras exercere, iudicandā erit de huiusmodi iuxta ea, quæ superius docuimus q. 77. art. 4. Contro. 4. de cōmittente seu deponēte pecunias suas apud vsurarium. Existit enim huiusmodi in statu peccati, cum exponat suam pecuniam sciens & prudens probabili periculo nocendi fratri cum illa, sicut qui traderet gladium furioso.

His ita cōstitutis ac explicatis quęrimus.

AN HOC CAMBIVM, IN *quo idem Campsor curat debitum Campsuarij ex bonis suis in loco nundinarū persolui, ac sibi deinde cum lucro remitti, sit iustum & licitum?*

HOC genus Cambij, quod potissime hodie vbiq; terrarum & ab omnibus fere exercetur, veteres Theologi qui hoc nostrum seculum præcesserunt, perspicuum est non agnouisse, ac propterea de illius iustitia vel iniquitate nihil reliquisse scriptum. Ex recentioribus verò qui de contractibus hac ætate scripserunt, plerique illud absolute & omnino damnant tamquam fictum, & simulatum mutuū. Ita Soto lib. 6. de Iust. q. 10. ar. 1. in fine & q. 13. ar. 1. concl. 3. sed apertius Mercat. lib. cit. c. 7. & alij multi.

Vtuntur verò ad illius simulationem & iniustitiā ostendendam his potissime rationibus. Prima (qua vtitur Mercatus loco citato) est. In cābio reali & vero sicut in traditione pecuniæ reperiuntur duę personæ realiter distinctæ, nempe Campsor illā conferens, & cāpsuarius illā recipiens, ita quoque solutio illius pecuniæ, in loco nundinarum vbi illa fit, exigit similiter duas personas realiter diuersas, nimirum personam soluentem vice campsuarij, & personam recipientem solutionem illam vice campsoris: at in Cābio (de quo hic agimus) non reperiuntur huiusmodi personę ita diuersę, non est igitur illud reale & verum. Maior probatur, quia tam solutio Cambij in loco nundinarum, quam prima traditio pecuniæ in loco vbi cepit illud celebrari, sunt actus iustitię commutatiuę, vel vt supra diximus vnus & simplex actus, vnaque & simplex commutatio pecuniarum, quæ incipit & inchoatur in loco vbi traditur pecunia à Campsore, perficitur autem vbi illa commutata restituitur: omnis vero iustitia maxime commutatiua exigit duas personas diuersas, inter quas actus illius exerceatur, cum iustitia vt 1. tomo q. 58. art. 2. abunde vidimus ex Aristotele, & omnibus tam Philosophis quam Theologis, sit ad alterum, & nulla ratione ad se ipsum. Minor patet, quia in hoc Cambio tēpore solutionis factor cāpsoris, licet vere referat personā illius ad recipiendā solutionē, personā vero cāpsuarij soluturi fingit potius, quam vere illam referat, cū neq; pecuniā, neq; creditum propriū habeat camsuarius apud illū factorem, neque nomen eius factor ille forsan agnoscat, sed quidquid agit, in fide & ex cōmissione cāpsoris agat. Et confirmatur, Quoniā cum factor iste quidquid agit in loco nundinarum, non aliter illud agat, quam ex sola commissione

misione Campsoris, & iuxta ordinem sibi à Campsore traditum, in omnibus quę ibi pręstat, refert omnino personam Campsoris, agitq; idipsum, quod Campsor si actu & in persona propria ibi extitisset, præstaret, at si Campsor ipse in propria persona vbi extitisset, nulla ratione potuisset exercere duas illas personas, soluentis, & recipientis solutionem, ergo neq; factor illius potest illas exercere, vel refferre.

Secundo, Cambium reale & verũ (quod satis ex superioribus constat) est commutatio inter pecunias diuersas, in diuersis locis, In hoc autem Cambio non reperiuntur duæ pecunię diuersæ, nam diuersitas pecuniarum sumitur in huiusmodi negotiis & cõmerciis ex diuersitate dominorum, idem autem Cãpsor est dominus pecuniæ à principio traditę Cãpsuario, & pecunię ex qua per eiusdem Campsoris epistolam efficit factor illius prioris solutionem: Vnde eadem in vtroque loco est pecunia, nec fit commutatio inter diuersas, sed fingitur profecto. Et confirmatur, Quia in hoc cãbio non fit reuera commutatio pecuniarũ Campsoris cum pecunijs Campsuarij, in qua commutatione penes diuersa loca consistit propria vis, & ratio huius contractus, sed fingitur solum, cum à parte rei si quæ commutatio hic reperiatur solum fit pecunię Campsoris in vno loco traditæ, cũ pecunia eiusdem Campsoris in alio receptæ, quæ commutatio spectata propria natura Cambii figmentum, & simulatio potius quædam est, quàm verum cambium: sicut non esset vera & realis venditio sed simulata & ficta, in qua & merx quę venditur, & pecunia in illius pretium tradita ad eiusdem omnino dominium spectarent, cum nullus dicatur nisi ficte rem suam emere.

Tertio (Quo principio sępe vsi sumus) cum cambium pecuniarum valde simile sit commutationi mercium, si quæ commutatio mercium simulata sit & ficta, Cambium eadem ratione factum simulatum quoque censendum est, & non verum: at si Petrus accipiat Valẽtiæ triticũ, Ioãni restituendũ Cæsaraugustæ, restitutio autem illius tritici fieret Cæsaraugustæ ex tritico eiusdem Ioannis, quis non videat huiusmodi commutationem tritici nulla ratione posse censeri veram, sed vere simulatam, & fictam. Eadem autem ratione exercetur Cambium de quo hic agimus. Accipit enim Petrus à Ioanne pecuniam aliquam Valentię, commutandam cum alia quę Antuerpię Ioanni restituenda est, restitutio vero ista ac solutio fit ibi per illas scripturas librorum nundinarum apud factorem, ex eadem pecunia Ioanis, vel eius qui illam contulerat Valentię.

Quarto, In hoc Cambio Petrus accipiẽs Valentiæ pecuniam à Ioanne post quatuor vel sex menses restituendam compellitur in eodem loco eidem Ioanni illam restituere, & cum lucro, eadem omnino ratione, ac si mutuo ab illo eam accepisset, restituendã post aliquod tempus cum aliquo interesse vltra sortem: litteræ autem quæ conficiuntur, vel ab ipso Petro sicut disponit idem Ioannes, vel ab eodem Ioanne ad suum factorem, & rationes ille & computa que factor Ioannis Antuerpiæ, vel Placentię scribit in suo libro rationum nundinarum, & alię litteræ quæ secundę & quasi per secundum Cambium remittuntur ex Antuerpia Valentiam ad Ioannem, quibus indicitur Petro solutio illius pecuniæ, hæc omnia nihil aliud reuera sunt quã ambages, & circuitus quidam in quibus impij ambulant, & figmenta cupiditatis ad dissimulandũ mutuum illud vsurarium Ioannis cum Petro, qui omnes istos circuitus plerumque ignorat omnino, nec aliud nouit, quam se pecuniam qua plurimum indiguit accepisse à Ioãne, post aliquod tempus illi restituendã nec accepisse illam gratis, quod valde optasset, sed sub pacto persoluendi in eodem loco, lucrum quod post aliquot mẽses idẽ Ioannes significabit sibi deberi ex cambio, soluitq; illud in sola fide Ioãnis, qui dicit celebratum esse cambium, & cum illo interesse redire: quia miser Campsuarius sua necessitate compulsus ad illam redimendã sic à principio Ioanni promiserat.

Quinto, In hoc cambio, reipsa diligenter considerata, perinde se habet miser Cãpsuarius, ac si litteras dedisset fictas, nẽpe aut non mittẽdas, aut redituras inanes, & persoluturus interesse: cum nullam habeat in loco solutionis pecuniam, uel creditum, sed ab eodem Campsore omnia ordinentur, & ad eius nutum fiant. Quin etiam habet se sicut mutuatarius, cum quo ita conueniret mutuans: dabo tibi initio Iulij 100. aureos, quos restitues mihi post quatuor mẽses, cum eodem interesse quod recipient Campsores ex Cambijs ad nundinas Octobris proxime futuras ab ipsis celebrandas. Quæ omnia perspicuum est iniqua esse, & vsuraria. Quod autem ita reuera se habeat, perspicuum est ex

 dictis

dictis: quia ille nec nouit factorem Campsoris, nec de nomine, nec virtute alicuius litteræ ipsius, factor Campsoris, quidquam præstet, sed ambages illi & circuitus litterarum, & scripturarũ in libris rationum, inter campsorem & factorem qui suas habent inter se (vt dicunt) intelligentias, versantur, missero Campsuario nihil aliud intelligente (vt diximus) quam se teneri ad reddendam in eodem loco, eidem mercatori post aliquod tempus, cum aliquo interesse & lucro pecuniam quam ab illo accepit.

Vltimo, committitur preterea in hoc contractu alia iniquitas: Quia Campsor scribens ad suum factorem, vt sibi ipsi persoluat in fide & nomine eiusdem Campsoris, vel eius qui pecuniam illam dedit in priori loco, pro hoc officio, quasi verum creditum ad verum Cambium exhibuerit ipsi cãpsuario, exigit ab illo preter interesse illius cãbij quod constat esse fictum, aliquod seorsum stipendiũ illius officij, quod vocamus *Factoria*. Et nonnunquam factor ille qui fingit solutionem, & remisit alias litteras à loco solutionis, quasi per secundum Cambium, exigit quoque pro suo officio & *factoria* aliud interesse: quæ omnia apertissimam continent iniquitatẽ.

Alij vero ex eisdem recentioribus vt Thomas Senensis Religiosus Dominicanus, & nonnulli alij hoc genus Cambii nõ damnant, quin potius iustum censent ac licitum, modo seruetur in eo iustum pretiũ, neq; ratione temporis aliquid vltra illud exigatur. Cõstituunt vero, vt doceant hũc Cambiendi modum iuste fieri hęc.

Primo, Quod nos proposita praxi huiusmodi cambij secundo loco ex illo colligebamus, nimirum duo cambia in hoc cõtractu reuera exerceri. Alterum v.g. à Florentia in Lugdunum, iuxta pretium in quo estimatur Marcha Florentiæ, quod absoluitur, & finitur facta solutione Lugduni per scripturas factoris in libro suarũ rationũ: & aliud, quod deinde fit à Lugduno in Florentiã per secundas litteras remissas ad priorem Campsorem, iuxta pretium quod habet Marcha illa Lugduni: ita vt hoc secundum sit verè ac realiter distinctum à primo: Quod certe negari non potest, errãt enim maxime in hac parte, qui putãt ad contractum Cambij vel ad campsuarium pertinere, vt pecunia illa exhibita Florentiæ in Lugdunum, reducatur à Lugduno in Florentiam. Tum, quia si ad hoc teneretur, esset mutuum, (vt supra docuimus). Tum etiam, quia ea ratione cambium non esset à Florentia in Lugdunum, sed à Florentia in eandem Florentiam per intermedium Lugdunum: Constat etiam hoc primũ fundamentũ apertissima ratione. Quia si in Cambio à Florentia in Lugdunũ cãpsuarius personaliter tãpore nũdinarũ existeret, & ex propria pecunia ibi solueret, ad nihil amplius teneretur, sed ibi finiret omnino contractus ille, & obligatio Campsuarij: quod autem solutio illa non fiat ex propriis pecuniis Campsuarij, sed ex pecunijs alterius soluentis pro illo, siue soluat pro illo alius mercator, qui litteras eius subscripserit, siue factor campsoris ex suis, vel eiusdem campsoris bonis, modo vere fiat illa solutio, non mutat naturam contractus. Vnde ex quacunq; pecunia fiat Lugduni solutio Cambij eò destinati, ibi absolutum est, & omnino finitum. Quo fit, vt cum mercator, vel factor qui illud vice Cãpsuarij Lugduni persoluit, ex qua solutione mansit in ea quantitate creditor illius, cõficitq; nouas litteras, quibus remissis ad Campsorem ipsum, vel quemcunque aliũ, debitum illud ab illo Campsuario recipiatur, esse reuera secundum cambium ab illo priori reipsa diuersum, ac distinctũ, & sub diuerso pretio, iuxta forum loci à quo illud remittitur.

Costituunt secundo, cũ in hoc cõtractu duplex cãbiũ exerceatur, ita vt illa duo se habere, vt si vnum sit iustũ & licitum, & aliud quoq;: V.g. si prius illud à Florẽtia in Lugdunũ, eo pacto fiat, vt fiat eius solutio Lugduni à factore eiusdẽ campsoris, iustũ est, & posterius à Lugduno in Florentiam per litteras remissas ad eundem Campsorẽ Florentinum, iustum quoque esse: Quod certũ etiam esse debet, cũ sit eadẽ vtriusq; ratio: Nam sicut ex commissione campsoris Florentini, cui libere & sponte consensit campsuarius, fiat solutio prioris Cambij à factore Lugdunensi, pari quoq; ratione ex eadẽ cõmissione, & consensu remittitur per litteras secundas cambium à Lugduno in Florentiam ad eundem campsorem.

Constituũt tertio, pecunias, cum quibus exercentur Cambia hæc in diuersis locis, vere diuersas esse, siue substantiam earum respiciamus, siue loca in quibus commutantur. Quia Romę redduntur per cãbium tot ducati dicti *de camera*: Florentiæ tot ducati *de oro en oro*: Neapoli tot ducati de *Carlini del Regno*: Venetijs tot ducati *correnti*: Ianuæ, Antuerpiæ, Londini tot solidi,

solidi, siue tot ducati quorum vnumquodque tot solidis æstimetur: Ex Hispania in alias regiones, seu è cõuerso tot scuta, siue ducati, quorum vnumquodq; æstimetur *En tantos marauedis*, intra Hispaniã *tantas Castellanas*, & sic de cæteris. Quin etiam, casu quo non existeret hæc diuersitas pecuniarum in diuersis locis, sed vnum idemq; genus pecuniæ in omnibus haberetur: nihilominus pecunia, quæ secundum propriã substantiam & legale pretiũ, &c. q; esset vna & eadem, secundum æstimationẽ & pretium Cambij esset in diuersis locis diuersa, quia vbi existeret copia illius, haberet minorem æstimationem & pretium, vbi vero penuria, maiorẽ. Vnde colligunt ex quacunq; pecunia fiat Cambij solutio, eo ipso quo fit in diuersis locis, commutari pecunias diuersas: pecuniã scilicet vnius loci cum pecunia alterius: quæ (vt cõstat) non possunt ad diuersa loca pertinere, quin diuersæ etiam sint.

Constituunt vltimo, non esse de essentia vel iustitia huius contractus, vt Campsuarius ex propria pecunia soluat cambiũ, aut per se ipsum, sed posse per aliam personam, & ex aliena pecunia illud persoluere, modo solutio illius vere ac realiter fiat, siue in numerato, siue in scriptura cuius certa sit fides: Nã hac de causa potest omnium consensu exerceri Cambium, & iuste per litteras subscriptas alicuius mercatoris, in cuius fide fiat solutio: Potest etiam campsor ipse conferre campsuario non habenti in loco nũdinarũ & solutionis pecunias, vel creditũ, factorẽ qui pecuniis suis, vel aliunde quæsitis faciat solutionem.

Colligunt ex his, hunc modum cambiẽdi non esse censendum fictum & simulatũ, sed verum ac reale Cambium, hac ratione. In hoc Cambio fit realiter & vere solutio pecuniæ, v. g. acceptæ Florentiæ, cum pecunia existenti Lugduni, quæ pecuniæ licet sint eiusdem domini illius scilicet Campsoris, sunt tamẽ reuera diuersæ, tam secundum substantiam quam secundum æstimationem & pretium in illis locis, vt constat ex tertio fundamento, ergo interuenit in eo vera & realis commutatio diuersarum pecuniarum in diuersis locis, estquæ verum ac reale Cambium. Secundo, si hoc Cãbium non esset reale & verum illud certe esset (quod est præcipuum fundamentum opinionis oppositæ) quia in eo non existũt in loco solutionis duæ personæ realiter distinctæ, altera soluens & altera recipiens solutionem, sed idem factor qui refert personam Cãpsoris creditoris recepturi solutionem, fingitur simul persona Cãpsuarij debitoris reddituri illam: debent autem in hoc contractu reperiri in Lugduno tempore solutionis duæ personæ realiter distinctæ, sicut fuerunt Florentiæ vbi Cambium exerceri cepit duæ reuera diuersæ: At hoc non obstat, nec efficit hunc contractum fictum: Probatur: Quia, quod posset aliquis alius, vel campsor ipse per interpositã personam, potest etiam per se ipsum, salua vera & propria natura huius contractus, potest autem alius mercator subscribens litteras campsuarij efficere, vt factor huius cãpsoris persoluat Lugduni Cambium illud sine pecunia numerata, per solam scripturã in libro rationum: Patet, quia si accidat, quod accidere potest, & accidit quandoq;, vt idem sit factor & Campsoris qui pecuniam suam contulit Florentiæ, & mercatoris qui ibidem litteras illas subscripsit, in tali casu factor Lugdunensis receptis litteris Campsoris nulla interueniente actuali pecuniarum numeratione, sed scribens tantum Campsuarium debitorem Campsoris, in fide & credito mercatoris illius qui litteras subscripserat, censetur veram ac realem præstitisse illius Cambii solutionem: qua sic facta remittit deinde debitum illud per alias litteras & secundum Cambiũ ad mercatorem illum. Tũ etiam sicut contra Mercatum controuer. proxime præced. docuimus, potest ipsemet Campsor offerre camsuario factorem suum, à quo soluatur Cãbium illud Lugduni ex pecunijs vel credito ipsius factoris: in quo etiam casu factor hic nullã actu numerat pecuniam, sed scribit solum in libro suarum rationum Campsuarium illum debitorem campsoris Florentini, in fide & credito sui ipsius nempe factoris, & per illam scripturam censetur facta realiter & vere solutio illius Cambij in Lugduno, remittitq; deinde idem factor debitum illud per alias litteras & secundũ Cambium ad eundem campsorem, recipiendum ab illo campsuario. Poterit ergo Cãpsor idem obsequium & officium, quod ille alius mercator qui subscribit litteras, vel factor eiusdem Campsoris in fide ipsius præstat Campsuario, præstare quoq; illi per se ipsum, scribẽs suo factori vt ex pecunia eius quã apud se ille factor habet, & in suo computo, dicunt *á su cuenta* collocet in libro rationum Cambium illud, constituens debitorẽ Campsuarium illũ in fide & cre-

& credito eiusdem Campsoris. Nec desinit scriptura illa esse realis, & vera illius Cambij solutio, eo quod idem factor exerceat in hoc casu duplicem personam: Nam eadem ratione se habet, duplicemq; similiter personam exercet in duobus prioribus casibus. In primo enim quando recipit litteras subscriptas, agit & personam Campsoris scribens illum creditorem, & personam Campsuarij, scribens illum debitorem in fide illius mercatoris qui litteras subscripsit: Et similiter in secundo, quando idem Campsor designat illum solutorem Cambij, agit & personam Campsoris scribens illum creditorem, & Campsuarij scribens illum debitorem in fide sua. Vnde cum huiusmodi scripturę in libris suarum rationum apud mercatares, communi omnium nationum & gentium vsu, & consensu, cēseantur veræ ac reales Cambiorum & debitorum solutiones, fieriq; per illas Cambij accepti Florentiæ veras & reales solutiones Lugduni, non est censendum Cambiū de quo hic agimus simulatum vel fictum, esse, sed reale & verum.

Fabianus noster in suo tractatu de Cābijs par. 2. cap. 2. vbi proponit tria argumenta, seu difficultates circa Cambia per litteras, in secunda agens de Cāpsore, qui rogatus à Campsuario scribit ad factorem suum vt litteras illius cāpsuarij recipiat, ac persoluat, quod est idem genus Cambij de quo hic agimus, docet tria. Primum est, Campsorem scientem aut probabiliter credentem se dare pecunias pauperi, qui in loco solutionis nulla ratione potest illas consignare, aut facere consignari, (sic ille loquitur) idest qui nullam ibi habeat pecuniam vel creditum, inique agere, & esse vsurarium, quia etsi pauper ille litteras cōficiat, & mittantur, nouit tamen Campsor illas fictas esse, & omnino inutiles: & peccare similiter si dubius pecuniam suam cōferat, quia (sicut diximus) exponit se periculo exercendi Cambium fictum: qui vero exponit se periculo peccandi eo ipso peccat, vt habet communis doctrina tam Theologorum, quam Canonistarū in cap. Iuuenis de sponsalibus. Docet secundo Campsorem conferentem pecunias suas Campsuario bona fide, & credentem habere reipsa pecuniam vel creditum in loco solutionis, si deinde intellexerit neq; habere ibi pecuniam vel creditum, neq; posse habere adueniente termino, teneri ad recuperandam tantum sortem sine vllo interesse, vel lucro, adeo vt si aliquod inde perceperit, debeat omnino illud restituere. Quod si tempore contractus Campsuarius non habeat in loco solutionis pecuniam vel creditum, possit tamen illud reuera ibi habere, verum esse Cambium illud, quia sicut superius docuimus, non exigitur vt pecunia restituenda tempore contractus existat actu in loco solutionis, sed sufficit vt realiter & vere habeatur ibi tempore solutionis. Sicut potest (inquit) emi res futura vt iactus retis l. Si iactum. ff. De actio. empt. & vendit. & partus futurus l. Nec emptio. ff. De contrahen. emptio. Docet tertio, si contractu Cambij bona fide recte iam confecto, v.g. à Ianua in Lugdunum, Campsor deinde ad instantiam Campsuarij & rogatus ab illo (qui potest quidem soluere), suis litteris, vel Epistola ordinet, & faciat vt scuti illi de marcha qui sibi Lugduni consignādi sunt, & restituendi commutati, nomine quidē ipsius Campsuarij, sed per epistolam & in fide sui ipsius sibi soluantur, (qui est casus & Cambium de quo hic agimus) Cāpsorem ita se gerentem & scribentem ad factorem suum culpandum non esse, Quia non ita se gerit, neq; hoc officium præstat Campsuario, causa, vel intentione primaria lucrandi, sed rogatus à Campsuario, & in eius gratiam. Neq; huic doctrinę vult repugnare, quę habentur in cap. Eijciens. dist. 88. & cap. Quicunq; & cap. Si quis oblitus. 14. q. 1. quia in istis textibus dānatur negociator sola lucra nimia auiditate intendens, Campsor vero de quo hic agitur, non exercet hoc negotium ex intentione lucri, sed in gratiam Campsuarij, cum quo prius bona fide Cambium exercuerat, credens illum habere in loco solutionis pecuniam, vel creditum. Admonet tamen ibi Fabianus: Ne hoc redigatur in vsum, quia licet contractus hic in principio recta intētione initus, & celebratus, fuerit verū Cambium, at cum nullas habeat ibi Campsor reuera pecunias, vel creditum, nullaquoq; (re diligenter inspecta) fit in eo pecuniarū à loco in locum vera cōmutatio. Qua propter (inquit) si ipse Campsor appeteret ita fieri, esset vsurarius, quia ex cambio quod non est vera commutatio, sed potius mutuum, lucrum appeteret. Colligit: ne igitur paretur via ad fænerandum, id non nisi val de raro quo ad effectum, nunquam tamen ex ipsius Campsoris affectu aut intentione faciendum est, sed tantum modo & præcise ad instantiam ipsius Campsuarij, & ex qua-

quadam Campsoris erga illum vt sibi proximum sincera charitate.

Vbi Fabianus videtur aperte sentire, Imprimis, in primo limine contractus non licere ita Cambire, vt Campsor ipse per suas litteras vel epistolam præcipiat factori suo illius Cābij solutionem, ita vt quāuis constituat quidem campsuarium debitorē, soluat tamē in fide *y a cuenta*, sui ipsius nempe eiusdem Campsoris: sed necessario oportere vt tēpore contractus cāpsor certo vel maxime probabiliter existimet, habere Campsuarium in loco solutionis realiter & vere pecuniam, vel creditum, & sub hac bona fide conferre illi pecuniam. Secundo, Cambio iam recte constituto & facto, traditaq; Campsuario pecunia sub illa bona fide, cum primum intelligitur Campsuarium nullam habere pecuniam, vel creditum in loco solutionis, propter quod esset rescindendus contractus ille, vt nullus & omnino inualidus, posse Campsorem ad instantiam Campsuarij, & rogatum ab illo, nec vlla alia ratione, non ex affectu lucri, sed vt consulat illius Campsuarij honori, & necessitati, alijsue damnis quę illi acciderēt, si contractus ille culpa ipsiuis Campsuarij, velut cambium fictū esset rescindendus, posse inquam tunc scribere, ac suis literis vel epistola efficere, vt à suo proprio factore persoluatur. Vult tertio, Hoc non esse redigendum in vsum, sed raro faciendum esse, & ex sola charitate, ad subueniendum misero Campsuario, qui in illo discrimine sui honoris & aliorum damnorum se ipsum constituit: minime vero ex vllo affectu lucri, vel intentione Campsoris. Quod licet videatur recte Fabianus admonere, reddit tamē illius sententiam difficiliorem: quia percontari illū Iubet: Aut hic modus cambiendi, in quo Campsor ipse per suas litteras ordinat ac efficit Cambium illud sic persolui, est verū & reale cambium, aut fictum, & mutuum palliatum, si verum Cambium, licebit Cāsori illud exercere à principio Cambij, & in ipso limine contractus, nec oportebit expectare campsuarium in illa discrimina incidisse: Quod si non est vera & realis commutatio pecunię à loco in locum, nec verum Cambium, nunquam illud licebit, nec rogante Cāpsuario, nec vt illi subueniat, cū nulla ratione iuxta Apostolum sint facienda mala, vt aliqua inde veniant bona.

Ego certe in re adeo graui & difficili, & quam si probarem, nisi recte fiat, vel damnarem, si recte fit, innumeris nocerem conscientiis, cum adeo sit vbiq; terrarū in vsu, malem doctiorum audire quam propriam proferre sententiam: Optarem etiam, quo mercatores securius agerent, vt ab hoc genere Cambij abstinerent, ea tantum exercentes, in quibus Campsuarius, vel per se ipsum, vel per litteras ab alio mercatore subscriptas, verum ac reale creditum in loco solutionis haberet: Ita vt campsor solius Campsoris & creditoris officium ageret: neq; ad ipsum in loco solutionis aliquid aliud spectaret, quam per factorem suum, Cambij à se collati, solutionem recipere. Cæterum quia hic cambiendi modus adeo inoleuit, nec mei muneris aut mearū virium est, illud etsi maxime periculosum iudicem, vel prohibere, vel mercatorum animos ab illo auertere, quid de illo sentiam explicare non grauabor.

Illum igitur satis periculosum esse, & occasionem maximam fænerandi offerre, neminem existimo dubitare: absolute tamen & omnino damnandum (sicut aliquos video facere) non censeo, saltim ego nō ita facile auderē, maxime si non exerceatur cū paupere, aut viro à negotijs omnino alieno, sed cum alijs mercatoribus & negotiatoribus, qui licet non habeant pecunias vel creditum in loco illi cambio destinato, habent tamen in alijs locis, ad quę potest illius solutio deinde commode remitti: cū huiusmodi namq; ita Cambire, videtur plurimum ad bonum commune pertinere, cum experientia teste, innumera negotia, & comercia Reipub. maxime necessaria hoc genere Cambiendi sublato cessarent omnino: Non quod proter bonum commune sit iniquus aliquis cuntractus admittēdus, sed quia in re dubia, & quę probabiliter potest defendi, maxima sit boni communis & vtilitatis Reipub. habenda ratio.

Mihi ergo satis probabilis videtur sententia eorum, qui hunc modum cābiendi verum Cambium censent. Primo, propter rationem cui nituntur. Etenim si potest campsor, quod plerique fatentur, dare litteras ad proprium factorem, quibus, ex pecunia sua vel alterius factor ille Cambium ab ipso Campsore collatum persoluat, debito illo per alias litteras ad eundē campsorem rursum remisso, cur non licebit eidem Campsori efficere, vt ex sua propria pecunia illud similiter persoluatur? Quod enim per alios prestare possu-

mus in contractibus ciuilibus, cur non licebit per nos ipsos similiter præstare?

Secundo, Regula est Siluestri, quam omnes fere amplectuntur: Verum & iustũ cambium esse illud, in quo nec aliquid sumitur ratione temporis, nec Campsuarius arbitrio peritorum & prudẽtum in aliquo grauatur: certum autem est, Campsuariũ neque ratione temporis aliquid reddere, neque grauari in aliquo, propterea quod Cambium ab ipso Valentiæ, v.g. acceptũ litteris eiusdem campsoris persoluatur Metinæ à factore ipsius Campsoris; remittanturq; deinde per alias secundas litteras ad eundem Campsorem debitum illud cõtractum Metinę recuperandum ab illo Campsuario, in hoc casu cãpsuarius. Cũ nõ persoluat nisi illud idẽ interesse, quod redderet cuicũq; alteri mercatori, a quo suarum litterarum subscriprionem postulasset.

Me in hanc sententiam potissime induxit: Quod videam hoc genus cambiendi exerceri publice ab omnibus mercatoribus Italiæ ex quocunque loco in Lugdunũ, vel Placẽtiã, aliaueloca in quibus celebrantur publicę nũdinæ: exercentur enim Florentiæ, Mediolani, Ianue, & in præcipuis illius Prouincię ciuitatibus, Quod nõ dubito Summos Pontifices perspectum habere, vel saltim Episcopos, & Ordinarios illarum ciuitatum & locorum. Quod cum optime norint si contractus hic adeo in vsu positus, & qui non exercetur in occulto, & per angulos, sed in publicis emporiis, & nũdinis illarum Regionum esset iniquus, & vsurarius, sicut Doctores illi quos retulimus sentiunt, prohibuissent profecto illũ Summi Pontifices vel suo proprio motu, aut consulti ab Ordinarijs illarum diocesum, quorum plerique Sanctissimi viri sunt, & salutis suarum ouium studiosissimi.

Nec valet, quod nonnulli huic rationi respondent, Permitti tamquam minus malum ad vitandum maius, publicas scilicet vsuras: Quia si hic contractus iniustus est, & cambium reuera fictum, eo ipso est vsura: Quis autem dicat permitti vsuras sub nomine Cambij, ad vitandas apertas vsuras? Quasi vero minor iniquitas sit vsura simulata quam eadem aperta. Et confirmatur, quia Sanctissimus ille beatæq; memoriæ Pius V. qui in prohibendis vitandisq; vsuris adeo solicitum se exhibuit, cum in sua Extrauaganti De cãbiis, omnia cambia quę dicuntur sicca, & realia quæ aliquid continent iniquitatis, prohibeat, explicans figmenta quæ ab vsurariis in hoc contractu per litteras fictas exercentur, hoc genus Cambij, de quo hic agimus, neque damnat, neque prohibet, cuius tamen vsum non ignorauit.

Huc accedit, quod plurimũ certe facit, ad sententię quam hic sequimur, confirmationẽ: Quod a viris fide dignis accepimus: Anno domini 1574. Christi Ecclesiam gubernante Sanctissimo illo ac prudentissimo Pastore & Põtifice Gregorio XIII. cum in Regno Sicilię plurimi dubitarent.

An per Extrauagantem Pij V. cuius hic meminimus, hoc genus cambij, de quo hoc loco disputamus, prohiberetur.

Tum etiam.

An per eandem Extrauagantem tolleretur facultas instituendi, seu constituendi noua loca, vel tempora Nundinarum, seu terminorum, in quibus Cambiorum solutiones efficiantur,

Vt ab vtroq; dubio liberarentur, & conscientijs fidelium illius Insulæ & Regni esset consultum, Archiepiscopum Panormitanum consuluisse Illustrissimos ac Reuerendissimos Cardinales congregationem: Priorem, in qua, proposita in terminis (vt dicunt) praxi & vsu huius Cambij, cuius iustitiam in hac controuersia inquirimus, consultabant, An tanquam iniquum vel siccum litteris Pij V. interdiceretur. Et posteriorem, Num prohiberetur eisdem litteris Apostolicis noua nundinarum, seu terminorum, in quibus Cambiorum solutiones fiant, erectio, seu institutio.

Qua epistola seu consultatione ab Illustrissimis Cardinalibus congregationis accepta cum vtraq; ista dubitatione, re diligenter ab illis inspecta, & cum Sãctissimo Pontifice Gregorio XIII. cuius & pietas & doctrina præclara fuit, collata, in eadem consultatione vtriq; dubitationi satisfecerunt: Priori subscribentes in hæc verba.

Congregatio auctoritate S. D. N. censuit huiusmodi cambium litteris Pij V. fel. record. minime comprehendi.

Posteri vero his verbis.

Congregatio eadem etiam auctoritate S. D. N respondit præfatas Pij V. litteras non prohibere Feriarum creationẽ, ijs tamen seruatis, quæ alias ad earum iusti-

institiam necessaria sunt, minusq; ea cãbia vulgo ad vsum nuncapata, vbi sunt Feriæ, vt denuo introducantur censeri sublata.

Vbi notandum est cãbia vulgo ad vsum nuncupata esse ea, de quibus hic agimus, cum hæc sint (vt sepe admonui) quorum nunc vbique terrarum frequentior est vsus.

Vna cum huiusmodi solutione seu responsione illorum dubiorum Illustrissimi illi Cardinales congregationis eidem Archiepiscapo Panormitano sic per epistolam rescripserunt.

Reuerendissime Domine.

IS quæ Serenissimi Philippi Regis Catholici ac totius Regni Siciliæ vltra farum nomine nobis ex Authoritate S.D.N. relata, quid ex eiusdem decreto & authoritate respondendum censuimus, ex annotatis post singulas propositiones, quæ cum his litteris ad te mittuntur, amplitudo tua cognoscet, cui bonam valetudinem & omnia prospera optamus. Romæ vigesimo septimo Aprilis. Anno 1574.

Tuæ amplitudinis vti fratres.

Marchus Antonius Cardin. Bolba.
Marchus Anton. Card. Maffæus.
Fr. Vincentius Card. Iustinianus,

Hæc tipis excusa vel in forma vt dicũt autentica non vidi sed transcriptum solũ eorum a viris fidedignis ex Italia & Scicilia Madritum ad curiã nostri Regis delatum, & ab eo loco à viris etiam fidedignis Valentiam transmissum, quod verissimum & certissimum esse non dubito.

Vnde argumenta illa pro prima illa opinione adducta ostẽdere quidem existimo, contractum hunc periculossum esse, facileq; posse vsuraria labe vitiari, simpliciter tamen & secundum se quando Campsor non ex affectu lucri, sed rogatus à campsuario in illius vtilitatem & gratiam, vt dicebat noster Fabianus illud exercet, non probant damnandum esse.

Ad primum namq; constat satis ex dictis, non repugnare naturę cambii, vt idem factor duplicem gerat personam, & creditoris recipientis solutionem cambij, & campsuarij soluentis illud: cum duplicem etiã agat personam non solum in hoc contractu, verum etiam cũ sit Cambium per litteras subscriptas a mercatore, cuius factor campsoris quoq; factor & responsalis est: & similiter quando Campsor per litteras indicit illi, vt soluat cambium ex suis pecuniis eidẽ scilicet factori proprijs. Quod proxime præcedenti Controu. vidimus licere.

Ad secundum constat abunde ex tertio fundamento sententiæ, quam sequimur, pecunias in diuersis locis existentes, esto eiusdem domini sint, interse nihilominus & substantia, & æstimatione, & pretio reuera distingui.

Ad tertium respondo in hac parte non esse idem iudicium, commutationis quę fit inter merces aliquas, & Cambij pecuniarum, quia merces eiusdem speciei & eiusdem domini, & si in diuersis locis existant, non censentur diuersæ merces, pecunię verò (vt diximus) eo ipso quo existunt in diuersis locis, quatenus illę à Camporibus commutantur censentur reuera diuersæ. Quod si vrgeas, & merces quoq; in diuersis locis positas diuersas esse: si ita sit, cõcedam inter ipsas quoq; posse fieri commutationem, etiam si eiusdem domini sint: si illarum commutatio, vt vera sit, illud tantũ exigat, vt pro merce in vno loco recepta alia diuersa in alio loco restituatur: quemadmodum commutatio pecuniarum vt verum cambium sit, illud tantum postulat, vt pecunia in vno loco recepta in alio loco diuerso & distanti commutata cum alia restituatur.

Quartum argumentum, nempe litteras, scripta, remissiones debitorum, & quę in hoc genere contractus fiunt, esse ambages, & circuitus, seu figmenta ad simulandam vsuram sub titulo Cambij petit principiũ, Hoc n. est quod negamus, imo cẽsemus omnia ista vere fieri à factore referente actu & reipsa duplicem personam, & campsoris creditoris, & campsuarij soluentis, vt ex dictis patet.

Eadem ratione soluitur quintum, affirmamus enim iuxta hanc sententiam, quam iudicamus probabilem, litteras quæ in hoc contractu dantur, & mittuntur, non esse fictas, sed veras, virtuteq; earum vere fieri solutionem, per ea quę à factore in libro

bro suarum rationum scribuntur.

Vltimum argumentum postulat difficultatem, An campsor in casu de quo agimus, posit recipere stipendium aliquod, & pretium, eo quod asignet factorem campsuario, qui nullum habebat. Circa quam difficultatem duo mihi videntur dicenda: Prius est, melius esse nihil tale petere, indicat enim & arguit maximam lucri cupiditatem, quando vbi ex eadem pecunia campsoris facienda est Cambii solutio à factore ipsius, aliquod pretium pro illo officio exigere, vel recipere, maxime vbi est in vsu illud non exigere. Nihilominus si aliquod exigatur, modo illud moderatisimum sit, & vnicum, illud non damnarem, potisime vbi esset in vsu, quia hoc officium, exhibēdi Campsuario factorem qui pro illo soluat in loco Nundinarum, continet vtilitatem temporalem diuersam & extra contractum Cambij, ad quam non tenetur Campsor ex natura contractus: Quo fit, vt sit pretio aliquo æstimabilis & digna. Dixi stipēdium hoc debere esse moderatisimū, ne miser Campsuarius in cuius vtilitatem debet Campsor hoc officiū prestare, plurimum grauetur: & vnicum, ita vt non reddat vnum campsori, eo quod exhibeat illi factorem, & aliud ipsi factori: cum vterq; in eo vnicum tantum officium præstent, nimirum efficere vt soluatur Cambiū illud in loco designato, vnius autem officij non debet esse duplex pretium, (vt superius dicebamus) quamuis duo vel plures ad illud simul concurrant.

Ex his perspicuum manet, factorem campsoris illius, cuius litteris & ordine persoluit, recte posse secundas litteras quas conficit è loco solutionis ad locum vbi Cambium prius celebratum fuerat, ad eundem Campsorem remittere, quarum (sicut dicunt) virtute debitum illud à Campsuario recuperare valeat: Neq; est quod iniustū illud alicui videatur, Nam cum hæc remissio, sicut ex progressu huius controuersiæ constat, sit secundum Cambium ab illo priori reipsa diuersum, potest factor solutionem illius ad quemcunque voluerit remittere, siue ad Campsorem ipsum, qui prius Cambium illi Campsuario contulerat, siue ad quemcunque alium socium, vel amicum.

Hactenus de his quæ exiguntur vt Cambium sit verum, iam ad secundam illius conditionem accedamus.

De secunda conditione Cambij iusti.

EXIGITVR secundo ad Cābium quod exercetur ratione loci, & per litteras, vt iustum sit, ne vllum genus doli, vel violentiæ in eo reperiatur. Quia si fraus vel dolus nemini debent patrocinari, multo minus violentia. Quo fit, vt sicut fraus & dolus efficiunt ac reddunt contractum nullū, maxime quando cōtractui causam dare dicuntur, pari ratione vis contrahenti illata, quacunq; ratione illa inferatur, efficit ne contractus per illam vim initus alicuius sit roboris, vel momenti. Nec est quod in his amplius immoremur, cum omnium tam Phylosophorum quam Theologorum consensu, vt contractus validus sit, voluntarie exerceri debeat: dolus autem, & violentia tollant omnino rationem voluntarii: Illud tamen explicemus oportet.

Controuersia XIII.

QVAE NAM SINT QVAE *in contractu Cambij vim dicantur contrahenti inferre, vt Cambium illud inuoluntarium iuste censeatur?*

CONSTITVVNTVR à Doctoribus tamquam vim inferentia in hoc contractu hæc duo, Monopolia Campsorum, & obligatio persoluendi Cambium in loco vbi maius recipitur interesse, & lucrum. De vtroq; dicamus.

De Monopolijs Campsorum.

QVAM iniqua sint Monopolia, siue in mercibus, siue in pecunijs, siue in quocunque genere rerum, maxime earum que humano conuictui valde necessariæ sunt, non est huius loci docere, cum omni iure (vt inferius docebimus) illa damnentur: naturali quidem, & diuino, eo ipso quo in damnum commune cedunt. Quid enim magis repugnans charitati, & recte rationi, quam quod hic vel ille, vt sue cupiditati consulat, merces, vel pecunias, aut varios fructus, sine quibus hominū conuictus, & humana commercia haberi commode non possunt, studeat solus congregare, retinere, & occulta-

re: vt

re, vt illarum rerum pretia cũ publico suorum conciuium dãno magis ac magis subinde augeantur. Qua de causa iura ciuilia non tantum Principum Christianorũ qui vtroque lumine & naturali & fidei prediti sunt, illa plurimum damnarunt, & grauissimis pænis propositis prohibuerunt, verum & pagani ipsi solo naturali lumine rectę rationis adducti.

Comittitur autem delictum hoc à campsoribus duobus modis. Primo, quando omnem fere pecuniam Ciuitatis, vel loci, in quo mercatores, vel qui negotia exercent, existunt, vnus vel alter vel saltem pauci ex Campsoribus colligere, & congregare, & penes se habere sua industria, & solertia nituntur. Vt existẽtibus paucis qui pecunias per cambium tradant, propter illam paucitatem Campsorum, abundantiam verò eorum qui pecunias sub Cambio postulant, pretia illorum augeri oporteat. Sicut quando ab vno, vel altero, vel paucis venditoribus congregantur aliquę merces, oportet existentibus paucis qui illas vendunt, propter paucitatem venditorum & abundantiam emptorum carius illas vendi. Vnde quemadmodum venditores, qui varias merces ad se colligunt, & retinent, vt carius illas vendant, inique agunt, & quasi per vim pretia illa ab emptoribus extorquent: ita & Campsores varias pecunias alicuius loci ad se cõgregantes, vt pretia cambiorum augeantur, ac vt dicunt *se alce la plaça*, quacunque industria in hunc finem vtantur, illumq; obtineant. Qua de causa Campsuarius ab huiusmodi Campsoribus pecunias recipiens, & in eo pretio, nõ est censendus contractum illum vt voluntarius, sed vt coactus potius, & per quandam vim compulsus, exercere: cum pretium illud haud dubie non fuisset adeo auctum, nisi per illud iniquum Monopolium.

Ad hoc genus contractus censendum est pertinere illud B. Pauli. *Si radix sancta & rami.* & e conuerso *si radix iniqua & turpis & rami.* Vnde cum radix & causa exercendi Cambia in magno pretio iniqua fuerit & turpis, Monopolium scilicet aliquod pecuniarum, rami ipsi à tali radice procedẽtes, Cambia nimirum in magno pretio eadem causa constituta iniqua sunt, & iniusta: & tanto magis, quanto pecuniæ conuictui & commerciis humanis magis necessariẹ sunt, quam cæteræ omnes merces. Ideo sanctissime ac prudẽtissime Pius V. in decretali citata illa prohibet sub his verbis.

Eos vero qui conspirationes fecerint, vel congestam vndiq; pecuniam ita ad se redegerint, vt quasi Monopolium pecuniæ facere videantur, pænis, quæ a jure contra facientes Monopolium constitutæ sunt, teneri sancimus.

Incidunt etiam Campsores in idem crimen, eãdemq; committunt iniquitatem, & vim, quando cõmuni consensu constituũt Cambijs iniqua & iniusta pretia, conueniuntq; interse, sibiq; inuicem spondent, ne vllus eorum pecuniam alicui cambiendam conferat, nisi in illo pretio ita constituto. Quod pactum seu monopolium sic inter eos initum vim miseris Campsuariis inferre, apertissimum est. Nam cum pecuniis omnino indigeant, nec alia via eas habere possint quam per Cambium, nec ab alijs Campsoribus quam ab illis, qui omnem fere pecuniam penes se congregarunt, coguntur sua necessitate & illorum iniquitate in eo pretio eas accipere, in quo ab illis quantumuis iniquo & iniusto constituuntur, Num Cambium sic celebratum censendum erit voluntarium? Quin potius violentum & coactum, sicut eius, qui vt se vitamq; redimeret, quidquid pirata postularet, persolueret. Hoc secundum genus Monopolij in verbis decretalis modo adductis non dubito etiam prohiberi. Qua de causa optimum & forsan necessarium censerem, vt quemadmodum in Repub. bene instituta pretia rerum, quibus humanus cõuictus plurimum indiget, non relinquuntur, nec sunt relinquenda arbitrio venditorũ, quod à propria cupiditate fallitur passim, sed debet (vt q. 87. artic. 1. Contro. 2. vidimus) a Paetore, vel Magistratibus constitui, ita & pretia cambiorum, post quam hic contractus adeo in Repub. & inter negotiãtes inoleuit, adeoq; ab illo pleraq; negotia, & commercia eidem conuictui humano necessaria pendent, decernerentur à prudentibus, & peritis in arte campsoria à Repub. designatis, qui iam à negotijs cessasent, ac Deum timere agnoscerentur: legeq; præciperetur, ne in aliis pretiis ab aliquo illa exercerentur. Quamuis iam illa taxata esse refert Nauarrus, vt in proxime sequenti contro. in qua de iusto pretio cambiorum disputabimus, videbimus: Sunt enim presens contro. & proxime sequens sibi affines, sed in eo diuersę, quod hic agamus de iustitia pretij propter vim, & dolum Cãpsoris, contro. vero proxime sequẽti de iniustitia eiusdem pretii propter excessum & inæqualitatem illius.

Alterum

Alterum violentię genus est, vbi Cāpsor obligat compellitq; miserum Cāpsuarium, vt pecuniam quam recipit, in eo loco commutatam restituat, vbi maius existit lucrum & interesse. Etenim cum hic contractus institutus sit, admissusque in Repub. in vtilitatem eorum, qui pecunijs indigent, illasque recipiunt, videtur plane iuxta hunc finem, designandum esse locum solutionis ad arbitrium recipientis pecuniam, repugnareque illi vt obligetur ad restituendam pecuniam quam recipit, in loco in quo forsan ille pecuniam non habet, sed oportebit ad illam ibi restituendā maiora damna subire: Vt cum recipiens Romæ pecuniam quam potest Barchinonæ commutare, petit vt in eum locum illius solutio designetur, Campsor verò postulat ab illo, vt non alibi quam Hispali commutata soluatur. Continet hic contractus aperte quandam vim, cum necessitate sua coactus miser Cāpsuarius nō vbi cōmode posset, sed vbi campsori vtilius est, compellitur Cambij solutionem promittere. Verum quidem est licere vnicuique suę vtilitati suisque commodis prospiscere, non tamen cum iniuria fratris: Campsori autem in quemcunque locum solutio Cambij remittatur, certa est vtilitas: vnde non debet cum damno & iniuria Cāpsuarij illā quęrere, quærit tamen, quando non vult admittere solutionem, vbi Capsuarius commode illam facere potest, sed vbi maius lucrum sibi prouenire sperat.

Eximerem tamen hoc loco ab iniquitate Campsorem, qui in loco Campsuario cō modo nullum habet factorem, vel negotiū, quia ad illum pecuniam suam dare noxiū illi esset, nullusq; tenetur proprio damno alteri prodesse. Similiter si alius Cambium postulet ad locum Campsori vtiliorem, non tenetur conferre ei, qui ad locum sibi quidem commodum sed Campsori minus vtilem postularet, Quia tunc suo quoque damno huic prodesset, ad quod (vt dico) nullus tenetur. Denique eximerem etiam Campsorem, qui ingenue diceret: Ego nō compello, nec obligo te vt pecuniam meā Hispali commutandam recipias, nolo tamen nisi ad hunc locum tantum, quia mihi ita expedit, conferre, tu quoque vide quid tibi expediat, si in eum locum vis, habesq; ibi pecuniam vel creditum, bene quidem, sin minus, quære ab alio, liberum tibi est. Certe ita agentem non damnarem, Quia Campsor non tenetur ex officio, pecuniam suam cuicunque & in quemcunq; locum illam postulanti, conferre: (de huiusmodi enim nunc loquimur, de alio inferius dicemus) sed confert pecunias suas libere, ac propria spōte, cum ergo ita illas conferat, liberum est illi apponere conditionem quā voluerit, modo turpis vel iniqua illa non sit: qualē certe non iudico hanc, vt teneatur Campsuarius qui Hispali cōmode soluere potest, cum habeat quoque ibi pecuniam vel creditum, ibi soluere. Dico cum habeat ibi pecuniam vel creditū, quia si non habet, Campsor vero affectu maioris lucri non vult in alium locum Cambire, quam in Hispalim, vidēs miserum Cāpsuarium sua necessitate coactum cōsensurum, hic duplicem profecto exercet iniquitatem, vnam compellens Campsuarium ad locum illum, quod est velut circunstantia & obligatio ciuilis, suo pretio æstimabilis, quam seorsum præter iustum pretiū Cambij exigere iniquitas est: sicut iniuste ageret venditor, qui præter iustum rei pretiū postularet fieri sibi solutionem in hac vel illa pecunia, cuius adquisito emptori grauis esset: veluti in aureis, vel argenteis maioribus. Altera & grauior iniquitas huiusmodi Campsoris est, quod cum postulet fieri sibi Cambij solutionem, in loco vbi Campsuarius nec pecuniam habet, nec creditum, exercet profecto (vt ex superius dictis constat) Cambium fictum, & siccum.

Ex his perspicuum fit, Cambia quorum vsus adeo frequens est apud Hispalim, in quibus mercatores Indi, pecunias quibus vsq; ad aduentum clasis indigent, ab Hispalensibus recipiunt, restituendas commutatas Metinę, periculosissima esse: Quia mercatores Hispalenses probe norunt mercatores illos Indos nullam habere Metinæ pecuniam, vel creditum, seu fidem, cuius interuentu realiter & verè fiat ibi solutio, quin potius in eadem Hispali se recepturos illam. Magis tamen secura sunt illa, in quibus mercatores isti Indi suas pecunias Hispalensibus conferunt, recipiendas ab eis Metinæ commutatas: Tum quia cum Hispalenses habeant Metinæ pecuniam, vel creditum, cuius fide vere ac realiter solutio fiat, verum ac reale Cambium illud est: Tū etiam, quia cū mercatores Indi suas pecunias Hispalensibus tradunt recipiendas Metinę, probabile est, non tam affectu lucri, quam ad varias merces quas Metinæ sibi comparare instituunt illas tradidisse.

Præter

Præter hæc duo priora violentiæ genera modo explicata est & aliud tertium, non minus iniquum, & coactum, sed per quod maiora pasim damna Campsuariis inferũtur, & quo variè domus & redditus multorum Nobiliũ & Magnatum cõsumuntur, vocatur communi sermone Recambium: De quo nunc videamus.

Controuersia XIIII.

AN CONTRACTVS, QVI *dicuntur Recambia, sint iusti & liciti?*

CONTRACTVS hic solet hac ratione exerceri, vt cum Cãpsuarii litteris à Valentia in Metinam datis, non existit Metinæ qui illas admittat, & recipiat, vocant accepisse illas, vel si ab aliquo ille recipiantur, non persoluuntur, factor Campsoris factis quibusdam protestationibus seu figmẽtis, quibus cõstet in loco solutionis litteras illas à nemine fuisse admissas, vel solutas, remittit easdem ad Campsorem Valentinum cũ alio nouo interesse priori superaddito: Quo fit, vt duplex interesse in hoc contractu à misero Campsuario exigatur: aliud ratione Cambij celebrati à Valentia in Metinam, aliud vero ratione illarum litterarũ quæ cum Metinę admissę non fuerint, vel non solutę, in Valentiam fuere remissæ: quam remisionem litterarum cum hoc secundo pretio & interesse vocant *Recambiũ*. Cuius nominis ea forsan ratio est, & origo, quia est velut secundum Cambium cum remisione earundem litterarum.

Porro vt securè apud iudices, (humanos quidem, sed non cælestem illum, quẽ nullla fraus & iniquitas latent) in miserum Campsuarium agere posint, conueniunt cum illo in ipso limine contractus, vt nisi litterę illius datæ v.g. Valentiæ in Metinã ad primas nundinas, Metinę soluantur, posfit factor Cãpsoris illas insolutas Valentiã cũ nouo interesse remittere: quin etiã, vt nisi tunc ab ipso Cãpsuario persoluãtur, valeat rursum Campsor easdem ad alias nundinas secundo destinare, & sub eodem pacto, vt nisi ab aliquo fuerint ibi tunc admissæ & solutæ, Valentiam rursum cum simili interesse & Cambio remittantur, duretque hic circulus, siue hæc misio & remisio illarũ litterarum cũ nouo semper lucro, & interesse ex quacunq; misione tam quam vero Cambio, & quacunq; similiter remisione tamquã vero recambio, donec actu & reipsa pecunia à principio accepta cum omnibus illis lucris & interesse fuerit ad plenum restituta. Aliquando verò & sine vlla conuentione, vel pacto inter Campsorem & Campsuarium à principio inito fiunt huiusmodi litterarũ misiones, & remisiones, nouo semper lucro & interesse per singulos trimestres, vel quadrimestres decurrente.

In quo genere Cambij illud pręterea accidit, vt secundum interesse nempe recambij non solum respiciat pecuniam à principio acceptam, verumetiam & interesse illi debitum, & commensuratum: ita vt constituatur ex pecunia illa à principio accepta & interesse illius, quando litterę remittuntur, vna quantitas & pecuniarum summa, cui secundum interesse recambii commensuretur, & hoc ordine ac progressu non solum nouum semper interesse decurrat, verùm etiam subinde auctum & cumulatum. V. g. confert Petrus Campsor Valentię Ioanni Campsuario mille aureos Hispali per Cambium restituendos, misis litteris campsoriis Ioannis Hispalim ibiq; à nullo admisis, vel solutis, quando remittuntur Valentiam ad eundem Petrum, non remittuntur cum solo interesse commensurato illis mille aureis, quę Ioannes à principio accepit, sed iungitur illis primum interesse cambij celebrati à Valentia in Hispalim, quod v.g. sit vt 20. remittũturq; litterę illę per recambium cum secundo interesse commensurato mille & viginti aureis, sumunturq; in recambio illa mille prius accepta, & illa 20. quę sunt interesse primi Cambij velut vna sors, vnumq; capitale, quibus adduntur velut interesse illius recambij 22. remittũturque soluendi à Petro Valentiæ, ratione interesse primi Cambij, & interesse illius recambij, 1042. aurei. Similiter si litterę illæ Valentiam remissę non soluãtur cum toto illo augmento primi interesse, & secundi quod vocant reinteresse, quãdo mittuntur secundo ad alias Nundinas subsequentes, constituitur ex prima illa pecunia à principio accepta v.g. illis mille: & primo interesse cambij nempe 20. & secundo interesse recambij quod fingimus esse velut 22. vna illa summa 1042. aureorum fiuntq; litteræ in tota ista quãtitate 1042. aureorum quasi vnius sortis & capitalis, cũ interesse omnibus istis 1042. aureis cõmensurato: Quo progressu intra annũ augetur debi-

debitum illud propter varias à trimestri in trimestrem, vel quadrimestri in quadrimestrem noui semper interesse, ac reinteresse acretiones ad 1100. vel plura. Vbi consulat lector quę superius diximus tam de vsuris illis cētesimis, quam de vsuris vsurarū, quas nec leges Paganorum admittebant, conciderętque quam iniquum & exorbitans sit hoc augmentum tanti lucri, & interesse per huiusmodi recambia extortum, & quam violentum furti seu rapinæ genus.

Hunc ergo modum seu abusum potius remittendi litteras Campsorias ad priorem locum, vnde processerant cum nouo interesse, & pretio, iustum esse ac licitum existimant cāpsores, maxime quando fuit à principio contractus ita conuētum. Vtunturq; hac ratione: Pacta, siue conuentiones iustę & rectę rationi consonæ seruandæ sunt omni iure, vt omnibus constat, neq; est quod in hoc principio probando immoremur: at si campsor conueniat cum campsuario, vt nisi litteræ ab illo datæ v.g. à Valentia in Metinam actu & reuera ibi persoluantur, possit illas remittere Valētiam cum nouo interesse, & cætera quæ modo diximus, est pactum honestum & iustum, ergo seruandum, ita vt debeat campsuarius illi stare, possitq; campsor lucra illa & interesse tuta conscientia recipere. Probatur minor: pactum scilicet hoc honestū esse & licitū. Primo. Quia potest constitui tamquam pœna conuentionalis mutuo vtriusq; consensu, sicut potest imponi à quocunq; creditore, suo debitori. Secundo, Quia si campsuarius curasset vt litteræ illius in loco solutionis designato fuissent realiter & verè persolutę, curasset etiam factor campsoris pecuniā illam actu receptam per simile cambium cū alio celebratum ad manus ipsius campsoris cum alio interesse & lucro reduci: Campsor etiam illam sibi restitutam non fuisset passus esse otiosam, sed ea per aliud cābiū, alteri tradita, alia noua lucra sibi comparasset: quibus emolumentis & commodis expoliatur reipsa, eò quòd incuria campsuarij litteræ illę vbi fuerant primo destinatę, non soluantur. Ex hoc igitur duplici capite censent campsores recambia ista, de quibus hic loquimur, honesta esse, & iusta, & omne illud interesse, quod ex varijs missionibus & remissionibus illarum litterarum acrescit, iuste recipi posse, nempe & ratione pacti à principio ita initi, quod fuit velut pœna quędam conuentionalis mutuo vtriusq; consensu imposita, & ratione lucri, quod verè campsori cessat, eo quod litteræ illæ in locum designatum missæ cāpsuarii culpa non persoluantur.

Sed his non obstantibus hec recambia ab omnibus fere Theologis communi illorum sententia damnantur tāquam iniqua, & quæ per vim à miseris campsuarijs extorquentur. Ita Nauarrus in commento de Cambijs num. 25. Dominicus Soto lib. 6. de Iustitia q. 13. art. 2. Mercatus de contractibus lib. 4. cap. 10. Palat. lib. 3. de contractibus cap. 4. conclusio. 8. & omnes recentiores. Antiqui huius contractus in particulari nullam fecere mētionem, vel quod iudicarent illum apertissime iniquum, & indignum quod in controuersiam vocaretur, vel quod certius est, quod nullus esset temporibus ipsorum illius vsus. Sepe enim diximus, illos nullum aliud cambium agnouisse, quam illud secundę speciei, quod dicitur per transportationem. Nos ab hac communi sententia nullo pacto recedendū esse censemus, ea saltim ratione qua proposita quæstio a nobis explicabitur.

Obseruemus igitur imprimis, in contractu cambij campsorem ipsum vel certo nosse, aut saltim suspicari campsuarium illum nullam habere pecuniam, vel creditum in loco solutioni designato, & ex consequenti litteras eo remissas nec recipiendas ab aliquo esse, nec persoluendas, sed remittendas inde esse inanes & vacuas: vel bona fide suam conferre pecuniam prudenter credētem futuras illas vtiles, & virtute illarum reipsa efficiēdam esse solutionem. Rursum Campsor vel tempore contractus conuenit cum campsuario de remissione litterarum cum aliquo interesse, si solutę non fuerint, vel nullum pactum de ea re cum illo constituit, sed absolute & simpliciter exercet cum campsuario contractum cambij.

Obseruemus secundo, iuxta Glosam in cap. Dilecti de arbitris. triplicem esse pœnam conuentionalem; Quandam propter contumatiam, seu moram debitoris nō soluentis in termino constituto, quæ imponitur mutuo vtriusq; contrahentis cōsensu, neq; ex aliquo alio iure nascitur. Aliam quę debetur ex interesse alicuius damni emergentis, vel lucri cessantis: quæ non tam est dicenda pœna, neq; ita appellatur à Doctoribus, sed interesse: Quę dicitur etiam conuentionalis, quoniā solet mutuo quoq; contrahentiū consensu constitui, nititurq; iuri naturali, quo licet vnicuiq;, in contractu

tractu quem exercet, seipsum seruare indẽnem. Alia demum est, quę dicitur in fraudem vsurarum: dicitur etiam conuentionalis, quia mutuo consensu & conuentione contrahentium constituitur, sed in fraudem vsurarum, quia quæritur ea ratione lucrum, quod reuera & absolute vsurariũ est, simulatur vero iniquitas illius sub nomine pœnæ, in qua contrahentes conuenerunt. Prima illa quæ dicitur propter contumaciam seu moram debitoris, non exigitur in integrum, seu vt dicunt ad totum interesse, adeo vt si indeterminata sit, non possit ad summũ crescere nisi ad duplum tantum interesse, vt habetur Institu. De actionibus quæ nascuntur ex delicto. Pœna vero pro interesse non habet locum, nisi cum illud damnum, in cuius satisfactionem imponitur, actu & reipsa subsequutum est, vel lucrum in cuius cõpensam dirigitur, vere cessauerit. Vltima quæ constituitur in fraudem vsurarum, vt ex vocibus ipsis constat, inique ac fraudulenter imponitur ad celandam vsuram. Vnde non est dicenda pœna sed simulata.

His positis sit prima conclusio.

Recambia ista, de quibus hic loquimur, formaliter & proprie loquendo, nimirum sub ratione recambij, & eo modo quo a campsuarijs exercentur, iniqua sunt omnino, & vsuraria.

Probatur: Aut campsor tempore contractus nouit campsuarium nullam habere pecuniam, seu creditum in loco solutioni asignato, vel saltim est dubius, aut prudenter & probabiliter credidit realiter & vere faciendam esse ibi illius cambij solutionẽ: Si primũ, est cambiũ fictum & iniquũ, vt constat ex superioribus: qua de causa in eo casu nõ solũ est iniquũ pecuniã illã non solutã recambire cum nouo interesse, & lucro, sed neque primum interesse, vel lucrum licet vlla ratione recipere, cum sit verum mutuum simulatum sub nomine cambij.

Si verò bona fide pecuniam suam campsor ille tradidit, prudenter iudicans vere sibi in loco designato restituendam commutatam: percontor rursum, aut fuit inter ipsum & campsuarium tempore contractus conuentum, vt litteris non solutis remitterentur illæ cum nouo interesse, facta plena facultate campsori exercendi circuitum istum & progresum cambiendi, & recambiendi, quem diximus, aut non fuit inter eos ita constitutum.

Si nihil tale constituerunt, rogabo profecto campsorem quo iure, aut qua authoritate hoc facis? nulla certe alia, quam tuæ insaciabilis & iniquæ cupiditatis sugestione. Vnde argumentor. Debitore existente in mora, nihil aliud potest creditor quã compellere illum authoritate iudicis ad solutionem debiti, nisi aliter inter se conuenerint, in hoc autem casu campsor & campsuarius nihil aliud inter se constituerunt, quam vt soluerentur litteræ in aliquo certo loco, illis ergo non solutis nihil aliud potest ab illo exigere, quam vt soluãtur in eo loco, vel vbi recta ratio dictauerit. Et cõfirmatur, quia in debitorẽ pecuniarum, nisi fuerit in mora, nullã aliam actionẽ habet creditor illarũ, nisi eandẽ quã habet vẽditor merciũ, expectata solutione ad aliquẽ terminum, in emptorem illarum vbi fuerit in mora. Secundo. De bonis alienis nemo potest disponere sine consensu veri domini, aliter namque furtum est, quo bona aliena sine consensu domini contrectantur, quin & rapinę ac violentiæ genus, si disponens de bonis alienis sine consensu veri domini nitatur compellere illum, vt inique illi dispositioni stare debeat, & consentire: hoc autem ipsum accidit in recãbio vbi nullum pręcessit pactum, quo fuerit facta plena facultas campsori ad recambiendas litteras: disponit enim de bonis campsuarij varia interesse, & lucra ex illis sibi ascribẽs, & vẽdicãs sine illius cõsensu & voluntate: Quin potius gerit se velut per quandam tyrannidem tamquam verus illorum dominus, potens pro libito de illis disponere.

Tertio, Cõtractus exigit, vt in primo limine huius tomi vidimus, liberũ vtriusq; contrahẽtis cõsensũ, aliter nõ est cõtractus sed iniquitas & violẽtia, cõmutatio numularia quocũq; nomine donetur, siue cãbij, siue recãbij, est contractus humanus & ciuilis, ergo sine cõsensu cãpsuarij remittere litteras cũ alio interesse à priori diuerso, & illi superaddito, iniquitas profecto est, & vis quę illi iniuste infertur. Et cõfirmatur: quia cõtractus omnis exigit duos cõtrahẽtes re ipsa diuersos, vel saltim aliquã personã qui duos contrahẽtes referat, & representet ex commissione eorum quos representat: in huiusmodi autẽ contractũ quãuis à principio reperiantur duo contrahentes reuera diuersi, cãpsor scilicet conferens

pecuniam & campſuarius illam recipiens, at quando remittuntur cum recambio, nullus eſt qui referat perſonam campſuarij, cum ſine eius conſenſu & commiſsione, imo ipſo illud omnino ignorante fiat illa remiſsio, & noui intereſſe conſtitutio. Lege Mercatum loco citato, vbi inuehitur maxime contra iniquitatem huius contractus, & merito: nam & ipſimet campſores ac mercatores timentes Deũ illum iniquiſſimum iudicant, grauiterq; reprehendunt.

Vnde hac parte dimiſſa oſtendamus iam, nec præcedente conuentione in principio contractus illud licere. Imprimis ſicut mutuatarius neceſsitate compulſus accipit pecuniam ab vſurario, promittens illi intereſſe & lucrum ex mutuo, ita campſuarius cum quo campſor conuenit, vt niſi litteræ illius ſoluantur in loco nundinarum, remittantur cum illo alio intereſſe per recambium, non annuit, neque admittit conuentionem illam niſi propria neceſsitate illum vrgente compulſus: ergo quemadmodum vſurarius, eo quod mutuatarius conſentiat in vſuram, non deſinit inique agere, & iniuriam alteri inferre, & inique lucrum illud recipere, quia non conſentit ille niſi ſua neceſsitate oppreſſus, ita & cãpſor poſtulans tale pactum, eo quod campſuarius in illud conſentiat, non deſinit inique agere, & vim per illud inferre, cum non aliter conſentiat quam neceſsitate compulſus. Regula namq; illa iuris *ſcienti & volenti nõ fit iniuria* vt vidimus 1. tomo. q. 59. art. 3. In eo tantum habet locum, qui nulla vi, aut neceſsitate compellitur.

Secundo, eſto conſenſus campſuarij aliquid campſori tribueret, fiunt nihilominus huiuſmodi recambia cum maxima iniquitate: Nam cum cambiũ exercetur v. g. a Valentia in Hiſpalim, quia Valentię pecunię non ita abundant vt Hiſpali, redduntur in pretium talis cambij dicamus 2. vel 3. pro 100. quod ſi fiat aliud cambium ab Hiſpali in Valentiam, ſi iuſte fiat, propter eandem cauſam nimirum quia Valentiæ non exiſtat ea pecuniarum copia quam habet Hiſpalis, nihil omnino redditur, quin potius frequenter campſuarius ille recipiens ab Hiſpali in Valentiam lucratur, at in recambio de quo hic loquimur, quantumuis locus vbi illud fit, & vnde litteræ illæ non ſolutæ remittuntur, abundet pecuniis, *y corra baxa la lonja*, ſemper remittũt illas cum eodem intereſſe & lucro, cũ quo fuerant prius miſſę a loco prioris cambij, quod eſt apertiſsima iniquitas. Et maior eorum, qui certo vel probabiliter agnoſcentes campſuarium, cui ſuas pecunias tradunt, per multum tempus non eſſe ſoluendo, tradunt illas ſub iſto pacto, vt à quadrimeſtri in quadrimeſtrẽ mittantur ac remittãtur litteræ eorũ, fiantq; illarũ cambia & recambia ſub certo intereſſe, & pretio, toto illo tempore ſeruando. Quod quã iniquum ſit, neminem latet. Quia cum pretia cambiorum (vt videbimus) ſumantur ex abundantia vel defectu totius generis pecuniarum, & diuerſa illarum æſtimatione in diuerſis locis, ſicut hęc ſubinde per diuerſa tempora mutantur, ita & pretia: volunt autem campſores ij, qui adeo recambijs iſtis delectantur, quamuis pecuniarum copia vel inopia, illarumq; ęſtimatio, & cambiorum pretia mutentur, ipſis nihilominus certum ſemper eſſe ac ſecurum pretium illud, & lucrum, quod a principio conſtituerũt. Tranſgrediuntur enim, huiuſmodi cambia & lucra ſectantes omnes leges æquitatis, & inſtitię contractum cambij concernentes, & in ſuam illas torquent cupiditatem.

Mitto nunc fraudes eorum, qui in termino ſolutionis litteras campſuarij ita ſegniter, & frigide factori illius proponunt, vt exiſtimet ille licere ſibi per aliquot dies ſolutionem earum differre, ſicq; deceptus non ſoluat intra terminum vt eo non ſoluente, valeant ſtatim cum nouo intereſſe illas recambire.

Tertio, Cambium omne, contractus eſt, in quo vel campſuarius ſuam pecuniam campſori tradit, vt illam ſibi alio remiſſam reſtituat, quod dicitur cambium per tranſportationem pertinens ad ſecundam ſpeciem Cambiorum, vel contra campſor ſuam confert pecuniam campſuario, quam illi per litteras in alio loco commutatam perſoluat, quod eſt cambium tertiæ ſpeciei: ad quæ reducuntur quæ in prima ſpecie conſtituimus, illa namque ea tantum ratione ab his diſtinguntur, quod fiant in mutuam vtriuſq; cambientis vtilitatem, quo ad modum vero nõ aliter fiunt quam altero ex his duobus modis propoſitis, ſed in contractu recambij nec campſuarius exhibet aliquam pecuniam campſori alio transferendam, nec campſor tradit tunc aliquam campſuario, quam alibi per litteras ab eo recipiat, ſed ratione

ratione tantum illius primi cambij quod in alio loco fuerat ante celebratam, aliud interesse & lucrũ sibi de nouo aduenit, est ergo iniquus contractus, maximeq; alienus a propria ratione veri cambii. Quibus rationibus, & alijs his similibus adductus Sanctissimus Pius V. in sua Decretali de cambijs huiusmodi recambia, & pacta, & quascunque conuentiones siue ipso tempore contractus, siue post illud fiãt de aliquo interesse, constituere, his verbis omnino prohibet: *Porro ad tollendas quoque in cambijs, quantum cum Deo possumus, occasiones peccandi, fraudesq; fæneratorum, statuimus, ne deinceps quisquam audeat siue a principio, siue alias certum & determinatum interesse, in casu non solutionis pacisci.*

Quibus verbis non significat per certum & determinatum interesse, certam & definitam illius quantitatem, sed certum ac securum lucrum campsori non defuturum: quia (vt dicebamus) pretia cambiorum, & lucra ex illis percipienda per singula tempora, vel nundinas mutantur, debetq; campsor varię & incertę illarum fortunæ esse expositus; Contra quam propriam rationem & naturam cambiorum, inique profecto & fraudulenter agunt, qui constituunt a principio cum campsuariis pacta illa, vt nisi litteræ in termino soluantur, debeant aliquam quantitatem vltra interesse primi cambij reddere, vel vt liceat cãpsori litteras illas non solutas iterum atq; iterum nouo semper superaddito interesse recambire.

Secunda conclusio. *Neque titulo pœnæ propter morossam solutionem campsuarij licet hæc recambia, sicut sunt in vsu, exercere.*

Patet: Pœna conuentionalis debet esse certa, ac definita, & maxime moderata, vt ex secundo fundamento seu obseruatione posita constat: at interesse, & lucra, quæ campsores per sua recambia a miseris campsuarijs extorquent, non sunt exigua, sed maxima, cum vel intra annũ interesse mille aureorum, si cambire ac recambire illos campsori concedatur, perueniet ad 100. vel excedet. Habent namq; se huiusmodi recãbia sicut vsuræ illæ vsurarum, quæ propter maximũ grauamen quod continebant, fuerunt ab ipsismet Romanis omnino prohibitę. Præterea nec est pœna certa, & definita, sed quæ donec campsuarius in integrum omnia persoluat, magis ac magis subinde augetur, & crescit.

Secundo, quod secundum se, & ex natura rei iniquum est, nulla via, vel titulo, seu quouis quæsito colore fieri licet; at recambium secundum se, vt ex prima conclusione constat, est contractus quidam iniquus, & vsurarius, in quo fingitur noua commutatio pecuniarum cum interesse, quæ reuera ibi esse non potest, ergo neq; titulo pœnæ conuentionalis potest illud fieri. Dixi in conclusione recambia non posse exerceri sub titulo pœnę, sicut sunt in vsu, propterea quod cum pœna conuentionalis debeat esse exigua, interesse autem quod ex recambijs quæ cõmuniter fiunt, soleat esse maximũ interesse, quatenus est in vsu, potius ac verius est dicendum pœna in fraudem vsurarum, quam conuentionalis propter contumaciam morosi debitoris.

Poterunt tamen conuenire inter se cambientes de aliqua pœna, si litteræ a campsuario datę in loco solutioni destinato non persoluerentur, seruata duplici cõditione: Quarum prior sit, vt pœna illa exigua sit & moderatissima, posterior ne si adueniente solutionis termino litterę cito nõ soluãtur, dicatur statim esse in mora, sed concedantur illi aliquot dies 10. vel 12. vel 15. aut viginti: neq; enim commercia humana ad eas angustias redigenda sunt, vt nisi intra paucissimos dies solutiones fiant, sit statim illarum debitor censendus morossus, & in pœnam moræ incidisse. His enim duobus seruatis, perspicuum erit pœnam illam non apponi in fraudem vsurarum, nec ad captãda sub titulo pœnæ eadem lucra quæ modo recipiuntur ex recambijs, sed in eum tãtum finẽ qui honestus est, & iustus, vt cãpsuarius fidelem, ac diligentem se exhibeat in persoluendis litteris.

Sed dices forsan, concesso hoc genere pœnæ, patere iam aliquem aditum ad exercendas vsuras sub illo nomine, propterea quod campsori quæuis pœna videbitur exigua, & moderata, esto maxima sit, & lucro quod nunc ex recambio habetur par & æqualis. Hoc profecto, seruata illa duplici conditione timendum non est. Primo, quia pœna illa non est metienda cupiditate humana campsorum, sed arbitrio peritorum & prudentum, qui solam rei ęquitatem respiciant. Secundo, quia lucra quæ modo ex recambijs exiguntur non sunt certa, (vt diximus) & definita, sed in quadam acresione, pœna autem quam dicimus constitui posse, debet esse vnica, certa, & exigua. Tertio, quia iuxta morem campsorum, cum primũ non

non soluuntur litterę in termino, accusant moram campsuarij, & recambiunt illas, nos vero constituimus esse illi concedendum amplius tempus, & plures dies, vt ea ratione vere appareat morossum esse, & culpandum. Denique cum hanc pœnam concedamus ad prohibenda lucra recambiorum, eo ipso perspicuum est adeo moderatam esse illam constituendam, vt ex eiusdem quantitate perspicuum fiat, non esse appositam in fraudem vsurarum, sed vt debitor fidelior, & diligentior, in curanda solutione cambij accepti efficiatur.

Tertia conclusio. *Potest campsor, qui bona fide tradidit pecuniam suam campsuario, certo vel probabiliter credens, illum habere pecuniam vel creditum in loco solutionis, conuenire cum illo de lucro, quod vere illi cessauerit, & damno quod illi vere fuerit subsequutum ex non solutis litteris in termino, & loco solutioni designato.*

Dixi campsor qui bona fide pecuniam suam tradidit campsuario, Quia si campsor tempore contractus intellexit campsuariũ illum, nec pecuniam, nec creditum habere vllum in loco solutionis, & nihilominus sciens & prudens voluit cum illo periculo, & damno pecuniam suam illi tradere, sibi imputetur: qui enim propria sponte alicui periculo vel dãno se ipsũ exponit non potest illius exigere compensam, cum scienti & volenti alter nullam inferat iniuriam: Tum etiam, quia vbi campsor intelligit, vel saltim probabiliter suspicatur litteras campsuarij futuras inutiles, eò ipso exercet cambium siccum, & contractum iniquum, in contractu vero vsurario, & iniquo non habent locum tituli illi lucri cessantis, vel damni emergentis ex tali contractu. Vnde conclusio posita accipienda tantum est de campsore, qui bona fide suam tradit alicui pecuniam.

Dixi etiam, posse conuenire de lucro quod illi vere cessauerit, & damno quod vere illi fuerit subsequutum: nam nisi actu & reipsa sequatur, non potest aliquid exigere, vel recipere: quin recipiatur tantum illud in compensam, vbi vero nullum damnum adhuc subsequutum est, non est locus compẽsę. Quo circa non licet in principio contractus conuenire de quantitate aliqua certa, litteris non solutis persoluenda ratione damni emergẽtis, vel lucri cessantis. Quod & sanctissimus Pius V. in sua extrauaganti de Cambijs in verbis paulo ante citatis omnino prohibet, dum ait.

Nec deinceps quisquam audeat siue a principio, siue alias certum & determinatum interesse, etiam in casu non solutionis, pacisci. Vbi quamcunque conuentionem de soluenda certa aliqua quantitate, eo quod non soluantur litteræ, interdicit: minime vero pactum, quo promittit campsuarius satisfacere campsori damna, quæ ille actu receperit, vel lucra quę vere illi cessauerint, eo quod litteræ ipsius non soluantur.

Vtramque partem ostendamus. Prior, quam pręcipit Pontifex, hac ratione constat. Campsor non potest exigere a campsuario, cuius culpa non solutis litteris dãnum aliquod recipit, vel lucro aliquo priuatur, compensam, vel satisfactionem, nisi commensuratam arbitrio prudentum illi damno, vel cessationi lucri, & omnibus recte pensatis, iuxta ea quæ superius docuimus de lucro cessante, & damno emergente: Cõmensurari vero certa aliqua compẽsa damno, vel lucro quod nondum accidit, nulla ratione potest, tum, quia nullum forsan accidet, cum constituamus campsorem illi tantum pecuniam suam tradere, quem bona fide credit soluturum in termino, & loco designato, tum etiam, quia esto aliquod accidat, quis nouit quantum illud futurum sit? non ergo potest pacisci aliqua certa quantitas ratione damni emergentis, vel lucri cessantis.

Alteram vero patem ostendo: Quia iure naturę licet vnicuique, in cõtractibus quos exercet, maxime in his qui cedunt in aliorum vtilitatẽ, se ipsum seruare indemnem, & pacisci illud: campsor autem qui non conuenit cum campsuario de reddenda aliqua certa quantitate, vbi litteræ non fiūt solutæ, sed hoc tantum, vt promittat obligetque seipsum ad satisfaciendum & compensandum damnum, quod illi reipsa euenerit, vel lucrum quo vere priuabitur, eo quod litteræ illius nõ soluãtur, nihil aliud pręstat, quã velle seipsum seruare indẽnẽ, potest ergo illud pacisci a principio. Et cõfirmatur: Quia pacta, quæ videntur respiscere aliquod interesse, in nullo contractu magis vitanda sunt, quam in contractu mutui, licet autem in mutuo conuenire (vt vidimus) de satisfactione damni vere emergentis, & lucri vere cessantis mutuanti, licebit ergo & in cãbio. Qua de causa dicebam modo Piũ V. solũ precipere, ne certa aliqua pecuniarũ quantitas a principio assignetur in casu non solutionis, cum neque illa recte assignari possit, minime verò prohibe-

hibere: quin possit campsor pacisci cũ campsuario satisfaciat illi omnia damna emergentia, & lucra sibi cessantia ex defectu solutionis litterarum, quotiescunque damna illa actu & reipsa euenerint, cum hoc, ipso iure naturæ sit æquissimum, & debitũ, cui iuri constitutio Apostolica non repugnat.

Sed dices, si licet exigere damna emergentia, & lucra cessantia ex non solutis litteris, licebunt pari ratione recambia, quæ in prima conclusione damnauimus: Patet, quia recambia illa non fiunt nisi in satisfactionem damnorum, quæ recipit campsor non solutis litteris: Etenim si illæ in termino soluerentur, reciperet campsor pecuniã suam, quã non pateretur manere otiosam, sed alteri statim cum nouo lucro per aliud cambium exhiberet, qua vtilitate culpa cãpsuarij expoliatur campsor. Quo argumẽto diximus initio huius contro. mercatores sua recambia tueri. Sed hæc ratio nullam profecto habet vim: differunt namq; plurimum pactum de satisfaciendo lucro cessante, & damno emergente, quod reuera acciderit litteris nõ solutis, & recambia illa, quæ nos damnamus. Primo, quia damnum emergens & lucrum cessans non sunt compensanda iuxta illud pactum, nisi actu euenerint: at campsores cum primum nõ soluuntur litterę campsuarij in termino, etiã si nullum damnum inde recipiant, nullũq; lucrum illis cesset, recambiũt litteras illas. Secundo, quia etiam si inter cambientes nõ constituatur pactum aliquod, absolute & ex natura rei tenetur campsuarius non soluens litteras in termino ad compensanda damna, & lucra inde cessantia cãpsori, ex regula illa. *Si tua causa damnum datũ est, iure super his te satisfacere oportet.* De regul. iuris. At ista recambia fiunt communiter ex conuentione, in quam campsuarius sua necessitate coactus consentit. Tertio, in recambio exigitur integrum interesse, damnum vero emergens vel lucrum cessans nõ sunt in totum reddenda, sed iuxta ea quæ superius docuimus, explicantes qua ratione ista compensanda sint. Deniq; quando non soluuntur litteræ, raro habet locum damnum emergẽs aut lucrum cessans, quia à campsuario solum exigit campsor sortẽ, & primum interesse cambij, quod vere illi debetur, ex remissione vero litterarum, qui iuste ac recte hunc contractum exercent, nihil recipiunt, quia nec vllum patiuntur damnum, imo cum in loco solutionis & nundinarum communiter pecuniæ abundent, remittunt litteras cum aliquo lucro campsuarii: at si fiat pactum de remittendis litteris cum recambio, solent qui ita paciscuntur tantum interesse exigere ex illa remissione, & recambio, quantum in primo cambio fuerat constitutum, quod iniquum est & iniustum: illudque est quod in prima conclusione damnamus.

Ex quo sequitur, factores campsorum, qui acceptas litteras, & a nullo in loco & termino designatis solutas remittunt ad eundem campsorem, non cum eodem interesse, cum quo fuerant in primo cambio missæ, sed cum aliqua potius illius diminutione, & lucro campsuarij, (sicut cõmuniter fit in Hispania in nundinis Metinæ) quotiescunq; litteræ ibi non solutę, ad loca vnde illę processerant, remittuntur, non esse damnandos, neque alicuius iniquitatis arguendos, cum in vtilitatem potius campsuarij, quam in illius damnum remissio illa cedat. Quod si aliter quandoque contingat (quod rarissimum est) quia tempora & defectus pecuniæ in loco nundinarum sic tulerunt, vt remittantur cum aliquo interesse, illud est exiguũ, & raro accidens, frequentius namque remittuntur cum lucro campsuarij: vnde eidem fortunæ debet esse expositus, maxime vbi damnum rarum est & exiguum, lucrum vero maius & frequentius.

Ex dictis in hac controu. nonnulla obseruatione digna aperte sequuntur.

Imprimis, quam iniqua sit & damnanda campsorum consuetudo, qui diuitibus & magnatibus, quos probe norunt nullam pecuniam vel creditum habere, suas conferunt pecunias, ea lege, vt quandiu illas non restituerint cum omni interesse sibi debito, liceat eis iterum atque iterum, litteras quas ab illis accipiunt cambire, & recambire. Eos namque insatiabilis illa lucrandi cupiditas qua affecti sunt, adeo excecauit, vt non solum primum cambium, quod vere siccum fictumque est exercere non dubitent, verum etiam in multa tempora illud producere, nouasque semper iniquitates & vsuras illi adiicere non horreant, litteris illis quas inutiles esse & inanes certo sciunt, velut quodam circulo euntibus & redeuntibus. Quibus etiam iniquiores sunt, vt optime noster Fabianus admonet lib. citato prima parte cap. 1. nu. 12. qui cum suo campsuario nobili & diuite

ita cōueniunt, vt pro malorum debitorum periculo euitando, (sic ille loquitur) id est propter moram in reddenda solutione cambij in loco illi designato, absq; litteris, etsi scriptis, non tamen mittendis, vel admittēdis, quandiu sibi placuerit huiusmodi circulata cambia continuentur, siue potius in eorum libro cum lucro ex veris cambiis eū do, & redeundo proueniente, adnotentur, & scribantur. Quis enim non videat, hæc omnia nihil minus esse quam veram commutationem pecuniarum in diuersis locis? sed verum ac reale mutuum in eodem loco sub illis figmentis, recipiendum cum vsuris?

Sequitur secundo, damnandā similiter esse aliorum consuetudinem, quam audimus apud aliquos campsores Italos existere, vt obligent campsuarium, non modo ad pecuniam, quam v.g. conferunt Ianuæ, restituendam Lugduni cum interesse ibi debito, verum etiam, vt teneatur suis expēsis curare illius pecuniæ reditum, seu reductionem à Lugduno in eandem Ianuā: vocant cambium cum *recursu*: Hic vsus seu abusus potius plures continet iniquitates. Nam imprimis est aperte contra naturam veri cambii, Quia cambium solum est commutatio pecuniæ acceptę Ianuę cum alia restituenda Lugduni, qua restitutione facta, perfectus manet & omnino absolutus cōtractus cambij, neq; tenetur ad amplius campsuarius. Secundo, quia obligare campsuarium ad huiusmodi reductionē, idem reuera est quod obligare illum, vt pecuniā acceptam Ianuę, in eodem loco, vbi illam accepit, restituat, quod est propriū mutui, & maxime alienum a vero & reali cābio. Tertio, quia ea ratione, præter illud pretiū quod exigitur ratione cambij a Ianua in Lugdunum, exiguntur etiam expensæ faciendæ in reductione pecuniæ a Lugduno in Ianuam, quę vicem alterius pretij censendę sunt habere: quo fit, vt vnius cambii duplex in huiusmodi contractu postuletur pretium.

Sequitur tertio, quod pie certe ac prudēter idem quoq; Fabianus obseruat loco citato num. 49. & 50. male agere campsores, conferentes pecunias suas his quos sciunt ad ludos, & luxus, aliaq; delicta cōmittenda illas postulare: Tum, quia cum huiusmodi nullam habeant communiter pecuniam, vel creditum in locis nundinarum, cambia & recābia quę cū his exercētur, ficta sunt, & simulata: Tum etiam, quia dato illud haberent, qui norunt in tales vsus esse illas cōuertendas, consentiunt profecto, & cooperantur prodigalitati ac peccatis illorum, sicut qui gladium furioso & amenti offerret: de quibus dixit Apostolus Roman. 1. *Non solum digni sunt morte, qui talia agunt, verumetiam qui consentiunt facientibus.*

Eadem ratione reprehendendi sunt & multo grauius, qui suas ad Cambium, vel quouis alio titulo, seu ficto nomine dāt pecunias Principibus huius seculi, quos sciūt, aut probabiliter credunt in iniustis, vel impijssimis, truculentissimisq; bellis aduersus Christi fideles illos opprimendo ac diuastādo, esse illas consumpturos. Hi enim numularij, non solum grauissime peccant cum, illorum pecunię huiusmodi Principibus traditæ tot & tam grauium malorū sint occasio, verumetiam tenentur ad illorum omnium iuxta arbitrium boni viri restitutionem, ex regula illa citata. *Si tua causa damnum datum est, iure super his te satisfacere oportet.* Taceo (inquit hoc loco noster Fabianus modestię causa) quid censendum sit de illis numularijs, qui suas ad cambiū, vel quouis alio titulo, seu nomine dant pecunias Principibus, quos probabiliter creditur clam, vel palam exposituros illas iniustis bellis aduersus Christi fideles, aduocatis secum ad illa perpetranda Turcarum, uel aliorum infidelium classibus, copijs, & armis, cum grauissimo Reipub. Christianæ damno, & euersione, Christianiq; nominis dedecore & contemptu.

In fine huius secundæ conditionis quā exigitur ne cambium violentum sit, obseruandum est, nonnullos recentiores illud quoque exigere: Vt libere ac sine vlla vi cābium celebrari dicatur, ne campsor inuitet, aut roget campsuarium, accipiat pecuniam suam, quin potius campsuarius ipse illam postulet à campsore, illumque roget: quia cum hoc cambium per litteras sit in vtilitatem campsuarij, & ad leuandam eius necessitatem, videtur maxime cōsonum rationi, vt is in cuius vtilitatem illud cedit, debeat illud quærere, ac postulare. Sed re diligenter inspecta, hęc conditio necessaria nō est, cū possit cāpsor ex beneuolentia, & quādoq; ex charitate, cāpsuariū quem viderit pecunia egere, ad illā per cambium à se accipiēdam inuitare, illamq; propria sponte ei offerre. Neq; enim prohibet recta ratio, quin liceat preuenire necessitatē patiētē, imo laudabilius illud est, si ex charitate & beneuolentia fiat, quod si ex

ex cupiditate sola, poterit quidem ad auaritiæ peccatum cupiditas illa pertinere, non tamen reddet contractum iniustum, seruatis his quæ hactenus docuimus, & iusto pretio cambij, de quo nunc dicere paramus.

De tertia conditione Cambij iusti, nimirum, vt fiat iusto pretio.

TERTIA conditio, quæ omniũ quotquot sunt DD. consensu exigitur in Cambiis, est, vt fiant iusto pretio: Vocatur autem pretium cambij lucrum illud seu interesse, quod recipit campsor per huiusmodi contractum: quamuis in explicando huiusmodi lucro differant quidem DD. in modo loquendi. Qui enim volunt cambium esse venditionem, in qua campsor tradita sua pecunia presenti tamquam pretio emit a campsuario absentem tamquam mercem, pecuniam illam quam confert vocant pretium, & quanto minus dat v.g. Ianuæ pro pecunia sibi restituenda a cãpsuario Lugduni, tanto minori pretio dicunt emisse in illo cambio. Qui vero negant hunc contractum venditionem esse, facientes illum formaliter & proprie commutationem pecuniarum, quam sententiam sequuti sumus, interesse illud quod reddit campsuarius in loco solutionis vltra sortem, quod cedit in lucrum campsoris, vocãt pretium cambij. Confert v. g. Petrus Valentię 100. aureos Ioanni, commutandos cum pecunijs quas habet Ioannes Metinę, vel proprias vel in fide & credito amici, conueniunt vt iuxta cõmunem vsum fori pro illis 100. aureis quos recipit Valentiæ, restituat Metinæ 102. illi duo quos restituit vltra sortẽ, sunt pretium huius Cambij. Vnde qui faciunt cambium emptionem pecuniæ, quanto magis recipit campsor in loco solutionis litterarum, tanto dicunt illum vilius emere, & minus pretium reddere. Nos verò qui facimus illud veram commutationem pecuniarum in diuersis locis, quanto magis cãpsor recipit in loco solutionis, tanto carius ac maiori pretio dicemus cambium illud contulisse.

Diuerso quidem utimur sermone, sed idem est sensus: pretium namque cambij, quacunque ratione loquamur, appellamus lucrum illud, siue excessum, quem recipit campsor in loco solutionis, vltra sortem quam ipse prius campsuario tradiderat. Hoc quidem interesse, siue lucrum, siue pretium dicas, iustũ esse oportere sicut in cõtractu emptionis & venditionis, adeo perspicuũ est, vt in eo probando DD. non immorentur. Ratio est apertissima: Quia nisi iustum sit, haberet profecto alter cambientium plus, alter vero minus quam debent habere, quod repugnat directe iustitiæ cõmutatiuæ, ad quam contractum cambij certissimum est pertinere. Iustum autem censent huiusmodi interesse seu pretium Siluester vsura 4. q. 9. Caiet. De cambijs c. 7. a quibus sumpsit illud Nauarr. in suo commento de cambijs num. 42. Fabianus De cambijs. p. 1. num. 18. Mercatus lib. citato c. 7. & fere omnes seruata duplici conditione, quarũ prior est, vt seruetur in vtroq; loco inter quæ fit cambium, iustus valor, & æstimatio pecuniæ quæ cambitur in illis. Altera ne pretium cõmuni foro receptum augeatur ratione temporis, nimirum propter dilatam pecunię quę cambitur solutionem.

Vtramque conditionem seorsum expendamus

Controuersia XV.

QVA RATIONE, VT PRETIUM cambij iustum sit, debeat fieri illius constitutio, & pecuniarum quæ commutantur æstimatio ab ipsis campsoribus?

PRETIVM cãbij duobus modis institui ac introduci potest sicut & in alijs mercibus, vel authoritate Principis siue Reipub. aut communi vsu fori. Authoritate Principis, vel Reipub. quando illius lege, & edicto præscriberentur pretia cambiorum ad varia loca. Sicut refert Nauarr. in commẽto de cambijs num. 5. fuisse pręscripta à Rege nostro ex Hispania ad varia loca omnium Regionum, & Prouinciarum, in quibus illa fieri consueuerunt: quæ lex si quidẽ fuit recepta, neq; abiit in disuetudinem, habet profecto vim obligandi, tam in foro animæ, quam in exteriori, iuxta ea quæ docuimus initio huius operis quęst. 77. ar. 1. agentes de pretio legali. Videmus tamẽ illam vel non fuisse receptam, nec redactam in vsum, vel si fuit, abijsse quidem in disuetudinẽ, neq; ab aliquo obseruari. Quãuis vt Nauar. & Mercat. admonent, & nos iam superius attigimus, expediret forsan plurimum

plurimum ad bonum commune, ne cambiorum pretia arbitrio campsorum relinquerẽtur constituenda, sed a Principibus ipsis, habita peritorum & prudẽtum, qui & Deũ timerent, & ab huiusmodi contractibus & negotiis iam recessissent, cõsultatione, omnibusq; diligenter & mature pensatis taxarentur. Quod enim in mercibus iudicatum est rectæ rationi, & communi bono maxime consonum, ne illarum pretia arbitrio venditorũ relinquãtur, sed constituantur a Principe vel Magistratu, multo magis expediret in commutatione rei, vsibus humanis adeo necessariæ, & circa quam vsuraria iniquitas tam facile permisceri potest, qualis est pecunia. Qua ratione in Regnis Castellę nõ licebit ad aliqua loca amplius quã acceptis 10. pro centũ cambire, cũ lege illius Prouinciæ, quæ habetur in Recopil. lib. 5. tit. 18. l. 9. pręcipiatur, vt nullo pacto recipiãtur amplius quam 10. pro 100. in omnibus cõtractibus, etiam permissis, esto sortiantur nomen cambij. Eadem ratione in Lusitania nullum interesse ex aliquo cãbio recipere licebit, cum lege illius Regni a Rege Sebastiano ędita intra Regnum illud nulla cambia exercere liceat: extra Regnum vero nihil omnino recipi, præcipiat sub titulo cambij: Cæterum quamuis in Regno Castellæ amplius quã 10. pro 100. in nullo cambio, ad quæcunq; loca illud celebretur, iuxta legem illius Regni recipere liceat, obseruetur tamen ne illud, non satis perspicuum est: Qua de causa sumenda sunt pręcipue cambiorum pretia a communi vsu fori: Sed vnde sit iste vsus fori desumẽdus in pretiis cambiorum, non explicatur ab omnibus eadem ratione.

Si praxim ipsam, & receptam inter mercatores consuetudinem respisciamus, vsus isti, seu cambiorum pretia partim ab ipsis campsoribus, partim ex temporis euentu constituuntur hac ratione. Cum primum intelligunt campsores v.g. Valentini solutiones præcedentium nundinarum, veluti earum quę Iulii in Metina celebratę sunt, iam factas esse, & remissiones illarũ vocãt *el retorno* a Metina in Valentiam, vel alia loca, ex interesse quod in huiusmodi remissionibus vident fuisse constitutũ Metinæ, & ex ijs quæ vel per epistolas, vel ab ijs qui inde adueniunt, accipiunt, intelligunt quæ pecuniarum abundantia vel deffectus Metinæ existat, comparantq; illam cum abundantia vel penuria pecuniarum quam intelligunt tunc quoq; Valentiæ reperiri, considerant etiam, quæ a Proxenetis circa hos contractus sibi significantur, (cum his, omnia fere bona & negotia mercatorũ sint comperta) sint ne iam aliquę pecunię in sequentes nundinas per cambiũ alicui traditæ, & in quo pretio, conueniuntq; tunc mercatores in domo negotiationis, quam congregationem solent consulatum mercatorum appellare, & his omnibus acurate pensatis, vbi pecuniæ magis abundent nũ Valentiæ an Metinæ, quæ cambia ceperint iam fieri, & in quo pretio, constituunt ipsi quasi communi quodam consensu pretiũ, in quo exercenda erunt cambia ad proxime sequẽtes nundinas in Octobri, Metinę celebrandas: similiq; modo alia pretia ad loca remotiora, & illorum nundinas proxime futuras. Sed hac ratione: vt quamuis cõmuni quodam consensu, quando incipiunt post nundinas Iunij exerceri cãbia ad proxime sequentes nundinas Octobris, constituantur illis pretia, progressu tamen illorũ mensium, & in eorum decursu soleant illa quandoq; augeri, quandoque minũi, non propter maiorem vel minorem distantiam temporis vsq; ad terminum solutionis, sed quia medio illo tempore quãdoq; deficiũt pecunię, & abundant querẽtes Cambia, & tunc augentur pretia: quandoq; vero abundant pecuniæ & desunt quærentes cambia, & tunc minuuntur illorũ pretia sicut cõtingit in mercibus, quæ experientia teste venduntur carius propter earum penuriam & abundantiam emptorum, vilius verò si cõtra res accidat, merces scilicet ipsas abundare & emptores deficere. Hac igitur ratione imponũtur & procedunt cambiorum pretia a Valentia ad nundinas Metinæ: similiterq; erit iudicandum de alijs locis ad nũdinas aliarum Regionum, veluti a Ianua ad nundinas Lugduni a Florentia ad nũdinas Placentiæ, & sic de cæteris,

In nundinis vero pretia reductionis cambiorum dicunt *de los retornos*, Ita constituuntur, simili fere ratione. Adueniente solutionis termino, ac vt illi loquuntur *de los pagamentos* explorant diligenter cãpsores ipsi, qui ad locũ nundinarum in hũc finem adueniunt, quam locus ille nundinarum habeat tunc pecuniarum copiam vel penuriam apud ipsos, & similiter qua ratione in aliis locis, quo solutiones ibi factæ remittendæ sunt, pecuniæ abundent vel deficiant, quod & a Proxenetis, & ab ijs qui eo aliunde adueniunt, cõmode possunt intelligere: inquirunt etiam num aliquæ re-

missiones illis primis diebus sint factæ, & his omnibus diligenter & mature considератis, conueniunt campsores illi in locum vnum, vt iuxta ea quæ perspecta habēt de copia vel inopia pecuniarum in diuersis locis, & aliquibus remissionibus iam factis, communi eorum consensu taxetur qua ratione solutiones precedētium cambiorum in illis nundinis factę ad singula loca remittantur: dicunt *en que precio se porna el retorno*, vel *como se hara el cuento*. Omnibusque pensatis, & singulorum sententijs inter se collatis, ac ventillatis, vocatis etiam Proxenetis in hoc genere negotii peritis, vt eorum consilio & arbitrio quod ęquius est intelligatur, conueniunt tandem tamquā communi eorum consensu à Metina in Valentiam reducendam esse pecuniam ibi solutā in hoc vel illo pretio, ad Barchinonā in hoc alio, ad Lugdunū in hoc alio, & sic de cęteris omnibus locis, ad quę solutiones illæ remittendæ sunt. In quo certe prudenter se gerunt: Quia si duo vel plures existant Metinæ campsores, recipientes solutiones litterarum quas a Valentia acceperunt, quibus acceptis remittant illas in variis pretiis, vnus in maiori alter minori, posset campsor Valentinus, cui in minori remittuntur conqueri de factore, & corresponsali illo Metinensi, nō prospexisse satis illum, vtilitati ipsius, cum in maiori pretio ab eadem Metina in Valentiam alias solutiones intelligat esse remissas: Cui damno, & quærellis, quæ facile a multis excitarentur, vt occurrant, congregati campsores in loco nundinarum, post multam interse collationem ac disputationem, in qua hi quibus expedit pretium exiguum esse, illud diligenter curant, quibus vero expedit vt maius illud sit illud quoq; quantū possunt nituntur, conueniunt de aliquo certo omnibus commodato, & communi consensu iudicato iusto.

Hac ratione constituuntur pretia cambiis, tam in primo illorum contractu, quando recipiuntur pecuniæ restituendæ in nūdinis adueniente solutionis termino, quam in remissione solutionis ad priorem locū: *que es el retorno*, & hæc pretia sic cōstituta, eo modo quem explicauimus, censentur inter eos esse communis vsus fori, de quo nunc inquirimus, an probandus sit, & validus, & an pretia sic constituta iusta censeri debeant.

Mercatus lib. citato c. 7. & nonnulli eū secuti videntur non satis illum probare. Primo, quia sicut in mercibus pretia ab ipsismet venditoribus introducta non sunt censenda iusta, sed quæ periti & prudētes, in quibus nulla cupiditatis suspitio existit, constituerent, ita & multo potius in cambijs, in quibus materia circa quam versantur, nempe pecuniæ maius continent cupiditatis & iniquitatis incentiuum. Secundo, quia vipetur quoddam genus Monopolij, communi consensu eorum, quorū vna est cupiditas, & animus captādi lucra, pretium constituere.

Sed his non obstantibus pretia hac ratione instituta, vel tēporum decursu recepta, iusta censenda sunt: his tribus conditionibus seruatis.

Prima, ne mercatores & campsores illa suo mutuo consensu constituentes aliquod Monopolium, ex his quę superius contro. 13. huius articuli retulimus, & dānauimus, exercuerint, vel inter se inierint. Duobus namq; modis (vt ibi diximus) possunt illud efficere, vel quando sua industria seu, iniquitate potius per medios Proxenetas, & alijs artibus ab eorum auaritia excogitatis corradunt omnem pecuniam, recipiētes quoq; illam ab aliis per cambia, vt vniuersa apud illos existente & occultata, censeatur esse illius penuria in eo loco, quò pretia cambiorum & eorum lucra plurimum augeantur: vocant *alçar la plaça*. Solent enim vt inquit Soto lib. 6. de iustitia q. 12. ar. 3. confederari inter se duo aut tres ex campsoribus ditioribus, qui omnem abradunt pecuniam in principio nundinarum, illam ab omnibus colligentes, soluendam partim in Flandria, partim Lugduni, vel Antuerpię, aut similibus locis. Quo fit, vt alij mercatores, qui in eisdem nundinis vel similibus locis pecunia presenti plurimum indigent, cogantur ab illis qui omnem prius in suas domos collegerunt, cambia cum eo pretio quod illis libuerit, quantūuis aucto & supremo recipere. Vel conueniunt se ipsos inuicem exortantes, communi quodam interse consensu & pacto, ne vllus pecuniam alicui conferat, nisi hoc vel illo pretio cupiditati eorum accōmodato, quidquid sit de pecuniarum abundantia vel penuria, tali loco & tempore. Siquidem vel temporū iniuria pecuniæ deficiant, veluti cum clasis auro & argento onusta ex India veniēs casu aliquo naufragiū facit, & perit, vel Respublica aliqua necessitate cogente omnes colligit pecunias, quibus illi occurrat, vel aliqua ratione sine mercatorum vitio &

culpa illud accidat augeri tunc pecuniarũ æstimationem & vna cum illa cambiorum pretia nulla est iniquitas, imo postulat illud recta ratio, sicut & in alijs mercibus, quas abundantia viliores penuria vero magis pretiosas reddit. At quando pecuniarũ inopia ex auaritia mercatorũ propter aliquod Monopolium, vel similes artes contingit, maior illa æstimatio iniusta est, tam quam ab iniusta causa & radice procedens, & pretia quæ ex iniqua illa ęstimatione sumuntur similiter iniqua: qua de causa inique illa recipiunt, & iniquius retinent, tenenturq; omnino ad illa restituenda.

Secunda conditio est, vt æstimatio pecuniarum rite ac recte fiat, non temere, & imprudenter, vel auare, sed perspecta diligenter vera & reali copia vel inopia pecuniarum quæ simul & in eodẽ tempore existit apud ipsos mercatores, tam in loco vbi cambium primo recipitur, & exercetur, quam in loco vbi facienda est illius solutio: et similiter in remissionibus solutionum, quas vocant *retornos*. Qua explorata & cognita ęstimẽtur pecunię in illis, prout peritus artis campsoriæ in illis locis prudensq; ac timens Deum, & qui iam nulla lucrorũ cupiditate teneatur, iudicaret: nã soli iuditio & arbitrio campsorum illud relinquere, nõ dubito periculossum esse, propter maximum cupiditatis incẽtiuum quod secum affert negotiatio in mera, nudaque pecunia.

Tertia conditio est, ne vllomodo campsor attendat, vel respiciat necessitatem & indigentiam pecuniæ, quam patitur qui illam per cambium quęrit, & petit, vel lucrum quod ex illa pecunia per cambiũ accepta est reportaturus, vel imbecille, & infirmum, parumq; sufficiens creditum quod ille habet, vel quid simile, vt maius pretiũ ab illo exigat, quam sit communi vsu fori receptum.

Solent enim imprimis nonnulli campsores debitæ æquitatis, & diuini iuditij obliti à miseris campsuarijs quos vident pecuniis ipsorum plurimum indigere, & in graui aliqua necessitate ita existere, vt ad cambia illa in quocunq; pretio recipienda omnino cogantur, summa & exorbitantia pretia exigere, & extorquere, quibus illi vt suam necessitatem & vexationem redimant, vel inuiti annuunt, & consentiunt. Simili iniquitate vtũtur alii sub prętextu, & titulo, quod illius campsuarij, cui pecunias tradunt, creditum in loco solutionis non satis firmum, & constans sit, propter quod inquiunt, cum nullus sit cãpsor, qui cum illo suas pecunias cambire vellit, qui tanto periculo suas exponit, recte poterit à iusto pretio excedere: negari enim non potest periculũ illud pretio æstimabile esse. Alij vero intelligentes cãpsuariũ, cui suas pecunias tradunt commutandas, conuersurum illas in negotium, ex quo magna recipiet emolumenta & lucra, quasi digni qui ad illius vtilitatis & lucri partem aliquam admittantur, iustum illius cambii pretium plurimum augent.

Quos omnes inique, & iniuste agere nulli dubium esse debet. Primi quidem, nedũ iniusti, sed crudeles etiam & impij censendi sunt, cum grauem illam necessitatem, & indigentiam, quam miser campsuarius patitur, non solum non curent leuare, illique subuenire, sicut ex precepto charitatis deberent, verumetiam eandem illi vendunt: & quasi non sufficiat illi sua miseria, ratione illius vltra iustum pretium cambij, aliquid aliud reddere iniquitate & impietate huiusmodi campsorum cõpelluntur. Agũt etiam inique secundi, propterea quod quãuis periculum aliquod existat, quando cãpsuarij creditum nõ est satis firmum, & securum, campsor tamen, qui cum tali periculo suam pecuniam vult illi conferre, libere & propria sponte illi periculo se ipsum offert: quando autem periculum propria spõte suscipitur, nullum pretium pro illo exigere, aut recipere licet, sed aliquam tantum quærere securitatem, qua accepta se ipsum indemnem constituat. Tertii inique etiam agunt: Quia sicut venditor potest quidem (vt cum D. Thom. docuimus initio huius operis q. 77. art. 1.) propter vtilitatem quã ipse ex re quam rogatus vendit, percipiebat, & qua in gratiam emptoris se ipsum expoliat, pretium augere, minime verò propter vtilitatem, quam ex ea emptor illius recepturus est: quia huiusmodi vtilitas res quędam est eiusdem emptoris, quã eidem vendens non minus inique agit, quam qui rem aliquam vero eiusdem rei domino vendere niteretur: aut venderet. Adde, quod ex pecunia alicui collata, & in negotia aliqua vtilia & lucratiua conuertenda, partẽ aliquam lucri is solum exigere, & recipere potest, qui sub contractu societatis illam alteri confert: campsor verò de quo hic diserimus, nihil minus exercet, vel exercere instituit quam sotietatis contractum, sed solum cambij.

Vnde

Vnde falsum est quod docet Caietanus in suo opusculo de cambijs cap. 7. Cambium, in quo recipit negotiator aliquis Mediolani v.g. mille argenteos, cum quibus certo negotiabitur, & lucrabitur, redditurus Lugduni marchas auri in auro, quæ efficiant centum scuta aurea, vel ducatos, qui reuera valent ibi mille & centum argenteos, non esse omnino damnandum: propterea quod negotiator ille cēsendus est vendidisse Mediolani illas marchas auri reddēdas Lugduni viliori pretio quam valeant, vt habeat Mediolani pecuniam, qua valde indiget ad sua negotia, & cum quibus plurimum lucrabitur, vtiliusq; multo ac commodius illi est iacturam facere illorum centum argenteorum, quos perdit in illa commutatione, & cambio a Mediolano in Lugdunum cum tali pacto, quam cessare a negotiatione illa sibi vtilissima, & quam exercens multo plura lucrabitur.

Hoc Caietani dictū seu assertio reprehenditur a Dominico Soto loco paulo ante citato, & ab aliis grauissimis DD. & merito. Primo, Quia vt modo dicebam, propter vtilitatem, quam est recepturus Campsuarius pecunia illa alicui negotio tradita, nullomodo licet a iusto pretio cambii excedere, cum vtilitas illa non sit tribuenda pecuniæ acceptæ, sed industriæ, diligentiæ, & laboribus campsuarii, qui cum illa negotiatur: Quin etiam, esto pecuniæ illi aliqua ex parte lucrum illud deberetur, at quando illud cum ea adquiritur, pecunia illa iā non est campsoris, sed campsuarij solius, in cuius plenum dominium per contractum cambii translata fuit, cum solo pacto restituendi aliam illi æquiualentem in loco nundinarum, vel alio simili vtriusque consensu designato, vnaqueq; autem res quæ fructum facit, domino tantum suo fructus illos fert non alieno.

Secundo, quod est argumentum Dominici Soto, Quia licet negotiator iste recipiat Mediolani pecunias argenteas, redditurus Lugduni aureas, Cambiū istud quod exercetur a Mediolano in Lugdunum, nō est velut Cambium minutum, in quo (vt diximus agentes de illo) potest pecunia aurea, vt metallum pretiosius, vendi maiori pretio, quam sit commune & legale pecunijs impositum, sed est vere cambium per litteres, & ratione loci, in quo inter mercatores nullum est discrimen inter pecunias aureas vel argēteas, neq; augent ipsi valorem scuti vel ducati ratione auri pretiosioris, sicut faciunt quandoque Principes, & Rex noster, cum auri pretium lege sua augent, sed vtuntur vt constat mercatores, & campsores nominibus illis Scuti, Ducati Castellanę, & similibus in cambiis, tāquam nominibus huic contractui in variis Regnis accommodatis: Quin & Marcha auri, vt habēt Fabianus, Hieronymus de Luca, & alij, modo non est peculiaris aliqua pecunia proprio & peculiari charactere designata, sed nomen certi valoris pecuniarum, & æstimationis earum in illis locis, in quibus fiunt cambia: quod significauit etiam Siluester Vsura 4. §. 6. vbi ait: *Non vtuntur mercatores moneta vt vulgus.*

Deniq; hoc genus cambiendi aut non est in vsu, aut certe est vsura, vel iniustum cambium, cum illud reipsa non sit venditio auri, sed velut restitutio mutui, cum vsura, cum campsori parum referat, fiat ne solutio pecuniæ a se datæ in auro, vel alia moneta, sed id tantum, vt quam contulit postea cum lucro recipiat: vel si cambiū sit, fit iniusto & inæquali pretio.

His igitur tribus conditionibus seruatis, Vt absit omne Monopolium, Vt æstimatio pecuniarum rite, ac recte omnibus diligenter exploratis fiat: Vt nullomodo propter necessitatem campsuarij, vel infirmum creditum illius, vel lucra ex pecunia quam recipit illi accessura, augeatur pretium, pretia eo modo quo diximus, communi illorum cōsilio & consensu introducta, & recepta iusta esse, certissimum est. Probatur: Vbi lex pretia non præscribit sumenda sunt illa ex communi vsu fori, communis vsus fori sumendus est ex arbitrio peritorum & prudentium in contractu de quo agitur, pretia autem cambiorum, iuxta modum & praxim quam retulimus, seruatis istis tribus conditionibus explicatis, a peritis & prudentibus in arte campsoria censentur iusta, nec potuit excogitari commodior via, quam vt communitas ipsa seu vniuersitas mercatorum, in qua alij pecunias daturi sunt, alij vero illas accepturi, conuocatis etiam aliis peritis & prudentibus in eadem arte illa constituāt, sunt ergo ista censenda iusta.

Nec obstat, quod campsores, a quibus pretia ista constituuntur, videantur rem suam agere, & vtilitati suæ prospiscere: propterea quod non omnes qui ad huiusmodi pretiorum constitutionem conueniunt, sunt campsores & creditores, quorū refert pretia esse cariora: sed quidam vt

di co

dico sunt creditores, alij debitores, quo fit, vt sicut creditoribus interest pretia esse maiora, ita debitoribus esse minora, & hac mutua concertatione, qua singuli suis commodis prospisciunt, sumitur medium ad singula loca omnibus accommodatum.

Neque illud etiam obstat, quod post constituta pretia in locis, in quibus primum recipiuntur cambia ad sequentes nundinas, decurrente medio tempore augeantur illa, vel minuantur: Efficitur nãq; illud ex vario tẽporũ euentu: veluti, quia existant plures quærentes pecunias per cãbium, & pauci qui illas conferant, vel quia abundantia & penuria pecuniarum in illis locis aliter prius, aliter posterius se habet: ex eisdem namq; causis, quibus ptetia mercium augentur, vel minuuntur pro temporis mutatione, & intra breuissimum quandoq; tempus, mutari similiter possunt cambiorum pretia.

Cęterum quia ab ipsismet campsoribus, & mercatoribus pro temporum & locorum varietate cambiorum pretia constitui, vel mutari dicimus, postulat hic locus, antequam ad alia progrediamur, explicemus.

Controuersia XVI.

VNDE SVMANTVR VARIA *pretia cambiorum, quæ a mercatoribus ipsis constituuntur in vsum fori?*

DOCTOR Nauar. in suo commento de cambijs nu. 43. assignat octo causas, siue titulos, quibus effici potest, vt pecunię, quæ iuxta suum proprium & legale pretiũ pares sunt, & æquales, aliunde tamen diuersam habeant æstimationem.

Prima, quam assignat, est diuersitas metalli: idem enim ducatum in auro magis æstimatur quam in argento habitum, quia ad negotia, vel alios vsus commodius est.

Secunda, quando licet sit ex eodem metallo in specie, non tamen in eodem gradu, quod vocant *del mismo quilate*: qua ratione scuta aurea Lusitana, Hispalensia, vel Vngara pręstant scutis aureis Italis, vel Gallis.

Tertia, quia in figura & pondere alię ab alijs superentur.

Quarta, ratione diuersorum locorum, & regionum, in quibus ædem pecunię eiusdem metalli, & in eodem gradu, ac figura, & pondere diuersos habent valores. Argentei enim Betici magis valent Cęsaraugustę quam Valentiæ, & aurei Hispani maius pretium habent in Gallia quam in Hispania.

Quinta, quando vna pecunia periclitatur lege Regni cadere a suo valore, vel prohiberi, cui periculo alia non subest, perspicuum enim est hanc in maiori pretio tunc haberi.

Sexta, ratione temporis: eadẽ enim pecunia non solum in diuersis locis, verum & in eodem Regno diuersis viis potest anno sequenti in maiori, vel minori pretio, seu æstimatione haberi, quam nunc habeatur.

Septima, ratione copię vel inopię totius generis pecuniarum in illis locis, in quibus non ęqualiter ęstimantur.

Octaua, eo quod alia pecunia absens sit, alia vero presens: hæc enim iuditio Nauarri cum magis sit in promptu ad quoscũque vsus, quam illa, magis æstimatur. Subiungitq; nunquam tamen pecunia in maiori prtio, vel æstimatione habenda est, eò quod anticipetur, vel postponatur illius traditio, neque quod in maius vel minus tempus conferatur.

Ex his causis prima, secunda, tertia, quinta, & sexta parum certe faciunt ad presens institutum: Mercatores nãq;, & quicunq; negotiantur, in constituendis Cambiorum pretiis nihil minus curant, quam aliquam istarum causarum, cum in hoc cõtractu, tam in recipiendis quam restituendis pecunijs, nulla habeatur ratio, metalli, figuræ, vel ponderis harum vel illarum pecuniarem, neq; alicuius periculi cadendi a suo valore, sed illud tantum respiciant, quantitatem & numerum pecuniarum quę recipiuntur, & restituuntur in loco solutionis, in quocunque genere & in quacunque sorte pecuniarum illę recipiantur, vel restituãtur, iuxa propria pretia quæ illæ habẽt, in locis in quibus recipiuntur, vel restituuntur.

Qua de causa, a quibusdam tres tantum asignantur causæ diuersæ æstimationis pecuniarum in diuersis locis. Quarum prima sit diuersum pretium legale illius pecuniæ in illis locis, quæ in ordine earum quas assignat Nauarr. est quarta: Secunda vero ratione presentię vel absentiæ quæ est vltima, & octaua in ordine Nauarri: Tertia verò ratione maioris vel minoris æstimationis quam illa habet inter mercatores, & cãpsores ipsos in vno loco, quam in alio, quã

cau-

causam facit Nauarrus septimam.

Ab alijs vero neq; omnes hę tres causæ censentur huic instituto, siue cambio de quo hic disserimus, accommodatæ. Nam prima quam hi asignant, quę apud Nauarrum est quarta, diuersum scilicet pretium eiusdem pecuniæ in diuersis locis, sicut in argenteis accidit inter Valentiam & Cęsaraugustam, & in aureis Hispanis inter Hispaniam & Galliam, vel Italiam, non consideratur a campsoribus in hoc cambio tertiæ speciei, cum tam in recipiēdis pecunijs quam in illis restituendis nihilminus curēt quam genera vel sortes pecuniarum, sed illarum tantum quantitatem & numerum, in quocunque genere & in quacunque sorte illę conferantur, vel restituantur: neque aliud atendunt, quam quot scuta, vel Castellanas, designatis illis certo pretio iuxta communem campsorū vsum tali loco & tempore sint a campsuario restituenda. Qua de causa, nos cum explicaremus primā speciem cambij, ibi diseruimus de cambio, in quo pecunię quæ commutantur habent diuersum pretium, & valorem in illis locis, inter quæ fit illarum commutatio; distant enim plurimum diuersum pretiū seu diuersus valor, seu pretiū & diuersa ęstimatio, quia valor seu pretiū pecuniarū Principis vel Reipub. innititur, diuersa autem ęstimatio copię vel inopiæ pecuniarū: tum etiā, diuersus ille valor raro mutatur, diuersa tamen æstimatio pasim: demum manente eodem valore & pretio pecuniæ in diuersis locis existit varia illius æstimatio in eis. Etenim (sicut superius dicebamus) idem pretium eundemq; valorē habet argēteus in Hispania, & in India vtroque namq; in loco valet 34. dipondios, at æstimantur magis in Hispania quatuor argentei, quam in India 10. propter abundātiam argenti quam India habet. Quibus efficitur, vt alia sit ratio cambij, in quo cābiuntur pecuniæ secundum diuersum pretium & valorem in diuersis locis, de quo (vt dixi) egimus suo loco, explicantes primam speciem cambiorum, alia vero cambij de quo nunc disputamus tertiæ scilicet speciei, in quo pretia non constituuntur secundum diuersum pecuniarum valorem, sed secundum diuersam tantum illarum æstimationem.

Neq; secunda illa causa, quam isti asſignant, quæ apud Nauarrum est octaua, presentia scilicet vel absentia pecuniæ habet hic locum: cum apud campsores, & in hoc genere contractus (vt abunde ostendimus contro. 1. huius artic.) non æstimetur magis presens quā absens, nec in constituēdis pretiis cambij, de quo hic inquirimus, illi curent vnius presentiam vel alterius absentiam, sed solam tantum ęstimationem quam illę habent propter abundantiam vel penuriam earum in illis locis, aliasue causas quas etiam referemus.

Ita fit vt ex hac sola causa sumantur apud campsores varia pretia quę in cambijs ad diuersa loca ab ipsis constituuntur, & asignantur, vt optime ac copiosse docent Soto lib. 6. de iust. q. 12. art. 2. & Mercatus lib. citato c. 7.

Ad quam sententiam exacte intelligendam Obseruemus primo, duplicem esse pecuniarum æstimationem, aliam quæ illis vt numismata sunt, lege Principis imposita est semper illis hærens & fixa, quæ dicitur naturalis & legalis: alia vero, quæ illis conuenit ex diuerso rerum, & temporum euentu pendens iuxta prudentum & peritorum in arte negotiandi arbitrium, quæ dicitur accidentalis. Prior illa dicitur pretium seu valor pecuniæ vt pecunia est, de qua (vt dixi) agentes de prima specie cambij disseruimus. Posterior propria est huius loci, ab hac enim vt ostendemus statim in prima conclusione quam hic subiicimus, sumuntur varia cambiorum pretia. Huiusmodi autem pecuniarum æstimatio, quam accidentalē dicimus, ex triplici causa desumitur. Primo, ex abundantia vel penuria totius generis pecuniarum in illis locis: qua ratione pecunię tam aureę, quam argenteę maior ęstimatio est in Hispania quam in India, quia non ita apud nos illæ abundant sicut apud illos. Secundo, propter maiorem vel minorem copiam quærētium vel recipientium pecunias sub cambio. Tertio, ratione alicuius periculi, cui pecunia illa in aliquo loco existens cōiuncta est: qua de causa tempore belli, pecunia existens vbi arma vigēt, minus æstimatur, propter pericula, & difficultates quæ ad illam recipiendam bella offerre solēt. Eadem ratione vt notauit Caiet. De cambijs, pecunia constituta in naui, cui naufragium imminet, minoris est ęstimationis.

Obseruemus secundo, quod optime admonet Mercatus lib. 4. cap. 7. & nos superius attigimus, primam causam istarū triū, copiam totius generis pecuniarum sumendam tātum esse, ex iis qui negotia exercēt, maxime quantum ad present institutum, &

ex campsoribus ipsis, non vno vel altero, sed ex pluribus, & maiori illorum parte. Ex aliis hominum statibus & ordinibus illa summenda non est, quia accidere potest in ciuitate aliqua, nobiles, & ecclesiasticos, vel similes, pecunijs abundare ex suis fructibus, & redditibus, quibus tamē si careāt mercatores, & campsores, ac vt dicunt *esse falta la lonja*, abundantia illorum ad contractum cambij, cæteraq; negotia omnino inutilis est. Eadem ratione, quod tres vel quatuor mercatores & campsuarij pecunijs abundent, nō efficit in eo loco, vt respectu cambiorum & negotiorum pecuniæ abundare dicantur, sed ex cōmunitate ipsa mercatorum huiusmodi abundantia vel penuria desumenda est. Sicut in aliis mercibus, tunc illæ dicuntur abundare, vel deficere, quando apud eos, penes quos solēt illę existere, abundant, vel deficiunt. Huic rei plenam fidem, ipsa experientia facit. Videmus enim recipientes pecuniam Valentię in Hispalim, nonnunquam, (quamuis raro) cum lucro illam recipere, eo quod in eo euentu apud mercatores Valentinos maior existat pecuniarum copia, quam apud Hispalenses, ex mora vel infortunio classis: quod certe nunquam accideret, si totius ciuitatis, & cęterorum qui non negotiantur, habenda esset ratio, Valentia namq; cum Hispali absolute & in vniuersum comparata, & secundum omnes hominum ordines, & status in vtraque existentes, nunquam Valentinorum opes ad abundantiam & diuitias Hispalensium peruenirēt, sed semper sunt his multo inferiores.

Obseruemus tertio, similiter iudicandū esse circa alias duas causas adductas. Etenim, quod ad secundam spectat, non quæcunq; copia vel defectus campsorum, vel quęrentium pecunias per cambium illarū æstimationes augeat, vel minuat, oportet, sed quæ in pluribus & maiori negotiantiū parte reperitur: quod enim tres vel quatuor, qui solebāt campsoriam exercere, ab illa cessauerint, vel tres aut quatuor, qui non solebant pecunias quęrere à campsoribus, deinde illas recipiant, parum aut nihil omnino refert: sed tunc dicuntur abūdare campsores conferentes pecunias per cambium, quando plures existunt suas pecunias per hunc cōtractum alijs tradituri, tunc vero deficere, quādo pauci in eo loco occurrunt: Similiter dicendi sunt campsuarij abūdare vel deficere, vbi plures vel pauciores existunt illas ita quærentes. Eadem quoq; ratione sentiendum est de ea pecuniarum æstimatione, quę ex periculo sumitur: periculum namq; recipiendi illam a cāpsuario in loco solutioni destinato aut particulare est, & illi tantum campsuario imminens, veluti cum periclitatur in particulari pecunia illius non esse facile recipienda, vel culpa eiusdem campsuarij, vel culpa factoris illius, vel ex aliqua causa quę illū priuatim & in particulari respisciat. Vel periculum illud cōmune est toti ciuitati, omnibusq; ciuibus & negotiantibus in tali ciuitate vel loco agentibus: vt cum vigent in ea Prouincia bella, propter quę commercia cum illa habere, merces vel pecunias inde extrahere, ac recipere difficilimū est. Prioris periculi, cum priuatim illud sit, huius vel alterius in particulari, non est habenda ratio, vt propter illud æstimatio pecuniæ in cambio vel negotio cum illo exercendo augeri debeat, vel minui, quia huiusmodi periculum illud tantum concedit, vt liceat contrahenti cum illo debitā securitatem exigere, & recipere: Noui aliquos ita sentire, vt ratione quoque huius periculi priuati & particularis posit pecuniæ vel cambii pretium augeri, sed illud profecto non satis securum in conscientiæ iudicio crederem, cum ad vitanda pericula quæ in particulari contrahentibus occurrere possunt, illud solum omnia iura concedant, vt liceat contrahenti debitam securitatem, qua ab illo periculo indemnis existat, postulare; ex periculo vero huiusmodi, pretiorum augmenta in contractibus & commercijs quęrere, periculosum est: offerretur namq; aditus hac via mille fraudibus, & vsuris exercendis. Quando autem periculum commune est, & omnes ciues ac mercatores loci complectens, ratione illius pecuniam cum tali periculo existentem minus æstimari, recta ratio postulat, neque vllus est in hac parte dubitandi locus.

Obseruemus quarto, vt quemadmodum in mercibus, alijsq; rebus venalibus duo reperiuntur, substantia earum & esse naturale quod habent, ac vtilitas quam afferunt ad vsus humanos: quæ duo ita sunt inter se affecta, vt circa rerum venalium pretia (sicut initio huius tomi vidimus q. 77. art. 1. contro. 1.) non habeatur ratio substantiæ, & esse naturalis illarum: hac enim ratione culices, & quæcunque viuentia deberēt in maiori pretio haberi quā triticū, vinum & alij fructus vita carentes, sed habetur solum ratio vtilitatis & vsus quem homi-

hominibus afferunt, qua de causa quæ humano conuictui vtiliora sunt, in maiori pretio & carius venduntur; ita in pecunijs duo reperiuntur, & substantia illarum qua pecuniæ sunt, & earundem ęstimatio: substantia pecuniæ vt pecunia est, est pretium legale illius, & ita huiusmodi pretium dicitur esse valor naturalis illius, qui sicut lege imponitur ita sola lege mutari potest, augerique vel minui, æstimatio vero pecuniarum est, pro vt illæ magis vel minus iudicantur in diuersis locis vel diuersis temporibus faciendas esse: Quæ duo substantia scilicet siue valor naturalis pecuniarũ, & illarum æstimatio reipsa inter se differunt: centum namq; aurei eundem valorem habent in Hispania & in India, at non tanti fiunt ab Indis centum aurei in illis Prouincijs, quanti apud nos fiunt in Hispania sexaginta, vel septuaginta: similiter eundem valorem habent apud liberalem vel auarum, at non tanti facit liberalis vel prodigus centum aureos, quantum auarus quinquaginta. Et in eodem quoq; loco ex varijs rerum euentibus pecunijs in eodem pretio & valore naturali manentibus, pluris illæ fiunt in vno tempore, quam in alio.

Obseruemus vltimo, inter mercatores & campsores quacunque ratione, & iuxta quamcunq; sententiam pecuniarum commutationes fiant, pretia cambiorum non sumi ex naturali pecuniarum valore, vel legali earum pretio: quia ita vbi pecuniæ idẽ habent legale pretium, opporteret omnia cambia fieri ad æqualitatem, quam vocant *a la par*, sicque ab Hipania in Indiam vel è conuerso cõferens quinquaginta aureos non posset plures, vel pauciores recipere, cum idem sit legale pretium illorum tam in India quam in Hispania, cuius oppositum experientia docet omnium DD. consensu probata. Vnde fiunt cambia in diuersis locis iuxta variam pecuniarum ęstimationem in illis: dubium quidem est (vt ex dictis initio huius controuersiæ constat) vnde sit diuersa ista pecuniarum æstimatio desumenda, attamen ex ea tantum sumi pretia cambiorum, hoc certissimum est.

Quibus positis sit prima conclusio.

Pretia cambiorum tertiæ speciei, de quibus hic nunc loquimur, non constituuntur a mercatoribus & campsoribus iuxta aliam causam, præterquam iuxta variam æstimationem pecuniarum, quam illæ habent in illis diuersis locis, inter quæ cambium celebratur.

Hęc conclusio cum ad factum pertineat, nulla alia probatione eget, quam experientia & testimonio ipsorũmet campsorum: constat autem eorundem assertione, & dicto (loquor de peritis in hac arte) non alia ratione ab ipsis nunc pretia cambiorum constitui, quam habita ratione diuersæ ęstimationis, quã habent pecunię in loco vbi conferuntur, & in loco vbi illæ restituendæ sunt cambitę & commutatæ. Consului enim peritissimos eorum & ex variis nationibus, & quamuis referant etiam illi, quibusdam vissum esse in hoc contractu pecunia à campsore tradita emi pecuniam campsuarii in alio loco existentem, alijs vero cõmutari presentem tamquam magis valentem cum absenti tamquam minus valente, & similes opiniones quas 1. controu. huius art. retulimus, quod tamen spectat ad pretia, omnes in eo conueniunt, vt non constituantur ab ipsis maiora, vel minora, nisi iuxta maiorem vel minorem æstimationẽ pecuniarum in locis inter quæ fit illarum cambium, & commutatio.

Secundo experientia teste, in loco vbi cambia antea vilius fiebant, quandiu pecunię vilius quoque ibi ęstimabantur, quia abundabant, si postea abundantia illa deficiat, incipiantq; pecuniæ magis ęstimari, incipiunt etiam & cambia multo carius ibi exerceri: quod certissimo est argumento, iuxta pecuniarum ęstimationem cambiorũ pretia augeri, vel minui. Nec mirum cum in omni genere rerum ita accidat, abundantia illas vilescere viliusque vendi, penuria vero earundem adueniente pluris ęstimari cariusq; vendi. Confirmaturq; vsu ipsorũ campsorum, quos videmus in locis in quibus intelligunt futuram pecuniarũ inopiã, & propterea magis illas æstimandas, diligenti opera multas eo transferre pecunias ad exercenda cambia, certo iudicantes carius, ac cum maiori lucro ibi celebranda esse, propter maiorem æstimationem quam ibi pecuniæ propter ipsarum inopiam sunt habituræ. Qua de causa vigilant, summaq; solertia ac diligentia curant singuli campsores a suis correspondalibus, & amicis certiores fieri, in quibus locis minor credatur futura pecuniarum copia, maiorq; simul illarum æstimatio.

Probatur tertio, alia non minus efficaci experientia, videmus namq; omnia cambia ab Hispania in alias Regiones, & Prouincias extra ipsam vilius fieri, & cum lucro cãpsuarij: ita vt recipiens in Hispania v.g.

100.

100.nõ debeat in Italia vel Flãdria restitue re nisi 90.paulo plus,vel minus, è contrario ab Italia vel Flandria in Hispaniam carius & cum lucro campsoris,ita vt recipiẽs in Italia 100.à campsore, debeat restituere in Hispania 108. paulo plus, vel minus: nec curet lector an certæ sint hę quantitates, sufficit certum esse ab Hispania in exteras Prouincias vilius,ab illis vero ad nos carius celebrari cambia, cuius discriminis nulla certe alia ratio est,nisi quia apud nos propter pecuniarum abundantiam minus illæ ęstimentur, magis vero in exteris Prouincijs vbi minor existit illarum copia: & tanto magis, quanto magis ibi deficiunt, vel magis ibi desiderantur. Sed vndecunq; crescat illarum æstimatio,siue ex earũ penuria,siue ex abundantia negotiantiũ qui illis indigent, hoc certum est,maiora ibi esse pretia cambiorum,vbi maior quoq; existit pecuniarum ęstimatio: sic videmus è Roma & Flandria ad nos carius quam ex cæteris locis cambia fieri,propter maiorem ęstimationem quam habent pecuniæ Romæ,& in Flandria,quam in cæteris omnibus locis.

Secunda conclusio.*Maior,vel minor æstimatio pecuniarum in huiusmodi cambio iuste, ac recte sumitur a mercatoribus, & campsoribus ex illis tribus causis in prima obseruatione positis: Nimirum, primo ratione copiæ vel inopiæ totius generi monetæ in illis locis, Secundo ex abundantia vel defectu siue campsorum siue quærentium pecunias per cambium: Tertio ratione periculi communis, & vniuersalis, quod occurrit omnibus ciuibus alicuius loci, in extrahendis suis pecunijs ex illis, & restituendis campsoribus a quibus illas acceperunt.*

Probatur. Pecuniæ in contractu cambij non considerantur, nec æstimantur vt pecuniæ, sed vt merces quædam, qua de causa æstimatio hæc non dicitur illi naturalis in genere pecunię, sed accidentalis, quatenus accidit pecuniæ, vt circa illam commercia & contractus quoque exerceãtur: sed in omni genere mercis augetur,vel minuitur illius ęstimatio his tribus causis, aut propter illius abũdantiam vel penuriã, aut propter copiam vel defectum ementiũ vel vendentium illam,aut ratione periculi vnde ducenda est, ergo iuste quoque in cõmercijs & contractibus negotiantium debet augeri vel minui pecuniarum ęstimatio,propter easdem causas.

Tertia conclusio. *Cambium in quo maior pecuniæ quantitas, vbi illa minus æstimatur, commutatur cum minori, vbi illa minus æstimatur, ita vt iuxta diuersam illam æstimationem æqualitas seruetur, sub iusto pretio exercetur.*

V.g. Conferat Petrus campsor Valentiæ Ioanni 100. aureos, restituendos sibi Hispali cum auctario vt 2. si arbitrio prudentum, eo tempore quo celebratur hoc cambium, propter abundantiam pecunię quæ tunc existit Hispali, & defectum eiusdem pecunię quam tunc etiam patitur Valentia, tanti æstimantur Valentiæ 100.aurei,quantum Hispali 102.illa duo quę recipit campsor Valentinus Hispali tempore solutionis, vltra 100. quæ contulit Valentiæ sunt iustum pretium. Probatur: Illud pretium dicitur iustum, in quo seruatur ęqualitas inter contrahentes, sed 100. aurei Valentię, tali tempore tantum valent quantum 102. Hispali eodem tempore,cõstituiturq; ęqualitas inter pecunias acceptas Valentię,& eas quę restituuntur Hispali additis illis duobus, sunt ergo ista duo iustũ pretiũ huius cõmutationis. Cõfirmatur exemplo. Si duo modij tritici in Hispania tantũ valeant, tantiq; æstimetur quanti tres in Scicilia eodem tempore: qui conferret duos in Hispania, vt sibi restituãtur tres in Sicula, non ageret iniuste, cum sit inter illos æqualis valor & æstimatio: at quod iustum est in commutatione mercium, id ipsum est iustum in cambio pecuniarũ, ergo licet cambire pecuniam acceptam Valentiæ in minori quantitate,cum alia recipienda Hispali cum maiori, neq; excessus ille iniustus erit, aut iniustum pretium, imo iustum & necessarium, cum per illud constituatur ęqualitas inter illas pecunias, quarum vnaqueq; talem habet valorem in illis locis.

Hæc conclusio certa est, & in qua omnes conueniunt, quando maior vel minor æstimatio pecuniarum existit in locis inter quæ fit cambiũ, ratione copię vel inopiæ pecuniarum in illis: sed ita vt secluso omni monopolio, & iniquitatibus, seu fraudibus campsorum ex vario rerum euẽtu, veluti aut ex defectu clasis, aut quia Rex omnem pecuniam curauit colligere ex causa publica & necessaria, aut propter exorta bella, maior illa vel minor pecuniarum copia contingat. Vt ex dictis constat. Res tamen difficilior est de secunda causa.

Num frequentia, vel raritas petentium pecunias per cambium iuste augeat, vel minuat pecuniarum æstimationem, & ex consequenti

sequenti cambiorum pretia.

Medina Complutensis, & Caiet. de Cãbijs cap. 7. non dubitant affirmare, ex hac quoq; secunda causa pecuniarum æstimationem, & cambiorum pretia iuste augeri, vel minui: quamuis vt obseruat Soto lib. 6. q. 12, art. 3. mirandum certe sit Medinã hanc secundam causam admittere vt iustã, primam vero illam non admittere: Tum, quia res apertior est in illa prima quam in hac secunda, vt constat: tum etiam, quia cum pecunia in cambijs habeat se vt merx, quemadmodum in mercibus non minus auget illarum ęstimationem & pretia ipsarũ raritas, quam emptorum abundantia, ita & in pecunijs, circa quas non versantur cambia vt pecunię sunt, sed vt merces, idẽ omnino debet esse iudicium, vt non minus augeatur illarum æstimatio & cambiorum pretium vbi minor est illarum copia, quam vbi occurrit maior frequentia quærentium illas.

Soto vero loco citato dubitat plurimum de huiusmodi causa secunda, quia alia (inquit) debet esse ratio in mercibus, cum illæ vendi possint, quam in pecunia quæ neque secundum se neq; vt commutatur vendibilis est: Nihilominus tandem docet iustam quoq; causam esse, modo defectus campsorum conferentium pecunias ad cambium, ex qua sæpe nascitur frequentia & abundãtia eorum qui illas qnærunt, monopolio aliquo & iniquitate ipsorumnet campsorũ effecta non sit. Etenim si campsores pecuniam abscondant, fingantq; se non habere illam ad cambiendum, aut conueniant inter se, vt nõ conferant pecunias nisi paulatim *y por chorrillo*, sicut sępe faciunt in principijs nundinarum, vt ita plures indigeant, crescatq; ea ratione illarum æstimatio, & cambiorum pretium, talis causa iniqua est, & similiter æstimatio quæ illi nititur inualida, & pretia iuxta talem ęstimationem constituta iniqua. Quod verissimũ est & prudenter admonitum: & similiter quod addit, vt sicut recondentes annonam, quo illius pretium crescat, compellũtur & iure illam aperire, & communem ciuibus facere, legitimo illi constituto pretio, ita cãpsores deberent authoritate publica compelli ad educendas suas pecunias, conferẽdasque negotiantibus per cambium cum moderato lucro, iuxta veram illarum æstimationem: non enim minus in nundinis alijsque occasionibus expedit plurimum bono communi pecunias in manibus negotiantium versari, quam annonam aperiri.

Vltima conclusio. *Aestimatio pecuniarum, in locis inter quæ cambium celebratur, facienda est iuxta eundem temporis articulum, & perinde ac si in eodem instanti pecuniæ illæ inter se commutarentur in illis locis.*

Noui Fabianum Ianuensem, & aliquos recentiores existimare commutationem pecuniarum non solum exigere loca vere diuersa & distantia, verumetiam temporis intercapedinem, tum, vt litteræ campsoriæ mittantur in locum vbi facienda est solutio, tum etiam, vt qui pecuniam recipit, valeat illo tempore parare eam qua eget, vt fiat solutio in loco designato: Vnde inferunt quidam, fieri cambium non solum vt pecuniæ receptæ v. g. Valentiæ & restituendæ Metinæ, verumetiam vt receptæ Valentiæ Augusti & restituendę Nouembri. Sed qui ita sentiunt, miscent profecto loca cum tempore, in diuersis namque locis cambium fieri, vt supra vidimus, de intrinseca ratione huius contractus est, & eo potissimum nomine est contractus iustus, & diuersus à mutuo: fieri autem in diuersis temporibus pecunię quę cambitur receptionem, & restitutionem, per accidens est, & ea tantum ratione, quia debet fieri per litteras, quæ non possunt in instanti ex vno loco in alium volitare, sed exigitur necessario tempus aliquod vt deferantur in alium locum: Neque differtur solutio in sequentes nundinas, vt concedatur tempus campsuario ad parandam pecuniam, hoc enim proprium est mutui, & alienum maxime ab hoc contractu, in quo iuxta propriam & formalem ipsius rationem sola distantia loci respicitur. Quamuis enim campsuarius possit priuatim & apud se habere illam intentionem, sed illud per accidẽs erit. Quidquid autem de huiusmodi intentione sit, & solutionis tempore, ęstimatio pecuniarum inter quas fit cambium sumenda est ex eodem temporis articulo: considerandumq;, vt recte ac iuste pretia constituantur, quam ęstimationem habeat hoc tempore pecunia apud vniuersitatem mercatorum Valentiæ, & quã similiter habeat hoc eodem tempore Metinæ, esto aliam maiorem vel minorem sint forsan habituræ adueniente nundinarum tempore.

Et ratio est aperta: In huiusmodi cambio v. g. à Valentia in Metinam propterea seruatur æqualitas, quia pecunia quæ reddi-

Hhh ditur

ditur Metinæ tanti ibi ęstimatur, quanti ea quæ recipitur Valentię, quamuis Valentiæ tradat campsor 100. Metinæ vero resti tuat campsuarius 104. hæc autem ęstimatio non constitueret æqualitatem inter huiusmodi pecunias, nisi sumantur illę in eodem tempote, quia si referantur ad diuersa posset euenire vt longe aliter haberet illarum æstimatio in illis locis, Debet ergo sumi ex eodem tẽpore. Vtamur exemplo aliarũ rerũ: Si conferam tibi duos modios tritici in Hispania pro tribus mihi restituendis in Sicula, ibi propter tritii c abundantiam tãti fiunt tres modij frumenti, quanti duo in Hispania: hæc commutatio faciẽda est pro eodem tempore, ita vt quo tempore confero tibi duos modios in Hispania, eodem tẽ pore intelligantur tandundem valere tres modij illius, Siculę, aliter non esset æqualitas. Etenim si nunc conferam duos modios in Hipania, recepturus in alio tempore tres in Sicula, iuxta æstimationem quam triticum illo alio tempore habebit Siculæ, forsan eo tempore tres modij tritici ex aliquo euentu non tanti ęstimabuntur, vel pluris, quã duo in Hispania, desineretq; ea ratione seruari inter illos debita ęqualitas.

Secundo, non licet cambire in futurum sub iucerto pretio cum certo lucro campsoris vt videbimus sequen. Controu. at nisi pecunię sumantur iuxta ęstimationem quã in eodem tampore habent in vtroque loco, sed quę confertur nunc Valentiæ deberet expectare ęstimationem, quam duobus vel tribus ab hinc mensibus habebit illa quæ restituenda est Metinę, non posset constitui pretium certum tẽpore contractus, sed esset illud incertum donec appareret quam æstimationem haberent pecuniæ Metinæ in illo alio tempore, quod frequentissime esset cum lucro campsoris, ergo necessario ęstimatio sumenda est pro eodem articulo temporis. Minor patet: quia sicut abundãtia vel penuria pecuniarum passim per tempora mutatur, ita quoq; illarum ęstimatio incerta est, & varia pro temporum mutatione, & quam in hoc contractu certius est augeri quam minui, & ex consequenti quando ex illa sic incerta sumitur pretiũ, incertum quoque omnino illud esse oportet in certitudine quæ magis cedit in vtilitatem campsoris quam campsuarij.

Tertio, Vsus campsorum ita habet, debetq; illud habere vt recte fiat, vt ipso tempore contractus conueniant campsor, & campsuarius de pretio cambij quod exercent à Valentia V. g. in Metinã adiungaturq; in litteris campsorijs quæ mittuntur in nundinas sorti & capitali accepto Valentiæ, pretium seu interesse quod ratione illius cambij à Valentia in nundinas reddendum est. Hoc autem, nempe & certum pretium tempore contractus constituere, & illud iam in ipsis litteris vna cum sorte coniungere impossibile est, nisi ipso tempore contractus sumantur simul ęstimatio quam habent pecunię Valentiæ, & ea quã habent eodem omnino tempore Metinæ, & interse secundum idem tempus comparentur.

Deniq; cambium quo ad pretij constitutionem assimilari debet contractui venditionis: sed in venditione pretium sumendum est ex eo tempore, in quo res actu traditur, & fit cõtractus, esto solutio illius differatur in aliud tempus, ergo similiter in cambio, esto restitutio & solutio pecuniæ quæ cambitur, differatur in nundinas, vel alium terminum, pretium tamen constituẽdum est, & definiendum eo tempore quo traditur pecunia, & celebratur contractus, & ex consequenti sumenda est æstimatio quam habent tunc pecunię in vtroq; loco, simul & eodem tempore, nec curandum, quam æstimationem sint deinde habiturę, vel habebunt tempore solutionis. Certũ quamuis constituantur communiter pretia cambiorum iuxta formam, & modũ, quem hic retulimus, accidit nihilominus quandoq;, vt mutuo contrahentium consensu relinquatur illud in incertum: vt cum campsor confert alicui pecunias eo pacto, vt illius cambij solutio fiat iuxta pretium cambiorum nundinarum proxime sequentium.

Vnde videamus.

Controuersia XVII.

AN CAMBIVM CVIVS PRE*tium relinquitur incertum, & taxandum iuxta pretium cambiorum quæ in nundinas proxime futuras designabantur, sit iustum?*

CAIET. in suo opusculo de Cãbijs cap. 6. agens de differentia tẽporis, ratione cuius potest fieri cãbiũ, docet bifariã contingere posse, vt pretiũ cãbij nõ constituatur certũ eodẽ tempore quo a cãpsore traditur pecuniã, sed relinquatur illud in futurũ. Veluti cum pro 100. aureis (inquit) nunc datis te-

nea-

neatur campsuarius, post duos menses resti tuere tot argenteos, quot post duos illos menses valebunt illi 100. aurei: Vel cũ res dubia sit, in quo pretio fient commutationes pecuniarum post duos menses, sumatur eodem tempore quo pecunia traditur medium aliquod, in quo parũ plus vel minus credantur illæ tunc faciendę: constituaturque illud ex tunc tamquã certum, & iustũ, ac vtriq; contrahenti accomodatum. V.g. confert Petrus Ioanni septembri 100. aureos Mediolani, restituendos Lugduni: potest duobus modis iuxta Caietanum cum illo conuenire, vel ita, vt recipiat Petrus à Ioãne Lugduni tot argenteos, quot in Nouembri valebunt illi 100. aurei Lugduni, (sic enim intelligendus est Caiet. quia si in eodem Mediolano essent illi restituendi, non esset cambium, sed mutuum:) vel ita, vt cõsiderantes illos 100. aureos valituros forsan in cambijs exercendis post duos menses Lugduni 1020. argenteos, vel forsan non nisi mille, sumatur mediũ quoddã pretium, quod parum plus vel minus credũtur tunc valituri, nempe 1010. illudq; taxetur, & maneat mutuo vtriusq; contrahẽtis consensu ex tunc constitutum. Positis his duobus modis, vtrumq; probat Caiet. adductus ea ratione: Quia iuxta ipsum cãbium est quędam emptio & vẽditio: saltim quod pretium est iustum in contractu emptionis & venditionis, illud quoq; censendum est iustũ in contractu cambij: at licet vendere mercem, cuius pretium incertum est, iuxta pretium quod valebit post duos menses, quo tempore iam certum aliquod pretium illi inerit, vel considerato pretio quod tunc parum plus vel minus habitura est, medium aliquod asignare, quod inter exiguũ & supremum contentũ, vtriq; contrahenti accomodatum videatur, licebit ergo id ipsum in cambiis.

Dominicus Soto lib. 6. de Iust. q. 12. ar. 4. vbi hanc diserit quæstionem, conuenit quidem cum Caiet. in priori modo asignãdi pretiũ incertum, affirmat enim sublata omni fraude, & dolo, posse Petrum Mediolani, vel Parisiis, vel alibi conferre 100. aureos restituendos sibi Lugduni sub nullo certo pretio ipso tẽpore contractus, & quãdo traditur pecunia constituto, sed relicto illo incerto, ac desumendo ex pretio currẽte in proxime sequentibus nundinis. Significat autẽ in illis verbis sublata omni fraude & dolo, hæc duo: Primo, vt sit ex æquo dubium quale sit futurum pretium cambiorum proximarum nundinarum Lugduni, ita vt ęquali subiaceat fortunæ. Secundo, ne qui pecuniam confert, arte aliqua vel industria efficiat, pretia cambiorum ad nũdinas proxime sequentes augeri. Veluti si dicat Petrus Ioanni: accipe 100. restituenda mihi Lugduni ac lege, vt si cambiorũ pretia in proximas nundinas Lugduni aucta fuerint, plus soluas, sin vero, minus, vel ęquale. Probat hoc pactũ, siue genus cõstituendi pretium cãbij licitum esse, Primo, quia quando vterq; ęquali subiacet fortunæ, nulla potest interuenire iniustitia, ex parte alterius, Secundo: Quãdo dubiũ est, An pecunię valor augendus sit, vel minuẽdus, licet petro deponere pecuniam apud Ioannem, exponendo illam periculo futuri euentus, Ioanneq; sub tali periculo libere penes se illam recipiente, sic cum eo conuenire: Accipe hos 100. aureos ac lege, vt si valor illorũ auctus sit, cum eo valore illos mihi restituere tenearis, si vero diminutus, cum illo similiter diminuto restituas.

Secundum vero modum asignandi pretium, vt iuxta illud quod creditur cambia fore habitura parum plus vel minus, mediũ aliquod sumatur, quod eodem tempore quo traditur pecunia, tamquam certum illius cambij pretium mutuo vtriusque cõtrahentis consensu taxetur, non probat Soto. Primo. Quia cõtractus, in quo merx vel res circa quam ille versatur, nullum adhuc habet certum pretium, sed post tempus aliquod illud est habitura, nulla alia ratione celebrare licet, quam pretio illius rei manẽte incerto, & sumendo à tẽpore in quo certum aliquod & iustum erit illi impositum: & cum illo inquit Soto moderamine, vt sit ex æquo dubium, rem illam plus vel minus tunc valituram, iuxta ea quæ habentur in capite In ciuitate. De vsuris. Quia talis contractus est similis contractui ludi, vel contractui depositionis, quem vocãt *vadiationis*, in quibus nihil potest certo in limine contractus constitui, sed debet rei euentus in vtramq; partem manere pendens, & incertus. At si à principio cambij, & ipso tempore quo traditur pecunia a Mediolano v. g. in Lugdunum, quando cãbia nondum habẽt pretium certum cõmuni vsu fori, constituatur aliquod certum & taxatum, iuxta istum secundum modum quem asignat Caietanus, in huiusmodi cambio non manebit rei euentus incertus, & pendens ex ęquo in futurum, sed campsor erit iam in tuto, & habẽs lucrũ aliquod

sibi certum, campsuarius vero priuatus ea sorte, quam forsan habuisset, si cambiorũ pretia eo tempore quo certa erunt, exigua sint & infima, non ergo licet isto secundo modo pretium constituere.

Secundo, merces quas venditor seruare instituebat in aliud tempus, licet quidẽ ita vendere, vt reddat emptor quod valebunt eo tempore in quod seruabantur vendende, iuxta ea quæ habentur in cap. Nauigāti: quia huiusmodi contractus est venditio in qua iustum rei pretium sumẽdum est ex eo tempore in quo res venditur, qui autem tradit Augusti triticum quod instituebat vẽderet in Aprili, quãuis tradat illud Augusti, perinde tamen se habet ac si reipsa vendere illud in Aprili, cum in illud tempus reuera deliberasset seruare illud vendendum: At in commutatione & cambio, cum sit seruanda æqualitas, inter res quæ commutantur eo tempore quo commutantur, non licet si conferam tibi decẽ modios tritici, commutãdos cum his quos restitues mihi post quatuor menses, quia credatur forsan tunc plus valiturum, obligare te ad restituendos vndecim, sed solos decem: esset enim talis contractus mutuũ quoddam cum lucro, & vsurarium: Ergo pari ratione nec licebit in pecuniis ita cambire, vt conferam tibi modo 100. aureos, ea lege, vt quia dubitatur num in cambijs ad proximas nũdinas valituri tantum sint similes 100. vel 120. debeas mihi reddere quasi medium tenens 110.

Nobis hæc sententia Soti videtur tenẽda. Ad quam magis intelligendam Obseruemus, iuxta praxim cambiorum controu. proxime præcedenti explicatam, campsores in hoc contractu ita se habere: vt ante quã post celebratas aliquas nundinas constituãtur ab eis eo modo (quẽ ibi retulimus) pretia cambiorum in varia loca, nullus fere sit qui pecunias suas ad proximas sequentes nundinas alicui tradat: ita vt si qui ante illam Constitutionem pretiorum aliquas tradãt, fiat illud a paucioribus: Et de his est proposita quæstio, de conferentibus scilicet pecunias suas in diebus, in quibus post celebratas præcedentes nundinas adhuc nõ sunt constituta pretia cambiorum ad proxime sequentes. Sunt v.g. celebratæ Metinæ nundinæ, & factæ solutiones in principio Iulij, remissæq; illæ in Valentiam ad primos dies Augusti, incipiũtq; recipi Valẽtię solutiones istę eo remissę 3. vel 4. die Augusti, durantque vsq; ad 10. diem parũ plus vel minus, receptis huiusmodi solutionibus vsq; ad decimam vel duodecimam dicamus diem Augusti, tunc constituuntur Valentiæ pretia cambiorum ad diuersa loca in proxime sequentes nundinas: medio autem illo tempore, quo innotuit Valẽtiæ fieri iam Metinę solutiones præcedentium nundinarum, nempe Iulij, & remissiones illarũ solutionum, vsq; ad 10. diẽ Augusti in qua taxãtur pretia Valentiæ in sequentes nundinas Octobris, quarum solutiones fient Nouẽbri, pauci sunt campsores qui pecuniam suam alicui tradant sed expectãt plerique saltim qui suę consciencię magis prospiciunt, pretia Augusti constituenda: Sed quia non desunt, qui statim atq; intelligunt fieri iam solutiones Metinæ conferant suas pecunias ad sequentes nundinas, quod vocãt *abrir la feria* de his oportet nũc agamus. Solent enim hi cum nondũ sint constituta certa pretia cambiorum ad diuersa loca, sed maneant adhuc incerta, & constituenda, conuenire cum cãpsuario de pretio cambij quod tunc exercent, altero ex illis duobus modis, quos ex Caietano proposuimus.

Posita igitur hac praxi & vsu mercatorũ, (quam illi vt retuli obseruant,) circa præsentem quæstionem.

Dico primo: Cum primum communi mercatorum consensu pretium cambijs taxatum est, eo modo quem proxime præcedenti controu. tetuli, illud in foro animæ seruandum esse, quandiu cõmuni vsu fori non mutatur: Cum primum vero decurrente tempore vsu fori accidet, sine industria vel iniquitate campsorum illud mutari, standum est foro. Vtraq; pars huius primi Asserti, & dicti constat satis ex præcedẽti controu. Quia pretia cambiorum, sicut & in cæteris rebus, quando non sunt lege præscripta, sumenda sunt ex communi vsu fori, vsus autem fori in cambijs sumitur, cum incipiunt cambia post aliquas nundinas in alias proxime sequentes exerceri, ex communi arbitrio, & conuentione mercatorum, eo modo quem diximus, decurrente vero tempore ex ipso temporum euentu.

Dico secundo, medio illo tempore, quod decurrit a solutionibus cambiorum factis v.g. Metinę in nũdinis precedẽtibus, vsq; ad tempus in quo solutiones inde remissæ Valentiam hic persoluũtur, & taxantur de nouo Valentię pretia in nundinas proxime sequentes ad varia loca, licere campsori pecuniam

cūniam suam illo medio tempore alicui cōferenti conuenire cum eo in communi, & quasi in incertū, de pretio quod habebunt similia cambia, cum primū fuerint taxata, & communi vsu fori recepta: modo seruētur duæ illæ conditiones, quas iuste exigit Soto: Nimirum, vt res sit ex ęquo dubia, ac ne campsor sua industria, vel iniquitate faciat pretia quæ taxabuntur cariora esse, quam fuissent: vel omnē pecuniam quodā monopolio ad se colligens, vt videatur illa deficere, vel aliqua alia iniqua via: qua iniquitate, vel simili industria, & solertia ad augenda pretia cambiorum cessante, probant hanc partem & optime rationes quas afferunt Caietanus & Soto.

Quamuis non dubitē & hac ratione cambia exercere satis periculosū esse, quia cū is qui eo medio tempore pecunias quærit, plurimum illis egeat, non renuit sub quocunque pretio futuro illas accipere, campsor vero nunquam illas confert tam cito, & adeo intēpestiue, nisi certus de lucro, in cābio illo ad tales nundinas dato: Vnde rarissime reperitur in huiusmodi cambio prima illa conditio, qua exigitur, vt res sit ex æquo dubia, ac vterq; sit ex ęquo eidem fortunæ expositus: qua deficiente, sicut cōmuniter deficit, latet anguis in herba, & vsura sub titulo pretij incerti ac in futurū relicti simulatur. Vnde & ipsemet Caietanus cap. 1. illius opusculi agens de cambio iniusto damnat cambium, in quo campsor, vt lucretur, confert Petro Mediolani centum ducatos, quibus ille eget, recepturus Venetijs iuxta cursum cambiorum decem libras Grossorum, quæ licet æquiualent cōmuniter centum ducatis, in cursu tamen cābiorum Venetijs quandoq; illos excedunt, sed quia frequentius solent excedere, qua ratione campsori certius est lucrum quam damnum, cēset hoc genus cambij esse iniustum. Nauarrus quoq; in suo cōmento de cambijs, nu. 25. eundem contractum satis aperte docet periculosum esse, & iniustū.

Dico tertio, isto medio tempore, antequam a mercatoribus pretia cambiorum designentur, conuenire in aliquo certo & definito pretio, (quātumuis illud videatur moderatum, & accomodatum) nullomodo licere vt docet Soto. Primo, quia cū pretia cambiorum pendeant ex re adeo incerta, qualis est pecuniarum abundantia, vel penuria, & illarum in diuersis locis æstimatio, consequenter nullum in eis potest certum vel accomodatum medium designari.

Secundo, quia quodcunq; sumatur, quāuis moderatum & accomodatū, illud oporret esse cum aliquo lucro cāpsoris, quo fit, vt campsor in quocunq; pretio conueniat cum campsuario, habeat certum lucrum, & sit in tuto, campsuarius vero in periculo non fruendi fœlici sorte, quæ illi forsan contingeret, si cambia in viliori pretio & magis infimo quam sit illud, in quo cum campsore conuenit, cōstituantur, quod certe contingere posset.

Alterum caput vnde pretia cambiorum iniusta effici possunt, propter distantiam temporis est, Quando scilicet augentur ipsorum pretia, eo quod illorum solutiones magis differantur, circa quam partem varia sese offerunt examinanda, Ac primum omnium.

Controuersia XVIII.

AN QVANTVM NVNDI- *næ, vel termini in quibus facienda est cambiorum solutio, maiori tempore distant, tanto maius pretium liceat in illis Cambijs recipere?*

INITIO huius controuersiæ obseruandum prius est, quędam cābia sine vllo damno vel lucro vtriusq; partis fieri ac vt dicunt *a la par*: quod non est ita accipiendum, vt quot pecuniæ alicuius sortis in vno loco conferuntur, totidem eiusdem sortis in alio restituantur, v. g. vt quot argentei conferūtur Valentiæ, totidem restituantur Cęsaraugustæ, vel quot aurei conferuntur in Hispania, totidem restituantur in Italia, Vel Flādria, nam esto esset æqualitas & paritas in numero & qualitate argēteorū, siue aureorum, minime tamē in valore illorum, vnde ęqualitas siue paritas sumenda est in cōmutationibus pecuniarū. Etenim qui mille argenteos reciperet Valentię ita vt alios mille restitueret Cęsaraugustę, vel qui mille aureos reciperet in Hispania, vt mille similiter aureos restitueret in Italia, graue pateretur dānū, cum propter diuersum valorē huiusmodi pecuniarum in locis in quibus illæ cōferuntur, & in locis in quibus restituuntur, plura restitueret quam recepisset, quod est aperta disparitas & inæqualitas. Propter quod diximus cōferentē pecuniā vbi minus valet, recepturus illā vbi magis valet, teneri ad cōpensandū illū defectum, vt per illam compēsationem seruetur ęqualitas. Quo circa tunc cambium dicitur secū-

dum æqualitatem fieri & *a la par*, quando, pecunia quæ restituitur, siue eiusdem sortis sit siue alterius, eiusdem valoris est cum pecunia quæ prius fuerat accepta, vt cum recipitur pecunia, siue aurea illa sit siue argentea, valens v.g. 100. libras, & recepitur in loco solutionis pecunia easdem 100. libras valens, cuiuscunq; etiam sortis illa sit, nullaq; tūc iniquitas, siue iniustitia reperiri potest, saltim quę per cōtractū cābij exerceatur. Alia vero sunt cambia, quæ nō fiūt cum ista ęqualitate & paritate, sed in quibus propter variam ęstimationem quam pecuniæ in illis locis habent, aliquod recipitur lucrum vel interesse, ita vt plus restituatur in loco solutionis, quam fuerat prius in alio loco acceptum, de quibus in hac disputatione agimus.

Obseruemus secundo, huiusmodi cambiorum solutiones tribus modis constitui: Vel ita, vt statim fiant, & cum primū proponuntur, & ostenduntur litteræ, vocātur *a letra vista*: Vel in aliquo certo termino mutuo vtriusq; contrahentis consensu constituto, veluti post duos vel tres menses, vocatur *a plazo señalado*: Vel tertio in sequētibus nundinis, dicitur *para feria*. Nomine autem nundinarum non intelligitur (vt ex superioribus constat) mensis ille, vel tempus in quo celebrantur nundinæ, id est variæ mercium emptiones in illo emporio, sed tempus solutionum, dicunt *a los pagos*: In cambijs quorū solutio statim facienda est, *y a letra vista* nullum est periculum augendi pretij propter solutionis dilationem, cū illa statim atq; litteræ proponuntur, & vt dicunt presentantur sit facienda; Quod enim illa non fiat eodem die quo illæ ostēduntur, sed intra 6. vel 8. vel 10. dies, vt qui soluturus est, cōmode pecunias ex quibus fiat solutio, paret, non propterea dicitur differri solutio, sed statim fieri, exiguū enim tempus in contractibus & commercijs humanis & ciuilibus non dicitur morā aliquam inducere. Quæstio ergo quam hic proponimus est, de ijs quorum solutio facienda est in termino aliquo ab vtroq; designato, vel in nūdinis: Nū, propterea quod in huiusmodi cambijs tēpus solutionis differatur, liceat pretiū augere? Intelligimusque hic nomine nundinarum proxime ac immediate sequentes post celebratum cambium: nam de cambijs quæ fiunt ad alias nundinas mediatas, quas vocant intercalatas, sequenti controuersia dicemus.

Multi cāpsores credunt (vt experimur) licere propter dilatam solutionem pecuniæ aliquod maius interesse recipere: in quem errorem ducūtur his potissime rationibus: quas etsi nullam operam Logicæ dederint, norunt tamen illas acute proponere. *Sunt enim prudentiores filij huius seculi in generatione sua, filijs lucis.*

Primum ergo dicunt. Non minus refert distantia temporis, quam distantia loci ad absentiā pecuniæ, nec minus illa caret mercator ex distantia tēporis, quā ex distātia loci: at quo cābium, ad locum fit remotiorē, potest maius interesse & ptetiū exigi, quod & ipse Pius V. in sua Bulla cōcedit, ergo similiter licebit quanto pecunię solutio & restitutio maiori tempore distabit.

Secundo, sicut in mercibus, paucitas vēditorum, & abundantia emptorum auget illarum pretia, ita & in cambijs paucitas cāpsorum, & abundantia quęrentium siue recipientium pecunias ad cambiū debet augere illorum pretium, & interesse: at quo solutio magis differtur, pauciores reperiuntur qui vellint pecunias suas conferre, & plures qui ea ratione & sub illa dilatione illas recipiāt, debet ergo quo solutio cambiorū magis differtur, pretiū illorū magis augeri. Et hac secunda ratione censent opinionem eorum plurimum fulciri, nec mirū, cum & Caietanus, vir certe in omni genere disciplinarum eruditus, & in ijs quæ ad fideliū conscientias pertinent, plurimum exercitatus, in suo opusculo de cambijs cap. 7. agēs de pretijs cambiorum de quibus hic disserimus, dicat: *Non esse sufficiens signum iniusti contractus minus dare pro cambio, dum multo tempore distant nundinæ, plus vero quando proximæ sunt*, & campsorem minus dare, plusque lucrari, quando nundinę magis distāt, plus vero dare & minus lucrum recipere, quo illæ viciniores sunt: *Nam forsan hæc cōsuetudo* (inquit) *introduci potest, propterea quod ad nundinas remotiores, & per longius tēpus distātes pauciores existunt campsores, qui suas pecunias conferre vellint, plures vero qui illas ita quærant, & recipiant.*

Tertio, Videmus, post quam communi mercatorum consensu imponuntur cambijs pretia, post remissas solutiones factas in nundinis, ac vt dicunt *venidos los retornos* nihilominus progressu deinde illius tēporis vsq; ad alias nundinas, quo illæ propinquiores sūt, vilius exerceri cābia, quod nullus neq; Theologorū, neq; peritorū in arte campsoria, & timentium Deum damnat: Vnde nec erit similiter damnandum, quod

carius

carius illa fiant, quo nundinæ vel termini solutionum magis distent.

Quarto, Iure naturali & diuino dignus est operarius mercede sua, at campsor quo longius differtur solutio cambij, maiores facit expensas, maiores suscipit labores in illa recuperanda, maiora subit pericula, licebit ergo pro huiusmodi laboribus, & expensis, ac periculum maius exigere interesse tamquam dignum illorum stipendium.

Oppositū tamen docet communis Theologorum, qui de hac re scripserunt, sententia. Siluester vsura 4. q. 5. 8. & 9. vbi constituit illam regulam: *Quoties arbitrio bonorum, & peritorum in arte campsoria pars capiens cambium non grauatur, & distantia temporis nihil lucri affert, nunquam est ibi peccatum, id est iniustitia vel vsura.* Hęc ille: Soto de Iust. lib. 6. q. 10. art. 2. & q. 13. art. 2. Nauarrus in commento de Cambijs num. 24. Mercatus de contractibus lib. 4. cap. 7. & cæteri omnes præter vnum Caiet. Omnes enim vno ore asserunt, propter huiusmodi dilationem nullomodo licere augere pretium, vel interesse cambiorum, sed obseruandam esse regulam illam quam optime proponit Soto lib. 6. de Iust. q. 12. art. 2. Vt virtute huius cambij nihil aliud recipiatur, quam si eodem die quo vna pecunia traditur v. g. in Hispania, alia si fieri posset restitueretur in Flandria: Quia cum commutatio ista fiat iuxta ęstimationem, quam habent pecuniæ in huiusmodi locis eodem tempore, & ex hac sola æstimatione sumatur iustū pretium cambij de quo hic agimus, efficitur necessario, vt non possit aliud pretium accipi, nisi quod reuera acciperetur, si eodem die quo vna pecunia traditur Metinæ, alia reciperetur in Flandria. Dixi autem, si fieri potest, quia cum illud debeat fieri per litteras, ad quas deferendas exigitur necessario aliquod tempus, propterea nō potest, quę nunc recipitur a cāpsuario in Hispania, restitui factori campsoris in Flandria nisi potest aliquod etiā tēpus.

Probatur autem hęc communis sententia: Imprimis, quo argumento vtitur Soto & recte, Pecunia vnius loci non potest cū pecunia alterius commutari cū aliquo interesse, nisi, vel quia per cambium illud trāsfertur pecunia illa ex vno loco in alium, quod est cambium secundæ speciei, vel propter diuersam æstimationem quam habet tunc pecunia in illis locis, quod pertinet ad cambium tertiæ speciei, de quo potissime hic agimus: at quacunque ratione istarū sumatur interesse, nulla in eis interuenit ratio tēporis, sed vel solius transportationis, vel solius ęstimationis præsentis in vtroque loco, ergo eo quod solutionis terminus differatur, nulla ratione licet pretium augere.

Secundo, quod est argumentum Mercati, & optimum ac efficacissimum. Idem omnino est in cambijs cambium quod fit ad præsentem solutionem, siue *a letra vista*, & cambium quod fit ad terminum designatū, vel ad nundinas, quod est in vēditionibus, vendere numerata statim solutione, vel vēdere ad creditum & expectata solutione. Nullum est inter hæc quo ad solutionem debiti discrimen: quemadmodum enim venalia quandoq; venduntur præsenti solutione, quandoq; expectata, ita & cambia. Sed in contractu venditionis (vt abunde constat) non licet augere pretium propter dilatam solutionem, sed debet necessario in eodem pretio res vendi, in quo venderetur solutione præsenti & in numerato, ergo similiter in cambio nullo modo licet augere pretium, eo quod illius solutio differatur, sed in eodem pretio in quo fieret *a letra vista*, iuxta communem vsum fori, in eodem debet fieri quantumuis differatur solutio. Patet consequentia: quia si in mercibus, quæ natura sua magis frugiferæ sunt, & ad contactus lucratiuos magis aptę, & accommodatę quam pecuniæ, non licet carius illas vendere propter dilatam solutionem, quam si vendantur pretio statim numerato, multo minus licebit illud in commutationibus pecuniarum: *Etenim si quod magis videtur inesse non inest, quod minus videtur inesse multo minus inerit.* Et cōfirmatur, quia eadem ratio quę postulat ne merces carius vendātur propter expectatam solutionem, nimirum quia venderetur tempus, quod cū solius Dei sit, & omnibus commune, vendi non potest, eadem omnino viget & in cambijs, & in quocunq; constractu, in quo interuenit temporis dilatio.

Tertio, si quę ratio reddi posset, propter quā liceret ex cābijs, quorū solutio differtur, maius interesse exigere, ac recipere, illa esset, vel quia per illam maiorem distantiā temporis pecunia magis abest, vel secūdo, quia pauci sunt qui suas pecunias vellint conferre cum tali distātia, plures vero qui cum illa eas quærant, uel quia ex tali dilatione patitur campsor aliquod damnū sibi emergens, aut cessat ei aliquod lucrum: At nulla ratione istarū licet augere pretia cā-

biorum propter dilationem solutionis: Nõ prima, quia (vt ex superioribus constat) interesse quod recipitur in cambio, non recipitur eo quod pecunia absit campsori, cũ non sit verum cambium, nisi pecunia collata in vno loco sit realiter & vere recipienda in alio. Nec est idem iudicium, vt prima ratio mercatorum habet de dilatione temporis & distantia loci: nam cum tota iustitia huius contractus, & cambij de quo hic agimus, innitatur diuersæ æstimationi quã habent pecunię cambiendæ, non quidem in diuersis temporibus, sed in diuersis locis eodem tempore in quo exercetur cambiũ, huiusmodi autem æstimatio in Regionibus & Prouincijs quæ ab Hispania v. g. magis distant maior fit, propter maiorem pecuniarum inopiam, quæ ibi varijs ex causis existere solet, veluti aut ex natura loci, aut occasione bellorũ, vel alia simili, propterea quo in loca remotiora fiunt cambia, solent illa cum maiori interesse celebrari: at non quocunque maiori, sed recepto communi vsu fori eodem die quo illa fiunt, ratione vero temporis & ex illius dilatione id non licet. Neq; illud concedit secunda ratio: abundantia nimirum petentium ad cambium cum maiori dilatione solutionis, & paucitas campsorum volentium ita conferre pecunias. Quia cum hic contractus quo ad pretia seruet regulas emptionis, & venditionis, quemadmodum in mercibus non sumitur vsus fori ab ijs qui emunt ad creditum; nec dicũtur abundare emptores, quia sint plures qui ad creditũ emerent, vt vidimus quest. 77. ar. 1. controu. 6. ita neque debet sumi in cambijs vsus fori, aut pluralitas accipientium cambia ex ijs qui ad remotiores solutiones, & terminos magis distantes illa recipiunt, sed ex ijs, qui perinde recipiunt cambia ac si statim *Y a letra vista* essent soluturi. Redditq; optimam rationem Soto: quia, quod ex iniqua radice procedit iniquum est censendum, plures autem existere quærentes cambia ad longiora tempora, eo quod sic magis differatur solutio in huiusmodi contractibus, iniquitatum & vsurarum radix esse solet, & occasio. Aliter certe res haberet, si paucitas conferentium pecunias ad cambium, & pluralitas quærentium illas aliunde accideret, veluti ex occurrentia temporum, vel publica aliqua indigentia, cui nullam campsores ipsi causam obtulerunt: tunc enim vera ac iusta de causa possent illorum pretia hoc titulo augeri, sicut quando nullo mercatorum vitio mercium ac vẽdentium illas raritas, ementium vero copia existit. Deniq; neque habet hic locum titulus ille lucri cessantis, vel damni emergẽtis, quia campsor propria sponte conuenit cum campsuario de illo termino, neq; pecuniam quam confert campsuario separat ab aliquo negotio lucratiuo, cui illam in promptu erat traditurus, in gratiam campsuarij, imo habet illam paratam & expositam huic tantum negotio, scilicet cambiẽdi, prout sese occasio obtulerit: Vel ad recipiendam statim solutionem, *Y a letra vista*, vel in terminum seu nundinas: Ac vt vidimus eo loco, non dicitur lucrum cessans, quod posset quis habere, vel forsan habuisset pecunia sua alicui negotio tradita, nisi ad illud exercendũ esset iam in procinctu, desinat vero illud exercere, & pecuniam suam, sicut vere instituerat, illi negotio tradere in gratiam alterius: quod certe non pręstant campsores. Dices licebit ergo mercatoribus, qui negotiantur in mercibus, quando aliquas pecunias in cambium conferunt, ratione lucri cessantis ex illo cambio, quo magis differtur eius solutio, maius interesse recipere, propterea quod si citius illam reciperent, citius cum illa negotiarentur, ac lucrarentur. Dico neque his illud tali titulo licere: quia hi, duobus modis conferunt suas pecunias, nempe vel ante nundinas, sicut alii campsores, quod cum faciunt, propria sponte illud faciunt, & cupiditate lucri sicut alij campsores, non in gratiam campsuarij, vel dant ad cambiũ in fine nundinarum pecunias, quę, postquam emerunt merces sibi vtiles, ipsis supersunt. Quo fit vt neutro modo lucrum aliquod ipsis ratione campsuarij cesset, neq; in vtilitatem eius, sed in suã propriã illa cambia exerceant. Quod si aliquando mercator, pecuniam quam habebat alicui negotio destinatam, quod erat in prõptu exequuturus, in gratiam campsuarij ab illo negotio separet, & propter eum negotium illud quod iam parabat aggredi, relinquat, tunc vere cessat ei lucrum, potestq; illud à campsuario exigere, iuxta ea quæ superius diximus de lucro cessante in mutuo. Vnde consulto magis profecto facerent campsores, & vtriq; vtilitati ipsorum tam spirituali quam temporali magis expediret, vt ad solutionem statim faciendã *y a letra vista* Cambia sua exercerent: Hac namq; ratione pecunias suas citus reciperẽt, frequẽtiusq; ac cum maiori vtilitate huic vel simili ne-

li negotio illam traderent, tolleretur; occaſio augendi pretia, & quærendi maiora lucra propter dilatam eorum ſolutionem. Qua de cauſa Pius V. in ſua Extrauaganti de Cambijs ſanctiſsime præcipit, ne ſolutiones cambiorum in alia loca deſignentur quam ſolita communi vſu, & arbitrio prudentum, ne hac occaſione quaſi ex dilata ſolutione pretia augeantur. Sic enim habet: *Curandum autem erit in terminis, vt ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus ſolutio deſtinatur, ne dum longiores præfinguntur, quam loca deſtinatæ ſolutionis deſiderant, fænerandi detur occaſio.*

Ex his ſequitur, quod recte obſeruarunt quidam recentiores: Ex tribus modis, quibus poteſt campſor longũ tempus concedere campſuario ad efficiendam ſolutionem, nempe, vel vt commodius illam faciat in termino, vel quia campſor non eget pecunia illa vſq; ad terminum illum, vel vt quo ſolutio magis differtur, maius ipſe recipiat intereſſe & lucrum: campſorem concedentem longius tempus primo, & ſecundo modo non agere inique, imo comiter & amice, cum illud in vtilitatem campſuarij cedat, nec propterea maius exigat intereſſe, quam ſi ſtatim eſſet ſolutionem illius cambij ac vt dicunt *a letra viſta* recepturus. Illum vero grauiter peccare, ac vſuram committere, qui ad augendum pretium & intereſſe maiorem temporis dilationem concedit, vt ex dictis conſtat.

Argumenta illa campſorum nihil probant. Duo priora ſoluta ſunt iam ex dictis in tertio argumento quo vſi ſumus, ad probandum non licere augere pretium cambij propter dilatam illius ſolutionem.

Tertium innititur falſo fundamento. Poſt conſtituta namque communi mercatorum conſenſu, & arbitrio cambiorum pretia, mutatio, quę progreſſu ac decurſu temporis intermedij vſque ad nundinas proxime ſequentes, ſolet accidere, non naſcitur ex eo, quod tempus & terminus ſolutionis aproximet, ſed quia ita fert varius ipſius temporis euentus. Etenim ſi quo viciniores ſunt nundinæ eo pretia eſſent minora, & quo magis diſtant maiora, oporteret profecto ita ſemper fieri, ſemperq; quo viciniores eſſent eo pretia eſſe minora: at res incerta eſt, quandoq; enim medio illo tempore eſto nundinę magis aproximent augentur pretia, quandoque minuuntur, quandoq; in eodem ſtatu permanẽt, prout tempus tulerit variam pecuniarum copiam vel inopiam in locis inter quę fiunt cambia, variamque ſimul in eis illarum æſtimationem, a qua (vt ſępe diximus) ſumuntur in huiuſmodi cambijs illorum pretia. Efficiunt quoque illud variè euenire paucitas vel abũdantia campſorum, vel paucitas aut abundantia quęrentium pecunias per cambium, quę omnia medio illo tempore ſine iniquitate ipſorum campſorum quandoq; accidunt, Eadem ratione fit, vt cum incipiunt exerceri cambia ad ſequentes nundinas, carius illa fiant quã deinde, quãdo nũdinæ illæ minus diſtant, quia quando incipiunt illa fieri, pauciores ſunt qui pecunias ſuas conferre vellint, plures vero quęrentes pecunias: Quę iuſta poteſt cẽſeri cauſa, quod tunc carius cambia illa celebrentur: modo huiuſmodi paucitas campſorum, & abundantia quærentium pecunias non accidat aliqua induſtria vel iniquitate campſorum: quia ſi vitio illorum acciderit, non eſt cenſenda iuſta cauſa maioris pretij. In quo ſenſu accipiendum eſt quod paulo ante in hac cõtrouerſia diximus contra Caietanum, nulla ratione propter dilatam ſolutinnem cambij pretium illius augeri poſſe. Ex his igitur & ſimilibus cauſis naſcitur iſta mutatio, non ex maiori vel minori nundinarum diſtantia, iuxta quam mutationẽ nullo campſorum monopolio, vel iniquitate occurrente pretium iuxta communem vſum fori decurrens iuſtum eſt.

Quartum argumentum. Seipſo diſſoluitur; laborum enim, expenſarum, & periculorum habetur quidem ratio in cambio ſecundæ ſpeciei quod eſt per tranſportationem, minime vero in hoc cambio tertię ſpeciei, in quo ſolum attenditur diuerſa æſtimatio pecuniarum in diuerſis locis.

Ex his explicare licet.

Controuerſia XIX.

AN CAMBIA QVAE FIVNT *ab Hiſpali, vel Metina in Luſitaniam, cum recurſu ac reductione ab eadem Luſitania in Hiſpalim, vel Metinam, ſint iuſta?*

AGVNT de his priuatim Soto lib. 6. de Iuſti. q. 13. art. 2. Et Nauarrus in cõmento de cambijs à nu. 68. vſq; ad nu. 76. Fiũt autẽ huiuſmodi cambia hac ratione communiter. Mercator habens Metinę in fine nundinarum v. g. Iulij pecuniam, quę facta di-

uersarum mercium emptione illi superest, confert eam alicui per cambium Olisiponę post mensem sibi restituendam, & cum Metinæ maior sit pecuniarũ abundantia quã in Lusitania, confert illam cum lucro campsuarij, sed exiguo, v.g. vt vno pro cẽtum: Deinde vero cũ primum illam Olisiponæ recuperat, eandem rursum tradit per aliud cambium ab Olisipona in Metinã, vel Hispalim, aut similem locum cum interesse, & lucro recipiendo ab ipso campsore, veluti quinque vel sex pro centum. Similiq; ratione solent à Metina in Flandriam, rursumq; à Flandria in Metinam varia cambia exerceri. Confert enim Petrus Ioanni 1000. aureos, quorum loco sibi restituat in Flandria vbi minor est pecuniarum abũdantia, maiorq; propterea illarum æstimatio, dicamus exempli gratia 950. Deinde vero illos in Flandria recuperatos confert rursum per aliud cambium à Flandria in Metinam ad proximas nundinas, recepturus Metinæ 1030. Vbi videtur aperta esse inæqualitas, cum in cambio à Metina in Flandriam pretium existat vt 5. pro 100. in lucrum cãpsuarij, in cambio vero à Flandria in Metinam elapso aliquo tempore, & post aliquod menses, manente tamen eadem abundantia vel inopia, eademque æstimatione pecuniarum in illis locis, constituatur pretium vt 8. pro 100. cum lucro campsoris.

Secundo, quia cum hic contractus sit adeo in vsu, & varijs commercijs humanis maxime necessarius, nisi esset iustus, esset prohibendus, quod certe cederet in magnum Reipub. detrimentum.

Tertio, cum pecunia presens magis vavaleat quam absens: potest qui confert pecuniam suam Metinæ, data illa tamquam presenti emere existentem vel Recipiendã in Flandria, quæ sibi absens est minori pretio quã valeat in Flãdria, sicq; nõ reciperet nisi solũ 95. quia illa 5. quę minus recipit, sunt velut pretium maioris valoris quem habet pecunia presens data Metinę pro absenti quam est redditurus in Flandria. Quando autẽ recuperat deinde in Flandria illa 100. & confert ea per cambium a Flandria in Metina recepturus Metinæ 108. emit illis 100. quæ confert in Flandria tamquam presentibus illa 108. quæ recepturus est Metinę tamquam absentia, vnde in vtroq; (inquit) cambio seruata est æquitas, & iustitia.

Alia argumenta quæ ibi afferuntur à Nauarro solutiones sunt argumentorum, quibus vtuntur qui contra sentiunt, quas statim expendemus.

Ita concludit Nauarrus hoc cambium esse iustum tribus seruatis. Primo, Vt sit illud reale & verum, ita vt campsor intelligat reuera faciendam esse sibi solutionem in loco designato, illamq; intendat ibi ipsa recipere. Secundo, vt pretium, quod æstimabitur in hoc contractu pecunia presens plus valere quam absens, sit iustũ arbitrio prudentum, nec constituatur aliquod ratione absentiæ debitam æquitatemq; excedens. Tertio, ne propter dilationem solutionis illud augeatur, sed constituatur idem quod reuera constitueretur, si statim esset facienda solutio, ac vt dicunt *a letra vista*. Vnde præcipuum seu totum fundamentum Nauarri est, in hoc cambio emi pecuniam absentem data præsenti tamquam illius pretio, & presentem magis valere quam absentem.

Dominicus Soto loco citato damnat omnino huiusmodi cambium, saltim secundũ quod fit ab Olisipona in Metinã, vel a Flãdria in Hispaniam cũ tam diuerso pretio. Quamuis enim (inquit) in primo in quo à Metina in Lusitaniam campsuarius lucratur vnum pro 100. vel cum à Metina in Flandriam lucratur 5. possint dicere campsores se conferre lucrum illud campsuariis ratione translationis pecuniæ, quia cum campsuarii in hoc casu pecunias acceptas Metinæ restituant in Lusitania, vel Flandria, vbi campsor vult illas habere, cambium illud videtur esse tamquam secundæ speciei, & per transportationem, & dignũ illo stipendio: At in secundo cambio, quando reducũtur pecuniæ a Lusitania, vel Flãdria in Metinam ad proxime sequentes nũdinas, pretium illud a Lusitania 4. vel 5. pro 100. & a Flandria 8. vel 9. pro 100. videtur (inquit Soto) iniustum. Primo, quia, quo magis distant Nundinæ in quibus est facienda solutio, solent campsores maius lucrum & interesse exigere, ac recipere, quod cum fiat propter dilatam solutionem, est aperta iniquitas, & vsura.

Secũdo. Pecunia vnius loci non potest in alium per cambium commutari nisi altero duorum modorum: vel ratione translationis pecunię, vel quia in vno loco propter eius raritatẽ & inopiam pluris æstimatur quam in altero; sed in hoc secundo cãbio a Lusitania, vel Flãdriam in Metinam, non recipitur lucrum ratione translationis pecunię

pecuniæ, quia si hoc titulo reciperetur, sicut campsuario accipienti pecuniam Metinæ, vt restituat illam in Lusitania, confertur vnum pro 100. similiter campsuario recipienti eã Lusitania, vt restituat illam Metinę, esset conferendum vnum quoque pro 100. cum idem officium pręstet vterq; campsori, quod est transferre pecuniã eius a loco in locum, & eadem sit via, idem labores, & pericula a Lusitania in Metinã, quæ a Metina in Lusitaniam. Neq; recipit interesse illud ratione maioris æstimationis quam habet pecunia in Lusitania quã Metinæ, quia esto magis æstimetur pecunia in Lusitania quam Metinæ, propter maiorem pecuniarum penuriam quam patitur Lusitania potius quã Metina, hęctamen penuria, vel differentia æstimationis nõ est tãta vt debeant a Lusitania in Metinam exigi 5. pro 100. sed exigũtur illa profecto propter dilatam solutionem vsq; ad nundinas futuras Metinæ. His adductus damnat Soto hoc secundum cambium iniquitatis, & iniustitiæ.

Ergo certe non tantum mihi tribuo, vt Doctoribus adeo grauibus, & de studiosis, quin & de tota Repub. Christiana adeo benemeritis meum audeam pręferre iudiciũ, interim tamen licet nulla ex parte sim cum eis cõferẽdus, partim ex ijs quæ hactenus dicta sunt, partim ex ijs quę ijdem Nauarrus & Soto circa presentem quæstionẽ docent, sic crederem de illa iudicandũ. Vt opinio Nauarri sit multo verior & probabilior, non tamen propter rationem quam ille asignat, sed propter secundam rationem, quam modo ex ipso Soto proposuimus, & quã probat secundam conclusionẽ quam ibi constituit. Etenim si illa recte expendatur, & quæ prius habet, ratio eius fauet potius opinioni Nauarri, sicut a nobis explicabitur, quam illam euertat.

Ad quod intelligendum obseruandum est, quod satis cõstat ex superius dictis, maxime in prima controuersia huius articuli. Cambium, de quo in hac disputatione de Cambijs disserimus, non esse contractum emptionis & venditionis, quamuis cũ illo presertim quo ad pretia maximam habeat affinitatem, & similitudinem: neq; iustitiã huius contractus fundari in eo, quod pecunia presens magis valeat, magisq; ęstimetur, quam absens: cum campsori vtilius sit illam sibi abesse, quam apud se manere otiosam. Constat hæc satis ex an cõtrou. 1. nec est quod in illis probandis immoremur, eo remittimus lectorem.

Obseruemus secundo, quod ex dictis in eadem cõtrou. 1. similiter constat. Cum cambium secundę speciei, & cambium tertiæ speciei ita distinguantur, vt prius illud sit velut translatio & transportatio pecunię ab vno loco in alium, cambium vero tertię speciei sit commutatio realis pecunię vnius loci cum pecunijs alterius penes diuersam æstimationem, quam illæ in illis locis habent, accidere posse, vt cambia ab eodem loco in eundem locum celebrata citra omnem iniquitatem, & iniustitiam habeãt diuersa pretia. Etenim si a loco A. in locũ B. celebretur cambum secundæ speciei, ita vt Petrus conferat campsori pecuniam suã in loco A. vt per litteras campsoris recipiat illam in loco B. vbi illa indiget, in hoc cõtractu qui est cambium secundæ speciei, sub hac præcissa ratione, quatenus scilicet est quædam transportatio pecuniæ a loco in locum, illud pretium est iustum, quod prudẽs & peritus iudicauerit iustum, habita ratione laboris, periculorum, & expensarum, quæ exiguntur ad transferendam pecuniam ex illo loco A. in locum B. Si vero ex eodem loco A. in eundem locũ B. exerceatur cambiũ tertiæ speciei, ita vt Petrus postulet recipiatque a campsore in loco A. pecuniam, quam illi restituat in loco B. cũ hoc Cambium tertiæ speciei non sit translatio pecuniæ a loco in locum, sicut illud prius secundę speciei, sed vera ac realis cõmutatio & cambitio pecuniarum in diuersis locis iuxta diuersam æstimationem quã habent in illis, non respiscitur in hoc cambio tertiæ speciei distantia viæ, aut pericula, vel expensę, sed quam æstimationem habeant pecuniæ in illis locis, vt iuxta illam tantum restituatur in vno, quantum recipitur in alio, esto in valore & pretio legali non seruetur æqualitas, modo seruetur illa secundum æstimationem pecuniarum in illis locis. Quo fit, vt cum alia sit ratio huius æstimationis, alia vero ratio transportationis pecuniarum, posint ab eodem loco in eundem locum esse diuersa cambiorum pretia; aliud in cãbio secũdę speciei quod fit per transportationem, aliud vero in cambio tertiæ speciei quod fit secundum diuersam ęstimationem pecuniarum.

Obseruemus tertio. In cambijs in quibus mercator habens pecuniam v. g. Metinæ in fine nundinarum, vel alio quocunq; tempore, aut Madriti, vel Hispali, & ipse quęrit alium mercatorem vel negotiatorẽ,

pui

qui accipiat pecunias eius quas ipsi restituat in Lusitania, vel Flandria, vel saltim confert eas in hunc finem: in hoc casu mercatorē istum sic conferentem pecunias suas alteri habere se vt campsuarium, recipientem vero illas Metinę vel Hispali restituēdas in Lusitania, vel Flandria habere se vt campsorem, imo reipsa in tali contractu ipse est censendus campsor exercens cambiū secundæ speciei, cum ipse recipiat pecunias in vno loco, faciatque per suas litteras restitui illas commutatas in alio, vbi vult eas recipere Mercator qui prius illas contulit: qua ratione recipiens pecunias alicuius, nimirum vt in alio loco illas restituat, est cāpsor secundę speciei, vt constat ex ijs quæ diximus agentes de huiusmodi cambio secundę speciei.

Ex his dico primo, Cambium in quo Ioannes Mercator cōfert Metinę, vel Hispali pecunias suas Petro, vt easdem ab illo recipiat Olysiponæ collato illi vno pro 100. vel recipiat illas in Flandria collatis illi 5. pro 100. iustum esse, & licitum: Et similiter post quam recipit Ioannes Olysipone vel in Flandria pecunias suas a Petro, secundum cambium quo easdem confert Andreæ, vel eidem Petro Olysiponæ restituendas sibi in nundinis proxime futuris Metinę, sub pretio quod prudentum & peritorum in arte campsoria cēsebitur iustū, iuxta æstimationem quam tunc habent pecuniæ illæ Olysiponæ, & quam habent simul & eodem tempore Metinæ, licitum est & iustum: nec est quod a Dominico Soto illud damnetur. Similiter iudicandum est de cambio, quod post receptam pecuniam in Flandria exerceret idem mercator cum aliquo a Flandria in Metinam, iuxta pretiū quod censetur iustum, iuxta æstimationem quam tunc habent pecunię in Flandria, & quam eodem tempore intelligūtur habere Metinæ. Vnde esto Ioannes dederit Petro Metinæ pecuniam suam sibi restituendam in Lusitania soluto tātum ipsi Petro vno pro 100. Deinde vero idem Ioānes cum primum post mensem recipit illā in Lusitania, confert eandem Andreę, vel eidem Petro ad nundinas proxime futuras Metinę, sub pretio, vt 4. vel 5. pro 100. soluenda ibi a Petro, quod iuxta æstimationem, quam eo tempore, quo celebratur hic contractus habent pecuniæ simul in Lusitania, & Metinæ, censetur iustum communi vsu fori, vel arbitrio prudentum, nullam in his cambiis exercet Ioannes iniustitiam, vel iniquitatem. Quod si eo tempore, quo Ioannes confert suam pecuniam Olysiponæ in Metinam, pretium illud 4. vel 5. non sit receptum communi vsu fori in eo loco, aut non censeatur iustum a peritis, & prudentibus in arte campsoria, erit quidem cōtractus iniquus ex defectu iusti pretij, quod, in quocunque contractu cambij accidat, reddit illum iniquum, attamen ex eo quod prius data sit pecunia a Metina in Lusitaniam cum pretio, vt vno pro 100. Deinde vero idem mercator eandem iam recuperatam, rursum ibi conferat eidem, vel alteri per secundum cambium a Lusitania in Metinam, cum lucro & interesse 4. vel 5. pro 100. posito per hypothesim hoc pretiū esse tunc ibi receptum communi vsu fori, vel iudicatum iustum a prudentibus & peritis, non efficit, neque reddit hunc contractū iniustum. Idem censendum est de conferente pecuniam suam in Flandriam, vt inde eandē per aliud cambium, rursum alicui tradat a Flandria in Hispaniam.

Sed huiusmodi contractum non reddit iustum ratio illa Nauarri, eo quod in eo pecunia presenti ematur pecunia absēs, quæ tanquam absens minus valeat, cum abunde docuerimus loco citato, contractum cābij non esse emptionem, aut venditionem, neque iustitiam illius inniti absentię pecunię quæ recipienda est: Sed est iustus, & licitus contractus hic de quo nunc disputamus, quia sunt in eo duo cambia realiter distincta ad diuersas cambij species spectantia, qua de causa nihil prohibet, vt sub pretiis adeo diuersis exerceantur. Quando enim mercator confert Petro pecunias suas Metinę, vel Hispali, vt sibi a Petro, vel factore eius realiter, & vere, ac cum illis conditionibus quas optime, & iuste exigit Nauarrus, in Lusitania, vel Flandria restituantur, est vnum cambium inceptum Metinę, vel Hispali, perfectumq; & consummatum in Lusitania, vel Flandria, cum primū ibi fit solutio: estq; cambium secundę speciei, in quo mercator conferens prius pecuniam habet se, vt campsuarius, recipiens autem illam restituendam in Lusitania, vel Flandria habet se vt campsor, conferens litteras per quas illa transferatur a loco in locum, & sic lucrum illud vnius pro 100. recipit ille quasi pretium obsequij, quod præstat illi mercatori transferens pecuniā eius in locum, vbi illam vult habere: hac enim via mercatores congregāt pecunias in præstantissimis emporiis, & nundiniis ad sua nego-

negotia, & commercia: In qua specie cambij illud pretium est iustū, quasi obsequio quod illi mercatori præstatur sufficiens, & commensuratum. Quando vero deinde pecuniam in Lusitania vel Flādria receptam alteri, vel eidem confert sibi Metinæ restituendam in nūdinis proxime sequentibus, exercet iam tunc aliud secundum cambiū a priori longe diuersum re & natura: re, quia est secundus contractus de nouo celebratus: & natura, quia prius cambium (vt diximus) erat secundę speciei & per transportationem, hoc vero secundum est tertiæ speciei, in quo pecuniæ commutantur secū dum diuersam ęstimationem quam habent in diuersis locis: qua de causa aliud exigit pretium, illud scilicet, quod varia æstimatio, quam in Lusitania & Metina, vel in Flandria & Hispania eo tempore pecunię habuerint, postulabit: fueritq; communi vsu fori receptū. Vnde iustificatur huiusmodi cambium, de quo adeo Dominicus Soto dubitat, a Lusitania vel Flandria in Metinam, eadem omnino ratione qua censeretur iustum ex quouis alio loco in Metinam, sub pretio iuxta communem vsum fori simpliciter factum, in quo nulla alia precessisset pecuniarum transportatio, vel contractus aliquis circa illas.

Neq; argumenta Dominici Soto contra hanc sententiam, quatenus a nobis proponitur, aliquam vim habent. Ad primum enim. Respondeo, in reductione pecuniæ à Lusitania vel Flandria in Metinā duobus modis posse se habere mercatorem illius pecuniæ dominum, Vel ita, vt quo nundinæ in quibus est faciēda solutio magis distāt, maius exigat pretium propter dilatam solutionem, qua ratione inique agit, vsuramq; committit, vt ex præcedenti controu. constat: Vel ita, vt solum exigat pretium communi vsu fori in eo loco receptum, vel a peritis, & prudentibus iuxta præsentem pecuniarum æstimationem, in illis locis iudicatum iustum, siue nundinæ illæ multum siue parum distent: & hac ratione contractus est iustus, & pretium iustum, vt ostendimus, & in hoc sensu illum probamus.

Ad secundum constat ex dictis, in sententia quam sequimur vtroq; modo cōmutari pecuniam in hoc contractu, & quamuis sub diuerso pretio vtroq; tamen iusto: Etenim cum confertur a mercatore alicui, a quo illam recipiat in Lusitania, vel Flandria, est translatio & traductio pecuniæ illius ab vno loco in alium sub pretio tali obsequio iusto: cum deinde vero, mercator illam alteri confert in Lusitania, vel Flandria, sibi in sequentibus nundinis Metinæ restituendam, est commutatio pecuniarū in diuersis locis secundum diuersam ęstimationem earum in illis, quę commutatio est diuersus contractus, & diuersum cambium ab illo priori, & suo quoq; iusto pretio iuxta dicta celebratum.

Ex doctrina huius controuersiæ facile est explicare.

APPENDIX PRAECEDENtis controuersiæ.

Qua ratione cambia a Roma. V.g. in Valentiam sub vno pretio facta & a Valentia in Romam sub alio diuerso, iusta sint?

Obtinuit vsus, vt si quis a campsore aliquo pecunias Romæ postulet, ac recipiat restituendas v.g. Valentiæ, reddat communiter sex vel septem solidos pro ducato vt dicunt de camara veteri in pretium & interesse illius cambij: recipit enim Romæ ducatum de camera veteri cuius valor est 23. vel 24. solidorum, restituitq; Valentię factori campsoris 29. vel 30. solidos: Attamē si is qui indiget pecunijs Romæ, conferat prius illas Valentiæ alicui cāpsori, efficiet hic campsor Valentinus per suas litteras vt exhibeatur illi Romæ ducatū hoc de camera veteri acceptis Valentiæ 25. vel 26. solidis: ita vt qui prius hic cōfert pecunias suas, non reddat in pretiū & interesse cambij à Valentia in Romam pro ducato illo de camera veteri, nisi tres vel quatuor solidos huius nostræ monetę Valentinæ.

Huius discriminis fatetur ingenue Soto se causam ignorare lib. 6. de Iust. q. 12. art. 1. ante solutiones argumentorum, vel saltim illam non dum apparere: quamuis eo loco agat de Cambio a Metina in Flandriam, & a Flandria in Metinam, sed idem est iudiciū in ijs quæ fiunt a Valentia v.g. in Romam, & a Roma in Valentiam. Sentit enim ibi Soto iniustum esse, vt cum ille qui prius Metinæ pecuniam accipit restituendam Flandriæ, non accipiat nisi lucrū vt 5. pro 100. is qui prius illam confert in Flandria restituendam sibi Metinę, manente eadem pecuniæ ęstimatione omnino immutata, & inuariata, accipiat lucrum vt 8. Quia licet prius illud cambium a Metina in Flandriam cum lucro vt 5. sit iustū, quia

quia 1050. dicamus exempli gratia tantum valent Metinæ quantū 1000. in Flandria, propter diuersam ęstimationem, secundum vero cābiū à Flandria in Metinā cū lucro vt 80. cū fiat eodē tēpore, & manente eadē omnino æstimatione pecuniæ, nō est iustū: Sed debet (inquit) esse idem pretium in cā biis quæ eodem tempore fiunt, siue prius recipiatur pecunia Metinę, restituenda in Flandria, siue contra prius recipiatur in Flādria restituenda deinde Metinæ. Quo fit, vt damnaret Soto iuxta hāc sententiam vsum hunc cambiendi a Valentia in Romam sub minori pretio, & a Roma in Valentiam sub maiori.

Nauaraus vero (vt ex dictis constat) illū probaret, innixus illi rationi posse mercatorem emere pecunia presenti aliam absentem, minori pretio quā illa valeat, quia absens minus valere censenda est: Et ita accidere in his cambijs: vt dans pecuniam Valentię illa tamquam presenti & magis valente, emat eam, quam recipiet Romę sibi absentem. Et similiter, qui confert Romæ ducatum quod valet 24. solidos iuste recipere Valentiæ 30. ibi existentes, sibi autem absentes, quia propter illam absentiam non valent illi existenti Romæ nisi quantum 24. solidi sibi Romæ presentes. Quæ tamen ratio ex dictis satis confutata manet.

Recentiores quidam alias confingunt rationes, quas iure pretermitto, quia minus satisfaciunt.

Sed diluenda est dubitatio ex dictis in hac controu. Vt in hoc contractu seu vsu cambiendi a Valentia in Romam, & a Roma in Valentiam fint duo cōtractus, duoq; cambia re ipsa & natura diuersa, ac propterea sub diuersis pretijs citra omnem iniquitatem.

Etenim quando indigens pecunia Romæ, illam prius confert Valentiæ, alicui cāpsori, cuius litteris illam Romæ (vbi ea eget) recipiat, est cambium secundæ speciei per transportationem, cuius iustum pretiū sunt illi tres vel quatuor solidi, quos campsor recipit in lucrum seu stipendium pro singulo ducato de camera Romæ accipiendo: quia in hoc cābio nō respicitur diuersa æstimatio quam habent pecuiæ Romæ & Valentię, sed hoc solum, obsequium illud, quod campsor præstat transferens per litteras suas, pecuniam illam a Valentia in Romam vbi alter illa indiget, cuius obsequij, & transportationis, quidquid sit de diuersa ęstimatione pecuniarū in huiusmodi locis, illud est iustum pretium.

Quando autem egens pecunia Romæ ibidem illam quęrit, accipitq; a campsore aliquo, ita vt prius campsor illam conferat, & deinde Valentiæ recipiat, cum hoc cambium non fiat quasi campsor vellit suam pecuniam transferri Valentiam, sed campsuario ipso qui illa Romæ eget eam postulante cum debito restituendi eam Valētię, est cambium tertiæ speciei, cuius pretium, cum iuxta propriam illius rationem, sicut modo exercetur (vt ex superius dictis constat) sumendum sit ex diuersa ęstimatione pecuniarum in diuersis locis in quibus fit, Romæ autem, tum, quia non habet regio illa eam pecuniarum copiam quam Valētia, tum, quia pecuniæ sunt ibi maxime necessariæ ad innumera negotia, quæ in Curia Romana passim occurrunt,) tanti æstimantur 24, solidi, quanti Valentiæ 30. hac ratione, etsi cambiij a Valentia in Romam, in quo prius confertur pecunia cāpsori, fit iustum pretium 2. vel 3. pro ducato de camera veteri, quasi pretium in stipēdium transportationis illius pecuniæ a Valentia in Romam: cambij vero in quo campsor confert pecuniam suam Romę, recipiēdam deinde Valentiæ, cum sit cambium tertię speciei, cuius pretium sumendum est pręcisse ex diuersa æstimatione quam habent pecuniæ Romæ & Valentię, iustum pretium sunt quinque vel sex ultra sortem pro eodem ducato Romę accepto, quia tanti ęstimantur Romæ ex causis dictis 24. solidi, quanti Valentiæ 29. vel 30.

Non dubito plerosq; campsores huiusmodi vel alia quæcunq; cambia exercentes hęc & similia pretia accipere, & reddere, ignorantes omnino cur illa iusta sint, & vnde sumatur illorum iustitia: Cōsului enim ad praxim cambiorum exacte intelligendā, & docendam varios campsores, & eorū ministros, expertusq; sum, pręter ea cambia quæ sunt apertissime ficta, & iniqua, veluti quando non dantur litteræ, aut non mittūtur, vel scit cāpsor illas frustra mitti, vel quid simile, quę quibusuis sunt perspicua, in aliis quæ hos contractus respiciūt, & aliquid habent difficultatis, paucissimos esse qui intelligāt, quę licita sint quę prohibita, quæ pretia iusta, quę iniqua: sed solam consuetudinem, siue optimus vsus illa fit, siue abusus, secutos, sua cambia exercere, nihil aliud respiscientes, quā vbi commodior lucri occasio sese illis offerat.

Quos

Quos certe confessarij plurimum debent admonere, vt nullum genus cambij exerceant inconsultis viris peritis, ac timoratis & eorũ cõsilio & admonitione instructi ea tãtũ efficiãt, quæ certò nouerint esse iusta, & qua ratione iusta sint, ea verò repellant in quibus aliqua latet iniquitas. Non enim in his tanta est consuetudinis vis, & authoritas, vt ea sola securam reddat campsorum conscientiam, maxime cum testimonio Christi pauci sint qui arctam salutis semitam aggrediantur, multi vero qui per latã perditionis, & iniquitatum viam præcipites ferantur in æternum interitum.

Controuersijs hactenus explicatis, in quibus nullum posse recipi lucrum ratione temporis docuimus, illa nunc proxima est, De nundinis quas vocant intercalatas. Vnde videamus oportet.

Controuersia XX.

AN CAMBIVM, QVOD IN- *tercalatis, & prætermissis primis nundinis, fit in alias subsequentes, sit iustum, & licitum?*

AB hac dubitatione satis profecto nos liberauerat Sãctissimus Pius V. cum huiusmodi cambia in sua Extrauaganti apertissimis verbis omnino interdixerit; quia tamen audio in nonnullis locis, maxime in Lusitania adhuc illa exerceri, cum in communem omnium fidelium vtilitatem hos commentarios ædere instituerim, An illa secundũ se, & ex natura rei iniqua sint, vel secus, & quam circa illa constitutio illa Pij V. vim habeat, explicandum est.

Campsores qui adhuc illa execent, ex natura rei, & secundum se nullam in illis contineri iniquitatem, eo quod in eis precium augeatur, his adducti rationibus existimant. Primo, Si pecuniam collatam Valentiæ Augusti reciperet campsor in nũdinis proxime sequentibus Octobris, traderet illam rursum alteri campsuario cũ nouo interesse, & lucro illius secundi cambij, hoc tamen lucro priuatur in gratiam campsoris, dilata solutione illius pecuniæ in alias remotiores nundinas Februarij, vel Maij, licebit ergo campsori, ratione istius lucri vere sibi cessantis, maius interesse exigere, quando fit cambium ad nũdinas illas intercalatas, & remotiores.

Secundo, Ad exercenda huiusmodi cãbia, in quibus adeo differtur solutio, plurimi occurrunt accipientes pecunias, pauci vero campsores qui ita vellint eas conferre, abundantia autem accipientium cambia, & raritas campsorum iusta causa est ad augenda cambiorum pretia.

Tertio, Per hunc contractum obligatur campsor maiori tempore carere sua pecunia, hæc autem obligatio pretio æstimabilis est, & quo maior eo maiori pretio digna.

Deniquę, hæc dilatio temporis, qua cõceditur campsuario ne in proximis nundinis teneatur soluere, sed in aliis subsequentibus secũdis, vel tertiis, conceditur in eius vtilitatem, quãdoq; vt commodius litterę campsoriæ remittantur, quandoq; quia toto illo tempore indiget campsuarius ad parandam pecuniam, quam restituat in termino: cum ergo hęc omnia cedãt in vtilitatem campsuarij, cum absentia pecunię à domo campsoris, videntur certe aliquo pretio digna.

Dominicus Soto lib. 6. de iustitia. q. 12. ari. 5. refert qua ratione fiant in varijs locis Hispaniæ & Flandrię hæc cãbia, quę vocamus ad nundinas intercalatas: Hispane *a feria atrancada*: sed quoniam vsus celebrandi nundinas quem ille ibi recenset, maxima ex parte est iam mutatus, & abiit in disuetudinem, admonendum censeo lectorem, qui horum cambiorum praxim ignorat, qua ratione illa modo fiant.

Imprimis nullus est campsor, qui ad aliqua loca nundinarum suam conferat pecuniam, quando illarum tempus in eo loco ita vicinum est, vt arbitrio prudentum non sit iam locus mittendi litteras, ex loco vbi traditur pecunia, in locum vbi nundinæ illæ, in quibus esset restituenda, fiunt, vel si mitterẽtur, nõ peruenirẽt nisi factis iam solutionibus. Qua de causa si quis pecuniam suam alteri conferat, quando litteræ campsoriæ accipientis pecuniam iam non possunt commode deferri ad proximas & vicinas nundinas, sed in alias immediate sequentes, non dicitur cambium illud fieri ad nundinas intercalatas, sed ad primas & proximas: Cẽsentur enim in hoc contractu illæ primę ac proximæ nũdinę, ad quas post traditam pecuniam campsuario, possunt primo litterę illius commodę defferri. Veluti si conferatur pecunia Valentiæ in fine Octobris ad nundinas celebrandas Metinę in mense Februarij, non censetur hoc cambium ad nundinas intercalatas, quia

quia litteræ quę dabuntur à campsuario in fine Octobris, non possunt commode mitti ad nundinas quæ in eodem Octobri habẽtur Metinæ, & quarum solutiones faciendæ sunt statim in principio Nouembris, sed primę nundinæ ad quas possunt cõmode mitti, sunt illæ, quæ fient Februarij, & ita hoc cambium, licet fuerit data pecunia ante dies illos in quibus fiunt Metinæ solutiones designatę ad nundinas Octobris, censetur nihilominus fieri ad nundinas Februarij tãquam primas, & proximas. Quando vero pecunia ita confertur Valentiæ in Septembri, vt commode posśint mitti litteræ in Metinã ad nundinas sequentes Octobris, inter campsorem vero & campsuariũ conuenit, vt non designentur nundinæ illę celebrandæ Octobri in tempus solutionis, licet ad illas commode possent litteræ trãsmitti; sed aliæ quę deinde sequũtur in mẽse Februarij, huiusmodi cambium dicitur fieri ad nũdinas intercalatas, soletq; in eo maius pretium recipi quam si ad pręcedentes, quæ vere primę & proximę erant, factum fuisset.

Hoc ergo cambium ex natura contractus iniquum non esse, non solum campsores aliqui rationibus propositis opinantur, verumetiam (vt refert idem Soto loco citato) Anno domini 1517. Theologi Parisienses, quibus tria fuerunt a mercatoribus proposita, in responsione ad tertiam quęstionem seu dubium, indicarunt licere in contractu cambij, cuius solutio diutius differtur, maius pretium recipere propter lucrum cessans, ac labores, & industrias cãpsoris: addentes, id ipsum licere vbi illud celebratum fuerit ad nũdinas intercalatas, quo longius fuerit illarum tempus. Cuius sentẽtię ait fuisse potisśimos authores duos illos fratres ciues Hispanos dictos Coronellos, viros non penitendæ eruditionis & nominis.

Quorum tamen opinionem excludit, ac confutat ibi Soto, Primo, quia augere pretium quo nundinarum tempus, seu solutionis terminus in illis magis differtur, idem reipsa est qnod augere pretium ratione dilatæ solutionis, quod est aperta vsura.

Cęterum, quia dicunt mercatores se exercere quãdoq; hæc cambia, propterea quod facta ad nundinas illas remotiores, commodius mittuntur litteræ, commodiusq; potest campsuarius parare pecuniam, ex qua soluat in termino. Cõtra inquit Soto Neutra istarum rationum iuuat ad augendum amplius pretium, quam si statim esset faciẽda solutio. Non prior, quia campsuarius statim dat litteras quibus posśit fieri solutio in proximis nundinis, quod autem differatur solutio vt valeat campsor commodius illas mittere, non debet illud esse cum damno campsuarij, cuius post datas litteras iam non interest, vt citius vel tardius mittantur, sed campsoris. Nec posterior ratio iuuat, quia conferre pecuniam alicui per aliquod tempus, vt eo tempore quęrat vel cõparet sibi vnde illam restituat, aperte videtur illud accedere ad rationem mutui, & ex consequenti recipi lucrum illud ex mutuo.

Confirmaturq; exemplo. Si frumentũ meũ, quod habeo Valentiæ, commutarem cum eo quod habes Cæsaraugustæ æqualis valoris, & pretij, adijcerem tamẽ, vt interesse aliquod mihi persoluas, quia non sum statim illud recepturus, sed exigitur tempus quo deferantur litterę Cæsaraugustam, quarum virtute famuli tui conferant meis triticum ibi mihi exhibendum, esset aperta vsura, simile autem accidit in cambio de quo hic agimus, iuxta istam rationem mercatorum.

Tertio, quando fiunt cambia ad proximas nundinas, non licet recipere aliud pretium, quam reciperetur si pecunia illa esset statim restituẽda *a letra vista*, quia propter dilationem temporis nec obolum quidem recipere licet, ergo pari ratione nec licet pretium vel in obolo augere, eo quod illis prætermisśis, & intercalatis in alias sequẽtes secundas, vel tertias solutio illa differatur.

Quarto. Nec potest fauere mercatoribus hæc cambia exercentibus, quod dum pecuniam suam in Hispania conferunt ad intercalatas nundinas celebrandas in Flandria, incertum sit quam æstimationem tunc habeant pecuniæ in Flandria, & in quo pretio tunc ibi fiant, vel quod sit futurum tẽpore nundinarum proxime sequentium, cũ varij rerũ ac temporum euentus illa subinde mutent: ac propterea posse illa celebrari in alias nundinas remotiores, vt interim constet vtrique cambienti de pretio, quo fiunt cambia ab Hispania in Flandriam. Hęc inquam ratio nihil iuuat: Primo, quia nõ sunt mercatores in his ita desides, quin pasśim & subinde alij alios certiores faciãt abundantiæ, vel penuriæ pecuniarum, quę in singulis Prouincijs, singulo quoq; tempore

pore existunt, & ęstimationis quam in illis subinde habent, & qua ratione fiant cambia. Secundo, quia esto illud quandoque ignorent, nihilominus vsu illorum constat, sua cambia sub certo pretio semper illos exercere, nec relinquere illa in incertum, Tum, ne alter sua industria efficiat, vt in nundinis vel termino solutionis augeātur illorum pretia. Tum, quia nullus fere est campsor, qui in tanta locorum distantia, in quibus varii & inopinati euentus bellorum, vel alterius infortunii accidere possunt, pecuniam suam tam incertæ fortunæ committere vellit. Tertio, quia casu quo relinquatur mutua vtriusque conuentione pretium incertum, illud tantum licet, quando vtraque pars ex ęquo dubia est tam damni quam lucri, campsores tamen huic incertitudini nunquam se exponunt, neque admittunt pretium incertum, nisi vbi probabilissime certius est lucrum.

Vnde quemadmodum (inquit Soto) Alexander III. in cap. In ciuitate. De vsuris. quamuis interrogatus ab Episcopo Ianuensi, liceat ne vendere mercem aliquam maiori pretio ad creditum, quam in numerato, quando dubium est, sit ne illa plus valitura? Respondeat illud non esse vsuram, admonet tamen consulendos esse ciues, ne in negotijs adeo periculosis, & in quibus facile iniquitates vsurariæ committi possunt, se exerceant. Eadem ratione consulēdi sunt mercatores, vt ab huiusmodi cambiis ad remotiores nundinas vt periculosissimis omnino abstineant, obseruantque illud viri timorati, & iusti, amicos suos ab hoc genere negotii quantum possunt auertentes, adeo vt si qui illud exerceant, ne dū apud prudentes verum & apud plebeios male audiant.

Tria ex his colligit Soto. Primum est, Cambia hęc non posse fieri sub incerto pretio pendente ex futuro, quia campsores semper sunt certi, augendum potius illud esse, quam minuendum. Secundum, propter maiorem dilationem solutionis in remotiores nundinas nullo modo esse augendum pretium, sed in eodem omnino esse constituendum, siue ad proximas siue ad alias sequentes solutio illius referatur. Tertium est, Vbi aliqua fit nundinarum intermissio, vt solutio cambij differatur ad alias sequentes, in quibus speratur pretium maius futurum, latere vsuram, cum intendatur lucrum ex illa temporis vel nūdinarum dilatione.

Ex quo infert eodē loco, & recte, iniquū esse quorundam mercatorum vsum, qui pecunias suas cambire solent Metinæ in nundinis Octobris, ad nundinas Resurrectionis celebrandas in Flandria, quarum solutio fit in mense Maij, intermissis ac intercalatis nundinis quę in eadem Flandria celebrantur in festo Apparitionis, seu Epiphaniæ, quarum solutio fit Februarii: intermittunt vero illas, eo quod in nundinis Resurrectionis, cum ditiores illæ sint, & ad quas plures cambia accipiunt, magis sint æstimandæ pecuniæ, & augenda cambiorum pretia. Committunt enim hi duplicem iniquitatem, vnam, quia non commutant pecuniam presentem pro presenti, sicut exigitur in hoc contractu, sed presentem pro futura quę auctior speratur esse: alteram, quia semper quo solutio illa magis differtur, maius lucrum recipiunt: quæ omnia vsuraria sunt. Ita concludit hæc cambia hac tantum ratione fieri posse, vt explorato diligenter pretio, quod habuerunt cambia in proxime precedentibus nundinis in Flandria, vel eo loco in quem designatur solutio, explorato etiam absque omni dolo & fraude valore, & ęstimatione quam habet tunc pecunia in loco vbi illa traditur, aut in proxime precedentibus nundinis eiusdem loci, collataque inter se ęstimatione illa, & valore quē pecunię in illis locis tunc habent, vel proxime habuerunt, constituatur pretium cambio, quod tunc celebratur. Hac enim ratione vere censebitur cambiri pecunia presens pro presenti, & sub pretio presenti. Quæ duo maxime necessaria sunt, vt cambium hoc iuste exerceatur, maxime cum fiunt in Romam, vel in alia loca, in quibus non celebrantur nundinę.

Hanc sententiam Dominici Soto amplectuntur omnes Doctores, Nauarr. in Commento de Cambijs. numero 34. vbi affert in eadem sententiam ex Iurisperitis. Calderinum Consil. 11. De vsuris. Laurentium de Rodulphis in repetitione cap. Consuluit. quęst. 1. secundę partis. De Vsuris. Ananiam in cap. Nauiganti. num. 46. De vsuris. Ex Tgeologis D. Antoni. 2. p. tit. 1. cap. 7. §. 49. Siluest. vsura 4. per totum. Caietanum in tractatu de cambijs. Medinam Cod. De rebus restituend. fol. 145, Idē quoq; docent Mercat. de cō-

tractibus lib. 4. cap. 8. & 12. Palatius lib. 3. de contractibus, & omnes recentiores, nec vllum vidi qui illud non damnet, saltim post æditam extrauagantem Pij Quinti, in qua præcipit expresse, ne vlla cambia fiant aliter quam ad primas nundinas.

Ego de presenti quæstione sic sentiendum iudico. Primo, cambia hęc ad secundas, vel tertias nundinas, in quibus propter solutionis dilationem nulla ratione augetur pretium, sed idem omnino recipitur, quod reuera reciperetur si statim esset facienda solutio, ac vt dicunt *a letra vista* stando in solo iure naturali, & diuino, & ex natura rei vt dicunt, iustum esse, & licitum, seruatis ijs quæ diximus ad verum & reale cambium desiderari, & pretio recepto communi vsu fori. Quia ita celebratum nullam continet iniquitatem, cum in eo in nullo grauatur accipiens pecuniam ratione temporis, iuxta celebrem illam Siluestri regulam ab omnibus receptam. Si vero pretium illius propter dilatam solutionem ad nundinas maiori tempore distantes in aliquo augeatur, contractum esse iniquum, & vsurarium, cum debito restituendi non solum illud augmentum pretij superadditum propter maiorem dilationem solutionis, verum etiam omne interesse & lucrum per cambium illud adquisitum. Quod sit iniquum & vsurarium docent optime argumenta Dominici Soto, cuius doctrinæ illud est potissimum fundamentum, quod cambium presenti solutione, id est *a letra vista* habet se in hoc contractu, sicut venditio quæ fit in numerato: Cambium vero ad nundinas, vel ad aliquem terminum fit velut venditio expectata solutione: Quo fit, vt quemad modum in contractu venditionis illud tantum est iustum pretium, in quo res venduntur pretio statim numerato, debetque huiusmodi pretium esse regula cæterarum venditionum quæ fiunt expectata solutione, ita in cambiis illud tantum est iustum pretium, quod recipitur in cambio *a letra vista*, debetque huiusmodi pretium esse regula & mensura cęterorum omnium cambiorum, in quemcunq; terminum vel tempus illorum solutio designetur, ita vt sub maiori pretio celebratum iniquum omnino sit & vsurarium. Ex quo sequitur quod adiecimus, restituendum esse non solum excessum illum quo superaret iustum pretium, verumetiam quidquid vltra sortem per huiusmodi contractum a campsore fuerit receptum, quia totum illud est per iniquum contractum adquisitum: quidquid vero inique adquiritur, alienum est, & restituendum. Vnde differt in hac parte contractus cambij a venditione, hac ratione: Vt in venditione in qua exceditur à iusto pretio, non debeat venditor restituere totum pretium, sed solum excessum illum vltra iustum pretium, nam cum iustum rei pretium sit iustus eiusdem valor, illud retinens solum habet iustum rei valorem, vnde nec habet plus quam debet habere, excessum vero à iusto pretio debet restituere, quia superat ille iustum rei valorem, & in eo habet plus quam debet habere. In cambio autem iniquo & vsurario, cum per illud tamquam per contractum iniquum nihil possit adquiri, quidquid vltra sortem recipitur alienũ est, & inique receptum, ac propterea restituendum ratione iniquę acceptionis, habet enim illud retinens in tota illa quantitate vltra sortem plusquam debet habere.

Dico secundo, post æditam Extrauagantem Pij Quinti circa cambia nullomodo illa posse aliter celebrari, quam ad proximas nundinas, & solitos terminos, vbi non celebrantur nundinæ, siue fiant cum eodem pretio quod redderetur *a letra vista*, qua ratione sublata hac lege Pontificia licita erant, & iusta, siue fiant sub maiori pretio propter dilatam solutionem, qua ratione neq; ante huiusmodi Constitutionis prohibitionem illa exercere licebat, cũ secundum se, & ex natura contractus sic facta iniqua sint, & vsuraria. Verba Extrauagantis sunt.

Porro ad tollendas quoque in cambijs, quantum cum Deo possumus, occasiones peccandi, fraudesq; fœneratorum, statuimus, ne deinceps quisquam audeat siue a principio, siue alias certum & determinatum interesse, etiam in casu non solutionis pasci sci, neque realia cambia aliter quam pro primis nundinis, vbi illæ celebrantur, vbi vero non celebrantur pro primis terminis iuxta receptum locorum vsum, exercere, abusu illo prorsus reiecto, cambia pro secundis nundinis siue terminis exercendi.

Vbi Summus Pontifex omnia in vniuersum cambia aliter facta quam ad primas nundinas, & primos terminos absolute, & omnino interdicit, nec distinguit inter ea quæ fiunt cum maiori pretio & iniusto, & ea quæ

ea quę fiunt seruato iusto ac debito pretio, *Vbi autem* (ex regula Innocentij) *lex non distinguit, neq; nos distinguere debemus*: Estque lex obligans in conscientia, quia lata ab habente authoritatem, qualis est Romanus Pontifex, non solum in causis fidei, verumetiam in ijs quę pertinent ad mores vniuersorum fidelium: Innititurq; iustissimæ causæ, ad occludendam, scilicet viam innumeris iniquitatibus, & vsuris, quę per huiusmodi cambia ad nundinas intercalatas non solum possunt facile permisceri, sed experientia teste permiscebantur, quando erant apud aliquos in vsu. Demum est recepta in omnibus Prouinciis fidelium, & peritorum, ac prudentum calculis vt sapientissime ac prudentissime lata, comprobata. Obseruatur illa in tota Hispania, & Italia, nec non a Catholicis qui in Gallia, & Flandria, & in alijs regionibus degunt. Nec desinit Lusitanos obligare, eo quod aliqui mercatores apud eos huiusmodi cambia ista constitutione prohibita adhuc celebrent: Quod enim ab vniuersis fidelibus tamquam iustum, & saluti animarum maxime expediens, ac prudentissime preceptum obseruatur, non est censendum huius aut illius priuati Regni abusu non habere apud illos debitum firmitatis robur: Maxime cum non possim mihi persuadere omnes Lusitanos mercatores hæc cambia exercere, nec plerosque, sed aliquos tantum & pauciores, quorum neq; est habenda ratio, neque debet esse tanta authoritas, vt eorum abusus legem Pontificiam adeo iustam, & sanctā debita obligandi vi valeat expoliare. Noui enim Lusitanos viros esse pios, Sædis Apostolicę studiosissimos, & de salute animarum suarū (sicut viros probos decet) solicitos, quod ex honestissimis moribus Religiosi profecto patris Lusitani Fr. Petri Ramos qui me in religione, quam profiteor, educauit, & ex consuetudine quam Romæ habui cum Religiosissimo Patre Magistro Augustino à Iesu in Capitulo generali nostri ordinis anno Iubilæi ibi celebrato, tūc diffinitore, nunc vero diuino numine propter insignem vitę sanctitatem cum maxima eruditione coniunctam Archiepiscopo Bracharensi, mihi compertum sanctisq; exploratum est.

Ex his sequitur, quod recte docent Caietanus de cambijs cap. 7. & Nauarrus in commento de cambijs num. 80. male ac vsurarie agere campsorem, qui adueniente termino solutionis in nūdinis, vel extra illas, campsuario tunc non soluenti concedit, vt solutio illa in alias sequentes nūdinas, vel terminos differatur, ea lege, vt debeat aliud interesse, præter illud prius, soluere, sicut diximus fieri in recambijs, est enim iniquus & vsurarius huiusmodi cōtractus, cum aperte in eo propter dilatam solutionē interesse illud exigatur, quamuis sub ratione recambij. Illud namque solum liceret, quādo campsuario existente in mora, campsor ex mora illa damnum aliquod vere reciperet, aut alicuius lucri cessationem vere ac realiter pateretur.

Argumenta vero quę initio proposuimus, si quam haberent vim, ædita Constitutione Pij Quinti, qua iuste, ac prudenter, & cum vi obligandi illa prohibentur, imbecillia omnino manent: Sed quoniam seclusa quoque huiusmodi Constitutione nullam habent vim, illa suo ordine diluamus.

Ad primum Dominicus Soto loco citato, cum censeat ratione lucri cessantis nihil recipi posse in vllo contractu, respōdet, Esto cambia ad longiora tempora minus vtilia sint campsoribus, non propterea licere illis dilationis gratia pretium aliquod recipere, nam & eadem ratione liceret mutuanti pecunias suas, quo longius tempus mutuatario concederet, aliquod lucrum ab illo exigere, cum ex longiori termino minus vtiles pecuniæ suę illi reddantur: Vnde infert campsorem nolentem concedere gratis longius spatium ad recipiendam solutionem, debere aliis negotijs intendere. Nos vero cum ratione lucri cessantis (quando illud vere in gratiam alterius cessat) docuerimus cum cōmuni DD. placito aliquid recipi posse in illius compensam, dicamus duobus modis posse cāpsorem pecuniam suam alteri conferre, Vel ita, vt haberet iā v.g. Petrū campsuarium paratum, qui in primis proximisq; nundinis illam certo restitueret, vbi acceptam habebat similiter campsor paratum negotiū, cui illā cum lucro traderet, rogatus tamen a Ioāne non solū desinit conferre illā Petro, à quo certo illā in proximis nundinis recepisset, verumetiam & exercere negotium, cui tunc illam habebat destinatam: Vel nulli alteri negotio illā tradere instituebat quam cambijs, his quę solis habebat actu & animo illam expositā. Siquidem priori modo illam Ioanni tradat ad remotiores nūdinas, quia in proximis nequit

illam restituere, sicut qui pecuniam suam, quam honesto negotio vel iusto cambio exercēdo habebat iam in procinctu paratam, ab eo negotio in gratiam alicuius extraheret, potest compensam lucri, quod ex illo negotio vel cambio recepisset, exigere, ita in hoc casu, campsor qui desinit cum sua pecunia post proximas nundinas negotiari, quod omnino decreuerat: cum in vtilitatem campsuarij lucro illo, quod ex tali negotio reuera proculdubio percepisset, rogatus ab eo se ipsum expoliet, iuste potest interesse aliquod ab illo exigere, & recipere compensam illius lucri sibi vere cessantis, iuxta ea quę superius diximus quæst. 78. artic. 2. Controuersia 9. agentes de lucrocessante in mutuo. Et in hoc sensu iudicat Nauarrus loco citato num. 34. insignes illos ac eruditissimos fratres Antonium Coronel, & Ludouicum Coronel Doctores Parisiensens affirmasse in cambio ad nundinas intercalatas, vel remotiores terminos posse aliquod interesse à campsore recipi: Intelligendi sunt de cambio, in quo verè lucrum cessat campsori iuxta modo explicata. Non enim censendum est, viros eruditos, ac timentes Deum solo titulo dilatæ solutionis tale affirmaturos, sed titulo lucri vere cessantis campsori ex illo contractu. Quod si nullum habebat campsor in procinctu negotium paratum, quod ex illa pecunia decreuisset efficere, sed ad cambia tantum exercenda habebat illam expositam, non potest ratione alicuius lucri sibi cessantis interesse aliquod exigere, vel recipere, propterea quod solutio illius cambij ad remotiores nundinas differatur. Quo fit vt huiusmodi campsoribus nunquam vel rarissime saltim hic titulus lucri cessantis fauere possit, cum communiter suas pecunias non habeant mercaturæ traditas, vel destinatas, sed huic tantum negotio cambiendi, quasi contractui illorum vtilitati seu cupiditati potius magis accomodato.

Quę in hac solutione diximus, accipienda sunt absolute, & cessante omni iure humano positiuo: nam stante Constitutione ista Pij Quinti in suo robore, (sicut reuera stat, debetque obseruari,) sicut nullo modo licet ad intercalatas nundinas cambire, ita neque pretium aliquod vel interesse ex tali contractu tamquam omnino prohibito, & iniquo exigere, vel recipere.

Ad secundum sæpe dixi, vt quemadmodum in contractu venditionis pluralitas, & abundantia emporum non est sumēda ex ijs, qui emunt pecunia credita, sed ex ijs qui emunt reddituri statim pretium, & in numerato, ita pluralitas vel abundantia accipientium cambia non est sumenda ex ijs, qui quærunt pecuniam ad remotiores terminos solutionum, sed ex ijs qui illas quærunt, ac recipiunt, perinde ac si statim esset facienda solutio, *y a letra vista*. Tum etiam, quia constituere pretia iuxta moram temporis vel distantiam solutionis, habet aperte rationem mutui vsurarij.

Eodem modo soluitur tertium: Obligationem illam expectandi diutius solutionē propria sponte suscipere campsorem, ac omnino libere: qua de causa vel non concedat illam, vel si concedit gratis debet illam concedere, cum propter dilatam solutionē alicuius debiti, secluso titulo damni ex illa mora emergentis, aut lucri verè cessantis, nullum interesse liceat recipere, quin vsurarie illud recipiatur. Nec valet, quod hæc obligatio expectandi solutionem videatur esse ciuilis, quia est de ratione contractus, in quo libere debitori, aut mutuatario, vel campsuario conceditur sicut in hoc casu accidit, qua de causa nullo pretio in tali casu æstimabilis est.

Ad vltimum respondet Soto, & recte, propter causas quę in isto argumento proponuntur, aliquid exigere, idem omnino esse quod exigere interesse rationē expectatę solutionis, quod est vsurarium. Possumus etiam respondere, vt quemadmodum venditor non potest augere pretium rei, propter vtilitatem quam ex illa percipit emptor, cum vtilitas illa propria sit ipsius emptoris, ita neq; in cambio, expectata solutio propterea quod vtilis sit campsuario, non confert campsori ius ad aliquod interesse ratione talis vtilitatis percipiendum.

Nunc proximum est, vt videamus.

Controuersia XXI.

AN CAMBIA QVAE FIVNT *a nundinis in alias nundinas, quæ dicuntur de feria a feria, sint iusta?*

SOLENT mercatores ad Emporia in quibus nundinæ celebrantur accedentes, post quam varias emerunt merces, vel aliquas

quas cambiorum solutiones fecerunt, si quę pecunia(sicut solet)illis superfit,ne il lam sine vllo lucro in patriam reducant, quod illis nephas videtur, (adeo sacram censent vbiq; lucrandi famem) alijs mercatoribus, vel quibus possunt eam tradere, sibi restituendam in sequentibus nundinis, vel proximis, vel alijs remotioribus. Idque duobus modis: Vel restituendam in sequentibus nundinis eiusdem loci, vt cum confertur in fine nundinarum quæ celebrantur Metinæ mense Octobris, restituenda ibidem in fine nundinarum quæ celebrabuntur in eadem Metina in nundinis Mai. Vel restituenda in alijs locis, vt cum confertur Metinæ in fine nundinarum Octobris, restituenda Lugduni vel Flandriæ in nundinis Aparitionis seu Epiphaniæ, vel quod frequentius est intermissis ac intercalatis nundinis Aparitionis, recipitur restituenda in nundinis Resurrectionis. Hac ratione fiunt huiusmodi cambia, quæ vocantur *de feria a feria*: quorum iustitiam nunc inquirimus.

Mercatus, quem omnes fere recentiores sequuntur, quin & illius verba transcribunt, quidam Hispanè alij Latinè, circa huiusmodi cambia habet hęc tria.

Imprimis: quando hæc cambia fiunt à nundinis in nundinas alterius loci, vt à Metina in Flandriam, intermissis & intercalatis aliquibus intermediis nundinis, vt à nundinis Octobris Metinæ, ad nundinas Resurrectionis in Flandria, inter quas intercipiuntur ac omittuntur nundinę Aparitionis in eadem Flandria, si quidem propter dilationem solutionis aliquod maius interesse recipiatur, iniquum esse, & vsurarium: in quo nulla est dubitatio, vt ex dictis in proxime precedenti controu. constat. Idque duplici ratione. Tum, quia ex natura rei illud iniquum est & vsurarium, tum etiam, quia stante constitutione Apostolica Pij Quinti, hic contractus ad nundinas intercalatas est omnino prohibitus, & per quem nullum interesse vel lucrum iuste adquiri potest.

Habet secundo, cambia quæ fiunt à nundinis in nundinas sequentes in eodem loco, cum aliquo interesse & lucro, iniqua etiam esse, & vsuraria: quia cambiũ, (quod ex superioribus satis constat) debet fieri inter pecunias in diuersis locis existentes, iuxta diuersam ęstimationem quam in illis habent, in cambio vero quod fit à nundinis quę celebrantur Metinæ Octobri, ad nundinas celebrandas in eadem Metina in Maio, nulla est locorum distantia, nulla diuersa pecuniarum æstimatio: quia si sumantur pecuniæ iuxta æstimationem quã habent tempore quo fit cambium, qua ratione sumendę sunt, in vno & eodem loco vno & eodem tempore eadem est omnino pecuniarum æstimatio, nec potest intelligi esse diuersa: Si vero comparetur pecunia quæ in fine priorum nundinarum traditur, cum ea quę in sequentibus nundinis in eodem loco est restituenda, hac ratione non sumuntur pecunię in hoc contractu, sed ambæ secundum idem tempus: sed esto ita sumerentur, vt consideraretur æstimatio quam habet pecunia Metinę in nundinis Octobris, & quam habet in eadem Metina in nundinis Mai, experientia teste eadem semper est in vtrisque nundinis pecuniæ ęstimatio Metinæ, nec illa vnquam nisi rarissime ex aliquo inopinato euentu visa est mutari, vnde nulla est ratio vel titulus, quo possit hic contractus fulciri, sed inique & vsurarie exercetur. Quod secũdum Mercati dictum verissimum etiam est, & ab omnibus receptum. Quid enim quęso interest inter id quod est mutuare Petro Valentię 100. aureos, ibidem restituendos cum aliquo lucro, quod omnium consensu est manifesta vsura, & id quod est conferre Metinę in fine harum nundinarum 100. aureos restituendos in eadem Metina in proximis nundinis post quatuor menses cum aliquo lucro? nisi quod hic cõtractus sit mutuum vsurariũ sub nomine cambij, ille vero mutuum vsurarium sub proprio nomine mutui & vsurę? Ad hęc si iniquũ cambium est & fictum, quando non conficiuntur litteræ quę vere mittantur ab vno loco in alium, ibiq; reipsa à campsuario vel factore illius persoluantur, cambium in quo nullæ sunt litteræ, neq; diuersa loca in quę illę deferantur, quam fictum & iniquum censendum est?

Ex quo sequitur quam iniqua sint cambia, quibus multorum Nobilium & Magnatum domus & bona consumuntur, cum fiant illa in eodem loco, non solum a nundinis Octobris in nundinas Maij, sed quod iniquus multo est à nundinis Octobris in alias nundinas Octobris sequentis anni. Et quod maxime deplorandum est, quod huiusmodi cambia, quorum tam aperta est

 fraus

fraus & iniquitas, adeo (vt audio) sint in vsu.

Habet tertio, Cambia quæ fiunt a nundinis in nundinas proxime sequentes, in diuersis locis cum aliquo lucro, regulariter etiam & communiter iniusta esse propterea quod pecuniæ in omnibus nundinis quorumcunq; locorum, in quibus illæ celebrantur, habent parem & æqualem æstimationem, eo quod in omnibus nundinis, vbicunq; illæ fiant, eadē fere ratione sunt pecuniæ mercatoribus ibi conuenientibus necessariç, quæ necessitas pecuniarum in tali tempore efficit, vt quamuis extra tempora nundinarum sit diuersa illarum æstimatio in illis, temporibus tamen nundinarum eadem fere sit in omnibus locis, vbi illæ fiunt. Vnde infert, non solum cambia quæ fiunt a nundinis in nundinas in eodē loco debere fieri sine vllo lucro, & secundum æqulitatem, ac vt dicunt *a la par*, verumetiam quæ fiunt a nūdinis in nundinas in diuersis locis. Addit tamē accidere quādoque, vt in diuersis nundinis eiusdem loci vel diuersorum habeant pecuniæ diuersam æstimationem, eo quod in quibusdam occurrit maior campsorum & negociatorum numerus & frequentia quam in aliis, qua occurrente, augetur ibi pecuniarū ęstimatio. Sed hæc raro (inquit) accidit, & in exigua æstimationis differentia, propter quod huiusmodi cambia a nundinis vnius loci in nundinas alterius raro possunt fieri cū aliquo lucro, vel saltim exiguo. Quo fit reprehendendum esse vsum seu abusum potius mercatorum, qui frequentius quam illorum conscientiis conueniret, huiusmodi cambia cū magno lucro exercent. Hoc tertium dictum maiori explicatione eget: Hæc namque cambia a nundinis vnius loci in nundinas alterius bifariam accidere possunt: Vel ita, vt quando fiunt Metinæ in nundinis Octobris ad proximas nundinas Antuerpie, eandem æstimationem quam habent pecuniæ Metinæ, eandem quoque habeant eodem tempore Antuerpię, vel ita, vt diuersam. Si quidem quando traditur pecunia Metinę, eadem est eo tempore pecuniarum æstimatio Metinę & Antuerpiæ, non potest fieri cambium huiusmodi cum aliquo lucro, si vero sit diuersa æstimatio poterit fieri cum aliquo lucro: cum iustitia huius cambij (vt sæpe docuimus) innitatur diuersæ æstimationi pecuniarum in locis, inter quę illud celebratur. Ratio est aperta: Quia cambium quod fit a Metina in Antuerpiam eiusdem rationis omnino est, siue pecunia tradatur Metinę tempore nundinarum, siue alio tempore, cum propria ratio huius contractus non consistat in eo, quo tempore fiat, sed in quibus locis, ita vt quocunque tempore fiat, modo sit vera commutatio pecuniæ vnius loci cum pecuniis alterius, sit verum cambium tertiæ speciei: At si extra tempora nundinarum fiat cambium, & pecunia eandem habeat æstimationem Metinæ & Antuerpiæ, non potest recipere aliquod interesse, si vero diuersam potest: ergo similiter iudicandum est, quando fit cambium tempore nundinarum vnius loci ad sequentes nundinas alterius. Dixi eodem tempore, quia (vt sæpe docuimus) ęstimatio pecuniarum non attenditur in hoc contractu penes diuersa tempora, sed penes idem omnino tempus, & quasi eodem die quo traditur pecunia in vno loco, reciperetur in alio. Ita fit, vt quod ait Mercatus in isto tertio dicto, in huiusmodi cambio non posse recipi lucrum nisi raro & exiguum, non sit certa regula, sed ea quam nos hic tradimus: Vt iuxta æstimationem quam habent pecuniæ, aut intelliguntur habere ipso tempore contractus in illis locis, constituatur pretium: Siquidem eandem habeant, fiant *a la par*, si diuersam, prout illa diuersitas arbitrio prudentum postulauerit, vel vsus fori citra omnem fraudem vel monopolium campsorum tulerit. Vnde crederem non raro posse fieri cum lucro, vt vult Mercatus, sed frequenter, quia communiter quocunq; tempore fiant cambia ab Hispania in Flandriam, vel illas Prouincias, siue in nundinis, siue intra illarum tempora, magis æstimantur pecunię in Flandria quam in Hispania, propter maiorem illarum copiam in Hispania quam in Flandria in quocunque tempore, & euentu, communiter & vt plurimum. Nec obstat, quod in omnibus fere nundinis mercatores eo conuenientes similiter egeant pecuniis ad sua commercia, cum hæc mercatorum necessitas, & indigentia non tollat, quin ex propria locorum natura & ratione, tam tempore nundinarum quam extra illud, quędam maiorem soleāt habere pecuniarum copiam quā alia: quod si ita occasio & tempus tulerit, vt eadem pecuniarum copia, & ex consequenti æstimatio

matio in illis locis extiterit, debent tunc cambia secundum æqualitatem fieri, & *a la par*, sicut dictum est.

Sed iam illud nunc videamus oportet.

Controuersia XXII.

POSSIT NE CAMPSOR *exigere aliquid a campsuario vltra iustum & receptum pretium cambij quod exercet, veluti securitatem, aut aliquid aliud pretio æstimabile?*

(?)

CVM in contractu cambij circa pretia, & illorum iustitiam eędē leges seruandæ sint, quę in contractu emptionis, & venditionis, assimilenturque plurimum cambia quę fiunt presenti solutione, *y a letra vista* venditioni, quæ fit in numerato, cambia vero quæ fiunt ad aliquas nundinas, vel terminos, venditioni quæ fit expectata solutione, ex ijs quę diximus agētes de venditione, facile erit iudicare quid sentiendum sit in cambiis de proposita quæstione.

Vbi illud initio obseruandum est, in omni contractu licere vnicuiq; omni iure se ipsum seruare indemnem, & securū constituere, vbi periculum aliquod imminet, siue alterius cōtrahentis vitio & culpa, siue ex infortunio illud probabiliter immineat, modo periculum illud non sit intrinsecū contractui iuxta propriam illius naturam & rationem. Exemplo rem illustremus. Vēdit Petrus Ioanni mercem aliquam ad creditum, potest ipso tempore contractus exigere ab illo pignora, vel fideiussorē, quibus de solutione pretii sit securus: Mutuat, vel commodat quis alteri pecuniam suam, vel rem aliquam, potest similiter securitatē exigere, quia non est intrinsecum contractui venditionis, vel mutui, vt vendens vel mutuans periculo se exponat: ac propterea potest omni iure eniti vt se ipsum indēnem ac securum constituat. Quod tamen, vt in sequenti disputatione de contractu societatis videbimus, non licet iis, qui inter se aliquam ineunt societatem, quia societatis contractui intrinsecum est & per se conueniens excercentes illum ex equo manere expositos tam damno, quàm commodo.

Obseruemus secundo, quod ex dictis sequitur. Securitatem, (quādo in contractu licet illam exigere) nō recipi ab eo, qui illam exigit, quasi aliquid pretio æstimabile vltra iustum rei pretium, sed tamquam ius vnicuique à natura concessum se ipsum seruandi indemnem, cum nemo teneatur suo damno alteri prodesse. Nam aliter, cū venditori non liceat exigere aliquid vltra iustum pretium, nec mutanti liceat aliquid exigere vltra sortem, non liceret vendenti ad terminum, nec mutuanti exigere securitatem rei sibi debitæ, quod apertissime est falsum.

His positis sit prima conclusio. *Nulla ratione licet in cambio, quodcunq; illud sit, aliquid pretio æstimabile exigere, vel recipere vltra pretium, quod iuxta ea quæ hactenus docuimus, censebitur iustum.*

Conclusio est aperta, & in qua omnes conueniunt. Ideo namq; pretium dicitur iustum, quia æquatur valori rei cuius est pretium, & cum illi æquetur, si quis vltra illud aliquid reciperet, haberet plusquam debet habere, quod est iniquum in quocūque contractu, in quo habet locum pretiū aliquod, siue venditionis ille sit, siue locationis, vel conducti, siue cambii. Quod (vt recte admonet Nauarrus in commento de cambijs num. 13.) in cambijs potissime ob seruandum est. Quia si in mercibus, aliisq; rebus, quæ ad negotia lucratiua magis aptæ sunt, est omnino seruandum iustum pretium, quanto potius in cambio pecuniarum, quæ minus aptę videntur ad mercaturam & lucra. Et cōfirmatur: Quia si quid addatur iusto pretio in cambiis, certe illud ratione temporis adderetur, nisi occurreret ratio lucri cessantis, vel dāni emergentis: quę tamen in hoc contractu nunquam fere vt sepe diximus habent locum, cum campsores huic tantum negotio cambiendi habeant communiter suas pecunias expositas.

Secunda conclusio. *Quemadmodum non licet campsori propter dilatam solutionem, aut aliquo alio titulo iniquo excedere iustum pretium cambij, ita neq; licet illi, eo quod anticipet traditionem pecuniæ, conferatq; illam campsuario, priusquę soleat communiter conferri ad illas nundinas, vel terminum in quo est facienda solutio, recipere aliquid vltra iustum pretium; sed illud tantum, quo cæteri campsores communi vsu fori suas pecunias conferent ad similes terminos vel nundinas.*

Ratio est aperta: Quia quidquid exigetur vltra commune pretium, & receptum in foro ad illos terminos propter anticipatam pecunię traditionem, exigetur profecto ra-

cto ratione illius tẽporis anticipati, quod est aperta vsura: sicut in emptionibus quæ fierẽt cum minori pretio, quam sit iustum, propter anticipatam solutionem.

Ex hac conclusione sequitur similiter nec licere campsuario, eo quod soluat ante terminum illi cambio prefixum, detrahere aliquid à iusto pretio illius cambij, quia tantum reciperet lucri & interesse, quantum detraheret ab illo iusto pretio, ratione tẽporis quo preuenit solutionis terminũ.

Tertia conclusio. *Non repugnat naturæ & rationi contractus cambij, campsorem exigere pignora, vel fideiussores, vel similem securitatem a campsuario.*

Hanc conclusionem non admittit Hieronym. de Luca in suo tractatu de Cãbijs cap. 4. num. 14. sentit enim ibi, campsorẽ non posse seipsum costituere in tuto, quod certe verum esset, si propterea campsuarius maneret in periculo: at quod spectat ad securitatem (de qua hic agimus) recipiendi scilicet solutionem, propterea quod campsor de illa securus esse vellit, ac tutus, nullum inde ex ea parte imminet campsuario periculum, cum iam habeat ipse apud se pecuniam quam a campsore postulabat, vel tunc actu & re ipsa illam recipiat. Nec obstat quod subiungit deinde eodem cap. nu. 42. Doctores reprehendere campsorem accipientem pignus, eo quod illud exigens vel recipiens videatur iam egredi limites mercatoris. Quia nec vllum ibi citat authorem illud asserentem, neq; propterea egreditur campsor limites mercatoris, vt statim docebimus.

Noui etiam aliquos alios de hac conclusione dubitare, & forsan illam non probaturos, qui tamen nulla alia ratione oppositum affirmare solent, quam quod in Hispania illud non sit in vsu: quę ratio satis imbecillis est. Primum, quoniam esto in Hispania non sit in vsu, in Italia tamen in vsu est, maxime Romę, vbi Summi Pontif. non sunt censendi illud ignorare, prohibuissentq; pro ea qua solent paterna solititudine fidelium cõscientijs prospicere. Secundo, quia si vsus campsorum esset optima regula in huiusmodi contractibus, multa profecto essent probanda quę ab illis frequenter fiunt, quę tamen iniqua esse ex progressu huius disputationis cõstat, vt recambia, & cambia ad nundinas intercalatas cum maiori lucro, & similia.

His tamen non obstantibus habet hanc nostram cõclusionem Thomas Buoninsegni Senensis in suo opusculo de cambijs, cap. 7. in responsione ad decimam difficultatem. Et probatur. Exponere se periculo damni tenentur quidem mercatores in cõtractu societatis, quia ex natura illius (vt videbimus) Qui vult esse particeps commodi in lucris cum sotio, debet similiter particeps quoq; esse & damni, vbi illud acciderit. Tenẽtur etiam in mercaturis quas exercent ad seruandum iustum pretium, ita vt non posint illud excedere, etiam si carius res illas emerint, cedatq; in illorum damnum stare pretio fori: Non tamen tenentur cum vendunt exponere se periculo non recuperandæ solutionis, sed possunt in illius securitatem pignora, vel fideiussores vt solent postulare: cambium vero quo ad pretia, & solutiones eisdem legibus tenetur quibus contractus venditionis, non igitur prohibebitur campsor verum ac reale cambium exercens, ac sub iusto pretio, quia posit solutionis sibi debitę, & faciendæ in loco, & termino designatis securitatem exigere, ac recipere per pignora, vel fideiusso res, aut aliquid simile.

Secũdo, (quo principio sepe vsi sumus,) quod in commutationibus mercium aliarum ve rerum iniquum non est, neque in cambio pecuniarũ censendum est iniquũ: at si conferam tibi meum triticum Valentiæ, recepturus a te quod habes Barhinonæ, possum quando meum tibi Valentiæ confero, potestq; occurrere periculũ aliquod, quo minus tuum mihi reddatur Barchinonæ, exigere securitatem de fideli & certa tui tritici traditione mihi meo ve procuratori ibi facienda: neq; hactenus vidi Doctorem, qui illud in huiusmodi rerum commutationibus damnet, licebit ergo similiter illud in cambio pecuniarum: Postulatq; profecto illud recta ratio, a qua videtur maxime alienum, vt tu actu recipias ac sine periculo pecuniam meam modo Valentię, ergo vero non sim securus de illius solutione a te facienda Metinæ, sicut repugnat illi te esse in tuto, & me in periculo.

Sed dices propterea recipit campsor lucrum, quia huic periculo se exponit, vel saltim eo ipso quo exercet negotia, debet manere periculo expositus. Hęc ratio nihil efficit. Primo, quia lucrum nulla ratione recipit campsor ratione periculi, sed quia propter diuersam pecuniarũ estimationẽ, tantum valet pecunia quam confert v. g. Valentiæ, quantum ea quam recipiet Metinę-

tinæ, seruaturq; ratione huius diuersæ æstimationis inter eas æqualitas, adeo vt vbi par & æqualis est in vtroq; loco pecuniarũ æstimatio nulla ratione liceat capmsori interesse aliquod recipere, quidquid sit de periculo, sed debet cambium illud fieri *a la par*. Secundo, falsum est in omni genere negotij oportere mercatorem periculo esse expositum, præterquam in contractu societatis, vel in seruando, earum rerũ quarum facit mercaturã, iusto pretio, quo seruato fidelem & securam pretii, vel debiti solutionem exigere nullum ius, neq; recta ratio prohibet, quin potius vt modo dicebam illud videtur exigere.

Ex his constat iam, qua ratione obseruandę sint in hoc cambio per litteras, quod vocamus tertiæ speciei, tres illæ conditiones, quę ab omnibus Doctoribus in illo exiguntur: Quibus explicatis facile est videre, An illud iustum sit, quod in hunc locum retulimus.

Controuersia XXIII.

AN CAMBIVM PER LITTERAS, *quod innitur diuersæ æstimationi, quam habent pecuniæ in diuersis locis, quod dicitur tertiæ speciei, seruatis debitis conditionibus, sit iustum?*

NON defuerunt qui ignorantes propriam vim & rationem huius cambij, quod vocamus tertiæ speciei, illud damnarent tãquã iniquum, & vsurarium: vt videre est in libro de contractibus quem edidit Barthol. Albornosius lib. 3. titulo 4. variis adducti seu decepti potius rationibus.

Quidam enim eorum existimantes hũc contractum, licet dicatur cambium, vere tamen esse mutuum, cum in eo pecunia recipiatur & pecunia eiusdem sortis communiter restituatur, iudicarunt interesse quod in eo recipitur à campsore esse lucrum ex mutuo, & ex consequenti vsuram.

Alii non satis intelligentes qua ratione cambium secundę speciei differat a cambio huius tertiæ speciei, opinati vtrumque esse transportationem pecuniarum ex vno loco in alium, sic illud damnat. In cambio, qui transfert pecuniã alicuius ex vno loco in alium, non tenetur aliquid reddere domino illius pecuniæ, quin potius debet stipẽdiũ ab illo recipere: sicut quando Petrus volens pecuniã suam quã habet Valentię transferre Romam, traditque illam cãpsori, cuius industria & opera recipiat illã Romæ, confert & iure stipendium aliquod illi campsori. Sed in hoc contractu tertiæ speciei, campsuarius recipiens v. g. Valentiæ a campsore 100. aureos restituendos Metinæ, transfert illos è valentia in Metinam, idemque obsequium & officium pręstat in hoc casu cãpsuarius iste in vtilitatẽ campsoris, quod prestat campsor ille qui acceptam pecuniam alicuius Valentiæ, facit eam illi Romæ restitui, ergo & in hoc cambio tertiæ speciei, in quo campsor tradit pecuniam campsuario, debet campsor stipendium aliquod illi campsuario conferre, iniquumque est, vt campsuarius illud conferat.

Simili argumento vtitur Albornosius loco citato. Hæc duo inquit cambia, vnum per transportationem, in quo campsuarius ipse confert pecuniam campsori, & alterũ in quo è contrario campsor confert illam campsuario, sunt contrrctus sibi inuicem pugnantes, ergo quemadmodum in propositionibus sibi pugnantibus si vna vera est alteram oportet esse falsam, ita in his cambijs, cum sibi inuicem pugnent, si prius illud quod vocamus secundæ speciei est iustum, & licitum, hoc posterius quod dicimus tertiæ speciei iniquum & iniustum cẽsere debemus: Erit autem iustũ, si quemadmodum in priori qui accipit pecuniam alibi restituendam, recipit stipendium transportationis illius, idem quoq; seruetur in posteriori, vt campsuarius qui recipit pecuniam à campsore, transfertque illam in locum vbi illam restituit, aliquod stipendiũ illius translationis recipiat a campsore, vel saltim nullum lucrum compellatur illi reddere.

Alij arbitrati hunc contractum esse vẽditionem, simulq; censentes pecuniam nõ esse venalem, hoc vtuntur argumento. Si quæ ratio cambium hoc tertię speciei iustum efficeret, illa certe, quia propter abũdantiam vel penuriam pecuniarum in diuersis locis diuersam quoq; illę æstimationem habeant in illis, ad quam compensandam reducendamq; ad æqualitatem exhibeat quandoque campsuarius interesse illud, quod vltra capitale exhibet campsori: at hęc ratio non habet locum in cambiis, nec vera est. Probant: Quia abũdantia, vel penuria auget quidem, vel minuit æstimationem & valorem rerum venalium, & mer-

cium, non tamen pecuniarum, cum pecuniæ non sint res venales, sed pretium ipsarum. Et confirmatur, in rebus ipsis venalibus quibus est taxatum pretium a lege, vt in tritico, penuria illius non auget valorē, nec licet illud in iudicio animæ excedere, vt vidimus q.77. ar. 1. agentes de Pracmatica tritici, pecuniæ autem, esto possent sumi a campsoribus vt merces quædam, habent tamen certum ac definitum pretium à lege in singulis locis, non ergo licet illud excedere, neq; vltra illud lucrum aliquod vel interesse recipere, siue maxima sit illarum in locis vbi cambiuntur abundantia, siue multa penuria. Hæc sunt potiora argumenta quibus nonnulli sed paucissimi quibus propria vis & ratio huius cambij & leges ac conditiones quæ in illo obseruari debent & quas hactenus exposuimus vt recte fiat non sunt satis perspectę.

His tamen non obstantibus, communi Theologorum consensu cambium hoc iustum est, ac licitum, seruatis illis tribus cōditionibus quas hactenus explicauimus. Ita docet Siluest.4.q.9. vbi agens de hoc cambio tertiæ speciei (quod vocat quidē ibi sicum, non quasi existimet illud fictum esse et vsurarium, sed ad distinctionem cambij secundæ speciei, quod a Siluestro & Doctoribus illi coæuis solebat vocari reale, & per litteras) probat tamen illud seruata regula illa quam ex ipso superius retulimus: *Vt quoties arbitrio bonorum, & peritorum in arte campsoria pars accipiens cambium non grauatur, & distantia temporis nihil lucri affert, nullum in tali cambio sit peccatum, vel iniquitas:* Quam regulam seruatis illis tribus conditionibus à nobis propositis perspicuum est in hoc cambio tertiæ speciei obseruari omninò. Probant similiter illud Hieronym. de Luca. De cambijs. cap. 4. num. 22. Fabianus de Ianua De cambijs. parte 2. cap. 2. & 4. Vbi docet copiose cābium Lugdunense, & Bezenzonense quod illo viuente erat maxime in vsu, verum ac iustum cambium esse. Caietanus De cambijs. c. 6. Soto lib. 6. de iustitia. q. 5. art. 2. & 3. Nauarrus in suo commento de Cambijs num. 51. Mercatus lib. 4. de contractibus. c. 6. & 7. & omnes recentiores qui de hoc genere contractus Latino sermone vel vulgari scripserunt. Fuitq; etiam sententia D. Thomę, si attente legatur, lib. 2. de Regimine principium. c. 14. Ex iurisperitis Baldus de Rubri. Cod. de constitut. pecun. Salicet. Cod. De exercito. in l. 2. in princ. & Cod. de vsu rei iudicat. & in c. penul. colum. 5. de plus petitio, & in quęst. per eum disputata quę incipit: Statuto caueur quod fænerator &c. & late in authen. Adhoc in 11. quęstione Ioannes de Anania in cap. Nauiganti. De vsuris. Archidia. 13. q. 3. cano. 1. Calderin. in consil. 11. posito sub titulo de vsuris. Alexan. cōsil. 61. in 2. parte. quod incipit: Viso processu causæ vertentis. Iason in l. 1. Cod. De Summa Trinit. & fide Catholica, Lauren. de Rodulphis in cap. Consuluit, q. 1. tertię partis. De Vsuris.

Quorum sententia firmissimis nititur rationibus. Imprimis, in hoc cōtractu, cū ad iustitiā pertineat cōmutatiuā, seruanda est ęqualitas, ęqualitas autē in rebus quę commutantur non solum respiscit illarum valorem, verumetiam & veram illarum ęstimationem, ergo in cābio, sicut quando pecuniæ commutantur secundum proprium valorem, vbi illæ diuersum habent, & maiorem in vno loco qurm in alio, reducenda est illa inęqualitas & differentia valoris ad æqualitatem per additionem alicuius pecuniæ vbi illa minus valet, ita quoq; quando commutantur secundum diuersam æstimationem, vbi illæ reuera diuersam habent, & maiorem in vno loco quam in alio, reducenda est illa ad æqualitatem per additionem alicuius interesse vbi illa minus æstimatur: Hoc autem fit in cambio huius tertiæ speciei, cum abunde satis ex dictis cōstet, fieri reuera secundum illud diuersam æstimationem quam habent pecuniæ in diuersis locis, est ergo modo verum cambium sit, & sub iusto pretio, iustaq; ęstimatione, & ab omni vi, fraude, & dolo alienū iustus ac honestus contractus. Inæqualitatem autem existere, vbi res quę commutātur non habent parem æstimationem, experientia ipsa, & communis omnium hominū vsus, & conceptio testatur: in diuersis vero locis habere pecunias diuersam æstimationem perspicuum est ex controuersia 1. huius art.

Secundo, Cambium hoc tertiæ speciei est cōtractus secundum se & ex genere suo bonus, seruatis ve illis tribus conditionibus nulla circunstantia vitiatur, ergo est iustus. Ex genere suo bonum esse patet, quia nullum ius, nulla ve recta ratio prohibet pecuniam vnius loci cum pecunia alterius commutari: Nulla vero circunstantia illū vitiari seruatis illis tribus conditionibus inductione constat. Nam imprimis nulla est fraus

est fraus vel dolus, cum sit verum cambium, ac reale, vt supponimus: nulla iniuria, cum nulla vis inferatur alteri contrahentium: nulla iniquitas vel iniustitia, cũ non recipiatur in eo nisi illud interesse, quod exigitur arbitrio prudentum, vt minor æstimatio quam habet pecunia in vno loco, æquetur maiori quam habet in alio, est ergo cum istis tribus conditionibus contractus iustus.

Tertio, (quo argumento vtuntur Soto, Nauarus, & pleriq; DD. ad hoc institutũ) Pecunię, preter primarium vsum quo sunt pretia omnium rerum venalium, habent & alium secundarium, secundum quem possunt in illis sicut & in mercibus exerceri commercia aliqua, & potissime commutationes illarum in diuersis locis: vnde quod licet in commutationibus mercium non est prohibitum in cambiis pecuniarum, at in mercibus vt tritico, oleo, & similibus, quando commutantur in locis in quibus habent diuersas æstimationes, reducuntur illę ad ęqualitatem per aliquam compensam & additionem mercis, vbi minus illa æstimatur, qua ratione diximus commutãtem 10. modios tritici quos habet in Hispania, cum 12. quos est recepturus Siculę, iuste agere, quia tanti æstimatur in Hispania 10. modii tritici, quantum Siculæ 12. seruaturque propterea in ea commutatione æqualitas, ergo cum reuera pecunię, experientia teste, ac vt ex controu. illa constat, habeãt diuersam æstimationem in diuersis locis, iuste reducitur illa ad æqualitatem per interesse illud, & lucrum quod recipit campsor in hoc cambio tertiæ speciei, conferens pecuniã v. g. Valentiæ vbi illa magis ęstimatur, & recepturus aliam Metinæ vbi illa minus ęstimatur propter maiorem illius abundantiam.

Hęc adeo certa sunt, vt non oporteat in his probandis amplius immorari: sed ad argumenta initio proposita accedamus.

Primum illud, quo quidam hoc cãbium damnant, existimantes esse mutuum, abunde fuit solum controu. 1. huius artic. vbi copiosse docuimus, nullum cambium reale & verum, cuiuscunque speciei illud sit, esse mutuum.

Secundum, solutum etiam manet ex dictis in eadem controu. ibi namq; satis explicauimus, qua ratione hoc cambium tertiæ speciei ab illo secundę, quod est per transportationem, distinguatur: in illo nãque secundæ speciei, qui recipit pecuniam recipit illam transferendam in aliũ locũ, qua de causa iuste recipit lucrum illud in stipendium, in hoc autem cambio tertię speciei, qui recipit pecuniã, vt pote campsuarius, non recipit illam transferendam in locum vbi illa indigeat campsor, sed in suam tantum vtilitatem, restituendamq; seruata ęqualitate ęstimationis quam habet illa in illis locis, quam seruat exhibito interesse illo, cum quo minor æstimatio vnius loci æquatur cum maiori alterius.

Ad tertium dico, figmentum esse illud argumentum Albornosij, quia hæ duę species cambij, licet contrario modo exerceãtur, cum in secũda specie campsor recipiat pecuniam, in hac vero tertia illam conferat, non tamen propterea sunt contractus ita contrarij, vt si alter sit iustus alterum oporteat esse iniquum, sed sunt diuersi, & ambo iusti ex diuersis rationibus: cambiũ secundę speciei iustum ratione illius transportationis, cambium tertię speciei iustum quoque ratione diuersæ ęstimationis, quæ satis suis locis explicata sunt controu. 1. huius art.

Ad quartum constat iam ex eadem controu. hoc cambium tertię speciei, imo nullum cambium venditionẽ esse, aut emptionem pecuniarum, sed veram illarum commutationem in diuersis locis, secundũ variam ac diuersam æstimationem quam habent in illis, sicut cõmutantur aliæ merces diuersas æstimationes habẽtes in locis in quibus commutantur. Adde, esto affirmaremus hunc cõtractum esse emptionem & venditionem, sicut Siluester, Caiet. & alii volunt, non vrgeret illud argumentũ: quia quamuis pecunia secundum primariũ vsum vendibilis non sit, iuxta secundariũ tamen vsum quem habet, nihil prohiberet affirmare eo modo illam vendi posse, & ita vendi in contractu cambij in diuersis locis. Præstat tamen prior solutio, quia vt ex progressu huius disputationis constat, hic contractus non est venditio, sed vera ac realis pecuniarum commutatio.

Eodem modo soluitur quod adducitur in confirmationem, fatemur enim pecuniæ esse taxatum pretium, & illud non mutari, sed eo seruato plures pecunias reddi in vno loco quam in alio, vt seruetur ęqualitas inter diuersas ęstimationes, quas habẽt in illis, Nec obstat exemplum sumptũ ex mercibus quibus est taxatum pretium a lege, vt tritico, quia pretium illud (vt diximus agentes de Pracmatica tritici) taxatũ est

est versus maius, ita ut non posit ascende re: nec debeat propter sterilitatem & inopiam tritici, quia legislator in ea taxatione iam considerauit maximam æstimationem, quam potest habere triticum, cum illa taxatio non sit facta ad tempora abūdantiæ, sed ad ea in quibus accidet inopia annonę, intra quam taxam, in locis ad quæ illa extenditur, si diuersa reperiatur tritici ęstimatio, ac in illis commutetur, vbi minus æstimabitur erit aliquid addendum, vt seruetur æqualitas cum alio existente vbi illud ęstimabitur magis.

ARTICVLVS TERTIVS.

AN CAMPSORI EX OFFIcio liceat ratione illius officij aliquid recipere vltra iustum, & commune pretium cambij.

VNA EX FORmis cambiendi, quam diximus quæst. 2. huius disputationis artic. vnico, costitui à Doctoribus, est cambium quod dicitur ratione officij: Dicitur autem cambium ratione officij, quando existit campsor aliquis cum obligatione conferendi pecunias suas mercatoribus habentibus in alijs locis pecuniam, vel creditum, idque vel propria sponte, vel designatus & constitutus à Repub. ad hoc officium. De huiusmodi nunc quærimus, An ratione huiusmodi officij, & obligationis quam suscipit, posit recipere à campsuarijs, quibus pecunias suas confert, aliquid exigere, vel recipere vltra iustum pretium cambij, & communi vsu fori tali tempore receptum.

Controuersia I.

AN CAMPSOR EX OFFIcio posit aliquid recipere vltra iustum pretium cambij ratione sui officij?

CAIET. in opusculo de Cambiis cap. 2. refert sententiā quorundam, qui existimantes cambium esse quoddā mutuū, tum etiam mutuantem ex officio, & ex obligatione posse aliquid exigere vltra sortem ratione illius obligationis, cum sit illa ciuilis & pretio æstimabilis. Ex hoc duplici fundamento colligebant, campsorem obligatum ex officio ad conferendas pecunias suas per cambium posse recipere aliquid vltra iustum pretium ratione illius obligationis. Eandem sententiam tribuit Nauarrus in suo commento de cambijs. num. 15. Durando in 3. dist. 37. q. 3. Licet illud Durandus non ibi asseueret, & Medinę Cod. De rebus restituen. fol. 147. Quę sententia potest ita confirmari.

Imprimis, qui mutuat ex officio & cum obligatione, licet nihil posit recipere ex mutuo, potest tamen recipere aliquid & iuste, propter labores quos sustinet in quęrendis pecunijs ad mutuandum omni poscenti, in faciendis computis, & scribendis fideliter mutuis in libris suarum rationum: Tum etiam propter pericula & molestias quibus se exponit in recuperandis rebus mutuatis, quibus se ipsum exponere & obligare pretio dignum est, sed eosdem labores & curas debet sustinere campsor ex officio, eadem pericula, & molestias & maiora subire, quia mutuans est recepturus res mutuatas in eodem loco, campsor vero pecunias campsuario traditas in alio distāti, ergo licebit etiam mensario ex officio, propter istos labores, pericula, & molestias quibus se deuinxit, & exposuit, recipere aliquid vltra commune & iustum pretium cambij.

Secundo, In cambio minuto, vt diximus q. 3. huius disputationis, campsori ex officio licet aliquid recipere vltra naturale & legale pretium pecuniæ, pro obligatione illa cui se deuinxit ad commutandas pecunias huius, & illius, ergo similiter cāpsori ex officio obligato ad conferendas suas mercatoribus poscentibus illas.

Tertio, Respub. iuxta Scotum in 4. dist. 15. q. 2. potest constituere aliquem ciuem, qui debeat mutuare ex officio, designato illi aliquo pretio ratione illius obligationis recipiendo a singulis mutuatarijs, pro ratione quantitatis vniuiq; mutuatę: poterit ergo similiter Respub. designare campsorem conferentem ex officio pecunias suas mercatoribus habentibus pecuniam, vel creditum in locis designatis solutionibus cambiorum, cum aliquo interesse præter iustum pretium cambii in stipendium illius obligationis. Nunc sic: Si exigere aliquid vltra iustum pretium cambij esset illicitum campsori ex officio, illud nō posset Respub. constituere, non enim potest

test illa contractum aliquem ex illicito facere licitum, quod si licet, poterit & priuatus campsor sua propria sponte ad illud se obligare, & tale officium in se suscipere, & pro illa obligatione aliquid seorsum vltra iustum pretium exigere.

Quarto, Quamuis nec liceat Clerico pro celebratione Missę, nec Iudici pro ferēda iusta sententia aliquid recipere, at si debeat Clericus iter facere ad celebrandum, vel Iudex aliquem laborem extraordinarium suscipere, possunt hi pro huiusmodi laboribus aliquid exigere, & tuta consciētia illud recipere, ergo poterit similiter cāpsor ex officio, cum hęc obligatio, & labores, & curæ quę illam commitantur, non sint de intrinseca ratione cambij, sed quid extrinsecum, & diuerso pretio seorsum dignum, recipere aliquid vltra ipsum pretium cambij.

Quinto, In monte pietatis nihil quidem potest recipi ratione rei mutuatę, licet tamen & iuste (vt vidimus) propter labores, & expensas quę ad illius conseruationem fiunt, ergo licebit similiter campsori ex officio.

Oppositum tamen docet eodem loco Caiet. Affirmat enim duo: Imprimis nulla ratione licere, neque authoritate Reipub. constituere aliquem ciuem ita mutuantem ex officio, & obligatum ad mutuandum, vt possit aliquid recipere ab illis mutuatarijs extra sortem, quia esset erigere ac facere artem vsurariam moderatam, cum omne illud quod redderetur a mutuatario vltra sortem, redderetur profecto, & reciperetur ratione, ac vi illius mutui. Docet secundo falsum esse, campsorem aliquem recipere aliquid propter labores, vel expensas quas facit, vel illud intendere, sed solum suum lucrum. Vnde quamuis ibi non loquatur expresse Caiet. De hoc cambio, quod vocamus ratione officij, ex ijs tamen quæ ibi docet, colligere satis licet, iuxta ipsum, nulli campsori licere recipere aliquid vltra iustum pretium, neque titulo laborum, vel expensarum, aut periculorum, neque vllo alio titulo.

Sequuntur hanc sententiam Soto, & nonnulli recentiores hac potissime ratione. Quia propter labores, expensas, & pericula, quæ occurrunt in aliquo officio, vel contractu, tunc licet aliquid exigere, quando officium illud vel contractus licet, & ita licet exiegre iudici, testi, vel Clerico aliquid pro suis laboribus, quia exercent officia secundum se iusta: quando autem officia sunt iniqua, & illicita, illud non licet: quia cum accessorium (vt dicitur) sequatur naturam & rationem sui principalis, si illicitum est pro officio aliquid exigere, illicitum quoque erit & pro laboribus, expensis, & periculis quę illud committantur: est autem illicitum exigere aliquid pro mutuo, vel vltra iustum pretium cambij, erit ergo etiam illicitum & pro obligatione exercendi ista officia, vel pro laboribus, & expensis, vel periculis, quæ in illis occurrunt.

Ex his tamen opinionibus censet Nauarr. loco citato num. 17. priorem illam probabiliorem, & merito: adhibito tamen illi aliquo moderamine. Probabiliorem quidem esse ex eo probat, quia hæc secunda petit principium, & sumit tamquam certum id quod est in quæstione positum: Sumit enim esse officium iniustum & iniquū exigere aliquid pro officio & obligatione mutuandi, vel conferendi pecunias per cābium: quod certe est quod hic disputamus, & cuius partem affirmantem authores primę opinionis sequuntur, negantem vero authores alterius. Secundo idem argumentum, quo vtuntur authores secundę opinionis, possumus torquere in illos hac ratione; Pro laboribus, expensis, vel periculis quæ occurrunt in aliquo officio honesto & licito, licet aliquid seorsum exigere, qua ratione licet iudici, testi, & Clerico, si ad sua munera prestanda aliquem suscipiant laborē, qui non sit illi officio intrinsecus, sed externus: Sed mutuare, conferre pecuniam suam cāpsuariis, hæc officia honesta sunt, & licita, ergo pro laboribus expensis, vel periculis quibus aliquis se ipsum offeret & obligabit in huiusmodi officiis, potest aliquod pretium seorsum exigere.

Quo fit, vt in argumento illo, in quo distingunt inter officia licita & illicita authores istius secundę opinionis, maximam profecto committant fallaciam. Nam cum sumāt in Maiori: Pro laboribus, expensis, & periculis quę occurrunt in officio aliquo iniusto, & iniquo, nihil posse recipi, quod certe verissimum est, quia si radix mala & iniqua, & rami: cum deberent, vt recte argumentarentur, ita constituere Minorē: At mutuare, vel cambire sunt officia iniqua, & mala (quia hæc sunt officia de quibus disputamus, & circa quæ inquirimus, an propter labores, & pericula in eis occurrētia, cum obligatione subeundi illa,

liceat

est versus maius, ita ut non possit ascendere: nec debeat propter sterilitatem & inopiam tritici, quia legislator in ea taxatione iam considerauit maximam æstimationem, quam potest habere triticum, cum illa taxatio non sit facta ad tempora abũdantiæ, sed ad ea in quibus accidet inopia annonę, intra quam taxam, in locis ad quæ illa extenditur, si diuersa reperiatur tritici ęstimatio, ac in illis commutetur, vbi minus æstimabitur erit aliquid addendum, vt seruetur æqualitas cum alio existente vbi illud ęstimabitur magis.

ARTICVLVS TERTIVS.

AN CAMPSORI EX OFFICIO *liceat ratione illius officij aliquid recipere vltra iustum, & commune pretium cambij.*

VNA EX FORMIS cambiendi, quam diximus quæst. 2. huius disputationis artic. vnico, costitui à Doctoribus, est cambium quod dicitur ratione officij: Dicitur autem cambium ratione officij, quando existit campsor aliquis cum obligatione conferendi pecunias suas mercatoribus habentibus in alijs locis pecuniam, vel creditum, idque vel propria sponte, vel designatus & constitutus à Repub. ad hoc officium. De huiusmodi nunc quærimus, An ratione huiusmodi officij, & obligationis quam suscipit, possit recipere à campsuarijs, quibus pecunias suas confert, aliquid exigere, vel recipere vltra iustum pretium cambij, & communi vsu fori tali tempore receptum.

Controuersia I.

AN CAMPSOR EX OFFICIO *possit aliquid recipere vltra iustum pretium cambij ratione sui officij?*

CAIET. in opusculo de Cambiis cap. 2. refert sententiã quorundam, qui existimantes cambium esse quoddã mutuũ, tum etiam mutuantem ex officio, & ex obligatione posse aliquid exigere vltra sortem ratione illius obligationis, cum sit illa ciuilis & pretio æstimabilis. Ex hoc duplici fundamento colligebant, campsorem obligatum ex officio ad conferendas pecunias suas per cambium posse recipere aliquid vltra iustum pretium ratione illius obligationis. Eandem sententiam tribuit Nauarrus in suo commento de cambijs. num. 15. Durando in 3. dist. 37. q. 3. Licet illud Durandus non ibi asseueret, & Medinę Cod. De rebus restituen. fol. 147. Quę sententia potest ita confirmari.

Imprimis, qui mutuat ex officio & cum obligatione, licet nihil possit recipere ex mutuo, potest tamen recipere aliquid & iuste, propter labores quos sustinet in quęrendis pecunijs ad mutuandum omni poscenti, in faciendis computis, & scribendis fideliter mutuis in libris suarum rationum: Tum etiam propter pericula & molestias quibus se exponit in recuperandis rebus mutuatis, quibus se ipsum exponere & obligare pretio dignum est, sed eosdem labores & curas debet sustinere campsor ex officio, eadem pericula, & molestias & maiora subire, quia mutuans est recepturus res mutuatas in eodem loco, campsor vero pecunias campsuario traditas in alio distãti, ergo licebit etiam mensario ex officio, propter istos labores, pericula, & molestias quibus se deuinxit, & exposuit, recipere aliquid vltra commune & iustum pretium cambij.

Secundo, In cambio minuto, vt diximus q. 3. huius disputationis, campsori ex officio licet aliquid recipere vltra naturale & legale pretium pecuniæ, pro obligatione illa cui se deuinxit ad commutandas pecunias huius, & illius, ergo similiter cãpsori ex officio obligato ad conferendas suas mercatoribus poscentibus illas.

Tertio, Respub. iuxta Scotum in 4. dist. 15. q. 2. potest constituere aliquem ciuem, qui debeat mutuare ex officio, designato illi aliquo pretio ratione illius obligationis recipiendo a singulis mutuatarijs, pro ratione quantitatis vniuiq; mutuatę: poterit ergo similiter Respub. designare campsorem conferentem ex officio pecunias suas mercatoribus habentibus pecuniam, vel creditum in locis designatis solutionibus cambiorum, cum aliquo interesse præter iustum pretium cambii in stipendium illius obligationis. Nunc sic: Si exigere aliquid vltra iustum pretium cambij esset illicitum campsori ex officio, illud nõ posset Respub. constituere, non enim potest

test illa contractum aliquem ex illicito facere licitum, quod si licet, poterit & priuatus campsor sua propria sponte ad illud se obligare, & tale officium in se suscipere, & pro illa obligatione aliquid seorsum vltra iustum pretium exigere.

Quarto, Quamuis nec liceat Clerico pro celebratione Missæ, nec Iudici pro ferẽda iusta sententia aliquid recipere, at si debeat Clericus iter facere ad celebrandum, vel Iudex aliquem laborem extraordinarium suscipere, possunt hi pro huiusmodi laboribus aliquid exigere, & tuta consciẽtia illud recipere, ergo poterit similiter cãpsor ex officio, cum hęc obligatio, & labores, & curæ quę illam comitantur, non sint de intrinseca ratione cambij, sed quid extrinsecum, & diuerso pretio seorsum dignum, recipere aliquid vltra ipsum pretium cambij.

Quinto, In monte pietatis nihil quidem potest recipi ratione rei mutuatę, licet tamen & iuste (vt vidimus) propter labores, & expensas quę ad illius conseruationem fiunt, ergo licebit similiter campsori ex officio.

Oppositum tamen docet eodem loco Caiet. Affirmat enim duo: Imprimis nulla ratione licere, neque authoritate Reipub. constituere aliquem ciuem ita mutuantem ex officio, & obligatum ad mutuandum, vt possit aliquid recipere ab illis mutuatarijs extra sortem, quia esset erigere ac facere artem vsurariam moderatam, cum omne illud quod redderetur a mutuatario vltra sortem, redderetur profecto, & reciperetur ratione, ac vi illius mutui. Docet secundo falsum esse, campsorem aliquem recipere aliquid propter labores, vel expensas quas facit, vel illud intendere, sed solum suum lucrum. Vnde quamuis ibi non loquatur expresse Caiet. De hoc cambio, quod vocamus ratione officij, ex ijs tamen quæ ibi docet, colligere satis licet, iuxta ipsum, nulli campsori licere recipere aliquid vltra iustum pretium, neque titulo laborum, vel expensarum, aut periculorum, neque vllo alio titulo.

Sequuntur hanc sententiam Soto, & nonnulli recentiores hac potissime ratione. Quia propter labores, expensas, & pericula, quæ occurrunt in aliquo officio, vel contractu, tunc licet aliquid exigere, quando officium illud vel contractus licet, & ita licet exiegre iudici, testi, vel Clerico aliquid pro suis laboribus, quia exercent officia secundum se iusta: quando autem officia sunt iniqua, & illicita, illud non licet: quia cum accessorium (vt dicitur) sequatur naturam & rationem sui principalis, si illicitum est pro officio aliquid exigere, illicitum quoque erit & pro laboribus, expensis, & periculis quę illud committantur: est autem illicitum exigere aliquid pro mutuo, vel vltra iustum pretium cambij, erit ergo etiam illicitum & pro obligatione exercendi ista officia, vel pro laboribus, & expensis, vel periculis, quæ in illis occurrunt.

Ex his tamen opinionibus censet Nauarr. loco citato num. 17. priorem illam probabiliorem, & merito: adhibito tamen illi aliquo moderamine. Probabiliorem quidem esse ex eo probat, quia hæc secunda petit principium, & sumit tamquam certum id quod est in quæstione positum: Sumit enim esse officium iniustum & iniquũ exigere aliquid pro officio & obligatione mutuandi, vel conferendi pecunias per cãbium: quod certe est quod hic disputamus, & cuius partem affirmantem authores primę opinionis sequuntur, negantem vero authores alterius. Secundo idem argumentum, quo vtuntur authores secundę opinionis, possumus torquere in illos hac ratione; Pro laboribus, expensis, vel periculis quæ occurrunt in aliquo officio honesto & licito, licet aliquid seorsum exigere, qua ratione licet iudici, testi, & Clerico, si ad sua munera prestanda aliquem suscipiant laborẽ, qui non sit illi officio intrinsecus, sed externus: Sed mutuare, conferre pecuniam suam cãpsuariis, hæc officia honesta sunt, & licita, ergo pro laboribus expensis, vel periculis quibus aliquis se ipsum offeret & obligabit in huiusmodi officiis, potest aliquod pretium seorsum exigere.

Quo fit, vt in argumento illo, in quo distingunt inter officia licita & illicita authores istius secundę opinionis, maximam profecto committant fallaciam. Nam cum sumãt in Maiori: Pro laboribus, expensis, & periculis quę occurrunt in officio aliquo iniusto, & iniquo, nihil posse recipi, quod certe verissimum est, quia si radix mala & iniqua, & rami: cum deberent, vt recte argumentarentur, ita constituere Minorẽ: At mutuare, vel cambire sunt officia iniqua, & mala (quia hæc sunt officia de quibus disputamus, & circa quæ inquirimus, an propter labores, & pericula in eis occurrẽtia, cum obligatione subeundi illa, liceat

liceat aliquid accipere) constituunt tamen hanc minorem, est autẽ officium iniquum exigere aliquid pro mutuo, vel vltra pretium cambij, quę minor non est profecto accomodata illi syllogismo, neque instituto.

Preterea ista secunda opinio non tollit, neque diluit fundamentum cui nititur prior. Nimirum, iniquum quidem esse pro mutuo aliquid recipere ratione mutui, vel in cambio vltra iustum pretium ratione cambij, non tamen quando illud non recipitur ratione mutui vel cambij, sed ratione alicuius obligationis, vel laboris externi in illo contractu occurrentis, quę pretio digna sint: hoc certe non confutant, nec dissoluũt, cũ ipsemet Soto lib.6.q.1. ar.2. ad 4. fateatur ingenue, posse aliquem recipere stipendium a Repub. quando seipsum obligaret ad mutuandum illi, quotiescunque ipsa illud postulauerit: quia hęc (inquit) obligatio affert secum maximum onus, labores, & expensas, propter quas pretio æstimabilis est, & digna.

Ad hęc, rationes illæ adductæ pro priori opinione recte procedunt, nec potest re-uera negari posse Rempub. constituere ciuem cum officio & obligatione mutuandi omni poscenti, sicut dicebat Scotus, cum mutuatarij pro illa obligatione aliquid moderatum & rationi consonum redderẽt, imo forsan (inquit Nauarrus) esset vtile Reipub. talem ciuem constituere: neque hoc esset (vt sentit Caieta.) erigere artem vsurariã in Repub. cum illud non reciperetur ratione mutui, sed pro illa obligatione, quę est pretio ęstimabilis, & laboribus, ac expensis quæ illam commitantur.

Vtramq; nihilominus opinionem ita conciliat Nauarrus: Vt cum duobus modis possit aliquis exercere cambia ex officio, & cũ obligatione conferendi pecunias suas ad cambium vnicuique mercatori poscenti illas per verum & reale cambium (sic enim est quæstio hæc accipiẽda) nempe: Vel cõstitutus à Repub. & illi obligatus, designatoque illi ab eadem Repub. iusto ac moderato stipendio pro illa obligatione, Vel propria authoritate propriaq; sponte se ipsum ad hoc officium obligans: Campsori priori modo exercenti cambia ex officio, & cum illa publica obligatione, licere tuta consciẽtia recipere vltra iustum commune quę pretium cambij, stipendium illud sibi a Repub. taxatum: Quod probant optime argumenta primę opinionis. Nam cum authoritate Reipub. ille sit obligatus, obligatio illa est firma, onerosa, & in communem vtilitatem, est illo stipẽdio digna, & ita potest recipi tamquam iustum, cum sit ab ea taxatum. Et confirmatur, quia hoc officium est honestum & vtile Reipub. potest ergo ab illa constitui, & ciui qui ad illud se obligaret stipendium constituere, sicut in aliis officiis, & exerciciis quæ iniqua non sunt, & cedunt in ipsius vtilitatem. Campsori vero qui propria authoritate, & propria sponte se ipsum constitueret paratum, & expositũ ad conferendas pecunias omni querenti illas per cambium verũ, non licere aliquid vltra iustum pretiũ exigere: Quia propria sponte se ipsum exponens non est ita obligatus, quin possit cum primum illi non libuerit, aut defuerint pecunię, cessare ab illo officio: vnde illa obligatio est valde infirma vbi non interuenit Reipub. authoritas. Tum etiam, quia in his nulli priuato est relinquenda taxatio huiusmodi stipendii, esset enim res in contractu pecuniario maxime periculosa. Qua de causa, moraliter loquendo (sicut in his rebus oportet) valde periculosum hoc esset, cãpsorem aliquem titulo officii propria sponte suscepti aliquid exigere vltra iustum pretium.

Nec obstat quod in argumentis primę opinionis adductum est, propter labores, & pericula licere aliquid accipere, quia ad istos labores & pericula tenetur quidem necessario, qui a Repub. constituitur, & illi obligatur, qui vero propria sponte exponit se, ac promittit, non ita tenetur, sed quantum libuerit. Neq; vrget illud: quod exigere aliquid pro laboribus iustum sit, quia aliter neq; liceret Reipub. illud recipere: Constat enim ex modo dictis, quãtum intersit inter constitutum a Repub. & illi obligatum, & eum, qui priuatis tantum mercatoribus vel aliquibus campsuariis se ipsum obligaret.

Hęc iuxta Nauarri sententiam.

Nos verò vt in summa quid de proposita quęstione sententiamus, explicemus, obseruemus: Campsorem ex officio duobus modis posse illud exercere. Primo, cum obligatione & debito dandi ad cambium: quam obligationem potest suscipere conuentione facta vel cum Repub. ipsa & Magistratibus illius, vel cũ aliquibus priuatis & specialibus mercatoribus, & cãpsuariis, obligans se ad conferendum illis pecunias per cambium, quotiescunque ab eo illas postulauerint: Secundo vero modo, nulla

nulla sibi imposita obligatione, sed libere & voluntarie, ita vt habeat quidem paratam (vt sic loquamur) mensam, & pecunias volentibus cambium ab illo recipere, sed cum libertate, & conferendi quibus voluerit, & quando voluerit, possitq; pro libito cessare ab illo officio, ac nulli conferre, cum primum sibi vissum fuerit.

Sit prima conclusio. *Campsor ex officio, illo priori modo, cum obligatione scilicet conferendi pecunias per cambium, & facta conuentione a qua non possit pro libito retrocedere, siue conuentio illa & obligatio sit cum Reipub. siue cum aliquibus priuatis, potest præter receptum ac iustum pretium cambij tali loco & tempore, stipendium aliquod moderatum accipere, vel taxatum sibi ab eadem Repub. vel quod arbitrio prudentum censebitur iustum.*

Hanc probant efficaciter argumenta primæ opinionis: nec existimo aliquẽ Doctorem de hac conclusione dubitare, cum illud recta ratio & ęquitas exigant omnino. Cui enim dubium esse potest, obligationem illam, & labores, ac expensas quas illa secum necessario affert, sub peculiari pretio ac stipendio, diuerso ac distincto à communi pretio cambij, dignas esse?

Secunda conclusio. *Campsor ex officio secundo modo, qui scilicet habeat pecunias paratas, & expositas huic negotio, sed libere ac voluntarie illas conferes quibus vult, & quando vult, non potest præter receptum & iustum pretium cambij aliquid aliud vltra exigere, vel recipere.*

Hanc probant argumenta secundæ opinionis. Et confirmatur, quia etsi campsor hic suscipiat aliquos labores, faciat aliquas expensas, & se ipsum exponat alicui periculo, hæc tamen omnia libere ac voluntarie suscipit, non ex aliqua obligatione, sed tamquam circunstantias quæ committantur huiusmodi contractũ, pro ijs vero quæ sunt connexa contractui qui voluntarie ac propria sponte exercetur, & sine vlla obligatione, non potest aliquod pretium seorsum exigi, vel recipi, diuersum ac distinctum ab eo quod merx vel negotium illud simpliciter & secundum se meretur: aliter in omni emptione & venditione liceret præter iustum rei pretium aliquid aliud recipere, in stipendium vel pretium aliquorum laborum, vel expensarum, quas libere venditores sustinent ad vendendas suas merces.

Secundo, licet concedamus mutuatario, suscipienti officium mutuandi cum obligatione & debito mutuandi, a quo non possit pro libito retrocedere, vt possit pro illa obligatione aliquid recipere, at mutuanti libere & voluntarie nullus tale concedit, etiam si publice offerat se ipsum ad mutuãdum, habeatq; mensam paratam, & pecunias expositas mutuis, quando illud ita pręstat, vt libere mutuet quibus vult, & quãuiu vult, cum libera facultate negandi mũtuum quibus voluerit, & quando voluerit, sed omnium consensu qui sic mutuans aliquid exigeret à mutuatario vltra sortẽ, esset vsurarius: ergo & campsor qui simili libertate conferret pecunias, vsuram profecto & iniquitatem faceret aliquid exigens vltra iustum pretium cambii. Et confirm:

Quia ex opposita sententia possent excusari omnes vsurarij ab iniquitate, & culpa, quod est contra fidem. Consequentia vero patet; quia omnes vsurarij suscipiunt aliquos labores, faciuntq; expensas in cõgregandis pecunijs, quas conferant mutuatarijs, exponuntq; illas varijs periculis infidelis, vel dubiæ, & morosæ solutionis, & quandoq; maioribus quam campsor.

Posset deniq; (quod recte in hoc sensu ait Caietanus) Respub. instituere ac erigere artem vsurariam, facta facultate, vt qui vellet mutuare, quandiu illud vellet, posset aliquid recipere vltra sortem pro laboribus, & expensis, quæ exiguntur ad congregandas pecunias, sicut concedit alijs artificibus, quandiu artem suam exercent, aliquod lucrum ex illa, esto libere ac voluntarie illam exerceant quandiu volunt: Quam tamen artem posse in Repub. institui esset apertus, ac maxime pernitiossus error.

Hanc sententiam & in sensu huius secũdõæ cclusionis docet Soto lib. 6. de Iust. quęst. 10. art. 2. Caietanus De vsuris c. 6. & in eodem sensu existimo Nauarrum negare, posse in cambio ex officio aliquid recipi vltra commune & iustum illius cambij pretium. Referuntq; viri graues Magistrum Victoriam retulisse de se ipso circa presentem quæstionem, Quod cum esset Parisijs omnes fere Doctores illius scholæ iurarunt in sententiam Durandi, illam probantes, postea tamen ab ipso admonitos, & re diligentius perspecta retractasse illã sententiã fuisseq; amplexos hãc conclusionem. Vnde illa opinio Durandi, posse mutuantem ex officio, etiam si libere ac voluntarie mutuet, aliquid recipere vltra

tra sortem,vel campsorem(quod ex illa sequitur)ex officio, sed voluntarie conferentem pecunias suas aliquid recipere vltra iustum pretium cambij, in iudicio animæ ac in moribus est maxime periculosa, & pernitiosa. Adeo vt non dubitem, in foro etiam exteriori tale mutuum ac cambium iudicanda esse a peritis & prudentibus Iudicibus iniqua,& vsuraria.

Nec ratio illa Durandi aliquid valet, Mutuantem ex officio,quacunque ratione officium illud exerceat, pati varios labores, facere expensas, & subire pericula: Quia labores & expensæ quæ committantur contractum mutui sunt duplices, alij intrinseci & necessario connexi contractui, vt congregare pecuniam, numerare illam, & ea per aliquod tempus carere, & similia, pro quibus nihil omnino potest mutuans recipere, sicut neque pro mutuo, quemadmodũ Clericus pro laboribus annexis & intrinsecis administrationi Sacramenti, nihil potest absq; simonia recipere. Alij vero sunt labores extrinseci, & quasi per accidens aduenientes mutuo, vt congregare pecunias, ab vno loco in aliũ vbi sunt varia negotia vel cambia exercẽda deducere, & transferre, ibi illas aseruare & similia, sine quibus commode pecuniæ haberi non possunt ad mutuandũ vel cambiendum: Quos labores duobus adhuc modis potest mutuans suscipere,vel libere & propria sponte, ac sine vllo pacto vel obligatione ciuili, ex qua nascatur aliqua actio contra ipsum, vel cum obligatione & debito, ita vt possit compelli: pro laboribus illis, vel expensis externis & aduentitijs, quę tamen libere suscipiuntur,ac ita vt posit illas subire vel omittere, nihil etiam potest recipere,quia libere suscipiũtur, & velut amice, & gratis (nisi interueniret aliqua ratio lucri vere cessantis aut damni emergentis,in gratiam & vtilitatem eius propter quem labores illi suscipiẽtur, vel expensę fierent: Iuxta ea quę superius docuimus agentes de lucro cessante,& damno emergente in mutuo) cum non posit ad illa compelli. Quod si cum obligatione, & pacto,ex quo nascatur actio qua cõpelli posit, tunc pro laboribus illis, vel expensis cum tali obligatione susceptis potest aliquid exigere, vel recipere: hęc enim est obligatio ciuilis quam sępe in hoc opere diximus pretio ęstimabilem esse, Quemadmodum(vt in eodem exẽplo persistamus) conficere aliquod iter ad celebrandum,labor est sacrificio Missę externus,pro quo si Clericus gratis illum,ac libere, vel amice suscipiat,nihil potest exigere,quod si cũ obligatione & pacto, iuste ac recte potest, ratione illius obligationis, qua ad illum laborem suscipiendum se deuinxit.

Ex his facile est diluere argumenta primæ opinionis,quatenus huic secundę conclusioni aduersantur.

Primum satis manet solutum ex modo dictis. Sed vrgebit aliquis, Si artifex suscipiat varios insolitosque labores & expensas in aliquo opificio suę artis,potest illud carius vendere, quam sit commune pretium similium rerum eadem arte constantium, poterit ergo similiter mutuans qui suscipit labores, facitq; expensas ad mutuandum,ad quæ non tenetur, aliquid pro illis recipere vltra sortem, & similiter campsor qui similes patitur labores & expensas,poterit etiam aliquid vltra commune pretium cãbii exigere. Respondeo,Opificium illud artificis duobus modis posse sese habere, vel ita vt propter labores illos vel expensas in eo factas excedat in valore,vtilitate,vel æstimatione alia opificia eiusdem artis, vel ita vt propterea non excedat: siquidem excedat, poterit carius vendi, non propter labores illos vel expensas artificis,sed quia vtilius est,vel pretiosius: quod si non excedat cętera, non potest carius vendi, pretia enim rerum ex earum vtilitate & valore æstimanda sunt, vt quæst. 77.ar.1. contro.1. vidimus. Pariq; ratione,si cambium vel mutuum maiorem afferret vtilitatem accipientibus illa,oporteretq; propterea mutuantem vel campsorem aliquos extraordinarios labores sumere, vel maiores expensas facere quam soleant communiter,ac regulariter fieri,non dubitarem concedere, licere mutuanti & campsori in tali casu pro illis maioribus laboribus,& expensis quę illi se obtulerũt ad maiorem vtilitatem campsuarii, vel mutuatarii,aliquid ab eis recipere quod arbitrio prudentum censeretur iustum: At mutuatarii, & campsuarii eandem vtilitatem asequuntur, siue ab hoc siue ab illo mutua & cambia, quibus indigent, recipiant,siue cum laboribus & expensis eorum,siue nullis ab eis factis.

Ad secundum respondeo imprimis, In cambio minuto reperiri aliquid secundum se pretio æstimabile,nimirum vel obligationem illam,qua, conuentione facta cum Repub. vel aliquibus priuatis, obligat se campsor

campsor ad commutandas illorũ pecunias, vel metallum pretiosius, vel maior illa cõmoditas seu vtilitas pecuniæ in quam alia commutatur, vel similia, quæ reperiũtur in cambio minuto, ratione quorũ diximus in illo cambio posse recipi aliquid vltra naturalem valorem, seu pretium legale ipsarum pecuniarum: at in cãbio ratione loci, & per litteras, de quo hic agimus, etiam si illud exerceatur ex officio, quando tamen libere officium istud suscipitur, libereque potest dimitti, nihil interuenit, propter quod debeat recipi aliquid vltra cõmune & iustum pretium cambij tali loco & tempore celebrati: cũ in eo nec fiat cõmutatio inter pecunias diuersi metalli & valoris, nec maior vtilitas sequatur campsuario ratione illius officii, nec tale officium includat aliquam obligationem ciuilem pretio æstimabilem.

Ad tertium respondeo, verũ quidẽ esse, licere illud Reipub. & Magistratibus, quia susciperet tũc qui ita se illis obligaret obligationem ciuilem pretio æstimabilem, similiterque iudicandũ est de campsore: at qui suscipit quidẽ officium mutuandi, vel cambiendi, libere tamen & voluntarie, vt ex dictis constat non habet titulum, nec vllam iustam causam, propter quam posit tuta conscientia aliquid accipere, vel in mutuo vltra sortem, vel in cambio vltra iustum & commune illius pretium.

Quartum solutum manet ex modo dictis: Iudex enim, testis, & sacerdos recipiũt aliquid, pro laboribus quos suscipiunt in suis muneribus, quando illi non sunt coniuncti officio quod præstare debent, neque tenentur ad illos nisi ex pacto & conuẽtione, cum eo qui exigit a Iudice, vel teste, vel clerico, vt laborem illum suscipiat.

Ad vltimũ respondeo, maximum esse discrimen inter Montem pietatis & hunc cõtractũ cambij. Prius est, quod bonorũ vel pecuniarũ quæ in Monte pietatis existũt, vt diximus quæstione. 78. artic. 2. agentes de Monte pietatis, veri domini sunt pauperes, qui ex illo mutuo accipiunt, & cum sint veri illius montis domini, tenentur ad expensas quę in illius conseruatione fiunt: vnde quod persoluunt vltra capitale quod restituunt, nõ persoluunt illud ratione mutui, nec ratione laborum & expensarũ simpliciter, sed ratione laborũ quos suscipiũt ministri illius montis, & expensarum quæ fiunt in rei cuius ipsi sunt domini, conseruationem: tenetur enim vnusquisq; ad persoluenda ea, quibus opus est in sui rei conseruationẽ. Campsuarius vero non est dominus illius pecuniæ quam accipit a cãpsore, antequam illam accipiat per contractum cambii, & ita non tenetur ad labores, & expensas quæ occurrunt in illius cõgregatione, vel conseruatione, sed solum est illius dominus quando eam actu recipit per cambium, ratione cuius acceptionis & contractus, cum sit vera commutatio pecuniarum ad nihil aliud tenetur, quã ad restituendã illam in alio loco secundũ æqualitatẽ, quę ęqualitas in hoc contractu ratione loci solum sumitur secundum ęstimationem, quã habent pecunię in illis locis, inter quæ tale cambium celebratur.

Huic iniquitati, qua aliqui campsores libere, & voluntarie, ac sine vlla obligatione exponunt suas pecunias, conferẽdas per cãbium, quibus & quando ipsis libuerit, vt sub titulo officij lucrum aliquod recipiãt præter recepta & iusta cambiorũ pretia, quasi e diametro opponitur iniquitas eorum, qui pecunias suas qua possunt industria occultant, vt augeãtur pretia. De quibus nunc paucis dicamus.

Controuersia XI.

AN CAMPSOR, QVI SVAS *occultat pecunias, vt cambiorum pretia augeantur, peccet contra iustitiam, teneaturq; ad aliquam restitutionem?*

HAEC iniquitas occultandi res quibus homines indigemus, vt ea ratione illarũ ęstimatio & pretiũ augeatur, omnibus fere mercatoribus cõmunis est, reducitq; illã Soto lib. 6. de iusti. q. 12. ar. 13. ad quoddã genus monopolij de quibus diximus art. precedẽti contro. 13. vt censeatur esse pecuniarũ inopia, vel saltim appareat, per quã sua cãbia cariora reddanr. Cæterum quia hęc iniquitas occultandi pecunias in hunc finem, quandoque cum aliquo monopolio committitur, quandoq; vero sine vllo, non est vnũ & idem semper de illa ferẽdũ iudiciũ.

Quo circa obseruandũ est, pecuniarum inopiã & penuriã tribus modis posse cõtingere culpa cãpsorũ. Primo, quãdo vnus vel alter eorũ nititur colligere, ac cõgregare apud se omnes pecunias aliorũ mercatorũ, quo, illis apud ipsũ tãtũ existẽtibus, posit cambiorũ pretia vt suę cupiditati libuerit, constituere, ac exigere. Secũdo, quando cõueniunt inter se campsores, ne vlli pecunias aliquas conferant, quod vocant *aperire cambia*, donec illa in pretio aliquo excessiuo,

& suæ cupiditati accomodato incipiant celebrari. Tertio, quando abscondunt & occultant suas pecunias, vt illis sic occultatis appareat illarum inopia, qua, pretia cambiorum augeantur: abscondunt vero illas sine vlla conuentione inter ipsos facta, sed vnoquoq; illorum seorsum & perse ita cogitante, & decernente suis lucris & cupiditati expedire.

Qui primo & secundo modo efficiunt vt pecuniarum inopia existat, seu potius appareat, hi certe, vt art. precedenti vidimus contro. 13. exercent vere ac proprie iniquitatem monopolij, in rebus omnibus, & potissime in pecuniis adeo prohibitam, peccātq; contra iustitiam cōmutatiuam, & tenentur ad restituendum, quidquid propter monopolia illa, in pretiis cambiorum auctum fuit, & receptum, non solum ab ipsis, verumetiam & a cæteris omnibus campsoribus, qui illi monopolio causam vel consensum non dederunt, cum illius augmenti & excessus inique inducti, & cum tanto damno eorum qui tunc cambia receperūt, ipsi causa existant, iuxta regulam illam toties citatam: *Si tua causa damnum datum est, iure super his te satisfacere oportet*. De iniurijs & damno dato. Quemadmodum qui similia facerēt monopolia in mercibus, propter quæ carius illæ venderentur quam fuissent venditæ sine talibus monopoliis, tenerentur ad omnem excessum illius pretii, in quo a quocunq; venditore illorum culpa sic venditę sunt, satisfaciendum.

Quę quantum ad primum modum istorum trium intelligenda sunt de eo, qui mala fide pecuniam omnem ad se colligere niteretur ad augenda cambiorū pretia: Quoniam si mercator aliquis bona fide colligeret in principio nundinarum magnam pecuniæ quantitatem, arbitratus ad merces quas ibi emere instituit, necessariam, deinde vero nundinis ita ducentibus, in fine illarū superessent sibi multæ pecuniæ, quas ex causa non expendit in mercibus sicut instituerat, potest sine vlla iniquitate cambire illas pretio tunc communi, & recepto, esto carius illud redditum sit, cum ille non congregauerit pecunias illas malo animo, neq; ad augenda pretia cambiorū, sed ad parādas merces quas emere instituebat, vel alia negotia quæ iuste poterat in illis nundinis exercere. Quemadmodū si quis ex iusta causa tēpore messis multū congregaret triticū, quod tamen rebus ita ducentibus non expēderet progressu anni omni ex parte, sed superessent ipsi multę illius mēsuræ, posset eas in fine anni eo pretio vendere, quod tūc cōmuni vsu fori censetur iustum quāuis illud carius effectū sit, & in eo gradu ad quē non peruenisset illius caritas, si ipse tātam tritici copiā nō emisset a principio: quia emit illud bona fide, arbitratus totū illud triticū sibi necessariū, licetq; vnicuiq; cōmode, ac oportune parare sibi, quę iudicat familię suę, vel negotiisque exercere instituit futura necessaria. Neq; in hac parte existimo aliquem aliter iudicaturū.

Quæstio ergo quam hic inquirimus est, de eo qui tertio modo ex illis tribus suas occultat pecunias sine vlla cōuentione vel pacto cum aliis inito, sed suæ tantum curās vtilitatis & lucri, expectans oportunius tēpus, in quo pecuniæ ęstimatio crescat, ac vna cum illa cambiorum pretium, sicut plerunq; ac frequentissime solēt diuites habētes varios terrę fructus illos apud se detinere, nec velle vendere, donec videant creuisse plurimum illorum pretia.

Soto loco citato iudicat (vt dixi) hanc occultationem pecuniarum quoddā genus monopolii, & ex consequenti quoddam genus fraudis & peccati, non tamen explicat quale peccatum sit, num contra charitatem tantum, vel an contra charitatem simul & iustitiā. Cōtra charitatē dubiū nō est illud esse, cū ex tali occultatione sequatur aperte damnum egentibus pecuniis, quia augētur ea de causa communiter cambiorū pretia: sed an contra iustitiam quoque isti delinquant, res est dubia.

Occasione eorū quę habet Soto loco citato posset videri alicui, contra iustitiam quoq; esse hoc peccatum, cum appellet illud Soto quoddam genus monopolij, doceatq; in eo iniquitatem latere: sunt enim sua occultatione huiusmodi campsores in causa, vt augeātur pretia cambiorum cum graui aliorum damno, sub titulo inopię pecuniarum, cum tamen talis inopia reuera non sit, sed ficta potius, & vitio ipsorū suas pecunias occultantium simulata, vnde non solum nocent bono communi fingentes numorum penuriam, verum & priuatis, qui cum pecuniis egeant, compelluntur ratione illius inopię fictæ, carius illas accipere per cambium.

Communis tamen recentiorum sententia, quam tenendam censemus docet, peccare quidem huiusmodi campsores contra iustitiam cōmunem & legalem, minime vero contra commutatiuam.

Vnde

Vnde sit conclusio. *Campsores, qui sine vlla conuentione inter ipsos facta suas abscondunt, & occultant pecunias, vnoquoque illorum seorsum & priuatim apud se constituente seruare illas, donec carius celebrentur cambia, nõ peccant contra iustitiam commutatiuam quamuis peccent contra legalem & communẽ.*

Probatur prior pars. Non tenentur maiori iure campsores ad exponendas suas pecunias campsuarijs quęrentibus illas, quā teneantur venditores mercium ad producendas in forum suas merces, & exponendas venditoribus querentibus illas: Tum, quia non sunt hi magis domini suarũ mercium, quam campsores suarum pecuniarũ, tum etiam, quia non habent maius ius campsuarii in pecunias campsorum, quam habeant emptores in merces venditorum: at occultantes merces suas, seruantesq; illas in aliud tempus, in quo carius vendantur, vt qui seruant triticum in Aprilem, vel Maiũ, non censentur peccare contra iustitiam cõmutatiuam, (nisi alias sint obligati ex officio illud vendere) aliter enim damnaremus multos Episcopos, & Pręlatos Religionũ, viros timentes Deum, qui fructus suorum redditum ita seruant: In quo & si laudādi non sint, nec tamen condemnandi sunt, ergo neq; peccant contra iustitiam cõmutatiuam campsores occultantes pecunias suas, seruantesq; illas in tempus, in quo cābia carius celebrabuntur.

Probatur altera pars, quia omne dānum bono communi illatum est peccatum contra iustitiam legalem, qua tenentur singuli ciues bono communi prospicere, & omnia damna illi imminentia quantum possunt vitare, occultantes vero pecunias suas in nũdinis, vel alio simile tempore, in quo mercatores egẽt pecunijs per cambium acceptis, nocent bono communi cum per illam occultationem pretia cambiorum cum communi nocumento quærẽtium pecunias augeantur.

Secundo, si ciues, tempore quo opprimitur ciuitas vel Respub. necessitatem mercium, illas absconderent, communi omniũ DD. consensu peccarent contra iustitiam legalem, qua de causa possunt iudices sub pœnis, & per vim compellere illos ad eas producendas in forum, ergo peccant similiter campsores, quando eo tẽpore quo mercatores indigent pecuniis, & eas per cambia querunt, illas occultantes.

Nec valet quod dicunt campsores, non semper peccare venditores occultātes suas merces, quia illud tunc tantum verum est, quando ciues non plurimum illis egent, quando enim egent peccant grauiter contra iustitiam legalem, at quærentes in nundinis, vel simili tempore pecunias per cambium plurimum illis indigent, qua de causa his temporibus occultare pecunias, seruando illas, in aliud tempus, vt sic pretia cambiorum augeantur, semper est contra iustitiam legalem & communem.

Ex hac conclusione sequũtur duo. Prius est, campsores ita occultantes pecunias nõ teneri ad restitutionem. Etenim vt constat ex ijs quæ diximus primo tomo q. est. 66. artic. 2. peccantes contra iustitiam legalẽ non tenentur ad aliquam restitutionem. Posterius est, (quod recte loco citato obseruauit Soto) posse iudices, ac debere compellere campsores, quos nouerint habere pecunias occultatas, ad illas aducendas, & tradendas campsuarijs pretio commodo, & iusto, sicut possunt & debent compellere venditores, qui merces ciuibus necessarias occultant, ad eas producendas in forum & vendendas. Dixiq; debere, quia nisi ita faciant, tenebuntur iudices ipsi vel Magistratus ad restituenda omnia damna, quæ sequentur in Repub. eo quod merces istæ nõ sint in publicum eductæ, & venditoribus expositę, vel pecuniæ illæ quæ a campsoribus occultabantur, non sint eadem ratione campsuarijs expositæ sub honesto, ac iusto pretio per vera & realia cambia. Quia ex officio & iustitia commutatiua tenentur iudices & Magistratus compellere campsores ad exponendas pecunias, quibus alii mercatores egent, & venditores ad producendas merces vsibus ciuium necessarias. Quo fit vt nisi illud diligenter curent, sicut ex officio debent, teneantur ad restituendum priuatis excessum illum pretii, in quo venditæ sunt merces, vel celebrata cambia ratione illius occultationis, quam sua incuria, & negligentia vel quouis alio vitio passi sunt.

Ad argumentum illud, quod videbatur ostendere peccare campsores occultantes pecunias suas etiam contra iustitiam commutatiuam, respondeo primo, eodem argumento probaretur, alios quoque venditores similiter peccare, quod tamen nullus asseruit, vbi nullum interuenit inter illos monopoliũ. Respõdeo secundo nõ peccare contra iustitiā cõmutatiuā, sed solum contra legalem, quia peccatum cõtra iustitiam illud tantum est, in quo agitur contra ius alicuius, priuati autem nullum habent ius in pecunias campsorum, sed sola Reipub.

in ordine ad bonum commune quę fit, vt non peccent hi contra aliquam iustitiam commutatiuam qua teneantur priuatis, sed solum contra legalem & communem, qua tenentur bono communi Reipub. inseruire, ac prodesse, quantum possunt, quod nō prestant, sed damnum potius, suas pecunias occultantes, & cambiorum pretia, cum communi damno ea ratione augentes.

ARTICVLVS IIII. ET VLtimus. *De Cambio ratione depositi, seu custodiæ pecuniarum, quod pertinet ad eos, quos vocamus* Banqueros.

PRIMA Controuersia art. 2. vt explicaremus questionem illam adeo controuersam, & difficilem, in quo propria vis, & natura cambiorū, quæ nunc communi vsu mercatorum exercentur, consistat, inter obseruationes quas (iuxta meum morē, recitatis variis DD. opinionibus, tamquam fundamentis sententię, quæ mihi probabilior videtur,) ibi cōstitui, illud primum omniū eo loco notaui: Tria esse negociatorum genera maxime inter se coniuncta, mutua sibi inuicem ferentium auxilia: Quorum primi sunt mercatores, siue emptores merciū, quas in varias regiones deferentes mercaturam faciunt, & questum sibi vtilissimum: Alii campsores, qui in cōferendis pecuniis mercatoribus illis indigentibus, vt cum aliquo lucro easdem in alis locis commutatas recipiant, negociantur, de quibus hactenus disseruimus: Tertii generis sunt depositarij, seu custodes pecuniarum, quas mercatores ipsi vel campsores illis custodiendas tradunt, cum onere custodiendi illas, faciendiq; varias solutiones, & habendi rationem dati & accepti huiusmodi curas & labores in illos transferentes, vt ab illis liberati suis negotiis commodius incumbant, quos depositarios, seu custodes, vel mensarios vulgari sermone solemus vocare *Banqueros*. De de quibus nunc seorsum, vt toti huic disputationi de cambiis finem imponamus, agendum est.

Circa quos explicanda est imprimis illorū praxis & vsus, deinde quę apud omnes certa sunt & indubitata, vt inde gradum faciamus ad ea quæ maiorem continent difficultatem, & dubitationem.

Quod pertinet ad praxim & vsum horum hominum obseruandum est: Variis, diuersisq; modis hos mensarios, seu pecuniarū custodes sese habere: Quidam enim eorum sunt tamquam in primo ordine, qui tamquam ex officio publico hoc munus exercent, conuentione facta cum Repub. & Magistratibus, obligantes se ipsos ad fideliter custodiendas quascunq; pecunias sibi commissas, faciendasq; ex illis solutiones a veris dominis illarum pecuniarū sibi iniunctas, in cuius rei securitatem exhibēt sufficientes fideiussores. Qua ratione existunt Hispali varii custodes, & mensarii, apud quos mercatores Hispalenses cum classis ad portum applicat suas pecunias solent deponere, ac custodiendas tradere, nullo stipendio illis tradito: censent enim huiusmodi mensarii sufficiens stipendium esse, magnam habere pecuniarum vim, ex qua possint quoq; & ipsi varia exercere negotia sibi vtilissima. Extabant similes apud nos, donec in publicis horum Regnorum cōmitijs lege Regia sancitum est, ne vllæ pecunię alibi custodiendę deponātur, quā in publico huius ciuitatis deposito & custodia, quam communiter appellamus *la Tabla de Valencia*. Quæ lex iustissima fuit, & in magnā tam boni communis quam singulorum ciuium vtilitatem, ac securitatem.

In secundo ordine sunt Mensarij nundinarum, qui eodem fere modo sese habēt sicut priores, obligantes se ipsos & datis fideiussoribus tam ad fidelem custodiā pecuniarum quæ a mercatoribus sibi committuntur, quam ad fidelem solutionem, litteterarum seu debitorum, quę a dominis illarum pecuniarum sibi mandata fuerunt. Differunt vero a prioribus, quia hi recipiunt aliquod stipendium a dominis pecuniarū, quod prioribus (vt dixi) non redditur: recipiunt vero illud in fine nundinarum pro ratione & qualitate negotiorum, soletque (vt fertur) quandoq; illud pertingere in progressu totius anni ad 1500. vel 2000. aureos, pręter quod recipiunt etiam sępe, & frequētius quā deceret, a creditoribus, quibus ex pecuniis sibi cōmissis litteras cāpsorias, vel alia debita persoluūt, aliud stipendium, veluti 5. vel 6. pro milliario, eo quod statim illis persoluant, & ante finem nundinarū, & in inumerato, ac pecunia ipsis creditoribus grata. Quod an iuste ab illis accipiant in hoc artic. expendemus.

In tertio ordine sunt quidam mensarij, quos verius publicos vsurarios diceremus, qui solent, habentque de more mutuare viris Illustribus, & similibus, donec recipiant suos redditus, exiguntq; & recipiūt

ab illis magna lucra vltra sortem, nulla ratione alicuius damni emergentis, vel lucri vere sibi cessantis, vel aliquo alio iusto titulo quemcunque confingant, sed sola ratione & vi mutui: De quibus satis abunde diximus superius q. 78. agentes de vsuris, nec de his aliquid hoc loco dicendum est.

Obseruemus secundo, depositarios istos, seu mēsarios duobus modis recipere apud se pecunias a mercatoribus, seu campsoribus: Vno modo in pecunia numerata aurea, vel argentea, siue alterius sortis. Alio vero modo non in pecunia numerata, sed in chirographis, & singraphis vulgari sermone *en cedulas y poliças*, quibus pollicentur mercatores ipsi seu campsores fideliter soluere, quęcunq; fuerint eis consignata ab illo depositario, & *Banquero* in mensa illius. Qua de causa, sicut his duobus modis habent apud se huiusmodi depositarij pecunias mercatorum, duobus quoque modis illis similibus soluunt ipsi litteras, vel debita ipsis consignata: nempe vel in in pecunia numerata, quæ ratio soluendi solet frequenter creditoribus magis grata esse, vel exhibendo chirographa illa, & singrapha, quibus propositis & oblatis ab illis mercatoribus, vel in alia mensa recipiant in numerato pecunias in illis chirographis contentas, quæ ratio soluendi sæpe in nundinis adeo frequens est, vt per huiusmodi chirographa & syngrapha fiant plereque solutiones.

Obseruemus tertio, huiusmodi solutiones (quod satis ex art. 1. huius quæstionis constat) communiter fieri in nundinis, ad illas faciendas designatis, quas retulimus dicto art. 2. contro. 1. Cuius rei occasio & fundamentum forsan est, quia cum in illis nundinis sint liberi mercatores a Vectigalibus, quæ soluuntuur quando venduntur, ac emuntur merces, vt illa immunitate, ac priuilagio gaudeant, conueniunt multi ad illas, sicq; visum est mercatoribus, & campsoribus expedire plurimum suis commercijs, & negotijs, mensarios istos tempore huiusmodi nundinarum ibi reperiri, habentes paratas pecunias quas conferant volentibus emere varias merces, & ex quibus soluant varia cambia, vel debita eorundem mercatorum, & campsorum in eum locum, & tempus remissa: adeo vt negotia, quę frequentius fiunt in his nundinis, non sint diuersarum mercium emptiones sicut olim, & a principio fiebat, sed multorum cambiorū & debitorum solutiones.

Obseruemus vltimo, depositarios illos seu mensarios nundinarum, quos constituimus in secundo ordine, olim quidem fuisse distinctos ab ipsis mercatoribus, & campsoribus, qua de causa ratione obsequij quod præstabant ipsis mercatoribus, custodientes pecunias eorum, ac soluentes litteras & debita ab illis ipsis mandata, scribentesq; diligētet ac fideliter in suis libris omnia computa, & rationes dati & accepti, recipiebant ab illis (vt diximus) aliquod stipendium: modo autem mercatores ipsi, & campsores, ne stipendium illud reddāt, sed sibi ipsis retineant, vel alia de causa a sua cupiditate excogitata, exercēt officiū istud & munus mensariorum: ipsimet suas pecunias vel chirographa deferunt ad loca nundinarum, parant ibi mensas, offeruntq; se ipsos soluendis litteris vel debitis sibi oblatis, accipientes a creditoribus 5. vel 6. pro milliario quando nō differtur solutio vsq; ad finem nundinarū, sed statim fit & in pecunia meliori & magis grata, non in chirographis: Vnde quæ in hoc art. dicemus de mensarijs soluentibus litteras, vel debita in nundinis, illud idem erit intelligendum de mercatoribus, & campsoribus, qui non habent suas pecunias mensarijs commendatas, & apud illos depositas, sed penes se ipsos aseruatas, & per se ipsos ac in propria vt dicunt persona faciunt solutiones.

His positis vt certa ab incertis in hoc artic. separemus, illud imprimis apud omnes certum est: Teneri mensarios, qui aliorum pecunias apud se depositas habēt, & custodiunt, quo recte ac sine peccato quod sui muneris est, & officij prestent, quotiscūq; voluerint ex pecunijs sibi creditis aliqua negotia exercere, vel aliquas expendere. curare diligenter tantam apud se pecuniarum manere quātitatem, vt possint facile, & in prōptu soluere litteras, & debita, quæ a mercatoribus, vel campsoribus quorū pecunias custodiūt, fuerint ad ipsos remissa: aliter infideliter agerent, tenerenturq; ad restituenda omnia damna subsequuta tam dominis illarum pecuniarum, quas apud se habent depositas, quā creditoribus ex morossa illa, vel infideli solutione. Res est aperta: quia depositarius tenetur omni iure reddere depositum, quotiescunq; dominus illud petierit, ac postulauerit.

Secumdo, illud quoq; certum est apud omnes, debere mensarium de quo hic agimus, diligenter cauere, ne cōmercia seu negotia quibus exponit pecunias alienas sibi

cõmendatas, periculosa sint, nisi habeat ipse sufficienter pecunias proprias, vnde possit restituere sibi cõmissas, casu quo perierint: quod si proprias non habeat, peccat grauiter, eo ipso quo alienas sibi cõmissas negotio periculoso exponit, etiam si periculũ illud non sequatur, neq; pereant, perinde ac si perirent, sicut peccat mortaliter, quicunq; exponit se periculo exercendi actum qui sit peccatum mortale, etiam si actus ille non sequatur.

Tertio, illud etiã certum est, huiusmodi custodes pecuniarum posse aliquod stipẽdium accipere a mercatoribus, & cãmpsoribus, quorum pecunias custodiũt, ratione laborũ quos sustinent in illis custodiendis, in faciendis solutionibus ex illis, & habenda ratione dati & accepti: sunt enim hæc omnia pretio ęstimabilia, & opere sua iusta mercede ac stipendio dignę. Ex quo sequitur iniustũ esse & iniquũ, quãdo contra res accidit, nimirũ quando mercator vel campsor recipit aliquod lucrum ab ipso mensario, propterea quod deponat apud eũ suas pecunias. Ratio est aperta, quia si iniquum est mercatorem non soluere mensario iustum stipendiũ laborum, quos sustinet in custodienda illius pecunia, & aliis operibus, ac obsequijs quæ diximus, multo iniquius, & iniustius, censendum est si non solum non soluat stipendium illud, verumetiam recipiat aliquid ab illo mensario, & custode suarũ pecuniarũ. Et cõfirmatur: Quia mercator recipiens aliquid a mẽsuario apud quem deponit suas pecunias, perinde re ipsa se habet, ac si reciperet aliquod lucrum ab illo ratione illius pecuniæ illi mutuatæ, quod est aperta vsura.

Ex quo rursum sequitur iniquũ esse & iniustum, deponere apud mensariũ v.g. decem mille aureos, ea lege & pacto, vt teneatur mensarius exhibere ac constituere illi creditũ, dicunt suo idiomate *abonarle, o hazerle buenos en su banco* duodecim vel quindecim mille aureos. Est n. huiusmodi obligatio pretio ęstimabilis, & quam exigere in hoc contractu depositi a mensario, ratione illius depositi, non minus est vsura, quam exigere ab illo eodem titulo aliquod lucrum, vel interesse pecuniarum: Quod cum adeo iniquum sit, & detestandum, deplorandum maxime est, quam positum sit in vsu & consuetudine mercatorum.

Nec sunt audiẽdæ rationes, quibus mercatores hanc iniquitatẽ operire, ac tueri nituntur. Dicunt n. Primo, mensarios nõ reclamare, sed in illud libenter consentire, propter varia lucra quæ cum illis pecuniis sibi commissis sibi comparant. Dicunt secũdo, mensarios istos, si quidem aliquo stipẽdio digni sint, iam illud recipere a campsoribus, vel creditoribus, quibus pecuniam numerant, recipiunt n. ab illis 5. vel 6. pro milliario. Neutra tamen istarum rationum alicuius est ponderis. Non prior, quia si quid lucratur mensarius pecunia illa apud se depositа, lucrum illud industriæ ipsius tribuendum est, neq; n. a mercatore cuius pecunias custodit illud recipit: Quod vero non reclamet parum profecto aut nihil omnino facit, vt ea ratione iniquitas lilorum excusetur, Nam & mutuatarius pecunijs indigens, quas aliter quam cum fœnore nõ inuenit, non reclamat, sed libenter in vsurã illam consentit, vt ab aliquo alio maiori nocumento pecunia illa cum fœnore accepta liberetur, nec propterea definit vsura illa iniqua esse, & iniusta. Posterior vero ratio minus valet, quia (vt statim videbimus) iniquum est, vt mensarius recipiat a creditore stipendium pro officio quod prestat in obsequium mercatoris, cuius pecunias custodit, perinde nãq; in hoc casu mercator iste illarum pecuniarum dominus se habet, ac si quis ęre alieno vellet habere famulos sibi vtiles: Vnde tenentur in conscientia mercatores isti suis mensarijs stipendium soluere ratione custodiæ suarum pecuniarum, vel taxatum a Repub. vel quod arbitrio prudentum censebitur iustum, nec possunt ab ipsis mensarijs aliquid ex pacto accipere, quantũuis cum pecunijs illorũm maxima lucra sibi comparent. Dixi ex pacto, quia si mensarius libere, & ex mera gratitudine, quia maximum fecit cum illa pecunia quæstũ & lucrum, vellet aliquam partem illius lucri mercatori cuius pecunia itá lucratus est, exhibere, posset quidem, sicut fe rũnt nonnullos mensarios Hispalenses facere; ex pacto autẽ nullomodo licet, quia ex pecunia apud aliquem deposita non licet domino illius lucrum aliquod exigere, vel recipere cum pacto, nisi per contractũ societatis, in quo exponitur vterq; socius tam damno, quam commodo: In hoc autẽ casu mercator dominus pecuniæ apud mensarium depositę nulli damno vel periculo se exponit, cum habeat illam per fideiussores, vel aliqua alia via in integrũ securã.

Hęc omnia certissima sunt apud omnes, quæ verò in dubium potissime vocantur, hæc sunt.

Contro-

Controuersia Prima.

AN MENSARIVS POSSIT *recipere stipendium aliquod a creditore, cui persoluit litteras, vel debita illi persoluenda nomine mercatoris, cuius pecunias apud se habet.*

VSVS mercatorum, qui pecunias suas apud aliquos mensarios habent depositas, obtinuit, vt si cambia exerceant, ad illos suarum litterarum solutiones remittant: similiter si quas merces emant (loquimur de ijs quæ emuntur in magna quantitate) pretia illarum ad suos quoq; mensarios soluenda remittant in nundinis proxime sequentibus, in quod tempus illarum solutionem consignantes censentur presenti pecunia illas emisse: Ac vt recte suspicatur Soto lib. 6. de Iust. q. 11. art. vnico, huius officij, nimirum custodiendi pecunias, soluendi litteras, siue debita mercatorum, & habendi rationem dati & accepti, mercatores ipsi quorum pecunias illi custodiebant, persoluebant, deinde vero paulatim eorundem mercatorum industria seu cupiditate potius illud excogitante introductum est, vt quasi in stipendium huiusmodi operarũ creditor ipse cui litteræ, vel debita persoluuntur, reddat mensario à quo solutionem illam recipit, 5. vel 6. pro milliario.

Qui vsus num iustus sit, an iniustus, nunc videamus oportet.

Soto loco citato refert quosdam iustum illum iudicasse, existimantes illa 5. vel 6. pro milliario iuste deberi à creditoribus, pro labore quem sustinet mensarius in numeranda pecunia, qua fit illi solutio.

Quam tamen sententiam seu rationem reijcit ibi Soto authoritate Caietani affirmantis, mensario soluenti loco ac vice debitoris nullum stipendium deberi à creditore, pro labore quem sustinet in numeranda pecunia qua fit solutio, quia sicut debitoris interest solutionem illam facere, ita & numerare pecuniam qua illa fit. Secundo, quia si pro huiusmodi numeratione redderētur illa 5. vel 6. creditor ipse susciperet istũ laborem, malletq; illum subire, quam illa 5. vel 6. reddere mensario. Tertio, quia si propter illam numerationem iuste deberentur, campsor quoque tempore quo suã pecuniam tradidit mercatori, à quo accepit litteras ad illum mensarium mittendas, potuisset etiam 5. vel 6. pro milliario ab illo mercatore campsuario similiter recipere, cũ illi suã quoq; pecuniã numerauerit. Quarto, quia si ipsosmet creditores & mensarios consulamus, affirmant illa 5. vel 6. pro milliario non reddi, vel recipi pro officio, & labore numerandi, sed quia non persoluuntur illis litterę, vel debita in chirographis, sed innumerato, & pecunia presenti, quæ pluris æstimatur. Quod vel ex eo constat, quia quando existit pecuniarum inopia in nundinis tempore solutionum, si soluãtur litterę vel debita in numerato augetur plurimũ hoc stipẽdiũ, quod redditur mensariis, exhibẽtur enim quãdoq; 10. vel 15. quin & quãdoq; 20. vel 30. pro milliario, cum tamen labor in numerãdo idẽ sit, siue abundent ibi pecunię siue defficiant.

Alij, quorum ibi etiã meminit Soto, probarunt quoq; hunc vsum, alia tamen ratione, nimirum quia huiusmodi mensarius custodit pecuniam ex qua facienda est solutio creditori, qua de causa custodia illa in vtilitatem cedit creditoris.

Sed neq; hanc rationem admittit ibi Soto, quia vniuscuiusq; rei custodia, & expensæ quæ ad illam custodiam exiguntur, ad dominum eiusdẽ rei spectant, non ad alios.

Reiectis his rationibus amplectitur nihilominus Soto horũ DD. sententiam, affirmans iuste recipi a mẽsario (de quo hic agimus) illa 5. vel 6. pro milliario a creditoribus, hac adductus ratione: Quia huiusmodi mensarius non solum est custos pecuniæ sibi commissæ, verumetiã velut fideiussor, obligatus ad soluendum ex illa litteras, vel debita sibi consignata, qua ratione officiũ eius in vtilitatẽ quoq; maximã cedit ipsorum creditorum, fuitq; illis necessarium, vt ea ratione sua debita cõmode reciperẽt, quo officio non existẽte, non ita facile, nec cõmode, nec secure illam recuperarẽt, pro officio autẽ & obsequio alicui vtili, iustũ est pretiũ aliquod vel stipẽdiũ reddat is cui illud ita vtile est. Vnde infert Soto hæc duo: Prius est, hoc pretiũ 5. vel 6. pro milliario iustum esse, iusteq; a mensarijs recipi, velut pretium lege publica, vel proborum arbitrio, & consuetudine quę habeat vim legis, permissum. Alterũ, iniquũ esse propter pecuniarum inopiam, vel aliam causam plus recipere, quia cũ mẽsarius obligauerit se tãquã fideiussor ad soluẽda deuita mercatoris, cuius pecunias custodit, eo ipso obligauit se ad execẽdũ hoc munus stipẽdio illo solito & cõmuni 5. vel 6. pro milliario, qua de causa debet illi stare, nec amplius recipere, aut ab officio mẽsarij recedere illudq; dimittere.

Hanc sententiam Dominici Soto amplectuntur nonnulli recentiores, viri graues & eruditi in vniuersum, de quocunque creditore cui mensarius debita sibi consignata persoluat, adducti his rationibus. Primo, quæ est ratio ipsius Soti. Fideiussor potest pro fideiussione pretium accipere, sed mensarius est quidam fideiussor mercatoris, ergo potest pro illa fideiussione pretium accipere. Quod si dixeris hoc argumento probari quidem deberi mensario aliquod pretium, illud tamen reddendum esse à mercatore cuius est fideiussor, minime vero a creditore. Contra (inquiunt) debet & à creditore illud recipere. Probāt, Quia mensarius non est fideiussor sicut alij, qui solum promittunt soluere precipuo debitore non soluente, sed promittit ipse & obligat se absolute, & simpliciter soluere debita mercatoris, & in effectu ipse est qui soluit, & a quo debita illa exiguntur immediate a creditore, dimisso omnino mertatore ipso, vnde cum obligauerit se in fauorem quoq; & vtilitatē creditoris, iuste aliquod stipendium ab illo recipit.

Secundo, Mensarius est minister Reipub. & maxime necessarius in illa, exercetq; suas operas non solum in obsequium & commodum mercatorum, quorum pecunias custodit, verumetiam & creditorum quibus sua debita persoluit, potest ergo nō solum à mercatoribus, verumetiam à creditoribus ipsis, stipendium recipere, huiusmodi autem stipendium sunt ex parte creditorū illa 5. vel 6. quæ ab ipsis recipit pro milliario. Et confirmatur, quia expedit bono communi, & ipsis venditoribus, ad cōmodius exercenda negotia, & vendendas merces in numerato, vt existant mensarij, ad quos illarum solutiones remittātur, quę aliter commode fieri non possent, vnde cū hoc officium & actiones mēsariorum adeo cedant in ipsorum inet venditorum & creditorū vtilitatem, nulli mirum esse debet, vt pro huiusmodi actione & officio recipiant illud stipendium ab ipsis creditoribus.

Tertio, In pracmatica facta in Castella anno Domini 1527. permittitur mensariis illud stipendium recipere, & exigere à creditoribus.

Quarto, est hic communis vsus omnium mensariorum, & timentium Deum, quos omnes condemnare videtur alienum à recta ratione.

Deniq;, pecunia presens & statim numerata maioris valoris & æstimationis cēsenda est quam pecunia absens, & in chirographis tātum existens, licebit ergo mensario, quando non soluit creditoribus in chirographis, sed in numerato, aliquid recipere ab illis ratione illius vtilitatis, & obsequij quod recipiunt ab eo soluente in pecunia numerata, cum huiusmodi vtilitas & obsequium quod sic à mensario recipiunt, pretio æstimabile sit.

Oppositum sentit Nauarrus in suo Commento de cambijs num. 37. affirmans iniquum esse omnino vsum istum, vt recipiat mensarius à creditore, propterea quod soluat ei in pecunia numerata illa 5. vel 6. pretium aliquod, vel quiduis aliud pretio æstimabile, præter quam in quibusdam casibus quos statim ex ipso hic subiiciemus, in quibus non soluuntur illa 5. vel 6. pro milliario ratione solutionis factæ in numerato, sed alio diuerso titulo.

Hanc sententiam sequuntur multi recentiores viri eruditi, quam nos etiam amplectendam ducimus. Cuius veritas vt magis appareat, proponendi sunt prius casus, in quibus reddere aliquid mensario iniquum non est.

Primus casus est. Quando idem Mercator, qui habet pecuniam suam apud mensarium depositam, esset venditor alicuius mercis, remitteretur q; ab emptore ad eundem mēsarium, vt ab illo acciperet solutionem, potest quidem in hoc casu accipere mensarius ab illo venditore 5. vel 6. pro milliario, non quia soluit pretium mercis illi debitum in numerato, sed quia custodit pecuniam illius, neq; aliud stipendium accipit ab eo: Ratio est aperta, quia is cui aliquod stipendium debetur, potest illud oblata sibi opportuna via illud recipere, mensario vero qui alias non recipit stipendium sui muneris à mercatore, hęc via opportuna est ad recipiendum illud. Dixi qui alias non recipit, quia sic solet, vt initio huius articuli admonui in obseruationibus: nā si alias illud ab eo reciperet, non posset quādo aliquam facit illi solutionem illa 5. vel 6. ab eodem recipere, cum eiusdem officij & obsequij non debeat esse duplex pretiū, vel stipendium.

Secundus casus est, Quando venditor rem valentem 100. vendit pretio 105. quia scit solutionem illius pretij remittendam esse ab emptore ad suum mensarium, quando in hoc casu recipit mensarius à venditore illo, cui in ipsius mensa fit solutio, illa

illa 5. nulla est iniquitas, neq; contra venditorem cui manent integra 100. quę erant iustum pretium illius mercis, neq; contra emptorem cuius custodit pecuniam, quia perinde se habet, ac si recipiat illa 5. ab ipso per interpositam personam venditoris, in stipēdium officij vel obsequij quod illi prębtat custodiens illius pecunias.

Tertius casus est, quando creditor libere, & gratis (quod raro sentit & vere Nauarrus, accidere) confert illa 5. vel 6. aut quid simile ipsi mensario, exhibens se illi gratum, eo quod sine vlla mora statim illi persoluat.

Preter hos tres casus quos ibi proponit Nauarrus, potest & hic quarto loco addi, quando tam creditores recepturi pecunias ab aliquo mensario, quam debitores, solutiones a se debitas ad illum remittentes habent pecunias suas apud eundem mensariū depositas, suntq; celebres mercatores, qui vicissim & cū eadem frequētia hodie emūt ac remittunt suas solutiones ad illum mensarium, cras vendunt & remittuntur vt accipiant solutionem ab eodem: In hoc casu, cum mercatores hi nullum aliàs conferant stipendium illi mensario, custodiat vero ipse vtrorumq; pecunias, habeatq; rationes dati & accepti eorum quę ab illis accipit: quod accipit a singulis dum persoluit illis sua debita non accipit ab eis tāquā a venditoribus vel creditoribus, sed tāquā à mercatoribus, qui pecuniam illam habēt apud ipsum depositam, à quibus recipit ea via, quia alia commodior non suppetit, iustum sui muneris & officij stipendium.

Debent autem in hoc vltimo casu, vt iuste ac recte illud à mensario sub isto titulo accipiatur, hæc duo reperiri, Primo, vt mensarius intelligat se illud iuste ac sine scrupulo posse recipere, tamquam sui muneris, quod illis prębtat, stipendium: nam nisi ita concipiat, ac intelligat se illud recipere, vel ageret contra conscientiam, vel habere conscientiam erroneam, quorum vtrumque redderet acceptionem illam iniustam. Secundo, vt mercatores isti quorum pecunias custodit, & qui vicissim & mutuo solutiones ab ipsis faciendas ad illum remittunt (moraliter loquendo) æqualiter se habeant in officio creditorum ac debitorum. Hoc est dictum, vt in ęqualibus fere quātitatibus, & in qua v. g. Petrus mercator remittit hodie Ioannem ad mensarium, remittatur cras à Ioanne ad eundem mensarium, hac enim ratione ęqualiter vterq; suum illi persoluet stipendium. Etenim si frequenter Petrus sit venditor, & creditor remissus ad mensariū, raro autem vel minus frequenter Ioannes, frequentius soluet Petrus illa 5. vel 6. illi mensario, grauareturq; magis quam Ioannes: quæ inæqualitas aperta est iniquitas, & iniuria contra Petrum. Quod si paruus fuerit inter eos excessus, exiguaque differentia, non est damnandus iste contractus, quia expedit maxime ad mercaturam commodius exercendam modus iste soluendi pretia, & debita per mensarium, qua de causa vbi exiguus est excessus, propter bonum commune ferendus ac tolerandus est.

Preter hos igitur casus, nimirum, Quādo creditor accepturus solutionem sui debiti à mensario neq; habet apud illum pecunias depositas, neq; est mercator, qui vicissim & mutuo cū alio mercatore passim contrahat, modo emens modo vendens, neq; instituit aliquid gratis, mensario illi conferre, sed est agricola, vel nobilis, aut Clericus, qui fructus aliquos mercatori vēdidit, remittiturq; ab illo ad mensarium, vt ab eo rei venditæ pretium accipiat, sentiunt Nauarrus & multi recentiores viri eruditi & graues, non licere mensario ab hujusmodi creditore accipere illa 5. vel 6. quę communiter recipiunt pro milliario, neq; aliquid aliud pretio ęstimabile, sed in integrum esse illi sui debiti faciendam solutionem.

Quæ sententia vt dixi tenenda est, & probatur. Primum, quia, quando dominus alicuius mercis vendit illam mercatori pretio iusto v. g. pretio vt 100. si remissus ad mensarium non recipiat nisi 95. non seruatur cum eo æqualitas iusti pretij, nec habet quantum debet habere, cum non recipiat totum illud quod est pretium iustum rei à se venditę: vbi autem cum venditore non seruatur æqualitas iusti pretij, nec habet quantum debet habere, est iniquitas, & iniustitia.

Secundo, Mensarius nullo iusto titulo potest exigere, vel recipere aliquid pretio æstimabile ab huiusmodi creditore, ergo inique illud recipit, Consequentia perspicua est, probatur antecedens: Imprimis non potest illud exigere, eo quod soluat debitum, vel numeret pecuniam, quia cum hic mensarius referat in actu solutionis personam mercatoris debitoris, sicut debitor tenetur ad soluendum, & ad numerandam pecuniam, quam reddit in solutionem

debiti, ita & menſarius, adeo vt creditor non agnoſcat menſarium niſi vt referentē ac repreſentantem perſonam illius debitoris: Quo fit, vt teneatur ad ſoluendum & numerandum ſicut & debitor, pro eo autē ad quod aliquis tenetur ex iuſtitia, nullum pretium poteſt in iudicio animæ accipere, ſed tenetur omnino ſi quid accipiat illud reſtituere. Et confirmatur, Quia menſuarius ex pacto inito cum mercatore, cuius pecunias cuſtodit, tenetur ad ſoluenda debita, quæ a tali mercatore illi conſignabuntur ſoluenda. Preterea nec poteſt à creditore aliquid recipere pro labore quem ſuſtinet in illo officio, cuſtodiens pecunias, ſoluens debita, & habens libros rationum dati & accepti: quia hoc officium non exercet in gratiam vel vtilitatem creditoris, parum enim illi refert, a quo accipiat ſolutionem, num a menſario, vel ab ipſomet emptore cui ſuas merces tradidit, modo ſoluatur illi iuſtum ſuę rei pretium: ſed exercet profecto illud in vtilitatem & obſequium mercatoris, cuius ſunt pecuniæ quas cuſtodit, & ex quibus ſoluit: quo fit, vt non debeat ſtipendium illius laboris, & officij recipere à creditore, cuius non agit partes, ſed a mercatore ſolo cuius nomine tenetur ſoluere debitum, numerare pecuniam, & illum laborem ſuſtinere.

Tertio, ſi huic menſario liceret, eo quod ſoluit in numerato aliquid recipere à creditore, liceret quoq; mutuanti, quia ſtatim mutuat, & in numerato aliquid accipere vltra ſortem, quod eſt aperta vſura. Probo conſequentiā: Iſte menſarius ſoluens reddit quod debet, exercet enim munus mercatoris debitoris cuius partes agit, mutuās vero non tenetur ad mutuandum, neque illud debet, ergo ſi illi licet quia offerat ſolutionem quam debet in numerato, potiori iure licebit illud mutuanti, qui mutuat cum non debeat, nec teneatur ad mutuandum.

Denique, Si pro beneficio illo quod præſtat menſarius creditori, reddens illi debitum in numerato, poſſet aliquid ab eo recipere, cum hoc beneficium maius ſit, & difficilius, quando in nundinis, vel loco ſolutionis maior eſt pecuniarum inopia, liceret quò illa maior eſt, maius pretium, & ſtipendium accipere, & hac via non ſolum 5. vel 6. pro milliario, verumetiam quandoq; 10. quandoque 15. vel 20. iuxta maiorem, vel minorem pecuniarum penuriam, quod nullus tamen audebit affirmare.

Nunc ad argumenta Dominici Soto, quorum ſolutione veritas ſententiæ, quam hic ſequimur cum Nauarro, magis apparebit.

Ad primum reſpondeo, fundamentum illud Dominici Soto, & eorum qui illius opinioni ſubſcribunt, huiuſmodi menſarium (de quo hic agimus) non ſolum eſſe cuſtodē pecuniarū mercatoris, verumetiam fideiuſſorem ſoluentem de facto debita mercatoris, parum firmitatis illi opinioni conferre: Primo, quia hic menſarius non eſt fideiuſſor, ſed ſolum velut miniſter, & famulus, cui habet mercator ſuas pecunias commiſſas, quemadmodum Epiſcopi, Magnates, & ſimiles viri diuites habent famulos, & miniſtros, quibus habent ſuos redditus, & pecunias commiſſas, & a quibus ſoluuntur quæ illis à ſuis dominis ſoluenda conſignantur. Ratio eſt aperta. Quia fideiuſſor precipuo debitore non ſoluente tenetur ſoluere ex propriis, menſarius vero nō tenetur ſoluere niſi ex bonis mercatoris, ita vt ſi oſtēderit nullas iam pecunias illius apud ipſum manere, non teneatur, ſicut & miniſtri & depoſitarij magnatmm. Vnde poſſumus ſic contra Sotum argumentari. Idem obſequium, & curam, ac cuſtodiam quam impendit menſarius mercatori, cuius pecunias cuſtodit, & debita ſoluit, impendit etiam miniſter, & famulus Magnatis illius redditus recipiens, cuſtodiens, & debita ſoluens, at ſi à creditore Magnatis famulus, & miniſter illius aliquid vellet exigere, eo quod ſoluat illi in numerato, omniū conſenſu inique ageret, ergo & menſarius aliquid à creditore, cui ſoluit, recipiens inique etiā agit. Prętereà reſpondeo, eſto menſarius iſte eſſet fideiuſſor mercatoris, pro officio tamen iſto fideiuſſoris (vt in fine huius operis videbimus agentes de cōtractu fideiuſsionis) non tenetur aliquid ſoluere creditor, ſed debitor cuius partes fideiuſſor agit, & a quo alteri exhibetur: non ſolū quando fideiuſſor non promittit ſoluere niſi pręcipuo debitore non ſoluente, verumetiam quando obligatſe in eodem gradu in quo pręcipuus debitor, ac (vt dicunt) ſimul, & in ſolidum.

Ad ſecundum & illius confirmationem reſpondeo, hoc officium menſariorum eſſe vtile Reipub. reſpectu ipſorum mercatorū, qui commodius ſua commercia, & negotia exercent ſuis pecunijs apud illos depoſitis, parum tamen facere ad vtilitatem creditorum, cum hi, etiam ſi nulli eſſent menſarij, ab

ab emptoribus suarum mercium illas non minus acciperent: nõ enim traderent illas, nisi aut soluentibus in numerato, aut ijs quos noscent certo ac fideliter esse soluturos: quod si aliter illas alicui traderent, ac temere, illud ipsis esse imputandum.

Ad tertium dico, Pracmaticam illam (vt optime docet Nauarrus loco citato) fuisse omnino reuocatam per aliam subsequentem, latam anno 1529. in qua interdicitur omnino mensarijs, ne aliter soluant quam in integris, optimisq; pecunijs, ac ne pro solutione quam faciunt, aliquid exigere, vel recipere posint a creditoribus. Nec est quod dicant, qui contrasentiunt, illam priorem manere in suo robore, hanc vero secundam, qua prior omnino abrogatur, non esse receptam, vel abijsse in dissuetudinem, cum oppositum potius sentiendum sit: quia illa, licet à principio visa fuerit tollerabilis, statim tamen cognita fuit à Christianissimis Principibus illius iniustitia, & propterea statim post bienniũ reuocata: Quo circa magisque censenda est hæc posterior suam vim retinere, quæ adeo iusta est, & rationi consona, quam illa prior, quæ iniquitati mensariorum animos faciebat.

Ad quartum respondeo, abusum illud potius esse quam vsum, nec credam vere timentes Deum ita se gessuros, nisi deceptos ab aliquo confessario, qui vel sola authoritate Dominici Soto adductus existimabit, affirmabitq; illud licere, ignorans radicitus quam aliena sit opinio illa Soti in hac parte a veritate, & iustitia. Quamuis enim in multis Dominicus Soto mirifice scripserit, sitq; plurimum de studiosis benemeritus, in nonnullis tamen (vt homo) ab scopo veritatis aberrauit, quod & viri eruditi ac graues eiusdem Religionis alumni non diffitentur.

Ad vltimum respondeo, vtilitatem illã qua excellit pecunia presens absentem, iam esse debitam creditori per contractum venditionis, sicut enim per illum emptor recipit dominium rei sibi venditę, ita quoque per eundem recipit venditor ius in pretiũ pecunia presenti, & numerata sibi exhibendum in illis nundinis, vel termino designato qua de causa ratione pecunię presentis nihil licet ab eo exigere.

Nec valet dicere, Potuisset mensarius soluere in chirographo. Primo, quia si solutio consignata est a debitore vt fiat in pecunia numerata, in ea debet fieri: Secundo, quia non minus vtile est chirographum ad commercia, & negotia exercenda in nundinis, quam pecunia numerata, quo fit, vt nõ debeat mensarius aliquid recipere sub isto titulo, quia non soluat in chirographo, sed in numerato.

Ex dictis in hac controuersia sequitur aperte, quam iniqua sit consuetudo quorũdam campsorum, & mercatorum qui cum iam non habeant pecunias suas apud mensarios depositas, sed apud se ipsos, per se ipsos illas custodientes, suaq; soluentes debita, quando illa suis creditoribus reddunt in nundinis, vel adueniente solutionum termino, non verentur 5. vel 6. aut quid simile pro cẽtenario a suis creditoribus recipere, sicut diximus mensarios consueuisse. Exercent hi grauem iniquitatem, cum obligatione restituendi quidquid ea ratione acceperint, & ab integra solutione debiti detraxerint, quod enim mensarijs ipsorum non licet, multo minus illis censendum est licere.

Sed de his nunc seorsum dicamus.

Controuersia II.

LICEAT NE CAMPSORI*bus accipere pretium aliquod a campsuarijs, quibus per cambiũ pecuniam conferunt, eo quod non in chirographis sed in numerato illam conferant? dicitur ipsorum idiomate Vender el contado.*

SOLENT mensarij, quę ad illorum mensam soluenda remittuntur, non soluere in pecunia numerata nisi in fine nũdinarũ, qua de causa cum vlterius illorum solutio differenda non sit, sed debeat necessario tunc in numerato fieri, tantum valent chirographa in fine nundinarum quantum ipsa pecunia numerata. Ex hac consuetudine duplex orta est apud illos iniquitas.

Prior est: Vt quia non solent debita vel litteras ad ipsos remissas nisi in fine nũdinarum soluete, si creditor velit sui debiti solutionem statim, & ante illum finem recipere, quia eget forsan statim suis pecunijs, exigunt aliquid ab eo ratione illius anticipatæ solutionis. Quod iniquum esse, & cum obligatione restituendi quidquid ea ratione & titulo fuerit defraudatum, perspicuum est ex dictis in pręcedenti cõtrou.

trou. Quia recipitur illud ratione solius temporis; & anticipatæ solutionis: qua ratione aliquid recipere, vel a iusto integroque debito detrahere, non minus est vsura, quam si in contractu venditionis, propter anticipatam solutionem aliquid detraheret emptor a iusto pretio rei quam emit, vt abunde docuimus q. 78. art. 2. contro. 23. agentes de emptione lanarum.

Cęterum quamuis hic modus soluendi antiquitus esset in vsu, campsores tamen videntes mensarios suos, eo quod non soluerent in chirographis sicut erat cōsuetudo, sed vel in numerato, vel ante finem nundinarum multum lucrari, & cum magna creditorum iniuria, decreuerunt inter se, commodius multo ipsis esse, vt solutiones suorum debitorum, vel cambiorū ab ipsismet fierent, vel per chirographa seu syngrapha remissa ad mensarios in alijs locis, seu nundinis existentes, vel soluentes in ipso loco solutioni destinato in pecunia numerata, vocant hunc modum soluendi in numerato *Cambio en reales*: ea lege vt quando ita in numerato soluerent, accipiant a suis creditoribus idem lucrum, quod solebāt prius recipere mēsarij ipsi in numerato soluētes.

Qua ratione introducta est hęc alia iniquitas, & in consuetudinem redacta, vt si Petrus postulet Metinę in fine nundinarū cambium aliquod in Flandriam, cum duobus modis posit pecunia quā postulat illi exhiberi, vel in chirographo, vel in numerato, si cum primum petit, tradatur illi in numerato, fiatque cambium illud vt dicūt *en reales*, conferunt illi exempli gratia 90. quorum vice & loco restituat in Flandria 100. Si vero tradatur ei cambium quod petit in chirographo remisso ad aliquem mensarium, conferunt illi integra 100. quorum vice & loco non obligatur restituere in Flandria nisi 93. Quo fit, vt re diligenter inspecta, soluat campsuarius hic interesse vt 17. Propterea quod cambium illud quod postulat à Metina in Flandriam recipiat in numerato. Patet aperte, quia recipiens illtd in numerato recipit 90. soluturus 100. vbi soluit interesse vt 10. Si vero accepisset chirographum, cum recipisset 100. soluturns in Flandria sola 93. lucratus fuisset 7. quę iuncta illis 10. quæ soluit, quando non accipit chirographum sed pecuniam numeratam, efficiunt 17. Soluit igitur 17. propterea quod non accipiat cambium in chirographo, sed statim in pecunia numerata. Vocāt hoc genus cambij seu iniquitatis *vender el pago*, vel *vender el contado*.

Vbi illud imprimis certissimum est, alterum cambium ex his duobus iniustum esse, nam cum fit vtrumque ab eodem loco in eundem, eodem tempore, & rebus omnibus similiter stantibus, & cum pretio adeo diuerso, vt si recipiat in numerato soluat 10. si vero in chirographo lucretur 7. non potest vtrumq; simul iustum esse: eiusdem enim rei eodem omnino tempore, & loco non possunt duo pretia maxime diuersa iusta esse. Vnde videndum est, quodnam ex his cēsendum sit iustum? Num illud, quod fit in numerato, *y en reales* cum tanto lucro campsoris? An illud quod fit in chirographo, dicunt *en librança*, cum lucro campsuarij.

Vtrumq; cambium istorum iuste exerceri campsores sibi persuassum habent, hostenduntq; illud potissime de cambio illo in numerato, *y en reales*, de quo est maior suspicio his rationibus.

Imprimis illud est communiter iustum alicuius rei pretium, quando a lege nullum præscribitur, quod redditur in pecunia numerata communi vsu fori, vel probatur arbitrio prudentum, & peritorum: sed cambium hoc, quod vulgo dicitur *en reales*, celebratur pecunia presenti, recipiturq; in eo à campsore communi vsu fori, & arbitrio mercatorum peritorum in arte campsoria illud interesse, & lucrū, quod diximus tamquam iustum huiusmodi cambij pretiū, est ergo censendum iustum. Et confirmatur. Pretium cambij sumitur ab ęstimatione quam habent pecunię inter mercatores, sed tanti æstimantur pauciores illę pecuniæ quæ conferuntur in numerato, quāti plures illæ quę conferuntur in chirographis, ergo sicut cābium illud in chirographis traditum est iustum cum illo lucro cāpsuarij, similiter & illud in numerato est censendū iustum cū illo lucro campsoris.

Secundo, Cambium eo nomine redditur suspectum, quod recipiatur aliquid in eo ratione temporis: at in hoc cambio exhibito *en reales*, cum fiat pecunia presenti, & statim numerata, nulla potest haberi suspicio temporis, quæ tamen posset haberi in cambio per chirographum, siue *por librança*, quia debet necessario tempus aliquod expectari, vt mensarius viso & admisso chirographo numerat pecuniam, cum ergo quod fit *por librāça* nō cēseatur iniustū, multo minus illud quod fit in numerato.

Ter-

Tertio, si cambia hæc omnia fierent in pecunia numerata, & nullum per Chirographa, & litteras, esset profecto pretiũ quod recipitur modo a campsoribus conferentibus cambium in numerato iustum, cum in eo omnes conuenirent tãquam communi vsu fori receptum, ergo quod aliqua, vel multa eorum fiant in chirographis, nõ tollit iustitiam eorum quę fiunt innumerato, sicut habet vsus mercatorum: Nam cũ iustitia contractuum pendeat ex natura rei, & propria ratione illorum, si cambium istud in numerato esset iustum, sicut est in vsu, si nullum aliud fieret per chirographũ, quod aliqua vel plura hoc modo fiant, non tollit iustitiam illius.

4. Mercator siue cãpsor potest per suum chirographũ remittere cãpsuarium ad suũ mensariũ esto sciat mensariũ non soluturũ statim, & in numerato, nisi recipiat 6. vel 7. potest ergo idem mercator vel campsor non remittendo illum ad mensarium, sed exhibendo illi statim pecuniam in numerato recipere ab eo illud idem lucrum, quod recepisset mensarius, aliter nisi illud iuste recipi posset, nõ liceret remittere illum ad mensarium, quem scit non aliter soluturũ pecunia presenti & numerata, quam accepto illo pretio. Et confirmatur: Cambium pecunia presenti & numerata tantæ ęstimationis est, quantæ cambium per chirographum & litteras, sed ab eo qui accipit cambium per litteras remittiturq; ad mensarium potest mensarius iuxta multorum sententiam, si statim & innumerato illi persoluat, recipere 5. vel 6. aut quid simile, poterit ergo & mercator ipse vel campsor simile lucrum recipere, si statim & in numerato pecuniam suam exhibeat.

Sed his non obstantibus, Cambium hoc ab omnibus Theologis, qui de illo aliquid scripserunt, damnatur omnino, & merito, tamquam iniustum, iniquum, & vsurariũ. Et probatur. Nullus est iustus titulus propterquem liceat campsori plus accipere, eo quod cambium in numerato, quam si traderet illud in chirographo & per litteras, ergo quidquid amplius accipit in cambio isto *por reales*, quam acciperet in eo quod dicitur *por librança*, iniuste & inique accipitur. Probatur antecedens: Quia illud amplius quod in huiusmodi cambio recipitur a campsore, vel recipitur ab eo ratione anticipatę solutionis, vel quia pecunia quam tradit campsuario, valet magis tradita illi in numerato, quam in chirographo: alius titulus excogitari non potest, at ex neutro potest campsor illum excessum iuste recipere, ergo. Imprimis nõ propter priorem, quia ratione anticipatæ solutionis (vt constat) non licet lucrum aliquod recipere, nec minori pretio quam iusto rẽ aliquam emere, sicut nec temporis. Nec propter posteriorem titulum: quia pecunia qua eget cãpsuarius, & quam quærit ad sua negocia, & commercia in nundinis, non minus illi valet accepta *en librança*; & per litteras, quã accepta in numerato *y en reales*. Patet, quia campsuarius iste non indiget pecunia ista, nisi vsq; ad finem nundinarum, quæcunq; enim negotia exerceat potest solutionem illorum remittere, ac differre vsq; ad finem nundinarum; in fine autem nundinarum tenetur necessario mensarius, ad quem litteræ illæ remittuntur, in integrum illas soluere, ac in pecuniam numeratam conuertere. Vnde litteræ illæ non minus valent cãpsuario ad sua cõmercia, quam si tota quantitas in illis contenta fuisset ipsi in numerato exhibita.

Secundo, Mensarius vt constat ex præcedenti controuersia non potest aliquid recipere, neq; minus reddere creditori ad se remisso, eo quod soluat statim, quam si solueret in fine nũdinarũ, vel eo quod soluat in numerato, quã si solueret in chirographo, ergo neque mercator ipse, vel cãpsor, qui perse ipsum tradit pecuniam numeratã campsuario quærenti illam.

Tertio, Sicut illud est iustum pretium in mercibus, quo maior illarum pars communiter venditur, ita quoque illud debet esse iustũ pretium in cambiis, quod in maiori illorum parte communiter recipitur, neq; habenda est ratio sicut & in mercibus pretij in quo minima quædam illorũ pars exercetur, sed cambia de quibus hic loquimur, & ab anno 1553. quando ita ceperunt fieri, multo maiori ex parte fiunt per litteras *y en librança*, quam *en reales*, adeo vt ex centum cambiis quæ fiunt in nundinis, nonaginta fiãt per litteras & chirographa, & decem ad summum fiunt in numerato, ergo iustum pretium huiusmodi cambiorũ sumendum est ab illis quę fiunt *por libranças*, debeiq; illud necessario in omnibus aliis seruari, etiam si quædam illorum fiant innumerato.

Quarto, In aliis mercibus illud pretium censetur iustum, quo illæ venduntur pecunia presenti, & quod iudicatur iustum facta solutione de presenti, sed cambium tradi

traditũ in chirographo perinde omnino se habet apud mercatores ad sua cõmercia, sicut si fieret in pecunia pręsenti, & a peritis & prudẽtibus căpsuariis timentibus Deũ, quorum est in his habenda ratio, iudicatur iustum, tamquam si traderetur in eo pecunia præsens, ergo illud est iustum & seruãdum. Explicatur vis huius rationis exemplo. In mercibus maritimis (vt diximus quæstione 77.) licet non vendantur illæ pecunia statim numerata, quia non fert illarum valor vt ita vendãtur, nihilominus pretium illud in quo communiter venduntur, censetur pręsens & tamquam in numerato redditum, quia non possunt illę aliter commode vendi, & si aliqua illarũ pars, sed exigua, posit vendi in pecunia statim numerata: Sed similiter res habet in cambijs de quibus hic agimus, vt quamuis nõnulla fiant in numerato, non possunt tamẽ illa commode in nundinis fieri, nisi maior illorum pars fieret per litteras remissas ad mensarios, vel ad debitores illarum littera rum, a quibus illarum solutio in fine nundinarum recipiatur, ergo iustum pretium illorum illud est, in quo fiunt per litteras.

Deniq; vbi nullum est periculum, (sicut in hoc constituimus nullum esse) idem valet cambiũ in chirographo & per litteras, quod cambium in pecunia numerata, ergo non potest aliquid amplius in vno accipi, quam in alio, pretium autem quod recipitur in eo quod fit per litteras est iustum, ergo excessus ille qui recipitur in alio cãbio quod fit in numerato, iniquus est omnino, & iniustus, & in iudicio animę necessario restituendus.

Nunc ad argumenta in oppositum. Ad primum respondeo, Imprimis cambium per litteras vt ex dictis cõstat, perinde sese habet, ac si fieret pecunia pręsenti. Tũ, quia illa sic accepta ad commercia mercatorum non minus valet in nundinis, quam pręsens; tum etiam, quia cum huiusmodi cambia aliter commode non posint in nundinis fieri maiori ex parte, nisi per litteras, (esto aliqua fiunt in numerato) pretium in quo illa fiunt censendum est pręsens, sicut in mercibus maritimis, quia aliter illę commode vendi non possunt, pretium in quo venduntur censetur tamquam solutio pręsens, quamuis fiat post aliquod tempus, tãquam ex natura illarum mercium, ad colligendam pecuniam, necessarium. Dico secũdo pretium illud, quod cupiditas campsorum introduxit ab anno 1553. non esse habendum tamquam receptum communi vsu fori, & arbitrio prudentum: Primo, quia eo ipso quo fuit ab eo anno nouiter introductum per cupiditatem mercatorum, censendum est maxime suspectum. Secundo, quia communis vsus fori nõ est sumendus in contractibus, nisi ex iis quæ vt plurimũ & maiori ex parte accidunt, ex his vero cãbiis ex mille 900. imo 950. fiunt per litteras, paucissima vero in numerato, vnde ab illis per litteras, quæ tãto frequentius exercentur, sumendum est iustum illorum pretium, sicut in omnibus mercibus (vt diximus) pretium illarum, & communis vsus fori in illis ex maiori parte illarum quę vẽduntur, sumẽdus est. Tertio, quia celebres mercatores saltim peritiores & timentes Deum non iudicant pretiũ istud, quod ita introductũ est ab aliquibus, quando fit cãbium *en reales*, iustum, sed illud in quo solet fieri per litteras *y librança*. Quin & hac de causa illud in numerato fit raro, hoc vero *en librança* frequẽtius, quia hoc iudicãt iustum, illud vero habent maxime suspectum.

Ad confirmationem constat ex dictis, quando in cambio per litteras nullum est periculum infidelis solutionis, sicut hic cõstituimus nullum esse, tanti feri a mercatoribus ad commercia & negotia, quæ exercent in nundinis, in quibus hęc cambia communiter celebrantur, pecuniam *en librança*, quanti si acciperetur *en reales*, sicut in primo argumento, quo probamus sententiam quam hic sequimur, ostendimus.

Ad secundum respondeo, in cambio per litteras *y librança* nullam esse suspicionem accipi aliquid ratione temporis, cum campsor in illis litteris conferat totã integrãq; pecuniam, quam debet in tali cambio conferre, tempus autem quod expectat vt litterę illę conuertantur a mẽsario in pecunias, non expectat quia accepit integram pecuniam in litteris, sed quia ita habet vsus tam campsorum, quam accipientium cambia, vt litteræ omnes, tam illæ per quas recuperat campsor cambia alibi facta, quam illæ per quas campsuarios recipit in numerato cambia ibi celebrata ad alia loca, soluantur communiter in fine nundinarum: In cambio autem, quod fit ante istud tempus in pecunia numerata cum tanto lucro campsoris, est aperta iustaque suspicio accipi illud ratione temporis, cũ nullo alio titulo accipiat illud, nisi quia anticipat solutionem numerando pecuniam.

Ad

Ad tertium respondeo, si quidem omnia cambia fierent in numerato, tunc sumeretur pretium illorum ex vera æstimatione, quā tempore contractus haberent pecuniæ in loco nundinarum, vbi recipitur pecunia & in loco vbi esset illa restituenda commutata, iuxta ea quæ diximus agentes de pretiis cambiorum artic. 2. huius quæstionis Quod certe pretium non dubito quin esset illud idem, in quo modo fiunt cambia per litteras *y en librança*, minime vero illud in quo aliqui illud exercent *en reales*: sed quidquid sit de pretio quod tunc haberet, modo cum maxima pars huiusmodi cābiorum fiat in litteris, quia nec illa maiori ex parte aliter commode fieri possunt, pretium iustum huiusmodi cambiorum in omnibus, quacunq; ratione fiant siue *en librança*, siue *en reales*, sumendum est sicut & in aliis mercibus (vt constat) ex iis quę fiunt maiori ex parte, qualia sunt quæ fiunt *en librança*.

Ad quartum constat ex controu. proxime precedenti non licere mensariis accipere aliquid a creditoribus, quibus debita in sua mensa per soluunt, prẹter quām in illis casibus quos ibi retulimus. Vnde cum id non liceat mensario multo minus licebit campsori, adeo vt ex Doctoribus qui censent illud mensario licere ratione custodię, & laborum, quorum sententiam ibi retulimus, campsori tamē nulla ratione censeant illud licere.

Ad confirmationem respondeo, Cambium in litteris (sicut ex dictis constat) tantæ ęstimationis, & vtilitatis esse mercatoribus ad negotia, & commercia, quę solent in nundinis exercere, quantæ si in numerato pecuniam illius acciperent, cum habeant eam actu & re ipsa per sedulas in fine nundinarum, quo tempore illa indigent.

Ex his explicari potest quid sentiēdum sit in casu quodam, qui nonnunquam inter mercatores accidit: Qui sic habet. Habet Petrus mercator Valentinus Metinæ in nundinis Maii apud suum mēsarium mille aureos, confert illos Ioanni per chirographum, cuius virtute recipiat illos a suo mēsario in nundinis proxime sequentibus Octobris, nempe post quatuor menses, ea lege, vt teneatur Ioannes, post 7. menses a die quo traditur ei chirographum illud, exhibere ipsi Petro illos mille aureos Valentię in numerato: admittit pactum Ioannes, recipitq; chirographum illud, promittens ingenue per suam scripturam post 7. menses exhibere fideliter Petro mille aureos Valentię. Quando ita conuenerunt, & tempore huiusmodi contractus, quamuis erat probabile celebrandas esse nundinas Metinę post quatuor mēses, nempe Octobri vt solent, non tamen erat omnino certum, cū edicto regis possent illę differri, sicut nonnunquam contingit iusta aliqua causa Regium animum suadente: Accidit ergo contractu isto sic inter Petrum & Ioannē inito, vt præter omnem spem nundinę illæ, quæ de more credebantur celebrandæ post quatuor menses, differantur per alios quatuor, ita vt adimpleantur septem illi menses, adueniatq; terminus in quo Ioānes promisit, obligauitq; se ipsum reddere Petro Valentiæ in numerato mille aureos, antequam adueniant nundinę, in quibus ipse recipiat illos a mensario Petri per chirographum illud ab eodem Petro sibi traditum.

Est ergo dubium: Posita consuetudine illa, mensarios non soluere debita in sua mensa consignata ad nundinas in numerato, nisi in fine nundinarum, qua de causa Ioannes aduenięte termino in quo promisit soluere Petro Valentiæ mille aureos, nondum illos reuera suscepit, quia nōdum aduenerunt nundinæ, liceat Petro tuta cōscientia exigere, ac recipere illos a Ioanne in numerato?

Dico omissis aliorum opinionibus, Petrum tuta conscientia posse illos exigere, ac recipere. Primo, quia chirographum illud quod tradidit Ioanni, non solum aduenientibus nundinis, verumetiam & quocunq; tempore ante illas absolute, & simpliciter valebat Ioanni illos mille aureos: poterat enim iuxta mercatorum consuetudinem cum illo merces emere, aut soluere debita in eadem quantitate mille aureorū, Quod autem non recipiat illos in numerato post quatuor menses, sicut credebat, accidit illud preter spem, iuxta varios temporum euentus, sine vlla culpa Petri. Secūdo, quia in hoc contractu vterq; se ipsum exposuit varię fortunę: Ioannes, vt nisi fierēt nundinæ solito tempore, teneretur soluere illos Petro, forsan ante quam illos reciperet, sicut accidit in casu de quo hic agimus: Petrus vero, vt si fierent solito tempore, vt credebatur, careret pecunia sua numerata per tres menses post illas nundinas, vtereturq; Ioannes per eosdem ad sua cōmoda, pecunia illius: vnde cū pari periculo vterque

que se ipsum exposuerit, contractus fuit iustus, & ex consequenti obligans vtrumque ad seruanda promissa, & conuenta in illo.

Controueasiu III.

QVA RATIONE DEBEAT *se gerere, qui accipit cambium nomine alterius, siue in alterius vtilitatem?*

ACCIDIT Magnatē aliquem vel Principem ipsum multis pecuniis egere postulareque illas mutuo à mercatore, qui creditur ditissimus esse, illum vero, vel quia non habet tot pecunias, quot ab illo Principe postulantur, vel quia nolit eas mutuo conferrre, ne priuetur lucris quæ ex illis suis negotiis expositis percipere solet, accipere illas a campsoribus per contractum cābii, sicque acceptas tradere illi Magnati, vel Principi.

Quærimus ergo hoc loco. Possit ne mercator hic recipere ab illo Magnate, vel Principe pretium aliquod, ratione illius mutui.

Et ratio dubitandi est: Nam cum Princeps non postulet ab illo nisi pecunias mutuatas, mercator etiam conferat illas tamquam mutuatas, si quidem a Principe illo recipiat, recipit profecto illud tanquam ex mutuo, quod est vsura. In oppositum est, quia in hoc casu mercator iste accipiēs pecunias illas sub cambio soluit interesse, patiturque reuera damnum: mutuans vero vt vidimus quæstione 78. potest a mutuatario, in cuius vtilitatem damnum aliquod patitur, iuste exigere, & recipere.

Solutio huius dubitationis facilis est iuxta ea quę in illo loco modo citato diximus. Nam vel Mercator iste conferens Principi pecunias, quas ab aliis accipit per cambium, admonet illum, se accepisse illas per cambium & sub interesse, vel nihil horum explicat, sed Princeps existimat mutuo sibi illas exhiberi. Si priori modo, potest exigere ac recipere omne damnum, & interesse quod patitur, quin & stipēdium, quod arbitrio prudentum censebitur iustū & debitum labori, & industriæ, quam adhibuit in quærendis illis pecuniis, si quam adhibuit. Quod si nihil horum exprimat, non potest recipere aliquid a Principe vltra sortem, quia Princeps cum mutuum tā tum postulauerit, prudenter iudicabit mutuo quoque pecuniam illam esse sibi collatam, eritque rationabiliter inuoluntarius, si interesse illud deinde ab ipso exigatur, quia si fuisset sibi indicatum, forsan cum tali damno pecuniam illam non accepisset, sed aliunde & ab aliis per mutuum, vel alia via sibi commodiori illas quæsisset.

Illud quoque hic videamus oportet.

AN CAMPSVARIO EXISTENTE *in mora solutionis, possit campsor exigere ab illo damnum emergens, vel lucrum sibi cessans ex tali mora?*

QVAESTIO hęc ex superius dictis satis constare potest: sed quia sparsim quę ad illam pertinent dicta sunt, placet hoc loco illa in vnum colligere.

Obseruemus igitur, variis modis contingere posse campsuarium esse in mora soluēdi: Primo, quia cum accipiat Metinę pecuniam soluēdam in Flandria, nullam habet ibi pecuniam, vel creditum, aut correspon salem, qui pro eo soluat: Quod potest dupliciter contingere, vel campsore illud sciente & intelligente, vel campsore illud ignorante, imo existimante habere campsuariū illum sufficiens ibi creditum. Secundo modo potest esse in mora soluendi, eo quod quamuis habeat ibi verum creditum, & correspon salem, ille tamen non vult litteras ad se remissas admittere, nec soluere, vel non soluit in termino, & tempore debito, sed ita differt solutionem, vt vere sit in mora.

Sit prima conclusio. *Quando differtur solutio, & est in mora, quia campsuarius neque pecuniam, neque creditum, aut correspon salem haberet in loco solutioni destinato, nouerat que illud campsor, aut saltim dubitabat, non potest exigere a campsuario damnum aliquod emergēs vel lucrum sibi cessans, etiam si vere illud ex mora solutionis patiatur.*

Constat ex superius dictis. Et ratio est aperta, quia est cambium siccum & vsurarium, ex quo neq; interesse aliquod, neq; damnum vel lucrum cessans exigere licet. Secundo, quia sciens campsuariun neq; pecuniam habere, neque creditum, neq; faciēdam esse ibi solutionem, eo ipso quo vult cum illo cambire, consentit in illam morā, & omnia damna illam subsequutura. Tertio, quia campsor, cū habeat suas pecunias cam-

Cambijs expositas, a nullo negotio extraxit illas, vt traderet eas campsuario, & ita non habent locum in eo casu lucrum vere cessans, vel damnū emergens: Vnde campsores a nobilibus sub hoc titulo varia interesse exigentes, ac recipientes vsurarie agūt, teneturq; ad illa omnia in integrum restituenda.

Secunda conclusio.

Si Campsor bona fide conferat pecuniam Valentiæ, credens campsuarium habere pecuniam, vel creditum Metinæ, deinde vero intelligat nullā ibi habere, Si quidem nullam adhuc recepit interesse ex illo cambio, debet omnino contractum rescindere solumque capitale recuperare: Si vero quando illud intellexit, iam receperat interesse quod fuit iustum, maneatque apud illum, vel factus est in eo ditior, tenetur illud restituere: Quod si iam consumpsit illud, neque in eo factus est ditior, ad nullam tenetur restitutionem. Poterit tamen, si propterea quod pecuniam suam illi campsuario bona fide contulit, aliquod patiatur damnum, vel lucrum aliquod vere illi cesset, illud ab eo exigere.

Hæc conclusio cum omnibus sui partibus constat satis ex superioribus.

Tertia conclusio.

Si accipiens pecuniam Metinæ verum creditum, & corresponsalem habeat in Flandria, quod intelligens campsor suam illi contulit pecuniam, quam aliter non contulisse, vitio autem illius, vel defectu corresponsalis campsuarij non fiat solutio in termino, quia nō admittit litteras, vel nō vult illas soluere, aut differt solutionem, potest campsor tuta conscientia exigere in hoc casu a campsuario illo & interesse cambij, & omne damnum sibi emergens, vel lucrum sibi cessans ex non facta solutione, vel illius mora.

Patet, quia hoc cambium est reale, & verum, ac contractus iustus, quod autem corresppnsalis campsuarij non soluat, sicut debet, est per accidens ad iustitiam huius contractus, vnde debetur in eo campsori interesse tamquam ex cambio vero & iusto, debetur etiam lucrum cessans, & damnum emergens ex morosa solutiene, cum patiatur illam causa campsuarij, iuxta regulam illam toties in hoc opere adductam: *Si tua culpa damnum datum est iure super his te satisfacere oportet.* Debebit autem in hoc casu corresponsalis campsuarij, quidquid culpa eius campsuarius persoluerit vltra iustum interesse illius cambij illi compensare, ex eadē regula, cum ipse fuerit in causa sua morosa vel infideli solutione, vt reciperet campsor illud damnum vel cessationem lucri, opportetque propterea campsuarium satisfacere illa campsori.

Hæc cōclusio intelligenda etiam est, quā do campsor dans pecuniam Metinæ soluēdam in Flandria credebat bona fide corresponsalem sui cāpsuarij fideliter, & in termino soluturum: quia si nouerat, vel saltim prudenter dubitabat illum non soluturum in termino, nec fideliter, illudque sciēs, vel suspicatus cōtulit suam pecuniam, eo ipso consensit in illam moram, & omnia damna quę illam subsequi poterant, & ex consequenti nihil eorum potest exigere, vel recipere, qu a nulla illi facta est iniuria. *Cum nullus patiatur iniustum volens.*

Sed dices, ille qui mutuat rogatus a mutuatario, licet sciat mutuatarium futurum in mora soluendi, potest exigere damnum emergens, vel lucrū sibi cessans ex tali mora, poterit ergo & iste campsor, esto sciat campsuarium ipsum vel eius corresponsalem futurum in mora. Dico non esse eandem rationem vtriusque, quia mutuans patitur vere lucrum cessans, quando extrahit pecuniā suam a negotio cui illam habebat expositam: at campsor cambiendo illam nō extrahit a negotio, imo constituit illam in negotio quod solet exercere, & ita nullum illi vere cessat lucrum: Fateor tamen, casu quo existeret alius campsuarius pecuniam illam actu petens per verum cambium, & soluendum fideliter in suo termino, rogatus tamen campsor ab hoc cui pecunias confert, in eius vtilitatem vel gratiam non conferret illas alteri, licet preuideret illum futurum in mora, posset nihilominus lucrum sibi vere cessans exigere, quia in eo casu quāuis non extraxerit pecuniā suā a negotio, extraxit tan ē eā a negotio cū illo alio, cū quo lucrū moraliter erat illi certū, extraxitq; ab illo in huius alterius vtilitatē vel gratiā. Ex quo sequitur, vt si in solo iure naturali staremus, posset cāpsor in hoc casu conuenire cum campsuario tempore contractus de lucro cessante: Est tamen illud constitutione Pij V. eo modo quo superius exposuimus, prohibitum.

Vltima conclusio.

Quamuis corresponsalis campsuarij existens in Flandria nolit soluere litteras ad ipsum destinatas, vel sit in mora, non potest propterea Factor campsoris illas cum nouo interesse remittere Metinam ad Campsorem: aut campsor ibi remissas

remissas, nec solutas a campsuario, illas rursum mittere, ac recambire in Flandiam: & per huiusmodi circulos, & recambia augere subinde interesse illarum litterarum, cum graui damno & nocumento miseri campsuarij.

Hæc constat satis ex ijs quæ diximus artic.2. huius quæstionis agentes de recambijs.

De Proxenetis Campsorum.

TANDEM in fine huius disputationis de ministris campsorum, maxime de proxenetis, quorum opera & interuentu cãbia efficiũtur, nonnulla dicamus. Vbi quamuis de his similiter iudicãdum sit, ac de ministris vsurariorum, de quibns diximus q.78. arti. 4. sunt tamen circa illos hæc priuatim obseruanda.

In primis facilius posse hos excusari ab iniquitate, & culpa, quam ministros vsurariorum: cũ iniquitas vsurarij apertior multo sit quam iniustitia campsoris.

Secundo huiusmodi ministros interuenientes cambio, cuius iniquitatem norunt, vel saltim suspiciãtur, teneri ad restitutionem, tamquam illius iniquitatis, & damni cooperatores: Vbi vero bona fide illi interueniunt, iudicantes cambium illud verum esse ac iustũ, ita vt lateat eos omnino illius iniquitas, cum primum illam nouerunt, teneri ad restituendum quodcunque emolumentum, vel lucrum ex illo perceptum, in quo facti sunt ditiores. Quod si iam illud consumpserint, neque propter illud facti sunt in aliquo ditiores, ad nullam teneri restitutionem. Quia non tenentur ratione iniquæ acceptionis, cum bona fide iudicauerint cambium illud iustum, neque vllam in eo exercuerint ipsi iniquitatem, vel culpam: nec ratione rei acceptæ, cum neque apud illos maneat, neque in ea facti sint ditiores, iuxta ea quæ diximus tomo 1.q.62. artic.6.

Dico 3. (quod certe recte admonet Soto) raro huiusmodi ministros posse habere bonam fidem, & esse immunes a culpa, & cooperatione cambij iniqui: quia norunt isti plurimum quæ cambia sint ficta, vel iniqua, & cum eorum interuentu fiant, ipsiq; componant inter se campsorem cum campsuario, si quæ iniquitas in cambio interueniat, vix potest eos latere. Secundo, quia cum hoc genus negotij sit suspectũ, & male sonans, tenentur ipsi diligenter nosse, quæ cambia iuste fiant, quæ inique, consulereque circa hoc peritos & timoratos. Vnde si hanc operam nauarunt, deligentiãque adhibuerunt, non latebit eos iniquitas, si quæ, cambio cui interueniunt, misceatur; si vero non curarunt hanc diligentiam adhibere, peritiamque huius artis sibi comparare, & qua ratione iuste exerceantur intelligere, cum laborent ignorantia culpabili, & vincibili, quia tenetur vnusquisque probe nosce quæ pertinerit ad artem, vel offitium quod exercet, non sunt censendi bona fide cambio iniquo interuenire, & a culpa illius esse immunes: Cẽsebuntur autem ignorantia inculpabili laborare, bonamque fidem habere, quando licet ipsi curauerint peritiam huius artis habere, & quæ ad iustitiam huius contractus pertinent intelligere, campsor vero ita astute agit, vt iniquitas illius cambij nihilominus ministrum illum lateat, probabiliterq; iudicet illud iuste, ac recte celebrari.

ET HÆC DE TOTA HAC DISPVTATIONE de Cambijs.

DISPVTATIO DE CONTRACTV SOCIETATIS.

EXplicatus varijs cãbiorum formis,& quæ in illis obseruanda sunt, offerunt sesse modo nonnulli alij cõtractus, quorum meminit hic D.Tho. de quibus in fine huius secundi tomi dicamus oportet. Ac in primis de contractu societatis. De quo D.Tho.q.78.ar. 2. ad 5. Scholastici obiter in 4.dist.15.Conrrad.de contract. q.97.Caiet.in opusculo.17. respons.Respon.11.& in cõment.art. 2. huius quæst. & in summa verbo societas.Soto lib.6.de Iustit.q.6.art.1. & 2.Nauar.in Manuali. c.17. nu.251.& seq.& in c.primũ 14.q.3.a nu.32.Couarr.lib.3.variar.resol.c.2. nu. 2. & 19.Siluester,& summistæ. in verbo Societas: Canonistæ.in cap.Per vestras.De donatio. inter virum,& vxorẽ.& Iuristæ in l.societatẽ.ff. pro Socio,& iustit.tit. de societate. & multi recẽtiores in suis tractatibus eodẽ tit. Ex quibus omnibus hic ea proponemus,quæ necessaria sunt,vt valeat Theologus,quæ in hoc contractu (quatenus in vsu mercatorum est) iniuste fiunt,iudicare, & ad debitam æquitatis & iustitiæ normam reducere.

ARTICVLVS I.

QVID SIT CONTRACTVS *societatis, & quot modis a mercatoribus exerceatur?*

HIC contractus antiquissimus est adeo, vt credẽdus sit incepisse simul atq; ceperunt exerceri inter homines commercia ipsa, & negotia ad captãda lucra accõmodata. Experti enim homines mutuis auxilijs vtilius ac cõmodius illa fieri, ceperant alij cum alijs cõuenire ad idem genus negotij efficiendum, vel omnibus pecunias simul & operas in vnum conferentibus, vel alio pecunias, alio vero operam suam atque industriam.

Vnde societas definitur a Cicerone: *Duorum pluriumue conuentio contracta ob commodiorem vsum, & vberiorem quæstum.* Cui definitioni fauent, quæ de hoc contractu habẽtur in l.Si non fuerit.§.Plerumque: ff.Pro socio.& l.Neque pretermittendum.l. Qui admittitur.l.Societatem.eod. tit.

Reprehenditur quidẽ definitio hęc a nonnullis. Primo, quia contractus vsurarius cõuentio quoque est ob commodiorem quæstum, non tamen est societas, sed iniquitas. 2. Quia in societate tam damno quam lucro opportet socios esse expositos, definitio autem ista solum respiscit lucrum.

Sed hæc leuiora sunt, quam vt propter ea à definitione illa Ciceronis ab omnibus recepta recedamus. Ad primum enim dico, vsuram esse quidem conuentionem, sed in vsum tantum & quæstum vsurarij, in damnum vero mutuo accipientis pecuniam ab illo: Societas vero de qua hic agimus initur in commodũ omnium, qui in eã cõueniunt. Sic enim definitio proposita accipiẽda est: quod satis significatur, cum dicitur conuẽtio duorũ vel pluriũ cõtracta ad quęstũ. i. contracta ad commune lucrũ. Ad secũdũ respõdeo, vtrũq; celebrantẽ hunc cõtractũ damno expositũ esse debere, cæterũ quia in omni actu humano potissime respiscitur finis, neq; socij hunc contractum ineunt, vt ex eo damnum recipiant, sed lucrũ, propterea merito definiri conuentionem contractam ob commodiorem vsum.

His omissis singulas iam propositæ definitionis partes expendamus: Dicitur imprimis conuentio cõtracta, tum, quia vox ista velut genus quoddã est omnibus contractibus, cõmune, tũ etiã quia exercetur, perficiturq; hic cõtractus, vel solo mutuo cõtrahẽtiũ cõsensu exterius expresso, & explicato. ff.pro socio.l.Qui admittitur. ita vt neque traditione aliqua, neq; scriptura indigeat, vt cẽseatur cõpletus & perfectus, nisi cõtrahẽtes aliter interse priuatim cõuenirẽt. Potestque celebrari non solũ inter presentes, verumetiam inter absentes, sicut venditio & similes contractus, vt cõstat ex §. vnico. institut.de obligationib.ex consen.& ex l. 4.ff.Pro socio. Consistitque propria vis, & ratio huius contractus in conuentione illa, qua socij constituant interse aliquid singuli contribuere ad commune lucrum, vel vsum: contributio vero corũ quæ singuli cõferunt, siue sint pecunię, siue animalia, siue in-

ue industriæ, & operę, ac eorũ administratio & negotiatio, & lucri tandem diuisio, ac distributio, velut effectus quidam seu actiones cõsequẽtes societatẽ sunt, quibus huiusmodi cõtractus executioni mãdatur.

Dicitur etiam conuentio contracta, quæ vox idem est quod contractus, vt eos solum societatem interse inire posse intelligatur, qui nullo iure contractus exercere prohibẽtur, vt optime Siluest. verb. peculiũ. 2. q. 2.

Dicitur secundo contracta ad commune lucrũ, quia ad rationem verę societatis sat est, vt sit communio in lucro, ex negotio quod suscipitur recipiendo, neque exigitur vt fiat communio in capitali, licet possit quoq; fieri in vtroque, vt in progressu huius disputationis videbimus.

Dicitur etiam ad commune lucrum vel questum contracta, Quia si vnus alteri tradat. V. g. animalia ad custodiam, vel fundũ quem colat, ita vt totum integrumq; lucrũ sit tradẽtis res illas, alter vero solũ recipiat suorum laborum, & operarum stipendium, non exercetur tũc societas, sed locatio, qua hic suas operas, & industriã alteri locat sub illo stipendio: & conductio, qua illorũ animalium, vel fundi dominus operas illas, & industriam ab illo sibi conduxit. Similiter si quis oues aut capras alterius accipiat, vt illarum fructũ, lac nimirum, & caseos per aliquot menses, sibi recipiat, certũ aliquod pretium, & stipendium pro illis fructibus redditurus, non est contractus societatis, sed locationis etiam: Perinde ac cũ agricola hæreditatem alterius recipit, vt fructus illius per aliquod tempus sub certo pretio habeat. Parumq; refert, reddatur ne stipendium illud, vel pretium in pecunia, vt dicatur locatio, vel conductio, aut in aliqua parte fructuũ, vel re illi pretio equiualenti, vt dicatur cõtractus innominatus, Quacunq; enim ratione pretiũ illud, & valor fructuũ illorum reddatur, cum in his pecuniæ vicẽ habeat quidquid pecunia æstimatur, ad locationem, siue cõductionem huiusmodi cõtractus reducẽdi sunt, ac cẽsendi pertinere.

Nunc iam explicemus.

QVOTVPLEX SIT SOCIETAS, & quot modis excerceatur?

VArijs modis contrahi societatem tã ipse rerũ vsus, quã iura ostendunt, vnde variæ proponuntur a DD. illius diuisiones.

Diuiditur imprimis in quandam societatem maxime communẽ & late patentẽ, quę dicitur omnium bonorũ, quacũq; ratione, & via, siue titulo ad aliquem sociorum illa peruenian̄t. Aliã quæ dicitur generalis omnis quæstus, & lucri, & eorũ omniũ quę aliquo titulo oneroso alicui ex socijs contingũt. Et tertiã quæ dicitur certę rei, quæ contrahitur ad aliqua peculiaria, veluti ad aliquam peculiarem negotiationem.

Rursum quæ contrahitur ad aliquod peculiare negotiũ, varijs quoque modis exerceri solet, sed potissime his tribus. Primo, vnoquoq; sociorum pecuniã aliquam, seu mercẽ tanquam sortẽ, & capitale conferente cum alijs, tũ etiam industriam, & operas, quæ ad illud genus negotij exiguntur per se ipsum, vel suos famulos, & ministros, ac expensas quæ in illo fiunt cõtribuente, siue per æquales partes singuli eorũ tam in sorte, quã in operibus, & expensis cõtribuãt, siue per inæquales, sicut accidit, cum plures mercatores diuites, vel plures artifices in idem negotiũ conueniũt. Secundo, quando vnus sociorum pecuniam, & sortem tantũ apponit, alter vero solã omnẽq; industriã: Veluti cũ nobilis aut diues, qui nullã habet in gerẽdis negotijs peritiam, vel vsum, suã mercatori exhibet pecuniã, qua negotiũ aliquod vtriq; vtile exerceat, mercator vero ille cũ pecunijs careat, nullas apponit sed suã tantũ, qua plurimum valet, exhibet industriã. Tertio, quãdo alter sociorum solas apponit pecunias, alter vero pecunias simul & industriam: pecunias inquã vel totidẽ, vel plures, aut pautiores, Vt cũ nobilis mercatori diuiditi suas confert pecunias, ex quibus vna cum suis mercator ille negotium aliquod vtrique vtile efficiat.

Diuiditur tertio societas a Iurisperitis ratione tẽporis, ita vt quædã sit ad certũ tempus constituta, vt annũ, vel bienniũ: de qua in l. 1. ff. pro socio. Alia vero sit ad incertũ & indeterminatũ tẽpus, quæ dicitur ad vitam, appellatur quæ sic contracta perpetua vt in lege modo citata est videre, cuius verba sunt. *Societas coiri potest, vel in perpetuum, idest dũ viuunt, vel ad tempus, vel ex tempore, vel sub conditione.* In l. autẽ. Nullam. ff. pro Socio. traditur nullam societatẽ posse iniri in perpetuũ, idest ita vt nõ solũ viuentibus socis, verumetiã illis deffunctis debeat permanere, & cõstare: Idem habetur l. Nemo. la 1. & l. Adeo. & l. verũ. §. in hæredẽ. eod. tit. iuxta quas non solũ societas non trãsit ad hæredes, verũetiã pactum, vt ad eos transeat, est nullum. Rationẽ duplicem reddũt Iurisconsulti, Prior est, quia ex tali societate induceretur quædã species seruitutis, ne quilibet sociorum posset libere vti sua persona, & suis bonis, neq; de illis libere in testamen-

ſtamento diſponere: quod aperte repugnat & rectę rationi, & his quę habentur in l. Titio centũ. §. Titio cẽtum. el 2. ff. de cõdi. & demonſtratio. Cui conſonat lex Caſtellæ. Part. 5. tit. 10. l. 1. vbi habetur. *Ius societatis non transire in hæredes, neq; obligare illos, etiam ſi contrahatur pro hæredibus.* Altera eſt, quia vt habetur in illa l. adeo. & inſtit. de ſocietate. §. ſoluitur. in ſocietate induſtria perſonę eligitur, ignoratur autem qualis ſit futura perſona hæredis.

Excipiuntur ab hac doctrina ſocietates de reditibus Regijs, vel Reipub. quia huiuſmodi ſocietates cẽſentur etiã trãſire ad hęredes, ſi pro illis quoq; cõſtituãtur celebrẽturque contractus. Aliæ vero quę cum priuatis inſtituuntur, non tranſeunt (vt dictũ eſt) ad hęredes, niſi ſocius in ſuo teſtamento obliget hæredẽ ſuũ ad permanendũ in ea, donec illa finiatur: Vel hæres ſoccij defuncti cũ alijs ſocijs conueniat, vt continuetur ſocietas, cenſetur quæ tunc quaſi de nouo cum illo inita, & valida, vt habetur l. Plane ſi ij. ff. pro ſocio. Imo iuxta cõmunẽ Iuriſperitorum ſententiam ſufficit ad id tacitus conſenſus, qualis cenſeretur, ſi ſocietas continuaretur cum eodẽ capitali in eodem genere negociationis, neq; hærede defuncti, neq; alijs ſocijs contradicentibus. Aliter hæres ad illam non tenetur: ſed poſſunt hæredes ſociorũ cum primum hereditatem agrediuntur, bona eorum quibus ſuccedunt ab hæredibus aliorum, vel ab ipſis ſocijs, ſi ſuperſtites fuerint, exigere; Quod omnia fere iura, tam communia quam priuata ſingularum Prouintiarũ, & recta ratio poſtulant appertiſsime.

Diuiditur demum in ſocietatem purã, & impuram ſeu miſtam; Purã vocãt, cui nullus alius contractui inter ſocios ipſos permiſcetur, impurã vero cui aliquis alius, vt aſſecurationis, aut vẽditionis, vel ſimilis permiſcetur: Etenim (vt in ſequentibus docebimus) huic contractui ſocietatis, aliquẽ aliũ permiſceri non repugnat: Huiuſmodi ergo ſocietatem appellant impurã, non qua ſi iniuſtam & iniquam, ſed eo quod aliquis alius contractus illi permiſceatur.

De his duabus poſterioribus ſocietatis diuiſionibus nihil præter ea quæ hic poſita ſunt dicere inſtituto, cum earum æquitas, vel iniquitas, ex his quæ circa alias ſocietates in prima, & ſecunda diuiſione propoſitas dicemus, ſumenda ſit. Iam igitur ad illas explicandas, & quid in ſingulis obſeruandum ſit, vt recte ac iuſte excerceantur, ſermonem conuertamus.

ARTICVLVS. II.

QVA RATIONE EXERCEATUR ſocietas, quæ dicitur omnium bonorum. Et quæ dicitur generalis quæſtus & lucri.

IVXTA primam diuiſionem, earũ quas pręced. ar. propoſuimus, triplex eſt ſocietas: Quædã latiſsime patens, quę dicitur omniũ bonorum, Alia generalis quidẽ omnis quęſtus & lucri, ad alia tamen minime ſe extendẽs. Tertia peculiaris alicuius certæ rei, vel negotij. Ex Theologis, in his explicandis quidam de hac tantum tertia diſerunt, quæ ad duas priores ſpectant Iuriſperitis relinquẽtes omnino: alij maxime quidam recentiores, ita in duabus prioribus explicãdis abũdant, vt iuriſperitos potius agere, vel ſeipſos tales oſtentare cenſendi ſint quã Theologos: nos ne quid intactum prætermittamus, de duabus etiam prioribus pro inſtituti noſtri ratione nõnulla hoc ar. afferemus: quæ ſcilicet oportet Theologo etiam perſpecta eſſe: de tertia in ſequentibus ſicut Theologum decet abunde diſputaturi.

Circa primũ igitur ſocietatis genus, quæ dicitur omnium bonorum, tria hic explicãda occurrunt. Primo, quæ bona per huiuſmodi ſocietatem fiant omnibus ſocijs communia. Secundo, quæ dãna. Tertio, qua ratione illa contrahatur. Quas vero conditiones ſeu leges obſeruare in ea oporteat, vt iuſte exerceatur, non eſt hic peculiariter explicãdam, cum in omni ſocietate vt iuſte fiat, ſeruãdæ ſint tres illę quas inferius proponemus. art. 3. agentes de tertia illa ſocietate, quæ peculiaris eſt alicuius certę rei, vel negotij.

In hac igitur ſocietate omniũ bonorum, quod ad primum caput eſpectat, efficiũtur cõmunia omnibus ſocijs in illã coeuntibus omnia bona, quacunque via, & ratione honeſta, & iuſta illis contingant, tam præſentia, quã futura, ſiue proprio labore illa acquiſita fuerint, ſiue per mercaturã & negotiationem, ſiue legato, aut hæreditario iure vel donatione, quin & illa quę ex aliquo damno, vel iniuria accepta tam in propria perſona, quã in perſona ſuorum fuerint ipſis in illius dãni ſatisfactionẽ, & cõpenſam ſiue priuatim, ſiue interueniẽte iudicis ſententia, & cõdẽnatione, collata, Demum & quæ caſtrenſia, vel quaſi caſtrẽſia dicũtur. quę omnia cum iuſtis legibus ſancita ſint, in foro etiam animæ debent pariter obſeruari. Nam ſtipendia quæ conferuntur mili

tibus, quæ bona castrensia sunt, similiter huiusmodi societatem cũ alijs inierint, esse inter omnes socios illos diuidenda, sancitum est.l. Qui stipendia. C. de procuratoribus. Stipendia quæ dicuntur salaria, quæ castrensia quoq; censentur, vel quasi, similiter esse distribuenda inter socios habetur l. cum duobus.§.idem. Papinianus. ff. pro socio. vbi definitur etiam, quę de acquisitis ex iniuria vel damno accepto diximus. §. Socium. Dixi quacũq; ratione, & via iusta bona alicui ex socijs contingant, nam quæ iniuste, & iniquè aliquis ex socijs compararet, sicut vere non pertinent ad eum, qui iniuste illa acquisiuit, neq; est effectus verus illorum dominus, ita neque ad illam societatem pertinent, neque ad alios socios, vt definitur & optime in illa l. cum duobus. modo citata.

Obseruandum autem hoc loco est, docere Iurisconsultos societatem hanc, quam omnium bonorũ dicimus transferre dominium in bonis acquisitis, & adquirẽdis: De acquisitis.n. videtur aperte illud docere.l. 1.vers. si sicũ.&l.2.ff. pro socio.& ibi glossa.Barth. De acquirendis vero habet illud peculiaris lex Castellæ. Partit. 5. tit.28.l. 47.etsi ex iure cõmuni aliter videatur dispositũ. Theologos vero (vt inferius videbimus ar.3.agẽtes de tertia societatis specie) oppositũ docere, affirmãtes per societatem non transferri dominiũ, quia aliter nõ esset societas, sed mutuũ vsurariũ. Quæ tamẽ recte conciliare possumus: Societas nãq; (vt iam ex dictis constat) aut est omniũ bonorum, aut alicuius tantũ negotij sucepti: Rursum quę fit omniũ bonorum, aut initur omniũ bonorum tã presentiũ quã futurorum, vt cõmuniter accidit, in ea quæ proprie & simpliciter ac absolute est omniũ bonorũ, aut futurorum tantum post cõtractã societatẽ, qua ratione solet cõtrahi inter virũ & vxorẽ in regnis Castellę, & Lusitanię, & in ea parte nostri Regni Valẽtini quæ dicitur Orcellensis, vbi, bona propria quæ habent vir, & vxor quo tẽpore cõtrahũt matrimoniũ, vnius cuiusq; eorũ manent propria, & recipiuntur similiter ab hęreditatibus eorũ seorsum soluto matrimonio: Quæ vero ab illis post contractũ matrimoniũ acquiruntur, ea cẽsentur vtriq; cõmunia, & diuidenda, in ea igitur societate, quę ad negocium aliquod cõtrahitur, quã velut tertiũ genus societatis constituimus, non transfertur dominiũ in sortẽ & capitale, quod ab aliquo socio aponitur, licet trãsferatur in lucrũ: aliter enim nõ esset societas, sed mutuũ profecto vsurariũ, & de ea loquũtur DD. Theologi, & D.Tho. in hac 22.q.78.ar.2.ad 5. Similiter ex cõmuni vsu, & consuetudine cõtrahentiũ in bona propria tã viri, quam dotis vxoris, quæ tempore cõtrahendi matrimoniũ vnicuiq; eorũ propria sunt, nõ trãsfertur dominiũ, qua de causa soluto matrimonio vnicuiq; restituuntur integra, quæ fuerant antea cuiq; propria: in acquirenda vero transfertur dominiũ, cũ sint inter eos vt veros illorũ dominos necessario diuidenda. In societate vero primi generis, quæ est omnium in vniuersum bonorũ, de qua presenti ar. agimus, trãsfertur dominiũ omniũ bonorũ inter ipsos socios, tam præsentium, quæ tempore contractus vnusquisq; eorũ habet, quam futurorum, & aduenientiũ singulis post contractam societatẽ. Et de his loquũtur Iurisperiti, cum docẽt per societatẽ omnium bonorum transferri dominiũ tam præsentiũ quã futurorum: Sed quæres:

AN IVSTE CONTRAHATVR *societas omnium bonorum, inter eos quorum bona tẽpore cõtractus sunt reuera inæqualia?*

POSSET quidẽ alicui videri huiusmodi societatẽ non esse omni ex parte iustã; propter inæqualitatem quæ existit inter bona, quæ actu habent contrahẽtes huiusmodi societatem, tempore contractus.

Sed nihilominus non obstãte tali inęqualitate bonorum, cũ cætera quæ inferius dicemus in hac societate seruentur, iuste potest cõtrahi, & iniri. Primo, quia industria eius qui pauciora habet bona, cõpẽsari potest maiori abundantia bonorũ quam alius habet. Secundo, quia euenire potest in futurũ, vt socio pauciora habenti tẽpore cõtractus plura deinde sua industria vel casu aliquo contingant quam alijs. Tertio, quia aliquo alio titulo potest compensari quod habet alius amplius in bonis, nimirum, ex nobilitate, pulcritudine, vel simili qualitate, quæ frequenter minus habentem iungunt matrimonio cum ditiori. Quarto, quia etsi bona in principio contractus sint inęqualia obligrtio tamẽ quam omnes suscipiunt cõferendi in illam societatem omnia bona in futurum sibi accessura, est ęqualis. Demũ quia liberũ est socio plus habenti titulo liberę donationis aliũ minus habentẽ in eam societatẽ admittere. Quæ omnia habẽtur l. 3.§.cũ specialiter.l. si fratres.§. idem Pōponius. & l. societatem vniuersorũ. ff. Pro socio. & Institut. de societate in principio.

Quod

Quod ad secūdum caput pertinet, quæ scilicet dāna debeāt omnibus socijs huiusmodi societatem omniū bonorū suscipiētibus esse cōmunia? Cōueniunt omnes in hac parte, tā Theologi quam Iurisperiti, quod certe recta ratio, & æquitas suo iure postulat, vt sicut omnia bona quæ post contractā societatē, vndecūq;, & quocūq; titulo, & via iusta, & honesta aduenerint, efficiuntur in hoc genere societatis omnibus communia, ita quoq; omnes expēsæ, & dāna, quę post illā contractam alicui ex socijs sine vera & propria illius culpa cōtigerint, omnibus similiter sint quoq; cōmunia; cū in his par & æqua debeat esse ratio expensarū, & damni quā vtilitatis & cōmodi. Est nāq; huiusmodi societas contractus reciprocus, vt dicunt & vicissitudinarius in similem, & parē fauorem ac vtilitatem omniū illū contrahentiū, quod certe non haberet, si cōmoda singulis aduenientia deberent omnibus esse communia, damna vero quæ singulis sine culpa eorū contingerent, non essent omnibus similiter communia: Ita habetur l. si societatem vniuersarū fortunarum. & in l. si quis societatem contraxerit. ff. pro socio.

Dixi autem, sine vera & propria illius culpa: quia si quis ex socijs damnetur iuste pro aliqua vera culpa, & maleficio, vt dicūt, quod vere cōmisit, damnū illud quod ea ratione patietur, non debet effici alijs commune, sed ille tantum ac merito debet illud subire, cuius culpa accidit, nisi maleficiū illud, & culpā pro communi omniū sociorum vtilitate, & ipsis illud scientibus ac consentientibus, commisisset: tūc enim sicut maleficiū illud, & culpa omnibus cōmunis cēsenda est, ita quoq; dānum quod per sententiam iudicis, vel alia quacunq; ratione illam sequitur, debet etiā esse cōmune: iuxta illud B. Paul. Rom. 1. *Digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Vnde ortum est proloquium illud seu regula iuris; *Facientes, & consentientes pari pœna puniuntur.*

Diximus etiam teneri socium ad subeundum damnum, & pœnam, quæ illi iuste imponitur pro aliqua vera culpa, quia si iniuste, & sine vera culpa damnatur, tunc dānū illud opporteret omnibus socijs esse cōmune, perinde ac si casu aliquo & fortuito accidisset.

Similiter, si quis sociorum teneretur comparere in iudicio, suaq; negligentia, & culppa non comparuit, propter quod sequutū est, vt damnaretur, tale damnum non nebet esse cōmune cæteris, sed illius tātum, cuius culpa, & negligētia accidit. Quæ omnia habētur aperte. l. si fratres. (quæ alias incipit. Papinianus) §. vltimo. ff. pro socio.

Sunt etiam hæc plurimum obseruanda circa societatem, quam diximus in aliquibus regnis cōtrahi per matrimonium inter virum, & vxorem. Quia damna, quæ post contractum matrimonium propria ac peculiari, & vera culpa alterius coniugis aduenerint, vt ex delicto propter quod damnatur, aut ad quod resarciendum aliquid insumitur, non sunt vtrique communia, sed ille solus debet ea subire, cuius culpa illa acciderint. Idem iudicandum est de his, quæ alter eorum turpiter, & male consumpserit, vt de his, quæ vir cum meretricibus, vel vxor cū adultero insumpserit, vel quæ aliquis eorum contra voluntatem alterius cōiugis cōsumpserit in donationibus, alijs ve rebus quæ a debita, & permissa vnicuique illorum bonorum communium administratione sunt aliena. Hęc omnia & similia dāna tenetur coniux, cuius culpa illa acciderint, in suam partem assumere, neq; vlla ratione alteri coniugi tribuere.

Quod ad tertium caput pertinet, Qua scilicet ratione huiusmodi societas omniū bonorum contrahatur? Cōueniunt omnes, cōtrahi quidē illam, expresse, per pactū scilicet, & conuentionem verbo vel scripto expressam inter aliquos constituatur.

Sed an possit tacite contrahi per actus in huiusmodi societate fieri solitos, non omnes conueniunt, vt docet Silu. verb. peculium, secundo q. 5. Sunt enim qui affirmant omnium bonorū in vniuersum societatem nunquam cōtrahi nisi expresse inter socios illud conueniat. Ita enim videtur sentire glossa in l. coiri. ff. pro socio. in verbo; *distinctum*, quā vocem ita explicat, vt sit idē quod *expresse dictum*, Cui etiam videtur fauere l. 3. eodē tit. §. cum specialiter. Alijs oppositum placet, non solum verbis & pacto expresso illam contrahi, verumetiam actibus in tali societate fieri solitis.

Siluester eo loco, posito prius iuxta Bart. in l. titium. ff. de adminic. & peric. tutorum. in §. altero. inter fratres maiores negociantes, & lucra communicantes contrahi tacitacitam societatem, propositas sententias sic conciliat. Vt præcipue ac potissime contrahatur societas omnium bonorum verbis, expressoq; pacto, & conuentione, secundario vero effectibus: In quam sententiam ducitur potissime Siluest. authoritate

Bartho. loco citato, comendans regulam quam circa hæc ibi Bart. affert.

Est autem huiumodi: *Cũ actus nostri voluntarij non extendantur vltra ea, quæ geruntur; si ex actibus gestis appareat expræsse contracta esse societatem omnium bonorum, id sufficiet, vt omnium bonorum esse societas illa censeatur; alias, nisi verbis exprimatur, non intelligitur cõtracta societas omnium bonorum, nisi eorum tantum quæ acta gesta repræsentant*: Hanc regulam vt optimam, & recte rationi maxime consonam pleriq; amplectuntur.

Dicamus igitur contrahi societatem omnium bonorũ non solum verbis, & expræsse, verum etiam tacite, actibus scilicet, quibus solent communiter socij omnium bonorum talem societatem interse exercere: Si quidem priori modo, expresse nimirum contrahatur, talis ac tanta erit societas, quã tã interse obseruare velle pacto illo & conuentione inter ipsos expresso constituerũt. Quod si tacite, talis similiter ac tam vniuersalis iudicanda erit, qualis & quanta ex actibus ipsis prudentum ac peritorum iudicio colligetur. Vnde, si qui omnia sua bona interse in vniuersum communia habere consueuerunt, ita vt quidquid vnicuique eorum adueniat, siue id lucro, siue sua industria, siue legato, siue hæreditate, vel donatione, aut alio quocunque titulo tã oneroso quam lucratiuo illi aduenerit, id omne in communem cumulum adducat, alijsque communicet, & similiter ex communi illo cumulo, in quem omnia ab omnibus quacunque via acquisita cõferuntur, fiant omnes sumptus singulis necessarij, omniumq; debita, & damna soluantur: tunc per huiusmodi actus ita communes perspicuum est cuiusuis prudentis iudicio, inter huiusmodi socios contractam esse reuera, quamuis nihil verbis expresserint, omnium in vniuersum bonorum societatem: Quod si ea tantum interse communicent, & in vnum cumulum conferant, quæ ex aliquo peculiari negocio adueniunt, neq; in alijs sumptibus expensis, & damnis communicent, quam in his, quæ occasione illius negocij sese offerunt, tunc societas eorum circa illud tantum negocium censenda est fuisse contracta; cum actus, quos isti socij gerunt, illud tantum negocium respiciant.

Debet ergo seruari in his illa Regula: Vt quotiescunque inter socios nullum interuenit pactum expressum, tanta inter eos præcisse censeatur contracta esse societas; quanta ex actibus ipsis prudenter colligitur, & non maior. Conueniunt in hac parte cum Theologis plerique Iurisperiti, vt Silueſt. loco cit. Angel. eod. verb. Peculium. num. 27. Barto. & Bald. l. si patruus. C. communia vtriusq; iudic. idem Barth. in illa iam cita tã. l. Titium. §. Altero. ff. de administra. tutor. Bald. in aditionibus ad tractatum Bart. de duobus fratribus.

Afferunt hic nonnulli recentiores multa & varia ad societatem omnium bonorũ, quam interse fratres, & coniuges habent, spectantia, Iuristas potius quam Theologos, vt paulo ante dicebam agentes, nobis pro instituti nostri ratione hæc pauca sufficient.

Imprimis quod pertinet ad societatem omnium bonorum inter fratres: Quando fratres (vt sæpe accidit) bona parentum deffunctorum, ac lucra, & prouentus omnes hęreditatem illam concernentes indiuisos, & admodũ societatis habẽt, ex illis communem victum communesque sumptus facientes, quia sic illis tunc expedit, vel alia de causa, seruanda est regula illa proposita: Vt tantum censeatur extendi societas illa, quantum inter ipsos fuerit expræsse cõuentum, & deductum, vel quantum ex mutua bonorum & lucrorum ac damnorum & expensarum inter se communicatione prudenter colligitur. Communiter tamen ea tantum bona solent fratres (vbi nihil exprimunt) habere interse cõmunia, quæ ad ipsorum hęreditatem, vel negocia & lucra hæreditatem illam concomitantia pertinẽt. Quod vbi ita habet, siquid alicui eorum aliunde aduenerit, quod ad hæreditatẽ illam omnibus communem non spectet, sed donatione, vel iure hæreditario, vel sua industria, aut alio quocunque titulo ad illum peculiariter pertineat, id omne illius tantũ erit, vt habetur in l. si fratres. in princip. ff. pro socio. Sumptus vero ordinarios, ac competentes faciet vnusquisque eorum de communibus bonis illius hæreditatis, & societatis. Quod si in in bonis illius hæreditatis inęquales habeant portiones, quandiu cõueniunt vt illa bona indiuisa permaneat & ab omnibus pariter administrentur, de illis vt communibus viuent. Diuidentur vero, quando finietur illa societas, iuxta portiones & partes quas vnusquisque eorũ in illa hæreditate habebat, nisi aliter fuerit inter eos conuentum.

Dixi vt ab omnibus administrẽtur, quia si aliquis fratrum tutor & curator constitua-

tuatur aliorum, qui administret omnia illorum bona, quæ oporteret manere indiuisa, tunc non esset proprie inter illos fratres societas, sed hæreditas tantum indiuisa.

Iam quod ad societatem omnium bonorum inter virum & vxorem pertinet, si quidem illa fiat omnium in vniuersum bonorum, & præsentium, & futurorum, omnia erunt inter eos vel eorum hæredes ex æquo diuidenda, quod si fiat, vt communiter fit, futurorum tantum, & eorum quæ post contractum matrimonium aduenerint, hæc solum erunt diuidenda; manebũt vero cuiq; integra & illæsa, quæ tempore contrahendi matrimonium erant vniquique illorũ propria: vbi vero nihil fuerit inter eos expresse conueuntm, standum erit consuetudini patriæ, De qua & similibus cõsulendi sunt Iurisperiti.

DE SOCIETATE SECVNdæ speciei. *Quæ dicitur omnis quæstus, & lucri.* (2)

ALTERA societas est, quæ dicitur generalis omnis quæstus & lucri simpliciter & absolute, De qua in l. Si adijciatur. ff. pro socio.

In hac efficiuntur communia omnia lucra, quæ solertia & industria singulorum in illam societatem conuenientium acquiruntur, in quocunque genere mercaturę & negotij lucra illa habeatur, & similiter redduntur communes omnes expensæ, & damna, quę ex societate illa tanquam ex proxima causa oriuntur. Quæ vero aliunde proueniunt tam bona, quam damna, non sunt communia, vt bona quæ contingunt alicui ex socijs ex officijs vel meritis personæ, veluti quę donatione, hereditate, legato, vel aliquo alio titulo a societate illa diuerso alicui contingunt, non efficiuntur alijs cõmunia: parique ratione nec damna, vel debita, quę contraxerit aliquis eorum aliqua via a societate illa diuersa & aliena.

Conueniunt autem huic societati hæc. Primo vt contrahatur sicut & proxime pręcedens duobus modis, vel expræsso sociorum pacto & cõuentione, vel tacite ex actibus gestis. Etenim si absolute contrahant aliqui societatem, ita vt neq; exprimant illam esse omnium bonorum, neque etiam designent res aliquas certas & determinata negotia, in quibus sint socij, cẽsenda est societas illa generalis, nõ quidem omnium in vniuersum bonorum, sed omnium quæ adquisierint sua solertia & industria, in omnibus negotijs quæ exercuerint, ac vt dicũt omniũ quę acquisierint titulo aliquo oneroso: Quę aliter alicui ex socijs contigerint vt quę ante initam illam societatem, vel illa contracta alia via, & titulo longe diuerso, ad societatẽ huiusmodi minime pertinẽt etiã si societas illa occasionem illud ad id prębuerit: Vt si occasione alicuius negocij ad illam societatem pertinentis quis ad aliquem ex socijs bene afficiatur, ac illum heredem constituat, vel legatum aliquod ei conferat, non sunt censenda hæc ad societatem illam pertinere.

Conuenit illi secundo quod ex præcedẽti sequitur, vt actus & negotia, circa quę illa versatur non sint certa, ac definita, sed in vniuersum omnia quæcunque a singulis in societatem illam coeuntibus exercebuntur e quibus lucrum aliquod quæstumque reportent: Quia si non respiciat societas indistincte, & in vniuersum omnia negocia ab omnibus socijs suscipienda & gerenda durante illa societate, sed aliqua tantum peculiaria, & certa, non pertinebit talis societas ad hanc secundam speciem, quæ dicitur generalis omnis quæstus & lucri, sed ad tertiam, quæ dicitur certæ rei & peculiaris negociationis, de qua statim dicemus. Conuenit illi tertio, vt contrahatur etiam iuste, quamuis non sint paria & ęqualia, quæ singuli sociorum acquirunt, & lucrantur, vt obseruant Iurisperiti in l. si socius pro filia. ff. pro socio. Est autem non obstante tali inęqualitate iusta & honesta huiusmodi societas, propter easdem rationes, quibus diximus in hoc artic. societatem omnium in vniuersum bonorum iustam esse, quamuis ex socijs alij plura, alij pauciora habeant bona.

Denique possunt quoque in contrahenda huiusmodi societate aliqua pacta aponi, quibus illa amplietur, aut restringatur: veluti si aponeretur hoc pactum, vt si quid per testamentum vel legatum alicui ex socijs durante societate adueniret, efficeretur illud commune, esset illud obseruandũ. Et omne similiter pactum, quod communi sociorum consensu adderetur, modo illud bonis moribus & dispositioni iuris non repugnet, neque reddat deteriorem partem alterius socij arbitrio boni viri, obseruandũ est. Vbi illud admonet & recte Tabien. vsura tertio. num. 2. Vt si fiat pactum de lucro,

nihil exprimendo de damno, intelligatur, nihilominus similiter de damno Instit. pro sotio. §. illud. Sed de his copiosius inferius.

ARTICVL. III.

AN SOCIETAS CERTAE rei, & quæ circa peculiaria negotia versatur, sit contractus iustus?

TERTIA societas est quę dicitur certe rei, quę cõmuniter ac potissime contrahitur, quando conueniũt aliqui in aliquod certum genus negotij ad communem quæstum, & lucrum, ita vt vel omnes æqualiter pecuniam aliquam apponant, & operas simul ac expensas: Vel aliqui pecuniã, solam, alij vero suas operas & industriam: Vel demũ aliqui maiorem quidem pecuniam quam alij sed pauciores operas, & industriam. De hac tertia societatis specie potissime a Theologis disputatur.

Vbi priusquam ad varias ac difficiles controuersias, quæ circa illam sese offerunt accedamus, operepretium erit explicare cõditiones quas in ea communiter Doctores exigunt, vt rite, ac recte fiat, & quam iustus sit illis obseruatis huiusmodi contractus.

Siluest. societas primo, q. 1. Cayetan. in sua summa. & in comento. 22. q. 78. art. 2. ad 5. Nauarr, in suo Manua. c. 17. nu. 251. Tabien. vsura tertio. nu. 2. & omnes communiter DD. tam Theologi quam Iurisperiti docent tres potissime in hoc contractu seruandas esse conditiones.

Prima, vt sit de re ac negocio licito, & honesto, nam quæ de re turpi vel iniqua contrahitur, conuentio potius satanica dicenda est, quam humana, vel ciuilis societas, Huiusmodi est quam Spiritus sanct. Prouerb. 1. refert iniquos interse inire dicentes. *Sortem mitte nobiscum, marsupium sit vnum omniũ nostrum.* Et de qua Isaiæ. 1. repræhenduntur Magistratus Israelitici. *Principes tui infideles socij furum.* Ad hanc propterea conditionem pertinent hæc duo; primo, vt societas huius tertiæ speciei, & de qua hic agimus, exerceatur circa aliquam artem vel negotium, quod natum sit ferre lucrum: aliter ñ ex pecunia alicui tradita nulli autem arti vel negotio exposita lucrum vellet sibi prouenire, qui eam tradidit, esset profecto vsura, tum quia nulli arti vel negotio exposita nullnm subiret periculum, cũ sit de intrinseca ratione huius contractus tam periculo damni, quam fœlici sorti lucrandi pecuniã exponere, tum etiam quia pecunia sic tradita perinde se habet ac mutuata recipienda deinde cum aliquo lucro. Vnde damnandi sunt de vsura, qui pecunias suas amicis omnis negotij imperitis ea lege tradũt, vt post aliquod tempus easdem restituant cum eo lucro, quod probabiliter tulissent negotiationi expositæ. Pertinet secundo, vt ars & negociatio circa quam contrahitur, honesta sit, & licita, adeo vt si de re aliqua turpi iniatur ipso iure censeatur nulla. l. Nec permittendum. ff. pro socio. cui consonant cap. Per vestras. de donatione inter virum & vxorem. Et lex 2. tit. 10. part. 5. Quare inita quacunque societate, etiam si omnium in vniuersum bonorum illa sit, si quis sociorum iniquo titulo aliquid acquirat, nõ redditur illud commune, neque ad illam societatem potest pertinere. Sed hac lege, vt si is qui illud inique acquisiuit sua sponte in societatem illud conferat, nequeat illud repetere, sed debeat aliunde illud satisfacere, quia non contulit vt inique acquisitum, sed tanquam sibi proprium. Si vero damnetur a iudice, vt illud restituat, tenentur socij contribuere quod scilicet singuli ex eo acceperunt: Quod intelligitur, quãdo acceperunt ex eo ignorantes illud fuisse inique acquisitum, quod si eo tempore quo accepe runt fuerunt cõscij fuisse illud male, & inique partum, tenẽtur ad restituẽdum in integrum non solum quod inde acceperunt, verumetiam & pœnam iniustam, vt tradũt Iurisperiti in l. Quod autem. ff. pro socio. in quo Theologi quoque cum illis conueniunt.

Secunda conditio est, vt si pecunia in societate posita perierit, iactura illius eius sit, qui illãm cõtulit, rationem reddit D. Tho. quæst. 78. ar. 2. ad 5. quam omnes vt optimam, & maxime accomodatam amplectũtur: Quia in contractu societatis de quo hic agimus, dominium pecuniæ non transfertur in alios socios, sed manet semper pœnes priorem dominum qui illam exhibuit, aliter enim non esset societas sed mutuum: vnaquæq; autem res si pereat, domino suo perit. Hanc secundam conditionem habet glossa ad cap. Plerique. 14. q. 2. vbi citatur lex, quinta. ff. pro socio. An autem possit capi-

capitale & pecunia aposita manere salua & secura domino suo aponenti illam per aliũ cõtractum assecurationis seorsum celebratum videbimus inferius in hoc artic. controuersia 2.

Tertia conditio est, vt in omnibus actibus quę huiusmodi societatem respiciunt, tam circa lucrum, quam circa damnum seruetur æqualitas. Ita vt vnusquisque sociorum pro ratione vel pecuniæ, vel laboris, aut industrię, quam in tali negotio, & societate collocauit, tantundem recipiat lucri vel dãni quod acciderit, ita habet cõmunis Theologorum doctrina & Iurisperitorum consensus recta ratione illud apertissime dictãte, vt dicitur. l. Quid enim. & l. si non fuerit. ff. pro socio. cuius verba sunt: *Contra leges societatis esset commodum & lucrum percipere, damnum vero effugere.*

Afferunt Cayet. in cõmento D. Tho. loco citato, & Nauar. in illo c. 17. n. 151. hoc exemplum, Cõferat vnus in pecunia mille aureos, impendat alter laborem qui pruden ter & iuste in mille quoque aureis æstimetur, adhibeat alter industriam quingentis argenteis æstimandam, vt societas hæc iusta sit, efficiendus est ex his omnibus vnus cumulus & summa, finitaque societate cõferendum vnicuique ex damno vel lucro quod in illa acciderit, quantum pro ratione & rata eius quod in illam societatem contulit, prudens iudicauerit. V. g. si acciderit lucrum esse quingentos aureos, qui aposuit mille recipiat ducentos ex illo lucro, qui laborem ęstimatum similiter vt mille aureos, alios ducentos, qui industriam æstimatam, vt quingentis aureis recipiat centum. Hac enim ratione seruatur ęqua debitaque proportio in diuisione lucri ex societate illa acquisiti, cum eo quod vnusquisque illorum in eam contulerat: Nam sicut contulerant duo priores in pecunia, & labore duplum quam tertius, qui solam adhibuit industriam, ita quoque in diuisione lucri receperunt illi duo priores duplum quam ille tertius. Quo fit, vt ad seruandam hanc tertiam conditionem, a qua potissime pendet huius contractus æquitas vel iniquitas, debeant socij tempore contractus ita interse cõuenire, vt tam lucri quam damni ea pars veicuiq; contingat, quam alius vir honestus peritus, & prudens assignauerit, quod satis insinuat illa l. In proposita. ff. pro socio.

Vbi obseruandum est, quod recte & piè admonet Mercatus De contract. cap. 9. grauiter esse reprehendendos illos, qui contrahentes societatem cum amicis & cognatis pauperibus, alijs ve indigẽtibus hanc ęqualitatem in distributione lucri non seruãt, sed multo minus conferunt, quam iuxta leges iustæ distributionis illis debeatur, eo quod hanc gratiam in eos conferant, vt ad sua negotia suamque societatẽ illos admittãt, & eis, in quos liberaliores esse deberẽt, crudeliores ac iniquiores se exhibent, tyrãnidem sub nomine societatis in illos impie exercentes: Quos nedum in futuro sæculo verumetiam in præsenti vita diuina vltio non dimittet impunitos, a qua non liberabuntur falsa excusatione qua vtuntur, affines illorum, aliosque pauperes quorum labore & industria sub tali conditione in ea societate vtuntur, illa parte & portione esse contentos, & libere ac citra omnem vim illam admisisse, Admittunt enim illã, quia vident aliter non esse a diuitibus, & potentioribus ipsos ad aliquam societatẽ admittendos. Sed qui, & se ipsos & imperitos cõfessarios suos hoc colore decipiũt, non euadent manus altissimi, omnia & occultissime quęque inspiscientis, ita vt in perpetuũ puniantur in futuro, & in hoc seculo amissis male acquisitis misere ac cum oprobrio summam famem tam ipsi, quam eorum filij patiantur. Ad hanc enim & similes iniquitates pertinet. quod Psal. 78. de Christo seruatore nostro Regius Propheta cecinit: *Iudicabit pauperes populi. & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem, Liberabit pauperem a potente, & pauperem cui non erat adiutor. Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum, &c.*

Hanc iniquitatem, siue societatem adeo iniquam vocant iura leoninam, vt videre est l. Si non fuerit. §. fina. ff. pro socio. & l. si vnus. §. etsi pretium. eodem titul. cui voci & apellationi, ne Theologũ illud lateat, occasionem obtulit fabula illa, qua finxit AEsopus, leonem, capram, ouem, & iuuencã fædus iniisse de venãdo ceruo, sed eo capto omnem venationis illius partem leonem sibi vsurpasse, cui cum similes sint, vt ait Erasmus paremia 89. Cẽturia septima Chiliadis primæ, qui in diuidendo lucro ex societate aliqua proueniente inique, ac calide segerunt, suæ cupiditati cum aliorũ damno, & iniuria consulentes, merito propterea talis societas appellata est leonina. Quam his versiculis quidam optime expræssit.

Vt ra-

Vt ratione pars fortunæ munera sumant,
Sumunt fœdus ouis, capra, iuuenca, leo.
Ceruus adest, ceruum rapiunt, leo sic ait: hæres
Primæ partis ero, nam mihi primus honor.
Et mihi defendit partem vis prima secundam,
Et mihi dat maior tertiam iure labor,
Et pars quarta, meū, nisi sit mea, rūpet amorem.

Adduut Tabiens. & nonulli hanc quartam conditionem, vt careat societas omni fraude, ita vt si quæ in illa interueniat, cum primum fuerit detecta, amittat societas illa omne robur, & vires, etiam si oppositū fuerit ductum in pactum: Quia esset pactum iniquum, & contra bonos mores, vt fraus detecta non tolleret vim societatis, & contractus. Ea namque ratione patrocinaretur fraus socio doloso, quod est contra rectam rationem, & dispositionē iuris. Qua de causa Castellæ Part. 5, tit. 10. l. 5. habetur: *Ne tale pactū constitui possit inter socios, & fraus detecta non det actionem alijs socijs ad postulādam illius societatis dissolutionem.*

His ita constitutis videamus iam,

Controuersia I.

AN CONTRACTVS SOCIETATIS *in aliquo peculiari negotio ad quæstum & lucrum sit iustus, & licitus?*

SATIS quidem perspicuum ex dictis esse poterat, societatem in qua seruātur omnes istæ quatuor conditiones hactenus explicatæ, iustam esse ac licitam: cæterum quia maiori aduc illę indigent consideratione, seorsum nunc & priuatim qua ratione hic contractus iustus sit, vel vitiari possit, ostendamus opportet. Quod vt cōmodius, & apertius intelligatur, obseruandi rursum diligēter sum varij illi modi, quibus diximus societatem hanc circa certam rem, & negotiū contrahi posse.

Quos Theologi ita proponunt: Vt societas hæc de qua hic agimus sit duplex. Alia eiusdem rationis, alia verò diuersarum rationum. Eiusdem rationis dicitur, quando omnes socij æqualiter concurrunt in communi eandē pecuniā, industriā, labores, expensas, & ministros cōferentes, qualē solēt interse contrahere insignes quidam & potentes mercatores, veluti Burgēses, Genuēses, Lugdunenses, Veneti, & similes. Diuersarum vero r-tionum dicitur, quando alter confert pecuniam, alter industriam suā, & operas, vel solas, vel cum aliqua etiam parte pecunię: de qua societate agitur l. Societatem. ff. pro socio. Rursum vtraque societas tam quæ dicitur eiusdem rationis, quā quæ diuersarum, bifariam aduc contrahi potest: Vel ita, vt omnes socij similiter, & æqualiter se exponant dāno, & commodo seruantes illam secundam conditionē constitutam inter illas quatuor requisitas: vel ita, vt non æqualiter nec similiter se exponant. Veluti quando is qui confert pecuniā vult illam manere sibi omnino securā ab omni periculo, & damno altero socio manente illi exposito.

Quibus positis sit prima conclusio.

Contractus societatis, in quo seruantur omnes illæ quatuor conditionas explicatæ, siue sit societas eiusdem rationis, siue diuersarum rationum, iustus est, & honestus.

Conueniunt in hac quotquot sunt DD. tam Theologi quam Iurisperiti, Quia seruatis illis quatuor conditionibus, seruatur omnimoda æqualitas inter socioe. Et ita habetur aperte hæc conclusio in vtroq; iure: in Canonico. in illo cano. Plerique; 14. q. 3. & in illo capite. Per vestras. de donatione inter virum & vxorem. in Iure Ciuili. Instituta de societate per totū. & Codice ac ff. pro socio, maxime. l. 5. & 6.

Et probatur. Licet cum pecunia negotiari ad paranda lucra, modo fiat illud sine vlla iniuria, & damno fratris, sed in contractus societatis, siue societas illa sit eiusdem rationis, siue diuersarum, seruatis illis quatuor conditionibus, nulli fit iniuria, neque infertur damnum, ergo est contractus iustus. Maior certa est, probatur minor. Quia si fieret alicui iniuria, fieret certe illa aut alicui ex socijs, aut alicui alteri extra illā societatem: Socijs non fit, cum omnes subeant ęqualiter & similiter (vt cōstituimus) idem periculum damni, vel cosmodi, sitq; inter ipsos lucrum quod prouenerit iuste ac cum debita proportione distribuendum. Neque fit iniuria aliqua vel nocumentum alijs a socijs, cum ars & negotium, circa quod societas illa inita est, sit honestum, & licitum. Vnde nulla in his societatibus seruatis illis quatuot conditionibus existit iniquitas.

Secundo, sicut licet per se ipsum negotiari, ita quoque licet & per interpositam personam, modo seruetur æqualitas, absintq; omnis fraus & dolus, imo diuitibus, quin & mercatoribus ipsis nihil magis cōmune, quam

quam negotiari per alios quos vocant *factores*, licet ergo non solũ mercatoribus, quia propria arte & industria norunt negotiari cum pecunia, & cum illa lucra quærere, verumetiam nobilibus & diuitibus qui negotiandi artem non callent, conferre pecunias suas alijs quibus alicui arti, vel negotio expositis lucrum inde recipiant, quod seruatis illis quatuor conditionibus, cũ summa æqualite, ac fine vlla fraude, vel dolo omnino fit.

Et confirmatur. Propterea mutuans alteri pecuniam, si cum illa mutuatarius negocietur ac lucretur, non potest partem illius lucri exigere, vel recipere, quia vnaquæq; res domino tantum suo fructificat, non alieno, pecuniæ autem per contractum mutui receptæ mutuatarius constituitur dominus, ita vt si pereat illi pereat: at in societate de qua hic agimus, pecunia quæ exponitur ab vno, vel pluribus, non transit in dominium aliorum. qui suas operas, & industriam exhibent, neque ipsis perit, si pereat, sed manet semper pœnes dominium eorum, qui illam contulerunt, & exposuerunr, ita vt si pereat illis pereat: iuste igitur si quod lucrum ex illa pecunia tali negotio exposita prouenerit, debet qui illam contulit aliquam partem illius recipere, pro rata & ratione quantitatis quam contulit.

Huic rationi vt obseruat D. Nauarr. in suo Manua. cap. 17. num. 251. fauet. l. Si tibi areæ meæ. ff. de præscrip. Ex qua sequitur, vt si in contractu societatis seruetur illa secunda conditio, nimirum vt capitale siue pecunia collata ab aliquo, vel aliquibus socijs vere subiaceat periculo damni, quod potest occurrere in progressu negotij, deinde tamen non fiat debita, & iusta lucri distributio, talis cõtractus erit quidem iniustus, ex defectu iustę ac debitę distributionis, non tamen vsurarius. Erit quidem iniustus, quia debet (vt videbimus) in distributione lucri seruari iustitia, & æqualitas, iuxta ea quæ inferius dicemus contr. 3. huius articul. Vsurarius tamẽ nõ erit, quia vbi non transfertur dominium pecuniæ in alterum, ibi non est mutuum, vsura autem (vt vidimus) non habet locum, nisi vbi interuenit vera ratio mutui.

Secunda conclusio.

Quando socius qui apponit pecuniam, nullum subit illius periculum, sed manente illi saluo suo capitali recipit ex illa societate lucrum, iniqua est, & vsuraria talis societas.

Iniqua quidem, quia omni iure cẽsetur iniustum, vt sentiat ac percipiat vtilitatem, & commodum, qui non vult sentire damnum. Vsuraria vero, quia pecunia sic collata, & cum tali securitate, non exponitur negotio, & mercaturæ a conferente illam, sed reuera traditur mutuo accipienti illam, recipere autem lucrum aliquod ex pecunia mutuata aperta vsura est. Antecedens patet, quia hoc interest inter exponentem pecuniam suam alicui negotio, & mercaturę, & mutuantem illam, vt quando exponitur negocio, exponatur simul periculo iacturę, cũ damno eius qui sic illã exposuit, quãdo autem datur mutuo, non exponitur periculo cum iactura & damno mutuãtis, sed mutuatarij ipsius, cum per mutuum transferatur dominium illius in mutuatarium, vnaquæque autem res si pereat domino suo perit.

Secundo, si socius conferens pecuniam non subiacet periculo, & iacturæ illius, sed alij tantum illi periculo subijciuntur, talis pecunia in huiusmodi contractu iam non est eius qui illam securè contulit, sed aliorum quibus peribit, si pereat, quia vnaquæq; res eius est cui perit, si pereat; quod si iam non est eius qui illam contulit, sed aliorum quibus peribit, si pereat, inique & vsurarie exigit, qui illam contulit, partẽ lucri quod ex illa prouenerit, quia quo iure vnaquæque res si pereat domino suo perit, eodem omnino iure si fructum aliquem ferat, domino suo illum fert, non alieno.

Tertio, sicut tradẽs in contractu societatis pecuniam ponit rem pretio ęstimabilẽ, & ex qua alicui negotio tradita potest lucrum procedere, ita impendens labores, & industriam confert quoque rem pretio ęstimabilem (vt videbimus inferius) & ex qua potest lucrũ procedere, imo ex pecunia nequit lucrum haberi, nisi exposita negotio, & cum industria excercentis illud: At qui apponit laborem, & industriam non posset percipere partẽ lucri pro rata, & portione, nisi industriam illam, & operas exponat periculo frustra, & inuacuum laborandi, ergo neque quia aponit pecuniam poterit lucri prouenientis particeps esse, nisi pecuniã illam simili periculo subijciat. Patet minor, quia (vt inferius videbimus) si conferens suas operas, & industriam, nollet eam exponere periculo fustra laborandi, sed lucrum aliquod habere securum, aut iniquè profecto ageret, aut non esset dicendus socius, sed minister conductus a socio sub illo lucro de quo interse conuenirent, tanquam

laboris

laboris, & industriç illius iusto pretio, sicut se habent ministri mercatorum quos appellamus *Factores*.

Ex his sequitur conferentem pecuniam ea lege vt nulli periculo suo illa subiaceat, & nihilominus sit particeps lucri, teneri non solum ad restituendam partem lucri quam in illius distributione acceperit, verum & aliquid aliud, ratione illius iniquæ obligationis, quam alijs socijs imposuit, cum illa pretio ęstimabilis sit.

Contra hanc tamen secundā conclusionem videtur facere illud cap. Per vestras. de donatione intet vir. & vxor. Vbi quæsitus Papa de modo quo posset vir alere vxorem ex pecunia dotali salua dote, respōdet, vt constituat illam apud fidelem mercatorem, viuatque ex lucro inde accepto: quod certe fieri non potest, nisi saluo capitali & pecunia illa illi mercatori tradita in societatem.

Huic dubitationi respondent quidam Iurisperiti Summum Pontif. ex speciali priuilegio illud concedere pecunię dotali in fauorem matrimonij ad leuanda onera illius: Quod tamen non recte dicitur: quia si exigere lucrum ex societate, in qua pecunia & capitale non exponitur periculo, est iniquitas vsuraria, vt nos constituimus in 2. conclus. posita, nulla ratione potuit illud Papa concedere, neque in fauorem matrimonij. Nam cum vsura sit omnino prohibita iure naturali & diuino, nulla ratione potest cadere in illam dispensatio, neque in fauorē operis pij, vt habetur cap. Super eo. De vsuris. & superius vidimus. Vnde dicamus, Summum Pontif. eo loco solum assignare viam aliquam & modum, quo possit vir ex pecunia dotali sustinere onera matrimonij, hunc scilicet, collata pecunia alicui fido mercatori quam negotijs exponat, vt per illā lucrum aliquod paretur, non tamē habet textus vt pecunia illa nulli periculo subiaceat, quia nouerat optime Innoc. tertius cuius est textus ille pro sua eruditione, hanc esse vnam ex cōditionibus & legibus iustæ societatis, quam licet non exprimat censendus tamen est habere illam pro expressa, cum de quouis Legislatore maxime Summ. Pontif. sentiendum sit, animū eius esse præcipere quæ iusta sunt, & honesta. Quin & illam satis mihi videtur exprimere, cum dicat: *Vt de parte honesti lucri* &c. non enimm esset honestum lucrū ex societate receptum, in qua non seruarentur leges iustę, & honestę societatis, quarum vna est & maxime necessaria quam docemus in 2. conclusio posita.

Ex propositis conclusionibus prior certissima est, & extra omnem dubitationem; posterior, licet ex dictis satis constare possit, propter ea tamen, quę humana cupiditas circa hāc partem de securitate capitalis appositi excogitauit, maiori adhuc indiget explicatione, Vnde videamus oportet.

Controuersia II.

POSSIT NE PECVNIA, SEV *capitale in societate positum manere securum conferenti illud per aliquem alium contractum societati ad mixtum?*

APPONENS pecuniam in societate ea cōditione & lege, vt maneat illi semper salua, & secura, duobus modis potest sese habere Vel ita, vt non obstante ista conditione velit idem omnino lucrū sibi contigere, quod ei exhiberetur si absolute & simpliciter pecuniam suam contulisset omni periculo, & damno expositam: Vel ita, vt ratione illius conditionis qua pecuniam suam vult saluā manere, & sibi securam, diminuat de lucro quod esset sibi conferendum in illius distributione. V. g. confert Petrus in societatem mille aureos, apponit Ioannes laborem & industriam prudenter æstimatam quingentis, qua de causa in distributione lucri, quod ex huiusmodi societate proueniet, vt seruetur iusta debita quæ proportio, debet Petrus duplum quam Ioannes recipere, sicut mille aurei quos apposuit Petrus, habēt rationem dupli ad quingentos, quibus ęstimantur Ioānis labor & industria. Accidit quandoque, Petrum apponentem pecuniā postulare, vt in ista societate capitale illud mille aureorum maneat ei securum, debeatque Ioānes quidquid accidat in progressu temporis, & negotij restituere illi in fine societatis totum illud capitale integrū & illesum. Conditionem autem hāc potest Petrus duobus modis cum Ioanne constituere: Vel ita, vt finita societate recipiat duplum lucri quod contingerit, perinde ac si talem conditionem & securitatem sui capitalis non postulasset a Ioanne: vel ita vt conueniat cum eo, se ratione illius conditionis & securitatis non esse accepturū dimidium lucri prouenturi ex illa societate, quod

quod tali conditione seclusa sibi reuera deberetur, sed multo minus, ita vt quod detrahitur ab illo lucro ei debito, retineat sibi Ioannes quasi in pretium periculi cui se exponit, & securitatis sui capitalis quam postulat Petrus.

Non est hic quæstio de eo, qui vellet capitale a se appositum securum sibi manere illo priori modo, esset namque contractus aperte iniquus & vsurarius, sicut constat ex dictis in 2. conclus. proxime præcedentis controuers. & habetur in illa l. 29. ff. pro socio. Etenim sicut iniquum est societatis genus, vbi quis exponitur damno & non lucro (vt ibi dicitur) ita è conuerso dicitur quoq; ibidem iniquissimam esse societatẽ, in qua aliquis ex socis exponitur lucro, & non damno.

Sed quæstio est, Quando apponens capitale vult illud sibi manere securum, & pasciscitur simul, ne exhibeatur ei in distributione lucri tanta pars, quantam deberet habere, nisi postulasset illam securitatem suæ pecuniæ.

In hac quæstione maxime dissident inter se DD. tam Theologi quam Iurisperiti, quorum opiniones vt facilius percipiamus, obseruandum est, hos tres contractus Societatis ad comparandum aliquod lucrum, Assecurationis capitalis siue pecuniæ appositę in societate, & emptionis lucri futuri ex arte illa vel negotio circa quod societas illa exercetur, esse contractus reipsa, & specie distinctos, & diuersos. Conuenire quæ omnes DD. in hac parte, vt possint vel simul & eodem tempore, vel successiue, & diuersis temporibus cum diuersis personis celebrari.

Possunt enim Petrus, & Ioannes inire societatem, in qua Petrus vir nobilis, aut diues sed artis negotiandi expers apponat 1000. aureos, conferens illos Ioanni mercatori, vt cum illis negocietur: Ioannes vero mercator peritus, & industrius acceptis illis negotietur cum eis, apponens suum laborem, & industriã ea lege, vt in fine illius negotij, & societatis lucrum quod inde prouenerit seruata debita proportione, & ęquitate inter ipsos distribuatur. Qua societate inter Petrum & Iohannem sic inita & constituta, conueniat Petrus cum Andręa alio contrctu reuera diuerso, vt suscipiet pœnes se periculum illorum mille aureorum per contractum assecurationis, conferens ei in pretium illius affecurationis 50. aureos, vel quod tali loco, & tempore habuerit vsus fori in simili assecuratione: Quibus ita constitutis conueniat idem Petrus cum Francisco, vt sicut emuntur fructus futuri quãuis incerti, & varijs periculis expositi, ita emat ab ipso lucrum quod ex illa societate, & negotio probabiliter creditur esse recepturus, tradito aliquo pretio peritorũ, & prudentum arbitrio iusto, & honesto.

En tres contractus simul, vel successiue celebratos a Petro, societatis cum Iohanne, assecurationis capitalis, & pecunię a se positę cum Andræa, & venditionis lucri ex illa societate sibi futuri cum Francisco. Quos omnes cum diuersis personis iuste, ac recte celebrari posse seruatis iustis, ac debitis singulorum conditionibus, & legibus, nullus vnquam DD. dubitauit, neque erat dubitandi locus, cum omnes isti natura sua, & secundum se nisi aliunde vitientur, liciti sint, & honesti.

Sed quæstio tantum est.

An cum eodem sotio possint omnes isti cõtractus, vel aliqui eorum celebrari simul, vel successiue.

In qua quęst. vt debito ordine procedamus. Prima opinio est Hostiensis, & Ioan. Andræ. quam refert Maioris in 4. dist. 15. q. 48. asserentium licere conferenti pecuniam in societatem cõuenire cum altero socio, vt efficiat illam sibi securam, preterquam vbi casu & fortuito illa periret. Ratio eorum est, quia hæc conuentio & pactũ licet sit preter naturam societatis, non tamen est contra naturam & substantiam illius, contractus autem in quo apponitur cõditio seu pactum, quod non est contra, sed preter naturam tantum ipsius, valet. l. 1. ff. deposit. & in cap. vnico. de commodado. Quæ tamẽ opinio nec Ioanni Maioris, nec Siluestro, nec alijs placet. Quia sicut posset conferens pecuniam in societatem celebrare contractum assecurationis cum alio tertio, quacunque ratione illa periret, siue culpa recipientis illam, siue casu & fortuito, ita & cum aliquo ex socijs suis.

Secunda est opinio Dominici Soto lib. 6. de Iust. q. 6. art. 1. vbi habet tria.

Primum est, licere celebrare contractum societatis cum vna persona, & assecurationis capitalis in societatem collati cum alia, siue cum ea, cum qua celebratur contractus assecurationis, celebretur simul venditio lucri futuri, & sperati ex illa societate, siue non. Quia in huiusmodi contractibus ita cum diuersis personis celebratis nulla interuenit ratio mutui, & ex consequenti neque

que vsuræ: Quod ostēdit, quia illa pecunia imprimis non datur mutuo socio, cum non transferatur in eum illius dominium, nec teneatur illam integram restituere, nec pertineat ad ipsum periculum illius: nec datur mutuo assecuranti illam, cum assecurator non recipiat eam, sed alter cum quo contrahitur societas: nec potest assecurator vti illa aliqua ratione ad proprios vsus pro libito, quod potest mutuatarius in pecunia sibi mutuo collata.

Secundum est, omnes istos tres contractus quos proposuimus sicum eadem persona celebrentur mutuo se destruere ac interimere, siue fiant simul & eodem tempore, siue successiue. Addit tertium Soto, nihil refferre celebrentur ne hi tres contractus cum eadem persona simul, & eodē tempore, vel successiue, quia cū eādē habeāt æquitatem vel iniquitatem cum eadem persona celebrati, siue simul, siue successiue fiāt, siquidem possint cum eodem successiue fieri, poterunt & simul, impertinens namq; inquit est ad iustitiam contractus, quod simul vel successiue celebretur. Hanc sentētiam Dominici Soto, quatenus negat posse socium apponentem pecuniam conuenire cum alio socio vt efficiat illam ipsi securā, habet Panormita. in cap. Per vestras, de donatio. inter virum & vxor. num. 11. eadem fuit Asonis & Acursij in l. Si non fuerit. ff. pro sotio. Goffred. & Ioann. Calderi. in repetitione cap. Nauiganti. De vsur. & aliorum quos refert Siluest. verb. societas. q. 2. Et ex recentioribus Albornos. libr. 1. de contract. tit. 14. Probant hanc sententiam imprimis Panormit. & alij Iurisperiti, Quia societas est omniū consensu & in iure quædā fraternitas, in qua debet seruari maxima æqualitas, quæ tamen non seruaretur si conferens pecuniam esset securus de suo capitali, apponens vero operas, & industriam maneret expositus omni damno, & periculo. Vnde infert Panormita. licet possit qui operas aponit reijcere totum capitalis periculum, in eum qui illud contulit, iuxta §. De illa. Institut. de societate, quia tunc ille operas quoq; suas perdit eū tamen qui contulit capitale non posse reijcere in conferentem suas operas & industriam omne periculum tam operarum quam capitalis, quia esset maxima disparitas, & in æqualitas contra propriam rationem & naturam iustæ socieratis.

Secundo probat illud Soto ex illa l. Societatem, ff. pro socio. vbi cum approbetur illa societas, in qua vnus exponit suam pecuniam, alter vero suum laborem & industriam, videtur simul illa societas reprobari, in qua apponens pecunias non vult illas manere expositas damno, & periculo. Cui sententiæ, & rationi fauet etiam plurimum Autor glossæ in Cano. Plerique 14. quæst. 5.

Tertio, quæ est potissima ratio Dominici Soto. Quando cō ferens pecuniam alteri nulli periculo suo illā exponit, sed alter tenetur, quidquid accidat illum seruare indemnem, talis contractus iam non est societas, sed mutuum, exigere autem, vel recipere lucrum ex mutuo est vsura, ergo huiusmodi pactum & conditio, qua alter teneatur de omni periculo, & iactura capitalis, destruit societatem, & reddit illam mutuū vsurarium: Consequētia perspicua est: Probatur antecedens. In cōtractu societatis pecunia tradita non transit in dominium accipientis illam ad negotiandū, in mutuo vero transit in dominium mutuatarij. Hoc enim differt societas a mutuo: sed apposita ista conditione, & pacto, vt socius recipiēs pecuniam teneatur de omni periculo & dāno illius, transit virtute istius conditionis pecunia in dominium accipientis illam, ergo iam non est societas sed mutuum. Probatur minor: Ex cōmuni omnium DD. tā Theologorum quam Iurisperitorum prolo quio. *Quidquid perit domino suo perit.* Sed pecunia sub tali conditione & pacto apposita, siquidem pereat, perit socio, qui illam recepit ad negotiādum, ergo effectus est iste verus illius dominius. Et confir. Mutuatarius propterea est verus rei mutuo acceptæ dominus, quia potest illa pro libito vti, modo eam in termino integram restituat mutuanti, a quo illam accepit: sed in casu de quo hic agimus, socius qui per pactū suscipit in se omne periculum capitalis, potest illo pro libito vti in omnem vsum quē voluerit, neque tenetur ad aliud quam ad restituendum illud integrum socio qui illud apposuerat, efficitur ergo per illud pactum & conditionem verus illius capitalis dominus sicut mutuatarius, interimiturque ac destruitur per tale pactum societas, & efficitur reuera mutuum: & cum recipiatur cum lucro est aperta vsura.

Quarto in fauorem Soti sic argumentor: in contractibus vbi res certo ac definito pretio alteri traditur, in quoscunque vsus illa tradatur, censetur traditio illa talis rei venditio, vt patet in dote, quæ licet detur in

vsus

vsus & onera matrimonij, si tamẽ detur viro certo pretio ęstimata, potest ab eo tanquàm vero illius domino alienari, non minus quam si sub iusto pretio a quocunque alio illam emisset. l. si inter. Cod. de iure dotis, & ibi glossa: At quando capitale apositum ab vno socio traditur alteri conferenti suam industriam, sub eo pacto vt seruet illud saluum & integrum, recipit illud quasi sub certo ac definito pretio, quia pecunię pretium certum est & taxatum, & in ea quantitate restituendum, desinet ergo societas per huiusmodi pactum esse societas, & efficitur mutuum, aut saltim velut venditio capitalis.

Quinto D. Thom. pręsensi quæst. 78. art. 2. ad 5. nullam aliam admittit, vel cognoscit societatem licitam, præter eam, in qua capitale exponitur periculo, & conferens illud manet verus dominus illius, & eo ipso expositus huic periculo, vt si peririt ipsi pereat, si fructificet, ipsi fructificet.

Denique contractũ illum depositariorũ quos vocamus *Banqueros*, in quo pecuniam sibi traditam & commissam promittunt seruare indemnem, integramque restituere, & pręter eam aliquod lucrum, omnes damnãt tanquam vsurarium, cui tamen haud dubie similis maxime est societas, in qua socius accipiens pecuniam obligat se ipsum ad seruandam illam indemnem, & conferendum pręterea lucrum quod ex illa prouenerit.

Ita docent hi DD. iniquum esse, cum eodem socio celebrare contractum, quo capitale securum efficiatur. Quin etiam vult Albornosius: Neque socium assecurantem capitale posse aliquod pretium pro tali assecuratione recipere, neque aliquẽ ex socijs posse vendere alteri partem lucri futuri quæ ad illum pertinuerit.

Prius illud ita ostendit. Nemo potest pretium aliquod recipere pro eo, ad quod iam alias tenetur, sed socius recipiens pecuniam cum qua sua industria negotietur, eo ipso quo talem societatem contrahit, tenetur pro viribus pecuniam illam custodire, & curam omnẽ adhibere, ne vlla ratione illa pereat: Ergo non potest, eo quod seruet illam saluam & incolumem, aliquod pretium ab altero socio accipere.

Alterum ita probat. Quantitas pretio certo æstimanda certa quoq; debet esse, ac definita, rei enim incertę qua ratione potest certum pretium constitui? sed lucrum futurum ex societate aliqua, vel negocio est maxime incertũ & dubiũ, propter adeo varios negotiorum euentus & successus, non igitur potest illud certo pretio vẽdi, vel emi. Hæc ratio nititur illi opinioni eiusdẽ Albornosij. Quæ nondũ actu existũt, vt fructus futuri nullo pretio vendi posse, in quo (vt superius vidimus) fuit plurimũ deceptus, sicut & in alijs quę in illo opere suo de contract. docet.

Tertia opinio est Ioan. Maior. In 4. dist. 15. q. 48. & 49. & Nauarr. in suo Manual. c. 17. nu. 54. & 55. & in commẽto de vsuris. n. 33. & sequẽtibus, quę (vt videbimus) est inter DD. magis recepta, affirmantiũ posse istos tres contractus societatis, assecurationis capitalis apositi, & venditionis lucri futuri celebrari cũ eadẽ persona, siue celebretur simul, & eodem tẽpore, siue successiue: modo fiant bona fide, sine vlla fraude, & dolo, sub propria & debita forma, ita vt realiter, & vere singuli seorsum & distincte celebrentur, seruatisq; in singulis iustis vniuscuiusq; conditionibus, & legibus.

Probant illud autores huius opinionis. Primo, Quia iustitia vel iniquitas contractus non pẽdet, ex qualitatę aut diuersitate personarum, cum quibus celebrãtur, sed ex natura rei. Mediũ enim iustitiæ, vt primo tom. abunde docuimus, nõ est mediũ rationis sed rei, at possunt isti tres contractus celebrari simul vel successiue cũ diuersis personis, in quo omnes conueniunt, ergo & cum eadem cessante omni fraude & simulatione.

Respondet huic argumento Soto, illud fallax esse. Quia quando v. g. trado Petro meam pecuniã in societatem, & cũ Ioanne paciscor de illius securitatę, neutri illã mutuo, neutriq; trado illius dominiũ, imprimis non illi cui eam cõfero in societatem, quia ille neque tenetur eam mihi restituere, neque si pereat illi perit, pręterea, neque illi qui promisit seruare illam mihi indemnẽ, & securam, quia ille non accipit meam pecunirm, vel capitale illius societatis, sed solum pretium illius periculi, quod penes se suscipit per contractum illum assecurationis. At quando idem socius, qui accipit pecuniam ad negotiãdum cum ea, suscipit penes se omne periculũ & dãnũ illius, promittitq; illã saluã & integram mihi restituere, interuenit tunc vera ratio mutui, quia cum vnaquæque res domino suo pereat, eo ipso quo pecunia hæc si quidem perierit, non pereat mihi conferenti illam, sed socio accipienti, est reuera talis pecunię

cuniæ dominium translatum in accipientẽ illam. Quo fit inquit Soto, vt liceat quidem cum vno inire societatem, cuius capitale alter tertius securum efficiat, nulla autem ratione liceat, ut idem socius, cui capitale traditur, seipsum illius assecuratorem constituat. Cęterũ (vt statim videbimus) hęc solutio Soti nõ tollit vim propositi argumẽti.

Secundo, Siquis mercator (inquit Nauar.) in gerendis negotijs peritissimus publice protestaretur, se paratum ad recipiendam pecuniam, a quocunque volente conferre illam ipsi in societatem. & paratum simul ad suscipiendum omne periculum illius penes se, acceptis 4. pro 100. & reddendum 4. certa pro 12. lucri futuri incerti. Ita vt mercator hic seipsum offerat ad exercendos simul cum eadem persona volente conferre ipsi suam pecuniam istos tres contractus, societatis, assecurationis capitalis, & emptionis lucri futuri: Posset quiuis seclusa omni fraude, & dolo, seruatisque iustis pretijs huic mercatori pecuniam suam tradere, acceptis illis conditionibus, ad quas mercator hic propria spõte seipsum offert, neque aliquis ex eisdem mercatoribus, peritis & timoratis hoc damnabit, quia sunt contractus diuersi & distincti, quorũ vnusquisq; seorsum iustus est, & licitus, neque ab alio impeditur, aut vitiatur: Iam igitur poterit quiuis socius cum alio socio illos simul, vel successiue celebrare.

Nec valet quod quidam dicunt, licere quidem illud cũ huiusmodi mercatore, qui paratum se offert, minime vero licere socio danti pecuniam postulare illud a socio recipiente illam ad negociandum. Quia si intelligant, non licere ita illud exigere, ac ducere in pactum, vt nisi recipiens pecuniam assecuret illam, non inibit cum eo societatem, verum quidem dicunt, vt statim cum Cayeta. videbimus, Si vero intelligant, nõ licere illud libere exigere, manente in libera facultate socij accipientis pecuniã illam assecurare vel secus, non recte docent: quia vbi non ducitur in pactum, vt socius accipiens pecuniam teneatur illam seruare indemnem, sed liberum illi est, ita vt quacunque ratione sese habeat, contrahetur nihilo minus cum ipso societas: idem omnino est, contractus istos cum illo simul celebrare, ac cum mercatore illo, quo ad iustitiam cõtractuum.

Tertio, in illo cap. Per vestras. de donat. inter vir. & vxor. pręcipit Innocent. III. vt marito vergente ad inopiam, dos mulieris deponatur apud aliquem mercatorẽ, vt ex parte lucri honesti onera matrimonij valeat sustẽtare. Ex quo textu sic arguit Nauarr. Intentio Papę fuit, vt dos quę manẽs apud maritum periclitabatur, tradita mercatori ad negotia per contractum societatis maneret salua, & cum aliquo lucro ad leuãda onera matrimonij: Voluit ergo Papa, mercatorem illum suscipere penes se omne periculum dotis illius, & obligationem conferendi aliquod lucrum, quod fieri nõ posset, nisi contractui societatis liceret adiungere contractus assecurationis, & venditionis lucri ex illa societate futuri. Antecedens confirmatur, Quia nisi dos illa deberet manere salua, & secura apud mercatorẽ, peius ageretur cum muliere illa, dote ipsius mercatori tradita, quam manente apud virum suum. Sed num hæc ratio firma sit expendemus inferius.

Quarto, habet antiqua consuetudo, superioribus suo consensu illam aprobantibus, in multis Galliæ, & Italiæ partibus, & montibus, vt Ecclesiæ, viduæ, & pupilli cõferant suas pecunias mercatoribus, recipientes quatuor pro 100. singulis annis ad suam sustentationem: Quę consuetudo non probatur, vt docet Ioann. Andræ. & nonnulli in illud cap. Per vestras. quia sit in fauorem Ecclesiarum, viduarum, & pupillorum, sed quia nullam continet iniquitatem. Etenim si iniqua esset secundum se, esset vsuraria. Vsura autẽ (vt diximus) non potest concedi, aut permitti neque in fauorẽ operis pij. cap. Super eo, de vsuris. Vnde consuetudo ista censenda est sumpsisse exordiũ ex hoc genere societatis, cui coniungitur assecuratio sortis, seu capitalis, & venditio lucri incerti sub honesto ac iusto pretio. Quod ex eo inquit Nauar. colligere, ac coniectare licet, quia non recipiunt nisi 4. pro 100. cũ tamẽ in illis locis deberent recipere 10. vel 12. pro 100. iuxta solitum lucrũ, quod cõmuniter reddũt mercatores Itali, & Galli conferentibus sibi pecunias in societatẽ.

Quinto arguit Maior, Institu. de societate. §. De illa. Imperator reprobata opinione Quinti Mutij approbat sententiam Seruij Sulpitij, dicentis licitam esse societatẽ, etiã si vnus habeat duas partes lucri, alter vero vnã tantũ partem damni, quia potest esse cõpensatio æquiualens. Et paulo post idem Imperator contra eundem Quintum Mutiũ affirmat, valere pactũ societatis, in qua vnus ita partẽ lucri recipiat, vt non teneatur de dãno. Quod (inquit) intelligitur quando

quando alia via pactum illud compẽsatur. Quod certe fit, quãdo socius cuius capitale seruatur immune, soluit pretiũ illius assecurationis alteri socio, qui illius securitatem promittit. Et confir. Pactum quod non est contra substantiam, vel naturã contractus, quamuis sit preter illam, valet quidem l. 1. ff. depositi. & in c. vnico. de commodato. Sed quod vnus socius efficiat securum capitale alterius, cum illud præstet seorsum, & per contractum diuersum & distinctum, est quidem extra naturam & præter substãtiam societatis, non tamen contra illam: ergo licet illud. Probatur minor. Quia si assecuratio cepitalis in societate positi contra eius naturam esset, nullomodo liceret de illa cum aliquo pacisci, neq; cum socio, neq; cum alio tertio, quod tamen cum tertio fieri posse omnes docent.

Sexto. Hi tres contractus secundum se sumpti sunt liciti, nec vitiantur quod fiat cum socio: Probo, cõtractus assecurateonis est quædam emptio periculi imminentis, in qua, vt iuste fiat, nihil aliud exigitur, quã vt periculum illud quod emitur, sit verum, & reale, ac ęstimabile pretio, & pretiũ quod pro illo tedditur sit iustum; sed periculum capitalis positi in societate ad negoriandũ est verum periculum, ac pretio ęstimabile, siue periculum illud suscipiat penes se aliquis socius, siue quiuis alius tertius, preriũ quoque quod pro illo exhibetur supponimus esse iustum: Similiter res habet, si preter assecurationem capitalis lucrum incertum vendatur aliquo certo pretio, arbitrio prudentum iusto, & honesto, cuicunque lucrum illud vendatur. Ergo hi cõtractus simul cum eodem celebrati iusti sunt, & liciti, Et confirm. Quia accidere potest vt, vt socius qui assecurat, periculum, & emit lucrũ incertum ex illa societate futurum, tantum pretij accipiat ab altero socio, vt prudentũ arbitrio sit potior & melior pars ipsius, quam alterius qui confert capitale, & vendit partem suam lucri futuri.

Quarta opinio est Cõrradi. de cõtract. q. 97. qui huiusmodi contractus cũ eodem celebratos secundum se & aparte rei censet non esse iniustos, vel iniquos, re tamen ad praxim reuocata, docet non licere cum eodem socio illos celebrare. Idque duplici de causa, Primo, quia suscipiente penes se periculum capitalis alio tertio qui non sit socius, societas illa & assecuratio aperte agnoscuntur esse contractus distincti, & ex consequenti nullam habete speciem mutui vel vsuræ: cum eodẽ vero socio, vtroq; cõtractu celebrato, cum is qui accepit pecuniam, accipiat simul periculũ illius, habent eoipso speciem mutui, & ex consequenti vsuræ: Iure autem naturali & diuino non solum debemus abstinere ab eo, quod reuera est malum & iniquum, v erumetiã iuxta B. Paul. 1. ad Thessalo. 5. *Ab omni specie mali*, & quamuis animus socij ita conuenientis cum alio socio sit maxime alienus a mutuo & vsura, alij vero qui ignorant interna animi, sed iudicãt iuxta externã speciem quã vident, merito scandalizabuntur, iudicãtes societatem mutuum vsurarium. Secundo, quia hac via aperitur ianua vsurarijs exercendi liberius suam iniquitatem, sub colore & specie societatis, in qua capitale quod cõferunt, saluum integrũque post aliquod tempus recipiant cum aliquo lucro.

Quinta opinio est Cayet. in Opuscu. 17. Responsionũ. responsione 11. vbi premittit duplicem distinctionem, quarũ prior est. Hos tres contractus societatis, assecurationis capitalis, & venditionis lucri sperati, duobus modis fieri posse. Vel simul, vt cũ Petrus confert Paulo 100. florenos sub his conditionibus, vt capitale illud saluũ existat, recipiatq; singulis annis durante societate sola quinque pro parte lucri habendi, esto maior esset ipsi reddẽda, reliquo lucro relicto ipsi Paulo tanquam in pretiũ illius assecurationis. Vel successiue, vt quãdo celebrata prius societate inter Petrũ & Paulũ, seorsum deinde ac diuerso tempore conuenit Petrus cum eodem Paulo, vt capitale illud existat sibi saluum, & securum, dato illi eodem pretio quod daretur alteri tertio pro tali asecuratione. Et alio contractu realiter etiam diuerso cõferret Paulus aliquid certum eidem Petro, vt lucrum futurum ei vendat, sicut vẽduntur fructus futuri, vel iactus retis. Altera distinctio est, hos cõtractus duppliciter preterea coniungi posse cũ societate; vel ex pacto, ita vt nisi Paulus capitale illud securum efficiat, & certum aliquid pro lucro sperato conferat, nolit Petrus pecuniam suam in societatem illi tradere: vel sine vllo pacto, ita vt liberũ sit Paulo, vel solam societatem cum Petro celebrare, vel coniunctis deinde cum ea istis alijs contractibus.

His positis explicat Cayetan. sententiam suam his conclusionibus.

Prima est. Si isti tres contractus simul celebrentur, etiam si dicantur celebrari tanquam vere & realitec diuersi, & distincti,

reuera tamen non sunt diuersi nec distincti, sed finguntur, celebraturque solū reipsa vnus contractus iniquus & vsurarius.

Probat illud Cayet. Quia vt constat ex communi vsu mercatorum, qui rem alicui periculo expositam assecurat, prius recipit actu & reipsa pretium illius assecurationis, quam damnum quod periclitatur accidere posse, actu eueniat, in hoc autē casu socius assecurans capitale alterius socij nullum recipit pretium in principio contractus, quādo assecurat, nec forsam recipiet vllum, si ex societate illa nullum proueniat lucrum. Similiter qui emit fructum futurū, vel iactum retis, non confert pretium pro sola spe habendi aliquid, se pro re aliqua reuera habenda maiori vel minori, at in hoc casu socius solum emeret spem habendi aliquod lucrum, non tamen lucrum aliquod.

Secunda conclusio. Si huiusmodi contractus iungantur societati ex pacto, ita vt qui recipit pecuniam, suscipiat periculū illius penes se, nullo pretio pro tali periculo cui se ipsum exponit accepto, est aperta iniquitas & vsura. Quia talis societas apertissime est leonina, vt ex præcedent. controuersia constat.

Tertia conclus. Si societati adiungantur isti contractus assecurationis & emptionis lucri ex pacto, sed interueniente pretio iusto, & eodem quod redderetur alteri tertio qui non esset socius, est contractus aliqua ex parte iniustus, tum quia grauatur socius illa obligatione, vt teneatur assecurare, tum etiam, quia videtur esse contra naturam societatis talis obligatio, cum in ea debeat capitale manere sub periculo conferentis illud, nisi alter sociorum libere vellit illud penes se suscipere: Nō tamē inquit est simpliciter & onnito iniustus, Quia si haberet patriæ consuetudo, vt sic celebraretur societas, socio debente asecurare capitale, quāuis qui huiusmodi (inquit) consuetudinem introducerent, peccarent grauiter, post illā tamen iam introductam, liceret obligare socium ex pacto ad assecurandum capitale, tradito illi iusto pretio. Sicut in contractu census, pactum de retrouendēdo, licet illi repugnet, quia census est vera ac realis venditio, atamen, quia antiqua consuetudine est iam introductum, licite exigitur, & apponitur censui.

Vltima conclus. Si vero hic contractus successiue fiant, ac sine vllo pacto & obligatione, sed libere, & propria sponte socij accipientis pecuniam ad negotiandum cum illa, & sub iustis pretijs, liciti sunt: Quia cū hac ratione possint celebrari cū tertia persona, poterūt similiter celebrari cum socio.

Hæc Cayet. In cuius opinione, quod primo loco habet, nō posse sin ul celebrari sed successiue nō probatur viris peritis: Quia si reuera celebrentur, & non ficte, & libere ac nō ex pacto, & sub debitis ac iustis pretijs, cum eandem habeet rationem, & equitatis leges simul celebrati, quas haberēt celebrati successiue, nō vident cur non liceat simul eos celebrare, si liceat successiue.

Quod secundo ait, si societati coniungantur alij contractus ex pacto, dato tamen iusto pretio esse aliqua ratione illud iniustū, non tamen simpliciter & omnino, quia potest per consuetudinem effici iustum, merito ab omnibus reijcitur. Primo, Quia tale pactum & obligatio efficeret contractū mutui, in quo sensu recte illud cōuincit Soto. Secundo, quia tale pactum est contra naturam societatis, pactum autem appositum alicui contractui contra illius naturam & substantiam efficit contractum illum aut reuera nullum, aut certe iniquū. Tertio, quia cū medium iustitiæ sit mediū rei, aut pactum istud est natura sua & aparte rei iniustum, vel non siquidem natura sua iniustum sit, nulla cōsuetudine potest effici licitum, sicut nula consuetudine licet furari, aut fœnerari: si vero iustum sit, non indiget consuetudine vt liceat, sed illud tantū postulabit ne ex aliqua circunstantia vitietur. Nec est accomodatum exemplū quo vtitur; Pactū enim retrouendēdi in censibus, quibus illud addijcitur, non est licitū quia consuetudine receptū, sed quia nec repugnat substantię census, qui est venditio, nec natura sua est iniquum, vt vidimus in disputatione de Censibus.

Quod habet in quarta conclusione conuenit cum opinione Maioris, & communi, quam statim explicabimus.

Ex recensioribus quidam censent duos illos cōtractus societatis, & assecurationis capitalis posse simul cū eodē socio celebrari, modo libere & dato iusto pretio celebrētur, qua parte disidēt a Soto, & sequuntur Maiorē. Omnes vero tres societatis, & assecurationis capitalis, & vēditionis lucri futuri, nulla ratione posse celebrari cū eodē socio, neq; ex pacto, neq; sine illo, neq; simul neque successiue: Quia si cum eodem inquiunt celebrentur omnes interimunt seipsos, resultatque mutuum ex ipsis apertevsurarium, qua parte conueniunt cum Soto.

Alij

Alij volunt, omnes istos tres contractus licere cum eadem persona, tam simul quam successiue, modo non fiat ex pacto: non tamen manere tunc cōtractum societatis, sed transire in contractum venditionis pecuniæ expositę negotiationi, & lucri futuri; Licere autē vēdere pecuniam vt mille pro mille & centum, docent, quia mille exposita negotijs lucratiuis ęstimātur vt mille & centum. Sed qui ita sentiunt, non considerant mille exposita negotijs valere mille & centum, apud eum qui sua industria negotiatur, non tamen apud eum qui non negotiatur, sed confert solum pecuniam suam alteri, qui sua industria cū illa negotietur: vnde qui sic cōferret alteri suam pecuniā, illam solā vendit vel mutuet: illa autem sic vendita vel mutuata non valet nisi suum proprium & legale pretium pecunię.

Mag. Victoria dum hæc publice Salmanticæ doceret (sicut ipsius discipuli referūt) retulit, Maiorem, licet censerit hos tres contractus posse cum eodem socio celebrari, addidisse tamen, debere illud secreto fieri, & non publice, ne illud vsuræ suspicionem apud alios generet: propter similitudinem quam habet cum mutuo vsurario, recipere eandem pecuniam saluam & incolumem ac cum aliquo lucro. Testaturq; Victoria sententiam illam Maioris, dū ipse Parisijs ageret, fuisse ibi communiter receptam inter Theologos, quamuis contra Iurisperiti sententiāt, vt insinuat Siluest. verb. societas. primo §.7. Quā licet ipse Victoria dānare nō audeat propter varias DD. opiniones, si bona fide, & sine vlla fraude, vel dolo cōtractus isti cum eodem simul celebrentur, sentit tamen rem hanc sibi maxime dubiam videri, & periculossam de vsura, patereque per huiusmodi sententiam viā vsuris. Quia vbi contractus isti cum eodem celebrantur maxime si simul fiant, esto dicatur capitale manere saluum & integrum conferenti illud, non quidem per cōtractum societatis, sed per contractū assecurationis, talis tamē distinctio est differentia quędā mente sola concepta, & metaphisica, non realis & vera, per quā operitur mutuum vsurariū. Qua ratione videbatur Victoria amplecti ex parte opinionē Cōrra. & ex parte opinonē Caye.

Mag. Ioann. a Peña docebat sententiam Cayet. vt simul contractus istos celebrare non liceat, sed successiue solum, & sine pacto, speculatiue loquēdo verā esse, non tamen practice. Vnde inferebat duo, Primo, moraliter & practice sētētiā Soti esse amplectendam, quia communiter celebrantur simul, & ita vt contractus isti se interimāt, maneatque re ipsa mutuum cū lucro, quod est vsura. Secundo, quod sequitur ex priori, post factum esse illud tollerandum, nec damnandos socios qui ita cōuenerint, modo bona fide, ac sine vlla fraude, libere, & sub pretijs iustis ita cōuenerint, cū viri grauissimi illud probēt: ante factū vero nulla ratione esse illud cōsulēdū, sed dissuadēdū potius, vt res maxime dubia & periculossa.

Vt inter tot & tam varias DD. sententias quod verius est eligere valeamus, Obseruemus primo. Hunc modū celebrandi societatē, altero socio promittente securitatem capitalis, antiquitus nunquam fuisse in vsu, saltim temporibus D. Tho. D. Bonauenturę & similium: Qua de causa D. Tho. hic. q. 78. ar. 2. ad 5. non aliā agnoscit, nec probat societatē, præter eam, in qua capitale ita exponitur periculo, vt maneat semper sub dominio aponentis illud, ipsique pereat, casu quo perierit: Cœpit autē a cētum annis vel parū amplius in partibus Germaniæ tēporibus Cōrradi, Cayet. Siluest. & Maioris, qui omnes fuerūt cocui, vt ex eodē Cayeta. & Maioris locis citatis constare potest. Et quamuis Angelus qui hos omnes pręcessit iam illius meminerit Societas primo. nu. 7. Sed quo ad praxim & vsum cœpit tantum a centum annis: Vnde tanquā nouus & maxime suspectus de vsura, propter similitudinem, & speciem quam habet mutui, occasionem obtulit Conrrado (ipse enim est quem Maioris initio. q. illius 49. vocat Doctorē Germanum) vt de hac quęstione cōsuleret Cayet. & vniuersitatē Parisiensem. Deinde vero cœpit magis esse in vsu, & in alias Prouincias, & Regiones sese diffundere. Vnde incertū maxime est quod ait Nauar. in illo cap. Per vestras. aprobari societatē saluo capitali per contractū asecurationis illi adiectum, cum Innocen. tertius cuius est textus ille, præcesserit tempora in quibus cœpit hic modus celebrandi societatem in partibus Germaniæ fere trecentis annis.

Obseruemus secundo. Varijs modis posse cōferre aliquem suam pecuniam cum eo pacto, vt illa maneat sibi incolumis & secura. Primo conferendo illam alteri quem nouit non esse negotiaturum. Secundo conferendo eam socio qui creditur quidē esse negotiaturus; non curat tamen conferens illam, sit ne alter cum ea negotiaturus, vel secus, sed hoc tantum intendens, vt recipiēs

illam periculū eius subeat, ac post aliquod tempus saluam & integram certo restituat, & cum aliquo lucro, tanquam pretio facultatis quam illi concessit negotiandi cū illa si vellet: Tertio conferendo illam in hunc præcissum finem, vt recipiens illā negotietur cum ea, cōferens vero retineat illius dominiū, postulās simul vt alter seruet illam incolumem, & certum aliquid tribuat pro parte lucri futuri, quę ad eum pertineret, relicto illi reliquo lucro, tanquam iusto pretio istarum conditionum quas exigit, ne culpa, aut infidelitate accipientis pecuniā pereat illa in totū, vel ex parte, aut ne in supputando lucro, eoque distribuendo lites inter ipsos oriantur. Huiusmodi autem conditiones possunt isti inter se cōstituere, vel simul & eodem tempore, & quasi ex pacto, sine quo non contrahetur inter ipsos societas, aut succesiue & diuersis temporibus, & libere.

Ex quibus modis primus & secundus aperte iniqui sunt, & vsurarij: quia conferens alteri pecuniam, primo, vel secundo modo transfert profecto dominium illius, in accipientem illam, estque reuera velut mutuum, in quo sors mutuata certo recipiēda est post aliquod tempus, & cum lucro, quod est vsura. Tertius vero modus quo initur societas, si fiat ducendo in pactum vt socius pecuniam accipiēs teneatur, iniquus etiam est absolute & omnino, & vsurarius, etiam si reddatur pretium pro tali assecuratione, vt ostendimus contra Caietan. dum illius opinionē retulimus. Vnde tota dubitatio est. Quādo scilicet sine vllo pacto vel obligatione, sed libere is qui pecuniā recipit, vult assecurare capitale, sibi traditū per cōtractū societatis ad negotiandū, accepto iusto & honesto pretio, pro periculo quod penes se suscipit, cōfertq; alteri libere & volūtarie aliquid certum, tanquā in pretium partis lucri illius incerti, quod speratur futurum ex illa societate, siue successiue isti contractus fiant cum eodē socio, siue simul & eodem tempore.

Obseruemus vltimo, Istos cōtractus duobus modis posse in vnum coniungi, vel formaliter & expresse, quādo scilicet de vnoquoq; verbis expresis, & sub proprijs nominibus, vel ęquiualentibus socij interse paciscuntur: aut implicite & virtute, veluti quo exemplo vtitur Nauarr. si is qui pecuniam recepturus est collaturo suam operam & industriam dicat, exhibe mihi tantam pecuniam ad hanc negotiationem exercendam, quam tibi in columen seruabo, cōferamque tibi singulis annis tantum lucri certi, si relinquas mihi reliquū lucrū, quod cunque illud fuerit: Idemq; est si is qui capitale confert, easdem conditiones offerat recipienti illud.

Hoc posito iam quid de presenti quęst. sentiamus, explicemus.

Sit prima cōclusio. *In prouincijs & locis, in quibus non est in vsu, vt socius recipiens pecuniam efficiat illam securā, sed generaret scandalum talis contractus, censeretur que ab omnibus mutuum vsurarium sub specie societatis fictæ, vitandus maxime est.*

Et in hoc sensu vera est opinio Cōrradi, Victorię, Ioan. a Peña, & similiter sentiētiū.

Probatur: Quę libere & sponte facimus, maxime in tēporalibus dimittēda sunt, quādo nata sunt secundū se generare scandalū, vt docet D. Tho. supra q. 43. art. 2. & 8. sed in Regionibus, & Prouintijs, in quibus nō est in vsu, vt alter ex socijs efficiat capitale alterius saluū & securum, talis conditio, & cōtractus natus est generare scandalū, primo, quia habet speciē mutui vsurarij, secūdo, quia vt recte dicebant Conrrad, & Victoria aperit viam vsurarijs fœnerandi liberius sub pretextu societatis. Vnde & Nauar. in cap. Primū. 14. q. 3. nu. 35. concedit in foro exteriori contractū huiusmodi pręseferre speciem maioris mali. Et Iurisperiti cōmuniter in foro exteriori illū vt iniquū reprobāt. Et confirmatur, Ex eo quod ipsemet Maioris qui opinionis aprobantis hūc contractum est pręcipuus assertor, teste Victoria admonebat, huiusmodi contractum propter speciē mutui vsurarij quā habet, non debere publice fieri, sed secreto, & occulte inter ipsos contrahentes, qui suū animū & mētem optime norunt. Adeo vt Thomas Mercatus de contract. lib. 1. c. 9. affirmet huiusmodi contractū etiā si sincere & libere fiat ab omnibus tamē DD. reprobari, tanquam habeat vsuræ speciem, maxime quando celebrantur contractus isti societatis, & assecurationis simul & eodem tēpore.

Dixi autē in hac conclusio. in Prouincijs in quibus generaret scandalū, quia vbi huiusmodi contractus ita est in vsū, vt videntes illū statim intelligāt nō esse mutuū, sed contractus distinctos & licitos, vel alia via cesset sinistra illius opinio, non habet locū posita cōclusio, sed quam subijciemus, Vnde sit secunda conclusio.

Seclusa

Secluso scandalo quod huiusmodi contractus generare posset, licet socio accipienti pecuniam, periculū illius penes se suscipere per contractum assecurationis, modo bona fide illud fiat, ac sine vlla fraude, vel dolo, & accepto aliquo iusto pretio pro illa assecuratione.

Conueniunt in hac conclus. Maioris, & Nauarr. locis supra citatis. Gabriel. in 4. dist. 15. q. 11. Angel. Societas. primo. nu. 7. Siluest. eod. ver. q. 2. Summa Armilla eod. verb. §. 6. Barth. Medina in sua institutio. confesso. & omnes recentiores qui de hac re scripserunt: Ex Iurisperitis Didac. Couarru. lib. 3. varia. resolutio. cap. 2. conclus. 3. vbi affert in eandem sententiam Ioann. Lupi. in illo cap. Per vestras. notab. 6. §. 12 Petrum Perusin. in tractat. de duobus fratribus. 4. par. q. 1. & Purpurat. in illa l. si pascenda. num. 37.

Et probatur: Omnis iniustitia quæ incontractu aliquo misceri potest, repellitur, ac reijcietur facile, collata pecunia ac iusto pretio in illius compensam, & satisfactionem. V. g. si mutuet Petrus Ioanni 100. aureos ea lege, vt teneatur Ioannes ad molas ipsius suum triticum ducere, contractui huic miscetur vsura, quia vltra sortem exigitur conditio illa, & obligatio imposita Ioanni, quę pretio ęstimabilis est: purgatur tamen ab hac iniquitate cōtractus iste, redditurq; iustus & honestus, si reddat Petrus Ioanni pro illo pacto, & obligatione aliquod pretium iustum, veluti si dicat ei, accipe 100. aureos, restitues autem mihi 90. tantum, si triticum tuum ad meas molas duxeris, confero enim tibi pro obligatione ista 10. Idem autem accidit in casu de quo hic agimus, nam quamuis absolute & simpliciter iniustum sit, vt Ioannes accipiens pecuniam Petri ad negotiandum, efficiat illam securam, inquo sensu D. Tho. & alij antiqui tam Theologi quam Canonistę, quos retulimus in fauorem opinionis Soti, damnant illud, At tradito aliquo iusto pretio ipsi Ioanni vel in pecunia numerata in limine contractus, vel in aliqua maiori parte lucri quam esset in distributione illius accepturus, purgatur omnino ac liberatur huiusmodi contractus ab iniquitate, & iniustitia, quam afferebat illa obligatio suscipiendi penes se periculum capitalis. Est ergo licitus & honestus contractus, nisi ratione scandali, aut alterius sinistræ circunstantię vitietur.

Secundo, si non liceret alteri ex socijs assecurare pecuniam alterius, id certe esset, (quæ est vna ex pręcipuis rationibus Dominici Soto) quia talis societas interimeretur, & transiret in rationē mutui: Sed propterea quod alter ex socijs suscipiat in se periculum pecuniæ, non interimitur societas, nec conuertitur in mutuum, Ergo licet cōtrahere societatem altero socio assecurante alterius pecuniam. Probatur minor, in qua consistit potissima difficultas: Primo: Quia in mutuo transit res mutuata in plenum dominiū mutuatarij, ideo namq; dicitur mutuū. i. ex meo tuum, potestq; mutuatarius re illa tanquā sua libere vti, & cū illa si voluerit negotiari vel secus, potest illā in ludos, conuiuia, vel similia pro libito prodigere. At in casu de quo hic loquimur, accipiens pecuniam in societatem adhibiturus suam industriam non potest illa pro libito vti, sed tenetur omnino exponere illā arti, vel negotio, de quo contrahentes societatē conuenerūt, tū quia ea tantū ratione & in in eū tantū finem ipsi tradita est, tum etiam, quia si extraheret illā a negotio, & cōuerteret in alios vsus, priuaret sociū spe lucri ad quā habet ius vi illius societatis inter ipsos contractæ, non igitur efficitur societas contractus mutui, quia capitale vnius socij alter securū efficiat. Secundo in mutuo dominiū rei mutuatę ita trāsit in mutuatariū, vt nullo modo maneat penes mutuantē, at in casu de quo hic loquimur, esto socius recipiens pecuniā illam securam efficiat, non propterea socius qui illā contulit, ammittit illius dominium: Probatur, quia si pecuniā illam fur accipiat, potest socius qui illā cōtulerat, vt vere suā a fure repetere. Et quod magis vrget, si socius qui illā acceperat ad negotiandum, illa non dum alienata moriatur, vel recedat, existantque plures creditores, quorum tamen non esset ille debitor ratione sotietatis, potest qui illā contulit tanquam vere suam reuindicare, & præferetur in ea cæteris omnibus creditoribus quantumuis anterioribus. Tertio, Si mutuatarius ex pecunia mutuo accepta aliquid emat, uel lucrum negotiando acquirat, res illa empta, vel lucrum ab illo acquisitū nulla ratione pertinet ad mutuantem, quia pecuniæ illius dominium iam erat omnino mutuatarij, at si Ioannes accepit pecuniam a Petro in societatem, esto illam asecurauerit, si quid ex illa emat, vel lucretur, pertinet ad socium, qui eam contulit, pars illius rei vel lucri, vt verum illius pecunię dominium, non ergo per assecurationem societati adiunctam socie-

 tas

etas interimitur & efficitur mutuũ. Quarto: Quando aliquis assecurat alicui merces naui impositas, siquidem illæ pereant, assecuranti, qui illarum periculum penes se suscepit, pereunt: at nihilominus alter manet verus illarum dominus, perinde ac si non fuissent illi securæ effectæ, ducitq; illas ac vendit pro libito, vbi, & quando vult. Ergo eo quod vnus sociorum suscipiat periculum pecuniæ in societatem positæ, non propterea transit in ipsum illius dominium, nec conuertitur societas in mutuum. Quinto quibus exemplis vtitur & recte Nauar. In contractu depositi, depositarius suscipit penes se periculum rei depositæ, nec propterea efficitur illius rei dominus. cap. fina. de Deposito. & l. 1. §. si conueniat. ff. eod. tit. Commodatarius quoque suscipit in se periculum rei cõmodatæ, nec propterea efficitur illius dominus, cap. etiam vnico de commodato, & l. 1. Cod. Commodati. Ergo nec socius assecurans pecuniam dicendus est effici illius dominus, propterea quod illius periculum in se suscipiat.

Tertio principaliter, ostendo rursum per contractũ assecurationis nõ destrui societatẽ: hac ratione, Contractus societatis de quo hic agimus, secũdum suam propriã vim & naturam in his tribus consistit: Primo, vt alter apponat pecuniam exponendã alicui arti vel negotio gerendo, alter vero operam suam & industriam: Secundo, vt lucrum quod inde prouenerit seruata debita proportione inter ipsos distribuatur. Tertio, vt per contractum illum, & intra illius societatis limittes, sicut vnus exponit operas suas periculo, ita & alter pecuniam suã: Sed ex eo quod per contractum assecurationis capitalis periculum alter suscipiat non tollitur quin hæc omnia seruẽtur: Nam in primis vterq; apponit quod ad se spectat; vnus pecuniam, alter industriam: Secundo lucrum supponimus debite distribui. Demum quantum est ex vi societatis illius, vterque eidem periculo exponit quod confert: Nam quod apponens pecuniam habeat illam securam, non fit per contractum illius societatis, neq; ex vi aut intra limites illius, sed per alium contractũ explicite & expresse, vel impliaite, & virtute illi quidem cõiunctum, sed ab ea reuera diuersum & distinctum, non minus quam si periculũ illius capitalis non suscepisset ille socius, sed aliquis alius tertius nullomodo socius.

Quarto, quo argumento vtitur & recte Couarru. Contractus societatis per se & seorsum sumptus iustus est & honestus, similiter contractus assecurationis libere initus sub iusto pretio iustus quoque est, & honestus, quod vero celebrentur cum eadẽ persona, non tollit, quæ vnicuique horum contractuũ propria sunt, neq; efficit quin iustæ leges, quæ in vnoquoque eorum desiderantur, seruentur, vt ex dictis abunde cõstat, licet ergo vtrumque cum eodem socio celebrare.

Deniq; hanc conclusionem probant optime omnia argumenta quæ retulimus in probanda tertia illa opinione Maioris, & Nauarri, preter quam tertiũ illud quo vtitur Nauarr. ex illo cap. Per vestras: Illud enim non indicant recensiores, & merito; huic instituto accommodatum: Quia vt ex contextu illo patet, pecunia illa dotalis eo fine tradenda dicitur mercatori, vt ex parte honesti lucri posset vir onera matrimonij sustinere: at si iuxta intellectum Nauarri, vt dos salua maneret, diminuendum esset de parte lucri tali doti proportionata aliquid, tanquam pretium assecurationis capitalis, & aliquid aliud tanquam pretium lucri futuri, esset profecto quod ex ea parte lucri remaneret adeo tenue, & exiguum, vt parum aut prope nihil valeret ad sustinenda onera matrimonij: maxime cum non habeat textus ille, totã dotem a cõstitui apud mercatorem, sed partem tantum dotis, reliquam vero concedendam esse viro cui & corpus mulieris cõceditur. Nec ratio quia confirmat Nauarr. suum Intellectũ valet: quia cum vir ille dotem mulieris dilapidaret, securior erat illa apud mercatotem negotijs exposita, esto sic exposita alicui etiã subiaceret periculo. Vnde textus ille nullã ratione est intelligẽdus. Salua dote, sed de societate cum periculo capitalis iuxta communẽ vsum societatis. Maxime quod assecurationem societati cum eadem persona coniungere nouum est, vt in prima obseruatione admonuimus, nec vsitatum tempore Innocen. 3. cuius est ille textus.

Tertia conclusio. *Nihil refert celebrentur ne simul hi duo contractus societatis, & assecurationis principalis simul; & eodem tempore, vel successiue, & diuersis temporibus, modo illud fiat sine scandalo, bona fide, sine vlla fraude, sub iustis pretijs; nec per contractus esto simul fiant; reuera tamen diuersos ac realiter celebratos, vel expresse, & explicite, vel saltem virtute.*

Pro-

...icur primo, Quia isti contractus secundum se sunt liciti, seruatis in vnoquoque eorum istis cōditionibus & alijs in eis requisitis, possunt etiam (vt constat) celebrari cum eadem persona, nec propterea quod cum eadem celebrentur desinunt illis seruatis esse iusti, Impertinens ergo est, parumq; reuera refert, simul ne an successiue celebrentur.

Secundo: Potissima ratio, propter quam licet celebrare illos successiue, est, quia ita celebrati agnoscuntur esse cōtractus distincti, & libere coniuncti, & veri contractus alieni a ratione mutui: at seruatis cōditionibus quas habet hæc tertia conclusio posita, etiam si simul celebrentur sunt contractus distincti, libere coniuncti, & vere celebrati, maximeque alieni a mutuo: Ergo possunt celebrari simul, sicut & successiue. Vnde Soto, & qui cum illo sentiunt, cōueniūt in hac parte, vt si successiue celebrari posint, posint & simul.

Crederemque Cayeta. solum negare, posse illos simul celebrari in hoc sensu, vt vnus iungatur alteri ex pacto, & nascatur ex vi alterius, ita vt accipiens pecuniam ex vi societatis teneatur ad assecurandam illam, & emendum sub aliquo pretio lucrum speratum; In qvo sensu, omnes conueniunt nulla ratione licere istos tres contractus cum eodem celebrare, efficeret enim talis obligatio & pactum sotietatem iniquam & vsurariam. At celebrata societate statim conuenire de securitate capitalis, libere vtroq; in illud consentiente, vel offerre conferenti pecuniam, vt si voluerit, efficietur secura sub iusto pretio, iuxta conditiones in hac tertia conclusione positas, forsan non damnasset Cayet.

Quarta conclusio: *Licet etiam alteri ex socijs lucrum alteri futurum, dubiū, & incertum aliquo certo pretio emere, vel in pecunia statim numerata, vel in aliqua certa parte lucri illi postea conferenda, quidquid tempus & negotium atulerint.*

In hac minor est dubitatio quam in precedentibus. Probaturque, quia potest quiuis alius emere a tali socio lucrū quod sperat, sicut emuntur fructus futuri, & iactus retis, poterit ergo & socius. Probo consequentiam, quia ad iustam venditionem & emptionem hæc tria sufficiunt, vt res quæ venditur, sit pretio æstimabilis, & quæ nullo iure prohibeatur vendi, vt pretium sit iustum, ac vt vterque sit dominus eius quod confert, venditor rei, emptor vero pretij: quæ tria non minus possunt reperiri vbi alter socius alterius lucrum emit, quā si emeretur illud ab alio qui non esset socius. Et confirmatur frequēti vsu mercatorū, inter quos, quantumuis negotiorum peritos, & timoratos, passim fit, vt duobus vel pluribus societatē inter se contrahentibus, alter eorum alterius lucrum incertum, sed speratum aliquo honesto, ac iusto pretio emat, tolluntur que ac via multa incommoda, variæ suspiciones, & lites quæ deinde in cōputis & rationibus illius societatis, ac distributione lucri passim oriuntur.

Ex dictis (vt paucis rem omnem perstringamus) efficitur, posse recipientem pecuniam illius periculum penes se suscipere, vel statim & simul atque contrahit cū alio societatem, vel successiue & post aliquod tempus, seruatis his quinque conditionibus.

CONDITIONES SERVANDÆ, *quando idem Socius qui recipit pecuniam, assecurat illam.*

PRIMA est, ne vllum inde generetur scandalum, vel iusta suspicio mutui vsurarij sub colore & specie societatis, neque aperiatur vsurarijs via liberius fœnerandi.

Secunda, vt accipiens pecuniam non possit illa pro libito vti, sed teneatur necessario cum illa negotiari, neque aliter qui illā contulit, aliquod inde lucrum recipiat. Quod si quis eam contulit bona fide, vt cū illa alter negotietur, & eo prudenter ac probabiliter iudicāte illū cū ea negotiari vitio & culpa sua nō negotietur, tenebitur is nihilominus ad cōferendū illi eā partē lucri, quę prudentis arbitrio cēsebitur fuisse illi prouentura, si is qui pecuniam illius recepit, actu & reuera fuisset cum illa negotiatus: quia per hunc stetit: neque eius incuria, & vitio debet alter lucro suo expoliari.

Tertia est, vt cum simul celebrabuntur isti duo contractus societatis & assecurationis cum eodem socio, fiant vt vere diuersi, & distincti, vel explicite & expresse, vel saltim virtute & implicite, nec vlla ratione vnus sit necessario alteri connexus, vel oriatur assecuratio ex vi sociotatis.

Quarta quæ ex proxime precedenti sequitur, aut est eadem fere cum illa, vt fiat libere & propria sponte vtriusque contra-

hentis, quod aperte fit, quando recipiens pecuniam & collaturus suam operam & industriam inuitat alterũ, postulatq; ab eo, vt coniungatur cum illa societate illius capitalis assecuratio sub aliquo honesto pretio, ne si aliqua ratione illud perierit, culpa eius conqueratur alter illam perisse, & excitētur lites.

Vltima est, vt sub honesto iustoq; pretio fiat huiusmodi assecuratio capitalis, & maxime moderato: Et similiter quando his iungetur tertius contractus venditionis lucri sperati; tale enim lucrum cum adeo dubium sit, & incertum, exiguum esse debet, vt 4. pro 100. Quod vt ait Nauar. locis cit. erat receptum vsu antiquo.

Vbi illud tandem obseruandum est. quotiescunque aliquis pecuniam suam in societatem conferet cum huiusmodi conditionibus aparte rei seruatis, & vnoquoque sociorum intendente celebrare simul hos contractus meliori modo quo licite potest, nimirũ manente vera societate ab omni mutuo reuera aliena, ita vt per assecurationem capitalis, vel venditionem suæ partis ex lucro futuro non vitietur bona fides contrahentiũ, etiã si ista non exprimantur aperte & explicite, non esse propterea simplices condemnandos, cum non omnes, neque ex ipsis mercatoribus apti sint, & per periti ad ista distinguenda, modo expresse cõueniat inter eos, pecuniam illam non aliter exhiberi, quam ad artificium, vel negotium circa quod societas illa inter ipsos contrahitur.

Ex illa secunda conditione sequitur, nõ esse iustum contractum illum, in quo Petrus conferret Ioanni 100. aureos, ea lege, vt teneatur Ioannes conferre Petro in fine anni, vel post aliquod tempus tam de lucro, quam de damno tantundem, quantum alij 100. aurei traditi alicui mercatori in societatem, exponendi q̃ ab illo alicui negotio cum periculo conferentis, attulerint per illud idem tempus, siue lucri, siue damni: Cũ illos tamen 100. aureos non acceperit Ioannes ad gerendum negotium aliquod, sed ad leuandam aliquam necessitatem suam. Hic inquam contractus iniustus est, vt habet communis DD. opinio, quam refert Syluest. Societas. Primo. q. 15. vbi affert Archidiac. Innocent. & Ioan. Andream: in capit. final. De vsuris. Et ratio est. Quia hic contractus non est depositi, cum Ioannes accipiat pecuniam illam ad proprius vsus, Neque societatis, cum pecunia illa non exponatur a Ioanne alicui negotio ad lucrum, tam ipsi, quam Petro commune. Sed est vere mutuum, cum recipiat Ioannes illos 100. aureos ad proprios omnino vsus, & vsurarium, cum teneatur ad illos restituendos post aliquod tempus cum aliquo lucro: Quod certe nullo modo licet, nisi Petro ex traditione illius pecuniæ in gratiam & vtilitatem Ioannis aliquod damnum accidisset, aut aliquod lucrum vere cessasset, iuxta ea quæ superius diximus de lucro cessante, & damno emergente ex mutuo. In quo sensu accipiendi sunt DD. qui aliquando probant hunc contractum, quem hic modo dãnauimus.

Nunc ad argumenta aliorum: Quod pro prima opinione attulimus ibidem solutum est iuxta Maiorem.

Ad argumenta Dominici Soto. Ad primũ, quod est Panorm. respondet Maioris loc. cit. q. 48. quod quamuis Societati, quia est quędam fraternitas, proprium sit, vt periculum pecuniæ appositæ pertineat ad apponentem illam, non tamen esse contra naturam eius, vt periculum illud alter socius penes se suscipiat per alium contractũ a societate diuersum, & distinctum: Sicut mutuo proprium est, vt periculum rei mutuatæ pertineat ad mutuatarium recipientẽ illam, quia recepit illius dominium, hoc tamen non obstante potest per alium contractum seorsum pascisi, vt periculum illius rei penes mutuantem maneat, vnde hoc pactum & assecuratio est quidem præter & extra naturam Societatis, non tamen contra illam, neque illam destruens aut extinguens, maxime seruatis illis quinque conditionibus propositis.

Secundum argumentum nullam habet vim, tum quia approbatio vnius non semper est reprobatio alterius, tum potissime, quia lex illa intelligenda est intra limites Societatis, & ex sola vi illius, at per alium contractum a Societate diuersum & distinctum, illud non prohibet, sicut ex dictis constat.

Ad tertium satis ostendimus in secundo argumento, quo probauimus nostram secũdam conclusionem, non destrui, neque extingui Societatem per assecurationem capitalis, neque propter illam transire dominiũ capitalis in socium cui traditur ad negotiãdum, & præter exempla quę ibi attulimus, est, & aliud de pignoribus, Quorum periculum suscipit penes se creditor, qui illa accipit a debitore, nec propterea censetur creditor

ditor illa recipiens eorum dominus, nec potest illis vti pro libito, quia manet semper eorum dominium penes debitorem qui illa in securitatem contulit. Vnde proloquium illud. *Vnamquamque rem si pereat, domino suo perire*, intelligendum est simpliciter & absolute, nisi per aliquem contractum licitum alius a domino illius rei periculum penes se susceperit. Nam vt vidimus rei commodatæ siue impignoratæ dominus est, qui illam deposuit, commodauit, vel impignorauit, at si illa pereat, non perit domino suo, sed commodatario, depositario, vel creditori habenti pignora. Et in contractu assecurationis illud maxime apparet, in quo rei assecuratæ dominium non est ipsius assecurātis vt videbimus, atsi illa pereat assecuranti perit.

Ad confirmationem satis constat ex dictis in illo secundo argumento nostræ conclusio. In societate accipientem pecuniam non posse illa pro libito vti, neque in alios vsus quantumuis honestos illam conuertere, quam in artē, vel negotia, circa quæ est contracta illa societas. Addūt quidam etiā si capitale transiret in dominium accipientis illud, nihilominus posse eū qui illud cōtulit recipere illud saluum, & integrū cum aliquo lucro, in casu, quo dominus illius capitalis erat perse ipsum aut cum alio socio cum illa pecunia negotiaturus, in gratiam autem & vtilitatem huius cui illam contulit, extraxit eam a negotio cui erat in procinctu illā traditurus. Sed in hoc casu meo iuditio non exercetur societas, sed verum mutuum, reciperetur autem illud lucrum vna cum capitali non per contractum societatis, quia esset iniqua, sed ratione lucri vere cessantis, iuxta ea quæ de lucro cessante superius docuimus.

Ad quartum respondeo, res quæ natura sua venales sunt, si sub certo ac definito pretio accipiantur, reuera emi ab accipiente illas, & propterea posse illis pro libito vt vere suis vti, sicque accidit in rebus dotalibus, quæ sub certo ac taxato pretio a viro recipiuntur; at pecunia non est res venalis, sed aliarum omnium quæ vēduntur pretiū, traditurque in societate non vt quid venale, sed vt pecunia negotio re ipsa exponenda ad quæstū aliquem & lucrum: Quo fit, vt traditio illius etiam si tradatur socio assecuranti illam, nec sit mutuum, nec venditio, sed vera traditio illius in societatem.

Ad quintum, iam admonuimus in prima obseruatione earum quas constituimus, D. Tho. & antiquos non agnouisse societatem aliquam, cui misceretur assecuratio cū altero ex socijs, scripsisseque iuxta ea quæ suo tempore habebat communis mercatorū vsus, modo autem, quando iam illud est in vsu, seruatis illis 5. conditionibus licet, nec D. Thom. aliter sensisset, si ita habuisset vsus & cum huiusmodi conditionibus ętate ipsius.

Ad vltimum respondeo, contractum illum quorundam depositarium iniquum esse ex parte recuperatis suam pecuniam cū lucro, quia talis contractus non est societas, sed merum depositum, vi cuius, solum capitale quod deposuit, potest iuste recipere.

Ad argumenta Albornosij, quamuis leuissima sint, respōdeo. Ad primum: Socium accipientem pecuniam teneri quidem ad illam diligenter custodiendam quantum in ipso est, ne culpa ipsius pereat, non tamen teneri absolute ne vlla ratione pereat, cum sine culpa ipsius possit quoque illa perire? quando autem contractui societatis adiungitur assecuratio capitalis, non obligat seipsum socius pecuniam recipiens ad prius illud, ad quod iam tenebatur, sed ad secūdū, ad quod non tenebatur, nempe ad efficiendam illam securam domino qui illam contulit, quacunque ratione pereat, & ratione huius obligationis, ad quam non tenetur, cum illa pretio æstimabilis sit, recipit illud pretium.

Ad secundum dico, plurimum decipi Albornosium in maiori propositione illius argum, cum nihil magis sit in vsu, & omni iure probatum, quam emi res incertas, & in incerta quantitate, modo probabilis habeatur illarum spes: qua ratione emuntur fructus futuri, & iactus retis.

Opinio Conrradi nostrę non aduersatur, iuxta ea quæ in prima conclusione nostra diximus.

Neque opinio Cayet. prout explicatur in tertia conclus. a nobis posita: Illud tātum in doctrina Cayet. nobis aduersatur, Quod scilicet ait, non recte coniungi assecurationem societati, nisi a principio contractus aliquid reddatur socio assecuranti capitale, quia in omni assecuratione iuxta cōmunem & receptum vsum mercatorū, pretium quod pro illa taxatur, vel habet tunc vsus fori, statim traditur assecuranti, at in contractu societatis, & assecurationis de quo hic agimus nihil confertur a principio assecu-

assecuranti, at in contractu societatis & asse curationis de quo hic agimus, nihil confertur a principio assecuranti, neque forsam in posterum: nam vbi redditur socio assecuranti in pretium assecurationis pars fructus, & lucri futuri, si nullũ eueniat lucrũ, nihil recipiet: Hæc ratio a nullo recentiorum attingitur, vel explicatur, cum habeat tamen plurimum difficultatis: quia negari non potest, quando socio assecuranti non datur in limine contractus pretium assecurationis in numerato, sed solũ pars aliqua lucri futuri, si nullum eueniat, fine vllo pretio assecurasse, quod non licet. Vnde dicamus huiusmodi assecurationem debere necessario ita fieri, vt pretium aliquod certũ offeratur socio assecuranti, quod vel conferatur ipsi statim in limine contractus, vel conferatur in fine societatis: hac ratione, vt recipiat ex lucro, si acciderit, has vel illas partes, plures quam esset accepturus ratione illius assecurationis, quod si nullum lucrum acciderit, accipiat nihilominus hanc vel illam quantitatem pecuniæ, quę peritorum ac prudentum arbitrio iudicabitur esse iustum pretium talis assecurationis: Ita vt nũquam assecuratio illa fiat sine aliquo iusto pretio reuera recipiendo.

Ex dictis in hac controuersia explicare facile poterimus nonnullas dubitationes, quę illi affines sunt. Prima est.

SIT NE CONTRACTVS LIcitus, quando ita quis aponit in societatem 100. aureos, vt vellit ex illis solos. 5. subiacere periculo, alios vero 95. sibi esse securos, ea tamen lege vt sola etiam 5. vellit sibi dari ex lucro.

RATIO dubitandi est, quia sic aponens pecuniam, cum ex lucro futuro solum exoptet. 5. sicut ex suo capitali exponit etiam. 5. videtur seruare ęqualitatem, & ex consequenti iustum postulare. Secundo, si quę iniustitia vitiaret huiusmodi contractum, illã certe non committeret conferens pecuniam cũ ista conditione, sed recipiens illam, apponensque suam operam & industriam: Probatur, quia cum 100. aurei in contractu societatis soleant afferre frequenter lucrum, cuius dimidium excedit. 5. vel 6. aut plura, si conferens 100. aureos non sit recepturus ex lucro nisi 5. tantum, non reddetur ei ex in distributione lucri tanta pars, quanta illi iure deberetur.

Sed his non obstãtibus communis DD. sententia est, contractum istum esse vsurarium & iniquum, quia nullus potest ex societate accipere lucrum, nisi commensuratũ pecuniæ quam exponit periculo, in hoc autem contractu conferens istos 100. aureos sub illa conditione non exponit periculo illos 95. quos vult sibi saluos manere, sed solos. 5. quibus alia. 5. non sunt lucrum cõmẽsuratum: vix enim reperitur negotiatio vel societas, in qua primo tractu lucrum æquetur sorti, & dupplicetur illa. Vnde qui aponeret 100. aureos sicut habet titulus dubitationis propositæ, hac ratione se debet habere, vt iuste agat, vt sicut exponit periculo solos. 5. aureos, ita vellit ex lucro eam partem quæ commensurabitur debita proportione seruata illis. 5. aureis. Quod si euentus negotij adeo felix fuerit vt illis 5. aureis commensurẽtur ex lucro proportionabiliter alia 5. tunc iuste illa accipiat, nõ per pactum quod hic damnamus, sed quia euẽtus adeo fœliciter tulit, vt sors posita illa negotiatione dupplicaretur.

Confirmantur hæc omnia, Primo, quia cum illis 95. aureis, eo ipso quod aponens illos vult sibi saluos esse, non negotiatur qui contulit eos, sed ille solus, qui suo tantum periculo illos accepit, vnde totum lucrum illis respondens huius solius esse debet, & nulla ratione nullaque ex parte alterius. Secundo, quia hic contractus, ab illo quem proxime pręcedentibus controu. dãnauimus, in quo scilicet conferens pecuniã in societatem per eundem contractum societatis vult illam sibi cum periculo alterius seruari securã, nihil omnino re ipsa differt, nisi solum secundum magis & minus intra eandem speciem, quia in illo, quem ibi damnauimus, conferens capitale vult totum in integrum sibi saluum existere, in eo vero de quo hic agimus, vult similiter detracta solum aliqua minima parte, quam exponit periculo.

Addo tamẽ, vt si contractui societatis adiungeretur contractus assecurationis circa illos 95. aureos oblato iusto pretio socio assecuranti, seruarenturq; aliæ cõditiones, quas diximus, tunc per alium tertium contractũ venditionis lucri sperati posset pasci sci, vt redderentur sibi. 5. Tũc enim censerentur illa 5. iustum pretium lucri ex illa societate, & negotio futuri: aliter per solũ contractum societatis pacisci, vt dẽtur sibi 5. ex lucro, expositis periculo in ea societate solis. 5. iniquum est, & vsurarium.

Ad

Ad argumenta, initio proposita respōdeo. Ad primum, apertam esse in æqualitatem: Primo, quia in ista societate, qui confert pecuniam, solum susciperet periculum vt 5. alter vero qui apponit suam operam susciperet periculum, vt 95. Secundo, quia vt diximus ex 5. expositis reciperet lucrū excessiuum, nempe alia 5. cum lucrum vnico tractu nunquam ęquetur sorti. Tertio, quia conferens suam industriam nō solum impendit illam circa 95. verum etiam circa illa 5. ex quibus tamen nullam partem lucri recipiet.

Ad secundum respondeo, in casu quo cum illis 100. aureis contingat lucrari 15. vel 20. aut 30. nullam esset iniustitiam, ex parte accipientis pecuniam & apponentis operas, si retineat sibi ex lucro, vt 15. partē vt 10. ex lucro vt 20. partem vt 15. & sic consequenter, cum ex sorte & capitali vt 100. omnia 95. suo damno subsint periculo, dāno vero alterius sola 5. Sicut si quis mutuo acceptis 100. cum illis negotietur, & lucretur, totum illud lucrum solius mutuatarij est, cuius tantum periculo illa pecunia fuit negotiationi exposita, & cuius tantum industria lucrum illud acquisitum fuit.

Altera dubitatio est.

SIT NE CONTRACTVS, IVstus, *in quo Petrus cōfert 300. aureos Ioāni, cū illis omnibus negotiaturo, sed ea lege, vt ducentorum periculum similiterque lucrum Ioannes suscipiat: reliquorum vero 100. tam periculum quam lucrum spectet ad Petrum.*

SILVEST. in verb. Societas. primo. q. 5. censet huiusmodi cōtractum iniquum esse & vsurarium, dupplici adductus ratione. Prior est, quia huiusmodi contractus perinde se habet, ac si Petrus mutuauerit Ioanni illos 200. aureos, quorum Ioannes tam periculū quam lucrum est habiturus, exigeretque ab ipso, vt pro illo mutuo suam operam, & industriam conferat cum reliquis 100. quorum tam periculum quam lucrum Petrus sibi seruat. Qua ratione Petrus pro illo mutuo imponit Ioani obligationem impendē di suam operam & industriam cum illis 100. aureis tāquā minister illius, & cū obligatio hæc sit pretio ęstimebilis, & imponatur pro mutuo, apperte reddit huiusmodi contractum vsurarium.

Posterior ratio Siluestri est: Quia non est æqua, neque honesta societas. Etenim si omnis illa pecunia & industria periret aduersa fortuna in negotio, Petrus solum pateretur iacturam 100. aureorum, Ioannes vero iacturam 200. & omnium laborum & operarum quas impendisset.

Maioris in 4. dist. 15. quęst. 47. & nonnulli qui illum sequuntur probant hunc contractum, ea ratione, vt Ioannes suscipiat penes se periculū totius capitalis, nimirum illorum 300. aureorum, & cum illis omnibus negotietur communi nomine vtriusq; communique societate, deinde vero quasi in pretium illius assecurationis qua totum capitale, vel aliquas eius partes in se suscipit, recipiat duas partes lucri inde prouenientis, Petrus vero vnicam tantum: Sed huiusmodi contractus quē ita probat Cōrradus, non est hic de quo in hoc dubio agimus, sed is de quo proxime præceden. consrou. disseruimus. in quo assecuratio totius capitalis, vel alicuius, aut aliquarum partium illius coniungitur societati sub aliquo iusto pretio: In contractu autē de quo hic agimus, aponens pecuniam, eius partis tis cuius periculum imponit socio, vult quoque lucrum ad eundem socium spectare.

Vnde dicamus contractum huiusmodi, de quo in hoc dubio priuatim & in particulari inquirimus, duobus modis celebrari posse: Primo, ita vt ex illis 300. aureis, ducentorum tam periculum quam lucrū pertineat ad solum Ioannem, qui cum illis est negotiaturus. Tertię vero partis 100. nimirum aureorum cum quibus etiam Ioannes debet negotiari nomine ac vice Petri, tam periculum quam lucrum ad solum Petrum spectēt: Qui modus contrahendi societatē est, qui dānatur à Siluestro, & recte: Quia in societate sic celebrata mutuat reuera Petrus Ioanni illos 200. aureos cū obligatione ex vi illius mutui conuenta, vt teneatur operam suam & industriam cum alijs 100. aureis adhibere in solam vtilitatem Petri: obligationem autem huiusmodi, cum pretio æstimabilis sit, vi mutui exigere, iniquū est, & vsurarium. Secundo modo potest ita celebrari, vt Ioannes non solum habeat lucrum illorum 200. aureorum, quorum periculum suscipit in se, verum etiam & aliquā partem lucri ex illis 100. aureis prouenientis, ratione industriæ, quam circa illos confert: Et huiusmodi contractus est iustus: Quia licet eorum periculum spectet ad Petrum

trum, apponit tamen circa illos Ioannes suũ laborem, suamque operam, & industriam: iuxta leges autem iustę distributionis (vt videbimus) qui accepta aliqua pecunia in societatem sua industria cum illa negotiando lucratur, debet lucri subsequuti partem aliquam recipere, sicut & is qui apposuit capitale, At si contractum de quo hic agimus recte meditemur, Petrus & Ioannes circa ducentos illos aureos, non ineunt societatem, sed mutuũ, cum tam illorum periculum quam lucrum ad solum Ioannem pertineat, circa illos vero 100. veram ineunt societatem cum alter illos in sortem tradat suo periculo, alter suum laborem & industriam circa eosdem negotiando impendat.

Tertia dubitatio est.

POSSIT NE DARI PECVNIA *in societatem cum instrumento, & scriptura de capitali saluo, nõ eo animo, vt illud saluum maneat, sed vt alter socius videns periculum illius ad se spectare, fidelius ac diligentius illius curam habeat?*

Facilius est responsio in qua omnes conueniunt; huiusmodi simulationem pec. mort. includere: nisi simul cõtineret scriptura illa vt capitale illud fieret, vtrique commune. Primo, quia cedit in infamiam conferentis pecuniam sub tali conditione exterius posita, quamuis aliud in animo habeat, & in scandalum aliorum, qui animum illius ignorantes merito iudicabunt, iuxta ea quę exterius vident. Secundo, quia si contingeret ipsum intestatũ discedere, ac simulatione illa non satis explicata, possent hæredes illius capitale illud saluum ac integrum exigere cum infamia deffuncti, quasi non in societatem sed in mutuum vsurarium collatum. Quo fit, vt non liceat neque cũ tali animo capitalis securitatem ab alio socio exigere, nisi ea ratione qua diximus cõiũct o cõtractu assecurationis. Vbi vero ita cõuenerint explicare debet ille animum suũ, & ab illa obligatione alterum socium eximere.

Eadem ratione iudicandum est vt recte docent Silu. societas. primo. q. 4. & Nauar. in suo Manu. c. 17. num. 259. non licere socio conferenti pecuniam, quo suo honori consulat, scripturam mutui vel depositi ab alio exigere, quamuis haberet in animo illam re ipsa non esse traditam in mutuum, vel depositum sed in veram societatem. Tũ quia posset forsam mutato animo illam, si periret, vt mutuatam aut depositam ab altero socio repetere, tum etiam, quia existit simile periculum, vt ipso re non satis explicata moriente, hęredes illius tanquam vere depositam aut mutuatam postularent. Quo circa talis scriptura in contractu societatis nullo modo exigenda est, quod si facta sit, scindenda est, & abolenda omnino, & conficienda scriptura verę & honestæ ac iustæ societatis. Poterit tamen socius qui pecuniam confert, pignora recipere aut fidei iussores in securitatem capitalis, nisi perierit sibi fideliter restituendi, & lucri quod sibi iusta distributione facta debebitur.

Quarta dubitatio est.

AN SICVT LICET SOCIO *conferenti pecuniam exigere securitatem illius ab altero socio, eo modo quo diximus id licere: liceat quoque socio apponenti suam operam, securitatem illius aliqua ratione ab alio socio postulare?*

FACILIS etiam est huius dubitationis solutio, licere quidem exibenti operam suam aliquid certum exigere, vel recipere ab altero socio apponente capitale tanquam in stipẽdium sui laboris, & industriæ, quacunque ratione negotium illud succedat, prospere vel aduerse: sed in tali casu huiusmodi contractus non est societas, sed locatio suarum operarum ex parte eius qui illas impendit, & conductio earundem, ex parte eius, qui pro illis aliquid certum tanquam in earum stipendium conferret.

Quod intelligendum est, si quidem illud in pecunia numerata exhibeatur: Quod si conferatur pars aliqua lucri & fructus ex illa societate, vel negotio prouenientis; vt in societate contracta in animabilibus tot pulli illorum animalium, in negotiatione aliqua certa pars lucri ex illa cõparati, septima nimirum vel octaua, aut aliqua alia aliquota, qua ratione solent mercatores frequenter cum ministris suorum negotiorum, quos vocant *Factores*, cõuenire, aliter iudicandum est. Nam vel exprese & actu, aut saltim virtute exprimitur, partem illam exhiberi illi in stipendium sui laboris, & industrię, conferturque illi quatenus illa sub tali spe probabiliter ęquipollet certo ac

ac determinato stipendio, quo ille dignus censetur, si operam suam ingerendo illo negotio locasset, Vel neque actu neque virtute exprimitur pars illa esse in stipendium, sed absolute & simpliciter celebrant inter se contractum, distributionem lucri ita constituentes, vt tot partes sint conferentis pecuniam, & talis aliquota sit aponentis suũ laborem & industriam. Si priori modo res habeat, non est contractus societatis, sed locationis laboris, & industriæ, in quo totum lucrum cedit sub ratione totius, in vtilitatem eius qui pecuniam contulit, pars vero quæ alteri apponenti operam suam, & industriam datur, quamuis sit pars aliquota lucri, non tamẽ traditur ei vt pars lucri, sed vt stipendium suę operæ & industrię, mutuo ipsorum consensu ea ratione taxatum; quod enim in certa quantitate conferendũ erat, commutatur in partem illam aliquotã lucri futuri, incertam quidem quo ad sui latitudinem & valorem, dependentem quę ex maiori vel minori quantitate lucri futuri, certam tamen quo ad taxationem illam aliquotam. Quod si posteriori modo res habeat, contractus societatis est: quia fit contribuendo vtroque aliquid suum in ordine ad commune lucrum, altero suam pecuniã, altero vero suam operam, ea lege, vt illud commune lucrum ea ratione distribuatur, vt pars illa aliquota designata sit pars conferentis operam, reliquum vero sit pars cõferentis pecuniam.

Quo fit, vt quando huiusmodi contractus iuxta modo dicta pertinuerit ad contractum locationis operæ, iuxta leges iustæ locationis sit de eo iudicandũ, censebiturque pars aliquota illi assignata iustum stipendium, si sit commensurata labori & industriæ quam apponit, etiam si comparatione lucri quod ex illo negotio speratur, uel habetur, non videatur in ea seruari debita æqualitas & proportio distributiuę iustitię. Quando vero pertinuerit ad contractum societatis, de iustitia illius iudicandũ erit iuxta leges iustæ honestæ quę societatis, & pars illa designata censenda erit iusta, non quidem per comparationẽ ad operam quam impendit, sed per comparationẽ ad lucrum quod ex tali negotio prudenter ac probabiliter speratur: Nam aliter si capitale multum sit, & negotium cui exponitur ex circunstantia temporis & loci plurimum accommodatum ad lucrum, facilius inueniet, qui capitale illud tũc apponit, ministrum & famulum, qui minori pretio negotium illud gerat, quam qui illud suscipit gerendum per contractum societatis: Hoc enim interest inter societatem & locationẽ, vt ad taxandum iustum stipendium locationis operæ alicuius non respisciatur ad lucrum, quod minister ille sua opera acquirere potest, sed ad valorem solum illius operę & laboris: ad taxandam vero partem socio negotianti, conferendam virtute contractus societatis, vtrumq; respisciatur, & valor operæ, ac laboris quem socius ille sustinet in negotio illo, & lucri, quod ex illo probabiliter speratur, & potissime hoc secũdum, nempe lucrum huiusmodi.

Nõ desunt qui existimẽt cõtractũ huiusmodi, in quo alter pecuniã alter vero solã operam apponit, non esse proprie & vere contractum societatis, sed solum locationis operarum & laboris, qua ratione distinctio qua hic vtimur accommodata non esset. Sed hos non recte sentire art. proxime sequenti videbimus controu. prima.

ARTICVLVS IIII.

QVA RATIONE DEBEAT *fieri distributio lucri inter Socios.*

EXPLICATIS iam iustę, honestæque societatis propria vi, & natura, ac debitis illius legibus, & conditionibus, proximum est doceamus, qua ratione tam lucri, quam damni, quæ in societate contingere possunt, recta ac iusta distributio fieri debeat. Ac primum de distributione lucri dicamus. Vbi prius quæ apud omnes certa sunt recensebimus, deinde quæ dubia sunt, & controuersa.

Primum igitur illud certum est apud omnes, in societate illa quæ dicitur omniũ in vniuersum bonorum, de qua diximus art. 2. cum illa duobus modis contrahi possit, vel adeo generalis vt sit omniũ in vniuersum, tã presentiũ quam futurorum, qualis raro occurrit, vel omniũ quidẽ futurorũ post contractã societatem, nõ tamen presentium, quę vnusquisque habet tempore contractus, sicut fit in societate quam vir, & vxor in multis locis, vel mutuo consensu, vel iure, aut consuetudine patrię interse contrahunt: Quacunque raaione sit omniũ bonorum, quando illa inter socios, ipsos

vel

vel hæredes eorum diuidenda sunt, tam bona quam debita, seu damna quę illo art. 2. diximus contrahentibus huiusmodi societatem communia esse, sunt per ęquales partes inter ipsos distribuenda. Hac ratione, vt si societas sit omnium, in vniuersum bonorũ tam præsentium quam futurorum, omnia quæ fuerint apud eos reperta, vndecunque prouenerint, sunt ex ęquo inter illos socios distribuenda: sic enim postulat propria huius societatis vis, & ratio. Non enim fit in tali societate diuisio, iuxta proportionem eorum quæ quis apposuit, vt in societate tertiæ speciei, quę dicitur certę rei, sed per æquales partes, quia per huiusmodi societatem tam generalem omnium bonorum, vt ibi iuxta Iurisperitorum sententiam exposuimus, habent singuli socij in omna bona singulorum par, & ęquale ius, ac dominiũ. Vbi vero par ius reperitur, par quoque debet esse eorum quæ iuri illi subijciuntur, distributio: Quod si societas illa omnium bonorum non respisciat pręsentia, quę tẽpore contractus vnusquisque sociorum habet, sed futura tantum & imposterum habenda, tempore diuisionis retinebit vnusquisque in integrum, quę habebat quando fuit inita societas, omnia vero post illam acquisita ex æquo inter ipsos diuidentur; quia per huiusmodi societatem in ea omnia quæ post illam contractam ab omnibus acquiruntur, habent quoque singuli socij par et æquale dominium. Similique ratione in societate secundæ speciei, quæ dicitur generalis omnis quæstus & lucri, facienda est omnis lucri in quocunq; negotio aquouis socio adquisiti æqualis & par inter socios distributio: quia per huiusmodi societatem, sicut & per societatem omnium bonorum, acquirunt singuli socij æquale ius, & dominiũ in omnem quęstum, & lucrũ, quod a singulis quacunque ratione post talem societatem acquisitum fuerit. Conueniuntque omnes DD, in hac parte.

Secundo certum etiam apud omnes est, in societate tertiæ speciei, quæ dicitur certe rei, quando singuli socij pecuniam aliquam aponunt, siue æqualiter, siue inęqualiter, sed ita vt in expensis, in stipẽdijs quę illius societatis ministris conferuntur, in damnis, quæ illam committantur, & cæteris illam concernentibus ęqualiter concurrant, & contribuant, faciendam esse lucri quod inde prouenerit distributionem pro rata & proportione capitalis quod vnusquisque eorum apposuit. Quia cum in expensis & dãnis omnes similiter contribuãt, neque ex hac parte alter alterum excedat, solum capitale ab vnoquoque appositum est mensura, pro cuius ratione debet inter eos, lucri quód contigerit, fieri destributio.

Tertio, certum quoque est, quod optime docet Tabiens. in verb. vsura. 2. numer. 4. dimissa varietate opinionum, & legum: Vel socios interse ad certam artem vel negotiũ contrahentes in limine contractus illius & societatis constituisse, ac conuenisse interse, quam partem lucri vnusquisque eorum esset recepturus, vel sine vllo pacto inisse societatem: Siquidem interse conueniunt, quę pars cuique cõtingeret, vel pactum illud fuit consonum æquitati, debetque seruari, vel fuit alienũ ab equitate & recta ratione, & tunc seruandum non est, sed ad æquitatem iuxta leges iustę distributionis reducendum. Quod si nullum pactum inter eos constitutum fuit, vel constat de cõsuetudine iusta & rationabili in simili societate tali loco & tempore obseruata, ac si talis extiterit, seruanda est, & iuxta illam facienda distributio. Vbi vero non extat talis consuetudo, iuxta communem recentiorum sententiam faciendus est vnus cum vlus eorum omnium quæ singũli apposuerunt, siue apposuerunt pecuniam, siue industriam, & eo facto debet lucrum inde proueniens distribui, secundum proportionẽ eius rei quam vnusquisque sociorum contulit, atenta & considerata mature ac diligenter potentia seu vi lucratiua rei quæ ab vnoquoque apposita est in illo cumulo & societate.

Quod vt supra dicebamus explicat Cayeta. hoc exemplo. Sint tres socij, quorum vnus contulit mille aureos, secundus industriam valentem totidem mille aureos, tertius vero contulit 500. aureos, vel laborem æstimatum 500. aureis, finita societate lucrum inde proueniens sit 500. aureorum: Debent in hoc casu, vt recte fiat distributio ex isto lucro, ei qui apposuit mille aureos tradi 200. ei qui contulit industriam valentẽ alios mille, tradi similiter alij 200. & tertio qui solum cõtulit 500. aureos, vel laborem dignum 500. auris debent tradi. 100.

Diximus autem atenta matureque considerata potentia lucratiua rei ab vnoquoq; positæ, Quia licet, moraliter loquendo, vix reperiri posit industria, vel opera, quæ in vno aliquo certo negotio seu artificio valeat

leat mille, vel duomillia aureorum, tum etiam, licet pecunia secundum se sumpta, & suam propriam substantiam pecuniæ non sit nata parere pecuniam, aut lucrum, attamen si consideretur industria alicuius periti mercatoris, quatenus negotio alicui intendit, vna cum laboribus, & operibus, quæ illam industriam commitantur, talis industria sic considerata, & reuocata in actum potest æstimari in valore mille, vel duorum millium vel plurium aureorum, sicut statim controuer. proxime sequenti docebimus. Pecunia quoque licet secundum se non sit nata parere pecuniam, vel lucrum, at quatenus exponitur negotijs lucratiuis, potentiam quoque habet, & vim lucratiuam, adeo vt censeatur pecunia in manu mercatoris gerentis negotia perinde se habere, sicut fundus in manu agricolę colentis illum.

Hac ratione fit, (id quod diximus modo iuxta communem doctrinam) Quæ a socijs apponuntur, siue pecunię sint, siue industrię & operę, esse omnia in vnum cumulum congerenda, & pro rata & ratione eius rei quam vnusquisque apposuit, esse illi conferendum de lucro ex illa societate subsecuuto. Eadem ratione intelligendum est, quod dicitur in l. Si non fuerit. ff. pro socio. contrahi posse societatem, in qua licet nullum damnum alter sentiat, lucrum tamen debeat esse æquale: Significat namque lex ista, iustam quidem esse societatē, in qua licet nullam pecuniam suam alter exponat periculo, debeat tamen nihilominus, propter industriam quam contulit, tantum lucri accipere, quantum ille qui apposuit pecuniam: quia industria illa tanti debuit ęstimari, vt valor eius ęquaret valorem pecuniæ ab altero appositę. Quin & aliquando qui nullam apposuit pecuniam, sed solam industriam, vel laborem, vt recta iustaque sit distributio, debebit maiorem partē lucri recipere, quam is qui pecuniam apposuit, quia euenire potest (vt statim videbimus) vt industria vnius excedat, superetque in valore valorem pecuniæ, quam alter in illo contractu & societate contulit.

Sufficiebant quidem hæc, vt Theologus, quem hic potissime circa huiusmodi contractus instruere instituimus, recte valeat discernere, quando distributio lucri ex aliqua societate prouenientis iuste fiat, vel secus: nonnullæ vero recentiorum opiniones rem hanc difficiliorem reddiderunt, quas nunc sequentibus controuersijs examinemus.

Controuersia I.

AN SOCIETAS, IN QVA ALTER apponit pecuniam, alter vero solam operam, & industriam, sit vere & proprie contractus societatis, vel potius contractus locationis suarum operarum.

FACIT plurimum hæc controu. non solum ad ea quæ modo diximus de destributione lucri in societate, in qua vnus apponit pecuniam, alter vero suam operam, & industriam, quæ rursum fusius tertia controu. huius artic. explicabimus, verum etiam ad ea, quę diximus artic. proxime præcedent. controu: 3. & dubio 4. Quia si huiusmodi contractus vere & proprie sit societatis, in distributione lucri, & alijs illum concernentibus erit iudicandum de illius iustitia, & ęquitate iuxta leges, & conditiones iustæ & honestæ societatis: & in distributione lucri ea pars conferenda erit apponenti suam operam & industriam, quam postulauerit recta ratio, habita ratione & valoris operæ, ac industriæ exhibitæ, & lucri ex illo negotio acquisiti, vt in illo 4. dubio diximus. Quod si huiusmodi contractus non sit vere societas, sed formaliter & proprie contractus locationis operarum, iudicandum erit in distributione lucri de illius iustitia iuxta leges locationis, & ea pars tantum conferenda apponenti operas, quæ fuerit iustum & commensuratum stipendium earum, quidquid sit de magnitudine vel paruitate lucri prouenientis: habendusque in huiusmodi contractu, is qui operam & industriam suam confert, non tanquam socius, sed tanquam minister & famulus, quem vocamus *factorem* eius, qui in illo negotio suam pecuniam contulit, & exposuit.

Hoc ita constituto: Ex recentioribus sunt qui existimant, contractum huiusmodi, in quo alter solus pecuniā confert, alter vero nullam pecuniam sed sola industriam & operam, licet communiter a Doctores appelletur societas, re tamen dili-

genter inspecta & considerata formaliter & proprie, non esse contractum societatis, sed verum merũq; contractum locationis illius operæ, & industriæ sub nomine societatis.

Quod ita docent. Qui confert pecuniam in societatem non potest pasćisci cum alio socio de aliqua certa quantirate lucri sibi prouenientis, quia est contra naturã societatis habere aliquod lucrum certnm ex ea, at qui aponit suam operam & industriam, potest pacisci de aliqua certa quantitate sibi conferenda ratione illius operę, & industriæ, & tanquam in illius stipendium, vt docet Siluest. societas. primo, q. 3. sequutus Angelũ de Perusio, non igitur est contractus societatis sed locationis: Probo consequentiam: Quia non est dicendus contratractus societatis ille, in quo sine sui destructione potest reperi, quod est contra naturam societatis.

Secundo, Cum omnis locatio intrinsece, & secundum suam propriam vim, & rationem habeat, vt fiat pro aliquo stipendio, vbicunque interuenit stipendium pro re stipendio digna, est locatio: sicut vbicunque interuenit pretium pro re pretio æstimabili, est vera venditio: sed quidquid recipit conferens suam operam & industriam in negotio, cui alter suam pecuniam exponit, siue recipiat illud in pecunia numerata, certa, & definita, siue in aliquota parte lucri, recipit illud reuera in stipendium sui laboris, & operę est igitur huiusmodi contractus a parte rei locationis vere & proprie, non socieratis, quamuis appelletur societas.

Tertio, in contractu societatis debet vterque contrahentium, saltim intra limites societatis, æqualiter esse expositus damno, & iacturæ eius rei, quam in societatem confert, vt vidimus art. preced. controu. 3. Hoc autem non obseruatur, quando vnus solus pecuniam aponit, alter vero solã operam: Patet, quia vbi nullum contingit lucrum, manet autem capitale saluum & integrum, qui aposuit pecuniam, cum illam integram recipiat, nullum patitur damnũ, vel iacturam sui capitalis, qui vero contulit suam operam, cum nullum prouenerit lucrum, nihil omnino recipit, patiturque omnimodam sui laboris & operæ iacturam.

Quarto, Reperiri etiam e conuerso alia inęqualitas potest, si hic contractus societas sit, nimirum, vt negotio non recte succedente, iactura non cedat ęqualiter in damnum vtriusque socij, quod tamen est contra naturam & leges iustæ societatis. Antecedens patet. Quia si quis aponat mille aureos in pecunia, alter vero industriã & operam valentem arbitrio prudentum 200. pereatque totum capitale, in tali casu qui apposuit mille patitur iacturam & damnum vt mille, alter vero qui solam operam perdidit, non patitur damnum & iacturam, nisi vt 200. aureorum: Quę tamen inęqualitas cessat omnino, si contractum hunc dicamus esse locationis operarum sub ea conditione, vt si nullum ex illo negotio lucrum proueniat, nihil recipiat qui operam suam in illo contulit. Non enim repugnat contractui locationis pactum de amittendo stipendio laboris, & operæ: repugnat autem contractui societatis, vt non sint socij ęquali damno & iacturæ expositi.

Quod autem contractui locationis illud non repugnet, probant duplici exemplo, ex quo etiam colligunt contractum de quo hic agimus non esse societatis, sed locationis operarum. Vnde fit quintum argumentum. Si dominus gregis tradat illum pastori alicui pascendum sub eo pacto, vt ex fœtibus illius gregis recipiat ratione sui laboris & industriæ in pasceno grege illo qnintam partem: Similiter si dominus fundi tradat illum collendum agricolæ eo pacto, vt recipiat quintam partem fructuum ratione sui laboris, & indnstriæ quam adhibet in cultura illius fundi, duo hic perspicua sunt: Prius est, hos contractus esto aliqui ex vulgo appellent illos societates, vere tamen & proprie esse contractus locationis: alterum est, locationes istas fieri cũ pacto de amittẽdo stipendio, quia si ex grege illo iniuria temporis nulli habeantur fœtus, aut ex fundo illo nulli colligantur fructus, qui in pascendo grege vel colendo agro illo suam operam contulerunt, nihil omnino recipient, neque lucri, neque stipendij: Sed quãdo vnus aponit pecuniã exponendam alicui arti, vel negotio, alter vero operam, & ea lege, vt si ex artificio, vel negotio nullum proueniat lucrum, nihil ipse recipiat, sed oleum vt dicũt, & operam perdat, eadem omnino ratione res habet, ac quando dominus gregis tradit illum alicui pascendum, vel dominus fundi agrum suum alicui colendum in exemplis positis, ergo in huiusmodi contra-

contractus, de quo in hac controuersia agimus, non est societatis verè, & propriè, sed locationis, similis exemplis istis de pastore & agricola.

Oppositum tamen docet communis omnium DD, tam Theologorum quam Iurisperitorum opinio: Vbi cōferens pecuniam vel expresse, vel implicite & virtute non cōducit eum, qui apponit operas, tanquam ministrum & factorē suum sub certo aliquo stipendio illi conferendo, vel in pecunia numerata, vel in aliquota certa parte lucri tanquam iusto stipendio illius operę, & labori commensuraro, sed solum confert pecuniā, vt alteri apponēti suam industriam, & operam ad commune lucrum, quod inter eos deinde proportionabiliter diuidatur iuxta leges iustæ societatis, & ea quæ in hoc art. iam diximus de distributione lucri inter socios, talem contractum esse vere & proprie societatem. Dixi nisi conferens pecuniam vel expresse, vel virtute conducat eum, qui apponit operas tanquam ministrū & factorem suum sub certo aliquo stipendio: quia si ita illum conducat, plusquam perspicuum est, talem contractum esse omnino locationis ex parte conferentis suum laborem, & operas, & conductionis ex parte vtentis illis in re sua, & conferentis stipēdium pro illis laboribus.

Probatur autem communis opinio, quę certissime vera censenda est, imprimis ex illo cap. Per uestras. de donatio. inter virū & vxorem, vbi contractus ille in quo Mercatori traditur pecunia dotalis, vt ille cum ea negotietur, partem quæ lucri inde sequuti conferat viro ad onera matrimonij, appellatur communi omnium DD. cap. illud interpretantium consensu contractus societatis.

Secundo, In iure ciuili, cuius authores scimus non ignorasse propriam vim nominum, & naturas contractuum, eum de quo hic agimus, tanquam propria voce & nomine vocant societatem. Institut. de societate per totum. & ff. pro socio. Similiter & potissime Cod. eod, tit. l. societatem. dicitur. *Societatem vno pecuniam conferente alio operam dante posse contrahi.* Vbi glossa infert industriam pro pecunia valere, cum cōtrahatur societas ad commune lucrum, altero pecuniam altero vero industriam apponente.

Vtor iam ratione.

Ad quam obseruandum est, tam cōmuni omnium DD. consensu, quam definitione ac decisione iuris laborem humanum, solicitudinem, & curam in gerendo aliquo negotio, industriam, & dexteritatem, siue peritiam in eo recte & vtiliter dirigendo, pericula quoque tam salutis, quam vitæ, quibus se ipsum offert alterius negotia suscipiens, vicem posse habere pecuniæ. Quia hæc omnia pecunia & pretio æstimari possunt, pecunia autem est quod pecunia æstimari potest, sicut dicitur in prouerbio, aurum est quod aurum valet. Vnde Istitut. de societate. §. de illa. dicitur *Sæpe vnius diligentia tantum præstat, quantum pecunia ab alijs collata*: Simile habetur. l. Societatem. ff. pro socio. & simili. l. Cod. eod. tit. Et hāc ratione assignat ibi Iustinianus, cur possit contrahi societas vno pecuniam alio vero solam industriam apponente: *Quia sæpe vnius diligentia tantum præstat, quantum pecunia aliorum.* Quin & quandoque tot labores, & operę in negotio gerendo exigūtur, vel tot sese offerunt pericula, aut tanta est dignitas personę illud gerentis, vt arbitrio prudentum pluris debeat æstimari labores illi, & pericula, ac operæ vnius quam pecunia alterius, maxime quia lucrum in negotio sæpe industriæ potius & peritię gerentis illud debet tribui. Confirmanturq; hæc omnia imprimis. l. si non fuerit. ff. pro socio. Vbi in principio sic habetur: *Plerumque tanta est industria socij, vt plus societati illa conferat quam pecunia: Idem si solus nauiget, solus peregrinetur, pericula subeat solus.* Vbi ratione laborum, periculorum, & operarum censetur magis quandoq; conferre in societatem apponentem suam operam & industriam, quam apponentem pecuniam.

Secūdo, Institut. vbi supra, & l. Societatē. Cod. de societate. fuit hoc ventilatum inter Quintum Mutium, & Seruium Sulpitium. Etenim cum vnus contulisset in societatem 200. aureos. alter vero 100. sed ita, vt cum vtriusque pecunia sua industria negotiaretur, fuit definitum, huius industriam, laborem, & solicitudinem tanti æstimandam esse, vt valeret pro 200. aureis, quibus cōiunctis illis 100. quæ apposuit in numerato, censendus esset perinde ac si apposuisset 300. aureos: Quę omnia quanti sit facienda industria, & qua ratione non minus in contractu societatis, & negotijs æstimetur, ostendunt appertissime.

Vnde sic arguo, Si vno apponente pecuniam, & altero solā operam & industriā nō contraheretur vera societas, quorsum Imperatores, & alij Iurisconsulti, qui & contractuum ciuilium, & vocabulorum, quibus

denominandi sunt, propriam vim & rationem optime agnouerunt, tam diligenter curarunt ostẽdere industriam, & operã vnius tanti estimandam esse, quanti pecuniam alterius? Nam ad contractuum locationis illud neque exigitur, neque refert, sed ad cõtractum societatis: Quia in locatione illud tantum attenditur, & sufficit, vt stipendiũ commensuretur labori & industriæ eius qui conducitur: ad contractum vero societatis, quia quod ex eo recipit conferens suã operam, non recipit vt stipendium, sed vt partem lucri communis in illa societate, attenditur plurimum, quanti estimetur industria & opera quæ confertur, & quam proportionem habeat cũ capitali, quod ab alio apponitur.

Denique societas vt ex art. 1. huius quæstio. constat definitur. *Duorum pluriumue conuentio contracta ad commodiorem vsum, & vberiorem quæstum illis communem*: Quando autem duo conueniunt, vt alter conferat pecuniam, alter suam industriam & operam, huiusmodi conuentio contrahitur ab illis ad commodiorem vsum vtriusque: fit enim communiter hic contractus inter eos, quorũ vnus habet pecuniam, sed est imperitus negotiorum, alter e conuerso cũ sit peritus negotiorum, non tamen habet pecunias cum quibus negotietur, sic quæ cedit in cõmodiorẽ vtriusq; vsum, vt alter pecuniam alter vero suam apponat industriam: Et ad vberiorem communemq; quæstum, cũ lucrum inde proueniens commune sit vtriq;, & inter ipsos seruata debita proportione diuidendum: Ex quibus omnibus constat hunc contractum veram esse societatem.

Argumenta in oppositum non habẽt eã vim, vt propter ea sit a communi & adeo recepta opinione recedendum.

Ad primum constat ex dictis art. præced. controu. 3. intra limites societatis, & ex vi illius apponentem pecuniam debere manere expositũ & periculo capitalis sui, & fortunæ incerti lucri, per alios vero contractus societati admixtos, sed ab illa distinctos, posse seruatis conditionibus quas ibi constituimus, habere securum capitale, & certam aliquam quantitatem lucri sperati. Vnde pari ratione, aponens operas, quãuis ex vi societatis non habeat certam quãtitatẽ lucri, sed eam quæ arbitrio prudentũ pro ratione lucri & suarum operarum videbitur ei conferenda, ex peculiari tamẽ conuentione inter eos libere inita, potest habere securã aliquotam partem lucri: Quod si aliqua certa quantitas illi conferatur in stipendium sui laboris, tunc (vt diximus) nõ est societas, sed locatio: Hic autẽ agimus de contractu, in quo apponens operas non recipit aliquid certũ tanquã in stipendiũ, sed sperat partẽ lucri sibi conferendã, iuxtã proportionem rei quã apponit: sicut is qui contulit pecuniã, sperat aliam similiter sibi conferendam in distributione lucri.

Et ex his patet etiam solutio ad secundum.

Ad tertium respondet. Conrrad. de Contractib. q. 89. conclus. 6. seruari in eo casu æqualitatem. Vult enim Conrra. in huiusmodi cõtractu cũferentẽ pecuniã tria habere, pecuniam, vim lucratiuã quã illa habet exposita negotijs, & spem lucri: cõferentẽ vero operas alia tria, nimirum suam personam, operam quam impendit, & spẽ quoq; lucri: Et hac ratione, sicut is qui contulit pecuniam, vbi nullum prouenit lucrum, amittit duo, nempe, & vim illam lucratiuam pecuniæ, & spem lucri, nam vtraque frustratur, manet autem illi integrum & saluum vnum, nempe capitale, ita quoq; is qui apposuit operam, amittit alia duo, nempe & suam operã, & spem lucri, frustratur enim vtraque, manet vero illi integrũ & saluum vnũ, sua scilicet persona cum industria & dexteritate negotiandi: Hęc tamen solutio reijcitur communiter & merito. Primo, quia nouum est, & inauditum apud DD. vt persona conferentis operas dicatur apposita in societate, in societate namque illa tantum dicuntur vere apponi, quæ perse & ex natura talis contractus exponuntur periculo damni, vel lucri, persona autem socij negotiantis potest quidem per accidens exponi alicui periculo itineris, vel maris, at perse & directe ex natura societatis non exponitur iacturæ, vel lucro, sed opera tantũ illius. Secundo, quia si persona esset quid appositũ in societate, sequæretur æadem inequalitas, quam illa solutione nititur effugere Conrradus. Vbi enim negotium adeo sinistrè succederet, vt capitale quoque periret, qui illud apposuit omnia perderet, & capitale, & vim lucratiuam pecunię, & spẽ lucri: alter vero solum amitteret duo, nempe operam, & spem lucri, maneret vero ei salua sua persona. Vnde plura exponeret vnus quàm alter, existeretque semper in hoc contractu inequalitas.

Qua de causa respondet deinde idem Conrrad. q. 93. Conclus. 2. corrola. 2. vbi nullum lucrum ex societate prouenerit, capitali

capitali manente saluo, diuidendum esse illud inter vtrumq; socium proportionabiliter, ita vt si operæ in valore æquentur capitali, diuidatur illud per equales partes; si superet capitale accipiat maiorem partẽ qui illud apposuit, si vero excedant in valore operæ, recipiat maiorem partem qui illas exhibuit: Hæc tamen solutio & doctrina, vt inferius videbimus controu.3. huius ar. a nullo recipitur.

Vnde ad argumentum illud tertium dicamus, nullam esse inæqualitatem, vt vbi nullum prouenit lucrum saluo manente capitali, qui apposuit operas, illas omnino perdat, qui vero apposuit capitale integrum recipiat illud: sic enim exigit natura huius cõtractus: Cuius rei ratio est. Quia hic contractus non instituitur in ordine ad capitale, sed in solo ordine ad lucrum, ratione cuius confert hic suam pecuniam: quæ eo ipso quo exponitur negotio, habet vim lucratiuam, alter vero suas operas, cum dupplici conditione, vna, ut quod ab vnoquoq; cõfertur intra limites societatis maneat expositum iacturæ & periculo, altera, vt lucrum proueniens debita proportione inter ipsos diuidatur: Cum ergo societas non fiat in ordine ad capitale, sed in ordine tantum ad lucrum, & cum istis duabus conditionibus, seruatis illis seruatur æqualitas, quam exigit huiusmodi cõtractus secũdũ suã propriam vim, & naturã: vt si capitale pereat, pereat apponenti illud, similiter si operæ frustrẽtur, frustrẽtur impẽdẽti illas: si quod lucrum proueniat, diuidatur inter eos sicut oportet, si nullum, nihil inde vllus recipiat: In his.n. consistit tota vis & similiter æquitas huius contractus, neq; pertinet ad illum aliqua diuisio capitalis, cum non contrahatur, vt aliquam partem ipsius alter habeat, sed solius lucri: Nisi ex peculiari pacto ita interse conuenirent, vt vbi nullum succederet lucrum, conferenti operas, ne in vacuum omnino laborasset, aliqua pars capitalis, vbi illud saluum maneret, exhiberetur: tunc enim esset aliquid ei conferendum, non ex vi societatis, sed vi illius peculiaris pacti sic appositi.

Ex his soluitur etiam quartum argumentum. Nullam esse inæqualitatẽ vbi omnia pereunt omnino, & capitale, & operę, vt pereant ijs qui illa contulerunt, esto capitale valeat mille, operæ vero 200. patianturque damna a parte rei inæqualia. Quia de natura huius contractus nõ est, vt damnum vel lucrum sint æqualia, æqualitate Arithmetica, sed æqualitate Geometrica, & proportionabili pro ratione rei quam vnusquisq; eorum apponit: ita vt quod vnusquisque apponit, siue paria sint & æqualia, siue inæqualia, sint ex æquo simili periculo exposita, cum damno & iactura conferentis illa, sicut & lucrum vtrique commune esse debet, pro ratione rei quam vnusquisque eorum contulit.

Ad vltimum dico, iuxta ea quæ docuimus art. præced. cõtrou.3. dubio.4. Si quidem pastori conferat dominus gregis fœtus aliquot, vel agricolæ dominus fundi aliquotam partem fructuum, vel expresse, vel implicite & virtute, tanquã in stipendium suorum laborum, esse contractum locationis, & de illius iustitia esse iudicandũ iuxta leges iustæ locationis, & conductionis, considerandũq;, num pars illa aliquota, quæ assignatur, commensuretur labori & operę, quã pastor ille in pascendo grege, vel agricola ille in colendo fundo est collaturus. Quod si neque expresse, neque virtute pars illa tradatur eis in stipendiũ, sed tanquam pars lucri cõmunis inter eos, sub ratione lucri vtrique communis diuidẽdi, est vera societas, de qua iuxta leges veræ & iustæ societatis iudicandum est, ea quæ pars lucri assignanda pro ratione operę, quam postulauerit iusta & æqua distributio lucri in societate seruanda. Similiterq, dicendum est de contractu, in quo vnus ponit pecuniam, alter vero industriã assignata illi aliquota quantitate lucri in partem ipsius.

Constat ex his, qua ratione apponens solam industriam societatem vere contrahat, Nunc de apponente pecuniam, quid in societatem cõferat, explicemus oportet: quia ex eo pẽdet, quam partem debeat recipere in distributione lucri.

Controuersia II.

AN TOTA PECVNIA, QVAM *vnus confert in societatem, sit censenda sors illius, vel solum valor periculi cui illa exponitur.*

Dominicus Soto lib.6. de iustq.6. art.1. habet tria, Primo, vt lucrum inter socios recte diuidatur, constituendum esse vnum cumulum, ex omnibus quæ socij in illam societatem inter eos contractam contulerunt. Secundo,

æstimandam esse sortem, seu rem ab vnoquoque socio collatam, vt intelligatur quã partẽ habeat in illo cumulo, vt pro ratione illius partis recipiat deinde partem lucri, quod inter eos venerit distribuendum. Tertio addit, illud esse diligenter obseruandũ, ne in destributione lucri decipiamur, quando vnus apponit pecuniam, & alter industriam tantum, valorem sortis conferentis pecuniam non esse ęstimandum secundum valorem proprium ipsius pecuniæ, sed secũdum valorem periculi, cui illa in tali negotio exponitur. V.g. conferat Petrus in societate suam tantum industriam, Paulus vero duo millia aureorum, valor sortis Pauli non est (inquit Soto) æstimandus tanquã duomillium aureorum, sed in valore tantũ periculi, cui illi duo mille aurei in tali negotio exponũtur: ita vt si periculum, cui in tali negotio exponuntur, arbitrio prudentũ sit vt 100. vel communi vsu fori tali loco & temppre assecuranti illos duomille aureos nõ cõferentur nisi 100. sors Pauli in illa societate sit censenda 100. aureorum, quia tãti æstimatur periculum, cui ille duomille aurei tunc exponuntur.

Probat illud Soto imprimis: Quia si pecunia, quæ ab vno socio aponitur, tanti ęstimanda esset, quantus est proprius & cõmunis valor ipsius pecuniæ, nunquam fere daratur industria, quæ illi sorti & valori pecunię æquaret, neque posset vnquã appones operam suam tantum lucri recipere quantum apponens pecuniam: Quod est aperte contra desissionem iuris, vbi varijs in locis maxime in loco illo citato Instit. de societate §. de illa. habetur apertissime: *Industriã vnius tanti sæpe æstimandam esse in societate & nonnunquam pluris, quam pecuniam alterius.* Et confirmatur: Quia si comparetur industria in negotio facili, & exigui laboris, quin & multi laboris cum capitali ab altero apposito 3000. aureorum, aut pluriũ, talis industria nihil valeret, nullãque fere partem lucri aut nimis exiguam deberet recipere apponens suam operam, cum tamen in iure dicatur. *Quandoque industriã & operã vnius aquare pecuniæ alterius, etiã multæ.*

Secundo. Qui solum apponit pecuniam in societate, nec ibi expendit aut consumit illam, nec negotiatur cũ illa, nec subit labores mercatoris, neq; aliquas operas circa illam præstat, neq; aliud facit quam exponere illam periculo, vnde ipsa recta ratio dictat, nihil aliud ei deberi eo quod pecuniã illã conferat, quã quod prudenter iudicabitur valere periculum cui illam exponit, vel quod daretur tũc vsu fori mercatori illã assecuranti in pretiũ illius assecurationis.

Et confirm. Ex pecunia propterea in societate lucrũ percipi potest, quia exponitur negotijs cũ periculo, ergo iuxta quantitatem & valorem periculi, non iuxta proprium valorem pecuniæ æstimanda est illa in contractu societatis, & commensurãda pars lucri conferendi apponenti illã: Quemadmodum, quia aqua calida non est calefactiua, vt aqua, sed vt calida, pro quantitate caloris calefaciet.

Hęc opinio Soti noua est apud DD. cũ omnes tam Theologi, quam Canoniste, & Summistę qui hactenus de hoc cõtractu societatis scripserunt, ipsam pecuniam, quæ ab aliquo in societatem confertur, vocauerint perpetuo capitale, & sortem illius, nec iuxta quantitatẽ periculi, sed iuxta quantitatem ipsius pecuniæ, quam quis apponit, docent partem lucri distribuendi, esse illi conferendam. Vnde Nauarr. in suo Manu. c.17. n.251. & alij recentiores qui post Sotum scripseruut, reprehendunt illum, & merito in hac parte, docentes quod verissimũ est, & tenẽdum, totam pecuniam ab aliquo appositam secundum totum suum valorem esse sortem conferentis, illam, & iuxta proprium illius valorem esse conferendam illi partem lucri, quando fiet illius distributio. Idem sentit quoque aperte Cayet. in commẽto. q.78. ar.2. ad quintum, & in Summa verb. societas cum dicat distributionem lucri sic esse faciendam. Vt si Petrus apposuerit. 1000. aureos, Paulus industriam valentẽ alios 1000. aureos, Franciscus vero 500. aureos, vel operas ęstimatas 500. aureis, pariatque talis societas lucrum vt 500. aureos debet illud sic diuidi & distribui, vt Petrus recipiat ex illo lucro 200. aureos, Paulus totidem, Franciscus vero 100. Iuxta quam distributionem, quam docet Cayetan. sors quam contulit Petrus in hac societate sunt omnes illi mille aurei quos apposuit, nõ periculum tantum illorum, quia si periculum solum esset sors Petri, vt vult Soto, cum periculum 1000. aureorum non sit ad summũ æstimandum nisi 50. vel 60. aureis, Petrus ex illo lucro nõ posset recipere 100. aureos nec 50. cuius oppositũ docẽt omnes amplectentes & probantes istud exemplũ, & distributionem qua in eo vtitur Cayeta.

Probaturq; imprimis ex illa toties citata lege Si non fuerit. ff. pro socio, & institut. de societate. §. de illa. quod etiã habetur in legibus

legibus Castellę.l.4. titul. 10. partit. 5. in quibus tota pecunia ab aliquo apposita vocatur absolute & simplicite sors, & capitale illius: Et ita obtinuit semper vsus mercatorum, qui in his peritissimi sunt, norunt quę optime, quid vocandū sit sors vniuscuiusque socij, qui totam pecuniā, quam aliquis apponit, dicunt sortem, & capitale illius, ita vt iuxta illius valorem recte ac iuste fiat lucri acquisiti ex societate distributio. Quorum iuditium in his tam in foro fori, quam in foro poli tanti faciendum est, vt dicat Nauarr. loc. cita. nullam esse securionem, aut apertiorem regulam ad statuendam in huiusmodi contractu æqualitatem inter socios, quam illud remittere iudicio peritorū ac prudentum mercatorum.

Secundo probatur: Quia aliter sequeretur sepe magna inæqualitas in distributione lucri; Accideret enim vt conferēs 2000. aureorum in negotium satis securum, ex lucro perexiguam reciperet partem, & apponens operas omne fere lucrum reciperet, quod omnium iuditio perspicuum est magnam inæqualitatem continere.

Tertio. Actus humani maxime in negotijs ex intentione agentium cui nulla misceatur fraus vel dolus, pendent, sed in hoc contractu, qui confert pecuniā, totam quātitatem quam cōfert, intendit apponere, vt capitale & sortem, cui commensuretur pars lucri sibi tribuenda, & recipiens illam, vt cum ea sua industria negocietur, similem habet existimationem, totam illam pecuniam, quam ab altero socio recipit, esse sortem illius, iuxta quam est recepturus ille lucrum: Neque vnquam inter mercatares cōsideratum est, quanto vel quali periculo pecunia illa exponatur, vt iuxta valorem periculi æstimetur sors conferentis pecuniam.

Denique cum societas contrahatur in ordine ad aliquod negotium, per quod acquiratur lucrum, sicut ex parte apponentis operas, valor operarum quas illi negotio impendit, est sors ipsius, ita quoq; ex parte aponentis pecuniam, tota illa pecunia quæ illi negotio exponitur, est sors ipsius: aliter non esset æqua vtriusque socij ratio. Exponitur autem negotio tota illa pecunia, quam socius illam apponēs confert: quin & in hunc finem ab illo confertur, vt tota illa exponatur, quia ex tota illa intendit habere lucrum, Est igitur tota illa ipsius capirale & sors.

Argumenta Soti facile diluuntur.

Ad primum respondeo: Iura illa ciuilia non affirmare valorem industriæ semper ęquare pecuniæ, sed aliquando, quin & aliquando illam excedere: quod verissimum est, etiam si tota pecunia, quæ ab vno apponitur, secundum proprium valorem ipsius pecuniç asseratur esse sors conferentis illā: Quis enim dubitat vbi vnus confert mille, vel duomilia aureorum, cum quibus alter negotietur profecturus in Indiam, vel alio, quo nisi per mare perueniri non possit, debeatque subire, negotio illo vel sua natura vel iniuria tēporum ita exigente, maximos labores, & pericula vitæ in longo itinere, & peregrinatione, proprijs laribus relictis, operas, & industriā, ac labores huius ęquari millibus aureorum, si multum temporis tale negotium cum istis laboribus & periculis exposcat.

Ad confirmatiunem dico: Quod in eam fertur tanquam incommodum, nullum incommodum esse, quin potius hoc pertinere ad iustam distributionem quam exigit hic contractus, vt si pecunia quā vnus apponit multa fuerit & in maxima quantitate, industria vero & opera alterius exigui valoris, hic parum lucri reportet, ille vero multum, & oppositum vt diximus contineret inæqualitatem: quia distributio lucri (vt constat) debet fieri pro ratione eius quod vnusquisque in societatem contulit.

Ad secundum respondeo. Esto conferēs pecuniam nec illam in societate expendat, vel consumat, nec ipse cum ea negotietur, nec labores aliquos ipse patiatur, vel operas præstet, iuste nihilominus eam partem lucri sibi vendicare, quæ toti pecuniæ a se apposite commensurabitur: quia totam illā tradidit, exposuitque negotio in ordine ad lucrum illud: Nō.n. aliud exigit cōtractus hic, neque in alio (vt sæpe diximus) consistit, quam vt conferens pecuniam totā illā tradat negotio, exponatque periculo: recipiens illam fideliter, & diligenter se habeat in gerendo illo negotio, ac demum vt lucrū inde proueniens debita proportione inter ipsos distribuatur.

Ad confirmationem dico, verum esse antecedens, consequens vero, quod inde infertur esse diminutum. Nam ex illo antecedenti: Propterea ex pecunia in societatem collata lucrum percipi posse, quia exponitur illa negotijs cum periculo, non erat inferendum, Ergo iuxta valorem periculi æstimanda est pecunia illa in societate: Sed sic potius, Ergo iuxta quantitatem quæ

quæ exponitur negotijs & cum periculo, æstimanda est sors, vt idem terminus qui sumitur in antecedente, sumatur, sicut debet in optima argumentatione, in consequē te. Qua ratione antecedens illud nobis fauet: Quia cum propterea ex pecunia in societatem collata lucrum iuste percipiatur, quia illa exponitur negotijs cum periculo, exponatur autem negotijs & cum periculo tota quantitas quæ confertur, propterea tota illa est sors, & ex tota illa recipit iuste lucrum qui illam apposuit, seruata equalitate (vt diximus) Geometrica debitæ proportionis.

His iam explicatis ad præcipuam quæstionem huius articuli conuertamus orationem, ea vero est.

Controuersia III.

QVA RATIONE DEBEANT *socij se habere in destributione lucri, tum etiam in compensatione damni, quando nullum est lucrum, vel deperditur capitale apositum.*

IN hac quæst. certum imprimis est apud omnes, quod habet Nauarr. in Sum. c. 17. num. 251. licere vicuique socio ex amicitia, vel liberalitate, vel pietate maiorem partem lucri alteri exhibere, quam iuxta leges iustę distributionis illi debeatur: cum iure naturæ de suis bonis possit vnusquisque pro libito disponere: Qua ratione iustificātur multæ societates, in quibus viri diuites & potentes multam pecuniam suis amicis, vel affinibus conferunt eorum industria negotijs exponendam, & ea lege, vt minimam partem ipsis ex lucro reddāt, reliquū pro sua industria sibi retineant. Vbi illud obseruandum est, vt recipiens maiorē lucri partē, quā sibi deberetur, intelligat, gratis & libere ab altero illud sibi cōcedi, non ex aliqua necessitate. Contingit enim aliquando, vt diues nolens pecuniam suam habere ociossam, nec inueniens qui recipiat illam ad negotiandū cum ea, non ex amicitia, vel liberalitate, sed necessitate adductus, ne illam habeat omnino inutilem ac infructiferam, offerat mercatori maiorem partem lucri, quam iuste esset illi reddenda, vt ea ratione ac cupiditate inducat illū ad pecuniam illam recipiendam, & contrahendam cum ipso societatem: quo casu non potest tantum lucri recipere, sed tenetur quidquid partem iuste sibi debitam excesserit, restituere, quia non gratis & libere sed ex quadam necessitate fuit illi collatum.

Hoc præmisso varij sunt DD. in proposita quæst. Recentiores quadam secuti Conrrad. de contract. q. 93. conclus. 2. Corrolar. 2. & Ioannem Maiaris. in 4. dist. 15. q. 47. docent hæc tria.

Primum est. Quando operæ & industrię vnius æquātur pecunię alterius, tam lucrū quā capitale esse inter eos per æquales partes diuidenda: ita vt si apponat vnus 1000. aureos, alter industriam valentem similiter alios 1000. & in fine societatis reperiantur tam lucrū quam capitale efficere summam 3000. aureorum, debeant illa inter ipsos ex æquo diuidi recipiente vnoquoque eorum 1500. aureos. Vnde inferunt primo, Vbi socij interse conuenirent finita societate diuisionem faciendā esse per partes æquales, non exprimentes an solius lucri, vel totius summæ. i. tam lucri quam capitalis, in dubio intelligendū esse totius summæ: quia celebrantes aliquem contractum, in dubio, præsumendi sunt voluisse celebrare illum iustum, huiusmodi autem contractus (inquiunt) iustus non est, nisi fiat in eo ex ęquo diuisio tam lucri quā capitalis. Adeo vt si conuenirent huiusmodi socij, vt finita societate non diuideretur capitale, sed solū lucrum, capitali in integrum reddito socio qui illud tradidit, esset pactum iniquum. Inferunt secundo, si operæ, & industrię nō æquentur in valore pecuniæ alterius, sed dimidio tātum valori illius, & fiat pactum, vt conferens operam recipiat tertiam partem, intelligendum etiam esse, vt recipiat tertiam partem totius summæ conflatæ ex capitali & lucro. Eiusdem sententiæ faciūt Cayet. Et Couar. sed quid hi senserint inferius dicemus.

Hoc primum dictum ita probant: In societate seruanda est necessario æqualitas, esset autem maxima inęqualitas, si vno cōferente pecuniam & altero industriā ęqualis valoris, in fine societatis solum lucrum diuideretur per æquas partes, non est ergo illud tantum ita diuidendum, sed vna cum capitali: Probatur minor: Quia si lucrum tantum diuidatur, cum apponēs pecuniam recipiat illam integram, quæ. v. g. persistendo in exemplo illo adducto sit mille, & dimidium lucri quod sunt 500. qui vero cōtulit operas, quæ valent etiam mille, non recipiet nisi solum aliam medietatem lucri, nempe

nempe alia 500. efficitur, vt qui contulit pecuniam habeat 1500.conferens vero operas habeat tantum 500. quæ est maxima inæqualitas,cũ aposuerint portiones adeo pares, & æquitales.

Secundum dictum huiusmodi authorum est: Si in huiusmodi societate,in qua industriæ valor ęquatur pecuniæ fortuna adeo aduersa fuerit,vt totum capitale in fine socieratis inueniatur perisse, neutrum teneri ad aliquid compensandum vel reficiendũ alteri socio,quia in tali casu vterque patitur ęquale ac simile damnum, vnus in pecunia,alter in suo labore,& industria, cuius valor illi pecuniæ æquabatur. Quod si capitale illud in principio contractus perierit, & antequam alter vllam operam suam adhibuerit,teneri hunc ad referendam domino pecunię medietatem illius,quia hic nullum aduc passus est damnum, cum nullam aduc operam apposuerit, sed omne damnũ accidit in capitali: iusta vere societas exigit,vt sicut lucrum si obuenisset fuisset vtrique commune,ita quoque & damnũ quod accidit,inter vtrumque diuidatur. Si vero perierit capitale in progressu negotij, & ante finitam societatem, postquam alter iã aliquas operas adhibuit, tunc iuxta valorẽ operarum quas aduc erat collaturus, & in quibus aduc nullam passus est iacturã,debere aliquam partẽ capitalis deperditi domino illius reficere.

Tertium dictum est: Si operæ & industriæ non æquentur valori capitalis secundum se & suam propriam ęstimationem,in ordine tamẽ ad lucrum ex illo negotio cui impenduntur obtinendum,arbitrio prudẽtum tantum valeant quantum capitale alterius,licere pacisci cum sotio domino capitalis,vt finita societate accipiat apponẽs operas dimidium lucri,vel eam partem illius, quę commensuretur valori illarum operarum in ordine ad tale lucrum,ac vt totũ capitale saluum manens ad eum solum pertineat qui apposuit illud.

Et hoc modo (inquiunt) credendum est exerceri communiter inter homines & negotiatores contractum societatis: Vt operę & industriæ non summantur secundum valorem,quem secundum se habent, quia ea ratione nunquam fere æquantur in valore pecuniæ & capitali, (vt dicebat Soto,) sed iuxta valorem in quo æstimabuntur arbitrio prudentum respectu lucri in tali negotio obtinendi, & in ordine ad illud. Quin & hunc dicunt esse communiter animum contrahentium societatem, quando aliud non exprimunt,nec ducunt in pactum,nempe vt operæ,industriæ, & labores, vel instrumenta,quę vnus in negotio illo gerendo apponit,ęstimentur solum penes ordinẽ quem habent,& vtilitatem quam afferunt in tali negotio ad lucrum,quod ex illo speratur:recipiatque aponãs huiusmodi operas, & labores tantum lucri prouenientis, quantum æquum censebitur his tribus cõsideratis: Primo,valore operarum sub ista ratione & ordine ad lucrum, Secũdo,valore capitalis,& pecunię apposite: Tertio,cõsiderato etiam capitali si superstes sit manere saluum conferenti illud,operas vero & labores perire necessario,cum sint actiones in motu & fluxu positę, solumque lucrum inter ipsos socios esse diuidendum.

Vnde inferunt,iuxta communem vsum contrahentium societatem, tuta conscientia,aponẽtem pecuniam illam,si salua maneat,integram recipere,tradita tantum alteri socio adhibenti operam suam ea parte lucri,quę illis tribus consideratis censebitur prudenter illi deberi.

Quod ita probant: Contractus omnes, quando aliud nõ exprimitur, censentur celebrati iuxta consuetudinem loci in quo fiunt,vt constat ex l. Quod si nolit. §. Quia assidua. ff. de ędeli. edict, & ex l. Prius. §. placuit. ff. de aqua pluuia. arcend. At regulariter & communiter contrahentes societatem,in qua vnus confer pecuniã,alter suam operam & industriam, nec exprimant peculiari pacto, quam partem sit vnusquisque eorum accepturus, nũ solius lucri an totius summe i. & capitalis & lucri, intelligunt solius lucri inter ipsos faciendam esse distributionem, deducto capitali ac traditio socio qui illud contulit,sic quę communiter obseruant: iuste ergo illud ita fit, vbi vsus aliud non habet: Vnde si alicubi vigeret consuetudo,vt communiter contrahentes societatem tam capitale quam lucrum interse diuiderent, vbi non exprimerent, quæ pars vnicuique sociorum esset conferenda,deberet inter eos diuidi tam capitale quam lucrum,quia sic haberet ibi consuetudo: Quod si alicubi promiscue hic contractus celebraretur vtroque modo, tunc vbi contrahentes societatem non exprimerent quomodo illam contraherẽt,talis societas censenda esset contracta eo modo, qui iudicaretur magis consonus ęquitati, quia in dubio pręsumendũ est contrahentes æquitatem intendisse,ac voluisse seruare.

Couar.lib.3.varia.resolut.cap. 2. num.2. conclus.prima. videtur satis ad hanc opinionem accedete, maximeque conuenire cũ secundo dicto illius: habet tamen aliquid ab ea diuersum, sed quod ad pręsens institutum non parum facit. Cuius mentem sic ego accipio, vt in primis videatur ibi vti aperte hac duplici distinctiane. Nimirum: vt vel industria, quam vnus adhibet, æquetur in valore, & æstimatione, pecuniæ quã alter exhibet, vel non ita ęquetur illi. Rursum, vt qui huiusmodi societate contrahũt, vel conueniunt, vt tam capitalis periculum quam lucrum futurum sit vtriusque seruata debita proportione, vel conueniunt vt periculum capitalis sit solum apponẽtis illud: vel constituunt interse aliquod aliud pactum, aut nullũ omnino: His distinctionibus meo iuditio vtitur ibi Couarru. in progressu eorumque ibi docet.

Quibus positis habet hæc tria, primum est. Posse aliquem per societatis contractũ pecuniam suam dare mercatori hac conditione, & pacto, vt accipiens illam mercatoriam artem cum illa exerceat, laborem, & Industriã subiturus, ac ita, vt tã lucrum ex illa acquisitum quam damnum inde sequutum communia sint vtrique. Nomine vero damni subiungit se intelligere, dãnũ quod in ipsis mercibus, aut negatione continget, non autem periculum pecuniæ in societatem collatæ, quia illud ad eum qui pecuniam contulit, vult ibi Couarru. pertinere: Nisi socij (inquit) interse peculari pacto conuenerint, vt damnum capitalis ad vtrumque spectet. Quod pactum ęqusimũ censet, vbi industria vnius non æquatur in valore capitali alterius. Tunc enim, sicut ęquum est, vt qui operam suam impendit minoris valoris quam capitale, non tantum lucri recipiat, quantum qui capitale contulit, ita quoque ęquum est, vt si sors perierit, incompensam quandam partem illius sortis, socio qui eam apposuit, & eius iacturam patitur, reficiat, vi illius pacti, quo vterque damnum omne in illa societate contingens ad vtrumque pertinere conuenerunt: Sic enim loquitur ibi Couarru. in hoc primo dicto, supposito tali pacto. Qua ratione acceptum hoc primum dictũ Couar. est communis doctrina multorum Iurisperitorum, quos ibi affert.

Secundum dictum eius est. Vbi industria & opera vnius æquatur in valore pecuniæ alterius, lucrum debere exęquo esse vtriq; commune, deductis expensis, & rebus deperditis in progressu negotij: Quod si finita societate fortuna adeo aduersa fuerit, vt omnia perierint, & capitale ipsum, neutrũ teneri ad aliquid refficiendum alteri: quia vterque simile & æquale damnum recepit, vnus in pecunia, alter in industria, quæ illi in valore, ęquabatur.

Tertium dictum eius est. Si vero finita societate nullum contingat lucrum, capitale vero saluum maneat, vbi pecunia & industria æqualia erant, debere capitale illud inter vtrumque diuidi, modo nulla interuenerit culpa eius qui operã suam adhibuit: Nisi fuisset inter ipsos conuentum, vt totũ periculum & damnum capitalis ad eum pertineat, qui pecuniam contulit, tunc enim seruandum erit pactum illud. Priorem partem huius tertij dicti probat eodem argumonto quo auctores præcedentis opinionis. Quia cum paria in societatem contulerint, vnum omnino amittere quod cõtulit, nimirum valorem suę industriæ, & laboris, alterum vero retinere saluum quod apposuit, nẽpe capitale, est magna inæqualitas: Quæ repugnat iustæ societatis legibus. l. si id quod in princ. & §. item Celsus. ff. pro socio. l. cum duobus. §. quidam sagariam. eod. tit. & alijs iuribus. Aduersaturq; multis Doctoribus quos ibi refert. Posteriorem partem, si fuerit inter ipsos conuentum, vt totum periculum capitalis pertineat ad eũ qui illud apposuit, tũc debere manere illi totum saluum, nec esse diuidẽdum, vi illius pacti, etiam si nullum lucrum contingat, confirmat authoritate Ioann. Lupi. in illo cap. Per vestras. notab. 6. §. 12. num. 9. & Angeli. De duobus fratribus. q. 15.

Cayeta. 22. q. 78. art. 2. ad 5. constituit imprimis, Iuxta propriam vim & rationem societatis hæc tria in illa desiderari; Primo, ut capitale sub sit periculo, sicut & lucro. Secundo, vt lucrum conferendum apponẽti pecuniam sic proportionetur capitali illius, vt seruetur etiã debita proportio eiusdem lucri cum altero socio. q. d. vt tam lucrum quam damnum seruata debita proportione respondeat rei, quã vnusquisq; sociorũ cõfert, siue cõferat pecuniam, siue industriã. Tertio, vt a principio ęstimẽtur singulæ sociorũ portiones, idest valores eorũq; vnusquisque aponit, ex quibus fiat quasi vna summa pecuniæ illis communis, secundum proportionem & valorem rei quam vnusquisq; apponit: quò deinceps finita societate, in distributione damni, & lucri tantum vnusquisque recipiat illius damni, vel

lucri

lucri, quantum seruata proportione commensurabitur valori rei quam apposuit, perinde ac si omnes pecuniam aliquam in eo valore & quantitate contulissent.

Quibus propositis, qua ratione fieri debeat lucri distributio, hoc exemplo docet Sint inquit tres Socij, quorum vnus conferat mille aureos, alter operas similiter æstimatas misse aureis, alter industriam iudicatam valere 500. Stabilienda ac constituenda hæc societas est, quasi hi tres cõtulissent in pecunia numerata 2500. aureos: qua finita si lucrum sit, vt 5. primus qui contulit 1000. aureos habeat ex illo lucro vt 5. duo, Alter qui contulit operas valentes etiam 1000. accipiat similiter alia duo: tertius vero, qui solum contulit industriam vt 500. habeat vnum, sic enim seruatur debita proportio lucri, cum ea re quam vnusquisque aposuit, aliter autem non seruaretur. Vbi Cayetan. quod pertinet ad lucrũ, aperte docet seruandam esse in distributione illius debitam proportionem cum ea re quam vnus quisque sociorum contulit.

Cæterum quid nomine damni intelligat, ibi non exposuit: quod ocasionem obtulit nonnullis recentioribus opinandi, sensisse Cayet. eo loco, vt si vnus apponat 2000. aureorum, alter operas valentes mille aureos, deinde vero finita societate, non solũ nullum existat lucrum, verumetiam contingat damnum in parte capitalis, ita vt non maneant ex illo v. g. nisi 1500. aurei, id quod manet diuidendum esse inter eos proportionabiliter, ita vt qui apposuit in pecunia 2000. aureorum, recipiat solum mille, patiaturque iacturam aliorum mille: qui vero cõtulit operas valentes mille, recipiat 500. patiaturque iacturam in aliis 500. valoris & æstimationis suarum operarum. Et hanc sententiam volunt hi mutasse in Sũma in verb. Societas: Ita vt doceat in Summa, distributionem sic esse faciendam, Vt in fine societatis extrahatur capitale, si saluum manserit, restituaturque integrum socio qui illud apposuit, sicut illi soli perisset, si casu in totum vel in partem perisset, reliquum vero quod manebit tanquam lucrum, deducto capitali & expensis factis in illa societate, esse inter eos seruata debita proportione cum re, quam vnusquisque sociorum apposuit, diuidendum.

Sed qui putant Cayetan. mutasse sententiam (pace eorum dixerim) non satis verba illius considerarunt. Nam cũ in Comento secun. secund. dicat, in societate, in qua vnus confert 2000. aureorum, alter vero apponit operas valentes alia 2000. tertius industriam valentem 500. si lucrum prouemiens sit vt 5. huic tertio in huiusmodi lucri distributione exhibendum esse vnum, aliis vero vnicuique eorum duo, docet profecto apertissime, diuidendum esse lucrum, seruata debita proportione cum valore rei, quam vnusquisque in illam societatẽ contulit. Cui doctrinæ simile etiam est quod habet in Summa, cũ habeat ibi, societatem reddi illicitam duobus modis. Primo si capitale vnius substet lucro, & non damno. Secundo, si lucrum vel damnum non respondeat in debita proportione vnicuique socio pro rata sua. Cæterum, quia in commento 22. solum adduxerat exemplũ, quo explicatur, qua ratione fiat distributio lucri pro rata, & proportione rei appositæ ab vno quoque socio, distributionem vero damni subsequuti nõ ita in particulari, neque aliquo exemplo adducto exposuerat, explicat exactius in Summa quæ ad vtrumque pertinent tam lucrum quam damnum.

Quod vt apertius & commodius præstet, constituit prius hæc tria. Primum est. In societate, in qua omnes ex æquo apponunt pecuniam, vel ex æquo industriam, quæ dicitur vnius rationis, perspicuum esse, qua ratione damnum ad omnes æqualiter pertineat: in societate vero diuersarum rationũ, qualis est ea, in qua vnus pecuniam cõfert, alter vero industriam suam & operam, nec par est vtriusque periculum, quia possunt perire industriæ vnius manente salua pecunia alterius, rem esse difficiliorem, qua ratione damnum illud seruata debita proportione ad eos spectet.

Secundum est, quod est maxime obseruãdum. Huiusmodi societatem diuersarum rationum, tam natura sua, quã communi vsu & intentione contrahentium illam hoc habere, vt conferens pecuniam, quam nisi in illam societatẽ contulisset, exposuisset aliis negotiis, & lucris exponere, dupplici substet periculo, scilicet, & perditionis illius pecuniæ, & perditionis vsus illius in alio negotio: Qui vero suas tantum confert operas & industriam, vni tantum subsit periculo, nimirum perdẽdi illas, & in vacuum laborandi.

Constituit tertio & recte, triplicem esse posse societatis euentum: Primum, vt in fine societatis existant, & capitale & lucrũ. Secundum, vt sine vllo lucro maneat capitale saluum. Tertium, vt nec vllum existat lucrum,

lucrum, nec maneat capitale, sed perierit illud vel totum, vel in parte.

Quibus positis explicat Cayetan. suam mentem quasi subiectis his conclusionibus.

Prima. Si capitale pereat, siue in toto, siue in parte, perit socio, qui illud appossuit, & non alteri: Si vero saluum maneat, manet quoque ei, qui illud contulit.

Ratio huius est, quia per contractum societatis non desiit, qui illud contulit, esse verus dominus illius: *Vnaqueque autem res si pereat, domino suo perit, si maneat, domino suo manet.*

Secunda conclusio. Si vna cum capitali lucrum reperiatur, deducto capitali & tradito ei qui apposuit illud, lucrum diuidendum est æquis portionibus, vbi capitale vnius & operæ alterius æqualis valoris fuerint, quod si inequalis, seruata debita proportione.

Confirmat hæc omnia Cayetan. ex secundo fundamento. Quia cum dominus pecuniæ ex vi societatis duplici periculo se offerat, & perdendi pecuniã, & amittendi vsum negotiandi, & lucrandi cum ea alia via, quia toto illo tempore apud societatem detinetur occupata, debet propterea, ex propria ratione, & vi huius contractus, si capitale pereat, ipsi perire, si maneat ipsi manere: seruatur enim sic maxima æqualitas.

Tertia Conclus. Si nullum eueniat lucrum,, maneat autem capitale saluum, nõ tenetur dominus capitalis aliquid conferre apponenti operas, eo quod in vacuum laborauerit, neque ad aliquam compensationem damni quod patitur in amissione sui laboris, & operarum. Quia ex vi huius contractus huic periculo & damno se exposuit conferens suas operas in societatem.

Dices videtur iniquum, vt huic maneat sua pecunia salua & integra, alteri vero nihil maneat sui laboris & operarum. Respondet Cayeta. & recte, ex natura rerum istud citra vllam iniquitatem prouenire, Quia cum capitale sit res permanens, potest manere sine lucro, & eo ipso quo manet, debet manere domino suo qui illud apposuit, sicut si perisset ipsi perisset: operę vero & industria cum sint res quędam successiua in motu consistens, non possunt esse sine lucro quin pereant, debentque perire apponẽti illas tanquam illarum domino, quia huic periculo & damno se ipsum expossuit ex vi huius contractus.

Adde, quod sicut apponens operas, vbi nullum contingit lucrum, illas perdit, ita quoque & dominus pecunię, vbi nullũ est lucrum, perdit similiter vsum sue pecuniæ, ex qua alio negotio exposita commodius forsam lucrum habuisset: Hæc Cayetan. Cuius doctrinam & mentem placuit hic ad vnguem explicare, tum propter eos qui cẽsent mutasse illum sententiam in Summa, ab his quæ docuit in cõmento 22. tum quia ea quæ docet (sicut a nobis explicatur) sunt maxime in hac controuer. obseruanda.

Hæc opinio Cayeta. est quę iudicatur modo a Theologis in Scholis verior & recipienda. Amplectuntur illam Syluest. Societas. Primo. quæst. 6. Tabiẽs. Vsura. Tertio. num. 4. Angelus. Societas. Primo. nu. 17. Nauarr. in suo Manuali. cap. 17. num. 251. Soto lib. 6. de iusti. quæst. 6. artic. 1. Et recensiores omnes qui de hac re nostro seculo scripserunt. Ex Iurisperitis. Bartho. Bald. & alij multi illos sequuti. in l. 1, Cod. Pro socio. & Petrus de perusio in tractat. de duobus fratribus. 3. part. q. 2. & 5. part. q. 27. Sed quanuis hęc verior, & merito cẽseatur, ac magis recepta, non sunt propterea alię opiniones quas hic retuli omnino reijciendæ. Habent enim non solum graues authores, verum etiam & nõnulla, quæ in hac controuer. ab illis accipienda sunt. Vnde vt ex omnibus quod verius & certius est, eligamus,

Obseruemus primo: Illud hoc loco certum esse debere, valorem operarum, quas alter sociorum confert, non esse in hoc contractu societatis æstimandum secundũ se, perinde ac si conferens illas opetas & industriam eas alteri locaret, quia hic cõtractus (vt docuimus) non est locatio, sed vera societas, sed æstimandum esse, secundum valorem quem periti & prudentes mercatores iudicabunt illas habere in tali negotio, in ordine ad lucrum inde futurum, pensatis omnibus circunstãtijs negotium illud, & societatem illam concomittantibus, nimirum temporis, loci, peritię, & industriæ, ac laboris, & periculi quæ socius suas operas apponens est subiturus. Qua ratione ęstimandas esse huiusmodi operas, labores, & industriam docet imprimis communis vsus mercatorum, qui sic de illarum valore iudicant, quorum in hac parte maxima debet esse authoritas, & fides. Docet illud secundo propria vis & ratio societatis, quę hoc nomine differt a locatione, vt in hac

hac, quia conducuntur operæ vt quædam operæ, & labor ministri impendentis illas, æstimantur iuxta suum proprium valorē, in societate vero, cum non conducātur, nec locentur vt operæ ministri, sed apponantur vt quædam sors, & portio illius socij, sicut pecunia alterius est sots illius, ita vt vtraque simul concurrat ad commune lucrū, sumendus est operarum valor ex ordine quem habent in tali negotio cum talibus circunstantijs ad lucrum illud, quod intenditur.

Obseruemus secundo, posita huiusmodi æstimatione valoris operarū, & industriæ, constituendas esse necessario hoc loco distinctiones illas quibus diximus vti Couarru. in progressu eorū quæ docet circa præsentem quæst. loc. cit. Nimirum, vt in societate de qua hic agimus, vel operæ & industriæ vnius (iuxta valorem in quo dicimus æstimandas esse in ordine ad lucrum) æquētur pecuniæ alterius socij, vel secus. Rursum vt qui huiusmodi societatem contrahunt, vel conueniant per peculiare pactū, vt tam periculum capitalis appositi, quam lucrum futurum sint vtrique communia seruata debita proportione, vel vt periculum capitalis sit solum apponentis illud, aut nulla vtuntur conuentione circa capitale, sed absolute illud ac simpliciter cōfertur, ab vno & recipitur ab alio. Similiter circa distributionē damni vel lucri, vel constituunt interse aliquod peculiare pactum, aut nullum omnino.

Obseruemus tertio, Cum hic contractus, (quin & cæteri omnes) vbi contrahentes peculiari pacto inter eos inito aliud non constituunt, nec exprimunt, censendus sit celebrari ab ipsis iuxta morem patriæ, & consuetudinem communiter obseruatam a mercatoribus in tali contractu. l. Quod si nolit. §, qui assidua. ff. de ędil. edict. Communis autem mercatorum consuetudo vsu atque intentione inter eos mexime recepta habeat, vt qui confert pecuniam in societatem; (quando non coniungitur societati contractus assecurationis, iuxta ea quæ diximus ar. 3. controu. 5.) ita maneat illius dominus, vt si pereat, ipsi tantum pereat. qui vero confert operas, in lucrum tantū illas dirigat, nullum aliud emolumentum, aut vtilitatem ex suis operibus, & laboribus in illa societate expectans, præter partem lucri, quod creditur ex illo negotio & societate habēdum: Efficitur, vt sit certissimum fundamentum illud Cayeta. in Summa: Societatem, in qua vnus apponit pecuniam, alter vero suam operam & industriā, quæ dicitur societas diuersarum rationum, tam natura sua, quam communi & recepta mercatorum intentione & consuetudine hoc habere, vt conferens pecuniam, quam potuisset alijs negotijs & lucris exponere, duplici substet periculo, scilicet & perditionis illius pecuniæ, & perditioni vsus illius in alio negotio. Qui vero suas tantum exhibet operas & industriam, vni tantum subsit periculo, nimirum perdendi illas, & in vacuum laborandi.

Obseruemus vltimo, Cum societas, in qua conferuntur pecunia & industria, duplex sit alia eiusdem rationis, in qua omnes æqualiter conferunt & pecuniam, & industriam, & soluūt expensas, ac præstant quęcunque in illa societate reperiūtur, alia vero diuersarum rationum, in qua vnus confert pecuniam, alter vero industriam: In priori illa, quæ est vnius, & eiusdem rationis perspicuum esse, omnia esse æqualiter distribuēda, tam lucrum, si aliquod existat, quam iactura & damnum capitalis, si illud aliqua ex parte vel in totum pereat: quia omnibus ex ęquo suam pecuniā conferentibus, & omnibus similiter suam industriā, & operas ex ęquo exhibētibus, nihil potest accidere tam vtilitatis & commodi, quam iacturæ & damni, quin illud ad omnes quoque ęqualiter pertineat.

Vnde tota quæstio & difficultas est de societate diuersarum rationum.

Circa quam sit prima Conclus.

Vt recte fiat distributio, in societate hac de qua hic loquimur, æstimari debent a principio peritorum arbitrio, quæ vnusquisque sociorū apponit, & confert, & quanta vere ac realiter sit vniuscuiusque portio, & sors, tam in pecunia quam in valore suæ industriæ, & operæ quam in tali negotio præstabit, omnibus circunstantijs illius mature pensatis.

In hac conueniunt omnes, & merito: Quia cum lucra, & damna sint inter eos distribuenda pro rata, & ratione portionis ab vnoquoque appositæ, nisi tempore contractus æstimetur id, quod singuli in eam societatem conferunt, non poterit recte nec cōmode discerni, ac diiudicari deinde, quæ pars ad vnūquēque eorū pertineat, essetq; occasio multæ perturbationis, multarumque litium, illud omisse.

Secunda Conclusio. *In huiusmodi societate, si aliquod pactum interse contrahentes illam a principio constituerint circa distributionem lucri,*

luceri, vel damni, quod rectæ rationi & æquitati non repugnet, seruandum erit.

Hęc perspicua etiam est, cum omnia iura clament nihil magis naturale, & ęquum, quam vt honestæ conuentiones & pacta mutuo & libero contrahentium consensu inita seruentur: Quia aliter illis violatis rueret humana fides, quæ omnis iustitię, & ęquitatis in contractibus seruandis est præcipuum fundamentum.

Ex hac Cōclusione sequitur, vt si socij inter se conuenerint, vt tam capitale, quam operæ, sint in ea societate communes, tam respectu lucri quam damni, ita vt si pereat, omnibus ex ęquo pereant: si quidem in fine societatis illius aliquod lucrum obuenerit, inter omnes erit diuidendum, si nullū extet lucrum, vel pereat capitale in totum, vel ex parte, tunc damnum illud erit quoque inter ipsos diuidendum ratione illius pacti, iuxta ea quæ docent authores primæ opinionis, quos retulimus, in suo secundo dicto, & Couarr. in suo dicto secundo, & tertio. Et in hoc sensu accipienda est l. Si id quod. §. Idem Celsus. ff. pro socio. Vbi dicitur. *Pecuniam in societate positam debere vtrique perire.* Intelligendum est, si illud ita in pactum d xerint tempore contractus iuxta dicta in hac secunda Conclu. vel quādo vterque socius contulit pecuniam, qui sensus magis accommodatus est illi legi, cū ibi dicatur: *Si pecuniam contulissemus ad mercem emendam.*

Tertia Conclusio. *Vbi nullum interuenit pactum, sed simpliciter & absolute societas contrahitur, si finita illa aliquod inde prouenerit lucrum, deducto capitali, (quod est socio qui illud contulit integrum restituendum) & expensis, distribuendum est lucrum illud inter socios pro ratione, & rata rei, quā singuli in tali societate contulerunt. Quod si nullum prouenerit lucrum, maneat tamen capitale saluum, integrum quoque recipiet, qui illud apposuit, nec tenebitur ex eo aliquid exhibere socio, qui suas contulit operas.*

Prior pars probatur. Quia vbi nullum interuenit pactum, vt capitale sit commune vtrique tam in lucro, quam in iactura, qui illud apposuit, manet semper verus dominus illius: Vnaqueque autem res si maneat, domino suo manet, quemadmodum si pereat, domino suo perit. Estque communis doctrina Baldi in l. 1. Cod. Pro socio. & Angel. vt vbi vnus sociorum pecuniam ponit, alter suam operam & industriam, in fine societatis recipiat prius suam pecuniam, qui illam posuit, reliquum vero lucrum inter se diuidant, secundum id quod vnusquisque contulit: Idem docet alij Iurisperiti adducentes in confirmationem huius doctrinæ. l. si nō fuerit. & l. Quid enim. ff. pro socio. Vnde quod videtur innuere l. Si quis societatem. eod, tit. eorum quæ post societatem emendo, & negotiando ex capitali acquiruntur dominium, illū tantum habere, qui negotiando illa acquisiuit, intelligendum est, vt optime admonet Couarru. 3. lib. variar. resolut. cap. 16. num. 1. quando socius nomine proprio illo modo est negotiatus cum capitali, secus autē est, quando nomine societatis, & intēdens agere vtilitatem communem illius est negotiatus cum illo: tunc enim omnes socij sunt domini illius, & ita postulat recta ratio, & natura huius contractus, vt sicut capitale ad communem vtilitatem, & lucrum traditur, ita & lucrum ex illo acquisitum ad omnes socios pertineat, vt veros illius dominos: adeo vt si quid inde alicui socio detraheretur, esset verum furtum, quia vera cōtrectatio rei alienæ inuito vero illius domino. Quare merito in Regno Castellę partita. 3. tit. 28. l. 47. constitutum est, vt socius cum capitali negotiatus, quocunque nomine negotiatus sit, siue proprio, siue communi societatis, si aliquid lucretur, habeant omnes socij dominium in illud: Idemque obseruatur in hoc nostro Regno Valentiæ.

Probatur altera pars. Quia vt recte ait Caieta. ex propria vi & natura huius cōtractus, & communi vsu, & intentione mercatorum, sicut conferens capitale exponit se periculo perdendi illud suo dāno, & vsum negotiandi cum illa pecunia, similiter conferens operas exponit se periculo, si nullum existat lucrum, perdendi illas, & laborandi in vacuum.

Secundo, Quia cum societas non ordinetur ad capitalis acquisitionē & diuisionē, sed ad solam acquisitionem & communicationem lucri, si nullum existat lucrū, nihil debet recipere ex ea aliquis socius, sed vterque frustratur suo vsu: is qui contulit pecuniam, frustratur vsu illius, ex quo emolumētum aliquod sperabat, similiter qui suas exhibuit operas, frustratur vtilitate earum, cum in vacuum laborauerit. Quod etiam docet Glossa in l. societatem. Cod. pro socio. Et Couarru. loc. citat. tunc solum docet debere dominum capitalis aliquid ex eo cōferre socio, qui operas suas apposuit, nec vllum

vllum habetur lucrum, quando ex peculiari pacto conuenerunt, vt capitale illud esset vtrique commune, ita vtsi periret, vtrique periret: Tunc enim æquum est, vt quemadmodum si periret vtrique periret, itaquoque si maneat sine vllo lucro, vtrique maneat, & operæ illæ quæ pereunt, vtriq; pereant, nō quidem ex vi societatis, sed ex vi illius pacti & conuentionis, vt esset vtrique commune. Quin & auctores primę opinionis (vt diximus) fatentur communi vsu & more mercatorum societatem hanc ita iniri, adeo, vt vbi aliud non exprimitur, cēsenda sit ita celebrari, vt in tertia obseruatione adducta constituimus.

Confirmanturque hæc omnia decisione illa iuris, quæ habetur institu. de societate. §. de illa. vbi cum vnus apossuisset 200. aureos, alter vero 100. sed vna cum illis eam adhibuisset operam, & industriam, quę peritorum ac prudentum arbitrio fuit æstimata valere 300. aureos, ita sors ab eo aposita ęquiualeret 400. aureis: in huiusmodi societate recepta fuit ac probata sentētia Sulpitij (quamuis Mutius aliter iudicaret) vt si ex ea haberetur lucrum, duę partes illius pertinerent ad eum qui contulit & 100. aureos in pecunia, & 300. in industria, tertia vero ad eum qui contulit 200. in pecunia, vt sicut prior ille, pecunia & industria ipsius in vnum sumptis, duplum contulit in sortem, ita quoque duplum reciperet ex lucro: Quod si nullum prouenisset lucrum, sed iactura aliqua in capitali, illius iacturę, & damni sustineret duas partes qui 200. aureos contulerat in pecunia, tertiam vero qui solum 100. cum in suis operibus & industria non minus damnum pateretur. Vbi nullam præcipitur recipere compensationem laboris, & operarum, quas amitteret, nullo lucro ex ea societate prouenientē.

Quarta Conclusio. *Si capitale omnino pereat, quamuis industria & operæ non æquētur illi in valore, non tenetur propterea qui illas cōtulit compensare aliquid domino capitalis.*

Probatur hæc ijsdē omnino rationibus, quibus pręcedens Conclusio. Primo, Quia cum verus dominus illius capitalis sit, qui illud apposuit, illi soli debet perire, quidquid valeant operæ alterius. Secūdo, Quia ex propria natura & vi hujus contractus, iuxta communem vsum mercatorum apponens capitale huic periculo se exponit, vt si pereat, ipsi soli pereat, nec mutatur hæc natura societatis ex maiori vel minori valore operarum, aut industriæ alterius.

Neque argumenta aliarum opinionum qua parte his conclusionibus a nobis positis repugnant, aliquam habent vim.

Nam ad argumentum quo authores primæ opinionis nituntur in suo primo dicto docere, tam ex capitali quam ex lucro efficiendum esse velut vnum cumulum & summā, quæ inter omnes socios distribuatur, quia aliter non seruaretur debita ęqualitas inter eos. Respondeo, citra vllam inæqualitatem diuidi tantū lucrū, manente capitali integro & saluo socio qui aposuit illud, quia hic cōtractus iuxta suam propriam naturam & vim, vsumq; & intentionem contrahentium illum, non contrahitur, nec dirigitur ad acquisitionem, aut distributionē capitalis, sed solius lucri: nisi ex aliquo peculiari pacto aliter socij interse conuenerint, Quod adeo verum est, vt oppositum potius deberet cēseri inæqualitas, nam quæ maior, quam vt capitale si pereat, soli socio qui apposuit illud pereat, si vero maneat, vtrique maneat?

Neque est verum secundum dictum eorundem: Vt si pereat in principio, ante quam alter aliquas operas exhibuerit, debeat damnum illud inter vtrumque diuidi, aut fieri aliqua compensa si pereat in progressu negotij, quia vbi aliquod peculiare pactum aliud non postulat, conferens pecuniam tanquam verius illius dominus huic periculo se exponit, vt quotiescunq; pereat, siue in principio, siue in progressu negotij, sine vlla culpa alterius socij, ipsi pereat.

Tertium dictum illius primæ opinionis nostræ sententiæ fauet.

Quæ Couarr. habet in suo primo & secundo dicto, quatenus a nobis referuntur, nobiscum conueniunt, Tertium, vt ex cōclusione nostra tertia cōstāt, nō admittimus neque ratio eius aliquid conuincit. Etenim quod vbi nullum existit in societate lucrū, socius qui suas contulit operas illas omnino amittat, qui vero apposuit pecuniam, illam, vbi salua manet, integram recipiat, non est aliqua inæqualitas, vt Couarr. ibi cēset, quia vt optime Cayet. docuit, hęc disparitas non prouenit ex natura contractus sed ex natura rerum quæ à socijs apponuntur: quia cum pecunia sit res permanēs, vbi non perit sed manet, domino suo manet, sicut si perisset domino suo perisset, operæ vero & labores cum sint res fluēs, & in motu & successione posita, vbi nullum obtinent

nent lucrũ, debent necessario perire. Quod autem non pereant vtrique, nec teneatur is cuius pecunia salua manet, illas refficere, prouenit hoc ex propria vi huius cõtractus & vsu ac intẽtione mercatorum iuxta quã qui apponit pecunias, exponit se illi dupplici periculo dicto, & perdendi illas, ac vsum & vtilitatem earum in alio negotio, cui potuisset illas exponere, qui vero confert suas operas periculo perdendi illas, & in vacuum laborandi, vbi nullum contingeret lucrũ. Vnde sicut optime docet Siluest. Societas. primo. quęst. 6. reperitur etiam in hoc casu hæc æqualitas, vt sicut nullo existente lucro, amittens operas illarum vsu & vtilitate priuatur, ita quoque vbi nullum est lucrum, dominus pecuniæ, quamuis illã saluam integramque recipiat, vsu quoque, & vtilitate quam ex ea alteri negotio exposita potuisset habere, similiter priuetur. Quanuis enim vsus pecunię vt pecunia est, nõ distinguatur ab ipsa, & ipsius dominio, quia pecunia secundum se sumpta infructifera est, vsus tamen eiusdem pecuniæ, vt exponitur alicui negotio, fructifer est, & valoris distincti ab ipsa pecunia, & pretio æstimabilis: Quem certe amisit, qui pecuniam suam contulit in societatem, quæ nullum peperit lucrum.

In summa (vt hæc omnia in vnum colligamus.) Vt in societate de qua hic agimus, recte fiat distributio, ęstimandum est arbitrio peritorum initio contractus id quod aponunt singuli socij, vt pro rata & ratione rei ab vnoquoque collatæ lucrum quod obuenerit, debita proportione seruata inter eos diuidatur. Secundo, si aliquod priuatũ pactum interse constituerunt, quod recte rationi & æquitati non aduersetur, obseruandum est illud omnino. Tertio, vbi nullum interuenit pactum, sed absolute & simpliciter contrahitur societas, si lucrum aliquod in fine illius existat, diuidendum est pro rata & ratione rei ab vnoquoque in eam societatem collate. Quarto, si nullum aduenerit luceum, maneat vero capitale saluum, totum illud recuperare debet, qui illud apposuit, quia est verus illius dominus, & cui debet manere si maneat, ac perire si pereat. Nec tenetur aliquid alteri compensare, propterea quod omnem suam industriam & operam in eo casu perdat. Demum si capitale ipsum pereat, non tenetur alter qui operas apposuit, nisi ex peculiari pactu illud esset effectum commune, vel culpa eius cui fuit ad negotiandum commissum, pereat, aliquid compensare domino capitalis, sed illi vt vero talis pecuniæ domino perit omnino. Siue in principio negotij, siue in progressu, aut fine illius illud accidat. Neque enim necessaria est distinctio illa, quam authores primę opinionis, in secundo dicto quod retulimus, afferunt: Pereant ne in principio societatis, vel in progressu, aut fine negotij: Quia si pereat in principio, nõ potest illud aliter perire, quam vel culpa eius qui illud contulit, uel culpa eius qui recipit, cum in principio non dum aduersæ fortunæ, & euentui negotij illud tribui posit, Vnde si pereat culpa eius, qui illud contulit, sibi imputetur, si vero culpa socij qui recepit, tenebitur illud reficere, non ex vi societatis, sed quia culpa ipsius dãnum illud accidit, ex regula illa, *Si tua culpa damnum datum est, &c.* Similiter si in progressu negotij vel fine capitale illud pereat, vel perit culpa eius qui contulit, & tunc imputetur sibi, aut culpa alterius socij tenebitur quę ad reficiendum huiusmodi damnum, quia eius culpa accidit, quod si nullius culpa accidit iactura illa capitalis, sed casu & aduersa fortuna negotij, non tenebitur qui operas aponit ad aliquid compensandum alteri, quia huic periculo & damno seipsum exposuit, eo ipso quo voluit pecuniam suam in societatem conferre: Vt sæpe in hac controuers. ex Cayeta. dictum est.

Ex his facile erit explicare duo illa, quæ huic controuersiæ affinia sunt. Prius est.

AD QVAM SATISFACTIO- *teneatur is, cuius culpa damnum aliquod accidit?*

OBSERVEMVS tribus modis posse damnum aliquod accidere in societate aliqua, siue accidat illud circa lucrum, ita vt non obtineatur quod potuisset obtineri, siue circa capitale appositum, ita vt aliquam patiatur illud iacturã. Primo ex dolo aut culpa lata socij. Secundo ex culpa leui, tertio ex culpa leuissima. Quę voces qua ratione summantur a DD: diximus primo tomo. quæst 62. art. 2. controu. 5. Interim dolus siue culpa lata in iure est, quando ipso illud procurante vel saltim sciente & consentiente damnum illud contingit, nec voluit prohibere cum facile posset. Culpa leuis dicitur, non quasi venialis, cum hæc mortalis quoque quandoque esse posit, sed quæ comparata cum

cum dolo vel culpa lata appellatur leuis, vt quãdo socius non adhibet eam diligentiam, & curam, quam vir prudens adhiberet, aut deberet adhibere rebus suis proprijs, attenta illius qualitate, ingenio, experientia, alijsque circunstantijs. Ita habetur instit. De societate. §. vltimo. & l. Socius. ff. pro socio. Leuissima vero est. Vbi quis adhibet eam curam & diligentiam, quam prudens & expertus adhiberet, non tamen summam & vigilantissimam, qualem solẽt quandoque adhibere aliqui diligentissimi, & solertissimi viri. Quæ certe Theologice loquendo culpa non est, appellatur autem in iure culpa, sed leuissima, comparatione summæ diligentię & solicitudinis quam solent aliqui adhibere in rebus suis, vel sibi commissis.

Sit prima Conclusio. *Si quod damnum accidat, siue per deffectum lucri, siue per iacturam capitalis, dolo alicuius socij, aut culpa illius lata uel leui, tenetur ad reficiendum illud, tam in capitali quod deperditum est, quam in lucro quo carent cæteri socij.*

Hæc habetur expresse in iure, loc. citat. l. Cum duobus. §. venit. Et duobus sequẽtib. §§. & l. non ob eam. l. Et ideo. ff. pro socio. estque appertissima ex illa regula: *Si tua culpa damnum datum est, iure super his te satisfacere opportet.* De iniurijs & damno dato. Estque ratio: Quia iure societatis omnes socii sunt participes omnis lucri, & vtilitatis, quę ex illo negotio & societate prouenerit, qui autem dolo vel culpa sua, tam lata quã leui, in causa est, vt illis vel in capitali vel in lucro damnum aliquod patiantur, damnum illud & nocumẽtum infert eis cum iniuria, & ex consequenti tenetur totum illud damnum, & nocumentum resarcire.

Ex hac conclusio sequitur, vt si quis sociorũ ex capitali vel cumulo societatis quid extraxerit, siue in vsus turpes, vt ludos, vel meretrices, siue in pios & honestos, veluti in dotem filiæ, aut subuentionem pauperũ, teneri ad restituendum alijs, quidquid extraxit, & præterea omne lucrũ, quod ex illa parte & portione prouenire potuisset arbitrio prudentum. Similiter, si dimisso illo genere negotij vel mercis de quo cõuenerũt, aliud minus vtile exerceat, vel non pręstitit quæ illi fuerunt in ea societate iniũcta: ita vt non quę fierit eas merces, vel non detulerit eas, eo loco, & tempore, quibus iuxta initam societatom debebat, tenetur omnes hi ad restituendum omne damnũ quod alijs contigerit, vel ratione minoris lucri, vel in capitali, cũ culpa eorũ illa acciderint.

Secunda Conclusio. *Si quod damnum accidat in negotio, & societate ex leuissima tantum culpa alicuius socij, tunc commune illud est omnibus socijs, vel eius tantum, cuius illud fuisset, si casu tantum & fortuito accidisset, iuxta superius dicta in proxime præcedẽti cõtrouers.*

Ratio est aperta. Quia societas (vt sæpe diximus) contrahitur in communem omnium vtilitatem & commodum, in contractu autem, qui in communem contrahentiũ vtilitatem & commodum celebratur, nullus teneatur alijs nisi de dolo, aut culpa lata, vel leui, minime vero de leuissima. Quod habetur etiam in iure locis citatis.

Tertia Conclus. *Ex peculiari pacto potest socius de leuissima etiam culpa & casu fortuito teneri, quasi per contractum assecurationis accepto aliquo iusto pretio pro tali assecuratione*

Iuxta ea quæ superius diximus art. 3. controu. 3. Similiter posset deduci in pactum, vt neque de lata culpa teneretur, facta debita ac iusta compensatione alteri socio: De dolo autem, vt per dolum, posset socius aliquis damnum alijs inferre in capitali, vel lucro pacisci nõ licet: quia tale pactũ esset concedere facultatẽ inique agẽdi, quod cũ sit aperte cõtra bonos mores, nullomodo licet.

Alterum est.

CVIVS EXPENSIS FACIENDI sint sumptus in societate necessarij?

Obseruemus, expensas, quę in gerẽndo negotio societatis sese offerunt, duplices esse, alias necessarias mercibus illius negotij, vt sumptus qui fiũt inuehẽdis mercibus, in custodiendis illis, vel meliorandis & c. alias vero necessarias socio aponẽti suam operã, & industriã, vt quæ expendit in cibo, potu, ęquo, vel famulo, quo indiget ad negotium illud gerendũ: Rursum expensę quas hic facit, aut facit illas domi suæ manẽs, aut extra illã, & ab ea absens ratione illius societatis, in itineribus & alijs prouincijs agẽs. Tum etiã, vel ita vt ratione societatis, negotium illud perse respiciant, vel non efficit illas ratione & causa societatis, quãuis occasione illius se obtulerint: Vt qui manens domi & patrię suæ non fuisset rixatus, ad gerendum autẽ negotium societatis alio profectus est ibiq; rixatus, aliquas in rixa illa fecit expẽsas, fecit quidẽ illas occasione societatis, nõ tamen ratione nec causa illius.

Sit prima Conclusio. *Expensæ necessariæ mercibus, & rebus ipsis, in quibus versatur negotium societatis, faciendæ sunt ex cumulo ipsius societatis, & communibus bonis, nisi aliud fuisset in pactum deductum.*

Patet, Quia huiusmodi expensæ fiunt in communem omnium sociorum vtilitatē, in hoc omnes conueniunt. Et habetur in iure. l. si fratres. §. si quis ex socijs. ff. Pro socio.

Secunda conclus. *Sumptus, quos facit socius qui operam suam confert domi suæ manens, pro prijs expensis debet illos facere, nisi aliud fuisset inter ipsos constitum, vel communis Patriæ vsus & consuetudo aliter haberet.*

In hanc omnes quoq; conueniunt. Quia vbi pactum, vel communis vsus loci aliud non postulant, sumptus domestici non fiūt propter societatem, sed absolute, & simpliciter propter necessariam sustentationem sui, & suorum, etiam si nullam ille contraxisset societatem.

Tertia conclusio. *Si ratione & causa societatis domum suam & patriam relinquens, in aliam loco socius negotium gerēs, expensas faciat, omnes illæ ex cumulo societatis summendæ sunt, nisi inter eos conuentum sit, vt ea tantum societas persoluat, quæ excesserint solitos sūptus illius, dum domi suæ agit.*

Hæc est contra Baldum in l. 1. Cod. de societate. & Ioann. Maior. in 4. dist. 15. q. 47. quos refferunt, & sequuntur Angelus: Societas primo. nu. 12. & Siluest. eod. verb. primo q. 12. asserentes non esse extrahendū a cumulo societatis nisi solum excessum illum. Est tamen illa Saliceti in dicta l. 1. Cod. Pro socio. col. 3. & Nauar. in suo manual. cap. 17. num. 283. cum isto moderamine, vt omnes expensæ ab huiusmodi socio facte extra suam domum, & patriam a cumulo societatis sumantur: nisi aliud per peculiare pastum fuit inter eos constitutum.

Posteriot pars non eget probatione, cum pactum illud, vt recte inquit Nauar. eo ipso quo non obligat ad sortem soluendam, iniquum & iniustum nonsit. Prior vero probatur, Quia ita habet communis vsus hominū, vt qui negociatur in communem multorum vtilitatem, ex bonis illis communibus sumptus recipiat: & habetur in iure l. cum duobus. §. Quidam sagariam. l. Si fratres. §. si quis ex socijs. l. secundum Iulianum. ff. pro socio. nec distiuguntiura inter bona domi expendenda, vel ea quæ excedent sumptus domesticos, sed absolute & in vniuersum loquuntur de omnibus. Vbi autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. His consonat lex Castellę partit. 5. titul. 10. l. 16. vbi agens de huiusmodi expensis ait illas extrahendas esse ex cumulo societatis, sic enim loquitur: *Del monton de la compañia.*

Ad huiusmodi expensas pertinent, illæ quas faceret, si ratione & causa societatis infirmaretur, aut damna quæ eadem ratione & causa reciperet, vt si equus illi moriatur, vel mancipium quo vtebatur in negotio illius societatis, vel si capiatur ab hostibus, effectusque illorum seruus multa indiguit pecunia ad se redimendum: hęc omnia ex communibus societatis bonis extrahenda sunt, modo hæc damna & simila non acciderint illi culpa sua, saltim leui, ita vt cauere illa potuerit, nec curauerit: Vbi vero citra culpam eius accidunt, a cumulo societatis esse hæc desumenda recta ratio postulat, cum illa sine culpa sua communi societatis vtilitati intendens receperit, siue domi suę. quando illa recepit, ageret, siui extra illam: Nam in his eadem est ratio, vbicunq; huiusmodi damna vel similia societatis causa, & illi deseruiens ea reciperet.

Dixi societatis vtilitati deseruiens, illique intendens: Quia si quæ patiatur damna, non quidem ratione & causa societatis, quamuis eius occasione illa recipiat, sicut diximus de eo qui aliquo profectus ad commune sociorum negotiā gerendum rixatur ibi, & in rixa illa patitur aliqua damna, facitque expensas, huiusmodi cum non sint factæ societatis causa, nec in communē sociorum vtilitatem, sed alia ratione & causa, non sunt a communi societatis cumulo extrahendæ. Differunt enim plurimum, societatis causa damna aliqua recipere, & sumptus facere, vel societatis tantum occasione: nam priora illa cum per se & directe ipsam societatem respisciant, & commune sociorum commodum, debent omnibus esse communia, posteriora vero, sicut non respisciunt per se societatem, ita neque debent socijs esse communia.

Quarta Conclusio. *Tenetur socius, vt merces conseruentur societatis, vbi perielitantur perire, curare ne pereant, factis expensis, vel ex suo marsupio, vel mutuo ab amico accepto: ita vt nisi illud præstiterit, teneatur ex iustitia one damnum illud alijs com-*

compensare. Poteritque ac debebit, quas expensas in eo fecerit, ab aliis vt communibus exigere, ac recipere.

De priori parte huius conclusionis nonnulli dubitant, sed illa tenenda est: Quia quiuis socius, cum societas sit quædam fraternitas ad commune lucrum, tenetur non solũ ex charitate, verũ etiam ex propria natura, & vi huius contractus, & ex consequẽti ex iustitia, quãtum cõmode poterit, vitare omnia dãna cõmuni vtilitatis suæ societatis cõtraria: aliter reus est illorum, cõmisitq. culpam saltim leuẽ; damna autem, quę culpa saltim leui alicuius socii aliis accidũt perspicuũ est esse ab illo saltim in foro animæ reficienda. Posteriorem partem tanquã certam omnes affirmant, expensas quas aliquis sociorum ita fecerit, vel ex propriis bonis, vel mutuo acceptis, debere esse omnibus communes, cum in communẽ omnium vtilitatem sint effectæ.

Sed iam de ea societate, quæ circa varias pecudes, & animalia contrahitur, dicamus.

ARTICVL. V.

QVA RATIONE SOCIETAS *circa pecudes, & animalia, quæ dicitur Socida, iuste contrahi, ac fieri debeat?*

QVAMVIS hic locus ea tantũ postulet, quæ ad societatem, quæ contrahitur circa oues, boues, capras, & similia animalia, pertinet, alios tamẽ DD. in hac parte immitatus, varios etiam modos, quibus huiusmodi animalia alicui traduntur, explicare nõ grauabor. Afferunt quidẽ illi circa hæc varia & innumera, maxime Conrrad. vt solet, de cõtract. q. 88. Maioris in 4. dist. 15. q. 46. Angel. & Syluest. Societas. Secundo per totũ, nos breuius illa omnia complectemur.

Traduntur igitur pecudes alicui variis quidem modis, sed his potissime.

Primo, vt ab eo custodiantur, & pascantur, certo stipendio, & mercede illi reddita. Qui contractus aperte non est societas, sed vel locatio, qua pastor, gregem illum ita custodiẽdum suscipiens, suas operas domino illius locat, vel conductio, qua dominus gregis operas illius pastoris conducit. Vnde promiscue contractus hic vtroque nomine appellatur in iure. l. Veteres. ff. de actio. empt. & l. 1. §. Si quis seruũ. ff. de poss. Estque iustus huiusmodi Contractus, si periculum gregis ad dominum illius pertineat, preterquam vbi culpa & negligẽtia pastoris perierit. l. 6 in lege. ff. locati. & stipendiũ, quod pastori pro suo labore & operibus redditur, fuerit iustum.

Secundo tradũtur animalia alicui in vtilitatem recipientis illa, vt per aliquod tempus fructus illorum veluti lac, caseos, lanã, aut fœtus percipiat, reddito pro illa vtilitate, & fructibus iusto pretio domino illorũ animalium. Qui contractus societas quoq; non est, sed ex parte conferẽtis animalia locatio illorum ex parte vero recipientis illa sub ea ratione, illorum conductio. Eritque iustus sicut præcedens: si pretium, quod pro illis fructibus animalium redditur, iustum fuerit, ac vt illorum periculum ad eorum dominum pertineat, cum vnaquæque res si pereat, domino suo debeat perire: nisi culpa alterius damnum illud accideret. Vnde conductor hic inique obligaretur ad reddẽdum pretium cõmensuratum fructibus illorum animalium, & simul ad conseruandum numerum illorum, ad implendumq; ex fœtibus eorũ, si quæ ab illo numero deficiãt. Quamuis posset conductor huiusmodi hãc obligationem, & periculum omnium quæ perirent penes se suscipere per contractum assecurationis, accepto aliquo iusto pretio pro illa assecuratione, vt docet Siluest. Societas. Secundo. q. 2. iuxta ea quę tradidimus superius art. 3. controu. 3.

Tertio traduntur per modum cuiusdam venditionis, veluti cum tradit Petrus Ioanni 20. capita æstimata & apretiata, ita vt periculum eorum pertineat omnino deinde ad Ioannem: Hunc contractum Tabien. vsura. 3. nu. 3. vocant quoddam genus mutui, sed verius multo Angel. societas. 2. nu. 9. vocant illum vẽditionem, cum in eo perinde se habeat Petrus ac si vendat Ioanni illa 20. capita sub illo pretio, in quo æstimata sunt deinde recipiendo. Idem senserat Bald. in l. si vt certo. ff. Cõmodat. Quia illa æstimatio in aliquo certo & iusto pretio inducit, & constituit venditione. l. Plerũque. ff. de iure dot. & l. æstimatæ. ff. soluto matrimonio. Vnde si quid Petrus in hoc casũ exigeret a Ioanne, vltra illud iustum pretiũ in quo animalia illa æstimata sunt, esset reuera vsura: Perinde ac si vendens expectata solutione aliquid reciperet vltra iustum pretium rei venditæ, ratione dilatæ solutionis: præter quam vbi & debitoris mora, qui animalia illa ei contulit, aliquod pateretur damnum, vel aliquod lucrum certe illi cessaret: posset enim tunc huiusmodi dãna patiens in illorum compensam aliquos

quos fructus, vel aliquam pecuniam ab illo debitore illis dãnis cōmēsuratam recipere, vt docēt Glosa in cap. conquęstus. de vsur. & DD. in l. curabit. Cod. de actio. empt. & nos supra docuimus. Obseruat autem hic Silu. & recte. Societas secundo nu. 3. Si animalia tradantur quidem æstimata, non tamen ita vt æstimatio illa reddatur, si animalia illa casu & fortuito perierint, sed vt reddatur tantum, si perierint culpa recipientis illa, contractum huiusmodi, etiam si animalia sic æstimata tradantur, non esse venditionem, sed societatem, cum non trāseant in dominium recipientis illa, sed maneant semper sub dominio & periculo eius qui illa contulit.

Quarto tradūtur alicui animalia, vt ab eo meliora efficiantur, & effecta meliora sint cōmun a vtrique. Qui cōtractus communi DD. consensu dicitur innominatus, vt habet tex. in l. si tibi areæ meæ. vers. sed si puerum. ff. de præscrip. verbo. reduciturq; ad illū qui exprimitur per voces do vt facias. Dat enim vnus animalia sua, vt alter illa accipiens meliora efficiat. Conueniunt autem huic contractui hæc, Primo, vt si animalia illa dentur alteri æstimata, sit quædam societas, in qua & dominiū illorum sit vtriq; commune, & damnū ac iactura quæ in illis contingent casu & fortuito sint etiam communia (nam quæ acciderint culpa saltim leui recipientis illa ab eo sunt satisfacienda,) lucrum etiam vt vtilitas, quæ ex illis perciperetur, deberet esse cōmunis: Si vero animalia non ęstimata tradātur, est contractus (vt diximus) innominatus, qui reducitur ad illū, do vt facias: Quo fit vt si recipiens illa meliora illa effecerit, vendanturque sic effecta meliora, pretium debeat esse commune, vt habetur in dicta l. si tibi areæ meæ, similiter & fructus ex l. si pascenda. Cod. de pactis. Quod si non efficiantur meliora, restituenda sunt in integrum domino qui illa cotulerat, cum ob eam causam fuissent tradita, vt meliora ab illo efficerentur, quod sequutum non est. ff. De condit. causa data, & causa nō sequuta. per totum. Qua de causa manet tunc omne dominium illorum animalium apud eū, qui illa contulit, ita vt si quæ pereant, vel deteriorentur, omne damnum ad illum tanquam verum illorum dominum pertineat: quia vnaquequæ res (quo principio sepisime vsi sumus) si pereat, domino suo perit (modo damnum illud nō acciderit culpa eius qui receperat illa apud se,) tū etiam, quia cum is qui illa susceperat, ac recte curauerat, ita vt culpa eius non sint effecta deteriora, bona fide in illis se gesserit, nec sit factus per illa in aliquo ditior, ad nullam censendus est teneri satisfactionem aut compensam.

Quinto traduntur aliqua animalia vt 40. vel 50. oues, simulque illorum dominiū alicui Ecclesiæ, vel monasterio, siue alicui priuato, ea lege, vt quandiu vixerit, qui illa contulit, teneatur qui recipit reddere illi duas vel tres oues, vel pecuniam aliquam singulo quoque anno, eo vero moriente ad nihil amplius Ecclesia illa, vel monasteriū, siue qui oues illas accipit, teneatur. Vocant huiusmodi contractum Tabien. & Siluest. locis citat. modificatam vēditionem, quasi vendantur oues illæ sub illo pretio tali modo singulis annis reddendo. Verius tamen redducitur ad quoddā genus cēsus vitalitij, in quo emitur ius recipiēdi ab Ecclesia, vel monasterio singulis annis duas, vel tres oues, siue pecuniam aliquam, per totam vitam eius qui contulit illas 40. vel 50. oues, redditis tanquam in pretium illius census, & iuris, illis 40. vel 50. ouibus simul traditis. Estque contractus hic iustus tribus seruatis: Primo, vt numerus & qualitas illarū ouium, seu animalium sit pretium iustum, & commensuratum arbitrio prudentum illi iuri quod emit. Secundo, ne pecudes illæ senectute, aut infirmitate aliqua occulta vicinę morti existant, sed sanę sint, & incolumes, & eius valoris, vt dignę cēseatur, propter quas recipiens eas illum censum & obligationem recte sibi ipsi imponat: Etenim vbi Ecclesia, vel monasterium illud non agnouerit, sed deceptum aliquod damnum ex tali contractu patiatur, tenetur ille qui sic contulit ad reficiendum omne damnum illud. ff. de minor. §. verum.

Sexto traduntur alicui animalia ad communem quæstū, & lucrum, & hac ratione traduntur in societatem, vt habēt glosa, & DD. in l. Si pascēda pecora. Cod. de pactis.

Potest autem huiusmodi societas varijs quoque modis iniri.

Primo, ita vt singuli socij conferant sua animalia illorum periculū subituri, soluāt expensas, quę in illa societate occurrent, ac tandē lucrum quod ex illa cōtigerit, seruata debita proportione eorum quæ vnusquisque contulit, inter se diuidant. Quæ societas, sicut & illa in qua omnes socij pecuniam conferunt, & industriam, ac expēsas, dicēda est vnius rationis: Et seruatis his, Vt omnes aliqua conferant animalia illorū periculū subituri, expensas soluant, lucrumq;

prouc-

prouenient debita proportione seruata interse distribuant, iusta societas est iuste cõtracta, iusteque vnusquisque eam partem, quæ sic illi continget, recipiet. Quidquid horum desit, iniqua erit, & cum obligatione restituendi alijs socijs vel partem damni quam tenebatur subire, nec voluit sustinere, vel partem lucri quam accepit, nec poterat iuste accipere.

Secundo modo potest hæc societas in animalibus diuersarum esse rationum, veluti quando vnus confert animalia, alter vero suam operam, & laborem in illis pascendis, custodiendis, augendis, vẽdendis, &c. Quę societas potest duobus aduc modis fieri. vel ita, vt ex pacto tam animalia illa quam operæ, tam periculum & damnum quam lucrum sint omnia vtrique cõmunia. Vel nullum interuenit pactum, sed absolute, & simpliciter contrahitur, ita vt qui suam confert industriam, solũ teneatur ad custodiã, & pastum gregis, aliasque operas communi vsu pastorum debitas, dominus vero gregis retineat penes se omne periculũ illius. Si quidem hæc societas fiat illo priori modo, & cum illo pacto, perspicuũ est ex superius dictis, quidquid acciderit in illo grege tam damni, & iacturę, quam vtilitatis, & lucri, ad vtrumque pertinere. Vel ex æquo, si pastoris operæ æquales fuerint in valore gregi apposito, vel vbi æquales non fuerint, pro rata & ratione valoris illarum. Quod si posteriori modo contracta sit huiusmodi societas, absolute scilicet & simpliciter, ac sine vllo pacto, lucrum quod ex ea prouenerit, erit inter eos diuidendũ pro rata etiã & ratione rei ab vnoquoque in illa societate collatæ: Si nullum lucrum fuerit in ea acquisitum, manserint vero animalia salua, eius in integrum erunt, qui illa a principio cõtulit: Si vero perierint aliqua, vel omnia, aut deteriora efficiãtur, omne damnum eiusdem similiter erit, nec tenebitur pastor qui suas adhibuit operas, aliquam cõpẽsam illi facere, Sed seruanda sunt in hac societate, quæ superius diximus seruanda esse in societate illa diuersarũ rationum, in qua vnus suam pecuniã, alter vero suam confert operam, & industriam.

Ex quo sequitur, posse quoque pastorem, qui suam operam circa gregem alterius in societatem acceptum exhibet, periculum illius penes se suscipere per contractum assecurationis, accepto aliquo honesto ac iusto pretio pro illa, iuxta ea quæ superius diximus de societate, cui coniungitur contractus assecurationis cum eodem socio: Ita vt quãdo idem pastor qui operas circa gregem est collaturus, illius quoque assecuratorem se constituit, æstimentur a principio animalia illa, vt constet quantũ pro vnoquoque redde debeat, si quæ illorum perierint, quacunque ratione pereant.

Licitum etiam est in hoc contractu, vt docent D. Antoni. 2. par. tit. 1. cap. 7. §. 39. Nauarr. cap. 17. nu. 261. tradere alicui animalia in societatem, ea lege, vt lucrũ sit cõmune, sed qui illa recipit pascenda nihi ex eo lucro accipiat, donec pretiũ eorum domino persoluatur, & postea sint cõmunia, modo quæ toto illo tempore ante sortẽ recuperatam, interierint, domino qui illa a principio contulit, intereant, non pastori recipienti illa, Quod vero illud liceat, ex eo patet, quia quando pastor recipiens illa animalia nihil accipit ex lucro, donec illa sint suo dõno persoluta, perinde se habet, ac si dato pretio medietatem illorũ emeret, efficianturq; illa animali a vtriq; communia, ac pariter lucrum.

Demũ ne in huiusmodi societatibus animalium aliqua iniquitas interueniat, seruãda est hæc triplex regula. Prima, Vt si quæ pacta inter socios constituantur, siue circa periculum animalium, siue circa lucrum, & prouentus illorum, siue circa tempus quo durabit societas illa, talia pacta, nisi æquitati vel rectæ rationi arbitrio prudentum aduersentur, obseruentur omnino: ad talia enim pacta seruanda omni iure quicunque contrahentes tenentur.

Secũda est, vt cessante omni pacto, inita quæ societate simpliciter & absolute, omne periculum & damnum, fortuitum, vel naturale quod animalibus contigerit, nulla ratione pertineat ad pastorem, qui illa suscepit pascenda, & curanda, sed ad solũ socium qui illa contulit, vt docent Bald. & DD. in l. Si pascenda. Cod. de pact. conueniunque cum illis Angel. Siluest. & cęteri Theologi loc. citat. Dixi periculũ & dãnũ fortuitum, nam quod accideret culpa pastoris, ab eodẽ cuius culpa accidit, satisfaciẽdũ est. Limitat hæc Silu. societas 2. q. 6. nisi tradens animalia in alio grauaretur, veluti, vt pastor illa recipiens nollet teneri neque de damno culpa ipsius eueniente. Tunc enim dominus animalium cum grauaretur in vno, esset releuandus in alio l. secundum naturam ff. de reg. iur.

Tertia est, vt in diuisione lucri expensarum, & similium seruetur consuetudo loci, quæ ęquitati & rationi non repugnauerit: vbi vero non extat certa consuetudo, aut illa

illa non censetur satis recta, & æqua, standum erit arbitrio peritorum & prudentũ, vt tuta conscientia diuisio illa fiat: Ita Siluest. Angel. & communiter DD. iuxta ea quæ habentur in l. quod si nolit. §. qui asi dua. ff. de edil. & l. si prius. §. recte placuit. de aqua pluuia. arcen. In quibus omnibus obseruandũ maxime est, quod recte admonet D. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 7. §. 39. & Nauarr. cap. 17. num. 261. Ne in aliqua societate, quæcunq; illa sit, aponantur aliqua pacta, vel exigantur, aut fiant aliqua, in quibus aliquis socius plusquam alij grauetur, vel damnũ aliquod patiatur, cuius ab alijs non recipiat aliquam compensam: cum cõtractus societatis ex sua propria vi & natura sit fraternitas quædam ad communem vtilitatem, & commodum omnium sotiorũ inita, & in qua, nõ debet aliquis socius aliorum damno velle sibi prodesse: nisi societatem leoninam potius quam ciuilem, & humanam vellit excercere. Seruatis huiusmodi regulis erit iusta, honestaque societas, faciléque iuxta illas poterit Theologus de huiusmodi societatibus iudicare, dimissis alijs multis, quæ obscure, & prolixe satis a nonnullis afferuntur. Nunc illud tandem videamus oportet.

ARTIC. VLTIMVS.

QVANDO INCIPIAT, VEL *dissoluatur Societas?*

CIRCA hunc art. multa habent Iurisperiti, & nõ nulli recẽtiores illos immitati, nos quæ Theologum in hac parte latere non debent, breui ac facili oratione cõplectemur.

Primum igitur, circa tempus in quo incipit exerceri societas, standum erit conuẽtioni, si contrahentes de illo expræsse vel virtute interse conuenerint: Vbi vero nihil de eo interse constituerunt, estandum erit actibus, qui in simili societate fieri solent iuxta patriæ vsum, vt recte docent Brrtho. & alij in l. Titiũ. ff. de administrat. & peric. tuto.

Quod vero spectat ad illius finem & dissolutionem. Dissoluitur illa varijs modis, sed potissime his.

Primo, naturali morte cuiusuis sociorũ. Tunc enim dissoluitur societas, non solum quo ad deffunctum & illius hæredes, verũ etiam quo ad alios socios superstites, nisi conuenissent societatem illam, esto aliquis vel aliqui sociorum abirent, debere inter reliquos permanere. Ita habetur. l. Societas. ff. pro socio. l. Nemo. la prima. l. Actione. §. morte. eod. tit. & instit. de societate. §. soluitur: Quod vero ad hæredes nõ trãseat, superius docuimus. Tenebitur nihilominus hæres socij si defunctus sub ea conditione instituit illum hęredem, & hęreditatem illã recipiat. Tenebitur secundo, quę ante mortem deffuncti cœpta erant, loco illius perficere cũ alijs socijs, eodẽ modo quo deffunctus tenebatur. Tenebitur tertio, de omni dãno, quod dolo, vel culpa, aut negligẽtia socij cuius hęres est, dum ille viueret, in ea societate accidit, quia transit hęreditas cum omni debito & obligatione tẽporali & pecuniaria, ad quam deffunctus tenebatur. Tenetur quarto, diuidere lucrum cum alijs, & cõputa ac rationes dati, & accepti reddere, quæ deffunctus, si vixisset, teneretur vsque ad diem obitus illius, & quæcunq; eo tẽpore deffunctus præstare deberet: Quia iuxta cõmune Iuristarũ proloquiũ, quod in vtroque foro habet vim: *Actiones deffuncti tam actiuæ, quam passiuæ, quæ ex contractu oriuntur, transeũt ad hæredes.* Quę omnia habẽtur in iuribus citatis, & pręterea. l. Nã & Seruius. §. si vino. ff. de negotijs gestis. l. hęres. socij. l. verũ. §. in hæredem. ff. pro socio. Ad alia autẽ, quæ viuẽte socio cuius est hæres, non fuerant aduc incepta, nõ tenebitur, nisi inciperentur ab aliquo socio ignorãte mortẽ illius, quæ sic. n. incepta essent perinde se habẽt, ac si illo viuente fuissent incepta.

Sed quid si cõmuni iuramento omnes socij se axtrinxerint? Respondeo, Neq; iuramentum illud obligare hæredẽ, cũ sit actus personalis, nisi sub ea conditione relinqueretur illi hæreditas, vt deberet in illa societate permanere, tenebitur autem tunc non ratione illius iuramẽti pręstiti a deffuncto, quod nequiuit hæredem obligare, sed ratione consensus quo hæreditatẽ illam admittit, Tenebũtur autẽ alij socij superstites, cũ sic iurauerint, ne periurium committant, societatẽ illam sicut constituerũt, cõtinuare.

Dissoluitur secundo societas morte ciuili alicuius sociorũ, veluti si mittatur in exiliũ aut bona illius publicẽtur, aut siquid eorũ quæ habentur in iure, vel cõmuni cõsensu prudẽtum pro morte ciuili illi acciderit. l. verũ. §. vlti. & l. Actione. §. morte. ff. pro socio. & institut. de societate. §. soluitur.

Dissoluitur tertio, Siquis sociorũ propter debita priuatim ab ipso cõtracta cedat bonis suis: Instit. modo cita, & l. 4. pro socio. vbi glossa.

Dissol-

Dissoluitur quarto, si negotium, ad quod præcisse societas illa fuerat inita, finiatur: Nã cum societas illa tali negotio esset omnino coniũcta, & affixa, eo finito finitur simul societas ratione illius præcisse contracta, sicque habetur eadem instit. modo citat. Vnde si capitale, cum quo gerendũ erat negotium, circa quod fuerat præcisse inita societas, omnino perat, casu, vel quacunque alia ratione, finitur eo ipso illa societas. Similiter si res, circa quam erat societas, pereat, vel ita conditionem mutet, vt illi societati iam non sit idonea. Habentur hæc in illa l. Verum. §. vltimo.

Quinto dissoluitur finito tẽpore illi præfixo, si ad certũ aliquod tempus fuerat contracta: Quo casu, si conuenerint socij, vt ante illum terminum non dissoluatur, non potest ante illud nisi omnibus cõsentientibus dissolui: quia pactum honestum, reclamante eo cum quo constitutum est, violandum non esse omnia iura proclamant. Ita habetur l. in hoc iudiciũ. §. si conueniat. ff. commun. diuid. & l. nullam. ff. pro socio.

Excipiuntur autẽ nonnulli casus, in quibus potest aliquis socius illi societati renũtiare ante terminum illi præfixum. Primo, quando alij non seruant ei pacta, & conditiones, sub quibus fuit societas illa contracta. Secundo, si alij socij tot iniurijs & damnis eum afficiant, vt prudentiũ iuditio non debeat illa pati. Tertio, si iam non speretur lucrum illud, & vtilitas, cuius gratia cõtraxerãt illam societatem. Quarto. Si propter bonum commune oporteat illi societati renuntiare, veluti cum causa communis postulat illum ab esse, aut alteri negotio intendere, nec valet illud prẹstare, quin ab illa societate recedat, prẹterquam vbi per interpositam personam posset societati quoque illi commode deseruire. Quę omnia colligũtur a Bartho. & alijs ex l. coire. & alijs sequentib. ff. pro socio. & l. Actione. §. diximus. eod. tit.

Quando autem non est præfixum certũ tempus, vel negotium societatis communi contrahentium illã consensu, potest quiuis eorum illam dissoluere, recedendo ab illa. His tamen seruatis. Primo, vt omnes admoneat expræsse se ab illa recedere, adeo vt si aliquo eorum absente, & illud ignorante renunciet societati, tunc sic renuntians debet cum ilo diuidere, quidquid cũ capitali fuerit lucratus, si quod vero damnum recipiat pertinebit solum ad eum qui renuntiabit. Secundo, vt renũtiet tempore opotuno, & commodo alijs socijs, minime vero eo tempore, quo noceret alijs talẽ societatẽ dissoluere: Quia cum illi bona fide societatẽ illã cum ipso contraxerint, & sub spe non fore dissoluendam cum dãno & iactura sua, qui tunc ab ea recederet, suoque recessu eã dissolueret cum aliorum damno, esset causa dãni illius, non minus ac si culpa eius illud accidisset, tenebiturque ex consequenti ex iustitia illud cæteris compensare. Tertio, ne renunciet cũ dolo, veluti cũ quis, vt alia via maiora lucra obtineat, fingit se in illa societate damna recipere, nec posse amplius sine damno suo in illa permanere. Veluti cũ cõtracta societate generali omnium bonorum videt aliquis socius pinguem hẹreditatem, vel negotiationẽ se habiturũ, & ne illã alijs socijs communem facere compellatur, quærit occasiones, & causas fingit recedendi ab illa societate. Hæc enim non licent, nisi a principio communi omnium sociorum cõsensu interse constituissent, vt liceret vnicuique ab illa societate recedere, quotiescũque ei liberet, & quacunque ratione res illius societatis sese haberent. Ac siue recessus ille nociuus alijs esset, siue secus.

Sexto dissoluitur societas, si socius aliquis in amentiam incidat, aut talis tantusq; euadat bonorum suorũ dilapidator, vt pretoris iudicio tutor illi conferatur. Poterit namque tunc huiusmodi tutor societatem illam dissoluere, saltim quo ad illum cuius curam & tutelam gerit, eadem ratione qua posset qui socius erat, nec tutore indiguisset l. vltim. Cod. Pro socio.

Septimo, dissoluitur, quando cõmuni sociorum consensu, licet tacito, cœperit singuli eorum suis priuatis commodis intẽdere, desierintque interse communicare, quæ illis solebant esse communia, quando societatem seruabant. l. Vtiq; ff. pro socio. & l. itaq;. cum. eod. tit. Quia sicut societas cõtrahi potest (vt vidimus) tacito consensu, per actus & communicationem quam solẽt interse habere socij, qui expræsse societatẽ contraxerũt: Itaquoq; potest etiam tacito consensu dissolui, quando desinunt interse communicare, quæ solebant durante sotietate eis esse communia.

Denique dissolui etiam pręter hæc societas potest consuetudine patriæ, ita vt censeatur tunc finiri, quando similes societates solent ibi cessare. Ita l. Quod si nolit. §. Qui assidua. ff. de ædeli. ædict.

Et hęc de contractu societatis dicta sufficiant.

DISPVTATIO DE CONTRACTV ASSECVRATIONIS.

POST contractum societatis explicanda se offerunt, quæ ad contractum Assecurationis pertinent: De quo Theologi in 4. Sent. dist. 15. Conrrad. de Contract. quæst. 71. Dominic. Soto lib. 6. de Iust. q. 7. art. vnico. Iurisperiti. ff. de Nautico fœnore. Et Cod. eod. titu. & in cap. Nauiganti. de vsuris. Summistæ in verb. Assecuratio. verb. Negotium. & verb. Vsura. Couarr. lib. 3. varia. resolut. cap. 2. num. 5. & seq. D. Nauarr. in cap. fina. de vsuris. a principio vsque ad num. 6. & alij recentiores, qui hoc nostro seculo scripserunt de cōtractib. in peculiari tract. vel cap. de contractu Assecurationis. E quibus omnibus quæ Theologum de huiusmodi contractu scire oportet, iuxta nostram methodum afferemus.

ARTIC. PRIMVS.

QVID SIT ASSECVRATIO, *& ad quam speciem contractus pertineat?*

VSVS mercatorum ac negotiantium obtinuit, vt multarum mercium ac rerum pericula, quibus illę expositæ sūt, nōnulli alij penes se suscipiāt, valorē illarum si perierint dominis suis redditurī: Quod licet aliquādo gratis præstent, rarissime tamen aliter quam accepto aliquo pretio, pro periculo illo & obligatione quam suscipiunt. Appellatur contractus hic Assecuratio, quia per eum, res cuius periculum ab aliquo suscipitur, redditur ea ratione suo domino secura: Qua voce, licet apud peritiores sermonis latini illa non reperiatur, Iurisperitorum tamen & Theologorum receptum loquendi modum sequentes commode hoc loco vtemur.

Definitur autem Assecuratio, contractus promissionis in quo suscipitur alicuius rei periculum pro aliquo interesse, vel pretio. Additur hæc pars pro aliquo interesse, & pretio, quia communiter ac frequentissime ita celebratur, sed nihil prohibet, quin possit quoque aliquādo gratis ac sine vllo pretio ex charitate sola, vel beneuolentia: Vt cum mercator diues charitate adductus suscipit periculum frumenti, olei, vel alterius rei, quæ per mare ad Monasterium aliquod vel hospitale adducitur, gratis ac sine vllo pretio ad valorem illarum rerum si perierint, se ipsum non minus per scripturā obligans, quam si iustum pretium pro illa assecuratione ab illo Monasterio, vel hospitali accepisset. Quamuis huiusmodi assecuratio gratis & ex sola charitate promissa non esset contractus in hoc casu onerossus, sed velut libera donatio illius pretij, quod tūc pro similibus assecurationibus ab alijs confertur.

Ad quam autem speciem contractus Assecuratio pertineat, res est inter DD. controuersa. Nam Siluest. Negotium. q. 5. & Tabien. vsura. 11. num. 2. sentiunt esse contractum innominatum, qui reducitur ad voces illas *Do vt facias.* perinde ac si dominus mercis quæ periclitatur, dicat mercatori, do tibi hęc 5. vt mercem meam valentem 100. quæ naui defertur, efficias mihi incolumē, & securam. Subiungunt tamen hi, posse quoque reduci ad locationem, quasi sit Assecuratio locatio quædā, in qua assecurator locat alteri sub periculo suo pro tali pretio & mercede securam conductionem illarum mercium. Quam partē amplectuntur D. Antoni. 2. part. tit. 1. c. 7. circa finem. De securitatibus. §. 2. & Laurent. de Rodulf. vt refert Conrrad. q. 71. nimirum esse locationem. Censent alij reduci ad emptionem & venditionem, in qua assecurator mercium vendit pro aliquo certo pretio susceptionem periculi, & securitatis illarum, ac obligationem reddendi illarum valorem si perierint. Denique ne in hac parte amplius immoremur, reducunt alij assecurationem ac fideiussionem, quæ sententia

tia multis ex recentioribus probatur & merito. Quia sicut in fideiussione promittit fideiussor pecuniam, vel rem alicui debitam, debitore ipso non soluente ac restituēte, fideliter persoluere, pari omnino ratione in contractu Assecurationis, assecurans mercem aliquam vel rem periculo expositam promittit, ea non perueniente salua & incolumi ad manus domini sui, sed in totum vel in parte pereunte, illius valorem fideliter suo domino exhibere.

Meo quidem iuditio, quamuis exiguo satis actenui, non multum refert ad quam speciem contractus Assecuratio pertineat, modo nobis constet, quando iuste illa fiat, quando secus inique, & fraudulenter. Ducor nihilominus magis in hanc vltimam opinionem, vt sit potius fideiussio, quam contractus innominatus, vt voluit Siluest. vel emptio, & venditio, aut locatio. A sententia Siluest. recedendū in hac parte existimo, cum habeat iam hic contractus proprium nomen Assecurationis: Ab opinione vero aliorum, quia tam emptio & vēditio, quam locatio, non fiunt sine aliquo pretio vel mercede, adeo, vt sit pretium de intrinseca ratione emptionis & venditionis, merces quoque & stipendium de intrinseca ratione locationis, assecuratio autem sicut & fideiussio potest & gratis, ac sine vllo pretio fieri, vel eo accepto vt constat.

Ita fit, vt sicut in fideiussione reperiuntur hæc tria: Creditor, qui alicuius debiti dominus est: res debita illi conferenda: & fideiussor, qui fidē suam astringit, & seipsum obligat ad debitum illud per soluendū creditori, debitore ipso non soluente, ita in hoc contractractu Assecurationis reperiuntur alia tria illis similia: Dominus illius rei quæ periclitatur, potestque perire antequā perueniat ad locum, vel tempus designatū, qui habet se tanquam creditor, res eo peruētura sed sub periculo, quæ habet se velut debitum, & assecurator obligans se ipsum ad periculum, & damnum quod illa patietur, & conferendum illius valorem si perierit, veluti quidam illius fideiussor.

Ex quibus sequitur, Primo, vt sicut in his tantum debitis solet interuenire fideiussor, in quibus de certa ac fideli debitoris solutione habetur, vel potest haberi aliqua dubitatio, minime vero in his quorum recuperatio certissima est, & indubitata, ita quoque vt artic. seq. dicemus in his tantum rebus habeat locum assecuratio, quæ alicui periculo vere subijciuntur, minime vero in his quę ab omni periculo liberæ sunt, & immunes. Sequitur secundo, triplicem in hoc contractu existere obligationē. Primam, qua dominus rei tenetur exhibere assecuratori pretiū illud, in quo inter se conuenerint, vel quod habuerit tunc communis vsus fori, pro quātitate & valore rei cuius periculū ille suscipit, & qualitate periculi cui illa iuxta circunstantias illā comitantes subest. Præterquam vbi assecurator ex charitate, vel beneuolētia periculum illud sine vllo pretio vult suscipere, sed pretiū illud gratis alteri remittit, ac donat. Secūda obligatio est, qua tenetur assecurator, re illa, cuius periculū penes se suscepit, pereūte, valorem eius fideliter domino illius persoluente. Tertia est, qua oportet, vt res assecurata quæ perierit, & cuius valorem assecurator persoluerit, si alicubi deinde appareat, & reperiatur, vel integra vel ex parte, ad assecuratorem ipsum tanquam verum illius dominum pertineat, quemadmodum debiti a fideiussore soluti efficitur verus dominus, idem fideiussor qui illud persoluit, habetque actionem & ius ad exigendū, & recuperandum illud ab ipso debitore, vel a quocunque alio habente bona illius debitoris.

ARTICVLVS II.

AN CONTRACTVS ASSE-*securationis sit iustus? Et sub quibus conditionibus.*

CONTRACTVM Assecurationis absolute, & secundum se iustum esse, nisi ex aliqua circunstantia vitietur, communis est tam Theologorū quam Iurisperitorū sententia, a qua nullum nouimus recedere, pręter quēdam Doctorē Salmanticensem, quem referunt è catreda & sugestu illum tanquam iniquum damnasse, & eo temeritatis prorupisse, vt Mag. Victorian. virum religiosissimum, ac doctissimum, & de omnibus Theologis adeo benemeritum eo nomine publice reprehendisse, quod a mercatoribus interrogatus, contractum hunc honestum ac iustum affirmauerit. Argumenta quibus vtebatur, sunt illa quæ affert Dominicus Soto lib. 6. de Iust. q. 7. art. vnico in princip. Primum sumitur ex cap. Naui-

ganti. de vsuris. vbi videtur contractus iste damnari, & censeri vsurarius, qui nauiganti, vel eunti in nundinas aliquam pecuniā mutuans, recipit ab eo cui mutuat, aliquod interesse, eo quod illius capitalis & pecuniæ periculum penes se suscipit.

Secundo, Qui assecurat mercem, vel rem alterius pretio accepto, recipit illud pro nihilo, est ergo contractus iniustus & iniquus. Probatur antecedens: quia huiusmodi assecurator nihil vendit domino illius mercis, nihil confert illi in societatem, neq; aliquam pręstat operam circa illam mercē vel laborem, aut industriam, vnde nullo iusto titulo pretium illud accipit.

Tertio: Si hic cōtractus cōcedatur mercatoribus tanquam iustus, datur magna occasio iniquis & ociosis hominibus ad captādas aliorum pecunias sub titulo illius, exhibendo se assecuratores mercium, etiam si non habeant bona, vnde illas pereunts soluant: quod pręfecto cedit in magnum Reipubli. damnum, & materiam litium.

Conrrad. de contract. q. 71, fatetur licitū quidem esse hunc contractum, quando is qui rei periculum suscipit, recipit pro illo moderatum pretium & interesse, adhibetq; suam operā, & industriam in illius rei conseruationem: Vt si nauta sub moderato pretio suscipiat periculum earum merciū, quas in sua naui defert. Vbi vero, qui rei periculum in se suscipit, nullam operam circa illā est adhibiturus, cōtractum esse iniustum & illicitum. Priorē partem suæ opinionis probat Cōrrad. Primo, quia illud cedit in bonum spirituale nautæ, & assecuratoris, ratione enim periculi a se suscepti diligētius curabit rē illā tueri, ac conseruare, & quod sui muneris est præstare. Secundo, Quia cedit in vtilitatem tam domini illarum mercium, quam Reipub. & boni communis, cū illarum rerum conseruatio, & domino illarum & prouisioni Reipub. vtilissima fit. Posteriorem vero partem ostēdit, Quia illi tantum contractus cēsendi sunt honesti, & iusti, qui cedūt in aliquod bonum commune, vbi vero assecurator nullam operā pręstat circa mercē, quam assecurat, vt ab illo periculo liberetur, nihil agit quod cedat in bonum cōmune, imo otiossus, & nihil exercens vult ex tali contractu lucrum reportare, contra illud Genes. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Qua ratione Conrrad. damnat plerasque assecurationes, quæ communiter fiūt a mercatoribus, cum in plerisque qui pericula mercium & aliarum rerū suscipiunt, nullam operam præstent circa illarum conseruationem, sed fortunæ, vel diuinæ potius ac verius prouidentię se ipsos suaque committentes contractum hunc exerceant.

Communis autem tā Theologorum quā Iuristarum sententia, vt initio huius artic. dicebam, habet, contractum hunc seruatis debitis illius conditionibus ac legibus, iustum esse, & licitum. Et quoniam nullum noui Doctorem preter illum Salmanticensem, & Conrrad. aliter sentientem, superuacaneum duxi referre authores qui illud docent.

Ad huius vero sententiæ, in qua vt verissima omnes conueniunt, plenam intelligentiam obseruemus, Hūc contractum assecurationis tribus modis fieri posse.

Primo, ita vt sit verus & realis: Quod vt habeat, duo exiguntur, alterum ex parte rei quæ assecuratur, alterum ex parte assecuratoris. Ex parte rei, vt illa vere periculo subiiciatur; ex parte assecuratoris, vt vere habeat in bonis, vnde valorē illius rei, cuius periculū in se suscipit, realiter ac fideliter si perierit, persoluat. Veluti cum mercator habens nauim realiter mercibus onustam trāsuehendam in Flandriam, timet illius subuersionem vel capturam, tātoque periculo & damno, quod illi naui reuera imminet, occurrere volens, quęrit aliū mercatorem, qui accepto aliquo iusto pretio periculum illius nauis ac merciū penes se suscipiat: & quod optat inueniens occurrit illi alius mercator, qui periculum illud sub iusto pretio penes se suscipit, habens vere in bonis vnde realiter, ac fideliter valorem nauis, & mercium quas assecurat, si perierint, reddat. Hic contractus est vera ac realis assecuratio.

Secundo modo potest hic contractus fieri simulate, & ficte, vel ex parte rei, vel ex parte Assecuratoris, vel ex parte simul vtriusque: Ex parte rei quando non existit talis res, sed fingitur, aut nulli subijcitur periculo, sed simulatur illi subesse. Vt cum queritur assecuratio nauis quæ nullibi est, aut nullas habet merces, sed fingitur habere, vel si habeat ab omni periculo existant re ipsa immunes, fingantur vero periculo esse expositæ. Ex parte Assecuratoris quando reuera illę non habet in bonis, vnde possit soluere merces, ac res quarum periculū in se suscipit, si illæ pereant: Ex his manet perspicuum quando hic contractus ex parte vtriusque fiat simulate & ficte.

Tertio

Tertio modo potest fieri hic contractus, quando non assecurantur res quę sint proprie merces, sed res aliquę naturales, vt vita alicuius, fructus terræ, partus mulieris, felix euntus nundinarum, aut alicuius negotij.

His positis sit prima Conclusio.

Si contractus assecurationis sit verus, & realis ex parte vtriusque cōtrahentit, illo p rimo modo explicato, seruatisque illis conditionibus, tā ex parte rei quæ assecuratur, quam ex parte assecuratoris, siue celebretur circa res quæ sint proprie merces, siue circa quascunque alias, modo vero periculo subsint, est contractus licitus, & honestus.

Hæc cōclus. habetur expræsse in iure Ciuili. ff. de nautico fœnore. l. 1. & 4. & Cod. eod. tit. l. 1. & 2. & probatur ratione: Si hic contractus non esset licitus, id certe esset, vel quia assecurator suscipit rei periculum, vel quia accipit pretiū aliquod ratione illius periculi: Etenim cum in his duobus cō sistat tota vis & substantia huius cūtractus, non potest, si quam iniquitatem & vitium habeat, aliunde illud habere. Sed neutrum horum reddit hunc contractum illicitum, vel iniquum: Non primum, cum nihil magis cōsonum societati humanæ, quam vnū, periculum cui bona alterius subsunt, in se suscipere, hinc enim ortus est contractus fideiiussionis, qui adeo honestus est, & ciuili humanæque societati adeo necessarius. Nec secundum: Quia pro re pretio æstimabili pretium, modo honestum illud sit, & iustum, recipi potest, periculū autem rei quæ illi subicitur, & obligatio persoluendi valorem illius est res pretio æstimabilis, vt habetur. l. Periculum. ff. de nautico fœnore.

Et confir. Quia contractus in quo vterq; contrahentium ex æquo exponit se damno vel commodo, semper est iudicatus ab omnibus honestus & licitus, hoc autem reperitur aperte in hoc contractu: Nam assecurator exponit se commodo, retinēdi pretium quod accepit, saluum & illessum, si res quā assecurauit non pereat, & damno persoluēdi valorem illius si pereat: Similiter dominus rei exponit se huic commodo habendi rem suam ita securam, vt si perierit non sibi pereat, sed assecuratori, & huic damno, vt pretiū illud sit absolute assecuratoris, siue res illa pereat, siue non.

Secundo, Hic contractus vt ex ar. preced. constat, est quædam fideiiusio, vel saltim est illi maxime similis, Sed fideiiusio est cōtractus honestus, & iustus de quo nullus vnquam peritorum duuitabit, licetque pro fideiiusione accipere pretiū, quod prudentum arbitrio sit iustum, & commēsuratum periculo, cui fideiiussor se offert: in quo omnes etiam conueniūt, ergo erit similiter cōtractus assecurationis, modo vere ac realiter celebretur, & nullomodo ficte aut simulate contractus honestus & licitus, & in quo iuste, & cum maxima æquitate potest recipere assecurator pretium, quod arbitrio prudentum, vel vsufori censebitur iustum, pro ratione periculi quod penes se suscipit, & tanto ęquius, & iustius, quanto maius est periculum cui communiter se exponit assecurator, quam sit periculum, cui exponit se fideiiussor.

Tertio, Contractus qui dicitur depositionis, seu vadiationis, Hispane *las apuestas,* seruatis debitis circunstantijs, maxime vt vterque vero periculo se exponat boni vel mali euentus, est contractus licitus, & honestus: Sed hic contractus assecurationis est velut quidam contractus vadiationis, in quo perinde se habeat assecurator ac si dicat, assero hanc nauim peruenturam ad portum si minus, da mihi. 5. & ego nisi peruenerit, reddam tibi 100. Ergo est contractus hic assecurationis honestus & iustus. Minor cum consequentia perspicua est, Maior vero est recepta apud omnes DD. Habent illam expresse Grabri. in 4. dist. 15. q. 3. dubio. 8. Medin. Cod. de Restit. q. 22. collu. penult. Nauarr. in Manua. cap. 19. num. 18. Soto loco cit. & omnes recentiores qui de contractibus scripserunt. & Adrian. licet non habeat illam expresse, satis tamen insinuat illam in suo 4. fol. 69. col. 2. Dixi autem in Maiori, in contractu vadiationis vtrumque contrahentē debere seipsum exponere periculo: quia si alter deponentium esset certus, verum esse quod affirmat, nulliq; periculose exponeret, si res illi pro voto succederet, non posset lucrum illud aut sponsionem recipere: cum illam eo solum nomine recipere posit, quod exposuerit se periculo perdēdi quod spopondit, sicut & in ludo, cuius contractus hic vadiationis seu sponsionis quandam effigiem & specie gerit. Ita docent omnes authores citati. Excipiunt vero Medina, & Nauarr. locis citatis eum, qui certus est, quando aperte admonet alterum se certo scire, quod affirmat, & spondet, alter vero quantumuis ab illo admonitus temere, & imprudenter *de necio y porfiado,* vult nihilominus omnino sponsionem

nem facere: potest enim tunc, qui de rei euẽtu certus est, tali certitudine non obstante, spondere cum illo, ac deponere, & tuta cõscientia lucrari.

Denique contractus hic est maxime necessarius Reipub. multi namque ab asportãdis mercibus necessarijsque negotijs, quibus conuictus humanus plurimum indiget, exercendis desisterent, nisi existerent, qui merces illas accepto aliquo iusto pretio promitterent securas reddere: Pertinuit autem ad diuinam prouidentiam, vt contractus adeo Reipub. & conuictui humano necessarius, nisi aliunde vitietur, secundum se suamque propriam rationem licitus sit, & honestus.

Quibus & illud plurimum fauet, quod cedat vt plurimũ in vtriusque contrahentis vtilitatem. Assecuratorum quidem, quia sæpe recipiunt pretia ista sine vllo damno, aut iactura aliqua suorum bonorum, cum frequenter res assecuratæ non pereant. Assecurantium vero merces suas, quia soluto illo pretio securi manent res suas vel non perituras, vel si pereant alijs perire, non sibi, cum sint valorem illarum recuperaturi.

Ad argumenta in oppositum: Ad primum, desumptum ex cap. Nauiganti respõdeo, nullomodo in eo prohiberi contractũ assecurationis, de quo hic loquimur, vt priuatim ostendemus art. 4. & vltimo huius disputationis.

Ad secundum constat satis, pretiũ quod ab assecuratore recipitur, non recipi ab illo pro nihilo, quin potius pro re quæ pretio ęstimabilis est, & digna: cum recipiatur pro periculo, cui res illa exposita est, quod in se assecurator suscipit cum obligatione persoluendi valorem illius si perierit.

Ad tertium dico, non dari per hunc contractum, modo rite ac recte exerceatur, talem occasionem & ansam, cum non liceat accipere pretium, nisi vere periculum illud rei immineat, habeatque assecurator in bonis, vnde valorem rei cuius periculum suscepit, persoluat, adeo vt fictus assecurator puniatur a iudicibus. Quod si quis sub prętextu huius contractus aliquam vsurã exerceat, non propterea debet contractus hic sub debitis conditionibus celebratus damnari, aut prohiberi, cum illud vitio hominum tribuendum sit, non iniquitati huius contractus.

Ad argumentum Conrrad. constat iam ex vltimo argum. nostro, quo probabimus conclusionem a nobis hic positam, plurimũ cedere in vtilitatem Reipub. & ipsorũ met contrahentium vsum huius contractus, seruatis in eo debitis illius conditionibus, etiã si assecurator nullam aliam præstet operam circa rem assecuratam, quam illius periculum penes se suscipere. Neq; verba illa Genes. 3. huic doctrinæ repugnant, non enim ibi præcipitur vt omnes, & diuites teneantur laborare, aut ad quodcunque lucrum labor exigatur, nam & nonnunquam cũ voluptate illud acquiritur, sed prædixit ibi Deus in penam peccati ab Adamo commissi, terram quæ propria sponte optimos fructus eo non peccãte tulisset, post peccatum nõ aliter illos reddituram, nisi maximo hominũ labore, ac sudore colatur. Addę quod mercatores qui sic assecurant, licet in eo contractu nullum patiantur laborem corporis, non tamen carent labore in alijs negotijs quæ exercent, quin & laborem animi, timentes ne res illę assecuratę pereant, frequenter patiuntur.

QVAE LEGES, SEV CONDITIONES *in contractu Assecurationis debeant obseruari? Et quæ fraudes contra illas misceri possint?*

(?)

DIXIMVS hunc contractum honestum esse, & licitum seruatis debitis in illo cõditionibus: quas licet iam attigerimus, nunc tamẽ, quoniam ex defectu earum potest ille vitiari, & iniustus ac iniquus reddi, copiosius explicemus oportet.

Exigunt quidem DD. in illo vt recte ac iuste fiat varias conditiones, sed potissime has sex.

Prima est, Vt euẽtus, rei quę assecuratur, sit vtrique contrahenti incertus, saltim quãtum ad notitiã quã de illo vterque habet. Et ratio est, quia cum iustitia huius contractus in eo consistat, vt vterque eorum tam damno quam lucro ęqualiter se exponat, vt in 2. argum. quo probauimus illum esse honestum ac licitum, diximus, exigitur necessario euentũ rei quę assecuratur vtrũque latere, ac vtrique reuera incertum esse: nam aliter is, cui ille certus esset, ac cognitus, nulli profecto periculo se exponeret. Vnde si quis assecuraret sibi nauem, quam iam nouit perisse, fraudulenter quæreret illius securitatem, & iniuste reciperet, quidquid in compensam mertium quas amisit, sibi

sibi daretur, tenereturque ad illud in integrum restituendum, quin & omnes expensas, vel damna, quæ assecurator ille quem decepit, ea ratione pateretur. Fuit enim cõtractus nullus & iniquus. Poterit autem recipere pretium, quod pro illa assecurrtione contulit, modo, vt dico, satisfaciat assecuratori omnia damna emergentia, & lucra cessantia, quę illi per illam fraudem & dolum contigerũt, & omnes expensas, si quas propterea assecuratot ille fecit.

Eadem ratione, si rumores, ad eum qui assecurationem quærebat peruenerũt, rem perisse, aut habebat coniecturas idem indicantes, quę assecuratorem latebant, ita vt si eum non latuissent, non assecurasset, vel saltim multo maiori pretio; tunc quia huiusmodi dolus & deceptio dedit causam illi assecurationi, aut saltim vere dolus & deceptio in eo interuenerunt, tenetur, qui valorẽ illius rei ea pereunte reciperet, illum restituere: Nec sufficit, conferat incrementum pretij, quod forsam alter postulasset, si rem illam ita periclitari ac prope interitum esse agnouisset: Quia tam contractus cui dolus causam dat, quam is in quo vere fraus & dolus interuenit, quo dolo cognito cõtrahens, qui damnum patitur, forsam non contraxisset, censendus est inuolũtarius & nullus, ita vt quidquid per illum recipitur, maneat obnoxium restitutioni. Sicut diximus de vendente rem defectuosam, cuius defectum nouit, & occultat, ceditque illud in damnum ementis, ita vt si emens illum agnouisset, rẽ illam non emisset, vel saltim multo minori pretio, teneri vel ad rescindendum contractum, vel ad restituendum augmentum & excessum illum iusti pretij pro arbitratu emptoris, qui sic fuit deceptus.

Eodem modo si assecurator quãdo assecurauit, sciebat rem iam esse in tuto, & ab omni periculo liberam, contractus est similiter nullus, teneturque alteri restituere omne interesse, & pretium, quod pro illa assecuratione recepit, & omnes expensas, quas dominus rei propterea fecerit: Idemque dicendum est, si coniectabat rem illam fere iam esse in tuto, neque illud alteri indicauit, quando dominus rei, si quidem illud agnouisset, vel non quæsisset assecuratorem, vel multo minori pretio: quia talis ignorantia, & deceptio efficit contrahentem inuoluntarium, & eo ipso reddit contractum nullum.

Secunda Conditio.

EXIGITVR secundo, vt merces illę vel res quarum securitatem aliquis quærit, vere existant, vereque subijciantur illi periculo, cuius securitas postulatur. Vnde inique ageret, qui fingeret se habere in portu nauim velis cito committendam, multis mercibus ac tanti valoris plenam, eiusque siue illarum mercium quæreret securitatem, cum nullã haberet nauim, aut si quam, vacuam, & inanem, tenereturque, si quid propterea ab assecuratore, quem sic decepit, acceperit, in integrum cum omnibus damnis, & expensis restituere. Est enim huiusmodi contractus iniquus, & nullius: tum, quia innititur deceptioni & dolo, quem si alter agnouisset, profecto non assecurasset, sed timuisset prudenter, dominum illius nauis negligenter in ea seruanda, tanquam vacua, & inati se habiturũ: quin etiã iniqua cupiditate obcœcatum, passurũ forsam data opera illius submersionem, vt sub pretextu multarum mercium in ea pereuntium multum lucrũ, multamque pecuniam ab illo miseso assecurato reciperet: Vbi vero merces non existunt, sed finguntur, nec existit periculum, quod ab assecuratore vere suscipiatur, nec vera materia huius contractus, sed est velut simulatum cambium quod dicitur sicum & fictum. Tertio, quia cum hic contractus (vt docuimur) sit quædam fideiiussio, res assecurata talis esse debet, vt si pereat, eiusque valorẽ assecurator persoluat, maneat illius dominus, cum actione & iure recipiẽdi illã tanquam vere suam, si alicubi deinde illa appareat: quo iure expoliaretur assecurator qui ita deciperetur, vt merces, quas assecurat, vere non existerent.

Excipitur ab hac conditione secunda, vt recte obseruat Soto, quando assecurator sciens & prudens in illa naui nullas esse merces, aut non eius valoris qui dicitur, sed multo minoris, vult nihilominus illam perinde assecurare, ac si reuera merces illas haberet, ac tanti valoris: Tunc enim recte ac iuste si periret, posset qui ab illo ita sciẽtẽ & prudente eam securitatẽ quæsiuit, valorem illarum ab eo exgere, & recipere. Primo, quia in hoc contractu non decipit assecuratorem, nec potest ille censeri inuoluntarius, sed libere & maxime voluntarius, & qui si quod patitur damnum, vel iniuriam, sibi ipsi illud intulit. Secundo. Quia recipit actu & reipsa pretium iustum, & commẽsuratum

ratum valori talium mercium, perinde ac si vere illæ in ea naui existerent. Et iuxta mercatorum morem, qui hunc contractum celebrat, nec curat nauim videre, nec merces aut res de quarum securitate agitur, nec illarum valorem aut pretia, sed mutuo consensu ita conueniunt: Conferam tibi 5. pro 100. vel 50. pro mille, & quia defero in naui 4000. quæ efficias mihi secura, reddo tibi in pretium huius securitatis iuxta communem vsum fori 200. Vnde quidquid sit de mercibus, conueniunt in aliqua certa quantitate assecurāda, & pro ratione illius pretium confertur, sciensque & prudens quātitatē illam sub eo pretio eā assecurat.

Tertio quæ est ratio Soti, quia talis assecuratio esset quoddam genus vadiationis seu sponsionis, quasi dicat domino nauis assecurator iste, si salua peruenerit nauis, dabis mihi tantum: sin minus, dabo tibi tantum: sicut possent & alij, ad quos illius nauis incolumitas aut subuersio nulla ratione pertineret, sic inter se deponere ac spondere, si nauis illa incolumis ad portū applicuerit, dabis mihi 50. sin minus dabo tibi 1000. Hæc autem accipienda sunt nisi nauis culpa domini pereat, vbi enim culpa illius periret, esto assecurator sciens illam vacuam ac sine mercibus assecurasset eam in hac vel illa quantitate, & valore mercium, non teneretur ad aliquid persoluendum: cū enim culpa domini sui nauis illa perierit, eidem cuius culpa periit, damnum illud ascribendum est.

Hinc colligunt nonnulli, hanc secundam conditionem, Vt merces quas aliquas assecurat in naui, oporteat vere in illa existere, ac sub periculo asportari, ita vt nisi vere illæ existant sed fingantur, contractus sit inualidus, & sine debito per soluendi valorem aliquem mercium, casu quo nauis illa periret, quia fuit cum dolo qui dedit causam contractui: Colligunt inquam in foro quidem exteriori habere locum, in interiori vero sic esse iudicandum, vt si dominus nauis, quia illa vacua defferebatur, non adhibuit eam curam, quam debuit, sed negligentia ac culpa illius submergatur, vel pereat, tunc reuera assecuratorem non teneri ad contractum illum, neque ad soluendum valorem mercium, quarum periculum in se suscepit, tum, quia tunc vere cōtractus ille fuit cum dolo, tum etiam, quia culpa eius nauis illa perijt. Si vero dominus nauis adhibuit omnem diligentitiam, quam debuit, ad illius conseruationem, contractum non fuisse dolosum, sed validum, tenerique assecuratorem ad persoluendum valorem, in quo merces quas dicebatur nauis illa continere, fuerunt communi consensu æstimatæ.

Hanc sententiam probant primo: Quia tota ratio propter quam, vbi merces quæ assecurantur, non existunt, sed finguntur, censetur contractus inualidus, nullamque inducens obligationē assecuratori, est, quia præsumitur tunc dolus ille, & negligentia domini nauis nō curaturi sicut oporteret de illius conseruatione; at iudicium siue sententia, quæ in nititur alicui præsūptioni, ea cessante, non habet locum in foro anime, ergo in hoc foro, vbi dominus nauis erit negligens, contractus iste erit censendus dolossus, & nullus, vbi vero omnem quam debet, adhibebit diligentiam, censendus erit alienus ab omne dolo, & validus. Secundo, Quia vsus mercatorum illud habet, vt assecurator nihil minus curet, quam existant ne reuera in naui merces illæ, vel secus, sed illud tantum, pro valore & quantitate cuius securitatem alter querit, pretiū recipere, quidquid sit de mercibus, deferantur ne; vel contra.

His tamen non obstantibus non dubito vera esse, quæ in hac secūda conditione diximus. Merces, quarum securitatem aliquis quærit, vere debere existere, & sub periculo cuius securitas quæritur, præterquam vbi assecurator sciens & prudens nullas reuera in naui contineri, vult nihilominus nauim illam assecurare in ea quantitate, & valore, in quo eandem assecuraret si vere merces illas contineret, ac defferet. Hanc sententiam referunt habuisse expresse Mag. Victor. Ducorque in illam argumētis illis propositis, quorum magna est vis: Quia vbi assecurator non suscipit periculū mercium sciens & prudens illas ibi nō existere, sed credens bona fide ibi existere, & defferri, non solum interuenit periculum illud, quod prudenter potest timere, dominum nauis, cum vacua deferatur, negligenter se habiturum in illius conseruatione, verum etiam & damnum hoc, vt si nauis pereat, quacunque ratione pereat, & sine culpa domini sui, soluat quidem assecurator valorem mercium quas assecurauit, nullum tamen maneat illi ius, vel actio ad eas alicubi quærendas, & recuperandas, cum nullæ extiterint, quod tamē est intrinsecum huic contractui, sicut & fideiussori manere illi ius & actionem ad recuperādum debitum,

quod

quod persoluit, ex bonis debitoris vbicunque posint illa reperiri.

Fauetque huic sententię, quod iudices recte ac rite iudicantes, quidquid sit de diligentia & solicitudine domini nauis circa illius conseruationem, in suis tribunalibus & consulatu, assecurationem mercium factam ab aliquo bona fide, existimante vere illas existere, ac defferri, cum tamen non existant sed fingantur, iudicāt contractum dolosum, & nullū, nullamq; inducere obligatione: Tum quia talis dolus & deceptio censetur dedisse causam illi contractui, omnique iure sufficere in quocunq; foro, propter rationem asignatam, vt contrahens censeatur inuolūtarius: tum etiam, quia in hoc casu nullum manet ius assecuratori soluenti merces, ad quærendas illas & recuperandas vbi potuerit, cum nullæ existāt. Vnde contractus hic non solum est inualidus, & nullus, quia pręsumitur in eo negligentia in custodia nauis, quæ est prima ratio aliorū, verumetiam quia assecurator in eo vere decipitur, cum existimet se assecurare merces vere existentes, & quas si pereant, ac soluat, poterit alicubi quærere, & aliquo modo recuperare: Quæ deceptio tam in foro interiori animæ, quam in exteriori sufficiens est, vt censeatur rationabiliter inuoluntarius.

Ad secundum dico, mercatores suscipiētes pericula mercium quæ defferuntur, non explorare an illæ vere existant & defferantur, quia credunt bona fide vere existere, ac defferri merces illas, quarum securitatem aliquis postulat. Quod si aliquando assecurator, vt sæpe fit, conueniat cum alio in aliquo certo valore nauis soluēdæ a portu pro aliquo certo pretio, siue merces illas quas dicitur defferre vere defferat, siue non, tunc perinde se habet, ac si sciens & prudens nullas ibi existere, vult nihilominus nauim illam in illa quantitate & valore securam facere, debebitque valorem illum interse cōstitutum, si nauis illa pereat, persoluere vi illius conuentionis, & pacti.

Sed quæres: Quando assecuratio merciū nulla est, & inualida, propter deceptionem qua merces non existentes finguutur existere, licebit ne assecuratori retinere pretium quod accepit, vel debebit restituere illud domino illarum mercium? Sunt qui existimēt posse illud retinere, quia ipse ex parte sua veram voluit exercere assecurationem, sicut in ludo qui fraude vtitur non potest tuta cōsciētia aliquid lucrari, alter vero qui nulla vtitur fraude, quę lucratur a lusore fraudulento iuste retinet. Nihilominus credere Assecuratorem in hoc casu, cum primū detegitur alterius dolus, & rescinditur contractus, vel iudicatur inualidus, & nullam illi imponens obligationem, teneri ad restituēdum pretium acceptum. Primo, quia accepit illud pro periculo illarum mercium, & obligatione quam susceperat persoluendi valorē illarum si perirēt, vbi autem merces non existunt; neq; existit periculum earū, neq; talis obligatio, pro qua pretium illud accipiatur, vel acceptum retineatur. Secundo quia quod recipitur per contractum nullum, & inualidum, cum primum illud constat, restituendum est, assecuratio autem dolosa & ficta, de qua hic agimus, contractus est inualidus, & nullus: In quo differt plurimum a ludo, qui ex parte lusoris dolosi & fraudulenti inualidus est ad acquirendum lucrum, ex parte vero ludentis bona fide, ac sine fraude & dolo, validus & sufficiens, ad acquirendum & retinendum lucrum, quod fideliter ludens obtinuerit,

Tertia Conditio.

Vt pretium assecuratori reddēdum sit iustū, vel cōmuni vsu fori, vel arbitrio peritorū & prudentū debet esse cōmensuratū periculo, ratione cuius illud redditur. Qua de causa considerandæ sunt diligenter omnes circūstantiæ, temporis, loci, & personarum, vt pro ratione periculi pretium constituatur. Vt in assecuratione nauis, nauigatio illius quali tēpore fiat pacis aut belli, multorū aut perpaucorū pyratarū, è tali portu in talē portū, sub tali Nauclero huius vel illius peritię & dexteritatis, &c. quot & quātis periculis subiiciatur. Quibus recte ac mature pensatis, cōstituetur recte pro ratione periculi pretiū accōmodatū: Non. n. consistit illud in indiuisibili, sed habet sicut & in cæteris rebus suam latitudiuem, infimi, medij ac rigurosi & supremi, augerique potest vel minui, non solum pro maiori vel minori valore rei quæ assecuratur, verum etiam & potissime pro maiori aut minori periculo cui assecurator se ipsum exponit. Ex hac conditione sequitur, teneri dominum rei quæ assecuratur ad manifestandum vere assecuratori omnia pericula, & incommoda, quæ illi rei cōtingere possūt. V. g. debet illi vere indicare portū, ad quē applicabit nauis illa, & quæ pericula

pericula in eo itinere aut portu soleant accidere, qualitatem itidem nauis, & firmitatem, num vetustate vel aliqua alia de causa minetur interitum, vel recipiat aquam, & similia, quæ ad quantitatem periculi recte iudicandam facient, cum ex illo quantitas iusti pretij pro illo exhibendi desumenda sit.

Quarta Conditio.

VT ille, cuius merces assecurantur, seruet fideliter omnes cōditiones, & pacta apposita in contractu. Veluti, vt nauis quę assecurata est, nō teneat aliam viam, nec dirigatur in alium portum, quam fuit dictum & promissum assecuratori, non recipiat alia onera, quibus magis illa grauetur, ac periclitetur, prętcr ea quæ tempore contractus fuerunt significata. Ac sic in alijs rebus quæ assecurantur.

Quinta Conditio.

VT Assecurator habeat vere in bonis, vnde soluat fideliter valorē mercium, quas assecurauit si, perierint: aliter (vt diximus) contractus est iniustus, & iniquus ex parte ipsius, nec potest pretium aliquod accipere, perinde ac si quis vēderet rem quam non habet. Quia assecurator accipit pretium pro obligatione illa quam sibi imponit, soluendi valorē mercium quas assecurat, si perierint, quam tamen obligationem qui non habet bona, vnde valorem illum soluat, ficte ac inique vendit. Vnde talis fictio est dolus dans causam contractui, reddens illum nullum, & alium contrahentem sufficienter efficiens rationabiliter inuoluntarium. Habet enim se in assecuratione dolus hic, perinde ac si quis vellet ludere nullam habens pecuniā, vnde soluat quæ alter ab eo lucrabitur: vnde quemadmodum ludens, nullam habens pecuniam ex qua soluat alterius lucra, non potest tuta conscientia aliquid lucrari ab altero lusore, quia esset contractus inæqualis, pari ratione non habens vnde persoluat valorem rei assecuratæ si pereat, nō potest accipere pretium aliquod pro illius assecuratione.

Sed obijcies, esto assecurator non habeat in bonis vnde persoluat valorem rei quam assecurat, exponit se nihilominus magno periculo si merces illę pereant, quia potest tradi in carcerem, quin & apud aliquos redigi in seruitutem, iam igitur ratione huius periculi, & damni, cui se exponit, poterit pretiū aliquod accipere. Secundo, si quis ludat nō habens tunc pecunias è quibus soluat alterius lusoris lucra, sperat tamen se habiturū postea, & tunc soluturum, potest lucrari ab alio, Ergo similiter assecurator, licet non habeat actu pecunias, vel bona, vnde tunc persoluat merces, si perierint, si tamen speret se postea habiturum, poterit assecurare, ac pretium tuta conscientia recipere.

Ad primum respondeo, assecuratorem istum non habentem vnde persoluat rem assecuratam si pereat, exponere quidem seipsum illi periculo carceris, &c. non tamē ex vi contractus assecurationis, cum sit inualidus & nullus, & ratione cuius nec assecurator iste potuerit aliquid accipere, nec dominus mercis aliud ab eo exigere, quam repitionem pretij quod illi contulit. Habet autem vt recte dicebant Mag. Victor. & Fr. Ioannes a Peña actionem illam tradendi illum in carcerem, propter fraudem & dolum quo ipsum decepit, & nocumentum quod illi intulit, cum non habeat, vnde recipiat valorem mercium, quæ illi perierūt, quem tamen ab alio cum quo veram assecurationem contraxisset, recepisset.

Ad Secundum dico: Si quidem tam is qui ludit, quam assecurator probabiliter ac prudēter speret se in proximo habiturum, vnde soluat: quod per illum ludū, aut assecurationem alteri debuerit, posse illum recipere ac retinere quę ludo fuerit lucratus, & assecuratorem istum quæ ex assecuratione receperit. Quod si non sperēt moraliter ac probabiliter se in proximo habituros vnde soluat, nec posse lusorem illū lucra aliqua ex ludo sibi contingentia recipere, nec assecuratorē non habētem bona contractū assecurationis exercere, vel pretiū aliquod pro assecuratione accipere. Tum quia quod procul abest potest varijs modis impediri, vel perire antequā actu obtineatur, tū etiā quia potest, illa post multū tempus sperās, ante quam ad manus eius perueniāt, obire, quo moriente ad suos hęredes illa forsam non peruenient, aut si perueniant, curabunt illi parum, sicut frequentissime accidit, talia debita suorū deffunctorum persoluere præter quam varijs litibus & molestijs in ea solutione interuenientibus. Quibus fit, vt qui non sperat in proximo habere bona, vnde per-

persoluat merces a se assecuratas, non possit aliquas assecurare, nec pretium pro aliqua assecuratione recipere.

Obseruandum tandem hic est: Quando que mercatores, qui magnam mercium copiā nauibus cōmittunt, nō querere illarum omniū securitatē, sed partis tātū vt ea ratione nec tātū pretiū assecuratori tradere oporteat, nec si casu merces ille pereant, in totū ipsis pereant, sed aliquā saltim habeant illarum partem incolumem & securam: In quo casu omnium DD. consensu illud omnino exigitur, vt tempore contractus ea pars mercium quæ assecuratur in particulari ac in specie (vt dicunt) certa sit, ac definita, vt si merces illæ non omnino perierint sed ex parte, ita vt maneat salua quæ fuerat assecurata, assecurator illius liber quoque maneat a solutione illius, si vero perierit soluat illius valorem: Quod si assecuratio non fiat mercis alicuius in specie, sed quod sæpe accidit alicuius quantitatis & valoris, vt cum deferens in naui res valētes 6000. aureos solum assecurat valorem 2000. aureos, tunc si merces omnes pereant, tenebitur persoluere integra duomillea aureorum quę assecurauit, quod si media tantum mercium pars perierit reddet solum mille aureos, & similiter pro ratione quantitatis mertium pereuntium reddet partem illorum 2000. aureorum quæ assecurauit.

Quæ res hac occasione: Liceat ne habenti tantum in bonis 500. aureos assecurare quantitatem vt mille, accepto pretio iusto assecurationis illorum mille, vel debeat solum assecurare 500. ad quos soluendos si perierint, habet in bonis, accipereque solum pretium assecurationis illorum 500. Refferunt Mag. victo. hic dubitationi respondisse: Si illa mille omnia in eadem naui defferantur, non posse habentem tantū in bonis 500. illa assecurare, sed solū 500, cum hæc tantum poßit persoluere & similiter solum etiam posse tunc recipere pretium assecurationis vt 500. aureorum: Quod si illa mille in diuersis nauigijs in partes diuersa deferantur, tunc posse, esto solum habeat in bonis 500. assecurare illa mille sic diuissa, & recipere pretium assecurationis illorum mille, quia raro accidit, vt variæ naues simul submergantur, & pereant quę in varijs nauibus defferuntur, in his autem iudicandum est secundum ea quæ frequentius accidunt, Alijs tamen videtur probabilius, & verius, ac merito, etiā si illa mille in diuersis nauibus diuissa existant, habentem in bonis solos 500. aureos non posse illa mille assecurare, sed solos 500. Primo, quia qui solum habet 500. non potest efficere securitatem nisi similis quātitatis quam ipse habet. Secundo, quia non est omnino raro contingens, sed satis frequens multas naues simul perire, & bona in eis contentta.

Explicatis conditionibus quas obseruare oportet in hoc contractu, vt recte ac iuste ille exerceatur: Videamur opportet, in quibus rebus exerceri poßit, & a quibus?

ARTIC. III.

QVAE RES ASSECVRARI *poßint, & maxime vita hominis.*

CVM assecuratio sit contractus, in quo rei pretio æstimabilis, & alicui periculo subiectæ, periculum illud ab aliquo suscipitur, perspicuum est ex hac natura propriaque ratione assecurationis consequenter effici, vt sint idonea materia assecurationis omnes res, quę prætio æstimari possunt, & alicui periculo subijciūtur. Potißime tamen iuxta communem mercatorum vsum assecurantur, vt docent comuniter DD. sequuti Siluest. Negotium 4, hæc sex.

Primo merces, siue per mare, siue per terram ex loco in locum defferantur, quando alicuius submersionis vel prædę in eo itinere periculum patiuntur.

Secundo fit similiter assecuratio in pecunijs, quæ dum ex vno loco in alium defferuntur alicui submersioni vel prędę sunt expositæ.

Tertio in debitis, siue ex mutuo siue ex alio contractu debita illa contracta sint: Debet mihi Petrus mille aureos vel ex mutuo, vel ex pretio rei alicuius illi venditæ, vel alia quacunque via, timeo forsam non esse illos mihi fideliter soluturum, quero aliquem qui illud debitum mihi securum efficiat, ac periculum infidelis solutionis quod timeo, dato illi aliquo pretio pro illius securitate pœnes se suscipiat. Sunt qui dicant, in huiusmodi debitis tunc solum posse habere locum contractum assecurationis, quando probabiliter, &

 mora-

moraliter timetur infidelis eorum solutio, sed verius est, quod in hac parte docet Siluest. in quocunque debito posse illum excerceri: quia nullum est debitum, inquo recuperando maxime post aliquod tempus non posint interuenire aliqui labores, difficultates, vel pericula, etsi non statim illa appareant.

Quarto, potest etiam assecurari libertas alicuius, vt cum quis suscipit nauigationem, vel iter per loca in quibus periclitatur incidere in manus pyraturum, prædonum, vel hostium, apud quos efficiatur captiuus: quo casu solet quæri sub pretio, vel saluum conductum efficax, vel mercator qui periculum illud in se suscipiat, ita vt si acciderit hominem illum effici captiuum, teneatur illum ab illa captiuitate suis expẽsis reddimere, ac liberare.

Quinto fit assecuratio in vita alicuius, qua ratione videmus, Episcopos quandoque vitæ suæ securitatem postulare a mercatoribus per aliquot annos, dato illis aliquo pretio pro ratione periculi quod in se suscipiunt, iuxta ætatem, valetudinem, rationem victus, & alias circunstantias eius, cuius vitam per totum illud tempus securam promittunr.

Sexto & vltimo exercetur etiam quandoque securitas in rebus naturalibus, vt fructibus, & similibus: quem tamen contractum ad sponsionem, quam dicunt vadiationem, iudicant multi potius pertinere, quam ad assecurationem. At quando ita exercetur, vt promittat quis sub hoc vel illo pretio tot ex hoc vel illo prędio colligẽdos esse hoc anno vel illo fructus, ita vt si pautiores colligantur sit ex proprijs redditurus deffectum illum, huiusmodi contractus assecuratio quoque vere ac proprie est: cum in eo suscipiatur periculum rei pretio æstimabilis, & illi periculo vere subiectæ.

Ac in omnibus rebus hîc propositis locum habere contractum assecutationis, iusteque exerceri seruatis illis conditionibus, quas artic. præcedenti docuimus seruandas esse, omnes Doctores communi consensu affirmant: solum dissident circa quintum, nempe vitam.

AN IN VITA HOMINIS *liceat exercere Assecurationis contractum?*

(†)

HOSTIENSIS, quem reffert & sequitur Siluest. Negotium num. 4. iudicauit illud non licere: Primo, quia talis assecuratio nulli vtilitati Reipubli. vel alicui bono communi videtur deseruire, sed soli cupiditati.

Secuddo, Quia vita hominis nullo pretio æstimari potest, assecuratio autem circa eas tantum res versatur, quæ sunt pretio æstimabiles, & alicui periculo expositæ. Et hæc est præcipua eorum ratio.

Tertio, Quia talis assecuratio videtur esse concertatio, & sponsio, qua vnus spõdet, seu deponit illum cuius vita assecuratur tot annos esse victurum, alter contra non esse per totum illud tempus victurum, qua ratione datur huic occasio captandæ ac desiderandæ mortis illius, de cuius vita concertatur.

Communis tamen Doctorũ omnium opinio, tam Theologorum quam Iurisperitorum præter Hostiensem & Siluestrum habet hunc contractum seruatis in eo debitis assecurationis conditionibus, & legibus licitum esse, & iustum.

Quod vt magis intelligatur obseruandum est. Vitam hominis secundum se sumptam nullo quidem prętio æstimabilem esse, commodum vero, quod ex vita alicuius per aliquot tempus durante, vel damnum quod illo eo tempore moriente sequitur alicui, prætio æstimari posse. V. g. Designatur Petrus in Episcopum, nec habet pecuniam, qua indiget ad expediendas Romæ suæ dignitatis Bullas, postulat illam a mercatore intra 3. vel 4. annos illi restituẽdam: Si per totum illud tempus Petrus factus Episcepus viuat, restituet fideliter pecuniam illam, quam a mercatore illo accepit, sin minus non restituetur illa mercatori, cum Pettus (vt constituimus) accidit que frequenter, nulla alia bona habeat, quam redditus Episcopatus illius: Hoc commodum, vt restituatur â Petro Episcopo pecunia illa, quam a mercatore accepit, vel alia debita, si quæ habuerit contracta, si fuerit per tres vel quatuor annos superstes, & damnum quod eo intra tempus illud moriente, nec debita illa soluente sequitur, perspicuum est pretio æstimari posse: & ratione huius damni, ac commodi quęrit Petrus in Episcopum electus, qui vitam ipsius assecuret. Quod vel

ex eo

ex eo constat, quia cum agitur de huiusmo di securitate vitæ, non ęstimatur illa secũdum se, in genere vitæ, sed in eo valore, qui exigitur ad compensanda damna, quæ creditores illius eo moriente ac non soluente reciperent, & iuxta illum valorem confert pretium suæ assecurationis.

Hoc posito satis patet communem DD. sententiam, licere vitam alicuius, hoc modo quem diximus, assecurare, verissimam esse.

Et probatur. Omnis res pretio æstimabilis, & periculo exposita est idonea, & accõmodata materia contractus assecurationis: At vita hominis, quatenus illo moriente accidere possunt alicui aliqua damna temporalia, est pretio æstimabilis pro ratione illorum damnorum, ergo sub ea ratione pretio aliquo æstimata, cum mille periculis subiiciatur, idonea est, & accomodata assecurationis materia. Et confirmatur: Quia sicut non bene pro toto libertas venditur auro, at quatenus illa multorum bonorum occasio est, & illius deffectus multorum damnorum causa, æstimatur in eo pretio, quod iudicauerit prudens necessarium ad eam recuperandam, si quis periclitetur in seruitutem redigi, sub ea quæ ratione, ac in eo valore assecuratur, ita quoque & vita. Confirmatur denique communi vsu inter omnes fideles recepto, Superioribus tam secularibus quam Ecclesiasticis illum non ignorantibus, sed approbantibus.

Ex his facile diluuntur argumenta in oppositum.

Ad primum enim constat, quam vtilis sit & necessaria huiusmodi assecuratio Episcopis, & alijs multis, qui indigent pecunia quam non habent, possunt tamen, si per aliquot annos vixerint, illã certo habere, inueniuntque amicos, vel mercatores, a quibus illam accipiant, vitam illorum per tempus illud aliquo assecurante, quos tamẽ non ita inuenirent, si in vita eorum per illud tempus contractus assecurationis locum non haberet.

Ad secundum iam constat, qua ratione vita hominis in aliquo valore æstimari possit, & in eo assecurari, quamuis secundum se & in genere naturæ omne pretium superet.

Ad tertium dico, raro vel nunquam potius accidere, vt qui vitam assecurauit alicuius, aut is, cui assecurator, si ille moriatur, valorem vitæ illius redditurus est, mortem illius desiderent, cum omnibus vtilissimum sit, vitam illius quæ assecurata est, in columem permanente: Nam eo viuente, assecurator, pretium quod recipit pro tali assecuratione, sine vllo damno suo iuste retinebit, is quoque, cui si ille moriatur, debita defuncti persoluenda sunt, commodius illa recipiet a debitore suo, illo viuente: Non enim fit huiusmodi assecuratio, quasi per concertationem de vita illius, quasi vnus deponat illum tot annis victurum, alius cõtra spondeat non victurum: sed solum fit aliquo mercatore suscipiente penes se periculum vitæ alicuius, æstimata vita illa in eo valore qui exigitur, ad compensanda dã na quę illo moriente alicui acciderent. Vnde ex desiderio vitæ eius, qui illius securitatem quęrit, & quem omnibus vtile est, toto illo tempore nõ mori, contractus hic celebratur. Quod si quando, occasione huius assecurationis, aliquis mortem illius, cuius vita assecurata est, desideraret, hoc desiderium non est tribuendum huic contractui, vel naturę illius, sed vitio & iniquitati eius qui mortem illius desideraret, Quemadmodum donatio rei obtineudæ mortem donantis, institutio hæredis, & similia non improbantur, eo quod sint nonnunquam occasio captandæ, ac desiderandę mortis eius, qui sic donauit, vel testamentum illud condidit: quia tale desiderium, & iniquitatas non oriuntur ex natura, vel ratione illius donationis, vel testamenti, sed ex prauitate, & vitio eorum, quibus talis donatio facta est, vel mandata hæreditas.

ARTIC. IIII.

AN QVI PECVNIAM ALIO *cum periculo transferendam alicui mutuat, possit eiusdem pecuniæ periculum penes se suscipere, & illam assecurare?*

QVAESTIONEM hanc disputant Iurispontificij interpretes in cap. Nauigãti. de vsuris: quod licet nos satis abunde superius explicauerimus quęst. 78. art. 2, controuer. 20. colum. 906. quia tamen non dessũt ex recensioribus Theologis, qui existimẽt mutuantẽ pecuniã aliquo traijciendam nulla

ratione posse illam assecurare: Num illud liceat, rursum hoc loco in particulari explicandum est.

Qui ita sensiunt, constituunt, hæc duo tanquam certa suæ sententiæ fundamenta: Prius est. Quemadmodum in fideiussione reperiuntur tres personæ, creditor cui aliquid debetur, debitor ipse, & fideiussor: ita & in assecuratione, de qua hic agimus, reperiri alias tres personas illis similes: nimirum, mutuantem pecuniam tanquam creditorem, mutuatarium tanquam debitorem, & assecuratorem tanquam fideiussorem. Posterius est. Sicut in fideiussione debitor, & fideiussor refferut vnam personam, contrahetem cum creditore velut cum alio contrahente, quia vterque promittunt creditori solutionem debiti, ita & in assecuratione pecuniæ mutuatę alio traiiciendę, mutuatarium qui est debitor, & assecuratorem refferre vnam personam contrahentem cum mutuante illam.

Ex his sic argumentantur: Assecuratio est quædam fideiussio, vel saltim reducitur ad illam, sed in fideiussione non potest idem esse creditor, & fideiussor, Tum quia fideiussor constituit in eo contractu vnam personam cum debitore, debetque propterea realiter esse persona distincta à creditore sicut & debitor ipse: Tum etiam quia repugnat, vt rei suæ sibi ipsi aliquis se fideiussorē constituar. Ergo similiter in assecuratione, mutuans pecuniam, cum sit illius creditor, non potest idem esse illius assecurator, quia cum assecurator constituat vnam personam cum mutuatario illius debitore, debet necessario esse persona distincta a mutuante & creditore, sicut debet mutuatarius & debitor esse persona reipsa distinctā ab illo.

Secundo, Actio, & passio non possunt reperiri simul in eodem subiecto, respectu eiusdem rei: Sed assecurare est velut actio, recipere autem securitatem est velut passio, ergo nō potest idem qui pecuniam, mutuat eiusdem offerre securitatem.

Tertio, Qui rem aliquam assecurat, suscipit in se illius rei periculum, is vero cui fit assecuratio, manet iam eo ipso liber ab illo periculo, impossibile autem est aliquem suscipere periculum aliquod, & ab illo simul manere liberum: Ergo nequit idem qui mutuat, & est creditor, esse simul assecurator pecuniæ, vel rei ab ipso alteri mutuatæ.

In eandem sententiam afferunt huiusmodi Authores. Doct. Nauarr. in commento resolutorio illius Cap. Nauiganti. num. 1.2.3.4.& 5. Quia habet ibi Nauarr. Imprimis Gregor. nonum in eo cap. prohibere omnino hoc genus assecurationis, in quo idem qui mutuat pecuniam aliquo traijciendam, illam assecurat, quacunque ratione talis assecuratio iungantur cum illo mutuo, siue cum pacto siue sine vllo pacto.

Probat illud Nauarr. primo, Quia iuxta contextum istius capitis omnes Latini sermonis periti affirmabunt, hunc esse verum, & genuinum illius sensum: Vt qui nauiganti, vel eunti in nundinas certam mutuat pecuniæ quantitatem, & eo quod suscepit in se illius periculum, aliquid recipit vltra sortem, vsurarius sit censendus: Iuxta quem sensum, quem solum verum iudicat Nauarr. definit aperte Pontifex, mutuantem recipientem aliquid vltra sortem, quacunque ratione illud recipiat, etiā si nullo modo ratione & causa mutui illud recipiat, sed sola ratione periculi, eo tamen ipso quo recipit illud ab eodem qui mutuauit, esse censendum vsurarium.

Secundo, Quia si Gregor. 9. voluisset significare, illum tantum mutuantem esse vsurarium, qui ideo mutuat, quia cum illo contrahit mutuatarius de assecuratione rei non dixisset, *Eo quod suscepit in se periculum*, sed hac ratione, *vt susciperet in se periculum*, quasi diceret, qui ideo mutuaret, quia inter ipsum & mutuatarium conuentum esset, vt nullus alius periculum illius pecunæ penes se susciperet, quam ipse mutuans.

Tertio, Quia si ille tantum esset iuxta istud cap. Nauiganti. censendus vsurarius, qui mutuat sub ista conuentione, & pacto, sequeretur textum hunc de eo tantum loqui, qui prius assecurat, quam mutuet, sicque esset textus iste legendus: *Mutuans, eo quod suscepit in se periculum*: quasi præcedat assecuratio, & sequatur deinde mutuum: At qui sequuntur illum sensum, quē impugnat ibi Nauarr. dicunt vtrumque simul fieri, & mutuum directe & per se, & simul assecurationem, quasi pactum & conditionem sine qua non conferetur illud mutuum. Nec valet inquit Nauarr. quod aliqui affirmant, legendum esse eo quod suscipit in se periculum: Tum, quia in plerisq; & antiquioribus exēplaribus habetu

betur suscepit, tum vero, quia eodem res incidit, siue legamus *suscipit*, siue *suscepit*.

Quarto. Quia Pontifices, maxime Gregor. 9. vir eruditissimus, & in suo munere prudentissimus non solent definire, nisi ea tantum quæ dubia sunt: mutuantem vero cum aliqua obligatione ex pacto mutuatario imposita, aliter non mutuaturum, certum est, & extra omnem dubitationẽ esse vsuratium: Vnde textus hic non est dicendus prohibere hoc genus mutui, in quo mutuatarius obligatur ex pacto non recipere alium assecuratorem, quã mutuantem: sed cum per leges ciuiles illud cõcederetur, vt idem qui mutuat, assecuret pecuniam a se mutuatam, recipiendo aliquid vltra sortem pro tali assecuratione, dubitareturque an id liceret, diffinit Gregor. nulla ratione id licere. Nec distinguit inter mutuantem cum tali pacto, vt idem debeat esse assecurator pecuniæ a se mutuatæ, & mutuãtem ac assecurantem sine vllo pacto: Vbi autem lex non distinguit, neq; nos distinguere debemus.

Ex quibus satis aperte constat Doct. Nauarr. huius fuisse sententiæ, vt non liceat mutuanti pecuniam, vel rem aliquam alio cum periculo deferendam, periculum illud sub aliquo pretio inse suscipere, sed mutuãtem etiam, qui vel ratione talis periculi assecurationis aliquid reciperet vltra sortẽ, saltim in foro exteriori esse censendum vsurarium. Nam habet deinde ibidem Nauar. in foro quidem animæ hunc contractum esse licitum, quando idem qui mutuat, assecurat sine vllo pacto, rogatus libere ab ipso mutuatario sub iusto pretio, & alijs conditionibus in iusta honestaque assecuratione requisitis: Nec esse eum, qui sic assecurauerit, compellendũ a confessario ad restitutionẽ pretij accepti pro illa assecuratione, sine vllo pacto facta, sed libero mutuatarij consensu & sub iusto pretio. Cæterum quia talis assecuratio mutuo admixta, cum eodem qui mutuat, maximam offert vsuræ speciẽ, & suspicãdi ansã, quod ita confertur vltra sortem, non tam exhiberi ratione periculi suscepti, quam ratione mutui sub pretextu & colore assecurationis, quin & reipsa ita sæpe accidere, propterea Gregor. 9. periculis conscientiarum consulere volentem, & innumeris vsuris quæ hac via a mutuantibus exercebantur ocurrere desiderantẽ affirmabant enim sæpe egentes pecunijs, vt inuenirent mercatores a quibus eas mutuo recipient, se illas alio traiecturos, & periculum earum illis vltra sortem reddituros, cum neque alio essent illæ traijciendæ, nec vllo exponendæ periculo, prohibuisse omnino, ne idem qui mutuat pecuniam, illam sub aliquo pretio assecuret, tanquam rem de vsura maxime suspectam. Vnde non dixit sic mutuantem & assecurantem *Esse vsurarium*, sed *esse censendum vsurarium*, propter maximam suspicionem vsuræ, quam talis contractus pre se fert. Sustulitque illa decretali, vel correxit saltim leges illas ciuiles, nempe. l. primam. l. Nihil interest, l. Periculi. ff. De nautico fœnore. & l. 1. & 2. Cod. Eod. titul. in quibus concedebatur huiusmodi contractus, qui in iure dicitur Nauticum fœnus. Quod etiãm docuit Hostiens. in Summa. titul. de vsuris. §. in alijs autem, quem nonnulli Iurisperiti sequuntur.

Sed propter hec non est recedendum a communi Theologorum sententia, & expositione. Vt in illo cap. Nauiganti (sicut superius loco citato docuimus) illud tantum genus mutui damnet, prohibeatque omnino Gregor. nonus, tanquam iniquum, & vsurarium, in quo mutuans ducit in pactum, vt debeat mutuatarius cum ipso cõtractum etiam assecurationis sub aliquo pretio vltra sortem illi conferendo simul celebrare, aliter non mutuaturus. Minime vero damnet mutuum, in quo mutuãs rogatus ab ipso mutuatario pecuniam, vel rem illi mutuatam alio cum periculo traijciendam assecurat sub iusto pretio, & alijs conditionibus, quas diximus in honesta, iustaque assecuratione esse obseruandas. A qua sententia, saltim in foro animæ neque Nauarr. discedit, imo illam videtur omnino & absolute amplecti in Manuali Latino cap. 18. tit. De vsuris circa cãbia. lit. A. Esto in illo comento resolutorio cap. Nauiganti habeat quæ hic retulimus.

Confirmatur autem hec communis sententia, & expositio istius capitis, quam loco superius citato sequuti sumus, & hic rursum sequimur. Primo, Quia Gregor. vir eruditissimus & prudentissimus non intendit damnare contractum, qui reuera iustus est, & honestus, potestque exerceri citra vllam iustam suspicionem vsuræ: vbi vero quis mutuat pecuniam, vere a mutuatario alio traijciendã, & veris periculis expositam, rogatusque a mutuatario propria ipsius sponte, ac sine vllo pacto illam assecurat, & sub accommodato, & iusto

iusto pretio alijsque conditionibus iustæ assecurationis talis cõtractus est honestus, & iustus, ita vt si quis in eo aliquam vsuram latere suspiscetur, vitio ipsius illa suspiscio tribuenda profecto sit, non iniquitatati contractus, qui omni ex parte iuste excercetur, non igitur ea ratione, qua nos illũ probamus, prohibetur, vel damnatur a Gregor. 9. Maxime cum verba istius textus, vt supra ostẽdimus, hunc sensum, quem sequimur, reuera habeant attente considerata: vt Nauigãti, vel eunti in nundinas certam pecuniæ quantitatem mutuans eo quod suscipit in se periculum, aliter non mutuaturus, si quid recipiat vltra sortem, sit censendus vsurarius.

Secundo, Qua ratione vtuntur, & recte Angel. & D. Antoni. quia mutuans sine vlla fraude, vel dolo non est peioris conditionis, quam alius tertius, vnde sicut posset quiuis alius pecuniam illam cum periculis traijciendam sub iusto pretio assecurare, ita & mutuans, modo nullo interueniat pactũ, neque aliqua conditio, quæ cedat in fraudem vsurarum.

Tertio, Vt recte argumentatur Couarr. lib. 3. variar. resol. cap. 2. nu, 5. hi duo cõtractus seorsum effecti, & cum diuersis personis sunt liciti, & honesti, ergo & cum eadẽ cessante omni fraude & dolo.

Quod autem huic argum. quidam respõdent, licere quidem cum diuersis personis, minime vero cum eadem, quia mutuans, & assecurator habent se vt creditor, & debitor, quos opportet omnino personas esse distinctas, non tollit vim argumenti, quia vt statim docebimus falluntur plurimum, qui putant mutuantem esse creditorem eiusdem pecuniæ quã assecurat, cum res in hoc contractu de quo hic disputamus longe aliter habeat.

Ex his sequuntnr nonnulla, quæ ibi recte & sapienter (vt solet) infer Didacus Couarru. Imprimis leges ciuiles nauticum fœnus permittentes nõ esse lege illa Pontificia sublatas, imo & hodie vim suam retinere, iustasque fore censendas, Quod non modo Iurisperiti sensiunt, vt Ioan. Lupi. in cap. Per vestras. de donatio. inter virum & vxor. notab. 6. §. 9. num. 12. Iacob. Butri. in l. 1. Cod. de Nautico fœnore, & Bald. in l. 1. col. 4. de Sum. Trinit. Verum etiam & Theologi, vt Conrradus. De contract. quæst. 39. conclus. 1. D. Antoni. 2. par. titul. 1. cap. 7. §. 11. Almain. in 4. distinct. 15. & ibidem Grabiel. quęst. 11. Maior. quęst. 31. Siluest. vsura. Primo. q. 35. Anpel eod. verb. §. 37. Cayet. in summa in verb vsura exterior. versic. Duodecimus casus. Quibus etiã fauet D. Thom. in opusculo seu tractat. de vsuris. q. 9.

Sunt qui existiment forte Gregor. 9. in illo capi. Nauiganti. prohibuisse nauticũ fœnus, eo modo quo legibus ciuilibus concedebatur. Quia putant hi, leges illas ciuiles concedere in nautico fœnore vsuram centesimæ, non solũ ratio ne periculi quod mutuans in se susciperet, verum etiam & ratione mutui, qua ratione committeretur certe vsura, meritoque prohiberetur, Sed verius ac probabilius multo est, quod docet Couarru. cum communi, leges illas ciuiles non esse a Gregorio 9. sublatas, & vsuram quam illæ in fœnore nautico concedunt, nullo modo ratione mutui, sed sola ac præcissa ratione periculi illam concedere, tanquam iustum illius periculi pretium, suscepti a mutuante sine vllo pacto, sed propria sponte liberoq; cõsensu mutuatarij. Qua ratione nauticum fœnus iustum est, & licitum.

Sequitur secundo: Mutuãtem, qui simul exercuit officium assecurãtis modo a nobis explicato, non teneri ad restituendum pretium, quod recepit a mutuatario vltra sortẽ ratione illius veri periculi & assecurationis cum illud acceperit iustum, & citra omnem fraudem, quod etiam docuit Nauarr. locis citatis.

Sequitur tertio, vbi mutuans duxit in pactum, vt deberet mutuatarius celebrare simul cum ipso assecurationem pecuniæ mutuatæ, aliter non mutuaturus, teneri sic mutuantem. Imprimis ad remittendum, & reuocandum tale pactum, & eximendum mutuatarium ab illa obligatione, relinquendumque liberum, vt de illius pecuniæ piculo cõtrahat pro libito cum quo voluerit. Secundo, si propter illud pactum, & conuentionẽ mutuatarius aliquod damnum recepit, tenetur mutuans illud compensare; quod si nullum passus est damnum, tenebitur nihilominus, eo ipso quo per pactum illud fuit mutuatarius priuatus libertate contrahẽdi pro libito cum alio assecuratore, aliquid ei reficere, quantum prudentum arbitrio libertas illa mutuatarij censebitur valere.

Quod iã docuerat Ioan. Medin. de restitutio. in cap. De vsura restituenda. Nihilominus poterit huiusmodi mutuans, quando solum

solum recipit iustum pretium assecurationis vere ac realiter contractę, illud retinere, quia quamuis inique egit mutuando cũ tali pacto, attamen cum verum periculum in se susceperit, & iustum tantum illius pretium, iuste illud retinere potest.

Nunc ad argumenta aliorum.

Ad primum respondeo, Esto assecuratio sit quędam fideiussio, & ad illã reducatur, aliud tamen esse, id cuius securitatem promittit fideiussor, & aliud cuius securitatem promittit assecurator: Nã in contractu hoc fideiussor promittit creditori solutionẽ certam & fidelem sui debiti, tenetque se (vt dicunt) ex parte debitoris: qua de causa sicut non potest idem esse creditor & debitor respectu eiusdem rei, ita neque creditor simul & fideiussor: In contractu vero assecurationis, de quo hic agimus, mutuans nõ promittit sibi ipsi securitatem pecuniæ a se mutuatæ, vt sibi debitæ, & sibi persoluendæ, sed promittit solum mutuatario pecuniam illã secure peruenturam, eo quo illam mutuatarius trahijcit. Quo fit, vt in hoc contractu mutuatarius, licet quatenus mutuum illud accepit, sit debitor mutuantis, quatenus vero pecunia illa, cuius ipse post mutuum iam est verus dominus, alio traijcitur, & periculum illius ab aliquo suscipitur, non sit debitor sed creditor: Qua propter vbi idẽ, qui illam mutuauit, eam assecurat, non est simul creditor & debitor eiusdem rei: sed creditor prius mutui sibi debiti per vnum contractum, deinde vero debitor pecunię mutuatarij alio traijcientę per alium contractum.

Quæ duo sibi non repugnare vt recte intelligatur obseruandum est. Pecuniam illã duobus modis, & in duobus contractibus re ipsa diuersis considerandam esse. Primo, quatenus Petrus mutuans confert illã Ioanni mutuatario, manetque Ioannes illius debitor, Petrus vero eiusdem creditor. Et hac ratione, ac in hoc contractu non potest Petrus sibi ipsi assecurare illius solutionem, & se ipsum sibi ipsi fideiussorem exhibere, quia fideiussor est velut debitor, & pro debitore soluturus. Repugnat autem, vt idem respectu eiusdem debiti sit simul debitor, & creditor. Secundo autem modo potest sumi pecunia illa, quatenus post factũ mutuum iam est Ioannis, vultque Ioannes vt verus illius dominus de illa disponere, & ita eam alio transferre, vt illius periculum aliquis in se suscipiat per contractum assecurationis: In qua assecuratione Ioannes iste, cum sit, iam verus illius pecuniæ dominus, non est debitor alicui, sed creditor eius, qui illius pecuniæ periculum in se suscipit, cum sit pecunia illa, si perierit, ab assecuratore illo ipsi persoluẽda. Cũ igitur in hoc secundo contractu, in quo nulla iam existit ratio mutui sed solius assecurationis, Ioannes non agat vt mutuatarius, neque vt debitor, sed vt verus illius pecuniæ dominus aliò cum periculo traijciendæ, & creditor eius, qui periculum illud penes se suscipit, Petrus qui prius illam mutuauit, si eandem deinde libero vtriusque consensu assecuret, non est simul creditor, & debitor eiusdem rei, sed diuersarum profecto rerum, & in diuersis contractibus: quod non repugnat nec continet aliquam rationem vsure. Est enim creditor in priori contractu mutuationis pecuniæ a se mutuatæ, & sibi debitæ, ac persoluendæ: & sub ea ratione non potest sibi ipsi promittere securam illius debiti solutionem, nec fideiussor esse ad se ipsum. In secundo vero contractu assecurationis quam quærit Ioannes illius pecunię, vt vere suę aliqo traijciendæ, Petrus iam non est creditor, sed velut quędã alia persona extranea, quæ potest illius pecuniæ Ioannis assecuratorem se ipsum constituere, cum debito persoluendi illam si quidem perierit. Vnde potest illam assecurare, eadem ratione, in eodem pretio, & sub eisdem legibus & conditionibus iustæ, & honestæ assecurationis, sub quibus quiuis alius tertius posset, modo in priori contractu mutui nullum interueniat pactum, vel conuentio de huiusmodi assecuratione cum illo facienda.

Eadem ratione soluitur secundum. Mutuans enim in priori contractu mutui non potest simul rei sibi debitę securitatem recipere vt creditor, & promittere vt fideiussor ad se ipsum: In contractu vero assecurationis pecunię quę alio traijcitur, vt pecunia est res eius qui illam alio transfert, potest, qui prius eam mutuauit, securitatem mutuatario promittere. Tunc enim non reperiuntur actio & passio in eodem sed in diuersis. Mutuans namq; est velut agens promittẽs, securitatem, mutuatarius vero, vt verus iam illius rei quæ, traijcitur dominus, qui illam securitatem recipit.

Similiter soluitur tertium, Nam qui asse curat, quamuis esset creditor quãdo mutuauit, at quãdo assecurat iã non est creditor, sed debitor, & subiectus periculo cui se exponit quicunque assecurat, vt si rès illa perierit, sibi pereat, & non domino illius.

Ad argumenta quæ afferunt ex D. Nauarro. Ad primum cõstat satis ex dictis hoc loco, & supperius, vbi explicauimus illud cap. Nauigãti. verum & genuinum sensum illius cap. esse eum quem nos sequimur.

Ad secundum dico, eundem omnino sensum illium textũ habere, siue legamus *susciperet*, siue vt habet contextus ille, *suscepit*, cum Gregor. illud tantum mutuum prohibere intendat, cui miscetur assecuratio cum eodem qui mutuat ex pacto, & conuẽtione, sine qua non mutuaret.

Tertium nullam habet vim, Quia verbo illo *suscepit* nõ vtitur ibi Gregor. quia præcedat assecuratio, & sequatur mutuum, sed vt damnaret mutuum aliter non prestandũ, quam coniuncta illi ex pacto assecuratione, & tanquam conditione sinequa non.

Ad vltimum respondeo, definire etiam quandoque Pontifices multa, quæ licet peritis & bene sentientibus sint certa, & perspicua, alijs tamen sunt incerta, & dubia, cũ pro ratione sui muneris omnibus *debitores* vt dicebat B. Paul. *existant, & sapientibus, & insipientibus*, Cum ergo multi dubitarẽt, sicut & nunc non desunt, qui dubitent. An idem qui mutuat, posit rem quam mutuauit, aliò cum periculo transferendam assecurare, docet & recte, ac sapienter Gregor. 9. non licere, ita vt mutuans ducat in pactum, se & non alium futurum illius pecuniæ vel rei aliò transferendæ assecuratorem, explicans mutuum cum tali pacto & obligatione esse veram vsuram, & sic mutuãtem esse vere vsurarium. Non enim significat illa voce *censendum esse vsurarium*, nõ esse vsurarium sed suspiscionem habere vsurarij, quin potius esse vere & realiter vsurarium, nam iuxta proprietatem Latini sermonis idem omnino sunt, hunc vel illum esse censendum, iudicandum, aut habendum vsurarium, aut excommunicatum, quod esse reipsa ac vere vsurarium, vel excommunicatum: Quemadmodum in sacris litteris idem omnino sunt, *Vocari filium Dei*, vel *dici Christum*, quod esse reuera filium Dei, vel esse Christum.

Et hæc de hoc contractu assecurationis Thæologo sufficiunt.

DE CONTRACTV FIDEIIVSSIONIS, ET PIGNORIS.

CVM contractu Assecurationis maximam habent affinitatem alij duo, nimirum Fideiussionis, & impignorationis, cum hi ad aliorum securitatem excogitati sint, & introducti, & alijs vt securius fiant passim misceantur. Qua de causa quæ ad illos pertinent, sunt etiam hoc loco a nobis explicanda. Afferunt quidem nonnulli recensiores multa circa illos, quæ Iuristarum propria sunt, quibus tanquam vere alienis omissis, nos ea tantum hic proponemus, quæ ita a Iurisperitis traduntur, vt ad Theologum quoque spectet illa non ignorare: Ac vt a Fideiussione exordiamur, quatuor circa illa videamus. Primo.

QVID SIT FIDEIIVSSIO, & Quotuplex?

NOMEN hoc ex dupplici voce coalescit, fide scilicet & iubeo, quasi idem sit fideiussio, quod fidem suam alicui iubere, ac dare; cæterum quamuis fidem nostram tam in rebus, & actionibus proprijs dare, ac promittere posimus, quam in alienis, in hoc tamẽ contractu illa tantum dicitur fideiussio, in qua fide nostra pro alijs data aliquid ab eis efficiendum, & præstandum sub ea promittimus: ita vt illo defficiente illiusr ei nos ipsos debitores constituamus. Ita videmus. l. vbi autem §. Qui a Titio. ff. de verbor. obligat. haberi, vt fideiussio sic consueuerit fieri. *Fide tua id esse iubes, ad quod Titius se mihi*

hi aſtringit. i. ſub tua fide promittis, & me ſecurum efficis: *Reſpondebatque fideiuſſor, Iubeo:* & Donatus, *fideiuſſor*, inquit eſt, *auctor credendi, alium daturum, facturum ve ſua fide promittens.*

Vnde poteſt diffiniri fiduiiuſsio: Contractus, in quo aliquis alterius obligationē in ſe ſuſcipit, ſub fide ſua illius ad impletionem promittens, atque in illius defectum ad eam ſe aſtringens. Ex qua definitione nonnulla ſequuntur: Imprimis, fideiuſsionem poſſe fieri quoqunq; tempore: In quo iuxta Iuriſperitos diſtinguntur Mandator, Conſtitutor, & Fideiuſſor ſeu Promiſſor: Nā mandator pręcedit cōtractū alterius, & obligationem. l. ſi vero. §. ſi poſt traditam. ff. Mandati. Conſtitutor ſequitur contractum & obligationem. l. 1. §. 1. ff. De conſtitut. pecun. At Fideiuſſor poteſt pręcedere, & ſequi, ac ſimul eſſe. §. Fideiuſſor. inſtit. de fideiuſſor. l. ſtipulatus ſum. ff. eod. tit. Poteſt enim fidem ſuam iubere in omnem obligationem quam contrahet alius, vel poſtquam iam illam contraxit, vel ſimul, & eodem tēpore quo illam contrahit, quod frequentius fit.

Sequitur ſecundo, vt fideiuſsio non ſit obligatio principalis ſed acceſſoria, alterius obligationem vt principalem ſupponens, adeo vt niſi aliqua alia alterius exiſtat actu, vel proxime futura, fideiuſsio nullum locum habet.

Sequitur tertio, vt cum obligatio fideiuſsoris ſupponat tanquam principalem obligationem alterius, & illi innitatur, non teneatur fideiuſſor ad plura, vel maiora, quam teneretur ille pro quo fidem ſuam iuſſit & aſtrinxit. Ideo non tenetur in alio loco, vel termino, alis ve circunſtantijs plus grauari quam debitor, cum eius perſonam referat. §. Fideiuſſores. inſtitut. De fideiuſſorib. l. Grece. §. illud. eod. tit. vbi dicitur de fideiuſſoribus. *Si fuerint in duriorem cauſam obligati, placuit omnino eos non obligari.* Poteſt nihilominus aliquādo maiori vinculo fideiuſſor teneri, quam debitor, veluti ſi aliquo ſe aſtringat iuramento, quod debitor non præſtiterit.

Sequitur quarto, Vt quamuis fideiuſſori, quatenus fidem ſuam iuſsit, non competat exceptio doli, quia vt ſe ipſū pro principali debitori obligaret, nulla cauſa exigitur præter meram & liberam voluntatem ipſius, qui beneficium illud ita voluit debitori præſtare, vt pro illo fidem ſuā iuberet. Poteſt tamen ſi quidem principalis debitor ſine cauſa, aut deceptus, vel inique obligationem illam principalem ſuſcipiſſet, eandē exceptionem doli fideiuſſor doloſo, & iniquo creditori opponere, quam, poſſet debitor ipſe, cuius perſona fideiuſſor quando contra ipſum agitur, vere gerit. Vt habetur l. Si ſtipulatus eſſes. in princip. ff. De fideiuſſor.

Eſt aut fideiuſſor duplex Alius in iuditio, alius vero (de quo potiſsime hic agimus) extra iuditium.

Qui in iuditio fidem pro alio iubet, varijs modis poteſt ſe habere, ſed potiſsime his tribus. Primo, ita vt ſe ipſum aſtringat ad reſtituendum reum carceri, vel iudici quando opus fuerit, vel fuerit requiſitus: quo tunc ita reſtituto, ad amplius non tenetur, eo vero aufugiente tenebitur ad eam pecuniam perſoluendam, ſub quā fidem ſuam aſtrinxit, etiam ſi reus eſſet capite plectendus. Quia vt optime docent Iuriſperiti, in l. Liber homo. ff. ad legem Aquiliam. Et 23. quæſt. 5. cano. Si non licet ad penam corpoream vel perſonalem nunquam fit, neque poteſt iure fieri fideiuſsio, ſed ad pecuniariam tantum. Secundo poteſt fideiuſſor ſe ipſum aſtringere non ſolum ad reſtituendum reū iudici, verum etiam ad perſoluenda iudicata. i. debitum. vel penam pecuniariam, ad quā reus adiudicabitur: Quo caſu, ſi reus fuerit ſuo tēpore reſtitutus, ceſſat iā omnis obligatio fideiuſſoris, illo vero non conparente, tenetur fideiuſſor ſoluere iudicatum. Tertio: Cum timetur, ne aliquis alteri noceat, vel cum eo rixetur, ſolēt etiam, ne ob huiuſmodi timorem, vel periculum alter eorum vel vterque a iudice in carcere, vel domi ſuæ recludatur, dari fideiuſſores de damno illo non inferendo, vel rixa non futura.

Multa alia quæ de his, vel alijs fideiuſſoribus, qui Iudicibus exhiberi ſolent, afferunt Iuriſperiti in l. Grece. §. Et poſt litem. ff. de fideiuſſoribus. Quæ ad illos proprie ſpectant, nec muneris Theologici eſt illa, ſicut nonnulli recentiores faciūt, ad vnguē explicare.

Extra iuditium vero confertur fideiuſſor ad maiorem firmitatem principalis obligationis, & ſecuritatem creditoris in contractibus, ex quibus naſcitur alicui vel alteri eorum aliquod debitum, vel obligatio: ſiue naturalis illa ſit, ſiue naturalis ſimul & legalis ſeu ciuilis. Obligatio naturalis dicitur, quæ naſcitur ex natura rei, etiam ſi nulla lege humana illud pręcipiatur, vt obliga

tio restituendi excessum iusti pretij, etiam si non excedat illud vltra dimidium: Naturalis vero simul & ciuilis, quādo præcipitur iure ac lege, quod ex natura quoque rei debet'ir: vt obligatio restituēdi excessum pretij tritici lege Principis, aut Reipub. taxati. Inquocunque igitur contractu ex quo obligatio aliqua & debitum nascatur, habet locum fideiussor extra iudicium.

Consequenter videndum est.

QVI POSSINT ESSE IDONEI *Fideiussores?*

SILVEST. verb. Fideiussor. q. 1. Angel. & Tabiens. eod. verb. num. 2. quos cæteri omnes sequūtur, constituunt hanc regulam: Vt quicunque habet bona debitis pro quibus se obligant soluendis sufficientia, & liberā eorum administrationem, possint esse fideiussores: Addunt recētiores, vt possint facile coram iudice conueniri: Vnde tria desiderantur in idoneo fideiussore: Primo, vt habeat in bonis, vnde soluat debitum cui suā astringit fidem. Secundo, vt sit liber illorū administrator. Tertio, vt precipuo debitore non soluente possit ille facile coram iudice conueniri. Et in his omnes conueniunt.

Iuxta quam doctrinam repelluntur imprimis ne fideiussores idonei sint, qui non habent in bonis vnde aliorū debita & obligationes persoluant: præterquam vbi creditor illud quidem nouit, admittit nihilominus sciens & prudens illum sic egentem in fideiussorem.

Repellitur secundo pupillus, & quicunque sub alterius cura constitus, quia huiusmodi non habent suorum bonorum administrationem, nec contractus eorum censentur validi, Text. est in l. Ait Prætor. §. non solum. ff. de minori. & ibi Glossa & cōmunis DD. consensus.

Repellitur tertio. Ecclesia, vt docent Bald. in lib. fœudi. cap. 1. & Accursius. l. 1. ff. Si quis in ius vocat. non ierit.

Quarto Clerici ne sint fideiussores, maxime pro laycis. 11. q. 1. cano. Te quidem, & cap. 1. De Fideiussor. adeo vt contra agens sit abiiciendus a Clero. Hanc pœnam eos tantum Clericos incurrere vult Glossa in dic. cap. 1. qui frequenter fidem iubent pro laycis, quia non habet textus vt Clericus fidemiubens abiiciatur, sed fideiussionibus inseruiens. 1. ass. due illas præstās. Siluester tamen: verb. Fideiussor. quæst. 3. sequutus Glossam in illo cano. Te quidem Angel. nu. 5. volūt nullo modo posse Clericum fidemiubere pro layco: preter quam in casu necessitatis, in quo sicut debet subuenire indigenti 12. q. 1. cano. vidētes, ita quoque potest in eo casu fidem suam pro illo iubere, exercetque tunc opus pium. Tū etiam si Ecclesia vel alius Clericus illius fideiussione indigeat. Quidquid autem sit de illa prohibitione, si Clericus pro alio fidem iubeat, siue laycus ille sit siue Clericus, factū tenet debetq; debitore precipuo nō soluente pro illo soluere ex suo patrimonio, vel fructibus quos percipit ex suo beneficio. Multa enim sunt, quæ licet prohibeantur fieri, facta tamen tenent, vt dicitur cap. Quemadmodum. de Iureiurando. In carcerem tamen Clericus pro fideiussione tradi non potest, licet ex suis redditibus soluere debeat, vt habetur. cap. 2. De fideiussor. & cap. Odoardus. De solution. & ibi Glossa.

Quinto repelluntur Religiosi, & iure, cum nihil habeant suū, neque superior ipse cap. penult. de fideiussor. poterit autem religiossus fidem iubere de licentia sui superioris, & consensu maioris partis capituli, vel in his quę cedunt vtilitatem sui monasterij.

Sexto repelluntur milites, qui actu bello inseruiunt, ne huiusmodi obligationes impedimentum præstent militię. l. Milites. Cod. De locat. & conduct.

Septimo & vltimo repelluntur, Mulieris ne possint esse fideiussores propter sexus fragilitatem, ita vt neque pro viro suo illud mulier possit. l. 2. ff. ad Senatus cōsult. Velleianum: neque pro aliquo alio. l. Quamuis. ff. ad Velleianum. Vbi excipiuntur sex casus pro quibus potest mulier fidem suam iubere. Primo, Quando fideiubet pro pretio exhibēdo, vt quis manumittat seruum. 2. Quando pro dote alterius mullieris. 3. Quando accepit pretium. vel aliquid loco pretij, vt fidemiuberet. 4. Quando fideiussit in fraudē, ac vt deciperet. 5. Quando pignus, vel fideiussorem pro alio dedit, & post elapsum bienniū a dicta cautione enumerādum iterum ad idem se obligauit. 6. Si debitrix ipsa alicui erat, & in quantitate illius debiti pro suo creditore ipsa se obligauerit, fidemq; suam iusserit. Exceptis his casibus, si quæ mulier fidem suam astrinxerit, non tenetur ex illa fideiussione tam in foro interiori quam in exteriori ad aliquid persoluēdum: quia cum contractus ille ita iure prohibe-

hibetur, vt efficiatur omnino nullus, & inualidus, ex contractu autem omnino nullo nulla nascitur obligatio tam in foro fori, quam in foro poli. Vnde qui aliquid a muliere tanquam fideiussore reciperet, teneretur illud ei restituere, tanquam acceptum à non debitore: Ita docent Abbas in cap. Plerique. De immunit. Ecclesiar. & communiter DD.

Quæres tamen hic, Posit ne mulier huic priuilegio Velleian. renuntiare, ita vt tali renuntiatione interueniente, si fidem pro alio iusserit, firma & valida illa maneat, & in vtroque foro obligata ad illam adimplendam: In hac parte non conueniunt omnes, dimissis tamen Iurisperitorum opinionibus, Cōmunis DD. sentētia habet, non solum quando proposito mulieri fauore & priuilegio Velleiano quo gaudet, & de eo aperte admonita, illi libere, & propria sponte, ac sine vlla vi & dolo renūtiat interposito iuramento, (quod nulli est dubium, cum talis contractus fideiussionis nen sit contra bonos mores. cap. Debitores. de Iureiurādo.) manere obligatā, & teneri: verum etiam quādo sic admonita libere sine vllo iurāmento spontanee renūtiat. Quia liberum est vnicuique, renuntiare his quæ in ipsius fauorem consessa sunt, vel introducta. l. Quod fauore. Cod. de legib. l. si quis in conscribēdo. Cod. de pactis: Vbi dicitur: *Cum sit regula iuris antiqui, omnes licentiam habere, his, quæ pro se introducta sunt, renuntiare.*

Dubitāt vero DD. An mulier quę prius iurauit se nō esse fidem suám iussuram, nec renuntiaturā priuilegio illi Velleiani, deinde vero illi priuilegio renuntians fidemiubeat, & cum iuramento, maneat obligata. Communior sententia habet, teneri ad illam fideiussionem, adimplendam. Quia obiectum secundi iuramenti non est fidemiubere, cui repugnat primum, sed adimplere fideiussionem, quod non est malum, & ideo pręstandum cum fuerit sub iuramēto promissum.

Hæc de omni muliere dicta sunt: Quod si de coniugata priuatim loquamur, In quocunque regno ad fideiussiones factas a solo viro sine assensu mulieris illa non tenetur, sicut neque ad debita viri. Ad alia autē debita, si ipsa fuerit fideiussor sine consensu viri, non tenet obligatio in regno Castellæ. lib. 5. Ordinat. regal. tit. 10. lege. 1. quin neque pro viro suo se ipsam obligare, aut fidem iubere potest. lib. 5. recopilatio. tit. 3. leg. 9. præter quam ob pecuniam censibus regijs debitā. Neq; tenet obligatio mulieris, quando vterq; simul vir & vxor cōmuni cōsensu se obligāt, aut fidē iubent, preter quam vbi cōstituerit obligationem illā cedere in vtilitatem mulieris, ad quam vir alias non tenebatur: Quia si obligatio sit in rebus, ad quas vir alias tenetur, veluti in his quæ spectarent ad victum, & vestitum mulieris, obligatio mulieris nō tenet. Quotiescunque autem mulier iuxta leges Castellæ fidemiubere potest, explicandum est illi aperte priuilegium Velleiani, vt admonita de illo, libere, & spontanee illi renuntiet, ac coram tribus testibus fidem suā iubeat, & horum omnium in sua scriptura Tabellio fidem faciat. In nostro autem Regno Valentiæ, iuxta priuatas huius Regni leges, & vsum, mulier non coiugata bona habens parafernalia potest pro quocunque fidem iubere, admonita prius a Tabellione de priuigio Velleiani, vt si libere, ac spontanee illi renuntiauerit, posit fidem iubere, sin minus nequaquam: Quod si illi libere renuntians fidem iubeat, tenebitur ad debitum, pro quo fidem iusit, non minus, quam si vir aliquis fidem illam iusisset. Idem dicēdum est de coniugata, solum enim differt a soluta, quod viuente viro nisi habeat priuatim bona parafernalia, ex quibus statim soluat, ex bonis dotalibus, cum non sit eorum administratrix, sed solus vir, non tenebitur donec soluto matrimonio illorum vsum & administrationem recipiat, debita pro quibus fidemiusit.

Nunc explicemus.

QVAE PRAESTARE DEbeant contrahentes fideiussionem?

CONCVRRVNT in hoc cōtractu tres personę, nempe creditor, debitor, & fideiussor.

Creditor igitur, cum duobus modis soleat fieri fideiusio, vel fideiussore se ipsum præcise & solum obligante ad soluendum sub nomine fideiussoris, vel constituente se ipsum tanquam debitore, ad debita illa simul & insolidum se obligante: Si quidem priori modo fiat fideiusio, non potest creditor ab illo exigere, nisi præcipuo debitore, cum posit, non soluente, & facta prius discussione in bonis illius. Antiquitus poterat creditor omisso præcipuo debitore in fideiussorem agere. l. 3. §. vlt. ff. de duobus reis. l. Non recte. Et l. iure nostro Cod.

Cod. eod. tit. Sed cum illud iniquum videretur, & merito, correctæ sunt leges illæ in in Authētico Presente. Cod. De fideiussor. Et in autentica eod. tiru. & sancitum, vt debita prius exigantur a debitore: Vbi vero facta discusione, ille non fuerit soluendo, tunc exigantur a fideiussore. Quod si fideiussor debitorem quoque simul & insolidū se ipsum exhibuit, integrum est creditori tā in foro exteriori, quam in interiori ab illo fideiussore statim, & primo exigere: sic enim ille seipsum obligauit, neque illi creditor vllam facit iniuriam, cum vtatur iure suo, Quando vero plures se obligant fideiussores: si quidem obligent se quasi singuli in singulas partes, & diuisim, tenebitur tā tum vnusquisque ad partem debiti, quod si omnes, vt solet, ad totum debitum simul & in solidum, potest creditor a quocunque eorum totum debitum exigere: & vno soluente, poterit ille suas partes ab alijs repetere, creditore ipso suum ius, & actionem, sicut debet, in illum transferente, Hæc de creditore.

Debitor tenetur debitum suum, cū possit fideliter, ac in termino persoluere, nec pati, vt culpa eius aliqua molestia fideiussor ipsius afficiatur: Aliter peccabit, & contra iustitiam, non soluens quod debet, cum possit, & contra gratitudinem, cum sua culpa in causa sit, vt fideiussor pro beneficio ipsi collato molestias, vel damna aliqua patiatur: Tenebiturq; ad illa omnia suo fideiussori in integrum refficienda, tam debitum quod pro eo soluit, quam expēsas & omnia damna quæ recipit: Dixi quando culpa sua non soluit, quia tunc cū iniuria illi nocuit: Quod si non interuenit culpa debitoris, vt quando non soluit, quia nulla ratione potuit, tunc in foro animę solum tenebitur ad debitum quod pro ipso fideiussor soluit, minime vero ad alia damna, cum non acciderint vitio, aut culpa ipsius.

Fideiussor demum tenetur debitore non soluente debitum illius quod iustum, validumque sit, & constās, & ad quod se ipsum obligauit, creditori fideliter in termino persoluere: hoc enim vinculo in vtroque foro, eo ipso quo fidem pro alio iussit, tenetur: quod nisi præstet, cum possit, & ex mora, aut culpa ipsius creditor aliqua damna patiatur, tenetur ad illa omnia compensanda. Dixi debitum iustum, quia si debitum iniustum sit, non tenetur sicut nec debitor ipse, vt cum vsurario fidem suam quis iuberet: Validum etiam & constans, quia si contractus, non sit validus, vt quando filius familias, vel pupillus sine consensu tutoris contractum celebrat onerosum, sicut cōtractus ille, & obligatio pupilli non tenet, ita neq; fideiussio illi accedens, nisi iuramento firmaretur, tunc enim fideiussor teneretur ad soluendum debitum pupilli, vi illius iuramenti, non tamen vi illius contractus cum pupillo, qui fuit nullus. Dixi etiam in termino, quia si fidem suam quis iubeat vsque ad certum tempus solutionis, eoque accedēte creditor nō agat in debitorem, a quo potest tunc debitum suum recipere, sed aliud tempus, longiorem quæ terminum illi concedat sine consensu nouaque obligatione fideiussoris, & eo tempore debitor, vel recedat, vel efficiatur non soluendo, non tenebitur tunc fideiussor, cum culpa creditoris longiorem terminum debitori concedentis ille effectus sit non soluendo.

Vltimo explicandum hic est.

LICEAT NE PRETIVM ALIquod recipere pro fideiussione.

DIDACVS Couarr. lib. 3. variar. resolut. cap. 2. num. 6. sequutus Carol. Molin. de vsuris. q. 51. & 34. sentit ita distinguendum esse, vt si fideiussori aliquod immineat periculum soluendi pro debitore, possit pretium aliquod ab eo recipere, ratione illius periculi cui pro alio se offert, cum illud pretio æstimabile sit. Quod si nullum ex illa fideiussione periculum ipsi immineat, iniquum esse pretium aliquod pro illa recipere.

Probant illud, Quia vbi nullum existit periculum inspecta qualitate, & cōditione debitoris, maius beneficium præstat mutuās, qui pecuniam suam alteri illa indigenti confert, quam fideiussor, qui solo verbo pro illo spondet: at pro mutuo non licet aliquid accipere absque vsura, ergo neq; pro fideiussione.

Secundo, Si vbi nullum existit periculū illud liceret, cederet profecto in fraudē vsurarum: quia mutuans, aut vēdens ad creditū affirmaret se nolle mutuare, uel ita vēdere, nisi Petrus se offerat in fideiussorem, conueniretq; secreto cum Petro, ne fidem suam pro illo debitore iuberet, nisi accepto aliquo pretio inter eos diuidendo, qua ratione mutuans, aut vendens in diē per interpositam personā Petri acciperet aliquid vltra sortem cum vsura.

Tertio

Tertio: Si fideiiussor iam obligatus postulet a creditore, vt remittat illi, liberetq; eũ ab illa fideiiusione, si quidẽ immineat illi aliquod periculum ex ea, potest creditor pretium aliquod pro illo beneficio recipere, quia suscipit in se periculum pretio æstimabile, quod illi fideiussori imminebat: vbi vero nullum est periculum, nõ potest: Ergo pari ratione, vbi existit verum periculum ex fideiiusione, poterit fideiussor aliquid ratione illius exigere, vbi vero nullum occurrit, non poterit.

Communis tamen opinio habet, absolute, & in vniuersum licere pro fideiiusione pretium aliquod accipere, modo nulla interueniat fictio, vel dolus in fraudem vsurarũ, aut collusio inter creditorem & fideiussorem. Ita Angel. Fideiiussor. in fine. Siluest. & Tabien. eod. verb. num. 17. Cayeta. hic quęst. 78. art. 2. ad 4. Ioann. Medina. de rebus per vsuram acquisitis. q. 4. ad primum. Conrrad. de contract. q. 40. D. Antoni. 2. par. tit. 1. cap. 7. §. 45. Soto. lib. 6. de Iust. q. 1. ar. 2. ante responsionem ad 6. Nauarr. in Manua. cap. 17. nu. 285. & in commento de Cambijs in princip. Quorum potissima ratio duplex est.

Prior, Quod in fideiusione semper existat aliquod periculum, vel damnum pretio ęstimabile. Nam vel periclitatur fideiussor soluere pro debitore, cum rerum temporalium euētus, & intra breue tempus, adeo varij sint, & periculosi: Vel recipit saltim hoc damnum, etiam si nullum immineat ei periculum, vt fides ipsius, & bona eius ad alios contractus deinde exercendos non tanti habeãtur, propter obligationes anteriores ex illa fideiiusione contractas.

Posterior ratio est, Quia fideiiusio, etiã si nullum periculum in ea occurreret, est obligatio quædam ciuilis, quemadmodum obligatio laborandi in fundo alicuius, etiã si fiat sub eodem pretio & stipendio, quod a quocũque alio reciperetur, est ciuilis, Vel obligatio deferẽdi triticum ad molas alicuius, etiam si molæ illæ non magis distent quam cætere omnes, nec maius pretium in eis recipiatur quã in alijs, est obligatio ciuilis, Quemadmodum igitur huiusmodi obligationes, eo ipso quo ciuiles sunt, etiã si in eis nullum occurrat periculum, vel dãnum, sunt pretio æstimabiles, vt vidimus agentes de vsura. q. 78. ar. 2. contr. 5. ita fideiiusio, etiam si ex ea nullũ immineat periculum, vel damnum, eo ipso quo est obligatio ciuilis, sicut reuera est, est pretio ęstimabilis, & pro qua potest fideiussor tuta conscientia pretium aliquod exigere, aut recipere nulla interueniente fraude, vel collusione cum creditore ipso.

Huic sententiæ fauent Sacræ litteræ. Prouerb. 17. *Stultus homo plaudit manibus suis, cum spoponderit pro amico suo.* & cap. 22. *Noli esse cum his, qui defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis.* Quod admonet Spiritus sanctus ratione obligationis, cui se fideiussor subiicit: Idẽ docet expræsse. l. Hoc iure. §. labeo. ff. de donat. Et ibi Barto. Paulus de Castro. & alij. & l. Si remunerandi. §. Maurus. ff. mandati. Et in specie. Laurent. de Rodulf. in cap. Consuluit. part. 3. q. 3. Anani. in dic. cap. num. 42. Decius Concil. 7. num. 1. & Ioan. Lupi. in cap. per vestras. notab. 9. §. 9. nu. 10.

Quæ autem a Couarru. & Molina afferuntur, soluta manent ex dictis.

Ad primum enim respondeo, mutuantem nihil posse accipere pro mutuo, quia mutuum est actio quæ ex natura rei non habet pretium, sed debet gratis fieri: fideiiusio vero, cum contineat periculum aliquod, vel saltim obligationem pretio ęstimabilem, potest illud pro ea exigi.

Ad secundum constat iam, nos agere de ea fideiiusione, in qua nulla interuenit fictio, collusio, vel dolus inter creditorem & fideiussorem in fraudem vsurarum.

Ad tertium dico, posse creditorem recipere aliquid a fideiussore, vt remittat ei illam fideiusionem, non solum quando interuenit periculum, verum etiam vbi nullũ interuenit, vel eo nomine solo quod liberet eum ab obligatione illa ciuili, qua tenebatur.

Ex his sequitur posse fideiussorem postulare a creditore vel pignora, vel eam securitatem, quam indemnitatem vocant, qua existat securus a damnis, quæ ratione illius fideiusionis possent illi accidere. Et de huiusmodi contractu, hæc nobis sufficiant.

Nunc de pignoribus, quę in securitatem conferuntur, aliquid dicamus.

(†)

DE CONTRACTV PIGNORVM.

Quid sit Pignus.

DE HOC contractu nihil fere Theologi proponunt. Summistæ vero de eo differunt in verb. Pignus. vel Hipotheca. Iuris ciuilis, & Pontificij interpretes Cod. & ff. de Pignorib. Et Pignorati actio. & in Decreta lib. tit. de pignorib. a quibus recentiores varia, & innumera mutuati sunt, a disputatione Theologica satis aliena, quãuis nõnulla eorum nos quoque afferemus huic instituto accommodata.

Pignus igitur & hypotheca voces sunt, quæ a Budeo, & alijs quandoque pro eodẽ summuntur, iuxta illud in l. Res. §. vlt. ff. de pignorib. *Inter pignus & hypothecam tantum nominis sonus differt.* Cui consonat instit. de actio. §. Item seruiana. Ex Vlpiano tamen & alijs ita differunt, vt pignus proprie sit res mobilis, quę in creditorem transit, eique traditur in ipsius securitatem, Hypotheca vero res immobilis, & fixa, manẽs quidem apud debitorẽ, sed debito alterius subiecta, & suposita, est enim Græcis hypothesis idem quod Latinis subpositio: Asignatur hæc differentia. l. Si rem alienam. §. proprie. ff. de pignorat. actio. vbi dicitur: *Pignoris appellatione eam proprie rem contineri dicimus, quæ simul etiam traditur creditori, at eam, quæ sine traditione nuda conuentione continetur, proprie hypothecæ appellatione contineri dicimus.*

Vnde potest Impignoratio definiri, Cõtractus, in quo res aliqua mobilis creditori obligatur, & traditur in securitatem debiti, vt inde illi satisfiat, nisi aliter fuerit ei satis factum. Celebratur autem & perficitur hic contractus, sicut & contractus emptionis, & venditionis, solo consensu exterius expresso, siue in presentia cõtrahentium, siue per epistolã, aut internuntium, siue res quę designantur in pignus præsentes sint, siue absentes. Vt habetur l. Creditor. l. contrahitor. ff. de pignorib. Vbi multa Iurisperiti. In sacris litteris appellatur Arrhabo, Genes. 38. *Quid tibi pro Arrhabone?* Promisserat Iudas Thamari ędum, donec promissum impleret contulit ei in arrhabonem. 1. pignus annullum, armillam, & baculũ. Ex his patet vt recte docet Panormit. cap. Nulli. num. 12. de rebus Ecclesiæ nõ alienan. pignus & hypothecam esse velut quosdam fideiiussores rerum debitarum, & multo securiores, vt dicitur instit. de obligat. quæ ex delicto nascuntur. §. Furti. *Tutius est pignori incumbere, quam agere in personam.* Quamuis enim differãt pignus & hipotheca quia pignus est res mobilis transiens in creditorem, hypotheca vero immobilis, & manens apud debitorem, quo ad actionem vero, & securitatem creditoris idem officium præstant.

Quotuplex sit pignus?

DIuiditur autem pignus pro instituti nostri ratione, prima sui diuisione, in expressum, quod expresse obligatur, & tacitum, quod virtute alterius contractus implicite in eo obligatum manet, etiam si non exprimatur. Cuius modi asignant DD. sequnti Siluestr. In verb. pignus. q. 1. varia genera: Imprimis Bona prælati & ministrorum Ecclesiæ pro mala illius administratione manent obligata tanquam pignora 2. Bona viri pro dote vxoris. 3. Bona eius qui dotẽ promisit donec illam actu tradat. 4. Bona contrahentis cum fisco ipsi fisco. 5. Bona tutoris & curatoris administrationi hæreditatis pupillaris. 6. omnia bona conductoris fundi alicuius, seu prædij domino illius pro fructibus conductis. 7. Bona patris administrãtis bona filiorum, siue castrensia, siue quouis alio titulo ad filios spectantia Et similiter bona filij administrantis bona parterna. 8. Bona matris conuolantis ad secundas nuptias filijs prioris matrimonij, pro restitutione eorum quæ a primo viro lucrata fuit. 6. Bona defuncti pro legatis, & fideicommissis. 10. Bona conductoris Vectigalium fisco. Hæc bona, & his similia etsi nullo contractu expresso offerantur creditoribus in pignus, implicite tamen, & tacite manet eis oblata, & obligata dispositione iuris, quam videre est apud eundem Siluestrum loc. citat. vbi affert varia iura, in quibus hæc & his similia

lia definita sunt.

Expressum vero pignus triplex constituitur a Siluest. ibidem, & alijs DD. Quoddam conuentionale, quod ab alijs dicitur voluntarium: Illud autem est, quod priuatim, & libere mutua contrahentium conuẽtione ab vno traditur, & ab alio recipitur, de quo ff. de pignor. actio. l. 1. Aliud prætorium, quod Prætore iubẽte traditur in cautionem alicuius legati, aut damni quod timetur, vel operis efficiẽdi: Traditur autem quando Prætoris mandato alter contendẽtium mittitur in possessionem, aut detẽtionem illius rei. Tertium est iuditiale, quando præcepto iudicis in executionem suæ sententiæ, vel obligationis iuridice constãtis, & quæ paratam secum affert executionem, vnus contendentium mittitur in possessionem, seu detentium rei alterius, vt inde illi satisfiat. In quo genere pignoris, vt inquit Siluest. primo capiuntur bona mobilia debiteris, deinde immobilia, & tandẽ nomina debitorum.

De huiusmodi pignoribus multa Iurisperiti in l. Non mirum. §. vlt. ff. de pignoriti, actio. l. Si & iure. ff. Qui potior in pignoribus. & l. 2. Cod. eod. tit. a quibus petenda sunt, quæ ad Prætorium, & Iuditiale expectant, & quæ circa illa obseruanda sint, vt rite ac iuridice tradantur, recipiantur, & in satisfactionem creditorum conuertãtur: In his enim quod rite ac recte fit iuxta, Iurisperitorum sententiam, & Concilium, illud æquum & iustũ censendum est. Nos de primo illo, quod conuentionale seu voluntarium dicitur, hic tantum agere instituimus. Circa quod duo oportet expendamus. Prius est.

QVAE RES SINT MATERIA *idonea pignoris, & quæ secus?*

SILVET. verb. pignus. quæst. 2. docet iuxta Hostiensem, & communem pignori obligari posse, imprimis non solum res præsentes, & quæ actu existunt, & tempore cõtractus transeunt in manum creditoris, verum etiam & futuras, quæ non dum actu sunt, sed in potentia tantum. Vt fructus pendentes, partus ancillarum, fœtus pecorum, & similia. Sic enim habetur expresse. l. Et quę nondum. ff. de pignor. Quia in huiusmodi res accipit creditor actu ius, quanuis ipsas non dum actu recipiat. Secundo posse tradi in pignus res corporales, & incorporales, vt iura, iurisdictiones, cautiones, & nomina debitorum. l. cum conuenit. eod. tit. Tertio, seruitutes personales, & prædiales ac rusticas, vsusfructus, & simila: Ita vt creditor, quamdiu ei solutum nõ fuerit, illis vtatur. l. Si is. eod. tit. Seruitutes vero vrbanas, vt vias, plateas, & similia non posse tradi in pignus, propter varia incommoda quæ inde ciuibus sequerentur.

Demum vt omnia facilius complectatur constituit hanc regulam, quam a Siluestr. cæteri omnes acceptam probant: Vt quæcunque vendi possunt ab aliquo, ab eodem qui illa vendere potest, possint etiam obligari, & tradi in pignus. Quæ vero absolute & omnino vendi non possunt, neq; in pignus possint obligari. Quæ regula desumpta est ex l. 1. §. Eam rem. ff. Quæ res pignori dari possunt. & l. Sed & quo. §. Quod emptionem, Eod. titul. habetque locum, & vim in vtroque foro.

Ex hac regula facile est colligere, quæ res non possint constitui, & tradi in pignus.

Primum igitur tradi non possunt res sacræ in communem fideliũ vsum deputatę, vt Ecclesiæ. In Authentico de alienatio. & emphiteo. §. Et quoniam. Nec sepulturę, & monumenta: l. 3. Cod. Quæ res pignor. obligari possunt. Nec sacra vasa, vestimenta, libri, vel alia ornamenta Ecclesiastica. l. prima. ff. eod. tit. l. Sancimus. Cod. de Sacrosanct. Eccles. Quod intelligitur, nisi Ecclesia ipsa habeat talia vasa, & ornamenta superflua, vrgeatque necessitas & debitum, quod aliunde ex rebus mobilibus solui nõ posit. 10. q. 2. cano. Hoc ius. Vel tradatur in opus pium, ratione cuius res Ecclesię alienari possunt, vt in redemptionem captiuorum vel sustentationem pauperum. 12. q. 2. cano. Aurũ. Nec Ecclesiastici redditus possunt speciali conuentione obligari, nisi interueniente sententia iudicis, & ex causa, vt notat Panormitan. in cap. Nullus præsbiter, de pignorib.

Secundo, neque potest tradi in pignus res aliena, nisi vero illius domino consentiente, ac sine præiuditio & damno tertij, vt recte docent Iurisperi in l. Potior. §. 1. ff. Qui potior in pignor. Sufficiet vero cõsensus domini illius rei vel ipso tempore contractus, vel deinde adueniens per ratihabitionem: Ita fit, Nec filium posse rem patris, & è conuerso nec patrẽ rem filij sine illius consensu offerre in pignus, quia offerret alienum. Potest autem tũc quis rem alienã offerre,

offerre, quando in proximo ipsius certo futura est. In quo sensu dicitur in l. Si fundus. §. Aliena. ff. de pignor. *Aliena res vtiliter potest obligari sub conditone, si debitoris facta fuerit.* Quando extra hunc casum, vel consensum domini res aliena obligatur, & traditur in pignus, dupplex consurgit contra illum debitorem actio; altera domini rei illius, qua potest rem illam repetere, ac sibi vendicare, altera creditosis, qua potest a fraudulento illo debitore exigere, vt rem aliam vere suã, & æque bonam loco illius prioris pignoris, vel hypothece exhibeat. Vt habetur. l. Quæ prædium. & l. Rem alienam. ff. de pignora. actio. Quando autem posisint curator bona pupilli, vel procurator, aut administrator bona sui principalis in eorum vtilitatem obligare, quando secus, cõsulẽdi sunt de his Iurisperiti. Quod enim in foro exteriori huiusmodi obseruare iuxta leges debent, idem in foro interiori tanquam iustum, & æquum habendum est.

Tertio non potest tradi in pignus homo liber, etiam pro delicto, sicut nec vẽdi potest, vt habetur cap. Lator. de pignoribus. Et Cod. Quę res posisint obligari. l. Qui filios. Quamuis posisit homo liber dari in obsidem; tunc enim non datur in pignus, neque amittit suam libertatem, sed solum traditur in securitatem alicuius promisisionis factæ, vt recte notarunt Bartho. & alij in l. Obsides. ff. de testament. & in cap. Ex rescripto. de iureiurand. Qua ratione Gen. 42. Simeon mansit AEgipti, nõ in pignus, sed in obsidem promisisionis, quam fecerãt Iosepho fratres eius deferendi ad illum minimum fratrem Benjamin. Similique ratione in cap. illo Ex rescripto. fuerunt traditi quidam monachi a suo Abbate, non in pignus, quod nefas fuisset, sed in obsides in fauorem sui monasterij. Quod si quando homo liber in pignus alicui traderetur, traditus manet nihilominus liber, & creditor qui tale pignus recepit, cadit a suo iure & debito, & relegatur, si recepit filium familias. l. vltim. ff. Quę res pignor. Debitor quoq; qui illum contulit, venit puniendus, vt docent DD. in Authentic. vt nulli Iudicum. §. Quia vero.

Denique in multis Prouintijs, vt in in Regno Castellæ nõ possunt tradi in pignus, neque fieri executio in mancipijs, animalibus, aratro, & cęteris ad culturã agrorũ spectãtibus: Quę leges iustisisimę sunt, cum hæc ad coniunctum humanum adeo necessaria sint, sicut neque in armis militũ, quia adeo necessaria ad propugnãdos hostes. In nostro autem regno illud non est prohibitum circa animalia, & instrumenta agriculturæ, quia ita forsan expedit, ad vitandas multas fraudes, quas ea ratione nõnulli agricolæ committerent in damnum suorum creditorum.

Circa nonnullas alias res quæ iure prohibentur dari in pignus, consulantur Iurisperiti.

Posterius explicandum est.

QVAE SINT OBSERVANDA tam a conferente pignus, quam a recipiente illud?

(†)

IN hoc contractu pignorum duæ communiter personæ existunt, nempe qui illud confert, & qui recipit.

Conferenti hęc tria obseruanda sunt. Primum, Ne res quæ vni confertur in pignus, alteri quoque creditori in pignus similiter offeratur, quia esset in fraudem, & dãnum posterioris creditoris, cum in illo pignore anterior esset præferẽdus. Ita Doctor. l. 1. Cod. de crimin. stellionatus. Quod intelligendum est, quando pignus illud vni tantum debito sufficeret, quia si eius valoris esset, vt vterque creditor posset ex illo vendito solutionem suorum debitorũ sufficienter recipere, potest debitor illud vtrique offerre, vt habetur. l. Si quis in pignore. §. vlt. ff. de pignoraticia actio. Similiter si offeratur pignus quod priori tantum creditori sufficit, posteriori creditore admonito, & eo consentiẽte: Tunc enim nulla ei fit iniuria, vel fraus, vt colligitur ex dic. l. Si quis in pignore. & l. Et quæ nondum. §. vlt. ff. de pignor.

Secundo tenetur debitor reddere omnes expẽsas necessarias, vel vtiles quas creditor in pignore accepto conseruando fecerit: Vt si pignus fuit aliquod animal, expẽsas quas in eo alendo fecit, vt dicitur. l. Si seruos. l. Si necessarias. ff. De pignorati. actio. Et l. In summa. Cod. de pignor. Et ratio est, quia pignus, quãdiu pignus est, pertinet ad dominium debitoris, vnaquęq; autem res expensis domini sui conseruanda est.

Tenetur tertio debita in integrum creditori soluere, vt pignus suum recuperare valeat. Quia sicut fideiussor non liberatur

tur a fideiussione, donec debitor pro quo illam præstitit, soluerit omnia debita, ita & pignus, cum sit velut quidã fideiussor, debet manere apud creditorẽ, donec in integrũ recipiat omnia illi debita; Vnde donec persoluat non solum præcipum debitum, verum etiam expensas necessarias, & vtiles, quæ non sint excesiue, debet pignus manere apud creditorẽ. Similiter si post prius debitũ pro quo oblatũ fuit pignus, aliud deinde contraxerit, donec vtrunque soluat, vt docent Iuris periti.

Creditor vero qui pignus apud se recepit, debet hęc.5.obseruare. Primo, vt nulla misceat pacta iniqua, vel iure prohibita, tam iure comuni, quam iure particulari prouincię, vt ait Nauar. Veluti, vt si debitor certo die non soluat, pignus transeat in fœudũ, vel dominum absolutũ creditoris: est enim in fraudẽ.l.Calopodius. ff. De solutio. Tũ vt nõ posit redimere pignus, nisi intra certũ tempus, quod prohibetur cap. Precarium De pręcar. Et similia quę cedunt in lucrum creditoris, & dãnum debitoris, de quibus cõsulendi sunt Iurisperin.

Secundo debet creditor pignus acceptum diligenter, ac fideliter custodire, ita vt si dolo, vel culpa ipsius lata, vel leui illud in toto, vel ex parte perierit, teneatur ad omnę dãnum illud reficiendum, & cõpensandum debitori, vt optime docẽt Siluester. Nauar. & omnes iuxta glosam in l. Si creditor. & l. pignus. Cod. de pignorati. actione. Secus res habet, si periret culpa tãtum leuissima creditoris. Quia cum pignus in vtilitatẽ vtriusque tradatur, tam debitoris, quam creditoris, non tenetur in eo creditor de culpa leuissima, & similiter nec de casu fortuito, modo nõ fuerit in mora in restituendo illo cũ deberet. §. Vltim. instit. Quibus mod. contrah. oblig. & l. Quę fortuitis. C. De pignorati. actio. Posset autem constitui pactum mutuo vtrisquę consensu, vt teneretur etiã de culpa leuissima, & casu fortuito: non tamen ne teneretur de dolo. quia illud esset contra bonos mores.

Tertio non potest creditor pignore accepto vticum damno aliquo debitoris, sine cõsensu illius tacito, vel expresso, quia vteretur re aliena cũ dãno Dñi illius, & eo inuito, quod pertinet ad quandam speciem furti, vt docent Siluester. pignus nu.7. & Nauar. in Manu. c.17. nu.203. iuxta l. Si pignore. ff. De furtis, & Panor. in cap.1. Deposit. Addit Nauar. & recte si verò vtatur creditor pignore debitore cõsentiente, debere valorem illius vsus computare in sortem, aliter cõmirtere vsuram, quia talis vsus est, vellut fructus illius rei. Dixi cũ dãno, quia si ex illo vsu cõmodũ potius pignus recipiat vt qui tapetes in pariete aliquando suspenderet, ne tinea eos demoliret, vel cũ equo aliquando deambularet, ne otio torperet, nullam culpam comitteret. Similiter si nullum dãnum pignus recipiat, vt si vteretur semel aut bis vase argenteo tradito in pignus: Dixi sine consensu tacito vel expresso, quia sunt quidam vsus, in quos cẽsendus est dominus tacite consentire, quia solent illi inter amicos gratis concedi: velut vsus libri per aliquot dies sine eius detrimento, vt docet hic D. Tho. q.78. ar.1. ad 6.

Quarto tenetur creditor, si pignus fructiferũ sit, fructus omnes illius deductis sũptibus ac expẽsis, quas fecerit in illis colligendis, & habendis, computare in sortem, vt docet D. Antoni. 2. p. tit. 1. cap. 15. §. 3. & habetur. cap. 1. & 2. de vsuris. & cap. significante. De pignorib. Quod nos abũde iam superius docuimus. q. 78. ar. 2. Controu. 12 prætęrquam in casibus illis de quibus ibidem diximus cõtrouersiijs. sub sequen. 13. & 14. explicantes cap. Conqnestus. & cap. Salubriter. De vsuris.

Dubitant hoc nonnulli recentiores, fructus pignoris, quod domino erat sterile, & diligentia, & opera creditoris redditum est fructiferum, cuius cẽsendi sint. Sed docuimns iam superius quando pignus, vt fundus, non erat ex se sterilis, sed negligentia domini, quia incultus, fructus esse debitoris, & computandos in sortem, quia res illa nõ erat omnino sterilis, sed fructifera, & cui fructus illi quoque tribuendi sunt, & ita debet domino suo fructificare. Si vero secundum se & natura sua sterilis erat, arte autem & industria creditoris reddatur fructifera, fructus illos esse creditoris, nec computandos in sortẽ, quia soli industrię & arti ipsius tribuendi sunt.

Ex quo sequitur, vt quando pignus est fructiferum, non solum fructus quos actu tulerit esse computandos in sortem, verum etiam quos tulisset, negligentia vero creditoris non tullit, vt recte docet Panormitanus in cap. Cum contra. num. 9. De pignor. & Ioann. Andræ. in cap. 1. & 2. De vsuris. Et habetur expresse. l. 2. Cod. De pignorati. action. vbi dicitur. *Creditor, qui prædium pignori annexum detinuit*

nuit, fructus quos percepit, vel percipere debuit, in rationem exonerandi debiti computare necesse habet. Simile habetur de mancipijs traditis in pignus. l. 2. Cod. de Partu pignor.

Vltimo prohibetur creditor, ne cũ debitore constituat pactum, quod vocant legis commissoriæ. Est autem huiusmodi pactum vt accipiatur pignus ea conditione & lege, vt si debitor intra certum tempus nõ soluat debitũ, pignus efficiatur creditoris pro debito, aut in aliquo certo & definito pretio: Quod certe cum facile cederet in fraudem vsurarum, iure merito prohibetur. l. 1. Cod. de pactis pignor. & cap. Significante. De pignorib. Sed hæc prohibitio intelligenda est, quando pactum istud ita apponitur in lucrum creditoris, quia si solum apponatur in pœnam, ita vt adueniente termino, & creditore existente in mora, vendantur iusto pretio, tunc pactum honestũ est & licitum iuxta Panormit. in dic. cap. Significãte. D. Antoni. 2. par. tit. 1. c. 7. Siluest. in Rosa aurea. casu. 28. & Nauarr. c. 17. num. 203. Idẽ que dicendum est, si apponatur simpliciter vt vendatur, intelligendum enim est pretio iusto, vel arbitrio prudẽtũ, vel in subhastatione, vt optime Couarr. lib. 3. varia. resol. c. 2. nu. 7. An autẽ vbi debitor fuerit in mora debeat illum creditor admonere, antequã pignus illius vendat. Dico iuxta authores citatos. Et Angelum. Pignus. §. 7. debere illum admonere. l. si conuenerit. ff. de pignorat. actio. ita vt si factum fuerit pactum de non vendendo, trina exigatur admonitio, si vero nullum fuit pactum de vendendo vel non vendendo sufficiat vna. Sed de hoc prestat consulere Iurisperitos, vt obseruentur patriæ leges & mores. Vbi autem vẽdentur pignus, quia ita licebit, & pretio debito, si pretium excedat debitum, erit excessus ille restituendus debitori, si vero non sufficiat, tenebitur debitor defectũ illum addere creditori, vt docet Nauarr. loc. cit. num. 204. Et hæc de hoc contractu pignorum.

DE EMPTIONE FRVCTVVM, ET REDDITVVM TAM ECCLEsiasticorum, quam secularium, quæ Hispanæ dicitur *Arrendamiento*.

EX his quę docuimus initio huius secundi tomi. q. 77. art. 1. constat satis, quę pretia censenda sint iusta, & quæ iniqua in omni genere rerum, quia tamen emptio fructuum, & redditũum tã Ecclesiasticorum, quam secularium, quam Hispanæ vocamus *Arrendamiento*, aliquid habet peculiare, visum mihi est, in calce huius operis de ea, & monopolijs, cum ab emptoribus huiusmodi fructuum, & redditũum maxime potissime fiant, non sine magno Reipub. damno, aliqua proponere.

Controuersia I.

EMPTIONES REDDItuum, *& fructuum, quas vocamus* Arrendamientos, *qua ratione fieri debeant?* (†)

CIRCA præsentem quæstionem illud inprimis lectorem admonitũ esse volo, nõ esse huius loci disputare, sit ne huiusmodi cõtractus honestus & cõueniens. Nã etsi cõsultius forsam esset Reipub. vt ipsimet Prælati, & Domini huiusmodi fructuum per suos ministros eos colligerent, ac venderent, his saltim tẽporibus

poribus, id quibus prudentum iuditio, tanta est annonæ penuria, & caritas cupiditate ac iniquitate eorum, qui hos fructus, & eorum prætextu alios multos coaceruant, & recondunt. De hac tamē re (Deo nobis propitio) tertio & vltimo horum commentariorum tomo disseremus, cum agemus de statu Episcoporū, & redditibus ecclesiasticis. Nūc illud tātum hic locus postulat explicemus.

Qua ratione emptio huiusmodi fructuum fieri debeat, vt iusta sit.

Vbi primum omnium obseruandum est, In hoc contractu duppliciter posse sese habere excercentes illum: Vel ita, vt vterque contrahentium similem & parem habeat cognitionem, vel ignorantiam, vel quasi similem quantitatis, & valoris fructuum, & prouētuū, qui in illis locis & tēporibus colligi solent. Vel ita, vt alter eorum optime quidem illud intelligat, alter vero ignoret.

Obseruemus secundo, Accidere sœpe in hoc contractu, venditores huiusmodi fructuum, & reddituum promittere, ac offerre pecuniam aliquam emptori, constituenti illis optimum pretium, vel augenti quod ab alijs fuerit constitutum: Quam pecuinam a venditore pro tali beneficio emptori conferendam Castellæ vocāt *El prometido*, nostri vero *los exaus.* Confertur autē huiusmodi pecunia, seu promittitur duobus modis, vel emptore ipso conueniente venditorē, ac vltro se illi offerente ad constituendum, vel augendum pretium illorum fructuū, si hāc vel illam pecuniam pro illo beneficio ipsi contuletit: Vel contra, venditore ipso huiusmodi pecuniam emptoribus promittente, ac offerente, vt illius cupiditate eos alliciat ad constituenda, vel augenda illarum rerum pretia.

Obseruemus vltimo, Emptorem offerentem venditori aliquod certum pretium, esse & reipsa, & communi DD. sententia velut fideiussorem, seu assecuratorem, fructus illos, seu redditus, aut vectigalia preriū illud ad minus esse tunc habitura, ita vt defficientibus alijs emptoribus qui maius offerant, ille deuinctus ipso facto maneat ad illud certo conferendum. Quemadmodum deficiēte debitore manet deuinctus fideiussor ad debitum illius persoluendum. Et pereuntibus mercibus, quarum periculum aliquis penes se suscepit, tenetur ille ad valorem earum suo domino conferendum.

His positis prima Conclusio.

Quando vterque contrahentium habet parem, & æqualem cognitionem, vel ignorantiā quantitatis, & valoris, fructuū, reddituum, aut tributorum, seu vectigalium, quæ tali loco & tempore colligi solent, iustum pretium huiusmodi rerum illud est, quod citra vllam fraudem, & dolum reperitur in publica sub voce præconis huiusmodi rerum subhastatione.

Constat hęc conclus. eisdem omnino argumentis, quibus q. 77. art. 1. controuer. 5. docuimus iustum pretium esse, quod in publica subhastatione, quā dicimus *Almoneda*, confertur omni dolo, & fraude cessante. Et confirmatur, Quia tale pretium in publica subhastatione citra omnem fraudem, & dolum ab emptorem fructibus, & redditibus constitutum, & a venditore admissum, habetur apud omnes nationes, & Prouincias authoritate publica, & quasi Iure gentium, vt æquum, & iustum.

Secundo, Quia contractus hic vendendi & emendi huiusmodi fructus, & prouentus non habet in Repub. alium forum commodiorem quam istum, nimirum per vocem præconis, Forus vero iste non habet alias leges vendendi, & imponēdi pretia huiusmodi rebus, nisi has.

Proponere publicè, & voce pręconis fructus istos, & redditus vendendos cuicūq; volenti illos emere.

Et sub eo pretio, quod in publica subhastatione sublata omni fraude, & collusione fuerit repertum, eos tradere.

Vnde erunt in hoc contractu obseruādæ necessario omnes illę conditiones, & leges, quas loc. cit. diximus obseruādas esse in publica subhastatione aliarum rerum, vt iuste fiat.

Ex hac conclusione sequitur, tam vēdentem fructus istos pluris quam valeant, quā ementem illos minoris quam valeant, cum vterque habeat parem & similem intelligētiam, vel ignorantiam valoris eorum, tutos esse in conscientia, quia citra vllum dolum conueniunt in pretio, quod in tali foro, & modo vendendi, nempe in subhastatione censetur iustum.

Secunda conclus. *Quando alter contrahētium probe nouit valorem huiusmodi rerum, quē alter ignorat, tenetur his qui nouit, ignorantem de illarum communi & solito valore admonere.*

Hoc est dictum: Quando alter perspectā habet quantitatem, & valorem fructuum, reddituum, tributorum, seu gabellarū, quæ venduntur, alter vero illud ignorat, nec potest, tempore quo celebratur huiusmodi cōtractus, satis illud intelligere, esto prudentem adhibeat diligentiam, eo quod multa expe-

experientia, & progressu temporis opus sit, tenetur in conscientia contrahens, qui illorum valorem & quantitatem probe nouit, alterum contrahentem tali ignorantia laborantem de vera quantitate, & valore illorũ fructuum, & reddituum, iuxta ea quę communiter & vt plurimum in illis locis colliguntur, fideliter admonere. Sin minus tenebitur, qui veritatem quam nouerat, occultauerit, excessum vel defectum pretij talium reddituum arbitrio prudentum iusti, alteri qui illa ignorantia laborabat, restituere, ac compensare.

Probatur. In omni contractu debet esse par & æqua vtriusque contrahentis conditio, ita vt vel vterque sit in tuto, vel vterque in simili periculo parique incertitudine damni, vel lucri. At quando alter habet perspectam & cognitam quantitatem fructuum, & prouentuũ, qui vendũtur, alter vero ignorat, nec admonetur vere, & fideliter, ab eo qui nouit illam, is qui nouit, est in tuto, & quasi in spe certi lucri, quia habens talẽ cognitionem nõ emet, aut vẽdet cum proprio damno, qui verò ignorat existit in periculo & discrimine alicuius damni, & forsam multi. Ergo nisi is qui rem nouit, ignorantem admoneat, vt pretium tẽperet, & ad debitam æqualitatem reducat, contractus iste iniustus est, & iniquus, & cũ debito restituendi excessum, vel deffectum iusti pretij, qui ex illa ignorantia acciderit.

Hæc conclus. est Ioan. Medin. de restitutione. q. 30. quam confirmat, & illustrat varijs exemplis. Etenim si piscator misit rete in mare, videatque ex peritia suę artis se nihil cæpisse, quod alter ignorans emat iactũ illum: tenetur piscator in hoc casu omnium consensu, quidquid ab emptore illo accepit, non manifestata illi veritate quam nouerat, restituere: nec alia ratione, nisi quia non fuit par & æqua vtriusque conditio. Similiter qui nouit vineam suam ex occulta causa & damno paucissimos ferre fructus, & hac veritate celata alteri illã locat in aliquo pretio, perinde ac si tali damno carens multos ferret fructus, est cõtractus iniquus quia non est æqua vtriusque conditio: cum dominus vineę, quocunque pretio illam locet sit in tuto, alter vero in graui periculo, & damno.

Confirmatur secundo, Quia ex prima cõclusione D. Tho. q. 77. ar. 1. Vendere pluris aut emere vilius quam res valeat, cum fraude & deceptione alterius contrahentis, iniquum est, & iniustum. At quando alter optime nouit fructuum quantitatem, alter vero ignorat, nec admonetur ab eo qui illam nouit, est quedam fraus, & deceptio in dãnum alterius, tenebitur ergo qui quantitatem fructuum & reddituum nouerat, & alteri illam ignoranti non indicauit, omnẽ excessum, vel defectum, quin & omne damnũ quod illi ita ignoranti ex huiusmodi contractu acciderit, reficere, ac compensare.

Denique (vt vidimus q. illa. 77. art. 3.) tenetur, qui nouit defectum rei quam vendit, vel vtilitatẽ & valorem eius quã emit, alteri illam ignoranti indicare, vt iuste tam vẽditio illa, quam emptio exerceatur. Erit igitur illud idem in huiusmodi quoq; emptionibus & venditionibus fructuum, redditium, ac vectigalium fideliter obseruandũ. Dixi contrahentem ignorantem harum rerum quantitatem, & valorem, nec valẽtem, tempore quo celebratur cõtractus, satis illũ intelligere nisi experientia ac progressu tẽporis, esse ab alio contrahente, qui illũ probe nouit admonendum. Quia si is qui illud ignorat, potest facile illud inquirere, ac intelligere ab alijs, qui illorum fructuum, & redituum fueruut prius conductores, vel alia via illud norunt, cum possit facile illos consulere, & ab eis admoneri, non tenetur alter cõtrahens de ignorantia illa culpæ, n. ac negligẽtię patientis illã tribuẽda est, nõ vitio, nec iniquitati alterius contrahentis, cũ potuerit illã facile vincere, nec voluerit.

Tertia conclusio. *Practice loquendo, hic contractus, si fiat voce præconis, seruatis conditionibus quas diximus in publica subhastatione seruandas esse, communiter est iustus.*

Primo, Quia quantitas fructuum communiter est vtrique parti ex æquo incerta, cum causæ abundantiæ, vel sterilitatis singulo quoq; anno adeo variæ sint, & incertæ. Secundo, Quia nullus contrahentium adeo imprudẽs est, & stolidus, quin ex pręcedentium annorum progressu, & dicto eorum, qui pręcedentibus annis fructus illos, vel redditus collegerunt, intelligat parum magis vel minus illorum quãtitatem, & valorem, ac quid in illis locis colligi soleat. Tertio, Quia prudenter ac probaliter iudicat quiuis contrahentium, alterum vel propria experientia, vel dicto aliorum habere satis compertam quantitatem illorum frustuum, reddituum, seu vectigalium, quæ venduntur.

Quarta Conclusio. *Si emptor propria spõte constituat, vel augeat pretium huiusmodi fructuum, seu tributorum, postulans a venditore*

pecuniam illam, quæ Castellæ dicitur El prometido, apud nos los Exaus tanquam in premium, seu pretium beneficij, quod venditori confert, constituendo pretium rebus illius, licet huiusmodi pecuniam, seu præmium dare, & accipere.

Exigitur tamen in hoc casu, tum, vt seruentur leges municipales vniuscuiusque Regni, & prouinciæ, tum etiam, ne interueniat aliquis dolus, vel collusio inter ipsos in fraudem, vel damnum tertij.

His seruatis probatur iam Conclusio: Quia emptor citra vllam fraudem, vel dolum (vt constituimus) offerens optimum & iustum pretiũ fructibus venditoris prȩstat illi beneficium, & vtilitatem temporalem pretio æstimabilem: obligatque seipsum ad reddendum illud pretium, non accedente alio qui maius afferat, quȩ obligatio ciuilis quoq; est, & pretio ȩstimabilis: potest ergo iuste qui sic emit, in pretiũ beneficij quod præstat venditori, & obligationis quam sibi imponit, pecuniam illã a venditore exigere, ac recipere. Et confirmatur. Quia pro assecuratione, vel fideiussione (vt vidimus) potest pretium exigi, & recipi, qui vero pretium constituit huiusmodi fructibus, agit assecuratorẽ, & fideiussorem illius, vt ex tertia obseruatione constat.

Conditiones illæ, quas adiecimus, se ipsis constat. Quia cum in his posint accidere fraus, dolus, & aliquis excessus, leges taxantes pecuniam conferendam emptori cõstituenti, vel augenti pretia huiusmodi fructuum, & reddituum, & prȩscribentes conditiones in hac parte seruandas ad vitandã omnem fraudem, & excessum, sunt iustæ, & ex consequenti obligantes in conscientia: ita vt recedentes ab illis teneantur ex proprijs restituere illum excessum, si fuerit in Relpub. vel alterius damnum.

Quinta Conclus. *Venditor fructuum, vel reddituum, cui per aliquod tempus non occurrit emptor, qui iustum pretium reddat, potest offerre ac promittere pecuniam aliquam cuicunque constituẽti illud. Absolute autem & simpliciter antequam experiatur deffectum emptorum, qui iustum pretium reddat, non licet offerre aut promittere aliquam pecuniam, qua allecti emptores constituant illis fructibus ingens aliquod pretium, & arbitrio prudentum excedens.*

Probatur prior pars eodem argumento, quo probata est precedens couclus. Quia vbi non occurrunt emptores, qui propria sponte iustum pretium offerant rebus venalibus, licet vendentibus illas emptores earum querere, ita vt si quem inuenerint iustum pretium offerentem, beneficium ab illo recipiant, huiusmodi autem beneficiũ tẽporale est, & ciuile, & eo ipso pretio ęstimabile, poterit ergo venditor pro eo pecuniam emptori promittere, ac conferre.

Probatur altera pars: Quia vbi statim occurrunt emptores, qui iustum pretium offerant, & ad illud reddendũ se obligent, non eget venditor beneficio illo, ratione cuius licet pecuniam illam promittere, & conferre emptori.

Quo fit, vt tunc illam offerre, ac promittere sit offerre aperte occasionem, & parare mucipulam, ad illaqueandos emptores, vt cupiditate illius pecuniȩ, sibi oblate allecti excedant a iusto pretio. Quod certe est iniquum. Primo, Quia perinde se habet pecunia ista in eo casu emptoribus oblata, ad illos inducendos vt excedant a iusto pretio, sicut fraudulentus, fictusque emptor in subhastatione submissus, quo rei pretium subinde falso & ficte augeat. Secũdo. Quia offertur aperta vrgensque occasio emptori qui cupiditate illius pecuniæ sibi oblatæ nimium & excessiuum pretium fructibus constituit, & reddit, vt instituat apud se (quin & actu illud prȩstet) vt sicut ipse carius quam æquum erat fructus illos emit, itaquoque carius vendat, nitaturque occultando illos, & permiscẽdo alios, & quibuscunque vijs poterit, pretium illorum pro sua cupiditate quantum poterit augere in magnum Reipub. & pauperum nocumẽtũ. Quo circa cum vterque in hoc casu tam vẽditor huiusmodi fructuum, quam illorum emptor huic damno cooperetur, nemini dubium esse debet, vtrumque inique & iniuste in hoc casu operari.

Hęc de Emptione fructuũ sub voce præconis diximus. Quod si priuatim vendantur constituẽdum est illis pretium arbitrio peritorum, & prudentum in hoc gennre negotij ac timentium Deum. Vbi illud maxime obseruandum est, ne propter anticipatã solutionem huiusmodi fructuum minoris ab aliquo emantur, quam sit iustum illorũ pretium, vt solent nõnulli mercatores, vbi dominos huiusmodi reddituum vident aliqua necessitate oppressos. Est enim illud iniquum, & cum debito restituendi defectum iusti pretij, vt optime Nauarr. in suo Manua. cap. 17. & nos superius q. 78. ar. 2. controuersia. 23.

Quæstioni explicatæ hæc affinis est.

Controuersia II.

AN PROPTER STERILITA- *tem, & deffectum fructuum debeat minui pensio, & pretium a principio illis constitutum?*

Obseruandum initio huius dubitatio est, sterilitatem, & defectum fructuum, de quibus hic loquimur, bifariã posse accidere: Aut fortuito, & casu, quem prudentia & industria humana præuenire non valuit: Aut culpa eius qui fructus illos emit. Casu & fortuito, vt quando sterilitas accidit ex insolito calore, frigore, tẽpestate, illuuie, locustis, & id genus alijs, quę sine vlla culpa agricolę, vel eius qui fructus illos emit, eueniũt nõnunquã. Culpa vero & vitio emptoris accidunt, quando vel ex negligẽtia ipsius aut in seminandis, aut in mundandis agris a zizanijs, alijsq; herbis nociuis, deficiũt fructus. Vel cum immineret insolitus calor, frigus inundatio, vel quid simile, quod seminibus & fructibus grauiter nocere posset, & quod prudens coniectaret, vel coniectare deberet, non curauit illi dãno occurrere, cum potuisset.

Obseruemus secundo, Licet non conueniant omnino DD. in tradenda diffinitione sterilitatis fortuitæ, optimas nihilominus & accommodatas esse duas illas quas affert Nauarr. in Manu. cap. 17. num. 188. Quarum prior est. *Vt sterilitas fortuita ea sit, quam vel conuentio partium, vel recepta consuetudo loci, vel communis opinio illius regionis pro tali approbat.* Posterior est. Bartho. l. ex conducto. §. Siuis. ff. locat. & Ioan. Andre. in cap. Propter sterilitatẽ. de locato. *Vt sit ea, qua ex tribus partibus fructuum qui communiter tali loco colligi solent, vix colligantur duæ.* Vt si communiter colligi soleant 15. modij tritici, eo tamen anno vix colligantur 10.

Cæterum cum sterilitas hæc duobus modis posit se habere, vel ita, vt nec præcedẽtibus annis, nec sequẽtibus, eorum quibus durat contractus, compensetur: Vel ita, vt abundantia præcedentium, vel sequentiũ commode illa refficiatur: Fieri sufficienter & commode huiusmodi compensationem aliqui volunt, quando fructus anni abundantis in duplo, vel amplius excedũt solitos colligi in tali loco. Sed cum oppositorum eadem debeat esse ratio, sicut sufficit ad sterilitatem, vt colligantur minus solito in tertia parte, ita quoque debet etiam ad abundantiam, & compensationem sufficere, vt colligatur plus solito in tertia parte.

His positis sit prima Conclus. *Si sterilitas & defectus fructuum accidat culpa, & negligentia agricolæ, vel eius qui fructus illos emit, non tenetur venditor detrahere aliquid a pensione, & pretio initio contractus constituto.*

Hæc est communis inter omnes DD. Quia recta ratio postulat, vt qui causam damno dedit, ille solus damnum illud patiatur, Ex illa regula iuris. *Si tua causa damnum datum est &c.*

Secunda Conclusio. *Quando sterilitas realiter & vere fortuita est, ac sine vlla culpa agricolæ, vel eius qui fructus emit, tenetur venditor detrahere a pẽsione & pretio illius anni, quantum prudens, & peritus, ac timens Deum iudicauerit, pro ratione illius sterilitatis, & defectus fructuum.*

Conueniunt etiam in hac parte omnes DD. Estque aperta definitio Gregor. 9. in illo cap: Propter sterilitatem. De locat. & conduc. Et in l. ex conducto. §. *Siuis.*

Excipiuntur autem ab hac conclusione tres casus. Primus est: Quando contrahentes sunt velut socij partiales, vt cum vnus suum fundũ, alter vero suã industriam apponit, tũc enim siue sterilitas succedat, siue fertilitas, debẽt pro ratione societatis inter se initæ fructus quos colligent, siue plures, siue pautiores, inter se diuidere. Quia debet vterque omni iure in tali contractu eidem damno, vel cõmodo esse expositus. Ita glossa in isto cap. Propter sterilitatem, quam sequuntur ibidẽ Ioannes. Andre. & Panormitan. & Nauarr. loc. cit. nu. 189.

Secundus est, Quando fructus empti sunt per aliquot annos, in quibus temporis successu & vicissitudine, sterilitas vnius alterius abundantia commode, & sufficienter compensatur: Tunc enim non tenetur vẽditor remittere aliquid a pẽsione & pretio: Quia in omni contractu debet esse æqua & par vtriusque contrahentis conditio, at si propter sterilitatem alicuius anni deberet venditor aliquid a pretio detrahere, cum propter abundantiam alterius nihil posit addere, non esset par & æqualis vtriusq; conditio: Venditor namque esset ea ratione in periculo perdendi aliquid ex pretio constituto, Emptor autem semper esset in tuto, vel recipiendi vberes fructus, vel non reddendi tantum pretij adueniente sterilitate. Quod perspicuum

cuum est iniquum esse, & a rectitudine ac æquitate huiusmodi contractuum maxime alienum. Vnde Gregor. 9. in dic. cap. Propter sterilitatem iustissime, ac sapientissime ait: *Propter sterilitatem afficientem magno incommodo conductores, vitio rei sine culpa coloni, seu casu fortuito contingentem, colonis Ecclesiæ tuæ pro rata pensionis remissio est facienda, nisi vbertate præcedentis, vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari.* Vbi hæc vltima verba: *Nisi cum vbertate præcedentis vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari.* Intelligenda sunt de fructibus, qui per aliquot tantum annos venduntur: Nam si in longum tẽpus, & plures annos, vel in plures vitas, aut in perpetuum vendantur, & pro exiguo aliquo pretio, sicut accidit cum fundus, vel ager a vero illius domino traditur alicui cum debito persoluẽdi annuā pensionem, in signum & cognitionem dominij directi, tunc etiam si maior pars fructuum, vel rei sic venditæ casu, & fortuito pereat, (modo non pereat tota) tenetur nihilominus emptor illius agri pretium illud & illam annuam pensionem, in qua conuenerunt, integram persoluere, vt recte docet Nauarr. loc. cit. num. 190. iuxta l. 1. Cod. de iure Emphit. Secus est si ad modicum tẽpus traderetur, vel tantam solueret annuā pensionem, quātam si omnes fructus illius fundi emeret. Tunc enim pro ratione sterilitatis fortuitæ deberet fieri illi remissio, iuxta dicta in hac secunda conclus. Quia sic emens, vt pretium æquetur valori fructuum illius fundi, non tam soluit pensionem dominij directi, quam pretium illorum fructuum. Et ita habet communis opinio DD. quam sequuntur Iason in illa l. 1. Cod. de iure emphit. num. 20. Et Nauarr. loc. cit. num. 190.

Tertio intelligenda est hæc secunda conclus. vbi nec lege Regni aliter dispositum est, nec mutua contrahentium conuẽtione aliter inter eos constitutum. Vbi enim lex Regni aliquid circa fructuum, qui emuntur, sterilitatem constituit, standum illi erit, proptet authoritatem quā habet lex ciuilis in contractibus humanis: seruandumque pretium initio contractus cõstitutum, vel minuendum iuxta legis illius præscriptum. Ita refert Nauarr. loc. cit. num. 187. in Lusitania, ad tollendas lites, & difficultates quæ in hoc casu occurrere possunt, statutum esse lib. 4. Ordinat. illius Regni. titul. 61. vt agricola, vel emptor fructuum nullam pensionem soluat, quando nulli omnino fructus extiterint, vbi vero aliqui, vel soluat omnem & integram, vel fructus illos domino agri relinquat, deducto semine quod illi fundo mamdatum fuerit. Similiter si tempore contractus inter vtramque partem conuentum fuerit, nihil esse detrahẽdum a pretio, quacunque sterilitate vel infortunio accidente, vel designetur certa aliqua pars detrahenda, standum est necessario illi conuentioni: Tum, propter maximam vim quam habet omni iure in quocunque contractu ciuili & humano mutua contrahentium conuentio, & pactum. Tum, quia vbi ita partes conueniunt, emptor illorum fructuum non solum habet se vt emptor, verum etiam vt assecurator, sumens penes se omne periculum & damnum, quod ex defectu illorum fructuum, quos cum tali periculo emit, potest accidere. Debent autem in hoc casu, sicut & in omnibus contractibus, & cõuentionibus, abesse omnis fraus, & dolus, si quæ enim fraus, vel dolus, aut deceptio in tali contractu interueniret, eo ipso pactum illud reuera non obligaret, *Cum fraus & dolus nemini debeant patrocinari*

Tertia Conclusio. *Sicut propter sterilitatem vere fortuitam facienda est aliqua remissio, & diminutio prætij, sicut explicatum est, ita quoque propter fertilitatem aliquam, vel vtilitatem omnino fortuito aduenientem, debet emptor augere pretium arbitrio prudentis, & periti.*

Ita Panormi. in dic. cap. Propter sterilitatem. Siluest. Locatio. q. 14. quos sequũtur Nauarr. cap. 17. num. 161. Idem habet glossa in verbo. *Si cui.* l. si merces. §. *Vis maior.* ff. locati. quam citat ad idem institutum Alciat. l. 1. de verb. signific. pag. 42. vocatque illam notabilem Iason. l. 1. num. 79. Cod. de iure Emphit. Et ratio est aperta, Quia cum oppositorum eadem debeat esse ratio, vt habet commune Philosophorum Axioma, cui subscribunt omnes Theologi passim, & Iurisperiti Cano. Hospitiolum. dist. 32. & l. 1. ff. de his qui sunt sui, vel aliẽ iuris. Sicut debet vẽditor detrahere a pretio propter sterilitatẽ omnino fortuitā, ita quoque debet emptor propter fertilitatem aliquam omnino fortuitam illud augere. Aliter non esset par & æqualis vtriusque conditio: quod in contractibus iniquũ est.

Dixi vere & omnino fortuitam, quia si ex fœcunditate ipsius agri, vel diligentia & industria agricolę abundantia illa fructuum

ctuum proueniat, non est quod augeat pretiũ: Terræ namq; fœcunditas, vel industria eius qui fructus illos emit, ipsius emptoris sunt: vbi vero pręter fœcunditatem terræ, & agricolę industriam inopinata aliqua fertilitas casu accidat, illa vere fortuita est, ratione cuius debet augeri pẽsio. Exemplũ est quo vtuntur communiter DD. Si emat quis redditus molę frumentariæ, ex qua solent percipi singulis annis. 50. accidad autem percipi aliquo anno 100. eo quod cętere molæ casu aliquo omnes dirutæ sunt, debet tunc emptor pretium ab initio constitutũ augere. Quo fit, vt si quæ notabilis abũdantia vel vtilitas, in agro, cuius fructus aliquis emerat, casu fortuito occurrat, & pręter omnem expectationem, domino illius agri vtilitas illa tribuenda sit, & ratione illius augendum pretium ad arbitrium periti, & prudentis. Vt si quis fons, vel minerale, aut herba medicis prętiosa in agro illo de nouo appareret. Quia dominus illius agri eos tantum fructus emptori illi vendidit, quos ager solitus erat ferre, minime vero quæ in illo agro occulta erant, & ignota, ac tanto pretio digna.

Disputare hic nonnulli solent.

Quo tempore pretium fructuum, & redditNum, de quibus agimus, per soluendum sit.

Illud certe muneris Theologici nõ est, nihilominus dimissis multis quæ a Syluester. Locatio. q. 5. & Nauarr. c. 17. nu. 198. afferuntur, dico vno verbo: Vel contrahentes tempore contractus illud designasse, ac constituisse mutuo vtriusque consensu, vel nullum prefixisse: Si quidem illud designarunt, quod nunquam fere prætermittitur, soluendum est pretium tempore ab ipsis præfixo & constituto, quod si illud in contractu ommissum sit, consulẽdi sunt Iurisperiti: Eorum enim est explicare, quo tẽpore anni huiusmodi solutiones faciendæ sint, iuxta leges Regni, vel loci consuetudinem, aut ipsorum fructuum naturam, & rationem, aliasque circunstantias.

DE HIS QVI MONOPOLIA EXCERCENT.

QVamuis de his monopolijs, quæ ab emptoribus fructuum, & redditNum tam Ecclesiasticorum, quam secularium potissime hic agere instituam, de omnibus nihilominus hac occasione nonnulla dicemus.

Monopolium, vt habet glossa. l. vnica, Cod. de Monopol. a qua omnes illud acceperunt, vox Græca est, composita ex voce *monos*. i. vnus & verbo *poleome*, i. vẽdo, quasi Monopolium sit vnica venditio, & Monopola vnicus venditor, qui solus vniuersum aliquod mercaturæ genus emit, vt solus etiã vendat pretium pro libito statuẽs. Quod etiam committitur quando vel conueniunt plures venditores interse, vt omnes vno pretio vendant, quasi omnes sint vnicus venditor: vel conueniũt omnes emptores interse, vt nullus emat nisi tali pretio. quasi omnes sint vnicus emptor.

Est autem Monopolium vt optime docet Ioann. Medina. q. 30. de restitut. multiplex ratione materiæ circa quam versatur. Potest enim fieri in rebus victui, vel saluti necessarijs. Victui, vt cum conueniunt interse mercatores aliqui emere omnem annonam, vinum, oleum, linteos, pannos, aromata, & similia victui aut vestitui necessaria, illa reconditurі, ac vendituri tempore caritatis pro suo arbitratu. Vel cũ aliqui, (licet statim ea vendituri) cõueniunt tamẽ, ne vllus vendat nisi in tali pretio. Saluti vero; veluti si conueniant interse Chirurgi, vel Medici, ne vulnus, aut infirmitatẽ quã unus eorum curare cœpit, alter curare suscipiat, vel ne medicamentum peculiare cuius vim duo, vel tres perspectam habent, & exploratam, alios doceant, præter quam filios suos ac nepotes. Potest etiam fieri Monopolium in rebus vtilibus, quamuis non necessarijs, vt in sericis vasis argenteis, libris, & similibus rebus, conuenientibus illis, apud quos huiusmodi res existunt, vt ab ipsis tantum illæ vendantur, aut in tali pretio. Ad quod genus pertinent artifices qui

qui interse constituunt, ne res suæ artis nisi tali pretio distrahantur. Cōductores fructuum, & reddituum conuenientes interse, ne vllus emat illos, nisi hoc vel illo pretio: quibus similes etiam sunt, qui simili conuētione vtuntur, cum res alicuius in publica subastatione exponuntur vendendæ.

Obseruemus secūdo. Monopolium duobus modis fieri: Vel publica authoritate Principis, vel Reipub. Veluti cum ab eis cōceditur alicui, ne alius preter ipsum rem aliquam affere, vel vendere posit: Qua ratione conceditur authoribus librorum, qui in communem vtilitatem æduntur, ne alij ab ipsis illos typis mandare, aut vēdere possint. Vel priuata authoritate eorum qui in illud conspirant, vt merces omnes colligentes pretio cupiditati eorum accomodato ab ipsis solum vendantur, vel non emantur nisi ab ipsis in eo pretio, in quo inter se conuenerunt. Qua ratione solent vbi nauis ad litus mercibus onusta apulit, de pretio inter se conuenire, vt ea ratione compellatur illarum dominus, optans quanto citius poterit recedere, in illo pretio etsi plusquā infimo ad vitandas maiores expensas vendere.

His positis fit prima Conlusio.

In rebus victui humano necessarijs, nisi necessitas & bonum commune Reipub. aliud postulet, non licet Principibus, vel Magistratibus concedere alicui priuato priuilegium, vt ille solus, vel aliqui soli res illas adducant, & vendant: Nec priuati, quibus tale priuilegium concederetur, possunt illo tuta conscientia vti.

Ita Medina quest. illa 30. citat. Soto lib.6. de iust. q.2. ar.3. Nauarr. in Manua. cap.23. num.92. sequutus Rosellam. Emptio. §. 23. & omnes recentiores. Probatur prior pars. Principes, & Magistratus, authoritate quam habent non possunt vti in damnum commune, sed in vtilitatem solum suę Reipub. aliter nō solum agunt inique, verumetiam acta eorum nō tenent, neque habent aliquam vim in forọ animæ, quidquid fit de foro externo. Sed quando necessitas Reipub. aliud nō exigit, tale priuilegium in rebus victui & vestitui necessarijs cedit in damnum Reipub. & ciuium illius, ergo non possunt in foro animæ illud concedere, neque concessum habebit vim. Maior certissima est. Minor probatur: Primo, Quia ciues per tale priuilegiū priuantur libertate emendi res sibi adeo necessarias ab alijs, a quibus commodius & vilius eas possent habere, compelluntur. n. illas emere in eo pretio, quod voluerint habentes illud priuilegium. Dices taxabitur in ipso priuilegio illarum rerum pretium, nec relinquetur arbitrio, & cupiditati asportantium, & vendentium illas. Sed esto ita fiat, Occurrit statim secundum incommodum, nempe, vt per huiusmodi priuilegium prohibeantur alij res illas asportare, & vendere, quod cedit in maximum damnum. Pluribus enim easdem res in patriam asportantibus, ita illæ abundare poterunt, vt emantur commodius & vilius, quam in pretio alijs taxato. Prohibetur etiā diuites qui pietate adducti easdem res aliūde adductas pauperibus vilius venderent ne illud posint, Quæ certe beneficia tali priuilegio cessare oportet, in maximum Reipub. & potissime pauperum nocumentum. Vnde nō licet Principus illud cōcedere, dicente Spiritu sancto. Prouerb. 3. *Noli prohibere benefacere eum, qui potest: sed, si vales ipse, benefac.*

Secundo. Princeps non potest tuta cōscientia dispensare in lege iusta, maxime in damnum suorum ciuium: Sed huiusmodi priuilegia, & monopolia in rebus necessarijs sunt prohibita l. vnica. Cod. de Monopolijs. quæ omnium consensu in his iustissima est. Ergo.

Dixi in conclus. nisi necessitas Reipub. & boni communis aliud postulet: Quia si in ciuitate deesset victui necessaria, nec vllus curaret illa aliūde afferre, eo quod multum laboris, periculi, & expensarum in illis asportandis opus esset, tunc cederet profecto in bonum commune durante illa Reipub. indigentia, volenti illa afferre concedere huiusmodi priuilegium, vt ab eo solo, sub certo pretio omnibus mature pensatis taxato, venderentur: Cum posint tunc Princeps, vel Magistratus obligare ad id aliquos, & statuere, vt soli depatati ab eis res illas minutim vēdant, vt docet Nauar. in Manu. cap. 23. nu. 92. ex Rosella. Emptio. §. 23. Neq; enim habent tunc locum incommoda illa adducta. Durante in quā illa Reipub. indigentia, quia ea cessante, imminerent ciuibus incommoda illa adducta, quæ prohibent ne tale priuilegiū cum damno ciuium alicui concedantur.

Dixi etiam nisi necessitas Reipub. & boni communis exigat: Quia Princeps ob suam priuatā necessitatem, aut vtilitatem, nisi illi occurrere in bonum etiam commune redundet, non potest cum damno ciuiū tale priuilegium & Monopolium concedere. Quia nulli licet, neque Principi sua

Qqq 5 priuata

sua priuata commoda publicæ vtilitati anteponere. Cæterum quia necessitas Principis cedit communiter in damnũ commune totius Regni, sicut posset Princeps (vt optime Medin. q. illa 30. §. penult.) exigere a sibi subditis, vt contribuerent ad leuãdam illius necessitatem, ita potest subiicere eos huic grauamini, vt vnus vel alter habeant priuilegium, quo ab ipsis tantum res illæ asportari possint, & vẽdi. Quod si eius necessitas vel vtilitas non redundet in bonum commune, non potest: adeo vt teneretur ad compensanda ciuibus, commodiori via qua posset, omnia damna ex tali priuilegio illis subsequuta. Vnde sequitur Altera pars eiusdem conclusionis: Nam sicut lex iniusta non obligat in conscientia, ita nec priuilegium iniuste concessum reddit aliquem tutum in conscientia.

Secunda Conclus. *In rebus vtilibus tantum, minime vero necessarijs non potest aliquis sua priuata authoritate monopolium facere. Potest tamen Princeps, vel Respub. in illis priuilegium alicui concedere, si Retpub. vtilitas ita postulauerit.*

Probrtur prior pars: Quia priuati per huiusmodi monopolia suæ tantum vtilitati consulentes priuant, quãtum in ipsis est, alios ciues facultate emendi res illas commodius forsan ab alijs, inferuntque illis dãna in prima conclus. Adducta. Qua de causa in illa l. vnica. Cod. de Monopol. facientes monopolia sua priuata authoritate puniuntur priuatione bonorum, & exilio. Et similiter Castellæ lib. 5. Partita. tit. 7. In nostro Regno iuxta illius iura faciẽtes monopolia in rebus necessarijs puniuntur priuatione illorum bonorum & alijs penis arbitrarijs.

Probatur secunda pars eiusdem cõclus. Quia quo iure incumbit Principibus Reipub. gubernatio, eodem possunt concedere huiusmodi priuilegia, vbi viderint in vtilitatem boni communis illa cedere. Hac ratione concedũt talia priuilegia authoribus librorum, in quibus aliquid eruditum continetur. Expedit enim illud bono communi, tum in premium vigiliarum, & laborũ, quos in illis conficiendis sustinuerunt: tũ, vt alij eo premio allecti ad similia studia excitentur. Concedunt etiam peritissimis artificibus, qui sua dexteritate, & industria aliqua noua, & exquisita opera suæ artis multo labore adinuenerũt, vt ipsi soli possint illa efficere, ac vendere. Conceduntq; nõnullis mercatoribus, qui merces aliquas raras, & peregrinas multo labore, & expẽsis conquisitas in commodum, & ornamentum suæ patriæ asportarunt, vt ipsi soli per aliquod tempus illas vendere valeant. Hęc namque omnia & his similia concedere exigit Reipub. vtilitas, suadetque recta ratio.

Tortia Conclusio. *Monopolium, quo cõueniunt aliqui, vel plures, ne rem aliquam emãt nisi in tanto pretio, iniquum etiam est, & execrandum.*

Vt in exemplo illo adducto de mercatore, cuius nauis mercibus onusta ad portum apulit, compelliturque minoris illas vendere, quam vendidisset propter huiusmodi monopolium, ne in eo loco detentus maiores faciat expensas. Patet iniquitas huius monopolij. Quia priuatur venditor ille facultate vẽdendi merces illas commodiori, ac vtiliori via, qua potuisset. Offerturque illi & alijs mercatoribus maxima occasio, ne suas merces in eum locum deferãt, quod cedit in graue Reipub. damnum.

Vltima Conclus. *Qui per huiusmodi monopolia sibi prohibita in causa sunt (sicut reipsa sunt) vt rerum venalium pretia augeantur, maxime earum rerum, quæ victui, & vestitui necessariæ sunt, non solum peccant grauissime, verum etiam tenẽtur in conscientia excessum illũ pretij, in quo propter talia monopolia venditæ sunt, restituere, nisi excessus ille supra pretium, in quo cessante tali monopolio fuissent venditæ, sit exiguus, & nullius fere considerationis.*

Huiusmodi monopolas committere grauissimum peccatum mort. concors est omnium Theologorum sententia, cum inferãt grauissimum damnum Reipub. & singulis ciuibus. Quod autem teneantur ad restitutionem docent Maioris in 4. dist. 15. q. 41. Gabriel ead. dist. q. 10. art. 3. dub. 2. Angel. Negotiatio. num. 3. Conrrad. de contract. q. 65. post. 3. cõclus. Siluest. Emptio. q. 10. vbi affert in eandem sententiam Nider. in 7. precep. Ioan. Medina de restitut. q. 36. §. penult. Cayet. in hac 22. q. 77. ar. 1. Nauar. in Mauarr. c. 23. nu. 191. Ex recentioribus vero Thom. Mercatus lib. 2. de contract. c. 8. Palatias lib. 2. de contract. cap. 2. pag. mihi 69. Ludou. Lopes in suo instructo. parte 2. cap. 74. vbi affirmat idem sensisse Mag. Victoriam. Et cæteri qui hoc tempore de contractibus scripserunt, præter vnum aut alterum.

Dixi in hac conclus. maxime earum rerum, quę victui, ac vestitui necessarię sunt, nam in alijs, quibus non ita egemus, nec ita Doctores citati illos obligant. In rebus vero

ro conuictui humano absolute necessarijs, vt pane, vino, oleo, ordeo, lineis, pānis, & similibus communem sententiam verissimam esse ex eo patet. Quia ex D. Thom. & communi Theologorum placito, vt vidimus primo tom. q. 62. art. Quicunq; nocet alteri cum iniuria tenetur ad reficiendum nocumentū illud. Hoc enim significat aperte Regula illa iuris: *Si tua causa damnum datū est, iure super his te satisfacere oportet.* Sed qui suo monopolio auget pretium rerum, quibus indiget conuictus hominum, nocet singulis ciuibus, & cū iniuria: Primo, Quia & iure communi, & priuatis legibus Principum prohibita sunt monopolia, maxime in huiusmodi rebus. Secundo, Quia habēt ciues ius a natura, & legibus sibi cōcessum, vt huiusmodi res tēpore messis, vindemiæ, & quando colliguntur, vel afferuntur in publico foro commode illas emere valeāt, quo iure isti iniqui, & impij monopolæ illos priuant, res istas præementes, & recludentes, ne facile, nec commodo pretio inueniantur. Tenentur igitur hæc damna, & excessum pretij, quod sua iniquitate augenr, compensare. Quæmadmodū enim qui vtitur iure suo, nulli facit iniuriam, ita qui expoliat fratrem iure suo, iure inquā suo, nō solum quod iam habet iu re, verum etiam quod habet in rem, maximam illi infer iniuriam, teneturque ad damna cum tali iniuria illata compensanda.

Secundo, Qui in contractu infert vim aliquam contrahenti, & per eam damnum aliquod temporale, tenetur omnium consensu ad illud restituēdum, at qui circa res victui necessarias monopolia excercēt, vel constituentes interse, ne alio pretio quam ab ipsis constituto, res illæ vendantur, vel res illas occupantes, & recondentes, vt ab ipsis necessario recipiendæ sint, & emendæ: iudicantur ab omnibus DD. vim inferre ementibus, cum compellant eos ab ipsis tantum emere, & in pretio, quod vel communis eorum consensus, vel singulorū cupiditas constituerit: tenebuntur ergo ad excessum, & damnum, quod per huiusmodi monopolium, & vim inferunt, illis compēsandum.

Tertio conueniunt omnes, Eum qui suo monopolio in causa est, vt vendatur res, vel vltra supremum, & rigidum pretium, quam fuisset vendita, aut ematur infra benignum, infimumque pretium, quam fuisset empta, cessante monopolio, teneri ad restituendum illum excessum, vel defectum iusti pretij: At cōspirantes in aliquod pretium rerum, quas vsurpant, cōmuniter vēdunt illas multo maiori paetio, quam fuisset supremum & rigidum illarum cessante tali conspiratione, & monopolio, tenentur ergo ad illum excessum restituendum, vel ipsis emptoribus, vt inquit Conrrad. loc. cit. si depræhendi posint quando illos nocuerint, vel pauperibus.

Ex hac Conclus. sequitur. Emptores qui conspirauerint, ne merces aliquę aduenientes in alio pretio ab vllo eorum emantur, præterquam in tali pretio, teneri ad restituendum vēditori, quidquid propter illud monopolium deerit a iusto illarum pretio. Eadem enim debet esse ratio emptorū, quę venditorum. Præterquam vbi venditores conspirarent, non vendere nisi in aliquo excesiuo pretio: Tunc enim possent emptores conuenire non emere, nisi in tali moderato, & iusto. Qua etiam ratione vbi emptores conspirauerint, nō emere, nisi in vilisimo pretio, possent coouenire venditores, nulli vendere nisi in tali moderato etiā & iusto. Sic enim conuenientes non excercerent profecto monopolium, sed suam redimerent vexationem.

Ex progressu huius disputationis sequitur primo. Quam inique, & impie agāt aliqui Medici, vel Chirurgi conspirantes interse, ne quis eorum infirmum aliquem curet sine alterius consensu, vel ne peculiaria aliqua remedia ipsis cognita alijs indicet: hi licet non teneantur ex huiusmodi monopolijs ad aliquam restitutionem, peccāt tamen grauisime contra charitatem: præter quam vbi essent a Repub. conducti ad curandum, vel docendum: Tunc enim tenerentur etiam ad omnia damna infirmis subsequuta satisfacienda.

Sequitur secundo, Quam inique, etiam & impie agant, qui tempore messis, vindemiæ, & quando oleum, similesque fructus humano victui adeo necessarij colliguntur, sua cupiditate adducti illos in magna quantitate præemere, coaceruare, ac recondere summa diligentia, & industri curant: Quos coaceruatore Hispanæ dicimus *Recatones*, vel *Agauelladores*, a Iuristis dicitur *Præemptores*, dicendi potius vt inquit Conradus *Prærabtores*, boni communis & pauperum *Peremptores*: Hi namque sua calliditate omnes, vel plerosque fructus a priuatis agricolis preementes, illorum pretia & ipso tempore messis plurimum augent, caritatemq; nducunt. Secundo. Alios ciues impediunt, ne

ne congruo tempore & pretio sibi necessaria possint œconomice prouidere. Demũ efficiunt, vt progrediente anno, illa in publico foro omnino deficiant, vt cogãtur ciues ab ipsis solum in rigidissimis pretijs fructus illos emere.

Inciduntque, quod est maxime dolendũ, in hoc iniquitatis & impietatis genus, multi eorum, qui ecclesiasticos decimalesque fructus Episcoporum, & aliorum Ecclesiasticorum habẽt conductos. Abutentes nãque priuilegio decimis iuste ac merito concesso emunt alios innumeros fructus, coaceruantque, ac recondunt, supradicta damna miserę Reipub. & priuatis ciuibus passim inferentes. Qua de causa horum officiũ sordidum iure dicitur, omnibusque exosum authore Cicero. 1. offit.

Vocantur in iure Dardanarij, a quodam Dardano qui operam dabat, vt annona carior fieret, emendo omnem quam poterat, vt postea solus vẽderet, teste Accursio in l. Annonam. ff. De extraord. criminib.

Afferunt quidem DD. nonnullos casus, in quibus ementes huiusmodi fructus nec sunt dãnandi, nec leges cõtra Dardanarios latas transgrediuntur.

Primus est, Quando emũtur fructus elapso tempore, quod vel lex prouinciæ assignat, vt in Castella, & nonnullis prouincijs vel recta ratio dictat, in quo sufficienter, & commodæ priuati ciues possunt illos sibi, suisq; parare. Qua ratione Sãctus Ioseph, tempore abundantie quæ accidit illis septẽ annis AEgypti, post quam cæteri pro libito necessaria suæ familiæ singuli emerant, reliquam frumenta in horrea publica & regia redegit, vt futuræ sterilitati ea ratione occurreret. Genes. 41.

Secundus est, quando dominus fructnũ vel alterius mercis non vult illam aliter vẽdere, quam in magna copia & quantitate, in qua priuati non valẽt illam emere. Possunt tunc, qui abundãt ad emendum in magna illa copia, ne fructus illi vel merces alio deferantur, suisque ciuibus deficiant, in ea copia illas emere suis deinde per minores partes vendituri. Hoc enim emptionis genus non solum est ab omni culpa, & vitio alienum, verum etiam laudabile, & pium, & in magnam boni communis vtilitatẽ: præstãt namque hi in hoc casu, quod Magistratus, & Gubernatores illius loci in eo debebent.

Tertio, si quis in suum vsum aliquos fructus emisset, quos deinde, vel quia recessurus, vel alia de causa mutato animo venderet: Aut qui magnã illorum copiam suæ familiæ parauerat, quo annona sibi potius superesset, quã defficeret, si quæ in fine aut progressu illius anni sibi minus necessaria videns alijs vendat, neuter horũ est coaceruator fructuum iudicandus, vel legum, quę illud prohibent, transgressor.

Debent tamen hi, vt ab iniquitate, & penis Dardanariorum alieni existãt, obseruare diligenter duo illa, quæ recte ac iuste Conrrad. & alij DD. ab illis exigunt.

Prius est, vt cum primum intellixerint, fructus illos quos emerunt deficere ciuibus, producant eos vendendos in foro, nõ quidem omnes simul, vel vnico die, sed per partes, quamuis non ita minutas, vt perinde forus egeat, ac si nullos educerent.

Posterius est, vt propter penuriam fori cui subueniunt, non desinant vendere vel in pretio taxato a lege, vbi lex illud præscribit, vel moderato, & iusto arbirrio prudentum. Tum, quia ita postulant leges iusti pretij, vt vidimus initio huius operis. q. 77. ar. 1. Tum maxime, quia si ideo præemerũt, ac recondiderunt fructus, vel vt occultẽt illos, cum ciues illis indiguerint, vel vt educant illos in rigidissimis pretijs, eandẽ committunt iniquitatem, & impietatem, quam præemptores isti Dardanarij, contra quos omnia iura proclamant.

Extra hos igitur casus quicunque fructus victui humano necessarios præemunt, coarceuãt, & recondũt, vt pretia eorũ augeãtur, nec volunt eos producere, donec nimiũ pretia creuerint, peccant grauissime: Imprimis contra charitatem, inferentes Reipub. omnia illa damna quæ retulimus. Secundo, contra iustitiam legalem, cum huiusmodi præemptiones legibus superiorũ sint adeo prohibitæ: In Castella lege Alfonsi Vndecimi, quæ habetur Partit. 5. tit. 7. & l. 23. & 24. legum Matritij anno 1530. & habentur post capitu. cõmitiorum Vallisoleti anno 1548. in quorum capit. 180. extenditur etiam contra conductores reddituũ Ecclesiasticorum, & aliorum dominorum: In nostro Regno sanctissimis ordinationibus huius Ciuitatis Valentinę pragmaticis Regijs confirmatis. Peccant tertio contra iustitiam particularem singulorum ciuium, expoliantes eos facultate quam omni iure habent emendi sibi necessaria in foro, vel ab agricolis accommodatis pretijs. Horũ enim iniquitate neque in foro, neque inter agricolas possunt ciues fructus emere cum ea commo-

commoditate, quam omnia iura illis concedunt.

Vnde cum tot damna & contra iustitiã, & contra charitatem proxsmis suis coacervatores isti inferant, tenentur proculdubio non minus quam iniqui monopolæ ad restituendum excessum pretij, quẽ præemptione illa, & occultatione fructuum effecerũt. Qua de causa huiusmodi hominibus æterna manet maledicto Prouerb. 11. *Qui abscondit frumenta maledicetur in populis benedictio autẽ super caput vendentiũ.* Et merito, cũ priuent hi suos ciues rore cœli, pinguedine terræ, abundantia frumenti, vini, & olei: quę tanquam benedictionem cœlestem Sancti Patriarchæ suis præcabantur, & fideles publicis priuatisque orationibus a Deo imploramus. His namque bonis non tam anni sterilitate, quam horũ Dardanariorũ iniquitate ciues expoliari mihi per suasum habeo Neq; in merito, Nã cũ experiẽtia teste, quacunque penuria fructuum in foro occurrente, si pretia eorum augeantur, videamns statim illos abundare, certissimo illud argumento est, egestatem illam & penuriã non esse tam sterilitati tẽporis tribuendã, quam iniquitati eorum, qui tempore messis fructus illos præementes reconditos habẽt, & occultos, non aliter vendendos, quam vbi in summis rigidissimisq; pretijs viderint illos vendi Quod insinuauit satis Regius Propheta Dauid, quando 2. Regum. 24. cum optionem a Deo accepisset per internuntium Prophetam, quo vellet plecti pro suo peccato supplicio? Num fame 7. annorum, vel tribus mensibus inimicorum suorũ persecutione, aut peste per tres dies? pestem potius eligens quam famem, vel bella, dixit. *Melius est mihi incedere in manus Dei, quam in manus hominum.* Significans satis, pestem solum Deum immittere, bella, vero & famẽ, quamuis non sine Dei permisu quoque accidant, hominum tamen iniquitati & cupiditati esse tribuenda.

In huiusmodi igitur humani generis hostes optarem plurimum Principes, & Magistratus seuerissimos esse, sicut leges ipse ciuiles hortantur, bona & fructus illorũ sine vlla remissione publicantes, personas perpetuo relegantes exilio, & alijs penis a legibus constitutis illos subijcientes. Etenim Si Dionisius, quãuis infidelis & tyrannus, quendam præẽptorem ferri, vt carius deinde illud vẽderet, perpetuo (vt refert Arist.) puniuit exilio: quales esse opportet Principes, & Magistratus Christianos, Reipubli. patres & pauperum tutores, in hos preemptores Dardanios? quos boni cõmunis pestem, fructuum locustas, & bruchum, quin & pauperum homicidas vere dixerim. Nam si iuxta B. Ambrosium, *Occidit fratrem suum, qui eum non pascit, cum possit*, hi qui sua cupiditate prohibent, ne pascantur pauperes, quin & reliqui ciues ex ex fructibus, quos diuina pietas omnibus vult sub accommodatis pretijs esse comunes, cur non dixerim homicidas? Sunt vere, & illis sæpe crudeliores, illi enim eos tantnm perimunt, quos habent inimicos, hi vero & amicos, & affines, & omnes conciues suos.

Qua de causa sicut homicidas diuina vltio non solum in futuro sæculo, verum etiã neque in presenti patitur manere impunitos, ita & hos crudeles Dardanarios, præter grauissima tormenta quæ habet illis apud inferos parata, multis quoque in hac vita temporalibus afficit calamitatibus, & supplicijs: Potissime vero, vt quæ cum tanta aliorum iniuria, & nocumento sibi compararunt, facile, & breui cõsumpta enanescãt. *Vt male parta, male quoque dilabantur.* Ita videmus horum mercatorum, & præemptorũ domos, quę aliquando temporali um abundantia florebant plurimũ, intra breue tempus ad summam redactas egestatem, vt sicut fame pauperes opræsserunt, fame quoque ipsi & filij eorum cum summo rubore consumantur.

Possem quidem illud innumeris exẽplis, & antiquis, & recensioribus confirmare, sed quod in hac nostra Ciuitate quindecim fere ab hinc annis accidit, sufficiet.

Præemerat quidam ex his, qui fructus, & redditus quorundam locorum habebat conductos, magnam eo anno frumenti copiam, quæ vna cum eo, quod ex locis illis quos habebat conductos, recepit, efficibat mille (vt idem retulit) mensuras, quas Hispanæ dicimus *Cahizes*, quas in vno ex illis locis ita reconditas asseruabat, vt nec anni caritate, nec annonę penuria, nec maximis quibus tunc illa vẽdebatur pretijs, nec vxoris (quam erat sortitus timentem Deum) præcibus adduci potuit, vt frumẽtum illud Valentiam adductum vendendum exponeret, quousque circa finem Quadragessimæ pretium illius nimium creuisse comperit. Tunc feria 4. hebdomadæ, in qua Sacratissima Redemptionis nostre misteria celebrantur, locum, vbi magnam illius frumenti copiam seruabat, adiuit, paraturus iumenta, & agasones qui illius post festum Paschatis

chatis partem aliquam huc asportarent: viditque illud sanum, & integrum, perinde ac si recenter fuisset collectum: letus reuersus domum vxori, (a qua passim de sua ini quitate corripiebatur) quod instituebat, vt illi gratum faceret, indicauit. Promisisq; stare volens secūdo Paschatis die in locum tritici reuersus, vt statim post festum illud 50. mensurę seu *Cabizes*, huc ducerentur, ingresusq; videre triticū, cuius ingenti pretio ditissimus eo anno effici sperabat, quod sex tātum ante diebus proprijs occulis viderat, suisq; manibus & famulorum contrectauerat sanum, integrū, formosum, durum, nec minus vtile quam recens collectum, inuenit ita corrossum, vacuum, inane, & in paleas omnino inutiles conuersum, vt nec in cibos gallinarum vsui esse posset, nec ex tanta frumenti copia & congerie vel vnica maneret mensura vtilis & proficua. Quæ res tāto do lore & amaritudine animum illius cōfecit, vt ardenti febri correptus, Valentiā in propriam domum delatus, plurimū de vita periclitaretur: Qua occasione ad consolādum illum & audiendam sacram eius confessionem infirmitate vrgente vocatus, rem omnem, & admirabilem hanc diuine vltionis significationem, & argumentum ab eodem accepi: Dignum quod in aliorum exemplū typis, ac memoriæ mandaretur.

Proponunt DD. qui de Contractibus scripserunt nonnulla alia contractuum genera, sed mihi D. Tho. interpretanti, iuxta ea quæ Doctor Sanctus in hac 22. in duabus illis q. 77. & 78. de contractibus proponit, quæ hactenus expossuimus censeo sufficere, maxime cum ex his quę in hoc volumine continentur, de iustitia, vel iniquitate cęterorum omnium contractuū facilime possit, qui nostra legerit attente, iudicium ferre.

Omnia vero, quæ tam in hoc volumine, quam in cæteris, quæ hactenus in lucē missimus, vel diuino numine nobis fauente ad huc mittere propediē speramus, docuimus, vel docebimus, Sacrosanctæ Ecclesię Romanæ, quæ omnis veritatis columna est, & magistra, ac peritorū correctioni ingenue submitto. Studiosum lectorem sicut soleo plurimum obsecrans, vt quæ minus recte hic tradita deprehendet, boni consulat, quæ optime, & vere Deo Opt. Max. a quo omnis sapientia, est accepta referat.

LAVS DEO.

IN hoc volumine institueram quidem explicare, quæ habet D. Thom. in hac 2.2.a quæst. 77. vsque ad 87 sicut initio huius operis continetur: Deinde vero non leuibus rationibus adductas solas duas quæstiones, nimirum 77. & 78. enarrare decreui, eo quod in his, licet Doctor. S summatim tantum attingat, quæ ad omnes contractus saltim potiores, & difficiliores spectant, viam nihilominus præmonstrat, & additum suis interpretibus parat, quem agressi de contractibus abunde, ac copiosse differant. Quam occasionem nactus tum vt meo muneri in hac parte satisfaciam, tum vt quantum possum, & debeo fidelium conscientijs consulerem, difficiliorum contractuum disputationẽ in hoc volumine mihi ita suscipiendam decreui, vt omnem praxim illorum ad vnguem oculis legentium hos commentarios obijcerem, & omnes artes, & thecnas, quas cupiditas humana illis immiscuit, sic explicarem, vt non tam eas legere, quam proprijs manibus contrectare studiossus lector, modo attente, & æquo animo illos lustrauerit, experiatur. Quòd cum non poßit breui oratione prastari, ne breuitas obscuritatem rebus se ipsis satis obscuris, ac difficilimis afferat, oportuit vt in explicandis tantum his duabus quæstionibus 77. in qua de fraudulentia, quæ in emptionis & venditionis contractu occurre posset, & 78. in qua De vsuris, & contractibus quibus illa permisceri potest, deleganter differit D. Tho in hoc 2. tomo ita versaremur; Vt vel has duas solas quæstiones explicantes, vniuersam molem potiorum contractuum, & eorum, in quibus quæ difficiliora, ac obscuriora sunt, occurrunt, his commentarijs elucidaremus. Sic quæ vt illarum tantum indicem hic proponimus: quamuis copiossum deinde, earum rerum quæ in hoc volumine continetur, subijciamus.

INDEX QVAESTIONVM D. THOM. QVAE in hoc secundo volumine explicantur.

CONTINENTVR IN HOC OPERE INNVMERA Sacræ Scripturæ, & vtriusque Iuris testimonia e quibus nonnulla quæ hic acuratis explicantur & discutiuntur placuit hic indicare.

EX IVRE PONTIFITIO.

EX IVRE CIVILI.

INDEX ALPHABETICVS

EARVM RERVM QVÆ IN HOC SECVNDO VOLVMINE CONTINENTVR.

A.

 tio,

Causæ

D

da

G

H

I

M

N

O

P

S

T

V

Venalium

Vsure

Vsurarij

LAVS DEO.

Valentiæ, apud Aluarum Francum, Anno 1598.

Salon. [illegible]


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm